


A
71


1
4-7

R-2190

BIBLIOTHECA

CANONICA, JURIDICA, MORALIS, THEOLOGICA,

NEC NON

ASCETICA, POLEMICA, RUBRICISTICA, HISTORICA &c.

De principalioribus, & fere omnibus, quæ in dies occurrunt, nec penes omnes facile, ac prompte reperiri possunt, ex utroque Jure, Pontificiis Constitutionibus, Conciliis, Sacrarum Congregationum Decretis, Sacræ Romanæ Rotæ Decisionibus, ac probatissimis, & selectissimis Auctoribus accurate collecta, adaucta, Ordine Alphabetico congesta,

AC IN OCTO TOMOS DISTRIBUTA

AB AD M. R. P.

LUCIO FERRARIS

Soler - Alexandrino, Ord. Minor. Regul. Observ. Lectore Jubilato, Exprovinc., Examinat. Synodali, ac S. Offic. Consultore.

EDITIO SECUNDA ROMANA AUCTIOR,

Cui, præter ea, quæ Auctor in Tertia Editione Veneta in calce Operis adjecerat, nunc suis locis inserta, accesserunt ex aliena manu multa tum Theologiam, tum maxime Jus Canonicum & Civile concernentia, eaque scitu dignissima, & omnibus præsertim Ecclesiasticis Viris apprime utilia, & necessaria, ac Index rerum locupletissimus.

TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS LITTERAS

I. K. L.

DE LA LIBRERIA
DEL REAL COLEGIO MAYOR
Reunido de Santa Cruz, y
Santa Catalina.
M. C. N.

ROMÆ, MDCCLXVII.

EX TYPOGRAPHIA CAROLI BARBIELLINI
IN VIA CURSUS

SUPERIORUM FACULTATE.

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Patriarch. Antiochen. Viceſgerens.

IDem judicium quod perlectis de mandato Reverendiſs. P. Thomæ Auguſtini Ricchini Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri Tomis Primo, Secundo, & Tertio tuli, ad examen revocato hoc Quarto cogor ferre. Scilicet quæ minus, meo quidem judicio, perſpecte in hanc PROMPTAM BIBLIOTHECAM congeſſit R. P. LUCIUS FERRARIS: ea Notis vel indicata, vel emendata ſunt. Quare & hunc Tomum Quartum novis ſubmitti poſſe typis cenſeo.

Datum Romæ ex Collegio Clementino die 10. Octob. 1767.

D. Joſeph Bettoni C.R.S. Conſultor S. R. Congreg.

OBtemperaturus mandatis a Reverendiſſimo P. Thoma Auguſtino Ricchini Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro mihi benignè impoſitis attente perluſtravi Quartum Tomum BIBLIOTHECÆ *P. Lucii Ferraris*. Si quid mihi in eo occurrit, aut minus caſtigate prolatum, aut a Sanioris ethices norma diſſentaneum, quod calamum clariſſimorum præcedentium editionum Cenſorum aufugerit, id ad rectum tramitem revocandum tentavi. Quæ cum ita ſint, in ea ſum ſententia, ut publici juris fiat. In quorum fidem &c.

Dabam ex ædibus noſtræ Congregationis Nonis Octob. MDCCLXVII.

Paulus Marcellus Del Mare Congregationis S. Jo. Baptiſtæ Presbyter, ac S. Theologiæ Lector.

IN nuperrimis addictamentis, quæ huic Quarto Tomo Promptæ Bibliothecæ acceſſerunt, nihil inveni, quod Catholicæ Fidei, boniſque moribus adverſetur; ideoque typis dari poſſe cenſeo, ſi ita videbitur Reverendiſſimo P. Sac. Pal. Apoſt. Magiſt. &c. Romæ 13. Octobr. MDCCLXVII.

Ubaldus Giraldi a S. Cajetano Cl. Reg. Scholarum Piarum Apoſtolicus Romani Cleri Examinator.

AUctorante Reverendiſſimo P. Magiſt. Sac. Palatii Apoſtolici Tomum Quartum *Bibliothecæ R. P. Lucii Ferraris* perlegi: nihilque in eo deprehendi, quod ab orthodoxæ Religionis decretis, rectaque morum Inſtitutione abhorreat; Quarè dignum, qui iterum typis mandari poſſit, cenſeo. Romæ 13. Octobris 1767.

Felix Antonius Tombolini J. U. D.

REIMPRIMATUR.

Fr. Thom. Auguſtin. Ricchinius Ord. Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

Del
D.or D.n Juan Fran.co Carbonel del Choral
Sect.l de la S.ta Y.a de Barna.

INDEX TITULORUM,
SEU MATERIARUM,
Quæ in hoc Quarto Tomo continentur.

I

IDOLOLATRIA. Pag. 1
Jejunium. 1
Jesu Societas. 23
Ignorantia. 23
Illegitimus. 26
Imagines. 28
Immunditia. 30
Immunitas Ecclesiastica, & Ecclesiarum. 30
Impediens. 57
Impedimenta Matrimonii. 59
Impotentia. 84
Impudicitia. 84
Incendiarii. 84
Incensatio. 85
Incestus. 85
Incorrigibilis 85
India, Indi. 85
Indignus pro Prælaturis. 85
Indulgentia. 85
Infamia, Infamis. 150
Infernus. 151
Infirmitas, Infirmus. 160
Ingressus. 162
Inimicus. 162
Injuria. 162
Inquisitionis S. Officium, Inquisitores. 162
Insana, Fabulosa, & Mendosa Propositio. 166
Insignis, Insignitas. 166
Insignia. 168
Insordescens, Insordescentia. 169
Institutio, seu instituere in Beneficiis. 171
Instructio Parochorum, & Confessariorum pro Casibus, pro quorum absolutione, seu dispensatione recurrendum est ad Sacram Pœnitentiariam. 173
Instrumenta. 178
Intentio. 178
Interdictum. 183
Interlocutoria Sententia. 189
Interpretatio Legis. 189
Interstitia. 189
Intrusus in Beneficium. 190
Invidia. 190
Job Propheta. 192
Ira. 192
Irregularitas. 193
Jubilæum. 205
Judæus. 238
Judaica Propositio. 238
Judas Iscariotes. 238
Judex. 239
Judicium. 243
Judicium temerarium, suspicio, & dubitatio. 246
Juramentum. 247
Jurisdictio. 266
Jus, Justitia. 270
Juspatronatus. 276

K

KALENDARIUM. 297
Kyrie Eleison. 305

L

LÆSIO. 305
Laicus. 305
Largitio munerum. 307
Laxa Propositio. 308
Laudemium. 308
Lectoratus. 308
Latrones Cruci cum Christo affixi. 308
Legatarius, Legatum 309
Legatus. 323
Legislator. 326
Legitima. 326
Legitimatio. 329
Legitimus. 329
Lex. 329
Lex Commissoria. 348
Libellus famosus. 348
Liberalitas. 350
Libri. 350
Libri prohibiti. 352
Ligamen. 367
Limina Apostolorum Romæ. 367
Linea Affinitatis &c. 369
Litaniæ. 369
Litteræ Apostolicæ. 370
Litteræ. 371
Livellum. 372
Locatio. 372
Lot Patriarcha. 377
Ludus, Sponsio. 378
Lunaticus, & Furiosus. 384
Luxuria. 384

ADMODUM REVERENDI

P. F. LUCII FERRARIS.

PROMPTA BIBLIOTHECA
Canonica, Juridico-Moralis-Theologica &c.

IDOLOLATRIA.

IDOLOLATRIA, ut patet ex nominis etymologia, divinum cultum erga falsos Deos, & creaturam exhibens, ac peccatum quidem semper gravissimum; Vide verbum *Superstitio num.* 8. *& 9.* ubi dicitur quid, & quotuplex sit, quomodo, & quando opponatur Fidei, & Religioni, necnon de Excommunicatione in Bulla Cœnæ ob eandem Idololatriam quando incurratur.

JEJUNIUM,

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt Jejunii esse, obligationem, modum, & tempus.

1 JEjunium secundum etymologiam nominis dictum est a *jejuno* intestino quodam animalis, quod semper vacuum, & subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum & consequenter non pinguem, sed macrum, & subtilem reddat; Sporer *tom.* 1. *Append. ad* 3. *præceptum Decalogi sect.* 1. *num.* 1. Jejunium generatim sumptum est quadruplex, scilicet
2 Spirituale, Naturale, Morale, & Ecclesiasticum. Jejunium
3 *spirituale* est abstinentia a vitiis, & illicitis voluptatibus, ut habetur expresse ex *cap. Jejunium* 24. *dist.* 5. *de consecratione* ubi ex verbis S. Augustini sic præcise dicitur: *Jejunium autem magnum, & generale est abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium & cap.* 58. *Isaiæ*, ibi: *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis*. Et S. Basilius *homil.* 1. *de jejunio* dicit: *Verum jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum*
4 Jejunium *naturale* est abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu etiam per modum medicinæ in stomachum transmisso, quale jejunium a tempore mediæ noctis requiritur de præcepto Ecclesiastico ad sumptionem Eucharistiæ, nam, ut ait S. Augustinus *Epist.* 118. *ad Januarium*: „ Placuit Spiritui „ Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, prius in os Chri„ stiani Corpus Dominicum intraret, quam reliqui cibi, nam „ ideo per universum Orbem mos ille servatur„. Idem traditur in Concilio Africano *can.* 8. Carthaginens. 4. *&* 29. quæ extant *tom.* 1. *Concilior.* Item in Concilio Matisc. *cap.* 6. Antisiodorensi *cap.* 19. Toletan. 7. *can.* 1. quæ extant *tom.* 2. *Concilior.* Hinc Rubricæ Missalis *tit. de defectibus dispositionis corporis* sic loquuntur: „ Si quis non est jejunus post „ mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel „ alterius potus, aut cibi, per modum etiam Medicinæ, & „ in quantumcumque parva quantitate, non potest commu„ care, nec celebrare„. Ubi tamen mox subjungitur *in hæc* „ verba: „ Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, „ non impediunt communionem, cum non transglutiantur „ per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, „ si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.„ 5
Jejunium *morale*, ac philosophicum dictum est actus temperantiæ moderantis appetitum, & *usum cibi*, ac potus secundum Regulam rectæ rationis, cujus velut partes sunt abstinentia, & sobrietas; abstinentia enim moderatur affectum, & usum ciborum, sobrietas vero moderatur affectum, & usum 6
potus potentis inebriare. Jejunium *Ecclesiasticum* est abstinentia a carnibus, & quibusdam aliis cibis ab Ecclesia imperata cum unica refectione tempore designato sumenda; *ita in re communis*. 7

Ad jejunium Ecclesiasticum tria requiruntur, scilicet abstinentia ciborum certi generis, abstinentia plurium refectionum, & certa hora refectionis; *Communis*. Quantum igitur spectat ad primum, nempe ad *abstinentiam ciborum certi generis*, sive (ut loquitur Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap.* 21.) *Delectum ciborum*, abstinendum est diebus jejunii a carnibus, 8
ut statuitur in *cap. Statuimus dist.* 4. *cap. Utinam dist.* 76. 9
Concil. Toletan. 8. *c.* 9. & sæpe alibi. Et in Quadragesima, ab ovis, & lacticiniis, scilicet lacte, butyro, caseo, & quidquid ex lacte conficitur, ut præcipitur in *Synodo Trullana can.* 56. *& cap. Denique dist.* 4., ibi: „ Par autem est, ut qui„ bus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quo„ que, quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, „ a lacte videlicet, caseo, & ovis„; & facit Propositio sequens 32. inter damnatas ab Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 10
1666., ibi: *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget*. Unde consuetudo abstinendi a lacte, caseo, & ovis pro solo tempore Quadragesimæ, non item pro aliis diebus jejuniorum obligat, universaliter loquendo; Sic Doctores communiter cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 147. Castropalao *part.* 7. *disp.* 3. *punct.* 2. §. 1. 11
& aliis passim. Particulariter tamen loquendo standum est particularibus locorum consuetudinibus, & privilegiis, cum alicubi ova, & lacticinia prohibeantur solum tempore Quadragesimæ, & extra illud non sint vetita; & alicubi etiam diebus jejunii extra Quadragesimam non permittantur & alicubi sive ex consuetudine, sive ex privilegio permissum videatur vesci, nedum ovis, & lacticiniis, sed etiam saginine, seu pinguedine expressa a lardo porcino, item adipe anserum, ac aliorum animalium, item sanguine animalium forciminum &c. ut observant, & affirmant Gloss. *in cap. Presbyter dist.* 82. *verb. Saginine*, Hostiens. *in summa Rubr. de* 12
observat. jejunii, Abbas *in cap. Consuluit. n.* 2. *de Judæis*, & alii. In jejuniis Regulares uti possunt ovis & lacticiniis, ex-

tra tamen tempora ab Ecclesia universaliter prohibita, ut fuit determinatum in Capitulo generali Capuccinorum 1596. & fuit approbatum *a Sacra Congreg. Episcop. & Regul. in Consentina* 15. *Julii* 1606. apud Nicol. *in Floscul. verb. Capucini n.* 9. & apud Piton. *Constit. & dec. Pontific. ad Reg. Iares tom.* 2. *num.* 1672.

13 Quantum ad secundum, nempe *ad abstinentiam plurium refectionum*, certum & indubitatum est ex universali, & perpetua Ecclesiæ consuetudine ad jejunium requiri unam tantum refectionem moraliter continuatam, excludendo refectionem iteratam. Unde merito Alexander VII. die, & anno, quo supra, damnavit sequentem propositionem 29. in ordine: *In die jejunii, qui sæpius quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Ex Ecclesiæ tamen to-
14 lerantia, & tacito consensu, & longæva universali consuetudine ultra dictam unicam refectionem introducta est, & licite permissa parva serotina collatiuncula in sublevamen corporalis infirmitatis, quæ mundo senescente semper magis augetur.

15 Quantum ad tertium, nempe *ad certam refectionis horam* licet alias talis refectio tamquam cœna sumenda esset hora vespertina in Quadragesima, uti patet ex *c. Solent* 49. *dist.* 1. *de consecr.*, ibi: „ Solent plures, qui se jejunare putant in „ Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam „ comedere, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante „ manducaverint, quam vespertinum celebretur officium, „ & hora nona, quæ est tertia post meridiem, in aliis jejuniis infra annum, ut testatur S. Bernardus *serm.* 4. *de Quadragesima*; & Micrologus *de Ecclesiasticis observat. cap.* 49.; ibi: „ In „ hoc Quadragesimale jejunium ab aliis differt, quod in aliis „ post Nonam, in hoc post Vesperam reficere debemus. „ Nec juxta canones quadragesimaliter jejunare censemur, „ si ante vesperam reficimur „; Tamen quia Mater Ecclesia ob corporis, & naturæ semper magis declinantis infirmitatem refectionem illam tamquam prandium sumi indulsit hora sexta proxima meridiei, retento nomine Cœnæ ob memoriam antiquitatis (unde ordinavit ut in ipsa meridiana refectione preces pro benedictione Mensæ dicantur in Cœna) statuit, ut
16 in Quadragesima dicantur Vesperæ, & in aliis diebus jejunii Nona semper ante refectionem meridianam. Hæc autem consuetudo sumendi refectionem in meridie diebus omnibus jejunii cœpit fere temporibus S. Thomæ Aquinatis circa annum Christi 1270. ut insinuat ipsemet S. Thomas 2. 2. *q.* 147.
17 *art.* 7. & passim Doctores alii.

Jejunium Ecclesiasticum quoad substantiam consistit in
18 unica comestione, & abstinentia a carnibus; *Communis*. Præceptum jejunii obligat sub mortali diebus ab Ecclesia præscriptis; *Communis*; unde Alexander VII. *die* 24. *Sept.* 1665. merito damnavit sequentem Propositionem 23. in ordine: „ „ Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat „ mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, „ puta, quia non vult se subjicere præcepto „. Jejunium
19 quamvis ab Ecclesia sit determinatum quoad tempus, tamen non est solum de præcepto positivo Ecclesiæ, sed de simplici præordinatione divina fidelibus demandatum; *Concil. Moguntin. IV. cap.* 47., ibi: „ Eos, vero, quos necessitas nulla „ excusat, etiam ad statuta Ecclesiæ jejunia observanda in„ ducant, ipsumque jejunium Divini esse præcepti doceant. „ Tempora vero jejunandi prout salubritati corporum, & „ animarum expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata „. Unde Ecclesia ipsa Christum Dominum jejunii cognoscit auctorem, prout in suis orationibus confitetur, inquiens: „ Per„ fice quæsumus Domine benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te „ operante impleamus; *& iterum* Populum tuum quæsu„ mus Domine propitius respice, & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede.„ Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 4. *num.* 2. Fagnan. *lib.* 3. *Decretal. in cap. Explicari* 3. *de observat. jejun. num.* 31. & alii ibi ab ipso citati.

20 Die Dominico quamvis ex se licitum esset jejunare, ut clare patet ex *c. Vinam* 11. *dist.* 76. tamen propter hæresim Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Domini docebant jejunium die dominico necessarium esse, & propter alias hæreses, superstitiones, & errores statutum est ab Ecclesia non esse jejunandum Dominicis diebus; Sic *in canone* 65 *Apostolorum cap. Jejunium* 14. *& cap. Ne quis jejunet* 15. *dict.* 3. *de consecr. & in c. Placuit* 9. *dist.* 3. *de consecrat. & c. Quadragesima* 15. *dist.* 5. *de consecrat.* Ecclesia a Quadragesima excipit dies Dominicos. Unde si jejunium alicujus Vigiliæ incidat in diem Dominicam, anticipari præcipit præcedenti Sabbato; *cap. Ex parte* 1. *& cap. Consilium* 2. *de observat. jejunii.* Et Sacra Congregatio Universalis Inquisitionis 21
Romanæ anno 1686. præcepit, ut nullo pacto ex devotione etiam B. Virginis imponatur jejunium, quod indifferenter amplectatur dies Dominicos, & Festivos solemnes, puta faciendum una die Hebdomadæ totius anni, cum sit contra usum & praxim Ecclesiæ. Et hanc Sacræ Congregationis dispositionem asservari in Archivio suæ Provinciæ Panormitanæ testatur Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 3. *num.* 28, 25.

Ex dictis *num.* 20. consectarium est, quod si quis voviss et, 22
vel voveret jejunare per unum, vel plures annos, subintelligeretur exemptus diebus Dominicis a jejunio; eo quia a lege jejunii dies Dominicos excipit Ecclesia: imo nec hujusmodi Dominicis teneretur abstinere a carnibus; tempore enim Quadragesimæ diebus Dominicis intantum tenemur abstinere, quia sic ab eadem Ecclesia dispositum est; quod hic non supponitur dispositum nec a vovente: si autem voviss et, vel quis voveret cum expressa intentione jejunandi etiam singulis diebus Dominicis, quoties id malo fine fecisset, vel faceret, votum esset omnino nullum; si vero cum bona fide, jejunium esset nullum solum quoad hanc partem, tanquam illicitum, scilicet quoad dies Dominicos; & ratio est, quia in primo casu intentio est omnimodo mala, & irreligiosa ob pravum finem, in secundo autem non sic, ut est clarum. Item si quis voviss et, vel voveret jejunare per plures annos ea hebdomadæ die, qua sit Festum Sanctissimæ Annuntiationis, cum expressa intentione comprehendendi dies Dominicos, quoties talibus diebus contingat prætatum Festum, de tali voto discurrendum esset in sensu quo supra; At si non habuisset nisi intentionem recte Jejunandi, nempe vero cultu, & juxta sensum Ecclesiæ (quod in dubio est præsumendum) occurrente Festo Annunciationis diebus Dominicis, anticipare deberet Jejunium die Sabbati: recta enim intentio sum, & morem Ecclesiæ sequi tenetur, quæ occurrente Vigilia alicujus Sancti die Dominico, in diem Sabbati onus transfert implendum.

Addit tamen Felix Potestas *loco supra citato numer.* 2828. ex Thom. del Bene, Alano, & Sanchez, quod si fuerit votum Jejunandi solis aliquibus diebus Dominicis ob beneficium, aut honestum aliquem finem, secluso scandalo, & omni alio pravo mortali fine, & etiam secluso vero singularitatis studio, valeret votum, quia tunc est de re licita, eo maxime quia nunc haud amplius vigent præmissæ hæreses: Intellige (juxta ipsum) Manichæorum, qui dixerunt, ut sub *n.* 20. & Arii, ac Erasmi volentium non fore Jejunia statuto tempore instituenda, sed pro arbitrio eligenda.

Si Vigilia S. Joan. Baptistæ cadat in Festo Corporis Christi 23
anticipandum est Jejunium feria quarta; Urbanus VIII. 14. *Octobr.* 1638. *in appendic.* 2. *Constitut.* 45. in ip. *Cum evenire.* 24
Idem declaratum est pro Vigilia S. Antonii de Padua apud Conventuales; Quia enim Fratres Minores Conventuales ex Constitutione Urbana tenentur peragere Vigiliam S. Antonii de Padua, & insuper Jejunare, oblata ab ipsis supplicatione Sacræ Rituum Congregationi quid agendum, quando præfata Vigilia occurrit in Festo Corporis Christi? Ead. Sacra Congr. respondit, hujusmodi Jejunium feria quarta immediate antecedenti esse anticipandum; Facta autem in prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua annuit, ac præfatos Fratres a præcepto, quo ipsis Urbana Constitutione Jejunium prædictum patet injunctum, absolvit, *die* 26. *Maii* 1659.

J. Episcop. Sabinen. Card. Sacchettus.
Loco ✠ Sigilli.
F. Maria Phaebæus S. Rit. Congr. Sec.

In Regesto ejusdem fol. 140.

Hinc colligitur, si aliqua Vigilia cum jejunio occurrat in 25
Festo solemni alicujus Patroni principalis, posse licite ab Episcopo fieri commutationem jejunii in diem præcedentem, ad eum modum, quo Vigiliæ solemnitatum, & Sanctorum occurrentium feria secunda non jejunantur die Dominico, sed in Sabbato antecedenti, ut disponit textus in *cap. Ex parte* 1. *& c. Consilium* 2. *de observat. jejunior.*, ibi: *Sanctorum quoque Vigiliæ, quorum Festivitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sunt Sabbato jejunandæ.* Fagnan. *in cit. cap. Consilium num.* 31. Innocent. Abbas, & Præpositus ab ipso *ibi cit.* Silvest. *verb. Jejunium num.* 19. Sanchez *in*
Consi-

Consiliis lib. 5. *d.* 5. *num.* 7. Anton. a Spiritu Sanct. *t.* 1. *tr.* 6. *disp.* 2. *sect.* 5. *num.* 130. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 3. *n.* 2822.
26 & alii. Non potest tamen auctoritate Episcopi anticipari Vigilia S. Mathiæ, etiamsi occurrat ultima die Bacchanalium; *Sacr. Rit. Congregat.* 23. *Jan.* 1694. *&* 11. *Julii* 1699. apud Monacell. *par.* 2. *tit.* 16. *form.* 4. *n.* 12.

27 Fratres Minores tenentur ad præceptum jejunii feria sexta occurrente in die Natalis Domini; *arg. cap. Explicari* 3. *de observat. jejunior.* ubi Summus Pontifex Honorius III. Episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit, „ Explicari per Sedem Apostolicam postulasti: *& infra*: „ Respondemus, quod illi, qui nec Voto, nec Regulari „ observantia sunt adstricti in feria sexta, si Festum Nativi„ tatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus pro„ pter Festi excellentiam vesci possunt secundum consue„ tudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehenden„ di sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere. Et sic tenent nostræ Regulæ Expositores, & Doctores passim, ut Corduba, Miranda, Rodriq. Portell: Marchant. *in exposit. Regul. cap.* 4. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 3. *num.* 2834. Reifenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 46. *num.* 3. ubi testatur de communi, & sic probat praxis totius nostræ Religionis, & ex exteris tenent Natal. Alex. *Theol. moral. tom.* 2. *lib.* 4. *de Decalogo cas.* 4. *art.* 7. *resolut.* 7. Fagnan. *lib.* 3. *in cit. cap. Explicari num.* 27. Barbos. *ibid. num.* 3. & varii alii *ibi cit.* Pirhing. *ibid. num.* 6. citans alios. Melphi tamen *in Comment. cap.* 3. *statut.* 13. *quæst.* 5. cum Diana, Bonacina, Gobat, Fagundez, & aliis apud ipsum, tenent expresse contrarium, & ad citatum Canonem Honorii III. respondent ibi esse sermonem de iis solum, qui sunt adstricti Voto jejunii, & hoc expresse comprehendere diem Natalis Domini, aut Regulari observantia de vita Quadragesimali, ut Fratres Minimi,
29 cujusmodi non sunt Fratres Minores, adeoque &c. Ast vero talem dictum Canonem sic exponere, est ipsum torquere, ut patet ex ipsiusmet verbis, & ex communi Canonistarum interpretatione cum Fagnano, Barbosa, Pirhing. Reifenstuel *locis citatis*, & aliis passim; ac ex dictis etiam haberi debet, quod si quis voviss et jejunium v. g. quolibet die Martis, vel Sabbati, contingente Nativitate Domini ipsis diebus, tenetur jejunare: *Arg. quod supra*, ni vovens talem diem a jejunio excepisset expresse.

30 Moniales S. Claræ non tenentur nunc sub mortali ad jejunia Regulæ, nempe Adventus, & Feriæ sextæ: Quamvis enim olim tenerentur sub mortali ad jejunium perpetuum ex vi primæ Regulæ in 12. Capitula traditæ a S. P. N. Francisco, & approbatæ ab Innocent. IV. 16. Sept. 1253. Constitut. 12. incipient. *Soler annuere*, ubi in tertio capitulo imponitur Jejunium perpetuum, & ex vi secundæ Regulæ in 26. capitula dispositæ, & confirmatæ ab Urbano IV. 1263. Const. 7. incipient. *B. Clara*, tenerentur sub mortali ad jejunium a Festo Nativitatis B. M. V. ad Festum Resurrectionis Domini, & Feriis sextis, ut patet in capitulo undecimo ejusdem: Modo tamen ex dispositione, seu declaratione Eugenii IV. Constit. 28. incip. *Ordinis tui*, edita *Nonis Februarii* 1446. ad supplicationem S. Joannis de Capistrano, tunc nostri Ordinis Vicar. Generalis, non tenentur nisi ad jejunia Fratrum Minorum de Observantia, scilicet Adventus a die omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini exclusive, & cujuslibet Feriæ sextæ; Et ad hoc neque sub mortali, uti sunt obligati dicti Fratres; Nam ibi Pontifex quantum ad nostrum casum de jejunio, duo disponit, primo obligationem temporis, reducendo tempus perpetuum primæ Regulæ ad dictum tempus Fratrum, scilicet Feriæ sextæ, & Adventus, & secundo obligationem peccati ipsam retrahendo a linea peccati mortalis, nam postea descendendo ad obligationem peccati cunctorum præceptorum dictæ Regulæ numero centum, & trium, quæ refert, & inter quæ sub Capitulo tertio est jejunium, subdit: „ Tenore præ„ sentium declaramus, & volumus, quod in nullius prædi„ ctorum transgressione, præter quam eorum quatuor, quæ „ concernunt principalia vota, Obedientiæ scilicet, Pau„ pertatis, Castitatis, & Clausuræ, & super Electione „ Abbatissæ, & Depositione, peccatum mortale incur„ rant, “ ubi, ut recte notat Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 3. *num* 2838. habetur expressa exceptio, & positiva aliorum præceptorum exclusio, inter quæ est jejunium; Exceptio autem firmat regulam in contrarium; *l. in his, quæ* 15. *ff. de Legibus, l. Quæsitum* 12. §. 43. *ff. de Instructo, vel instru-*
Biblioth. Ferrar. Tom. IV.

mento legato, capitulo Dominus 6. *caus.* 32. *quæst.* 7. *capitul. Quoniam* 2. *de conjugio leprosorum.*

Dispensatus circa esum carnium ob debilitatem virium, 31
& ad eas recuperandas est etiam dispensatus a jejunio, ita ut possit sæpius in die comedere, *Communis*, Et ratio est, quia in ipso pro recuperandis viribus adest vera necessitas multiplicis comestionis. Necessitas autem facit licitum, quod alias est illicitum, *cap. Quoniam* 1. *quæst.* 7. *cap. Omnes* 1. *de Fer. cap. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar.* cum similibus, & necessitas non habet legem; *cap. Sicut* 11. *de consecrat. dist.* 1. Non sic tamen est dispensatus a jejunio, qui est dispensatus 32
circa esum carnium, quia cibi Quadragesimales, seu jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales; Sic Sporer *tom.* 1. *append. ad tertium præceptum Decalog. sect.* 3. *num.* 40. Grassius, Toletus, Lessius, & alii cum Layman *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 3. *n.* 3. Filiucc. *cap.* 3. *d.* 7. *q.* 4. *num.* 53. Henno *tom.* 1. *tr.* 1. *de peccatis actualibus disp.* 4. *qu.* 4. *concluf.* 3. Thomas Hurtad. *de Restid. tom.* 1. *resolut.* 5. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 1269. Rodriq. *in summ. cap.* 24. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 3. *n.* 2883. Reginald. Cajetan. Navarr. Medina, Angles, Bonacina, & alii plurimi.

Et hoc colligitur aperte ex Bullis, & Edictis editis a 33
Summis Pontificibus, qui diserte declararunt, eos, cum quibus dispensarunt a præcepto de abstinentia a carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum saluti noxii esse possent, non excipi a lege jejunii, sed teneri tempore Quadragesimæ unicam in die sumere refectionem; *Grégor. XIII.* in Bulla *Gruciatæ* pro Regno Lusitaniæ sic statuit: *Præterea indulgemus, ut dicto triennio durante, carnibus de consilio utriusque Medici temporibus jejuniorum, cum Quadragesimalium, quam quarumcumque dierum totius anni vesci possint, ac pro eorum libitu ovis, & lacticiniis, ita quod, qui carnes comederint, servata in ceteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfeciss e censeantur. Alexand. VII.* Pontifex Maximus anno 1657. Romæ promulgavit Edictum, quo propter pestem, quæ anno præcedenti in Urbe sæviebat, dispensavit tempore Quadragesimæ cum Civibus Romanis a præcepto de abstinentia carnis in diebus Dominicæ, Lunæ, Martis, & Jovis, expresse tamen declarans eos jejunium servare debere, excepta die Dominica, in aliis diebus, in quibus libere possent carnibus vesci. Similem dispensationem a præcepto de abstinentia carnis, tempore Quadragesimæ anno 1658. totius Ducatus Mediolanensis Fidelibus indulsit idem Pontifex, ea apposita Clausula *citra tamen exemptionem a jejunio.* Denique, in Edicto, quod Romæ pro observatione Quadragesimæ sub Pontificatu Clem. XI. anno 1703. publicatum est, hæc Clausula inserta fuit: *Ed osservare il digiuno, alle di cui Leggi sono tenuti anche quelli, che per giusta causa si cibano di carni salubri*: Quæ verba sic latine redduntur: *Et debent observare jejunii Legem, ad quam obstringuntur illi, quibus justa de causa permittitur, ut tempore Quadragesimæ carne salubri vescantur.* Sed, cum hæc inserta clausula quibusdam displiciss et, diligentius hujusce rei examen selectis Viris eruditis commisit Clem. XI. Pontifex Maximus, atque post perlecta, & ad Sanctuarii pondus librata hinc inde illorum Censoria suffragia, tandem ad marginem Edicti, quod Romæ pro Quadragesimæ observatione anno 1704. typis edendum, ac vulgandum erat, sicut singulis annis fieri solemne est, hanc clausulam, propriam manu scriptam, Edictoque inserendam ipsemet Pontifex Clemens XI. apposuit: „ Ed osservare il digiuno, alle „ di cui Leggi siano tenuti anche quelli, che si cibano di „ carni salubri col motivo di esser loro nocivo il vitto Quaresimale. Quæ verba latine redduntur: Et tenentur ob„ servare jejunium, a cujus lege non dispensantur illi, qui „ salubri carne vescuntur, eo solo ducti motivo, quod eo„ rum saluti noceant Quadragesimales cibi. Et cum prædicta Pontificis clausula Edictum pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1704. fuit publicatum. Extat etiam Edictum *Pauli Manfredi* Urbis Romæ, totiusque Status Ecclesiastici Protomedici Generalis, datum Romæ pro observatione Quadragesimæ anno 1703. in quo expresse asserit eos, quibus ex speciali Ecclesiæ indulgentia licet tempore Quadragesimali vesci carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum sanitati haud modicum damnum afferre possent, non dispensari juxta mentem Summi Pontificis Clementis XI. & declarationem *Gasparis Carpegna*, Cardinalis Vicar. ejusdem Summi Pontificis ab observantione jejunii: „ Nè per

„ tanto li dispensano dall' Astinenza, e Digiuno in tutte „ le fere obligate, non dovendoli, nè potendoli li Medici „ sciogliere da questa obbligazione, che per altro è salutare, „ e giovevole, benchè per le loro sanità se gli conceda il „ mangiare, carni, conforme espressamente, coll' Oraco- „ lo di nostro Signore, dichiara nel suo Editto Sua Eminen- „ za, seu Cardinalis Gaspar Carpegna Summi Pontificis Clementis XI. Vicarius in suo Edicto, quod jussu ejusdem Summi Pontificis pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1703. publicavit, quod ut ab omnibus legi possit, hic verbatim affertur.

EDITTO

34 Per l' Osservanza della Quaresima.

Gaspero per la Misericordia di Dio Vescovo di Sabina, della Santa Romana Chiesa Cardinale di Carpegna, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale &c.

ACciò il tempo quaresimale le consacrato a' digiuni, e ad altre opere di penitenza, e perciò detto da Santa Chiesa *tempus acceptabile*, *dies salutis*, sia in quell' Osservanza, che si deve, e si rimovano le occasioni, che possano indurre qualche scandalo, o rilasciamento in quel che appartine al precetto del digiuno, o all'astinenza de' cibi proibiti; La Santità di Nostro Signore inerendo alla disposizione del Sacro Concilio di Trento nel Decreto *de delectu ciborum, & jejuniis*, ed agli Editti, altre volte emanati per l' Osservanza della quaresima, ci ha inearicato coll' oracolo della sua viva voce di pubblicare il presente Editto, e di ordinare la piena esecuzione delle cose infrascritte.

I. Che nessuna Persona, durante detto tempo, venda, o tagli (come si suol dire) carni in qualsivoglia luogo della Città di Roma, eccetto, che nelli Macelli deputati per gl' Infermi, e Valetudinarj, o malsani. Le quali carni debbano essere solo di quelle chiamate salubri, cioè di Castrato, Vitella, e Capretti, ne le tenghino fuori di detti Macelli, ma dentro, in modo, che appariscano, nè si vedano in pubblico.

II. Quelli, che comprano le dette carni per gl' Infermi, o malsani, come sopra, debbano, per evitar ogni scandalo, portarle coperte, in modo, che non siano viste.

III. Che non si tengano da qualsisia Persona pubblicamente a vendere, o si portino vendendo per la Città le dette, o altre carni, anche cacciaggioni, o salvaticinia, molto meno porcina, nè ova, formaggio, o altra sorte di latticinj e cibi proibiti in detto tempo.

IV. Li Pollaroli, ed altri, che sogliono vendere carni salvaticine, ed uccellami, tenghino nelle Botteghe (però in modo, che non si vedano in pubblico) solo quelle, che secondo la testimoniale del Signor Protomedico possono annoverarsi tra le carni salubri, e non altre.

V. Che nessuna Persona di qualsivoglia stato, grado, e condizione possa comprare, o far comprare, ovvero cibare d' alcuna sorte di carne, o d' altri cibi proibiti, senza la licenza, secondo la forma da Noi prescritta, che gli sarà insinuata dalli Reverendi Parochi; Qual licenza prima si dovrà scrivere di propria mano dal Medico ordinario, e come tale si sottoscriverà in lingua volgare in tutto gratis, dopo dovrà esser sottoscritta dal proprio Parroco delli detti infermi, o malsani, e per ultimo si porterà a sottoscriver da alcuno degl' infrascritti R. R. P. P. Nostri Deputati solamente, e non da altri in nome loro, alli quali incarichiamo di considerare, ed osservare dette licenze, e quando non siano concepite secondo la solita forma, non le dovranno sottoscrivere.

VI. Avvertendo ciaschedun Medico, e Parroco, che, se sottoscrivono le dette licenze senza legittima causa, ovvero, se l' esibiscono, e presentano ad alcuno senza considerare, se abbia cause sufficienti, oltre il partecipare, che saranno dei peccati d' altri, nel che resterà molto aggravata la lore coscienza, saranno da Noi puniti ad arbitrio Nostro, anchè con pene corporali, come si è strettamente incaricato al Signor Protomedico.

VII. Avvertano di più, tanto i Medici, quanto quelli, che domandano le medesime licenze, d' attendere alla qualità delle carni, cioe che siano salubri, perchè solo queste son permesse nella Quaresima, a chi per giusta causa non può cibarsi de' cibi Quaresimali, e se al bisogno si può supplire con ova, e latticinj, non devono quelli permettere loro, nè questi respettivamente cibarsi delle carni anche salubri, ma contentarsi dell' ova, e latticinj, ed osservar il digiuno, *alle di cui leggi siano tenuti anche quelli, che si cibano di carni salubri col solo motivo d' esser loro nocivo il vitto Quaresimale*. In oltre, se per tutto l' anno si attengono dalla carne nel Venerdì, Sabbato, Quattro tempi, e Vigilie di precetto, molto più devono osservare tale astinenza ne' suddetti giorni in Quaresima, non ostante la licenza, che otterranno, eccetto, quando ci fosse nuova causa, che richiedesse altrimente, e non potendosi in questo particolare dare certa regola, deve ogn' uno considerare prima il suo bisogno, e le sue indisposizioni; e che non siano affettate, perchè ne dovranno rendere conto stretissimo nel Tribunale di Dio, dove non potranno scusarsi con la licenza estorta con cause suppotte, o finte: onde riflettano bene, che non ingannerano il Medico, o il Parroco, ma se medesimi, e l' anime loro quelli, che espongono indisposizioni non vere, ma figurate per ottenere la detta licenza.

VIII. Che li Osti, Tavernari, Albergatori, Bettolieri, o qualunque altro di qualsivoglia stato, grado, o condizione, non permettino, o tollerino, che nelle loro Osterie, Taverne, Alberghi, Bettole, e Case, s'abbia a cuocere, o mangiare alcuna sorte di cibi proibiti, così nel detto tempo di Quaresima, come nelli altri giorni, in cui parimente vengono proibiti dalla Santa Romana Chiesa, eccetto, che per gl' infermi, o malsani, che averanno licenza, come sopra, sotto pena a chi trasgredirà in ciascheduno de' casi compresi in questo nostro Editto di scudi venticinque, e tre tratti di corda, e di altre pene a nostro arbitrio secondo la qualità delle Persone.

IX. Ordiniamo, che in tutto il tempo Quaresimale nessuno di qualsivoglia stato, grado, e condizione faccia, o assista a quelle conversazioni, o altre adunanze, dove si faccino suoni, e balli, e che nè meno di notte si vada per Roma, sonando, o cantando, ovvero facendo serenate in luogo fermo sotto le pene suddette.

X. Esortiamo per fine tutti i Fedeli, non solo all' Osservanza del digiuno Quaresimale, consagrato da Cristo Signor Nostro col suo esempio, ma ad attendere con divozione a quegli Esercizj spirituali, che il medesimo tempo ricerca, non meno per placare l' ira di Dio, che per prepararsi a celebrare degnamente la Santa Pasqua.

Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 23. Febrajo 1705.

G. Card. Vicario.
Niccolo Antonio Cuggiò Segr.

Et ad id afferuntur duo Brevia novissime edita a Benedicto XIV.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

NON ambigimus, Venerabiles Fratres, quin universis Catholicæ Religionis Cultoribus notum sit a tota per Christianum Orbem Ecclesia inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita perpetuo adnumeratum retineri quadragesimale Jejunium, quod olim in Lege, & Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri Jesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, & Sacris Canonibus ubique præscriptum, & ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum, & observatum est. Hocnimirum, ut veteres tradidere Patres, nobis quo tidie peccan-

peccantibus communis pœnitentiæ constituto remedio, per consortium Crucis Christi nos etiam aliquid in eo, quod *ipse propter nos præstitit, agimus, simulque ad recolenda* secretiora Redemptionis nostræ mysteria, quæ per Dominicæ Passionis, ac Resurrectionis memoriam quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis Jejunio corporibus, & animis dignius paramur. Hac veluti nostræ militiæ tessera ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella Divinæ ultionis avertimus, & cœlesti præsidio in dies adversus Principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito, non contemnendum Divinæ gloriæ detrimentum, non leve Catholicæ Religioni dedecus, nec dubium animabus Christifidelium periculum oboritur; nec aliunde Populis calamitates, Rebusque publicis, & privatis cladem, exitiumque importatum esse constat. Ab hac vero insita, inhærentique in omnium Catholicorum hominum animis de Sacratissima quadragesima, aliisque diebus Jejunio consecratis persuasione, & reverentia; quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna Jejunantium consuetudo, quantum ab ipsa Jejuniorum Institutione, & servata semper, ubique, & ab omnibus disciplina quam longissime distet, Vos Venerabiles Fratres, qui Populorum curæ vestræ commissorum usus probe nostis, pro singulari Sapientia vestra præ ceteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi Apostolicæ procurationis specula constitutis, undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis deplorare non pollumus, augustissimam quadragesimalis jejunii observantiam ob nimiam, nullis urgentibus legitimis causis, ubique indiscriminatim dispensandi facultatem plane sublatam esse, itaut Orthodoxæ quidem Religionis Cultores merito querantur; hæresum vero Sectatores illudant, & exultent. Pernicioſæ huic corruptelæ plurimorum insuper licentiam adjunctam esse graviter dolemus, quæ usque adeo invaluit, ut nulla Apostolici Instituti, Sacratissimique præcepti habita ratione Jejuniorum tempore palam, & impune ab iisdem agitentur Convivia, & epulæ interdictæ promiscue inferantur. Ea propter quemadmodum quibus curis, sollicitudinibus, & angoribus urgeamur, cum Fraternitatibus vestris communicamus; ita facere non possumus quin pro injuncto Nobis Supremo Sacrosancti Apostolatus Officio, & ardentissimum Fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, & ad congruentes hujusmodi abusibus penitus extirpandis Leges præscribendas meditemur.

Interea, Vener. Fratr., gaudium & corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil Pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curæ nostræ commissis utilius, quam ut verbo, & exemplo præeuntes, Christifideles ad tam salutarem Christianæ pœnitentiæ, & pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, & constantissime retinendam, & ea, qua instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus, omni opera, atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei per austeriorem jejuniorum observantiam tales permaneant, quales in ipso Paschali Festo dignum est inveniri. Debitum igitur paternæ *uniuscujusque* vestrum sedultatis, & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque medici consilio, multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut genti indiscriminatim integre, nonnisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum *statuta* præscriptis *cum debita Apostolicæ hujus S. Sedis* reverentia a Quadragesimali Jejunio dispensationem toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter, fidenterque usurpandam, nec superbe, & arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam. Gravissimam vero urgentemque necessitatem, etsi non est cur Vobis explicemus, *nolumus tamen vos ignorare*, cum hujusmodi necessitate, & servandam esse potissimum unicam Comestionem, sicut alias hic Romæ, ac Nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse præscripsimus, & licitas atque interdictas Epulas promiscue minime apponendas esse. Porro quemadmodum de ejusmodi Indulgentia tam caute impertienda, si fecus fieret, Nos perstrictum habemus, districtam Supremo Divino Judici redditum iri rationem, ita Conscientiam uniuscujusque Vestrum onerandam esse ducimus. Insimul Fraternitates vestras rogamus, & in Domino exhortantes obsecramus, ut Populos, qui communem omnium Christifidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique Devotio suggeret, peccata sua expiare, & Deo satisfacere negligant; quinimo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta Jejunia decoquere non possunt, per pia opera, orationum Suffragia, & eleemosynæ munera redimant. Interim solatium, & levamen non leve mœrori nostro a Pastorali vigilantia, & Charitate vestra præstolantes, ac certo Nobis pollicentes, Apostolicam Benedictionem cum uberi Cœlestium Charismatum copia conjunctam in eosdem Populos vestros redundaturam, Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur.

Volumus autem, ut præsentium tranſumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 30. Mensis Maii 1741. Pontificatus nostri Anno I.

D. Cardinalis Passionei.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis universis gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

IN suprema Universalis Ecclesiæ procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam, ut Orthodoxæ Fidei assertores, sic etiam Ecclesiasticæ disciplinæ Custodes, ac vindices constituti, Quadragesimale præsertim Jejunium, quod inter præcipua Orthodoxæ disciplinæ capita semper, & ubique ab ipso Ecclesiæ exordio numeratum esse nemo ex Catholicis inficiatur, ab hodierna jejunantium corruptela vindicare, & in pristinam, quantum benedicente Domino fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis Litteras ad Fraternitates vestras die XX X. proxime elapsi mensis Maii currentis anni datas eximium Fraternitatum vestrarum Zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte, & optatum Apostolicæ nostræ sollicitudinis angoribus levamen, & salutare abolendæ sacratissimi Jejunii corruptelæ remedium deesset. Quoniam autem Paternæ Pontificiæ charitatis, quæ novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a Jejunio aliquando legitima causa, aut gravissima, urgentique necessitate exigente dispensandum esse ex Apostolica benignitate censuimus.

Ita inter cetera præscripsimus unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse apponendas. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint, qui per humanas, & hominibus a Christiana pœnitentia abhorrentibus duntaxat dignas illationes sibi, aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas, & interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem; non vero singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio dispensatur; Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam, ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem, gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, & de utriusque Medici consilio, dummodo nulla certa, & periculosa valetudinis affectæ ratio intercedat, & aliter fieri necessario exigat, in Quadragesima, aliisque temporibus anni, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, & licitas, atque interdictas epulas minime esse apposi-

ponendas tenore præsentium m declaramus, & edicimus ; quemadmodum per singulas nostras in pariforma Brevis Litteras singulis utriusque Sexus Christifidelibus ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in Sacratissima quadragesima, aliisque diebus Jejunio consecratis vescendi prohibitis licentiam dantes unicuique expresse præscribimus, atque præcipimus. Ea propter Fraternitates vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut Populos vestræ curæ commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque fauciatur, Sanctissimi Jejunii remedium alacriter adhibendum cohortantes sedulo, ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam, de observando, sustinendoque Jejunio purificandis animis, corporibusque salutari.

In spem igitur illos erigite Cœlestium præmiorum, quibus assequendis non sunt condignæ passiones hujus temporis, imo leve, ac momentaneum non tribulationis, sed modicæ abstinentiæ nostræ incommodum magnum gloriæ pondus operatur in Cœlis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles, ac delicatos Christianæ militiæ milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare præcipit incorruptam, ad cujus auspicium, & pignus Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem iisdem etiam Populis vestris nostro nomine impertiendam peramanter elargimur.

Volumus autem, ut præsentium transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, & adhiberi posset, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXII. mensis Augusti millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus nostri Anno secundo.

D. Cardinalis Passionei.

Et ratio est, quia jejunium est præceptum dividuum includens duo præcepta distincta, unum de unica comestione, alterum de abstinentia a carnibus; unde quamvis in ipso ratione dispensationis cesset obligatio abstinendi a carnibus, non cessat tamen obligatio de unica comestione, quia præceptum Ecclesiæ, quando non potest servari in totum, nihilominus in parte, quæ servari potest, servandum est; *arg. c. Dilecti 6. de dolo, & contumac.* Et patet a simili, nam qui non potest recitare totum divinum Officium, & potest recitare partem, tenetur ad recitandam partem, quam potest. Hinc Innocent. XI. *die 2. Martii 1679.* merito damnavit sequentem Propositionem 54. in ordine: *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest tamen aliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Tum quia eadem unica comestio est æque essentialis jejunio, ac abstinentia a carnibus, ut dicunt Henno, Felix Potestas *loc. cit.* & alii passim Doctores; imo magis essentialis, ut probat Hurtad. *loc. cit.* quem sequitur La Croix *loc. cit.* & alii. Sed & insuper ratio formalis jejunii sita est in unica refectione, & non in abstinentia a carnibus, cum certum sit ex Pontificiis Bullis, & Edictis supra laudatis solvi jejunium, si bina in die fiat refectio, & vice versa non solvi jejunium, si quis post legitimam a Superioribus Ecclesiasticis obtentam dispensationem semel in die tempore Quadragesimæ carnibus vescatur, ut recte probat Graveson *Histor. Ecclesiast. tom. 8. part. 2. colloquio 6.* ubi mordicus, & suo more egregie defendit hanc nostram sententiam. Et de facto non dicitur jejunium illis diebus, in quibus sumuntur plures refectiones, quamvis non manducentur carnes, ut patet in diebus Veneris, & Sabbathi, in quibus ob facultatem sumendi plures refectiones non dicitur esse jejunium, sed tantum abstinentia.

35 Post hæc emanavit alia ejusdem Summi Pontificis Benedicti XIV. explanatio, & declaratio, quæ ut omnibus plene innotescat, hic ad litteram datur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis Universis Gratiam, & Communionem Sedis Apostolicæ habentibus.

BENEDICTUS XIV.

Venerabiles Fratres Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

LIbentissime quidem amplectimur, quæ nobis offeruntur occasiones ad vestros animos excitandos, ut Ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ sedulam curam conferatis. Etenim Summi Pontificatus Dignitati, ad quam Nos, licet immerentes, erecti fuimus, conjunctam esse intelligimus solicitudinem aliarum Ecclesiarum Nobis commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Cum itaque præsentium litterarum argumentum totum sit de jejunio, quod tempore Quadragesimæ veteris Ecclesiæ instituto, ac lege Fidelibus indicitur, supervacaneum ducimus longam orationem conficere de Quadragesimæ institutione, & Patrum, & Conciliorum omnes super hac re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem Nobis parum videretur, sed potius alienum, & nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinæ laude, Canonum, & Sacræ Historiæ cognitione præstantes arbitramur. Porro ad scribendas has litteras adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinæ Synodi, quæ *sess. 25. de Reformat.* præcepit Episcopis omne studium impendere, ut Fideles ipsorum curæ traditi magna Religione perficiant ea, quæ a Sacris Canonibus præscribuntur: *Ut illis omnibus, & iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut Ciborum delectus, & jejunia.*

Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. felic. record. ab Sede Anconitana translati fuimus) mandatum evulgavimus (quod *lib. primo Institutionum Nostrarum pro viris Ecclesiasticis decimo quinto loco continetur*) in illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos jejunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, & legitima prius auctoritate interposita Quadragesimæ abstinentiam non observarent, minime inquam solvendos a jejunio, itaut non liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita refectione, quæ permitti jejunantibus consuevit. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, Nos rem totam in examen iterum revocavimus, & præstantissimis quoque Viris demandavimus ipsam diligenter, accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones Nobis exponere. His peractis, hujusmodi controversiæ finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum sive peculiaris, sive generalis pro aliqua Civitate, vel Oppido concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore jejunii, vel Quadragesimæ, nisi conditio servandi jejunii, sive unius comestionis interponatur, & illud quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere. Equidem declinatis hac ratione nimium implicatis quæstionibus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum jejunium indicitur, rite obtinuerunt, & pravam illam consuetudinem, quæ apud multos jam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi quadragesimalis abstinentiæ præcepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Hæc apertissime constant ex Nostris Apostolicis Litteris, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos orbis Catholici anno 1741. quarum primæ incipiunt: *Non ambigimus*, alteræ vero: *In suprema*. Nos profecto nulli unquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus Quadragesimæ sive aliud jejunium præcipitur, nisi indicta scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter lætitiam percepimus, cum redditæ Nobis fuerunt plures Epistolæ, ac mandata vestra litteris Nostris Apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contenditis adducere populos vobis subjectos, ut propositam in illis disciplinam pie servarent.

In-

Interim promulgatis iisdem Apostolicis Litteris, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatæ sunt a nonnullis, uti Nos antea facili conjectura suspicati fuimus. Plures etiam quæstiones propositæ Nobis fuerunt, exigui quidem ponderis, ac momenti, quemadmodum Nos opinamur, cum illæ vel ipsius legis verbis, vel sensu penitus corruant, ac dissolvantur. Attamen Sacro Tribunali Nostræ Pœnitentiariæ rerum hujusmodi conscio, ac peritissimo easdem quæstiones expendendas commisimus, quibus omnibus plane, cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiepiscopus Compostellæ in Hispaniarum Regnis primus Inquisitor nuperrime vita functus, longam ad Nos dedit Epistolam, qua plures recensebat difficultates, quæ Litteris Nostris Apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur, eo quod nonnulli Theologi in diversas opiniones, ac sententias abirent in solvendis quibusdam quæstionibus, quibus Litteræ Nostræ Apostolicæ caulam, & occasionem præbebant, ac proinde de illis judicium Nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi litteræ Nos gravissimis, ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt. Attamen dum quæstiones in ipsis expositas percurrimus, visum Nobis est, non quidem expeti, ut iis quæstionibus responsum fieret, ipsisque solutis nullum impedimentum, sive obtaculum Nostris Litteris Apostolicis superesset, sed potius ut abjectis cavillationibus ad optatum finem ipsæ minime adducerentur. Accedit etiam, quod Epistola Archiepiscopi multis argumentationibus, & obscuris vocibus redundabat. Quamobrem licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus; Illi tamen satisfecimus, res præcipuas ex ejus litteris delibantes, & quæstiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum Nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus, ejus studium commendavimus, & etiam magnopere probavimus, quod anceps, ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quæstionibus satisfacere non prætermisimus, illum tamen monentes de Instituto Summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas objiciunt, ut quæ constituta sunt, perturbent, ac evertant.

Vix redditis Litteris, Archiepiscopus paulo post vitæ cursum absolvit. Itaque non immerito suspicamur, Responsa Nostra, quæ Litteris continebantur, haud cognita fuisse, & perspecta illis, qui quæstiones excitaverant. Post hæc alii pariter ex Hispaniis Episcopi, nonnullas ex iisdem quæstionibus Nobis proposuerunt; quare iisdem Responsis usi sumus, quæ tradita prius Archiepiscopo Compostellæ a Nobis fuerant. Non defuerunt etiam præstantes inter Italos Theologi, qui Litteras Nostras Apostolicas datas anno 1741. egregiis commentariis illustrarunt. Idem contigit Responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellæ die octava Julii anno 1744. quod sane integrum suis libris præfigendum curaverunt. At quoniam libri ejusmodi ad Vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his Litteris Encyclicis adjungimus, illas pariter, quas (uti dictum sæpius est) ad Archiepiscopum Compostellæ jam pridem scripsimus, ut quæ disciplina vestris in Diœcesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quæ a captiosis hominibus concitentur.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Compostellæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater Salutem, & Apostolicam benedictionem.

SI Fraternitas tua secum reputabit, quot gravissimis, & maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc præsertim difficillimo tempore, prorsus Nos teneat impositæ tenuitati Nostræ sollicitudo omnium Ecclesiarum, non sane mirabitur tandiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas Litteras, quibus Apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hilpania disputationes aliquas e duabus Nostris Epistolis ad omnes Episcopos superioris anni 1741. 30. *Maji*, & 22. *Augusti*, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem Ecclesiastici jejunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari Nostro in religiosissimam Hispanam Ecclesiam amore, unde Nos, immensa licet rerum mole fatigatos, ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem Nostram præsto habet. Quamquam igitur dum prænuntiatas Constitutiones edidimus, non aliud propositum Nobis fuerit, quam refrænare paucorum nimis ingenio fidentium Theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus Nobis fuerit definire quidquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a Nobis jejunandi regula; Tamen eximia Paterna charitate complectimur adeo observantissimos Romanæ Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestræ adjecerimus animum, ut Nos ipsi quæstiones abste propositas dirimendas constituerimus; sic autem se habent.

Utrum quæ in antedictis Nostris Litteris in forma Brevis de unica comestione, & de epulis non permiscendis præscribuntur, sub gravi etiam præcepto prohibeantur?

Respondemus. Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito sub gravi teneri eosdem facultates non aliter dare, quam gemnis hisce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comestionis, & non permiscendarum Epularum. Eos vero, qui hujusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur?

Respondemus. Non licere; sed opus habere, eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectæ meticulosæ conscientiæ.

An qui jejunii tempore vesci carnibus permittuntur, & unica comestione uti debent, horam jejunantibus præscriptam servare opus habeant? *Edicimus* observandam iis esse.

Quænam sint epulæ licitæ, quæ vetantur cum interdictis conjungi?

Respondemus. Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas, esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia.

An præceptum de utroque Epularum genere non miscendo, dies quoque Dominicos Quadragesimales complectatur? *Affirmatur* complecti.

Utrum hæc lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatæ edere possunt ova, & lacticinia?

Respondemus, nihil in Nostris prænunciatis Apostolicis Litteris statutum esse, quod respiciat gratiosum Cruciatæ Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte, & considerate perpendant, ex ejusque sententia se gerant. Caveant autem, ne inani quapiam excusatione se se solutos esse arbitrentur præscriptis ibi Legibus.

Utrum memorata duo præcepta urgeant extra Quadragesimam?

Respondetur; Urgere extra Quadragesimam utrumque præceptum: *Illud* scilicet unicæ comestionis cum reliquis legibus in secundo, & tertio ad hæc postulata Responso expressis: Et alterum non permiscendi Epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato *definitum est*.

Habeas, Venerabilis Frater, penitus explicatum quidquid apud vos ex Nostris sæpius nuncupatis Apostolicis Litteris dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandæ supremæ Romanæ Sedis, ut libero, & non vacillanti gressu ad Oves vera doctrina imbuendas incedere Pastores queant. In itoque tuo suscepto consilio agnovimus Hispanam Religionem, nihil sibi tutum nisi e Divi Petri Cathedra acceptum reputantem, qua splendidissima gloria tantum nomen, & incorruptæ Fidei fructum sibi peperit. Cavendum autem vobis est (ideoque ad te plurimum pertinet, qui illustris Archiepiscopi, & Inquisitoris geris præcipuum munus), ne in expendendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus pro nimia exhauriendi argumenti sollicitudine nullus fiat differendi ambigendique modus; sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quæ facile pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur; ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi, præsertim cum Constitutiones ipsæ Apostolicæ scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, & illuc prompte dirigi possit quidquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de præsenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim nihil aliud Nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum

Theo-

Theologorum ingenia, qui nimium sani jejunii fines prætergressi, & non parum obliti, *illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum* hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent quid in propositis quæstionibus *constituendum* esset, nec sibi molestiam exhibuissent, nec Nobis, quos gravissimæ undique circumstant curæ, non parum temporis occupassent, quod tamen pro singulari Nostro *in vestram* gentem studio, atque amore libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum; In posterum simul præcaventes quomodo in hujusmodi quæstionibus *firmare* gressus *vestros in* promptu sit. *Reliquum* est, Venerabilis Frater, ut tibi, quod facimus ex animo, præcipuæ benevolentiæ Nostræ pignus Apostolicam benedictionem peramanter *impertiamur*. Dat. &c. 8. Julii 1744.

Cum hæc ita se habeant, satis muneri Nostro feciſſe videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum jejunium tempore Quadragesimæ, vel extra Quadragesimam Fidelibus præscribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul, & carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras affundant. Pauca tamen adhuc superſunt, quæ remedium a Nobis deposcunt.

Siquidem advertimus jam multis ab hinc annis non solum plures in *qualibet* Italiæ Urbe vestra auctoritate dissolvi a Quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contendisse, ut universam Civitatem, totamque Diœcesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam Civitatibus, ac Diœcesibus jam per multos annos Fideles universi absque ullo discrimine carnibus per Quadragesimam utantur. Id quidem maximam Nobis affert sollicitudinem, eo quod deprehendimus certis testimoniis in quibusdam Regionibus Septentrionis toto Quadragesimæ curſu lactis, & ovorum usum libere permitti, quia per plures annos eamdem facultatem petierint, & ab hac Sede Apostolica consecuti fuerint. Quamobrem illi Populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro hujusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis, & ovorum consuetudo per Quadragesimam comprobetur. Præterea maxime facienda esse duximus ea verba Tridentini Concilii *sessione 25. cap. 18. de Reform. Sicuti publice expedit Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, & necessitatibus pro communi utilitate satisfiat, sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.*

In Litteris Nostris Apostolicis, quas anno 1741. ad omnes Episcopos Catholicos dedimus, huic corruptelæ viam præcludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quæ rursum hic subjicimus: *Debitum igitur Paternæ uniuscujusque vestrum sedulitatis; & charitatis officium jure postulat, ut omnibus notum faciatis, & annuncietis, nemini quidem sine legitima causa, & de utriusque Medici consilio: Multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiscriminatim integre nonnisi gravissima, & urgente necessitate, & in casibus per Sacra Canonum statuta præscriptis, cum debita Apostolicæ hujus Sanctæ Sedis reverentia a Quadragesimali jejunio dispensationem toties, quoties opus fuerit concedendam, nec audaciter, fidenterque usurpandam, nec superbe, & arroganter ab Ecclesia, sicuti alibi in more positum esse accepimus, esse postulandam.*

Porro Nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti Populum, aut Civitatem integram Quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis Loci Episcopus id postulare a Nobis debuit, ac de gravissima, urgentique necessitate sum testimonium interponere. Deinde, carnes minime permissæ fuerant, si lactis, & ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum interposito Episcopi testimonio id omnino necessarium judicaretur, nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum, & lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia quadragesimæ nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies præscripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem Cinerum, dies quatuor temporum, vigilias præcepto obeundas, dies Majoris Hebdomadæ a Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam Cinerum. Aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis, ac Sabbatis, etiamsi facultas a Nobis tradita lactis, & ovorum usum solum complecteretur. Postremo etiam conditionem semper addidimus, ne *jejunii* Lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes, & pisces apponerentur.

Dum rationem hujus consilii Nostri serio perpendimus, haud plane acquiescimus ob eam sollicitudinem, ac dubitationem, ne causa ab Episcopo Loci prolata, quam Nos legitimam credidimus ad solvendam Quadragesimæ abstinentiam, ejus naturæ fortasse non sit, quæ veram, & urgentem necessitatem contineat. Quippe illud Nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto, ac temere faciamus. Hærent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *lib. 3. de consideratione cap. 4. Facitis hoc, quia potestis. Sed utrum debeatis, quæstio est, & quomodo.* Attamen fidem præstitimus iis, quibus præstanda fuerat, Episcopis nempe Locorum; Non enim alio pacto exerceri potest sollicitudo peculiarium Ecclesiarum, ac Diœcesim, nisi fides habeatur Episcopis, a quibus illæ administrantur; Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quæ subjicimus.

Non ignoratis, ab Innocentio tertio Prædecessore Nostro *cap. Consilium, de observatione jejuniorum* inter causas legitimas solvendi abstinentiam a carnibus jejunii tempore recenseri veram, & existentem reipsa ægritudinem: *Præterea de illis, qui in Quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, & petunt sibi esum carnium indulgeri, respondemus; Quod cum non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes, & debes, ut majus periculum in eis evitetur.* Idem statuerant multo ante Innocentium Tertium Patres Octavi Concilii Toletani *Canon. 9.* quod anno 653. celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam ætatis impossibilitate diebus Quadragesimæ esum Carnium præsumpserit attentare, non solum erit reus Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei Sancta Communione. .... Illi vero, quos aut ætas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum accipiant.*

Nemo est qui non intelligat, hujusmodi causas satis esse, ut aliqui a jejunii legibus, & abstinentia immunes existimentur, non autem ut Populus, vel integra Civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, Cives universos alicujus Urbis, vel Diœcesis eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam ægritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie, vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus; Quis credat unquam Populum universum alicujus Diœcesis, vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Neque vero causa sufficiens habenda est, ut aliqua Civitas, vel Populus abstinentia Quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim Urbes habent egenos Cives, ita etiam opulentos, e quibus etiam alii vitæ sustentationem labore, ac sudore sibi comparant, alii vero Patrimonio, ac divitiis satis superque abundant; Itaque si emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis Civibus, non vero divitibus suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli Theologi haud severioris disciplinæ, quorum sententiam recensuimus *cap. 9. libri tertii Nostrarum Institutionum*, quas Bononiæ typis impressimus.

Illud etiam inane Commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia Quadragesimæ Civitates, vel Diœceses, ubi exercitus versantur, eo quod Milites in iis locis permanentes abstinentiæ leges minime observant. Id potius animos Civium inflammare deberet ad jejunium rite, religioseque suscipiendum, ut nempe Milites tanta virtute Temperantiæ permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre Civitati penuriam herbarum, atque olei, licet Quadragesimæ jejunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quæ paulo ante diximus, cum Pisces, & Ova cariori pretio comparantur. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendæ abstinentiæ non adducantur, nisi forte civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem, neque in posterum, herbarum, Olei, Piscium, & Ovorum pretia

tia tanti ponderis esse existiment, ut omnis Civitas, vel Diœcesis ab instituto quadragesimæ jejunio, ac temperantia liberari contendat. Quod si veras, ac legitimas a Nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex jure Canonico; altera vero ab ipsa rerum magistra experientia, deprompta est.

Innocentius tertius, quem superius nominavimus, *eodem cap. Consilium, de observatione jejuniorum*, Archiepiscopo Bracharensi postulanti, qua pœna plectendos judicaret illos, qui tempore Quadragesimæ a carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem, & angustiam, ita ut plures fame enecarentur? Respondit his verbis: *Cum autem quæsieris, quæ sit illis pœnitentia injungenda, qui diebus Quadragesimalibus, tempore, quo tantæ famis inedia ingruebat, quod magna pars Populi propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti. Respondemus: Quod in tali articulo illos non credimus puniendos; Preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur, quia bonarum mentium est ibi timere culpam, ubi culpa minime reperitur.* Si quis hoc tempore Episcopus adductus exemplo Bracharensis Antistitis idem consilium peteret ab Sede Apostolica, tamquam ineptus, ac simplex haberetur. Sed illo Ecclesiæ felicissimo sæculo maxime pendebatur, uti æquum est, Quadragesimæ præceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minime paruissent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem præcepto viderentur, nec ulla ratio habebatur Virorum Principum, licet ipsorum incolumitas cum Reipublicæ felicitate conjuncta putaretur, uti nos fuse ostendimus in *decima quinta Nostrarum Institutionum libri primi*; Sed iis omissis, & aliis bene multis, quæ in hanc rem a Nobis congeri possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii Tertii, tunc Quadragesimæ abstinentia solvi posse integram Civitatem, vel Diœcesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus præceptum quadragesimæ observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque Oleum, neque Pisces comparari possint, tunc incolis ejusdem loci permitti fas est, ut lacte, & Ovis utantur; Si hæc autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendæ facultas concederetur, interposita semper servandi jejunii conditione.

Insula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret carissimo in Christo Filio nostro Ludovico Gallorum Regi Christianissimo, neque ullus ei præest Episcopus. Præfectus Patrum Societatis Jesu anno 1742. a Nobis quæsivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum, & lacticiniorum tempore jejuniorum, & quadragesimæ, dici posset sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi, nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, & omnes sui districtus incolas, quando coram Deo id expedire judicasset: habitoque responso facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, & omnibus incolis sui districtus, pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem, exiguum piscatorum numerum, qui longe ab insula piscantes pisces deferebant, aut fœtentes, aut corruptos ob nimios calores, paupertatem earum gentium, quæ oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium, deficientiam denique oleorum, & leguminum, quæ in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram Nobis in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis *die 12. Aprilis anno 1742.* habita ratione regionis nimis remotæ, a qua quolibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; Indulgentes necessitati Fidelium degentium in insulis regionis Gallicæ in America, facultatem concessimus Præfectis Missionum illarum partium in calu veræ, & ineluctabilis necessitatis, & tantum de anno in annum, præfataque vera necessitate durante, & non aliter, nec alio modo, ut possent, & valerent cum Fidelibus Populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum, & lacticiniorum, & etiam carnium tempore quadragesimali, indicta simul cum hujusmodi dispensatione observantia jejunii per unicam comestionem, oneratague prædictorum Præfectorum conscientia, si adamussim juxta præscriptum concessa facultate usi non fuissent.

Sed jam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una Civitate in aliam, & ex una Provincia in aliam hæc funesta lues promanaret: id contigit annis 1730. 1733. 1740. Licet autem morbus ejusmodi, qui universos hominum ordines, atque ætates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura jam ætate debilitatis extremam afferebat perniciem, nam ex ipso febres acutissimæ, ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat juniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent; Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut deinde gravissima mala provenerint.

Alios quoque morbos hujus generis pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, ægros in discrimen vitæ eduxisse, Medici scriptores luculenter testantur. Itaque si Medicinæ professores acciti, monitique graviter, ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (uti Nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiæ versaremur) morbum esse talis naturæ, qualem superius commemoravimus, itaut nulla ætas libera, & incolumis esse queat, & affirment illis ipsis, qui inter Cives salvi, & integri numerantur, eamdem perniciem imminere; Id præterea conferre plurimum ad hujusmodi huem depellendam, aut evitandam; si tum ægrotantes, tum sani, a piscibus, & oleo, & quandoque pariter a lacte, & ovis abstineant; Si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens judicanda est, quæ experientiæ innititur, & quæ semper probata, & in posterum probanda videtur, ut nempe Populus, seu Civitas integra a Carnibus abstinendi præcepto non teneatur.

Neque ulla difficultas removere vos debet a consulendis medicis, qui præstantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non prætermittant, quæ conditio si desit, in posterum nulla unquam facultas Civitati aut Diœcesi carnibus, aut lacticiniis vescendi tempore quadragesimæ tribuetur. Quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam, quod medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem Cives a quadragesimæ præcepto liberos, & immunes decernere soleant (qua de re gravissime monendi a Vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent); cum vero pro universis Civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac solicitos præstare nos ipsi experti sumus. Postremo si velint percurrere ea, quæ in Italia, & extra ipsam præclarissimi Auctores Medici typis evulgarunt, facile deprehendent, abstinentiam, ciborumque parsimoniam ab illis magnopere commendari, discrimen inter morbos constitui, & certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut jusculum, & carnes loco piscium, olei, & herbarum substituantur; in aliis vero juvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur jejunium, oleo, vel lacte ægrotantes utantur. Demum advertent quam diligenter, accurateque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue superſunt.

Hæc vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendæ facultatis utendi carnibus, & lacticiniis tempore quadragesimæ pro universa Civitate, vel Diœcesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam jam per tot annos in quibusdam locis hæ facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a vobis compertum erit, delicatis quoque, ac mollibus abstinentiam quadragesimæ nullam inferre perniciem, neque plures ob hanc causam inter ægrotos, vel mortuos recenseri. Hanc rationem, & institutum Nos ipsi secuti sumus Romæ, & Bononiæ (cujus Sedem adhuc retinemus) cum nuper quadragesimæ tempus ageretur. Si vos id quoque præstabitis, neque facile a Nobis pro universa Civitate, vel Diœcesi facultatem solvendi quadragesimæ abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter quam servatis præmissis conditionibus dispensationis instantia ad Nos deferetur, non solum ii fructus provenient, quos jam indicavimus, sed etiam repulsæ pudorem evitabitis, Nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, & Apostolicam benedictionem Vobis, Populisque Vestris impertimur. Datum ex Arce Castri Gandulphi die 10. Junii 1745. Pontificatus Nostri anno quinto.

Qui semel fregit jejunium, & eadem die sæpius comedit, 36
si fregit jejunium esu carnium, peccat toties mortaliter, quoties iterum comedit carnes. *Communis*: Si vero fregit sola replicata refectione cum cibis die jejunii permissis, variant

37 fiant Doctores: Castropal. *tom.*25. *part.*2. §.2. *num.* 8. Fagundez *præcept.*4. *lib.*1. *cap.*4. *num.*8. , & alii ab ipso citati, Diana *part.*1. *tom.*9. *resol.*44. cum quatuordecim aliis ibi citatis, Mastrius *disp.*14. *Theolog. mortal. num.* 9. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 10. *de præcept. Eccles. dist.*2. *q.*2. *num.*20. Felix Potestas *loc. cit. num.*2846, , & alii dicunt, non peccare mortaliter, nisi per secundam comestionem, non vero per tertiam, vel alias subsequentes. Et ratio est, quia præceptum jejunii non obligat ad impossibile, posita autem secunda comestione, impossibile est, ut quis unica refectione contentus sit, adeoque peccatur tantum in secunda comestione, & non in aliis; quia statim ac illa posita, est violatum præceptum jejunii, & amplius non obligat. Medina autem, Mai. Montes, Covarr. Molan., Silvester, Loth., & alii multi apud La Croix *loc. cit. numer.*1265. valde probabiliter tenent, peccare mortaliter, quoties iterum sumit plenam refectionem, quia per negationem aliarum refectionum adhuc obtineri potest notabilis mortificatio carnis, quæ est finis legis. Vivald. vero, Diana *resol.*53. Illsung. *tom.*4. *decis.*1. *num.*45. dicunt, in aliis comestionibus post secundam, ne quidem venialiter peccare. At ipse La Croix *loc. cit.* recte dicit, tenendum esse cum communissima sententia, peccare saltem venialiter; quia est contra finem legis, qui est mortificatio carnis, & non esse plusquam veniale, docet cum aliis Lessius *lib.*4. *c.*2. *numer.* 17. (a).

38 Jejunium quamvis frangatur per iteratas veras refectiones, non frangitur tamen per alias sumptiones, non per modum cibi, vel refectionis; sed per modum medicinæ, vel potus. Sic non solum non frangit jejunium sumere ipsas formales medicinas, sed neque universaliter electuaria, seu confecta, cum principaliter non sumantur, ut cibi, sed ut medicinæ; *Communis* cum S. Thomas 2. 2. *quæst.*147. *art.* 6. *ad* 3. Item non frangit jejunium, qui ad confortandum stomachum debilem mane sumit offam, fructum panis, saccarum, & hujusmodi, vel extra tempus refectionis bibit quacumque de causa, (b) & addit bolum, panis, amygdala, & hujusmodi, quia similia habent potius rationem medicinæ, ne videlicet noceat haustus, quamvis per accidens nutriant, ut observant communiter D.D. apud Layman
39 *lib.*4. *tract.* 8. *cap.*1. *num.*7. Sic pariter non frangit jejunium bibere extra tempus refectionis quemcumque purum potum etiam vinum, cerevisiam, mussum, etiamsi fiat non præcise ad sedandam sitim, sed etiam aliqualiter ad sedandam famem, & nutriendum; Sic S. Thomas 2.2. *quæst.* 147. *art.* 6. *ad* 2., & alii passim cum Navar. *cap.*21. *num.*13. Layman *lib.*4. *tract.*8. *cap.* 1. *num.*7., Castropal. *part.* 2. §. 2. *num.* 4. Tambur. *in Decalog. lib.*4. §.2. *num.* 4. Diana *part.* 1. *tract.* 9. *resolut.* 23. contra S. Antonin. Alonf. Riccard. Rosell. Silvestr., & alios; & ratio a S. Thoma, & aliis allata est, quia Ecclesia diebus jejunii prohibet solum ea, quæ per se ordinantur ad nutriendum corpus, potus autem quicumque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus, potus autem quicumque purus per se non ordinatur ad nutriendum corpus, sed potius ad sitim extinguendum, naturam refrigerandam, & cibi concoctionem adjuvandam, & quamvis vinum, cerevisia, multum per accidens aliquantulum nutriant, eorum tamen Ecclesia rationem non habuit, adeoque &c.

Jejunium non frangit, & licita est sumptio Caffei, Thæi, 40
Salviati, & Cocholati in die jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter ad curandam infirmitatem realem; *Communis*, Si tamen sumantur non medicinaliter, variant Doctores, 41
& maxime de Cocholato, quod jejunium non frangere absque ulla limitatione tenent Hurtadus, Lopez, & plures alii apud Tamburin. *tom.* 1. *pag.* 135. Leandrum *de præcept. Eccles. tract.* 5. *disp.*5. Dianam *part.*11. *tract.at.* 6. *resolut.*53. Idem tenet Henriq. *verb. Jejunium* referens Urbanum VIII. oblatis ingredientibus, & in ejus conspectu confecto cocholato, de illo gustato dixisse esse, & manere potum. Idem etiam, ut testantur plures Doctores apud Illsung. *tom.*4. *decis.* 1. *num.* 39. respondent Gregor. XIII. §. Pius V., & Paulus V. Ipsis accedit consuetudo, & timoratorum, doctorumque Virorum Religiosorum usus sine ullo scrupulo. E contra plurimi alii cum Castropal. *loc. cit. part.*2. §. 2. Boudeuvio *part.* 2. *quæst.* 17. *in Ventilabro Medico-Theologico*, Tambur. *loc. cit.* consideratis ingredientibus, & vi nutritiva illius, docent frangere jejunium; Probabilior tamen, & securior sententia cum Leandro *de præceptis Eccles. tract.* 5. *disp.*5. Diana *part.*11. *tract.* 6. *resol.* 53. Felice Potest. *loc. cit. num.* 2877. Remigio, Escobar, & aliis, apud ipsos docet, cocholatum non frangere jejunium, si id, quod est cibi, misceatur aquæ in minori quantitate; ita ut superabundet aqua, quia tunc tunc cum bibatur tenue, habet rationem potus, & potus ab Ecclesia non prohibetur; Si vero id, quod est cibi, misceatur aquæ in majori quantitate, ita ut superabundet cibus, tunc dicit frangere jejunium, quia, cum tunc coquatur instar densæ pultis, habet rationem cibi, & sic videtur ab Ecclesia prohibita ejus sumptio, eo vel maxime, quod in eo casu valde opponitur fini præcepti jejunii, qui est maceratio carnis, cum cocholatum similiter sumptum sit præ ceteris cibis nutritivum, & elevativum spirituum vitalium, ut experientia patet.

Collatio, seu refectiuncula vespertina etiam ad nutritio- 42
nem sumpta est licita; *Communis*, Pro qualitate tamen ciborum in hac vespertina refectiuncula sumendorum varia varii 43
sentiunt Doctores. Aliqui enim volunt, talem refectiunculam sumendam esse in molico pane, & fructibus, seu herbis, & non in cibis proprie dictis, ut sunt omnes pisces cocti, ova, lacticinia, legumina cocta, aliique cibi substantiales. Alii concedunt modicum casei, butyri, lactis, pultis amygdaline, & hujusmodi. Alii permittunt panem coctum cum amygdalis, seu coctum in aqua, aut alio liquore una simul cum sale. Alii dicunt licere comedere parvos pisces. Alii concedunt omnis generis cibos, quorum comestio licita est in prandio diei jejunii, modo servetur quantitas. Alii permittunt jusculacocta ex cibis illis, qui liciti sunt in collatione, V.G. ex vino, vel cerevisia, pane, herbis, fructibus, oleo, vel butyro condita. Alii docent, in collatiuncula non esse attendendam qualitatem ciborum, sed quantitatem tantum, adeo ut ex omnibus cibis, qui die jejunii licite possunt sumi in prandio, etiam piscibus, leguminibus, placentis, ovis, lacticiniis &c. in modica quantitate liceat sumi etiam in vespertina refectiuncula, seu collatione; Sic Cajetan. *verb. Jejunium cap.* 1. *in fine* Marchant. *Tribunal. part.*2. *tract.*12. *tit.* 13. *quæst.*3. *dub.* 1., & aliis citatis Bonacin. *de legibus disp. ult. punct.* 3. *quæst.*1., quam sententiam omnino probabilem, & tutam esse dicit Sporer *loc. cit. num.*

(a) R. P. Paulus Gabriel Antoine tractat. de Virtut. Moralibus, Append. quæst. V. proponit: An toties quis peccat mortaliter, quoties die jejunii sumit refectionem iteratam? Et respondet: Non pauci affirmant. Quia juxta omnes toties quis peccat, quoties carnes comedit, quia præceptum abstinendi a carnibus est negativum. At præceptum abstinendi a pluribus refectionibus est etiam negativum: nam non precipit unam refectionem, sed precise plures refectiones prohibet. Ergo sicut peccatur per quasvis comestiones carnium, ita & per quamlibet, & singulas refectiones ultra unam. Præcepta enim negativa violantur non solum per primum, & secundum actum, sed etiam per quoscumque alios sequenter. Videsis & rationes alias, ab Auctore expositas, quæ potiores videntur rationibus Auctorum id negantium.

(b) Non est probata a Theologis gravioribus Ferraris assertio, qua putat jejunii legem non violare, *qui extra tempus refectionis bibat quacumque de causa*: Nam si in fraudem legis jejunii bibat, & quidem frequenter, hoc est, si bibat non per modum potus, sive ad extinguendam sitim, & faciliorem digestionem procurandam, sed ad sensum famis eludendum, & ad nutritionem habendam, quæ ventris famem propulset, tunc contra legem jejunii agere, eamque violare videtur. *Legem enim violat, qui in fraudem legis aliquid facit*, ut ait S. Thom. *in* IV. *dist.* XV. *quæst.*III. *art.* 1. *ad dub.* 1, *num.*17. de eo loquens, *qui potat extra horam unicæ comestionis, qui non dicitur bis manducare, & propter hoc nec statutum Ecclesiæ frangit, nisi fraudem faciat; quia legem violat, qui in fraudem legis aliquid facit*. Itaque non adeo certum est, legem jejunii non infringere, qui extra comestionem quacumque de causa bibat, ut Auctor pronunciat.

*num.*32. Unde in tanta varietate opinionum, salvo meliori judicio, dicerem ego servandam esse consuetudinem, & praxim, quam in qualibet Regione, & Provincia sequuntur Timorati; Et ratio est, quia, cum collatio, seu refectiuncula vespertina non sit ab Ecclesia universali instituta, sed tantum a particularibus paulatim introducta, & tandem a S. Sede tolerata, eo modo sumi debet, quo fuit in singulis Provinciis introducta, & a Timoratis recepta; Vide Sporer *loc. cit. a num.*39. *ad* 32. La Croix *lib.*3. *part.*2. *a numer.* 1297. *ad* 1303. ubi multa adrem.

44 Sic etiam pro quantitate ciborum in hac vespertina refectiuncula, seu collatione sumendorum, varii varia sentiunt. Aliqui enim concedunt solum tres uncias. Alii quatuor. Alii sex. Alii octo. Alii rectius docent, non posse unam generalem pro omnibus quantitatem secundum pondus, & mensuram determinari, sed variem esse variam esse posse pro varietate personarum, & ætatis, complexionis, occupationis, item regionis calidioris, vel frigidioris; & hoc quidem verissimum est: sine cibo enim plus indiget, & sumere potest homo provectæ ætatis, quam alius ætatis consistentis, homo pluribus occupationibus, vel laboribus exercitatus, aut continuis studiis deditus, aliisque negotiis fatigantibus caput, quam omnimode vacans; in primis enim spiritus magis deficiunt; item plus indiget, & sumere potest
45 degens in regionibus frigidioribus, quam in calidioribus. Ut autem aliqualis recta regula assignetur pro omnibus, varii dicunt probabilius modicam, & licitam sine scrupulo quantitatem pro collatione, seu refectiuncula vespertina censeri quartam, vel quintam partem Cœnæ ordinariæ, quam quis alias spectata sua persona, ætate, conditione, occupatione, fatigatione, regione ordinarie ad sufficientiam naturæ sumere solet; Reginald. *tom.*2. *lib.*4. *num.* 185. Layman *loc. cit. numer.* 9. Busembau *lib.* 3. *part.* 2. *cap.*3. *dub.*1. La Croix *ibid. numer.* 1299. Sporer *loc. cit. numer.* 26. Filiucc. *tract.* 2. *part.*2. *cap.*2. *quæst.*7. *num.*33. dicens ita decisum fuisse in celebri Accademia Theologorum, qui omnes in quartam partem consenserunt. Idem probat Escobar. E.13. *cap.*3. *num.* 61., & alii. Et ratio est, quia etiam in aliis præceptis, ut auditione Missæ, recitatione Horarum, & hujusmodi, semper quarta pars censetur quasi modica, & non notabilis (nisi totam esset valde notabile magnum) unde cum homo pro Cœna ordinaria non ita magnam quantitatem comedere soleat, merito quarta, vel quinta pars Cœnæ ordinariæ censeri potest quantitas modica, quam quis pro collatione, seu refectiuncula vespertina licite sumere potest. Verum salva omni debita reverentia, ultra quod allata ratio etiam in quartam partem prandii detorqueri posset licet quarta pars Cœnæ respectu Cœnæ, ut prandii respectu prandii, dici possit modica; non tamen respectu collatiunculæ, & jejunii, quemadmodum perpendenti fiet palam: unde arbitror ipse dicendum, quatuor, vel quinque uncias pro refectiuncula esse quantitatem servandam, nisi circumstantiæ superius recensitæ, vel consimiles aliter expostulent legitime: atque reminiscantur laxi, jejunium ad carnis passionumque mortificationem, peccatorum expiationem, & temporis acceptabilis salutem consequendam institutum esse, & nec tantillum prioribus Ecclesiæ temporibus fuisse in usu pro refectiuncula. Accedit nunc quoad supradicta attendendum esse Apostolicæ decisioni Benedicti XIV. qui ad 2. dubium: *An quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quæ jejunantibus permittitur? Respondit non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes restæ meticulosæ conscientiæ*, ut patet in sua Encyclica Epistola data *sub die* 8. *Julii* 1744., & ad litteram adducta *sub num.*35.

46 Tempus ordinarium sumendæ collationis, seu refectiunculæ vespertinæ sine dubio est vespertinum, unde qui absque omni causa pro mero suo libitu illud commutat, sumendo mane collationem, & vespere prandium, seu Cœnam, peccat saltem venialiter, quia pervertit receptam consuetudinem, & universalem uniformitatem Ecclesiæ; *communis* cum Layman *lib.*4. *tract.*8. *cap.*11. *num.*10. Si vero aliqua justa causa interveniat, v.g. copia negotiorum non permittentium sumptionem prandii in meridie, vel periculum infirmitatis, occasio itineris, & hujusmodi, nullimode peccat; Rursus *communis* cum Marchant. *Tribunal. part.* 2. *tract.*12. *tit.* 3. *quæst.*3. *dub.*3. ubi sic præcise dicit; Ratio mihi clara est, quia si Mater Ecclesia cum comedente in meridie dispensat, ut collatiunculam vespere sumat ad confortationem, ne deficiat, in hoc condescendens humanæ infirmitati; potior sane dispensationis ratio est in eo, qui, ut in die iteragat, aliudve negotium commode exerceat, ad vesperam usque suam Cœnam transfert, & mane collatiunculam sumit; 47
& in eo est majus periculum deficientiæ. Ubi igitur eadem ratio militat, idem omnino secura conscientia concludi existimo. Et hæc praxis communi usu timoratorum in dies confirmatur. Hactenus ille. Imo Reginald. *lib.*4. *num.*186. Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 12. *num.* 8. J. Sanc. *disp.* 53. *num.*2. Tambur. *loc. cit.* §.3. *num.*10. Sanchez *dub.*27. Azorius, & quidam alii probabile esse censent, talem nec venialiter peccare, quamvis sine speciali causa differat prandium ad noctem, dummodo sumat refectiunculam horæ consueta prandii, & non prius, nisi adsit alia justa causa. Et ratio isto,um est, quia, dicunt ipsi, talis modus jejunandi neque ex toto, neque ex parte solvit subitantiam jejunii. Quinimmo talis modus jejunandi magis conducit ad finem jejunii, qui est mortificatio carnis, unde & olim in Ecclesia primitiva refectio sumebatur ad vesperam in Quadrage- 48
sima, & ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem in aliis jejuniis, ut patet ex adductis sacris Canonibus, & Patribus *sub num.*15.

Tempus ordinarium comestionis, seu prandii in die jejunii scilicet horam sextam proximam meridiei notabiliter, verbi gratia, per unam, vel alteram horam anticipare absque justa causa, volunt varii graves Auctores esse pecatum mortale, quia notabili anticipatione refectionis ante horam determinatam notabiliter violatur jejunium; *arg. cap. Solent* 49. *dist.* 1. *de consecrat.* ubi olim præveniens reficiendo horam vespertinam in Quadragesima non censebatur jejunare, ibi: *Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur Officium*. Sic Navarr. *in Manual. ca.*21. *num.* 27. Marchant. *in Tribunal. part.* 2. *tract.*12. *tit.*3. *quæst.*2. Covarruv. Paludan. Cajetan. Sancius & alii. Communior tamen, & probabilior sententia tenent, non esse peccatum mortale, sed veniale tantum, etiam notabiliter, & sine justa causa prævenire dictam horam refectionis, seu prandii. Et ratio est, quia sic non violatur substantia præcepti jejunii, sed solum circumstantia quædam accidentalis de secundario requisita ad jejunium Ecclesiasticum; Sic Innocent. Angel. Tolet. Medina, & alia cum Lessio *lib.*4. *de justit.*, *& jur. cap.*2. *num.*13. Layman *loco citato num.*10. *& sequent.* Sporer *loco citato numer.*23. Filiuc. 49
*loco cit. numer.*70. 71. 72. & plurimis citatis Diana *part.* 1. *tractat.* 9. *resolut.* 33. Reiffenstuel. *Theolog. moral. loc. cit. num.*33. Busembau, & La Croix *loc. cit. num.*1278., & alii passim. Si autem aliqua justa causa subsit, ut si iter sit in- 50
eundum, si Hospites dimittendi, si Concio habenda, lectio frequentanda, aliudve negotium in meridie, & hujusmodi, nullum erit peccatum ne quidem veniale; *Communis*. Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in Religiosis, qui per privilegium, etiam sine causa, possunt una hora anticipare; La Croix *lib.*3. *part.*2. *num.* 1277. Tamburin. *cap.*4. §.4. *num.*3. Stephan. *tom.* 1. *decis.* 5. *numer.* 121., & alii passim.

Prandium, seu refectionem interrumpere, vel dividere 51
in die jejunii sine justa causa non licet; *Communis*. Justa tamen interveniente causa, ut Paupertas, Officium, negotium, 52
licet; *Communis*. Si enim interveniat *Paupertas*, qualis est eorum, qui ostiatim mendicant, & omnium aliorum, qui non habet, quo unica refectione sufficienter reficiantur, utique poterunt isti refectionem suam interrumpere cum intentione continuandi, ubi novam eleemosynam invenerint, & novum cibum habuerint. Sic si interveniat *officium*, quale est eorum, qui tempore prandii ministrant, vel legunt ad mensam, isti possunt sumere cibum etiam, in magna quantitate, per horam circiter ante prandium suum, & postea hoc complere expleto suo servitio, & officio. Item si interveniat *negotium*, quale est eorum mercatorum, qui refectione, seu Cœna nondum finita ob occurrentes Emptores, alias apud se non empturos, discedere coguntur e mensa nondum plene, & sufficienter saturati; isti enim, confecto negotio, reverti possunt ad eam refectionem finiendam, præsertim intra modicum tempus, v.g. unius horæ; censetur enim moraliter una refectio propter intentionem; *Communis*.

Sic non peccat, qui inter prandendum garrit, nugatur, 53
nova nuntia legit, & hujusmodi, si tempus refectionis non excedit duas horas, quia ordinarie tantum temporis conceditur refectioni sumendæ, nec censentur tunc partes morali

54 ter dividi. Item si quis finierit prandium, & plicarit mappulam, cum proposito nihil amplius comedendi, seu surrexerit e mensa, etiam gratis actis, potest intra quadrantem circiter, mutata voluntate, iterum assidere, & comedere, 55 quia moraliter censebitur una comestio. Item, qui mensam relinquit *in uno loco intendens absolvere in alio*, ubi expectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas, nec intervallum quadrantem circiter, quia diversitas locorum non videtur hic ad rem facere, præsertim ubi id requirit honestas. Prandium protrahi potest 56 licite ad duas horas, non autem ultra; Tamburin. *lib. 4. cap. 4. §. 2. num. 15.* La Croix *loc. cit. num.* 1283, Fagundez, & alii passim.

57 Qui mane culpabiliter sumpsit jentaculum æquivalens refectioni, tenetur illo die abstinere a refectione. Et si jentaculum sumptum modicum fuerit, tenetur abstinere a collatione; Sanch. *in Consil. lib. 5. cap. 1. dub. 28. num. 8.* La Croix *loc. citat. numer.* 1286. Castropalao *tom. 3. part. 2. §. 3. numer. 5.*, & alii passim. Et ratio est, quia, etsi jejunium factum sit ipsi impossibile quoad circumstantiam temporis, potest tamen servari quoad alia, & ideo, si iterum comedat, quasi nihil mane sumpsisset, incurrit novum peccatum; 58 Qui inculpabiliter per inadvertentiam sumpsit mane jentaculum sufficiens ad prandium, non potest amplius illo die prandere, sed solum vesperi sumere collationem, quia habuit unam plenam refectionem, & æque nutritus est, sive sciens, sive nesciens jentaverit; Layman *lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 14.* La Croix *loco citato num.* 1285. Less. *lib. 4. cap. 2. dub. 3. num. 18.*, & 19. Diana, Castropal., & alii plures contra Paludan. Vivald. Fagund. & alios volentes, posse illum adhuc prandere, quia, cum sit factum ex ignorantia Jejunii non 59 computatur pro prandio. Qui iter facturus mane prandet, & postea rebus mutatis iter non agit, non potest amplius illo die prandere, sed solum vesperi sumere collationem; Sic Doctores citati *num. antecedd.* propter eandem rationem, contra J. Sanchez *disp. 53. num. 2., & 6.*, & alios volentes posse illum iterum prandere, ac si nihil sumpsisset. Qui post 60 prandium sumpsit aliquid cibi, tanto minus debet postea sumere in refectiuncula vespertina, Et si quasi ad tempus ipsius refectiunculæ vespertinæ sumpsit cibum æquivalentem ad collationem, debet illo die omnino ab ipsa abstinere, quia prior comestio censetur fuisse collatio, *Communis*.

61 Qui frangit Jejunium multiplici præcepto ex eodem motivo imperatum, unicum tantum specie, & numero peccatum committit. Unde quia Ecclesia ex eodem motivo formali Temperantiæ præcipit jejunium in Quadragesima, & in Quatuor Temporibus, & in Vigiliis, si Vigilia v. g. S. Mathiæ occurrat in Quadragesima, & quatuor Temporibus; quamvis tria sint Ecclesiastica præcepta sejunii pro eadem die, ejus tamen transgressio non erit nisi unicum specie, & numero mortale peccatum, gravius tamen, adeoque ea circumstantia non erit necessario in Confessione exprimenda; *Sic communis Doctorum*. Et ratio est, quia licet tali die sit obligatio Jejunandi ex tribus præceptis, illa tamen tria præcepta sunt tantum materialiter diversa, sed formaliter unum tantum, cum omnia respiciant eandem Virtutem Temperantiæ, & obligent ad jejunium ex eodem motivo Virtutis Temperantiæ, & obligent ad jejunium ex eodem motivo Virtutis Temperantiæ. Peccata autem non multiplicantur numero ex multiplicate præceptorum, quando respiciunt eamdem Virtutem, sed solum, quando respiciunt diversam Virtutem, & diversum finem. Et sic in simili, qui non audit, Missam in Festo de præcepto, occurrente in Dominica, non committit nisi unum mortale peccatum. Et sic Religiosus professus, ac simul in Sacris constitutus non committit duplex Votum violatum, nempe Votum Castitatis Religiosæ, & Castitatis Sacro Ordini annexum, cum talia Vota non sint distinctæ speciei, & sic de aliis consimilibus, ut patet ex dictis in titulo de peccatis.

62 Idem propter eamdem rationem probabilius est dicendum de Franciscanis non Jejunantibus feria sexta Quatuor Temporum cadente in Vigilia, & Quadragesima; quia jejunium feriæ sextæ in Regula eodem plane fine, & motivo Temperantiæ præcipitur Franciscanis, quo ab Ecclesia præcipitur omnibus fidelibus, adeoque licet Franciscani non jejunantes tali die quatuor transgrediantur præcepta, non committunt tamen nisi unicum specie, & numero peccatum, quamvis gravius; Sic contra Vasquez, Navarrum, Gonetum, & quosdam alios tenent expresse Marchant. *Tribunal. part. 1. tract. 3. tit. 3. quæst. 4.* Spor. *tom. 1. Append. ad tertium præceptum Decal. sect. 4. num. 44.* Henno *tom. 1. tract. 1. disp. 1. quæst. 11. conclus. 1.* cum Herincx ibi citato, & probabilius Felix Potestas *tom. 1. part. 4. cap. 6. num. 3744.*, & alii. Nec valet cum adversariis dicere, quod Franciscani voveant Regulam, & consequenter jejunium feriæ sextæ in eadem Regula contentum, adeoque peccent etiam in tali casu contra Religionem, eo quod violent Votum. Non valet, inquam, quia licet Franciscani voveant servare Regulam dicendo in actu Professionis: *Voveo, & promitto . . . . servare Regulam Fratrum Minorum &c.* non tamen vovent omnia contenta in Regula servare tamquam vota, sed eo modo, quo in Regula proponuntur. At vero non omnia contenta in Regula proponuntur servanda ut Vota, sed aliqua quidem ut Vota, nempe tria essentialia: *Vivendo in Obedientia, sine proprio, & in Castitate*, alia ut nuda præcepta, inter quæ est etiam præceptum jejunii feriæ sextæ, & utriusque Quadragesimæ, & alia ut consilia tantum; Et ratio est, quia si vovendo servare Regulam voverent servare tamquam vota omnia contenta in Regula, tenerentur ex Voto servare pedum præcepta, sed etiam consilia contenta in Regula, quod nullimode est dicendum, cum ne unus quidem Franciscanus hanc obligationem agnoscat; Tum quia, si Franciscani ex quo voveant servare Regulam, sub duplici peccato, nempe ratione præcepti, & ratione voti, tenerentur ad omnia omnino Regulæ præcepta, sicque melius esset, ut advertit Herincx allegatus, & sequutus ab Henno *loc. cit.* ut omnia contenta in Regula essent mere Vota, & non præcepta, quia tunc Franciscani aliquid transgrediendo non committerent nisi unicum peccatum. Tum quia Summi Pontifices, qui Franciscanorum Regulam accurate examinarunt, declararunt, in ipsa contineri solum 25. præcepta obligantia, & nunquam de hac duplici illius obligatione mentionem fecerunt. Unde non videtur imponenda, cum sit valde grave onus sine sufficienti fundamento, ut recte advertit Henno *loc. citat.* Notari tamen debet, quod dum dicitur, cadente Feria sexta Quatuor Temporum in Vigilia, & Quadragesima Franciscani non jejunantes tali die, quatuor transgrediantur præcepta, id intelligitur de Fratribus *Minoribus*, qui annum vigesimumprimum excesserunt, non autem de iis, qui hujusmodi annum nondum expleverunt; quia licet Fratres Minores a Regula obligentur ad jejunia Feriæ sextæ, & Quadragesimæ, (ut etiam a Festo Omnium SS. usque ad Nativitatem Domini) tamen non obligantur vi Regulæ ad jejunium Vigilarum, & Quatuor Temporum: eo quia Regula de iis non loquitur; sicut patet cap. 3. ejusdem Regulæ; Unde minores ætate 21. ann. contra unum duntaxat Regulæ præceptum, scilicet Feriæ sextæ, vel Quadragesimæ, ut a Regula impositæ in dicto casu facerent non jejunando. Diximus Feriæ sextæ, vel Quadragesimæ, eo quia tali tempore Feria sexta, & Quadragesima prout sunt a Regula pro uno eodemque præcepto confunduntur, sicut consideranti 63 est obvium; & ideo dico dictum est supra, quod quatuor transgrediantur præcepta; alias debuisset dici quinque transgredi præcepta.

Aliter autem esset dicendum de eo, qui violavit statuto die jejunium ab Ecclesia præceptum, a Superiore ex obedientia sibi mandatum, a Confessario sibi pro pœnitentia, Sacramentali impositum, & ad quod se ex speciali voto obligavit: Tunc enim concurrerent quatuor quasi leges formaliter diversæ respicientes diversos fines, & virtutes, adeoque per unam physice dicti jejunii violationem contraheret quatuor specie diversas malitias in Confessione explicandas, dicendo, Violavi jejunium ad quod graviter obligabar ratione præcepti Ecclesiæ ex motivo Temperantiæ, ratione mandati Superioris ex motivo obedientiæ, ratione 64 impositionis Confessarii ex motivo pœnitentiæ, & ratione specialis voti ex motivo Religionis; Sic Sporer *loc. cit. numer.* 44. La Croix *lib. 5. num.* 135. & alii.

Qui violat jejunium uno die per comestionem carnium, & altero per comestionem lacticinorum, aut ovorum, peccat duplici specie distincto peccato, adeoque in Confessione utraque prout est violatio est distincte explicanda, quia violatio jejunii per comestionem carnium distinguitur specie a violatione per comestionem lacticiniorum aut ovorum. Item qui frangit jejunium uno die per comestionem carnium, & altero per multiplicem comestionem in piscibus, peccat duplici specie peccato, adeoque non sufficit dicere in Confessione, *Duobus diebus violavi jejunium*, sed debet dicere, quod uno

uno die violavit per comestionem carnis, & altero per multiplicem comestionem in piscibus; Violatio enim per comestionem carnis distinguitur spec ie a violatione per multiplicem comestionem; *Communis*.

65 Quin unico voluntatis actu deliberate statuit non jejunare per totam Quadragesimam, seu singulis diebus Quadragesimæ, non committit tot numero peccata, quot sunt dies Quadragesimæ, sed unum tantum numero, gravius tamen, & sufficit, quod in Confessione dicat: *Habui deliberatam voluntatem frangendi jejunium per totam Quadragesimam*. Et ratio est, quia hujusmodi distinctio numerica objectorum, nempe omnium dierum Quadragesimæ est tantum materialis, cum actus hic, aut intentio frangendi jejunium singulis diebus Quadragesimæ respiciat omnino illa jejunia per modum unius solius objecti formalis, totalis, & adæquati. Quamvis ceteroquin singula illa objecta possent dare illi actui, seu illi intentioni deliberatæ completam malitiam, tamen ut conjunguntur, atque ab actu seu intentione respiciuntur per modum unius, conferunt actui, seu intentioni simul unam solam malitiam, gravioem tamen. Si autem postea dictam deliberatam voluntatem executioni mandaret, tot committeret peccata numero, distincta fractionis Jejunii, quot violaret dies jejunales. Et ratio est, quia obligatio jejunii fertur supra totam Quadragesimam, & singulos dies divisim, adeout jejunium cujuslibet diei sint in distincto per se præcepto, adeoque quot jejunalibus diebus non jejunaret, tot committeret numero distincta peccata mortalia ob multiplicatam omissionem externam præcepti Jejunii; *Communis*.

66 Qui statuta die non jejunavit, sive inculpabiliter, sive culpabiliter, non tenetur postea Jejunare alio die sequenti. Et ratio est, quia cum Jejunium sit statutæ diei alligatum, semel ac violatum est tali die, amplius servari non potest, nec consequentur debet: Censetur enim statuta talis dies ad finiendam obligationem, adeoque fracto tali die Jejunio, cessat Jejunandi obligatio. Aliter autem esset dicendum, si dies esset statuta ad implendum Votum, seu pœnitentiam Sacramentalem, & ad non differendam obligationem, ut si quis vovisset Jejunare feria sexta, & Sabbatho unius hebdomadæ, seu id ei fuisset pro pœnitentia Sacramentali impositum; tunc enim, cum dies sit solum statuta ad non differendam obligationem Voti, seu pœnitentiæ Sacramentalis, si Jejunium statutis diebus violetur, aliis similibus diebus alterius hebdomadæ erit servandum; *Communis*. Unde sequitur ex dictis, quod si quis vovisset ex devotione Jejunium uno integro determinato anno V. Gr. toto anno Jubilei, & prætermitteret aliqua Jejunia sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non teneretur ea altero anno supplere propter rationem, nuper assignatam; at si vovisset Jejunium pro uno integro anno, non intelligendo determinate annum A, vel B, sed intelligendo tantum tot Jejunia, quot sunt dies in anno, prætermittendo aliqua Jejunia sive culpabiliter, sive inculpabiliter, teneretur ea supplere propter rationem oppositam, item assignatam: verumtamen non teneretur supplere dies Dominicos ob dicta num. 20., & 22. nisi vovens ad id expresse intellexisset se obligare. Item si quis vovisset Jejunium v. g. quolibet die Sabbathi ob devotionem B. M. V. quoties pro tali die Jejunii impedimentum occurrat, non tenetur prævenire, seu anticipate Jejunare; siquidem Vovens ad illam determinatam diem se obligavit, Jejuniumque alligavit; At si vovisset Jejunium pro aliquo tempore, determinato, solum ex intentione ne ultra illud tempus differatur Jejunium, poterit anticipate Jejunio, satisfacere: eo quia intentio fuit ne ultro differatur, non vero ne citius onus adimpleatur; imo tenetur prævenire, seu anticipate satisfacere, si quando que prævideat superveniens impedimentum, eo quia votum fuit ut diximus ad non, & ultro differendam, non vero ad finiendam Jejunii oblinationem; ac id sive culpabiliter sive inculpabiliter non præstando, adhuc teneretur supplere postea ab eandem rationem, ut jam constat supra.

Vide etiam num. 22.

67 Peccant mortaliter non solum ipsi qui Jejunium frangunt, sed etiam qui ad frangendum Jejunium, aliis proxime cooperantur, ut Patres, & Matres familiæ, Domini, Superiores, & hujusmodi die Jejunii suis Domesticis cœnam, vel carnes sine legitima causa excusante ministrantes. Item Caupones, seu Tabernarii in locis Catholicis carnes, vel cœnam ministrantes iis, quos sciunt a Jejunio non excusari, & quando sine suo gravi incommodo, & spe fructus recusare pos-

sent; *Communis*. Regula enim generalis est, quod non solum peccant, qui præceptum transgrediuntur, sed etiam qui causa sunt, ut illud absque legitima causa alii transgrediantur.

Jejunium ex voto, vel præcepto majoris est meriti, quam 68
ex mera electione vel consilio; eo quia hoc habet meritum Religionis, & ex præcepto etiam meritum obedientiæ; & licet votum, atque præceptum necessitatem inducant non quidem coactionis, sed obligationis erga Deum: hæc tamen plenam executionis libertatem relinquit incolumem, ut est manifestum.

Alia ad Rem, Vide verb. *Vigilia*. 69

Supplementa Auctoris, e H. Editione.

JEjunorum observantia Episcoporum vigilantiæ potissimum 70
a Concilio Tridentino commendata fuit. Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 130. incip. *Libentissime* §. 1. Jejunii diebus unica comestio servari debet ab iis etiam, quibus ob 71
peculiares causas permittitur esus carnium, ovorum, & lacticinorum. Idem Constitut. 19. incip. *Non ambigimus* §. 4., & Constitut. 99. incip. *Si Fraternitas* §. 1. Amplia, sive dispensatio fuerit personalis, sive generalis pro integra Civitate, aut Loco, sive Universitate. Idem Constitut. 27. incip. *In Suprema*. 72

Jejunii diebus epulæ licitæ cum vetitis non sunt apponendæ, non obstante dispensatione super qualitate ciborum. Idem cit. Constitut. *Non ambigimus*, §. 4., & cit. Constitut. 73
Si Fraternitas, §. 1. In vespertina refectiuncula carnes non 74
sunt apponendæ. Idem cit. Constitut. *Si Fraternitas*, §. 1. Horæ etiam Jejunantibus præscriptæ servari debent. Idem 75
Ibid.

Quæstiones de Jejunio cum esu carnium jungendo, Ponti- 76
fici lege dirimuntur in cit. Constitut. *Libentissime*, §. 3. Aliæ quæstiones deinde exortæ solvuntur per organum Pœnitentiariæ Apostolicæ. Idem *ibid.* §. 5. Aliæ vero per Litteras in 77 78
forma Brevis solutæ fuerunt. Idem *ibid.* §. 6. Constitutiones de Jejunio editæ, quomodo intelligendæ; interrogatus Pontifex ipse in Constitutione 55. incipiente: *Cognovimus*, sic præcise respondit: *Respondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem Litteris definiendum non suscepisse, an qui Ecclesiastica auctoritate ab Jejunio excusaretur, non solum vetitis cibis uti, sed justæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant; Præcipimus autem Episcopis, eorumque delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi, imperata simul unicæ comestionis norma, ita universale istud præceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto*. Sic expresse respondit Archiepiscopo Valentiæ die 12. Maii 1742. in cit. Constitut. *Cognovimus*. Ubi, ut vides, quæstionem in abstracto definire non intendit, sed præscribere Legem concedendæ dispensationis.

Jejunii leges æque observandæ sunt tempore Quadragesi- 79
mæ, ac cæteris Jejunii diebus per annum. Idem cit. Constitut. *Si Fraternitas* §. 1. Jejunii Leges servandæ sunt, non 80
obstante dispensatione quoad qualitatem ciborum, in vim Bullæ Cruciatæ. Idem Constitut. 88. incip. *Quoniam*, §. 6. Jejunii dispensatio per alia opera pia compensari debet. Idem cit. Constit. *Non ambigimus*. Vide supra, ubi allata 81
est dicta Constitutio una cum aliis.

Jejunii Ecclesiastici leges, necnon naturalis ante sumptio- 82
nem Eucharistiæ, sunt a Græcis servandæ. Idem Constitut. 57. incip. *Etsi Pastoralis* §. 6. Jejunia, & vigilias Ecclesiæ 83
Latinæ observare non tenentur Italo-Græci servantes Jejunia Orientalis Ecclesiæ. Idem *ibid.* §. 9. Jejunia Ecclesiæ Græcæ 84
observari debent a Monachis Ruthenis Ordinis S. Basilii. Idem Const. incip. *Inter plures*. Jejunium in Sabbatis Qua- 85
dragesimæ excepto Sabbato Sancto, non præcipitur Græcis, sed tantum abstinentia a carnibus. Idem cit. Const. *Etsi Pastoralis*. §. 9. Jejunium Sabbati in Jubilæis, vel alias indictum, 86
in alium diem transferri conceditur pro Græcis. Idem *ibidem* Jejunium frangi a Sacerdote utente Sacris indumentis, qui- 87
bus alius eodem die usus fuerit, inepta est quorumdam de vulgo apud Græco-Melchitas opinio. Idem Constitut. 87. incip. *Decmandatam*, §. 8.

Jejunii præceptum ante sumptionem Eucharistiæ non est 88
juris Divini, sed Ecclesiastici. Idem tom. 2. Constit. 3. incip. *Declarasti Nobis*.

Ad

89 Ad confirmanda quæ diximus supra n. 26, affertur sequens Encyclica Benedicti XIV.

Lettera Circolare della Santità di nostro Signore Benedetto Papa XVI. *agli Arcivescovi: e Vescovi dello Stato temporale Pontificio sopra la Vigilia di S. Mattia, che in quest' anno* 1751, *cade nell' ultimo giorno del Carnevale.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

SOtto il giorno primo di Gennaio del 1748. spedimmo una Lettera Circolare a tutti gli Arcivescovi, e Vescovi del nostro Stato temporale Pontificio, per porre il dovuto riparo a tre gravissimi inconvenienti, che pur troppo succedevano nel tempo del Carnevale. Il primo era quello, che nell'ultima notte di Carnevale tanto s'inoltravano le veglie, i balli, ed i giuochi, che s'intaccava il principio del primo giorno di Quaresima; in tal maniera, che succedeva alle volte il vedere, che dal ballo, dal giuoco, e dalla veglia partendo le persone, andavano a dirittura, benchè senza maschera al volto, con gli abiti però, co'quali si erano mascherati, alla Chiesa per sentire la Messa, e prendere le Ceneri portandosi dipoi a Casa, e dormendo nel proprio Letto per lo meno tutta la mattina del primo dì di Quaresima. Il secondo inconveniente era, che in alcuni luoghi dello Stato temporale Pontificio permettevasi l'uso della maschera anche ne'giorni di Venerdì, e negli altri festivi di precetto. Il terzo inconveniente era, che anche nella mattina delle Feste in alcuni luoghi dello stesso Stato, ed anche ne'dopo pranzi nel tempo de' Vesperi, e della Dottrina Christiana, permettevasi a' Saltimbanchi il fare il loro mestiere nelle Piazze, e pubbliche Contrade. Dammo i dovuti ripari a'predetti scandali nell'accennata Lettera, che è la 45. nel tom. 2. del nostro Bollario; e quanto in essa fu ordinato, viene anche oggi da Noi pienamente confermato, inculcandone l'osservanza ai Cardinali Legati, ai Governatori dello Stato, ed a chiascheduno Vescovo nelle sua Diœcesi.

Questo però non è il sol motivo, per cui abbiamo creduto dover da Noi spedirsi la presente nostra Lettera Circolare. Se ne aggiunge un altro, che risguarda l'anno corrente, cioè il Carnevale di quest'anno 1751. nel di cui ultimo giorno cade la Vigilia col digiuno di S. Mattia Apostolo: ed acciò ciascheduno de'Vescovi del nostro Stato resti pienamente informato, soggiungeremo quanto in appresso, in formando di quanto è seguito in questo proposito.

Prima, che incominciasse l'anno corrente 1751. da varie parti anche remote dall'Italia, ci sono arrivate di vari Vescovi, e Prelati, che considerando cadere in quest' anno la Vigilia di S. Mattia col digiuno nell'ultimo di del Carnevale, dopo averci esposto, che sarebbero stati inevitabili, ed anche pubblici, e forse ancora communi gli scandali della violazione del digiuno, sapendosi pur troppo, non avere la baldanza Carnevalesca verun ritegno, particolarmente nell'ultimo giorno, e nella notte dell'ultimo giorno del Carnevale; proponevano il seguente temperamento, di trasportare in quest'anno la Vigilia di S. Mattia, anticipandola nel Sabbato precedente, ultimo giorno della settimana di Sessagesima; appoggiando questo loro temperamento all'opinione di alcuni Autori, che insegnano, potere il Vescovo colla sua Ordinaria autorità nella sua Dioceſi, concorrendovi una grave, e legittima causa, trasportare da un giorno all' altro i digiuni, ed anche le Feste di precetto, ed individualmente potere colla stessa sua autorità ordinaria, pel timore di Scandali, e della pubblica violazione del precetto del digiuno, cadendo la Vigilia di S. Mattia nell' ultimo di del Carnavale, trasportarla al Sabbato precedente.

Non credemmo di dover trascurare la sopradetta instanza, o di darcene per non intesi, lasciando all' acqua libero il corso senza mettervi riparo; essendo Noi, per la notizia, che abbiamo delle intemperanze Carnevalesche, pienamente persuasi, che lasciando le cose come sono, e non pensando a qualche temperamento, il digiuno ingiunto nella Vigilia di S. Mattia, sarà negletto, e forse anche pubblicamente, e che volendosi gastigare i delinquenti, non cadera il gastigo, che sopra alcuni pochi miserabili, restando immuni le persone potenti, o perchè vi sarà modo di fare, che le loro mancanze non arrivino alle orecchie de' Superiori, o perchè anche giungendo i fatti alla loro notizia, non lascierà la prudenza della carne di suggerir loro, che non comple per simili cose prendere impegno, e guastare la buona corrispondenza, tanto necessaria pel buon governo, colle persone potenti del Secolo; e però rispondemmo come in appresso.

Primo, non essere timor panico, ma ben fondato, che cadendo in quest'anno il digiuno nella Vigilia di San Mattia nell'ultimo di del Carnevale, sarà dispregiato, e negletto.

Secondo, non essere cosa nuova che, concorrendo una legittima causa, si trasportino la Vigilia, ed il digiuno a qualche altro giorno antecedente. Ciò si vede nella Vigilia della Festa di S. Giovanni Battista, qual Vigilia cadendo nel Giovedì del Corpus Domini, il digiuno si anticipa nel Mercoledì precedente, giusta la Costituzione *Cum evenire*, la 232. del Pontefice Urbano VIII., senza, che nel detto Mercoledì si faccia veruna menzione della Vigilia nell'Officio, o nella Messa, giusta il Decreto della Congregazione de'Riti, approvato dalla santa memoria di Clemente XI., ch'è il 9. del suo Bollario fra i Decreti della detta Congregazione. Ciò pure si vede nella Festa solenne di qualche santo principale Protettore della Città, e Dioceſi; imperocchè se nel dì della Festa cade qualche digiuno, questo si trasporta al giorno precedente, come ben osserva il Cardinal Gaetano *nella sua Somma in verb. jejunium, Quo ad tertium §. De rationabili*, e vanno proseguendo, coll' allegare altri concordanti, il Sanchez *lib. 5. Consilior. cap. 1. dub. 5. num. 27.*, il Leandro *Oper. Mor. p. 3. tract. 5. disp. 10. q. 39.*

Non parlammo del caso, in cui cadendo questa Festa solenne Lunedì, ed avendo questa Festa Vigilia e digiuno, si trasporta il digiuno al Sabbato precedente, secondo il Testo della Decretale nel *cap. Ex parte, de observantia jejuniorum*, sapendo Noi, che per altri superiori motivi, e per confondere l' Eresia de' Manichei, che inimici della vera Risurrezione di Cristo, in dispregio d' essa digiunavano la Domenica, fu dalla Chiesa Cattolica proibito a' suoi seguaci il digiuno nella Domenica, come ben osserva il Silvio *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 147. art. 5. quæst. 8.* ma considerando gli altri sopradetti casi anticipava il digiuno per far solennizare la Festa con una proporzionata allegrezza, escusa la mestizia del digiuno; con molta maggior ragione potevasi anticipare il digiuno, per non esporlo al pericolo d'una scandalosa, e pubblica, e quasi comune irriverenza: tanto più che entrando nelle viscere dell'affare, non dovrebbe apparire irragionevole il dire, che quasi corre la stessa ragione fra i predetti casi, ed il nostro, anticipando forse anch'in essi il digiuno, non meno per escludere la mestizia dalla solennità, che pel timore, che il detto digiuno non si osservi in un giorno di pubblica allegrezza.

Ai tre divisati punti succedeva il quarto, che consisteva nel vedere, se dovendosi anticipare il digiuno di S. Mattia nel Sabbato di Sessagesima, ciò possa farsi da' Vescovi nella loro Dioceſi colla loro autorità Ordinaria, senza verun bisogno della nostra Pontificia, riflettemmo, esser due le oppinioni delli Autori Una dà tutto all'autorità Ordinaria del Vescovo nella sua Dioceſi, purchè vi concorra una grave, e legittima causa, valutando per grave, e legittima causa l' evidente pericolo della violazione del digiuno, che, che succederebbe pur troppo nell'ultimo dì del Carnevale, se in esso si dovesse digiunare. Quest'è il sentimento del Gobat *nella sua Teologia Sacramentale tract. 5. cas. 3. sect. 2. in appendice num. 3., & seq.* della Croix nel *tom. 1. lib. 3. part. 2. num. 1273.* il che ripete nel *tom. 2. al lib. 6. numer. 2083.* ove soggiugne, che quantunque nel 1694. fosse decretato dalla Congregazione de' Riti, non doversi anticipare il digiuno nell'ultimo Sabbato del Carnevale, quando cade la Vigilia di S. Maria nell'ultimo, giorno del detto Carnevale (come può vedersi nel Decreto 92.) inserito nel Bollario d'Innocenzo XII. qual Decreto viene anche *per extensum* riferito dai Salmanticensi *nel Corso Morale tom. 5. tract. 23. cap. 2. punct. 1. num. 93.* ciò però debba aver luogo, quando il Vescovo non crede espediente al bene dell'anime l'anticipare il digiuno, ma non mai quando ha giusti motivi per farlo anticipare.

L'altra poi contrari a all'anticipazione del digiuno, sostiene, non poter il Vescovo nella sua Dioceſi ordinarla, ancorchè la Vigilia di S. Mattia cada nell'ultimo giorno del Carnevale. Così con molta energia scrivono Teofilo Raynaudo *Heteroclit. Spiritual. tom. 15. pag. 273. numer. 34.* Il Merati *ad Gavantum tom. 2. part. 1. Sect. 7. cap. 4. sub num. 23. §. si vigilia*, Il Cavalerio *ad Decreta Congregationis Sacrorum Rituum part. 2. tom. 1. pag. 134., & seq.* Il Diana *in Edit. coord. tom. 3. tract. 3. quæst. 88. numer. 3.* Il Leandro *part 3. tract. 5. disp. 10. quæst. 42.* Il Monacello *in formul. 4. num. 12.* Il Ferraris *nella Biblioteca Canonica tom. 4. in verb. Jejunium num. 26.*

Non può negarsi, che questa seconda opinione non sia la più comune, ed anche la più ragionevole, e meglio fondata: imperocchè, ciocche siasi delle ragioni portate dai predetti Autori per confermar il loro assunto, alle quali non sarebbe molto difficile il rispondere adequatamente, se la Vigilia col digiuno per la Festa di S. Mattia fu con precetto ordinata da Innocenzo III. *nel Cap. Ex parte, de Observantia Jejuniorum*, ove sopi la controversia insorta, e mossa da taluni, che volevano non doversi far la Vigilia, nè digiunare in onore di S. Mattia, per la ragione, che quantunque fosse stato Apostolo, non era però stato chiamato a dirittura dalla voce di Cristo; se prima d'Innocenzo III. il Pontefice Alessandro III. interrogato da quelli, che anche in quel tempo osservavano la Vigilia col digiuno per la Festa di S. Mattia, come dovevano regolarsi nell' anno bisestile rispose, dovere mai sempre la Vigilia celebrarsi nel giorno precedente alla Festa, eccettuato il caso, in cui cadesse nel giorno di Domenica „ *Festum B. Matthiæ, juxta consuetudinem Ecclesiarum, Vigilia extenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo, inter se, & solemnitatem, aliam diem admittat; in qua utique, nisi Vigilia venerit in Dominica die, Jejunium celebretur*„ come si legge *nel cap. Quæsivit §. Festum, de verborum significatione*, Decretale dello stesso Pontefice riferita ancora nell'Appendice al Concilio terzo Lateranense *cap. 22. pag. 1718. tom. 01. de' Concilj* della Collezione Labbeana, e altresì appresso il Martene *de antiquis Eccl. sia ritibus tom. 3. lib. 4. cap. 31. num. 23.* Non vi vuol molto a comprendere al Sabbato precedente la Vigilia di S. Mattia, ancorchè cada nell'ultimo giorno del Carnevale; non potendo l'autorità Ordinaria, o derogare, o dispensare nelle cose stabilite da Romani Pontefici, e dal Diritto Canonico, come si è da Noi dimostrato *nel nostro Trattato de Synodo Diœcesana al lib. 7. cap. 30.*

Così abbiamo risposto ai Vescovi, e Prelati, che ci hanno richiesto, se potevano trasportare la Vigilia di S. Mattia al Sabbato precedente: senza però tralasciare d' insinuare a Loro, che, arrivando la nostra Autorità Pontificia a quel segno, a cui non arriva la di loro autorità Ordinaria, ben volentieri davamo loro la licenza di potere in quest'anno anticipare la Vigilia di S. Mattia col digiuno, facendola celebrare nel Sabbato di Sessagesima, e così staccandola per questa volta dal giorno immediato precedente alla Festa di San Mattia, essendo pur troppo persuasi, che dovendoli fare nell' ultimo giorno del Carnevale, sarebbe quasi inevitabile la trasgressione del precetto Ecclesiastico, ed essendo anche convinti dell'obbligo, che abbiamo di dare tutto l'ajuto e la mano a' nostri Fratelli, acciò tengano lontane dalle loro Dioceſi le offese di Dio. E'noto a ciascheduno, che fino da'tempi Apostolici nelle Chiese si facevano quelli onesti Conviti, chiamati Agape, così ben descritti da Tertulliano *nel suo Apologetico al cap. 39.* E' noto altresì, che segregavansi dalla comunione de' Fedeli quelli, che si astenevano dal frequentarli, pel qual motivo fu anche detestata la condotta degli Eretici Eustaziani nel Sinodo Gangrense *al Can. 11.* Ed è noto finalmente, che per li disordini, che s'incominciarono a scorgere nelle Agape, furono le stesse proibite dal Concilio Laodiceno *al Can. 28.*, e dal Concilio terzo Cartaginense *al Can. 30.* Chiunque rifletterà colla dovuta attenzione alla sopradetta condotta dell'Ecclesiastica Disciplina, che pe'disordini seguiti non ha avuta difficoltà di levare per sempre un'antica Apostolica usanza, non dovrà punto maravigliarsi, se in vista d'irreparabili disordini, non per sempre, ma per una volta sola, si varia il giorno del digiuno, restando però l'obbligo di doverlo adempiere nel giorno surrogato. Ci faremmo potuti prevalere di molti, e molti altri esempj di deroghe ancora più forti ai precetti Ecclesiastici, che s'incontrano negli Annali della Chiesa; ma abbiamo prescelto quello delle Agape, come più prossimo, ed adeguato al caso nostro, giacchè in quello, ed in questo si tratta del vizio della gola.

Rispondendo ai sopradetti Vescovi, e Prelati, abbiamo di più incaricato l'esortare gli Ecclesiastici Secolari, e Regolari a non prevalersi dell'anticipazione del digiano, ma a digiunare nella vera Vigilia di S. Mattia, che è lo stesso che dire nell'ultimo di del Carnevale; non dovendosi credere di loro, che siano immersi ne' disordini Carnevaleschi, come per lo più sono i Secolari.

Ecco quanto abbiamo risposto a chi è ricorso a Noi, per sapere come doveva regolarsi quest'anno nell'ultimo giorno di Carnevale in cui cade la Vigilia di S. Mattia. Ora con questa nostra notifichiamo il tutto agli Arcivescovi, e Vescovi del nostro Stato, acciò taluno di loro temendo nella sua Dioceſi, o Città la trasgressione del digiuno nell' ultimo dì del Carnevale, possa prevalersi del rimedio additato, nel modo, e forma di sopra espressi, dandogli in ciò un'ampla licenza; e quando di ciò non tema, lasci l' affare nel suo corso naturale. E mentre ci raccomandiamo alle vostre Orazioni, Venerabile Fratello, diamo a Voi, ed al Gregge alla vostra Cura commesso l'Apostolica Benedizione.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 30. Januarii 1751. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

Ad rem subnectitur hic sequens novissima Clementis XIII. *Encyclica super observantia Quadragesimalis Jejunij Episcopis universi Orbis exarata.*

CLEMENS PAPA XIII.

APpetente Sacro Quadragesimali tempore, *quod plenum mysteriis non sine mysterio magnam illam Paschæ celebritatem præcedit, qua una omnium solemnitatum dignitas est consecrata, providendum, Venerabiles Fratres, ut Sacratissimum Jejunium sancte, religioseque a Fidelibus observetur, quod Legis, & Prophetarum testimonio commendatum, a Christo Domino consecratum, ab Apostolis traditum Ecclesia Catholica perpetuo retinuit, ut per macerationem carnis, & animæ humiliationem ad Dominicæ Paschalisque Sacramentorum Mysteria paratiores accedamus, & in ejus resurrectione resurgamus, in cujus Passione, depositio veteri homine, simus commortui. Cujus tam sanctæ, tamque salubris institutionis retinendæ studio fel. recor. Prædecessor Noster Benedictus* XIV., *etsi binis ad vos Litteris in forma Brevis eximium Fraternitatum Vestrarum zelum excitavit, quo pluribus labefactata corruptelis Quadragesimalis Jejunii disciplina ad pristinam observantiam Vestra opera, & studio revocaretur; ob eamque rem nonnullas cavillationes, quibus omnis sacrorum vis Jejuniorum infringebatur, de medio sustulit; tamen cum ab intentissimoque hominis generis hoste tam multæ, & assiduæ sint Gregi Dominico insidiæ; verendumque propterea sit, ne subinde infirmiorum animis novas veterator ille rationes, pravasque suggerat consuetudines, quibus enervata jejunii severitas, indevocata dudum fuerat illuc iterum relabatur; necessarium existimavimus vobis has Litteras dare, quantoque in timore simus, ne qua vetus remanserit corruptela, vel nova labes cum Fidelium animarum pernicie Ecclesiastice in hac re discipline inferatur, Fraternitatibus Vestris significare. De quo quidem timore nostro tantum intelligimus minui oportere, quantum ex eo sollicitudinis ad pastoralem vestram vigilantiam accesserit; qua sive quidpsam de veteri corruptela post memoratas supradicti Prædecessoris Nostri Litteras fortasse reliquum fuerit, sive nova infringendis Jejunii legibus, vel opinionum commenta, vel a vera Jejunii vi, & natura abhorrentes consuetudines humani pravitate ingenii novissime sint invectæ, ea omnia, quantum juvante Domino fieri potest, radicitus convellenda curetis. In quibus profecto abusum illum censemus omnino numerandum, quem rumor quidam ad Nos pertulit; cum nonnulli, quibus objustas, & legitimas causas ab abstinentia carnium dispensatum fuerit, & licere sibi putant potiones lacte permixtas sumere, contra quam prædicto Prædecessori Nostro visum fuerit, qui censuit, tam dis-*

dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo Jejunantes, mica excepta comestione, in omnibus, æquiparandos iis esse, quibus cum nulla esset dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.

Verum neque commodius, nec majori proficiendi spe revocare homines aggredientur ad sacrosanctam Jejunii legem observandam, quam si illud populos doceatis; Christiani hominis Pœnitentiam prætcr cessationem a peccatis, & male anteactæ vitæ detestationem, eorumdemque peccatorum Sacramentalem Confessionem, illud etiam postulare, ut per Jejunia, eleemosynas, orationes, & alia spiritualis vitæ opera divinæ justitiæ satisfaciamus: omnem enim iniquitatem, parva, magnave sit, aut ab ipso pœnitente, aut a Deo vindicante puniri oportere: nisi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse, quam si ipsi nos puniamus. Quæ quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur, & a Fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit, ne qui profligatos mores abjecerint, ac per Sacramentalem Confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint atterenda carnis concupiscentia per Jejunium expiare. Præterea quibus persuasum fuerit se peccatorum minus dubie pœnitere, cum se impunitos esse non sinant, ii profecto pœnitentiæ amore capti, lætabuntur, Quadragesimali tempore, cæteris que certis diebus, cum S. Mater Ecclesia edicit Fidelibus Jejunandum, oblatam sibi occasionem qua dignos Pœnitentiæ fructus faciant. Cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim, post concupiscentias non eas, & a voluntate tua avertere; facile animum inducant, Sacratissimo totius anni potissimum tempore, corporis intemperantiam mitigare Jejunio; ut anima cognitione sui recepta intelligat, qua compunctione parare se debeat ad Sanctissima Passionis, mortis, & Resurrectionis Jesu Christi recolenda mysteria. Itaque pœnitentiæ stimulis tacti, minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur cupediarum delicias, quæ quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas, qui mensæ apponat suæ, illum non immerito dixeris, non tam usitatas abjecisse delicias, quam cupiditatem suam ad insuetas illecebras traduxisse: minus denique, aut, quibus se subducant a Jejunio, quærant effugia, aut argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, exemplo æque ac verbo populis præeuntes, tantum in eorum animos pœnitentiæ studium, & amorem injicere, ut alacriter Jejunium aggressi, & illud ad præscriptas a Catholica Ecclesia leges observent, & eleemosynis etiam atque oratione sanctificent: & id, quo maxime spectat Ecclesia, denique consepulti, ad novam in Paschali Solemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia revivisceuti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus Apostolicam Benedictionem benevolentiæ in vos, & caritatis nostræ pignus, amantissime impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 20. Decembris Anno 1759. Pontificatus nostri Anno secundo.

ARTICULUS II.

Jejunium quoad ea, quæ concernunt Personas obligatas, & causas excusantes, vel non.

1 AD Jejunium obligantur omnes Christiani, quibus est ætas competens; *Communis*, & *certa* ex Divo Leone *serm.11. de Quadragesima*, ubi sic expresse dicit: *Adest maximum, sacratissimumque jejunium, quod observantiam*
2 *sui universis Fidelibus sine exceptione debetur.* Hinc ad jejunium obligantur etiam Hæretici, cum sint Christiani, & Ecclesiæ subditi, & ideo cum hæresi abjurata, confessionem instituunt, debent omnes violationes jejuniorum aperire; Henno *tom.1. tr.1. de peccatis actualibus disp.4. quæst. 7. con-*
3 *cl.* 1. & alii passim. Non tenentur tamen ad jejunium Infideles omnes, qui nunquam actu Baptismi Ecclesiam ingressi sunt. Et ratio est, quia, cum non sint Ecclesiæ subditi,
4 ita nec Ecclesiæ præceptis ligari possunt; *Communis*. Præceptum jejunii incipit obligare quoslibet Fideles anno ætatis 21. completo, nisi aliqua justa causa excusentur; *Sic communis* cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 147. *art.4. num.2.* Et ratio est, quia Adolescentes ante completum 21. annum frequentiore, & abundantiore cibo indigent ratione augmentationis, seu ob crescentem ætatem, & caloris abundantiam, unde Ecclesia noluit eisdem imponere obligationem jejunandi ante complectum dictum 21. ætatis annum. Regulares vero, licet nondum expleverint annum 21. ætatis suæ, tenentur ad jejunia suæ Regulæ, quia per Professionem suæ Regulæ, vi Voti emissi censentur renunciasse privilegio ætatis; alia enim est obligatio Religionis, & Regulæ, & alia obligatio Ecclesiæ; hæc non incipit nisi post completum ætatis annum 21. & illa incipit statim post emissam Regularem Professionem; Pontas *verb. Jejunium cas.2. &* 3. cum Silvio, Silvestro, Tabiena, Azorio ibi citatis, Reiffenstuel *Theol. moral. tract.10. de præceptis Eccles. dist.2. q.3. num.44.* Layman *lib.4. tract.8. cap.3. num.2.* & de communi sententia testantur Thom. Sanch. *lib.4. moral.* Henno *loc. cit. quæst.7. concluf.2. cap.11. num.56.* Felix Potestas *tom.1. part.3. numer.2892.* Sporer *tom.1. append. 3. ad præcept. Decalog. sect.4. num.49.* Sa, Fagundez, uterque Sanchez, & alii plurimi. Medita tamen, Graff. Ascanius, Tamburin. & alii
6 apud La Croix *loc. cit. num.1275.* dicunt non teneri, quia præsumi potest Regulam non obligare eos sub mortali, quos non obligat Ecclesia; & utramque sententiam dicit probabilem, & tutam Thomas Tamb. *lib.4. cap.5. §.7. num.6. &*
7 8. Ad jejunia autem Ecclesiæ, de quibus propria Regula non loquitur, non tenentur Regulares, nisi post completum annum 21. sicuti ceteri sæculares, & sic Fratres Minores ante completum annum 21. non tenentur ad jejunia Vigiliarum & quatuor Temporum; Henno *loc. cit.* Felix Potestas *l. cit.* Sporer *loc. cit. num.49.* & alii passim.

8 Causæ excusantes a jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet Ætas, Impotentia, Labor, & Pietas. Ratione ætatis
9 excusantur a jejunio quoad plures refectiones omnes ante completum annum 21. dummodo ad illud non teneantur ex Voto, vel Professione, ut supra dictum est. Non excusantur autem quoad abstinentiam a carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum. Senes quoque ra-
10 tione ætatis a jejunio excusantur, ut concordant omnes Doctores, qui tamen discordant in assignando, quinam sint tales senes. Aliqui enim, teste Diana *part.11. tract.3. resol.9.*
11 excusant omnes Viros hoc ipso, quod annum 55. attigerint, sed merito rejiciuntur ab omnibus communiter. Alii volunt
12 quod absolute sint excusati, & liberati a præcepto jejunii senes sexagenarii, quamvis adhuc robustæ sint valetudinis; Sanchez *de Matrimon. tom.2. lib.7. disp.32. num.17. & in Consil. lib.5. cap.1. d. 4. num.7.* Mastrius *Theolog. moral. disp.12. num.20.* Felix Potestas *loc. cit. num. 2891.* Diana *part. 1. tract.9. resolut.20.* Navarr. *cap.21. num.16.* Tolet. *lib.6. c.4.* Marcant. *Tribunal. part.1. tract.3. quæst.4. §.1.* Burg. *cent. 3. cas.4.* Trull. Lamas, Angles, Portell. J. Sanch. Castropal. Tamburin. Stephan. apud La Croix *loc. cit. num.* 1317. Sporer. *loc. cit. num.50.* ubi dicit, esse hanc jam communem DD. sententiam, & eam mordicus defendit dicens ex Diana, Marchant. & aliis, hanc ætatem 60. annorum esse declaratam a S. Pio V. Figmentum esse huiusmodi quo venditatur S. Pii V. vivæ vocis oraculum sexagenarios excusans a Jejunii lege; evidentissime ostendit P. Daniel Conc., in quæstione a se propolita persoluta, quam præmisit editioni Dict. casuum Jo: Pontas factæ Venet. vivæ vocis oraculo an. 1570. ut refert Lamas infra citandus. Et in Bullis Cruciat. prohibens Regulares ab eorum privilegio quoad usum Ovorum, & lacticiniorum in Quadragesima, excepit sexagenarios, quos declaravit ad jejunium non teneri, ut sub asseverationc infallibili tamquam testis oculatus refert Hieronymus Lamas *part.3. methodi c.5. §.20.* addens: *Gratias Deo, quod Regula deinceps tenebitur certa a Summo Ecclesiæ Pastore decreta.* Et ratio est, quia generatim expedit legis obligationem ita definitam esse, ut sciatur quinam ea comprehendantur, vel non, ne ex una parte facile humana negligentia, ex altera vero nimia solicitudo, & anxietas oriatur, ergo sicut Juvenibus certa ætas definita est, ante quam jejunii lege non obligantur, ita etiam sane senibus definienda erat, ultra quam non obligentur; idque certe potiori ratione, cum majus sit periculum deficientiæ in senectute, quam in juventute; Ætas autem illa rectissime definitur 60. annorum; nam ejusmodi robur senum est illusivum, & ambiguum, & crebra sustentatione indiget, nec est expectandum ulterius, ne omnino deficiat: Nec obstat, quod aliqui ultra eam ætatem robusti, & ad jejunia habiles reperiantur, quia Ecclesia pia mater intenditobligare secundum communem cursum roboris, & deficientiæ humanæ; *Hactenus ille.*

13 Alii e contra rectius volunt, sexagenarios teneri jejunare, si per præsentes vires commode possint; Sanctus Antonin. *part.2. tit.6. cap.2. §.6.* Pontas *verb. Jejunium cas.17.* Barthol. Medin. *in instruct. lib.1. cap.14. §.10.* Joan. Medina *quæst.9. de Jejunio.* Less. *lib.4. cap.2. dub. 6.* Valent. *disp. 9. part. 5.* Azor. *tom.1. lib.7. cap.17. q.4.* Layman *lib.4. tract. 8. ca.3. num.2.* Tolet. Lezana, Tanner, Fagundez, Filiucc, Bonacina, Cajetan., Silvest, & alii. Et ratio est, quia pro Senectute non est ita definitum tempus ætatis, sicuti pro adolescentia, sed alii citius, alii tardius senescunt; & declaratio facta a S. Pio V. pro ætate sexagenaria, cum fuerit vivæ vocis oraculo, videtur non vigere, cum omnia vivæ vocis oraculo, videtur non vigere, cum omnia vivæ vocis oracula fuerint per Gregorium XV. & Urbanum VIII. expressissime revocata. Unde Henno *loc. cit. qu.7. concl. 3.* miratur, quosdam Auctores etiam Modernos tali privilegio adhærere. Tum quia lex jejunii obligat omnes jejunandi capaces; sed plurimi sexagenarii jejunare possunt sine gravi incommodo, imo æque commode, ac varii quinquagenarii, ac quadragenarii, cum de se fateatur Navarrus licet vir studiis continuo deditus, quod octogenarius adhuc jejunaret, perinde ac cum esset sexagenarius, aut quinquagenarius: adeoque &c. Tum etiam quia, sicuti, si constet aliquem vere senuisse, ac viribus defecisse circa annum ætatis 50. a jejunii præcepto liber censeri debet, ita, & viceversa, si certum sit, aliquem sexagenarium, aut septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere, talis obligatus esse videtur, cum revera senex sine viribus propter ætatem deficiens non sit. Et
14 hanc sententiam esse æque probabilem, & magis piam, & tutam fatetur ipsemet Sporer *loc. cit. num.50. in fine*, quamvis priorem absolute defendat, & ipsi adhærens dicat se-
15 secure manere. In dubio, an sexagenarii sint robusti, & habiles ad jejunandum, non tenentur jejunare, quia stante tali dubio exponerent se periculo gravis incommodi; *Sic communis* DD. teste Reiffenstuel *loc. cit. n.63.* (a).

15 Senes post annum 60. non tantum excusari a jejunio Ecclesiastico, sed etiam a jejuniis debitis ex Voto, & Professione, ut si quis vovisset toto tempore vitæ suæ jejunare feria sexta, & post sexagesimum annum adhuc satis valens esset ad jejunium, docent Sanchez *lib.4. moral. cap.11. numer.54.* Tamburin. *lib.4. cap.5. §.7. num.9.* Fagundez, Diana, & alii, eo quod, dicunt ipsi, Votum, seu Professio Regularis obligat instar legis Ecclesiasticæ; hæc autem juxta ipsos non afficit Sexagenarios quoad jejunium: ergo nec iam votum. At dato sed non concesso (nisi adsit legitima excusans causa) quod Sexagenarii exempti sint a jejunio Ecclesiastico, rectius dicendum est cum Layman *lib. IV. tract. VIII. cap.3. num.2.* & aliis, eos teneri, ac obligatos esse ad jejunia ex voto, vel professione debita; quia licet verum sit votum obligare instar Legis Ecclesiasticæ quoad modum, & formam jejunii, non tamen quoad personas, & durationem, nam personæ, quæ pro tali tempore non obligantur jejunio, possunt se sine dubio ad jejunium obligare Voto voluntario, & sponte renunciare privilegio ætatis, ut patet in juvenibus ante annum 21. adeoque etiam Senes post annum 60. manebunt obligati suo Voto jejunandi perpetuo feria
16 sexta, posito quod satis sint robusti ad jejunandum, quamvis eo tempore lege Ecclesiastica ad jejunium non amplius obligarentur. Sic etiam, si alicui per legitimam dispensationem commutaretur Votum castitatis perpetuæ in jejunium omnibus feriis sextis, remaneret obligatus ad jejunium etiam post annos 60. nam etiam post talem 60. annum obligaretur ad castitatem; subrogatum autem sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur; *cap. Ecclesia 3. Ut lite pendente, cum similibus*, La Croix *loc.cit. num.*1320. ubi dicit, quod ratio a priori est, quia videtur sic facta commutatio, *quamdiu vis frui matrimonio, tandiu utere jejunio.* Tamburin. tamen *loc. cit.* tenet, talem post annum 60. esse excusatum. At valde mirum, quod difficile habeatur ætas immunis a peccatis, & quod de facili inveniatur ætas impotens ad onera præceptorum sustinenda: quisque igitur sibi caveat, ne se ipsum in fraudem æternitatis suæ decipiat, dum facile est decipi, ubi credere dulce est.

17 Fœminæ, quia citius senescunt, & de se sunt debilioris complexionis, censentur ab aliquibus absolute excusari a jejunio in ætate quinquaginta annorum; sic Pelliz. Lother. March. Narbona, neque damnare audet Diana *part.9. tractat.7. resolut.73.* At Sanchez *lib. 7. de Matrimon. disp. 32. num.17. & sequent.* Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 10. *dist.2. q.5. num.64.* dicunt, sententiam illam esse probabilem speculative loquendo, sed in praxi non esse tutam, & Layman *loc. cit. cap.3. num.2.* Tamburin. *loc. cit. num.5.* Fagundez, Joann. Sanch. & alii dicunt esse omnino improbabilem, & Layman concludit, se nescire aliquem Doctorem Classicum, qui eam defenderit: Absit igitur, ut quis illam amplectatur.

18 Ratione impotentiæ excusantur omnes *illi*, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt; *Communis*. Hinc excusantur infirmi, & convalescentes, *quamvis infirmitatem propria culpa contraxerint.* Mulieres prægnantes, aut lactantes, quoties sine gravi incommodo sui vel parvuli jejunare nequeunt; Pauperes, & Mendici ostiatim mendicantes, & quicumque non habent, quo semel sufficienter reficiantur. Quinimmo, si alium cibum invenire non possunt, isti etiam carnes sibi datas licite comedunt, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; *cap. Quoniam 1. quæst.7. cap. Omnis 1. de feriis, cap. Consuluisti 3. de celebrat. Missar.* & necessitas non habet legem; *cap. Sicut 11. de consecrat. dist.1.* Excusantur etiam qui infirma admodum sunt complexione, debili stomacho laborant, ut jejunium in toto, vel in parte tolerare nequeant, aut quidpiam comedunt ad evitandam capitis vertiginem, vel membrorum tremorem, aut hujusmodi; tale enim quid fumitur ab istis potius per modum medicinæ, quam cibi. Non excusantur tamen qui ob jejunium molesta inomnia patiun-
19 tur, qui enim dormire non possunt, nisi vesperi plene refecti, debent in prandio sumere collationem, & vesperi prandium; unde merito proscripta est hæc propositio ab Academia Lovaniensi: *Qui dormire nequit, nisi vesperi sumpta cœna, non tenetur jejunare, imo neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare possit, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.* Sic Henno *loc. cit. qu.8. art.1. concluf. unica*, & cum multis La Croix *loc. cit. n.*1325.

20 Ratione laboris excusantur omnes illi, qui ad suam, suorumque vitam sustentandam ita laborant, ut sine gravi incommodo jejunare nequeant, fiatque illis jejunium moraliter incompossibile cum tali labore; *Communis*. Hinc excusantur Agricolæ, Fossores, Cæmentarii, Navigeri, Fabri ferrarii, Lignarii, Argentarii, Æneatii, Stannearii, Lapicidæ, Pistores, Sutores, Coriarii, opere textorio fabricantes pannos, telas, & hujusmodi, ubi occupantur in operibus gravioribus, & fere per totam diem. Non excusantur ta-
21 men Pictores, Sartores, Acupingentes, Notarii, Scribæ, Mer-

(a) Auctor ex Probabilistis docet, sexagenarios a Jejunio excusari; sed viri Sancti, graveque Theologi veluti laxam hanc opinionem reiiciunt. S. Vincentius Ferrerius *Ser.1. fer. IV. Giner.*, *A jejunio*, inquit, *excusantur senes in certa ætate, scilicet quando habent talem senectutem, quæ aufert ab eis appetitum comedendi, vel quia perdiderunt dentes, & comedunt sæpe, vel sæpius, sicut faciunt pueri. Sed senes octoginta annorum, vel amplius, qui semel bene possunt comedere, tales non excusantur in aliquo prædictorum, quin ipsi peccent mort aliter: & ideo cum diligentia omnes jejunemus.* S. Antoninus 11. *par. tit. 6. cap.11. §. 6.* inquit, *Senes si sint multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad sufferendum jejunium. Nec est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos teneatur ad jejunium.* Navarrus *in Man. cap.22. num.19.* inquit, *Impotentia eximit ab hac lege pueros usque ad vigesimum primum annum*; de senibus vero nil determinari posse contendit, cum alii citius aliis impotentes fiant, & cum vel ipsi octogenarii eadem facilitate, ac Juniores Jejunare possint, ut de se ipso octogenario testatur Navarrus, & post Navarrum Pontas, & alii: Hinc Sanctus Basilius *ser. 2. de Jejunio*, dixit: *Senibus assuetudo ac familiaritas ab antiquo ad jejunium ipsum, levem facit laborem.* Vide Concin. *lib. 2. de Eccl. Præcept. diss. 2. de Jejunio quæst.v.*, ubi ostendit, falsam esse declarationem viva voce datam a S. Pio V. Idem de Fœminis dicendum est.

Mercatores, Typographi componentes (aliud est si prælo immediate, & assidue insudent), Medici, Chirurgi, Barbitonsores, & hujusmodi, horum enim, & similium labor
22 non exhaurit vires. Non excusantur totaliter a lege jejunii Judices, Advocati, Consiliarii, Procuratores, Computistæ, Professores, Scholares, & hujusmodi, qui, si sint applicationibus, & studiis assidui, possunt utique uti largiore
23 collatione, sed non duplici plena refectione. Si tamen nequeant officium suum exequi cum jejunio, & sine valde gravi suo incommodo, ut ordinarie accidit in Concionatoribus integræ quadragesimæ, in Professoribus, & Ludimagistris per magnam partem diei docentibus, & Computistis itidem per tantum temporis applicatis, tunc, licet hujusmodi propter mercedem fierent, excusantur a jejunio; Cajetan., Lessius, Navarr. Filiucc. Layman, Diana, & alii pas-
24 sim cum Sporer *loc. cit. sect. 4. num. 59. & 63.* Non excusantur a jejunio Reipublicæ Officiales, nisi laborem exemptioni proportionatum exerceant; Unde Alexander VIII. *die* 18. *Martii* 1666. merito damnavit propositionem trigesimam in ordine: *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

25 Ab obligatione jejunii excusat etiam labor honestus, qui non est vitæ sustentandæ necessarius, nisi fiat in fraudem legis, & nisi sit levis, & parvus labor, seu artis parum laboriosæ; *Communis*, & patet experientia in divitibus, qui laborando sufficienter in die jejunii eximuntur ab ipso, & habetur ex declaratione Eugenii IV. (a) anno 1440. his verbis a Busseo *verb. Jejunium 2. num. 7.* relatis: *Opifices suas artes exercentes, aut Colani colendis, serendisque agris, aut aliis ejusmodi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunium sub peccato mortali non tenentur, & a Conf. sariis absolvi possunt, confulendo illis, ut in elemosy-*
26 *nis, aliisque piis operibus occupentur.* Labor illicitus non excusat defatigatos a jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi. Unde merito Facultas Lovaniensis proscripsit sequentem propositionem, *Defessus ex quocumque labore licito, vel illicito, v.g. cum fœminis commixtione, liberatur a lege jejunii.* Et ratio est, quia non potest rationabiliter præsumi, quod Ecclesia velit tales reos ab obligatione jejunii eximere; cum illa, licet benigna, nunquam faveat peccatoribus, maxime si suo favore abutantur, & ad peccandum animentur. Unde si debeant defatigationem illa cum aliquo incommodo tolerare, suæ malitiæ, & iniquitati debent imputare. Dicitur autem notanter; *Nisi sit periculum morbi contrahendi*, quia cum teneamur ex lege naturali vitam nostram conservare, ex eadem lege tenemur morbum, etiamsi ex crimine proveniat, impedire: Lex enim Ecclesiastica cedit legi naturali. Aliud est de corporis fatigatione, quæ non censetur infirmitas, sed quoddam incommodum, quod possumus licite, imo & meritorie tolerare sine remedio, ut patet in Cæmentariis, & aliis, qui licet valde fatigati, sæpe tamen jejunant die veneris in quadragesima, & quidem cum magno merito; Hactenus Henno *loc. cit. articul. 2. concl. 3.*

27 Omne iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, & non susceptum in fraudem Legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatiget itinerantem) excusat a jejunio; *Communis*, & *certa*; Quia cum iter sit quidam labor corporalis, æque est discurrendum de ipso, ac de labore; omnis autem labor graviter fatigans, laborantem excusat a jejunio; adeoque &c. Quantum autem debeat esse 28 iter pedibus, quantum equo, quantum curru, ut censeatur caulare gravem defatigationem, ut sic itinerans excusetur a jejunio, non est assignabilis una, & certa regula pro omnibus, cum pro diversitate circumstantiarum, personarum, viarum, temporum, & hujusmodi aliqui duabus horis peditantes magis fatigentur, deficiant, & restauratione alimenti egeant, quam alii quatuor, aut sex horis itidem peditantes: & aliqui equo, vel curru itinerantes tantum fatigentur, quantum alii pede itinerantes, & e contra. Unde cum Layman. *loc. cit. cap. 3. num. 4.* Marchant. *loc. cit. quæst. 4. §. 4.* Sporer *loc. cit. num. 58.* La Croix *loc. cit. num. 1344.* & communiori aliorum dicendum est, tunc solum excusari itinerantes a jejunio, quando cum labore itineris quomodocumque fiat sive pedibus, sive equo, sive curru, non potest (consideratis personis, viis, temporibus, aliisque circumstantiis) consistere jejunium sine magna difficultate, & incommodo. Semper tamen, & ab omnibus præ oculis habenda est propositio 31. inter merito damnatas ab Alexand. VII. die, & anno quo supra: „ Excusantur absolute a præcepto „ Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque „ iter agant; etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi „ iter unius diei conficiant.

Notanter autem fuit dictum: *Non suscepturn in fraudem* 29 *legis*, quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debent; *cap. Sedes 15. & cap. ex tenore 16. de rescriptis*; *cap. Tuæ 12. de Clericis non residen. cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumacia*: *l. In fundo ff. de rei vindic. l. Cum hi ff. de transact. l. Si Legatarius Cod. de Legatis*, cum similibus. Unde si quis de loco, ubi viget præceptum Jejunandi, in fraudem Jejunii se transferat ad locum, ubi non Jejunatur, ut si die Cinerum de Diœcesi Papiensi, ubi ad morem Ecclesiæ Romanæ incipit Jejunium quadragesimale, se transferat quis malitiose in fraudem Jejunii ad Diœcesim Mediolanensem, ubi more Ambrosiano incipit quadragesima solum prima Dominica; Et die 23. Julii, quo Panormi fit Jejunium, se transferat quis in fraudem Jejunii ad Montem Regalem, ubi illa die non Jejunatur, & sequenti die, quo ibi Jejunatur, redeat Panormum peccat graviter, *arg. citatis Juribus*, & Concil. Mediolanens. 1. Præside S. Carolo Borromæo *part. 11. tit. de jejunio*, ibi: „ Illorum vero damnamus ingluviem, qui pri- „ mis quatuor quadragesimæ diebus Romanæ Ecclesiæ mo- „ re institutis, Mediolanum se conferunt, patriæ ritum in- „ Jejunio, & ciborum abstinentia fugientes; " & colligitur a pari ex Constitutione Clementis X. incipien. *Superna*, ubi *in* §. 6. decernitur posse Confessarium Regularem absolvere pœnitentes confluentes ex alia Diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, *nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse*; ubi ut vides ratione fraudis nequeunt absolvi a reservatis confluentes ad aliam Diœcesim in fraudem reservationis; sic a pari in casu nostro se transferens in fraudem Jejunii ad alium locum, ubi non Jejunatur, ratione fraudis peccat graviter non Jejunando.

Et ratio intrinseca est, quia licet quantum est ex se quis 30 possit uti Jure suo, & sic de loco, ubi Jejunatur, transire ad locum, ubi non Jejunatur; nemo tamen potest uti tali Jure

(a) Certum est ex propositione damnata relata ab Auctore *num.* 24. quemcumque laborem corporalem non excusare a Jejunio. Itaque plures sunt, qui in Republica laborant, & nihilominus lege Jejunii adstringuntur. Neque subsistit Eugenii IV. declaratio, quæ ab aliis vivæ vocis oraculum appellatur. Nam S. Antoninus, qui hoc tempore scripsit, illius oraculi non meminit; Imo docuit oppositum. Nam *part. 2. tit. 9. cap. 2. num. 11. §. 6.*, inquit: *Multum laborantes, quibus immineat necessitas multum laborandi, si non possint jejunium observare, excusantur. Alias, si possint utrumque facere commode, tenentur jejunare.* Hic vero loquitur de exercentibus artes laboriosas, ut sunt Agricolæ, Fabri lignarii, Lapidicinæ, Cæmentarii, Figuli, Textores, Fullones, Lanarii, Baiuli, Aurigæ, aliique, & inter hos robustos, & sine notabili incommodo Jejunare volentes, teneri ad Jejunium affirmat. Item divites artem laboriosam exercentes, non ex indigentia, sed maioris lucri gratia, non excusantur a Jejunio, ut post S. Thom. 2. 2. *quæst. 147. art. 4. ad 3.*, docuit idem S. Antoninus per hæc verba; *Si possint differre .... aut subtrahere, vel diminuere laborem, ita ut possint jejunare, & ex hoc non incurrerent detrimentum sui status, tenentur ad jejunium.* Demum S. Vincentius Ferrerius *ser. 1. de jejunio ser. 4. Cin.*, ait: *Sutores autem, & Sartores, Notarii, & similes, qui sedendo faciunt opera sua, non excusantur a jejunio.* Fateor tamen, hos & alios Artifices ex necessitate laborantes, si debiles sint, ac sine gravi incommodo Jejunare non possint, excusari; non ob laborem præcise, sed ob peculiarem sui corporis habitudinem, quæ exigit refectionem, ut possit laborem artis sustinere. Si ergo talis sit habitudinis homo, ut opera artis cum Jejunio sine gravi incommodo componere valeat, Jejunare debet. Id vero prudenti Superioris, & confessarii iudicio discerni, ac definiri debet.

re in fraudem legis, quia Jus nostrum est subordinatum legi ex Apost. 13. *ad Romanos*, ibi: „ Omnis anima potestatibus „ sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo &c. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt, & de Jure tum Canonico, tum civili, Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent, *cit. juribus*; Sic tenent Natalis Alexander *Theol. dogmatico moral. tom. 2. lib. 4. de Decal. cap. 5. art. 7. regul.* 8. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract. 2. de legibus dist. 3. quæst. 4. num.* 41. Felix Potestas *tom. 1. part. 3. num. 2905.* Rodr. *in Summa tom. 2. cap. 219. n. 2.* Silvius cum Pontas *tom. 2. verb. Impedimentum Clandestinitatis cas. 22.* Sa, Fernandez, & alii plures contra Dianam *part. 1. tr. 9. resol. 16. & tr. 10. resol. 14.* Bonacinam *disp. 1. de legibus q. 1. punct. 6. num. 64.* & alios plures, quos ibi refert ipse Bonacina, & Tamburin. *tom. 1. lib. 4. cap. 5. §. 2. num. 12.* volentes, talem non peccare, quia videtur uti jure suo.

Qui autem de loco, ubi Jejunatur, non in fraudem Jeju- 31 nii, sed bona fide, V. G. negotiorum, aut peregrinationum causa, transit ad loca, seu per loca, ubi non Jejunatur, non tenetur Jejunare, quia lex illa Jejunii est affixa loco; Suarez *tertia part. 4. q. 24. art. 8.* Aloza *verb. Lex*, Navarr. *in Manual. cap. 28. num. 120.* Felix Potestas *tom. 1. part. 1. nu. 163. & part. 3. num. 2907.* Fagnan. *lib. 3. Decret. in cap. Consilium 2. de observat. jejunior. num. 33. & 36.* & alii passim. Sic 32 qui non in fraudem Jejunii, sed negotiorum causa, aut alio rationabili motivo de loco proprii domicilii, ubi ob discrepantiam novi, & veteris Kalendarii nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam est quadragesima iam incepta, & observatum Jejunium, non tenetur illo anno Jejunare illic per adhuc alios octo dies Paschæ ad complendam integram quadragesimam, sed potest licite se accomodare moribus eorum, apud quos est; *arg. cap. Illæ 11. dist. 12.* ubi Glossa in verb. *Societatem* refert illud vulgatum (a).

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

Sic cum multis aliis Delbene *de Immunit. Eccles. c. 12. d. 2. sect. 4.* Lessius *lib. 4. de justit. & jur. cap. 2. n. 59.* Bonacina *disp. 1. de legibus quæst. 1. punct. 6. num. 64.* Reiffenstuel *Theolog. moral. tract. 2. de legibus dist. 3. quæst. 4. n. 40.* Fagnan. *loc. cit.* & alii passim. E contra vero si talis in loco 33 sui domicilii compleisset Quadragesimam, non teneretur postea alibi observare illos octo dies, quia præceptum illud jam implevit, & Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam; Delbene *loc. cit. & sect. 5.* Sanchez *in decalog. lib. 1. cap. 12. num. 22.* Lessius *loc. cit. num. 52.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 42.* & alii passim; dummodo tamen caveat, ne alii scandalizentur, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. cap. 7. Si scandalizavero Fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Quid autem dicendum sit de Peregrinis, & Advenis circa Jejunium, Vide verb. *Lex an. 2. ad 39.*

Ratione pietatis excusantur a Jejunio omnes illi, qui ope- 34 ribus præstantioribus, ac majori momenti incumbunt, quæ una cum Jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt; *Communis*. Et ratio est, quia Jejunium præcipitur ut promotivum ad bonum, & non ut impeditivum majoris boni, unde si alia pietatis exercitia præstantiora Jejunio pro tempore, & loco, aliquibus personis occurrant, & ipsa obire nequeant cum Jejunio sine suo gravi incommodo, tunc a Jejunio excusantur. Hinc excusantur Concionatores Quadragesimales, si quotidie, aut fere quotidie concionem habeant cum magno labore, & studio; Minime vero Concionatores illi, qui ob Conciones alibi repetitas, vel ob memoriæ facilitatem non indigent longo studio, & labore, cum in ipsis cesset causa exemptionis, nempe labor notabilis. Sic excusantur a Jejunio Lectores, & Ludimagistri, quorum labor est notabilis, aut complexio debilior. Item Confessarii complexione debiliores, & suo muneri assiduiores. Item excusantur Cantores illi, qui ex officio canendi vivunt, & Jejunando redderentur inhabiles. Sic de primo ad ultimum excusantur omnes exercentes opera misericordiæ, tum corporalis, tum spiritualis, quando ea exercere nequeant absque notabili, & gravi suo incommodo. Secus autem, si opera illa possint de facili exercere sine tali gravi incommodo. In dubio autem, an incommodum sit grave, vel leve, ad tollendos omnes scrupulos tutius est recurrere ad legitimum Superiorem pro dispensatione. Qui legitimus Superior in universa Ecclesia est Papa, in sua Diœcesi Episcopus, & in ejus absentia in sua Parochia Parochus, & in Religionibus Superior, nedum Generalis in tota Religione, Provincialis in sua Provincia; sed etiam Localis in suo Monasterio, seu Conventu.

* Filios, seu famulos non servare Jejunium Quadragesimæ quoad abstinentiam a carnibus eo quod paterfamilias dispensatur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensæ, id non sine maxima abusione admitteretur. Benedictus XIV *Instit. Eccles. 15. §. 25.*

Additio ex Auctore.

Jejuniorum observantia Episcoporum vigilantiæ potis- 35
mum a Concilio Tridentino commendata fuit; Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 130. incip. *Libentissime* §. 1. Jejunii diebus unica cometio servari debet ab iis etiam, quibus ob pe- 36
culiares causas permittitur esus carnium, ovorum, & lacticiniorum; Idem Constitut. 19. incip. *Non ambigimus* §. 4. & Constitut. 99. incip. *Si Fraternitas* §. 1. Amplia, sive dis- 37
pensatio fuerit personalis, sive generalis pro integra Civitate, aut Loco, sive Universitate; Idem Constitutio 27 incip. *In Suprema*.

Jejunii diebus epulæ licitæ cum vetitis non sunt apponendæ, 38
non obstante dispensatione super qualitate ciborum; Idem cit. Constit. *Non ambigimus* §. 4. & cit. Constitut. *Si Frater-* 39
nitas §. 1. In vespertina refectiuncula carnes non sunt apponendæ; Idem cit. Constitut. *Si Fraternitas* §. 1. Horæ etiam 40
jejunantibus præscriptæ servari debent; Idem *ibid.*

Quæstiones de jejunio cum esu carnium jungendo, Pontificis 41
lege dirimuntur in cit. Constitut. *Libentissime* §. 3. Aliæ quæ- 42
stiones deinde exortæ solvuntur per organum Pœnitentiariæ Apostolicæ; Idem *ibid.* §. 3. Aliæ vero per Litteras in forma 43
Brevis solutæ fuerunt; Idem *ibid.* §. 6. Constitutiones de jejunio editæ, quomodo intelligendæ, interrogatus Pontifex, ipse in Constitut. 55. incip. *Cognovimus*, sic præcise respondit; *Respondemus igitur postulato tuo, Nos in iisdem Litteris definiendum non suscepisse, an qui Ecclesiastica auctoritate ab jejunio excusarentur, non solum vetitis cibis uti, sed jussæ pariter vespertinæ abstinentiæ fines egredi queant. Præcipimus autem Episcopis, eorumque delegatis, ut nemini vescendi carnibus, aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi imperata simul unicæ comestionis norma. Ita universale istud præceptum pro tua spectatissima vigilantia Gregi tuo indicendum jubeto. Sic expresse* respondit Archiepiscopo Valentiæ die 12. Maji 1742. in cit. Constitut. *Cognovimus*. Ubi, ut vides, quæstionem in abstracto definire non intendit, sed præscribere Legem concedendæ dispensationis.

Jejunii leges æque observandæ sunt tempore Quadragesi- 44
mæ, ac ceteris jejunii diebus per annum; Idem cit. Con- 45
stitut. *Si Fraternitas* §. 1. Jejunii leges servandæ sunt, non obstante dispensatione quoad qualitatem ciborum, in vim Bullæ Cruciatæ; Idem Constitut. 88. incip. *Quoniam* §. 6. Jejunii 46
dispensatio per alia opera pia compensari debet; Idem citat. Constitut. *Non ambigimus*; Vide supra, ubi allata est dicta Constitutio una cum aliis.

Jejunii Ecclesiastici leges, necnon naturalis ante sumptio- 47
nem Eucharistiæ, sunt a Græcis servandæ; Idem Constitut. 57

(a) Vide Probabilistarum dialecticam. Dum homo ad locum veniat, in quo sit quadragesimæ cursus absolutus, non tenetur quadragesimale Jejunium continuare per dies, qui iuxta proprium Kalendarium supersunt; sed potest se moribus eorum, apud quos degat, accommodare; contra vero, si in loco, ex quo discessit, Jejunium absolvit quadragesimale, non tenetur se conformare incolis loci in quem venerit, si secundum illorum Kalendarium adhuc per dies aliquot Jejunandum sit. Quis non stupeat? Loci consuetudini accomodare se potest homo, dum libere vivendum sit, non debet vero se conformare moribus aliorum, dum de Jejunio agitur. Vide vero hac de re verbum Kalendarium; ubi ostenditur quando teneatur quis ad absolvendum quadragesimale Jejunium in iis etiam locis, ubi sit iam Pascha celebratum iuxta diversum Kalendarium; quia viget præceptum de servando proprio ritu, & de celebrandis festis, servandisque Jejuniis iuxta proprii Kalendarii præscriptum, ut facere debent Latini, qui inter Orientales versantur.

48 incip. *Etsi Pastoralis §. 6. Jejunia, & vigilias Ecclesiæ Latinæ* observare non tenentur Italo-Græci servantes Jejunia Orientalis Ecclesiæ Idem *ibid. §. 9.* Iejunia Ecclesiæ Græcæ ob-
49 servari debent a Monachis Ruthenis Ordinis S. Basilii; Idem
50 Constit. 98. incip. *Inser plures*. Jejunium in Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato Sancto, non præcipitur Græcis, sed
51 tantum abstinentia a carnibus; Idem cit. Constitut. *Etsi Pastoralis*. §. 9. Jejunium Sabbati in Jubilæis, vel alias indictum,
52 in alium diem transferri, conceditur pro Græcis; Idem *ibid.* Jejunium frangi a Sacerdote utente Sacris indumentis, quibus alius eodem die usus fuerit, inepta est quorumdam de vulgo apud Græco-Melchitas opinio; Idem Constitut. 87. incip. *De-*
mandatam §. 8.
53 Jejunii præceptum ante sumptionem Eucharistiæ non est juris Divini, sed Ecclesiastici; Idem tom. 2. Constit. 3. incip.
Declarasti Nobis.
54 Ad confirmanda quæ diximus supra artic. 1. num. 26. affertur sequens Encyclica fel. recor. Summi Pontificis Bene-
dicti XIV.

„ Lettera Circolare della Santità di N. Signore Benedetto
„ PP. XIV. agli Arcivescovi, e Vescovi dello Stato tem-
„ porale Pontificio sopra la Vigilia di S. Mattia, che in
„ quest'anno 1751. cade nell'ultimo Giorno del Carnevale.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sotto il giorno primo di Gennajo del 1748. spedimmo una Lettera Circolare a tutti gli Arcivescovi, e Vescovi del nostro stato temporale Pontificio, per porre il dovuto riparo a trè gravissimi inconvenienti, che pur troppo succedevano nel tempo del Carnevale, primo era quello, che nell'ultima notte di Carnevale tanto s' inoltravano le veglie, i balli, e i giuochi, che s'intaccava il principio del giorno di Quaresima; in tal maniera, che succedeva alle volte il vedere, che dal ballo, dal giuoco, e dalla veglia, partendo le persone, andavano a dirittura, benchè senza maschera al volto, con gli abiti però, co'quali si erano mascherati, alla Chiesa per sentire la Messa, e prendere le Ceneri, portandosi dipoi a Casa e dormendo nel proprio Letto per lo meno tutta la mattina del primo di di Quaresima. Il secondo inconveniente era, che in alcuni luoghi dello Stato temporale Pontificio permettevasi l'uso della maschera anche ne'giorni di Venerdì, e negli altri festivi di precetto. Il terzo incovenientè era, che anche nella mattina delle Feste in alcuni luoghi dello stesso Stato, ed anche ne'dopo pranzi nel tempo de'Vespri, e della Dottrina Cristiana, permettevasi a'Saltimbanchi il fare il loro mestiere nelle Piazze, e pubbliche Contrade. Demmo i dovuti ripari a'predetti scandali nell'accennata Lettera, che è la 45. nel tomo 2. del nostro Bollario: e quanto in essa fu ordinato, viene anche oggi da Noi pienamente confermato, inculcando l'osservanza ai Cardinali Legati, ai Governatori dello Stato, ed a ciaschedun Vescovo nella sua Diocesi.

Questo però non è il sol motivo, per cui abbiamo creduto dover da Noi spedirsi la presente nostra Lettera Circolare. Se ne aggiunge un altro, che risguarda l'anno corrente, cioè il Carnevale di quest'anno 1751. nel di cui ultimo giorno cade la Vigilia col digiuno di S. Mattia Apostolo; ed acciò ciascheduno de' Vescovi, del nostro Stato resti pienamente informato, soggiungeremo quanto in appresso, informando di quanto è seguito in questo proposito.

Prima che incominciasse l'anno corrente 1751. da varie parti anche remote dall'Italia, ci sono arrivate Lettere di varj Vescovi, e Prelati, che considerando cadere in quest'anno la Vigilia di S. Mattia col digiuno nell'ultimo di del Carnevale, dopo averci esposto, che sarebbero stati inevitabili, ed anche pubblici, e forse ancora comuni gli scandali della violazione del digiuno, sapendosi pur troppo, non avere la baldanza Carnevalesca verun ritegno, particolarmente nell'ultimo giorno, e nella notte dell'ultimo giorno del Carnevale; proponevano il seguente temperamento, di trasportare in quest'anno la Vigilia di S. Mattia, anticipandola nel Sabbato precedente ultimo giorno della settimana di Sessagesima; appoggiando questo loro temperamento all' opinione di alcuni Autori, che insegnano, potere il Vescovo colla sua ordinaria autorità nella sua Diocesi, concorrendovi una grave, e legittima causa, trasportare da un giorno all' altro i digiuni, ed anche le Feste di precetto, ed individualmente potere colla stessa sua autorità ordinaria, pel timore di Scandali, e della pubblica violazione del precetto del digiuno, cadendo la Vigilia di S. Mattia nell' ultimo di del Carnevale, trasportarla al Sabbato precedente.

Non credemmo di dover trascurare la sopradetta istanza, o di darcene per non intesi, lasciando all' acqua libero il corso senza mettervi riparo; essendo Noi, per la notizia, che abbiamo delle intemperanze Carnevalesche, pienamente persuasi, che lasciando le cose come sono, non pensando a qualche temperamento, il digiuno ingiunto nella Vigilia di S. Mattia, sarà negletto, e forse anche pubblicamente; e che volendosi gastigare i delinquenti, non caderà il gastigo, che sopra alcuni pochi miserabili, restando immuni le persone potenti, o perchè vi sarà modo di fare, che le loro mancanze non arrivino alle orecchie de' Superiori, o perche anche giungendo i fatti alla loro notizia, non lascierà la prudenza della carne di suggerir loro, che non comple per simili cose prendere impegno, e guastare la buona corrispondenza, tanto necessaria pel buon governo, colle persone potenti del Secolo; e però rispondemmo come in appresso.

Primo: non esser timor panico, ma ben fondato, che cadendo in quest' anno il digiuno colla Vigilia di S. Mattia, nell' ultimo dì del Carnevale, sarà dispregiato e negletto.

Secondo, non essere cosa nuova, che, concorrendo una legitima causa, si trasportino la Vigilia, ed il digiuno a qualche altro giorno antecedente. Ciò si vede nella Vigilia della Festa di S. Giovanni Battista, qual Vigilia cadendo nel Giovedì del Corpus Domini, il digiuno si anticipa nel Mercoledì precedente, giusta la Costituzione *Cum eveniat*, la 232. del Pontefice Urbano VIII, senza che nel d. Mercoledì si faccia veruna menzione della Vigilia nell' Officio, o nella Messa, giusta il Decreto della Congregazione de' Riti, approvato dalla santa memoria di Clemente XI., ch' è il 9. del suo Bollario fra i Decreti della detta Congregazione. Ciò pure si vede nella Festa solenne di qualche Santo principale Protettore della Città, e Diocesi; imperocchè, se nel dì della Festa cade qualche digiuno, questo si trasporta al giorno precedente, come ben' osserva il Cardinal Gaetano *nella sua Somma in verb. Jejunium*, *Quo ad tertium §. De rationabili*, e vanno proseguendo, coll'allegare altri concordanti, il Sanchez *lib. 5. Consilior. cap. 1. dub. 5. num. 27.*; il Leandro *Oper Mor. p. 3. tract. 5. disp. 10. quæst. 39.*

Non parlammo del caso, in cui cadendo questa Festa solenne nel Lunedì, ed avendo questa Festa Vigilia e digiuno, si trasporta il digiuno al Sabbato precedente, secondo il Testo della Decretale nel *cap. Ex parte, de observantia jejuniorum* sapendo Noi, che per altri superiori motivi, e per confondere l' Eresia de' Manichei, che inimici della vera Risurrezione di Cristo, in disprezzo d' essa digiunavano la Domenica, fu dalla Chiesa Cattolica proibito a' suoi seguaci il digiuno nella Domenica, come ben' osserva il Silvio *in 2. 2. D. Thomæ quæst. 147. art. 5. quæst. 8.* ma considerando gli altri sopradetti casi, riflettemmo in terzo luogo, che se si anticipava il digiuno per far solennizare la Festa con una proporzionata allegrezza, esclusa la mestizia del digiuno; con molta maggior ragione potevasi anticipare il digiuno, per non esporlo al pericolo d' una scandolosa, pubblica, e quasi comune irriverenza; tanto più che entrando nelle viscere dell' affare, non dovrebbe apparire irragionevole il dire, che quasi corre la stessa ragione fra i predetti casi, ed il nostro, anticipando forse anch' in essi il digiuno, non meno per escludere la mestizia dalla solennità, che pel timore, che il detto digiuno non si offervi in un giorno di pubblica allegrezza.

Ai trè divisati punti succedendo il quarto, che consisteva nel vedere, se dovendosi anticipare il digiuno di S. Mattia, nel Sabbato di Sessagesima, ciò possa farsi da' Vescovi nella loro Diocesi colla loro autorità Ordinaria, senza verun bisogno della nostra Pontificia, riflettemmo, esser due le opinioni degli Autori. Una dà tutto all' autorità Ordinaria del Vescovo nella sua Diocesi, purchè vi concorra una grave, e legittima causa, valutando per grave, e legittima causa, l' evidente pericolo della violazione del digiuno, che succederebbe pur troppo nell' ultimo dì del Carnevale, se in esso si dovesse digiunare. Quest' è il sentimento del Gobat *nella sua*

sua Teologia Sacramentale tract. 5. cas. 3. sect. 2. in appendice n. 3. & seq. de la Croix nel *tom. 1. lib. 3. p. 2. num. 1273.* il che ripete nel *tom. 2. al lib. 6. num. 2083.*, ove soggiunge, che quantunque nel *1694.* fosse decretato dalla Congregazione de' Riti, non doversi anticipare il digiuno nell'ultimo Sabbato del Carnevale, quando cade la Vigilia di S. Mattia nell' ultimo giorno del detto Carnevale (come può vedersi nel Decreto 92. inserito nel Bollario d' Innocenzo XII.) qual Decreto viene anche *per extensum* riferito dai Salmaticensi *nel corso Morale tom. 5. tract. 23. cap. 2. punct. 1. num. 93.* ciò però debba aver luogo, quando il Vescovo *non* crede espediente al bene dell' anime l' anticipare il digiuno, ma non mai quando ha giusti motivi per farlo anticipare.

L' altra poi contraria all' anticipazione del digiuno, sostiene, non poter il Vescovo nella sua Diocesi ordinarla, ancorchè la Vigilia di S. Mattia cada nell' ultimo giorno del Carnevale. Così con molta energia scrivono Teofilo Raynaudo *Heteroclit. Spiritual. tom. 15. pag. 273. num. 34.* il Merati *ad Gavantum tom. 2. part. 1. Sect. 7. cap. 4. sub num. 23. §. si vigilia*, il Cavalerio *ad Decreta Congregation. Sacrorum Rituum part. 2. tom. 1. pag. 134., & seq.* il Diana *in Edit. Coord. tomo 3. tract. 3. quæst. 83. num. 3.* il Leandro *part. 3. tract. 5. disp. 10. quæst. 42.* il Monacello *in formul. Legal. part. 2. t. 16. formul. 4. num. 12.* il Ferraris *nella Biblioteca Canonica tom. 4. in verb. Jejunium num. 2.6*

Non può negarsi, che questa seconda opinione non sia la più comune, ed anche la più ragionevole, e meglio fondata: imperocchè, ciocchè fassi delle ragioni portate dai predetti Autori per confermare il loro assunto, alle quali non sarebbe molto difficile il rispondere adequatamente, se la Vigilia col digiuno per la Festa di S. Mattia fu con precetto ordinata da Innocenzo III. *nel Cap. Ex parte, de Observantia Jejuniorum*, ove sopì la controversia insorta, e mossa da taluni, che volevano non doversi far la Vigilia, nè digiunare in onore di S. Mattia, per la ragione, che quantunque fosse stato Apostolo, non era però stato chiamato a dirittura dalla voce di Cristo; se prima d' Innocenzo III. il Pontefice Alessandro III. interrogato da quelli, che anche in quel tempo osservavano la Vigilia col digiuno per la Festa di S. Mattia, come dovevano regolarsi nell' anno bisestile, rispose, dovere mai sempre la Vigilia celebrarsi nel giorno precedente alla Festa, eccettuato il caso, in cui cadesse nel giorno di Domenica; *Festum B. Mathiæ, juxta consuetudinem Ecclesiarum, Vigilia extenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo, inter se, & solemnitatem, aliam diem admittat; in qua utique nisi Vigilia venerit in Dominica die Jejunium celebretur*, come si legge *nel cap. Quæsivit §. Festum, de verborum significatione*, Decretale dello stesso Pontefice riferita ancora nell' Appendice al Concilio terzo Lateranense *cap. 22. pag. 1718. tom. 10. de' Concilj* della Collezione Labbellana, e altresì appresso il Martene *de antiquis Ecclesiæ ritibus tom. 3. lib. 4. cap. 31. num. 23.* Non vi vuol molto a comprendere, non potere l' autorità Ordinaria trasportare al Sabbato precedente la Vigilia di S. Mattia, ancorchè cada nell' ultimo giorno del Carnevale; non potendo l' autorità Ordinaria, o derogare, o dispensare nelle cose stabilite da' Romani Pontefici, e dal Diritto Canonico, come si è da Noi dimostrato *nel nostro Trattato de Synodo Diœcesana al lib. 7. cap. 30.*

Così abbiamo risposto ai Vescovi, e Prelati, che ci hanno richiesto, se potevano trasportare la Vigilia di S Mattia al Sabbato precedente: senza però lasciare d' insinuare a Loro, che arrivando la nostra Autorità Pontificia a quel segno, a cui non arriva la di loro autorità Ordinaria, ben volentieri davamo loro la licenza di potere in quest' anno anticipare la Vigilia di S. Mattia col digiuno, facendola celebrare nel Sabbato di Sessagesima, e così staccandola per questa volta dal giorno immediato precedente alla Festa di S. Mattia, essendo pur troppo persuasi, che dovendosi fare nell' ultimo giorno del Carnevale, sarebbe quasi inevitabile la trasgressione del precetto Ecclesiastico, ed essendo anche convinti dell' obbligo, che abbiamo di dare tutto l'ajuto e la mano a' nostri Fratelli acciò tengano lontane dalle loro Diocesi le offese di Dio. E' noto a ciascheduno, che fino da' tempi Apostolici nelle Chiese si facevano quegli onesti Conviti, chiamati Agape, così ben descritti da Tertulliano *nel suo Apologetico al cap. 39.* E' noto altresì, che segregavansi dalla comunione de' Fedeli quelli, che si astenevano dal frequentarli, pel qual motivo fu anche detestata la condotta degli Eretici Eustaziani nel Sinodo Gangrense *al Can. 11.* Ed è noto finalmente, che per li disordini che s' incominciarono a scorgere nelle Agape, furono le stesse proibite dal Concilio Laodiceno *al Can. 28.*, e dal Concilio terzo Cartaginese *al Can. 30.* Chiunque rifletterà colla dovuta attenzione alla sopradetta condotta dell' Ecclesiastica Disciplina, che pe' disordini seguiti non ha avuta difficoltà di levare per sempre un' antica Apostolica usanza, non dovrà punto maravigliarsi, se in vista d' irreparabili disordini, non per sempre, ma per una volta sola, si varia il giorno del digiuno, restando però l'obbligo di doverlo adempiere nel giorno surrogato. Ci faremmo potuti prevalere di molti e molti altri esempj di deroghe ancora più forti ai precetti Ecclesiastici, che s' incontrano negli Annali della Chiesa; ma abbiamo prescelto quello delle Agape, come più prossimo, ed adequato al caso nostro, giacchè in quello, ed in questo si tratta del vizio della gola.

Rispondendo ai sopradetti Vescovi, e Prelati, abbiamo di più incaricato l' esortare gli Ecclesiastici Secolari, e Regolari a non prevalersi dell' anticipazione del digiuno, ma a digiunare nella vera Vigilia di S. Mattia, che è lo stesso che dire nell'ultimo dì del Carnevale; non dovendosi credere di loro, che siano immersi ne' disordini Carnevaleschi, come per lo più sono i Secolari.

Ecco quanto abbiamo risposto a chi è ricorso a Noi, per sapere come doveva regolarsi quest' anno nell' ultimo giorno di Carnevale, in cui cade la Vigilia di S. Mattia. Ora con questa nostra notifichiamo il tutto agli Arcivescovi, e Vescovi del nostro stato, acciò taluno di loro temendo nella sua Diocesi, o Città la trasgressione del precetto del digiuno nell' ultimo dì del Carnevale, possa prevalersi del rimedio additato, nel modo, e forma di sopra espressi, dandogli in ciò un'ampla licenza; e quando di ciò non tema, lasci l'affare nel suo corso naturale. E mentre ci raccommandiamo alle vostre Orazioni, Venerabile Fratello, diamo a Voi, ed al Gregge alla vostra Cura commesso l'Apostolica Benedizione.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 30. Januarii 1751. Pontificatus Nostri Anno Undecimo.

APPENDIX

Seu novus de Jejunio.

ARTICULUS.

IN hoc Articulo paucis expediemus Ecclesiastici Jejunii historiam, & Catholica dogmata. Ac primum varia Ecclesiæ Jejunia juxta veterem ac recentem disciplinam; deinde præsentem Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ disciplinam exponemus: de dogmate denique disputabimus. 1

Jam igitur primum omnium satis constat, quadragesimale Jejunium, utpote ex ipsa Apostolorum Traditione descendens, quidquid inepte, & imperite prorsus effutiant Calviniani Hæretici illud inter superstitiosa hominum inventa adnumerantes, longe antiquissimum esse. Ut enim D. Augustinus habet libro adversus Donatistas quarto, capite 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Jam vero quadragesimalis institutio Jejunii, neque ex divinis Scripturis, neque ex cujuspiam Concilii Decreto ostendi potest. Et Catholici quidem vel ipsis primis Ecclesiæ sæculis hac eadem Apostolica Traditione instructi Jejunium quadragesimale semel in anno servabant; Hæretici autem Montanistæ tribus quadragesimis quotannis corpora sua macerabant, ut auctor est D. Hieronymus in epistola ad Marcellam scribens: *Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto anno tempora nobis congruo Jejunamus. Illi* (nempe Montanistæ) *tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.* Atque Jejunium ittiusmodi ad dies quadraginta, vel prope quadraginta, scilicet triginta sex, minimè vero vel ad horas quadraginta, vel ad unum tantum, aut tres dies extendere conuenisse primi temporis Christianos ex luculentissimis SS. Patrum testimoniis satis constat, quæ hic brevitatis gratia missa facimus. Initium vero talis Jejunii non eodem semper tempore cæptum est. Nam primum feria secunda consequente Dominicam, quæ quinquagesimæ dicitur, Jejunium quadragesimale incœpisse Patres complures testantur, desisse vero Sabbato præcedenti Majorem hebdomadam: nam hæc, propterea, quod se veriori Jejunio, quod ab antiquis Scriptoribus Anti- 2 3 4 pascha-

paschale appellari consuevit, transigebatur, intra dies quadraginta computari haud solebat. Cœpit deinde initium Jejunium hoc a feria secunda post Dominicam, quæ prima dicitur Quadragesimæ, atque ad usque Paschæ extendi consuevit; & ex præcedenti heddomada, scilicet Quinquagesimæ, additi sunt dies quatuor ad subsequentes, tametsi hujus sit incertum additionis tempus; sed antiquam tamen esse Ecclesiastici Scriptores produnt quamplurimi.

5 Post quadragesimale sequitur quatuor temporum Jejunium, quod sane perinde ac illud antiquum in Ecclesia esse multis demonstrari posset, si opus foret. Nam S. Leo Pontifex sermone VII. Jejunia hæc ab universa Ecclesia suo tempore servata commemorat, atque Apostolicæ Traditioni accepta refert. Sed circa tempus ea servandi, ac numerum præterea Jejuniorum ejusmodi aliqua fuit in Ecclesia varietas. Primum siquidem, trium dumtaxat temporum servabatur Jejunium, quartum deinde, ut observatum est Clarissimo Bellarmino, decreto Callisti Romani Pontificis additum fuit. Quantum vero ad tempus spectat, primum Jejunium, quod erat vernum, sub initium Mensis Martii servabatur, secundum celebrabatur hebdomada secunda Mensis Junii, tertium hebdomada tertia Septembris, quartum vero hebdomada quarta Decembris, Communiorem tamen hæc servandi Jejunia morem hunc fuisse scribunt S. Leo & Gelasius Primus Pontifices, videlicet ut primum in prima quadragesimæ hebdomada, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium in hebdomada tertia Septembris, quartum denique in tertia Decembris hebdomada celebraretur; qui certe mos etiamnum in Romana Ecclesia servatur.

6 Tertio in loco statui debet, ab antiquissimo tempore in Ecclesia receptum quartæ & sextæ feriæ Jejunium. Commendatum namque, ac præceptum legimus hoc Jejunium in Apostolicis Canonibus, Canone 69., ubi hæc leguntur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat, vel quartam diem, vel Parasceven, deponatur.* Atque Origenes homilia x. in Leviticum: *Hubemus* (inquit) *quartam, & sextam septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus.* Illud est autem observandum, Jejunium, de quo hic loquimur, non fuisse tamquam ad præceptum, sed ad consilium tantum spectans in Ecclesia receptum. Superflua quippe fuissent quatuor temporum Jejunia, si per totum annum in prædictis feriis vi præcepti Jejunare fideles debuissent.

7 Obtinuit olim in Ecclesia Jejunium etiam Sabbati in memoriam sepulturæ Christi, ex Apostolo Petro, ut nonnulli existimant, derivatum. Multi tamen variis temporibus prodiere Conciliorum Canones illud Jejunium vetantes, excepto Sabbato majoris hebdomadæ; idque ea de causa fuit vetitum, ne Fideles cum Manichæis sentire viderentur, qui Sabbato jejunandum esse putabant ad ostendendum odium erga malum Deum, quem Mundi hujus, ac colendi Sabbati auctorem comminiscebantur. Ex his Canonibus occasionem sumpserunt Græci Jejunium Sabbati improbandi, quia dum in Oriente præsertim Hæretici Manichæi Jejunio Sabbati abutebantur, congruum omnino erat eos morem illorum declinare. Cum autem Ecclesia Latina hanc non habuerit occasionem, propterea Sabbati jejunium non improbavit, immo
8 commendavit, ac retinuit.

Quartum Jejunium erat, quod dicebatur *Adventus*, cujus mentionem faciunt Scriptores doctrina & vetustate percelebres, ut Perpetuus Turonensis Episcopus, Concilium item Turonense, ac Maticonense sæculo sexto celebrata. A Monachis primum, tum a Laicis ex devotionis fervore singulis diebus a festo S. Martini ad Natalem usque diem Domini hoc Jejunium servari cœptum est. Atque ejusdem observantia Jejunii tametsi non eadem semper ubique fuerit, cum non ex aliquo universali præcepto penderet; penes Monachos tamen, aliosque Sacrorum Ordinum Regulares numquam intercisa fuit, licet alii a festo S. Martini, alii a festo omnium Sanctorum, ut Minoritæ, a festo S. Catharinæ alii, aliique denique a Dominica propinquiore festo S. Andreæ Apostoli, quæ prima Adventus Dominica appellatur ab Ecclesia, prædicti Jejunii sumpserint exordium.

9 Celebres ac frequentes erant primis Ecclesiæ sæculis Stationes, & cum stationibus conjuncta jejunia. Statio autem, auctore Eminentissimo Cardinali Cozza in libro *de Jejunio, part. 2. artic. 19.*, aliud non erat, quam *Fidelium cultus seu officium, quo certis diebus ad Martyrum convenientes sepulcra, ibique a solis ortu stantes, orationibus, Sacrarum Scripturarum lectionibus, ac jejunio usque ad horam Nonamvacabant.* Verum temporis decursu hanc stationum disciplinam collapsam restauravit, licet sub diversa forma ab antiqua, S. Gregorius Magnus. Diebus deinde Dominicis Adventus, & quadragesimæ Stationes consignatæ cum fuerint, a Jejunio separatæ remanserunt. Quamobrem in hoc maxime nostrorum temporum Stationes ab antiquis differunt, quod illæ Jejunium habuerint conjunctum, nostræ non item. Nec mirum id videri debet, cum non ex præcepto constanti quopiam, sed ex varia pendeat pro temporum opportunitate Ecclesiæ disciplina.

Stationibus simillimæ erant Vigiliæ, quæ tum ab exemplo Christi, de quo scripsit Lucas *cap. 6. Erat pernoctans in oratione Dei*, tum Apostolorum, ut ex Actorum *capite 16.* liquet, *originem trahunt suam; nisi quod vigiliæ nocturnæ* erant, Stationes vero diurnæ. Vigilias hujusmodi agebant Fideles vigilantes, orantes, ac jejunantes ad Martyrum sepulcra nocte præcedente *solemnitatem aliquam*. Diu hæc vigiliarum disciplina in Ecclesia obtinuit; nam ex Concilio Oxoniensi anno 1212. celebrato apparet apertissime, eam *sub id tempus in Anglia viguisse*; quinetiam perseveravisse adhuc sextodecimo sæculo in Provincia Forojuliensi, ex Aquilejensi Concilio sub Clemente octavo celebrato anno 1596., *satis clare colligitur.* Sed *viris* dumtaxat, *non mulieribus* licitum erat vigilias agere. Siquidem jam inde a quarti sæculi initio fœminis vetitum fuit vigilare in locis, in quibus & viri vigilabant; sed *in privatis oratoriis* domi ipsæ agebant vigilias. Sublatis tandem omnino vigiliis, earum loco remanserunt Jejunia, quæ nunc etiam temporis ex Ecclesiæ præscripto servantur.

Inter alia præterea Jejunia, quæ intra annum primi celebrabant Christiani, est memorabile illud, quod observabant Kalendis Januarii. Nam *ille* dies Gentilibus *solemnis maxime* erat; in eo & convivia, & victimas multiplicabant, festumque erat eodem die Jano, Æsculapio, & Jovi sacrum. Patres igitur, ut omnem superstitionis speciem ab animis fidelium amoverent, illum ipsum diem consecrarunt Jejunio. Atque a Patribus passim ejus diei Jejunium commendatum legitur, maxime vero ab Ambrosio.

Tandem circa Rogationum Jejunium, cum consilii illud, non præcepti fuerit, varia fuit, estque etiamnum Ecclesiæ disciplina. Rogationes, hoc est publicas preces ad Dei misericordiam in ærumnis implorandam, nonnulli Mamerco, seu Mamerto Viennensi Episcopo referunt auctori, alii antiquiores illo existimant, sed ab eo putant restauratum earum usum. Ecclesiæ quædam eas celebrant modo cum triduano Jejunio, aliæ cum solo Jejunio feriæ quartæ: atque unusquisque Ecclesiæ suæ consuetudinem, ac morem tuto servare potest.

Hæc, quæ paucis complexi sumus, antiquam Jejuniorum disciplinam in Ecclesia receptam spectant; sequitur ergo, ut quæ præsens, seu recens sit tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiæ disciplina circa Jejunia, nunc indicemus. Et quidem quod ad Ecclesiam Occidentalem attinet, neminem latet, præter quadragesimale Jejunium, quatuor temporum, ac vigiliarum, quas aliquibus solemnitatibus, festisque Sanctorum præmittendas esse Ecclesia decrevit, Jejunium aliud nullum habere fideles sub præcepto. Diebus Veneris & Sabbati abstinentia a carnibus, sed non Jejunium præcipitur. 14
At longe diversus est apud Græcos, & Orientales in celebrandis Jejuniis mos, & disciplina, ut demonstratum est a multis præclarissimis Viris, qui scriptis suis Græcorum ritus sint persequuti. Etenim non omnes eadem habent Jejunia, neque eodem modo illa servant. Mengrelienses, Græcum & ipsi in sacris peragendis ritum sequentes, licet proprio utantur idiomate, quatuor habent quadragesimas. Prima ante Paschа, & a quinquagesima incipit; secunda post Pentecosten; tertia initium sumit a Kalendis Augusti usque ad festum Assumptionis B. Virginis; quarta Adventus Domini, quæ quadraginta complectitur dies. Abstinent a carnibus, *nonnisi post solis occasum cœnant*, in majori hebdomada vinum haud gustant, ultimisque tribus diebus ejusdem ab omni prorsus cibo abstinent. Apud Syros autem Jacobitas, præter feriam quartam & sextam, quinque sunt celeberrima Jejunia. Primum quadragesimæ, alterum Apostolorum, tertium Migrationis, seu Assumptionis B. Virginis, quartum Nativitatis, quintum Niniviticum. Jejunium quadragesimæ octo supra quadraginta diebus absolvitur; Apostolorum vero a feria secunda post Pentecosten usque ad diem vigesimam nonam Junii producitur. Et Migrationis Jejunium a Kalendis Augusti usque ad diem decimamquintam; Nativitatis vero alii a Kalendis Decembris *auspicantur*, *nonnulli* a die decima Decembris per duas Hebdomadas observant. Denique Ninivitarum Jejunium a feria secunda, quæ tribus hebdomadibus præcedit *Jejunium quadragesimale*, *usque* ad feriæ quintæ Matutinum observant aliqui, nonnulli autem usque ad Matutinum Sabbati. Syri Nestoriani præter quinque recensita Jejunia, & *ferias quartam & sextam, in quibus haud multum* dissident a cæteris Orientalibus (est enim sola varietas quantum ad numerum dierum Jejunii, ejusque initium) duo habent particularia *Jejunia*, nempe *Jejunium* Eliæ, seu Crucis per hebdomadas septem, a Dominica prima Eliæ, quæ quartam Æstatis sequitur, usque ad feriam sextam quartæ hebdomadæ Crucis, seu septimæ *Eliæ*; ac Jejunium *virginum* tribus post festum Epiphaniæ diebus. Jejunium Niniviticum sic est appellatum, quia dum Populi pestе, aliisve calamitatibus affligerentur, Episcopi indictis *supplicationibus*, ac Jejunio, Ninivitarum usi sunt exemplo ad Dei opem implorandam. Jejunium autem Virginum ita est appellatum, quod originem habuerit ex supplicationibus ea occasione indictis, in qua Rex Arabum, sive, ut alii volunt, Persarum imperaverat, ut sibi ex urbe Hirta quadraginta Virgines adducerentur. Tunc enim ob beneficia illis supplicationibus accepta statuerunt, ut quolibet anno Jejunium illud observaretur. Conveniunt cum Syris Jacobitis circa Jejunii disciplinam Cophti, & Æthyopes. Armeni autem non ubique eadem Jejunia servant. Qui Constantinopoli commorantur Armeni sive Catholici, sive hæretici a feria secunda Quinquagesimæ Jejunii quadragesimalis sumunt exordium. Hæretici ante Nativitatis festum, quod die octava Januarii celebrant, septem diebus Jejunant, atque in vigilia Jejunium ad vesperam usque protrahunt, tum sacrum faciunt, ac deinde cœnant, & in ea utuntur lacticiniis & ovis. At Catholici in vigilia dumtaxat Nativitatis, cujus festum diverso ab Hæreticis die celebrant, Jejunare solent, atque a piscibus etiam abstinent. Ante Epiphaniam septem diebus Jejunant omnes tum Catholici, tum Hæretici. Festum Assumptionis B. Virginis semper die Dominico celebrant, & die Lunæ ad Sabbatum usque, quo die lacticiniis utuntur, solent jejunare; eademque ratione Jejunia servant, quæ præcedunt festum Transfigurationis, & Exaltationis Sanctæ Crucis. A feria secunda post Pentecosten ad feriam usque sextam Jejunium colunt, quod vocant Sancti Eliæ, atque ejusdem rationis sunt alia Jejunia, scilicet Sancti Gregorii illuminatoris, Sancti Jacobi Episcopi, Sancti Sergii Martyris, & Sancti Gregorii, quem Thaumaturgum appellant, in quibus a feria secunda usque ad sextam jejunant. Hæc sunt, quæ Orientalis Ecclesiæ circa Jejunia præsentem disciplinam spectant, de qua satis hactenus diximus.

His breviter ac dilucide, quantum satis esse potest ad
15 Orientalium circa Jejunium disciplinam dignoscendam, indicatis, restat ut pauca de Jejunii dogmate edisseramus. Ac principio quidem animadvertimus, Calvinianos, Lutheranos, aliosque recentes Novatores Jejunia omnia e medio sustulisse, ut perspicue apparet ex iis, quę libro Institutionum quarto capite 12. scribit Calvinus, ubi quadragesimale Jejunium superstitiosam appellat observationem. Ac tametsi fateri non dubitent, Jejunium præceptum in veteri lege fuisse, cum id expressum legatur apud Joelem, Jonam, atque alibi in veteris Testamenti libris; negant tamen audacter eidem Jejunio *obnoxios* esse Christianos, propterea quod a legis vinculo soluti sint, Ecclesiamque Jejunia sub præcepto inducere posse. Sed illorum error facile convelli potest. Annon enim apud Matthæum 6. dicitur: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum &c.* Nec officit, quod Jejunii præceptum ad legem veterem pertineret; satis etenim constat, cæremonialia tantum præcepta, non autem moralia, cujusmodi procul dubio est præceptum Jejunii, illucescente Evangelio abrogata fuisse. Id quod mirifice ex Augustini doctrina in epistola ad Casulanum, quæ est 36., confirmari potest: Sic enim eo loci habet S. Pater: *Ego in Evangelicis & Apostolicis litteris, totoque Instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse Jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non invenio definitum:* Audiant Augustinum Novatores ajentem, in sacris novi fœderis litteris Jejunium esse præceptum, determinationem vero illorum dierum, in quibus Jejunium colendum sit, Ecclesiæ potestati, ac libertati esse relictam, Quod vero possit Ecclesia suis legibus Jejunia præcipere fidelibus, & stabilire certa Jejunii tempora, vel ex ipso Synagogæ exemplo demonstratur, quę Judæis imponebat, ut apud Hieremiam, Esthe-rem, ac Zachariam legere est. Quod si ea potestate pollebat Judæorum Synagoga, quid est quod eandem Ecclesiæ Christi denegandam esse putent Novatores? An dicturi sunt minori gaudere Ecclesiam potestate, quam Synagoga habuerit? At ridiculum id est. Deinde Ecclesiæ Prælati non minus ac Principes sæculares potestate gaudent leges condendi ad fidelium spirituale bonum promovendum. Nemo autem dubitare potest, Jejunium valde opportunum, atque optimum esse ad spiritualem hominis consequendum remedium; ex quo Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 147. deduxit, Jejunium sub præcepto quoque naturali cadere. Potest igitur Ecclesia prædictum remedium fidelibus præcipere, sicut sæculares Principes exercitium illorum actuum, qui alioquin liberi essent, præcipiunt subditis qui vergunt in eorumdem subditorum bonum. Extra dubium est ergo, & in sacris litteris novi fœderis præceptum esse Jejunium, illudque fidelibus præcipere posse Ecclesiam. Quæ contra hujusmodi doctrinam objicere solent Hæretici, adeo levia, inepta, ac futilia sunt, ut vix digna sint lucubratione anicularum; in iis propterea exsufflandis tempus terere nolumus.

JESU SOCIETAS.

Additio ex Auctore.

SOcietas Jesu merito laudatur a Benedicto XIV. tom. 2. 1
Constitut. 49. incip. *Constantem*. Societati Jesu unus lo- 2
cus inter Consultores Congregationis Sacrorum Rituum per- 3
petuo assignatur; Idem *ibid.* Societatis Jesu Collegium in
Civitate S. Dominici in insula Hispaniola in publicam studiorum Universitatem erigitur; Idem Constitut. 37. incip. *In Supereminenti*. Ejusque Collegii Rectori tribuitur facultas 4
conferendi gradus, Cumulativa tamen cum Priore P.P. Prædicatorum; Idem *ibid.*

In Societate Jesu Congregationes Generales ex Brevi Inno- 5
centii X. singulis novenniis haberi jubentur, & Officia ultra triennium exerceri prohibentur; Idem Constitut. 24. incip. 6
Devotam majori. Societas Jesu variis temporibus instetit pro abrogatione hujusmodi Brevis; Idem *ibid.* Illud tamen quoad 7
triennalem Officiorum durationem abrogatum fuit ab Alexan- 8
dro VIII. Idem *ibid.* Benedictus XIV. Innocentii Legem quoad novennalem Congregationem abrogat; Idem *ibid.* Et 9
quoad præfinitionem termini triennalis Officiorum abrogationem jam factam confirmat; Idem *ibid.*

In Societate Jesu vacatio Beneficiorum non inducitur per 10
emissionem votorum simplicium; Idem Constitut. 25. incip. 11
Ex quo dilectus Filius. Sed in ipsius Congregatione Generali V. decretum fuit, illius Alumnos expleto probationis biennio, Beneficia Ecclesiastica dimittere debere; Idem *ibid.*

Ex Societate Jesu Theologus Consultor Pœnitentiariæ 12
Apostolicæ assumi consuevit; Idem tom. 1. Constitut. 96. incip. *In Apostolicæ* §. 15.

IGNORANTIA.

IGnorantia in genere, nomine, & re, nihil aliud est, quam 1
carentia notitiæ, seu cognitionis alicujus rei; *Communis*. Ignorantia ut sic dividitur in Positivam, Privativam, & Ne- 2
gativam. Ignorantia positiva, seu *puræ dispositionis* est carentia notitiæ, seu cognitionis veritatis cum positivo contrario errore. Talis ignorantia datur in Judæis, Hæreticis, & Paganis, qui non solum alicujus veritatis præsertim supernaturalis cognitionem non habent, sed insuper erronee judicant rem aliter esse, ac revera est; Ipsi enim non solum V. G. ignorant Christum esse Deum, sed insuper erronee judicant esse purum hominem. Ignorantia privativa, seu *meræ privationis* est privatio, seu carentia scientiæ eorum, quæ quis ex natura, & conditione sua aptus natus est scire, ut si homo adultus, & rationis compos ignoret ea, quæ secundum statum suum scire potest. Ignorantia negativa, seu *puræ negationis* est carentia notitiæ in subjecto non apto habere talem notitiam, vel ex natura sua, ut ignorantia Dei in lapide, vel ex statu suo, ut talis ignorantia Dei in amente, & infante. Et talis ignorantia ex S. Thoma 1. 2. *quæst. 76. art.* 2. non est appellanda proprie ignorantia, sed *Nescientia*. Unde, ut 3
vides,

vides, *Nescientia*, & ignorantia licet quandoque promiscue
una pro alia accipiatur, tamen differunt; *C. Per quas pers.*
nobis acquir. leg. 2. *Cod. de rei uxor. action. leg.* 1. §. 1. Qui
enim nescit, experiendi potestatem non habet, teste Cajo,
in leg. annus, de calum. Ignorare autem est id nescire quod
sciri potest, vel etiam debet. Hinc nescire latius patet, quam
ignorare, quippe omnis qui ignorat, nescit, sed non e
contra; Calvin. *in Lexico Juridic. Nescire.* Qui *ibidem sub*
verb. Nescientia subjungit „ Et dici potest, quod Nescien-
tia differat ab ignorantia, quia ignorantia est eorum, quæ
scire tenemur, Nescientia vero eorum, quæ scire non tene-
mur, unde ignorantia in malam partem, nescientia vero in
bonam partem; Gloss. *leg. de statu, de testamen. gloss. Rubr.*
de jur. & fact. ignor. „. Hæc ille.

4 Ignorantia privativa dividitur in ignorantiam Juris, in igno-
rantiam Facti, & in ignorantiam Pœnæ. Ignorantia *Juris*
est, qua quis ignorat jus, seu legem, aut præceptum, quod
rem aliquam vetat, aut præcipit, ut quando ignoratur lex,
seu præceptum, quo prohibetur furtum, aut quo præcipi-
tur jejunium. Ignorantia *Facti* est, qua quis ignorat, non
quidem legem, aut præceptum, sed actionem in particulari
esse contra legem, aut præceptum, ut si quis nesciat car-
nem esse, quam comedit die jejunii, vel non advertat, aut
recordetur esse diem jejunii, nam nomine ignorantiæ com-
prehenduntur etiam inadvertentia, inconsideratio, & obli-
vio. Ignorantia Pœnæ est, qua quis ignorat pœnam latam in
delinquentes, ut si quis ignoret Excommunicationem latam
in injicientes manus violentas in Clericos, in Simoniacos, &
hujusmodi.

5 Ignorantia rursus dividitur in antecedentem, concomitan-
tem, & subsequentem. Ignorantia *antecedens* est, quæ pre-
cedit factum, & omnem voluntatis actum circa illud; ac
proinde nullo modo, nec directe, nec indirecte est voluntaria, estque aliquo modo causa, cur fiat opus, in quantum
removet scientiam, quæ si adesset, opus non fieret; talis
ignorantia est in Venatore, qui existimans occidere feram,
interficit hominem, quem nullatenus occidisset, si esse homi-
nem scivisset. Ignorantia *concomitans* est, quæ concomitan-
ter se habet ad actum voluntatis, & nec movet ad operan-
dum, nec removet ab operatione, sed ita afficit operantem,
ut eodem modo operaretur, si talis ignorantia abesset, unde
actum voluntatis nec antecedit, nec sequitur, sed tantum
concomitanter se habet ad illum, ut cum Venator ille pro
fera inimicum suum, non de eo cogitans, interficit, quem
tamen occidisset, si novisset esse suum inimicum. Ignoran-
tia *subsequens* est, quæ a voluntate directe, vel indirecte
est volita, adeoque sequitur illam, ut ejus effectus, estque
simpliciter voluntaria, & culpabilis; Talis ignorantia dire-
cte seu indirecte volita reperitur in illis, qui, vel expresse
ignorare volunt, vel non curant, ut debent, addiscere ea,
quæ scire possunt, & tenentur.

6 Ignorantia dividitur ulterius in invincibilem, & inculpabi-
lem, & in vincibilem, & culpabilem. Ignorantia *invincibi-*
lis, & *inculpabilis* est, quæ morali diligentia vinci, vel tolli
nequivit, utpote quia, vel numquam venit in mentem co-
gitare, vel dubitare de tali re, vel etiamsi in mentem venis-
set, tamen morali, & ordinaria adhibita diligentia, igno-
rantia illa vinci, seu tolli, & veritatis cognitio acquiri non
potuisset, & hæc simpliciter non est voluntaria, nec directe,
nec indirecte, ideo etiam *antecedens*, quia omnem actum vo-
luntatis antecedit. Ignorantia *vincibilis*, & *culpabilis* est,
quæ morali adhibita diligentia vinci, ac superari, & oppos-
ta scientia acquiri potuisset, & debuisset, & hæc ignorantia
semper est aliquo modo voluntaria directe, vel indirecte,
ideoque etiam dicta *subsequens*, quia actum aliquem volun-
tatis subsequitur.

7 Ignorantia vincibilis, & culpabilis subdividitur in affe-
ctatam, & non affectatam, quæ inter se differunt, quod il-
la directe voluntaria sit, & hæc indirecte, ut cum S. Tho-
ma 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 3. observant passim Doctores. Hinc
ignorantia *affectata*, *& directe voluntaria* est, cum quis da-
ta opera vult ignorare, & non inquirere veritatem, sive ob
discendi tædium, ac pigritiam, sive ut legis obligatione
ignorata, vel excusationem aliquam mereatur a transgressio-
ne legis, vel liberius sine remorsu conscientiæ peccare pos-
sit, de quo Regius Psaltes *psalm.* 35. ait: *Noluit intelligere,*
ut bene ageret, & Job. *cap.* 21. legitur: *Qui dixerunt Deo,*
recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus, &
S. Thomas *cit. quæst.* 76. *art.* 1. *in corpore* dicit, quod *talis*
ignorantia videtur augere voluntarium, ex intentione enim
voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult subire
ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi. Ignorantia
non affectata, *& indirecte tantum voluntaria* est, cum quis,
non quidem vult ipsam ignorantiam in se, sed solum non
vult adhibere sufficientem, ac debitam diligentiam inquiren-
di, ac cognoscendi veritatem, ideoque eo ipso indirecte
velle ignorantiam convincitur. Et hæc ignorantia alia est 8
crassa, seu *supina*, ad quam superandam, veritatemque co-
gnoscendam nulla prorsus diligentia, vel cura adhibita est,
qualis plerumque esse solet ignorantia earum rerum, quæ
communiter ab ejusdem status vel conditionis hominibus co-
gnoscuntur, vel etiam cognosci debent, & alia est *non*
crassa, *nec supina*, ad quam tollendam aliqua quidem, sed
tamen non sufficiens diligentia est adhibita, seu ea est, quæ
non tam facile superari, & tolli potuit.

Ignorantia invincibilis juris divini excusat a peccato; *Com-* 9
munis, *ac certa*, & habetur expresse ex Joann. 15. ibi: *Si*
non venissem, *& locutus fuissem eis*, *peccatum non haberent*;
nunc autem excusationem non habent de peccato. Unde San-
ctus Pius V. *die* 1. *Octobris* 1567. Constit. incip. *Ex omnibus*,
merito damnavit inter alias propositiones Michaelis Baii se-
quentem 68. in ordine: *Infidelitas pure negativa in his*, *qui-*
bus Christus non est prædicatus, *peccatum est*, quam damna-
tionem confirmarunt Gregor. XIII. *die* 29. *Januarii* 1579. Con-
stit. incip. *Provisionis nostræ*; & Urban. VIII. *die* 6. *Martii*
1641. Constit. incip. *In eminenti*. Etiam ignorantia invinci- 10
bilis juris naturæ excusat operantem ab omni peccato; *Com-*
munis. Unde Alexander VIII. *die* 7. *Decemb.* 1690. inter alias
merito damnavit sequentem propositionem 2. in ordine: *Ta-*
metsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, *hæc in statu*
naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato for-
mali - (a)

Ignorantia invincibilis, non solum juris, sed etiam facti, 11
excusat omnino a culpa; quia ubi non est voluntarium, uti
in ignorante ignorantia invincibili, tam juris, quam facti, ibi
nulla est culpa; Ita Sanctus Augustinus *l.* 3. *de liber. arbitr.*
cap. 18. *& lib. de duabus animabus cap.* 10. *&* 11. S. Tho-
mas 1. 2. *quæst.* 76. *art.* 4. S. Bonaventura *in* 2. *sent. dist.* 2.
art. 2. *quæst.* 3. & communis aliorum. Ignorantia invincibi- 12
lis non solum antecedens, sed etiam concomitans excusat a
peccato; Ita Suarez *de censur. disput.* 4. *sect.* 8. Vasquez
disput. 125. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 16. *num.* 13. Azor.
lib. 1. *cap.* 14. *quæst.* 4. Layman *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *nu.* 8.
Card. *lib.* 2. *quæst.* 19. Reiffenstuel *Theolog. Moral. tract.* 1.
dist. 1. *quæst.* 5. *num.* 43. Sporer *t.* 1. *tract.* 1. *proœmial. c.* 2.
sect. 4. *num.* 35. ubi testatur de communi contra Cajetanum,
Covarr. Sayrum, & alios; Et ratio est, quia ignorantia in-
vincibilis etiam concomitans tantum, & non causans opus,
vere, & invincibiliter reddit incognitum, & consequenter
involuntarium id, quod cum tali ignorantia agitur; sed ubi
non est voluntarium, ibi non est culpa, ergo qui invincibili-
ter ignorat hominem esse, quem pro fera occidit, quamvis
nihilominus occidisset, si antecedenter cognovisset esse suum
inimicum, nullam incurrit culpam; Deus enim non imputat
homini peccata, quæ faceret, si hoc, vel illud in mentem
ei veniret, sed divinæ gratiæ adscribendum est, quod in animo
de facto non incidat, ut ex S. Augustino recte docent
Suarez *tom.* 2. *de relig. lib.* 3. *de juramento cap.* 7. *num.* 6.
Sanch. *lib.* 3. *moral. cap.* 5. Layman *loc. cit. num.* 8. Sporer
loc. cit. num. 35. Tum quia licet actus homicidii *v. g.* factus
cum

(a) Huic propositioni nectenda hæc altera propositio: Nullus hominum compos sui invincibili ignorantia Juris naturæ laborat. Id docet Apostolus illis verbis ad Rom. c. 2. v. 15. *Gentes*, *quæ legem* (scriptam) *non habent ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, *& inter se invicem cogitationibus accusantibus*, *aut etiam defendentibus*. Ex quibus verbis S. Augustinus l. 2. ser m. Dom. in Monte c. 9. infert, nullam esse animam, *quæ tamen ratiocinari potest*, *in cujus conscientia non loquatur Deus*. Videsis P. Jo. Laur. Berti De Theol. Discipl. lib. 21. cap. 10, & si libet, etiam Jo. Gotth. Heinecium Jur. Nat. & Gen. l. 1. c. 1.

cum ignorantia *concomitante tantum* habuerit adjunctum af-
fectum, vel propositum adhuc occidendi, etiamsi cognovis-
set esse hominem suum inimicum, vel postea comperto reve-
ra fuisse hominem suum inimicum, sequatur gaudium, com-
placentia, & approbatio, manent quidem illa voluntaria,
& peccata seorsim homicidii interni: & ipse actus, ut ho-
micidii externi, sicuti de facto est incognitus, ita est non
voluntarius, & consequenter non peccaminosus, quod opti-
me tradidit Sotus *tract. de ratione evadendi peccata lect.* 2.
ibi: *Ignorantia concomitans*, *nec accusat*, *nec excusat*, *cum*
nec voluntaria sit, *nec involuntaria*. *Itaque occisio inimici*,
dum putatur occidi feram, *non fuit tunc peccatum*, *quia non*
est voluntaria, *erit tamen peccatum*, *quando opus placuerit*.

13 Ignorantia vincibilis, sive antecedens, sive concomitans,
non excusat a culpa; *cap.* 1. *de ordinat. ab Episcop. qui re-*
nunciav. Episcopat. & cap. Apostolicæ de Cleric. excom. mi-
nistr. S. Thomas 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. & alii communiter. Quod
enim fit ex ignorantia, vel cum cum ignorantia vincibili,
14 est voluntarium, adeoque peccaminosum. Ipsa vero ignorantia vincibilis saltem non affectata, quamvis non excusat
a culpa in toto, minuit tamen in parte; *Communis*. Et ratio est, quia actus quanto minus est voluntarius, tanto minus
est peccaminosus; actus autem procedens ex ignorantia licet
vincibili, etiam crassa, vel supina, saltem non affectata,
est minus voluntarius, ut de se patet, quam actus proce-
dens ex scientia, adeoque licet talis ignorantia vincibilis non
excuset a culpa in toto, minuit tamen in parte, & quidem
proportionaliter, quanto minus est voluntaria ignorantia,
& culpabilis, eo minus erit peccaminosus actus ex ipsa pro-
15 cedens. Hinc magis minuit culpam ignorantia non crassa,
nec supina, utpoteminus voluntaria, ut patet ex traditis
16 *supra num.* 8. Notanter autem fuit dictum *saltem non affecta-*
ta; quia ignorantia affectata, nedum non minuit culpam,
sed potius auget, quam minuat voluntarium: Ipsa enim adeo
adhæret peccato, ut etiam pro majori libertate sine ullo con-
scientiæ scrupulo peccandi, horreat scientiam avocantem
a peccato ut patet *ex Job.* 21. ubi consimiles impii affectati
ignorantes *dixerunt Deo*, *recede a nobis*, *& scientiam via-*
rum tuarum nolumus, & alius apud Regium Psaltem *psal.* 35.
Noluit intelligere, *ut bene ageret*, & sic notavit S. Grego-
rius *lib.* 25. *moral. cap.* 11. & docuit S. Thomas *cit. quæst.* 76.
art. 1. *in corpore* per præcisa verba adducta *sub num.* 7. & te-
nent Corduba *lib.* 2. *quæst.* 20. Navarr. *in cap. Sciendum* 4. *d.* 2.
de pœnit. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 17. *num.* 5. Cairo *lib.* 2.
de lege pœnali c. 14. Layman *loco cit. num.* 9. & alii passim.

17 Ignorantia invincibilis tam Juris, quam Facti, sicuti ex
dictis *sub num.* 11. excusat ab omni culpa, ita etiam excusat,
& liberat ab omni pœna per leges positivas decreta; *Com-*
munis, *ex cap. Nullus*, *& cap. Quis locus* 1. *quæst.* 4. Cum
enim pœna decernatur propter culpam, cessante culpa tam-
quam causa, cessare etiam debet pœna tamquam effectus.
Sic v. g. qui percussit Clericum invincibiliter ignorans eam
percussionem esse ab Ecclesia prohibitum sub pœna excom-
municationis *in c. Si quis suadente Diabolo* 29. *caus.* 17. *q.* 4.
aut nesciens, vel non advertens illum esse Clericum, sine
dubio non incurrit pœnam excommunicationis, textu ex-
presso *in cap. Si vero* 4. *de sentent. excomm. & cap. Ut anima-*
18 *rum periculis* 2. *de Constitutionib. in* 6. Etiam ignorantia facti,
aut ipsius juris statuentis pœnam, vincibilis, & culpabilis
quæcumque non crassa, vel supina, excusat a pœna per le-
gem decreta: Ut si in allato exemplo dubitans, vel suspi-
cans forte esse Clericum, absque sufficienti inquisitione, &
diligentia credat non esse, & percutiat, non incurrit ex-
communicationem, & sic in similibus; *Communis*, textu
expresso *in cit. cap. Ut animarum periculis*, 2. *de constitution.*
in 6., ibi: *Ut animarum periculis obvietur*, *sententiis per sta-*
tuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus igno-

rantes, *dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit*, *aut supi-* 19
na. Ubi, ut vides, a pœna per legem decreta non excusat
ignorantia juris, vel facti, crassa, vel supina, ibi: *Dum ta-*
men eorum ignorantia crassa non fuerit, *aut supina*; *Communis*.

Ignorantia sive vincibilis, sive invincibilis solius pœnæ, 20
& non juris, vel facti, non excusat ab ipsa pœna transgres-
sores legis eam statuentis (a), excepta poena censurarum.
Qui enim non ignorat legem latam, seu factum aliquod le-
ge esse prohibitum, ignorat autem annexam poenam, si il-
lam legem prævaricetur, non culpæ solum, sed etiam poe-
næ reus efficitur; Sic Covarruvias *in cap. Alma mater p.* 1.
§. 10. *num.* 9. Sotus *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 8. Azorius *part.* 1. *lib.* 1.
cap. 15. *quæst.* 1, *&* 2. Jul. Clarus §. *fin. quæst.* 83. *verf. Secun-*
dus est casus, Herincx *part.* 2. *tract.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 3. *n.* 28.
& 29. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 20. *nu.* 6. Molina *tract.* 5.
disp. 71. *num.* 9. Sanchez *lib.* 9. *de Matrim. disp.* 32. *num.* 21.
Reiffenstuel *lib.* 5, *decretal. tit.* 3. §. 13. *num.* 321. Sporer *loco*
citato num. 29. & alii passim contra paucos quosdam apud
Tamburin. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 2. §. 10. *num.* 12. Et ratio est,
quia ignorantia solius pœnæ non tollit causam poenæ, ideest
culpam, ergo nec effectum, seu ipsam poenam. Tum quia
universali praxi omnium Tribunalium, tum Ecclesiasticorum,
tum Laicalium constat, Malefactores, & legum Transgres-
sores variis affici poenis rotæ, patibuli, gladii, combustio-
nis, exilii, quamvis invincibiliter ignorent, delicta a se
committenda, & commissa pœnis hujusmodi subjacere. Di-
citur autem notanter *excepta poena Censurarum*; quia ex com- 21
muni omnium sententia ignorantia Censurarum excusat ab eis
incurrendis, quamvis ceteroquin contra legem agendo gravis-
sime quis peccet, *arg. cap. Si vero* 4. *de sent. excomm.*, *&*
cap. Ut animarum periculis 2. *de Constitutionibus in* 6. Ad
incurrendum enim Censuras requiritur contumacia, hæc au-
tem non adest, ubi ignorantia Censurarum habetur, adeo-
que &c. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 274. Silvest. *verb.*
Ignorantia num. 14. Reiffenstuel. *lib.* 5. *decretal. tit.* 3. *num.*
323., *& tit.* 39. *num.* 31. Sanchez *loc. cit. numer.* 13. Sporer
loco cit. num. 39. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 8.
& alii complures.

Ignoranti non currit tempus; Innocent. *in cap. Ne pro de-* 22
fectu num. 2. *de elect.* Calder. *Consil.* 365. *Mandavit alios*
37. *de testament. in fin.* Baldus *consil.* 92. *Quædam in princip.*
lib. 1. Fagnan. *lib.* 3. *decretal. in cap. Significatum est* 11. *de*
Regularibus num. 18. Ignorans, & impeditus æquiparantur; 23
Rota *recent. part.* 2. *decis.* 662. *num.* 9. *in fine*. Et quidem di- 24
citur impeditus, impedimento Juris, & Facti; *Annot. ad De-*
cis. 3. *sub num.* 17. *part.* 3. *Rota recent.* Ideoque ignoranti tam- 25
quam impedito est subveniendum; *Ibidem numer.* 18. Imo 26
respectu rei ignoratæ consideratur tamquam res inanimata; 27
ibidem sub num. 11. Nec præstat consensum; *Annot. ad de-* 28
cis. 10. *num.* 26. *part.* 3. Nec itidem censetur remittere jus
suum, & sic renunciare, donare, & repudiare; *Annot.*
ad dec. 1. *num.* 50, *&* 51. *part.* 8.

(a) Ne putes Lector quamcumque ignorantiam excusare hominem a censura; nam si affectata sit ignorantia, quæ scientiæ æquivalet, a censura hominem non excusat, ut optime advertit Suarez *disp.* 4. *sec.* 10. Quamobrem graviores Theologi ut falsam, & laxam Salmanicensium opinionem rejiciunt, quæ immunem a censura efficit hominem, qui ignorantiam affectat, ut liberius, & impudentius peccet. Imo si generalia sint Canonum statuta, quæ ab omnibus sciri, & custodiri debeant, quo in casu invincibilis ignoran-
tia censuræ legi universali annexæ præsumi non potest, non adeo facile censura immunes declarandi erunt ignorantiæ prætextu harum legum transgressores. Quis enim a censura eximeret illum, qui duellum committeret, sciens ab Ecclesia prohibitum esse, quia ignorat huic prohibitioni annexam esse censuram? Quia ergo difficile est dari ignorantiam vere invincibilem talis censuræ, idcirco ejusmodi ignoran-
tia si esset in casu, petere absolutionem deberet, inquit Doctissimus Auctor Theologiæ Christianæ.

Novæ additiones ex aliena manu.

IGnorantia est *simplex negatio scientiæ*. At si quis formavit 1
de re perversam ideam, est potius error. Plerumque 2
vero confundi solent. 3

Ignorantia vel est juris, vel facti, & hæc vel facti alieni 4
vel facti proprii. 5

Notissima autem est Regula, ignorantiam juris nocere; 6
Leg. 9. *princip. ff. de Jur.*, *& Fact. ignorant.* Sed ne in er- 7
rores incidamus, distinguendum inter lucrum, & damnum, 8
In lucro ignorantia juris utique nocet, sed excipiendi sunt
Minores, *Leg.* 11. *Cod. eodem*, & Milites *L.* 9. §. 1. *ff. eo-*
dem. Damnum est, distinguente *Donello Commentar. jur. ci-* 9
vil. lib. 1. *cap.* vel rei amissæ, vel rei amittendæ. In damno,

10 rei amissæ pariter ignorantia juris nocet, sed excipi debent non sosum Minores, & Milites, verum, & Fœminæ;
11 *Leg. ultim. Cod. eodem*, tum Rustici; *Leg. in fin. de Jure Fisci*, In damno vero rei amittendæ omnibus non ideò nulli nocet; *leg. 8. ff. eodem* Exempla tradit *Donellus* ubi supra.
12 Hæc obtinent secundum jus Romanum. Cæterum dubitari hodie solet, an juris ignorantia noceat in casibus illis,
13 in quibus de jure Romano nocebat. Duplex a Jure Romano assignatur ratio, cur ignorantia juris nocere debeat. Prior,
14 *quia jus* (ut ait Jurisconsultus in *Leg. 2. ff. eodem*) *est finitum, & possit esse, & debeat*. Sed non male respondet
15 *Schilter. in Pr. Jur. Roman. Ex. 24. §. 34.*: *Jus hodie minus est finitum, recepto præter patria jura etiam Romano, & Pontificio, & utroque in lingua peregrina descripto, variisque Interpretum opinionibus, & dissensionibus diffuso*: Altera, quod consulendi sunt Peritiores; *leg. 9. §. 3. ff. eodem*;
16 17 *Sed certe* (ut respondet *Stryk. in us. modern. Pandect. lib. 22. tit. 6. §. 1.*) *in quibusdam negotiis hoc consilium quidem sequendum esse credo, sed ut omnibus in casibus ex Jurisconsulti consilio, & ore quis pendere possit, impossibile est. Scilicet quæ negotia ita comparata sunt, ut omnes scire possint multa solemnia in iis attendenda esse, ibidem omnino adhibendos esse Jurisconsultos constat, nec excusare poterit ignorantia juris, veluti in Processibus peragendis, testamentis condendis, aliisque maximi momenti negotiis expediendis, quia hic facillime Homines scire poterant, talia absque Peritiorum consilio peragi non posse. At in aliis causis, & casibus, ubi probabiliter non adeo opera Jurisconsultorum utendum judicamus, sane durum esset, si quis hodie indistincte ob ignorantiam juris, jure suo privandus esset.*
18 Patet hinc, prudentem Judicem perpensis peculiaribus negotiis debere arbitrari, an hodie ignorantia juris nocere debeat, nec ne.
19 De Militibus nostri temporis quæri etiam solet, an datum sit ipsis jus ignorare, prout datum erat de jure Romano.
20 Distinguit plures casus Frenta cinq. *variar. Resol. l. 2. Resol. n. 49.* & secundum eos declarat, qua ratione Milites nostri hoc privilegio gaudere queant. Confer etiam *Stryk. loco citato §. 4.* ubi de militia provinciali, ait, *Non æque omnia privilegia Militum applicari possunt, quia tantum in subsidium constituitur Provinciæ defendendæ gratia, ut intra Provinciam maneat, nec Milites in illam lecti vacant ubique armis, sed agriculturam exercent. Quod si tamen imminente necessitate acta militare compellantur, non denegandæ ipsis erunt Militum Privilegia.* Hactenus de ignorantia juris.
21 Quod vero concernit ignorantiam facti, ea si sit *facti alieni* excusat simulque præsumitur; *leg. 3. §. 1. Probat.* modo non sit nimis crassa, & affectata; *L. 23. §. 1. leg. 6. leg. 9. §. 2. ff. de Jur. & Fact. ignorant.* vel alias a lege reprobata ob publicam utilitatem. Consule *Donell. Comment. jur. Civil. lib. 1.* qui exemplis rem illustrat.
22 Difficilius vero ignorantia *facti proprii* excusat, nisi justa & probabilis afferatur causa propter memoriæ humanæ imbecillitatem. Adi *Ham. ad Voesembec. lib. 2. tit. 26. n. 3.*

ILLEGITIMUS.

Vid. verb. *Filius*.

IMAGINES.

1 IMago proprie definitur figura picta, vel sculpta vere repræsentans aliud, cujus est imago, quæ differt ab idolo, quod falsum quid repræsentat, ut imago chimeræ. Licitum
2 est in nova lege Deum, & Sanctissimam Trinitatem depingere, & repræsentare in forma corporea, & visibili v. g. Divinus Pater in forma Viri Senis, quia est antiquus dierum, & principium aliarum Personarum; Divinus Filius in forma Viri juvenis, quia est Filius Patris, & talis naturam humanam assumpsit: Spirius Sactus in forma columbæ, quia talis apparuit. *Communis Catholicorum* ex universali usu, & praxi Ecclesiæ, & desumitur ex Sacra Scriptura, qua constat Deum ipsum hominibus apparuisse in forma corporea, & visibili. *Genes. 3.* apparuit Adæ tamquam homo deambulans ad auram post meridiem. *Genes. 18.* apparuit Abrahæ in specie trium Virorum. *Genes. 28.* Jacob vidit Deum in forma virili *innixum summitati Scalæ*. *Isajas cap. 8.* vidit *Dominum sedentem super solium excelsum*. *Daniel cap. 6.* vidit *Antiquum dierum in throno sedentem*, capite, & crine candum, seu capillis albis, prout pingitur Dominus Pater. *Matth. 3.* apparuit Spiritus Sanctus in specie columbæ; Unde Nicolaus I. *Epist. 2.* sic ait: *Apparuit nempe Deus Abrahæ Patri nostro, non in carne, neque in anima, sed in specie trium Virorum. . . . apparuit denique Jacob per subjectæ creaturæ speciem, unde, & dixit, Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. Ecce incorporeus Deus, & invisibilis per speciem subjectæ Creaturæ, ita se mortalium voluit videri obtutibus, ut credentibus esset ad gratiam.* Atqui licite depingitur, & repræsentatur, quod revera gestum est, ergo si Deus ipse ita apparuit, ut ex tali forma corporea mentem hominis erigeret ad incorporea, & spiritualia apprehendenda, etiam nobis licitum erit id pia recordatione pictis, vel sculptis imaginibus imitari, repræsentare, & colere. Hæc autem assertio, quamvis sine temeritate negari jam non possit propter universalem Ecclesiæ consuetudinem, 3
tamen non est de fide, ut observant Bellarmin. *lib. 2. de tract. Sacris imaginibus cap. 8.* Layman *lib. 4. tract. 7. cap. 5. num. 2.*, & alii, cum non tantum sit contra Hæreticos præsertim Calvinum *lib. 1. institut. c. 11.* sed etiam contra quosdam Catholicos, Durand. *in 3. d. 9. quæst. 2.* Abulens. *in cap. 4. Deuteron. quæst. 5.* Henric. de Gandavo *quodlibet. 10. quæst. 2.*, & alios dicentes, id non licere maxime ob periculum idololatriæ. Certissimum vero est non posse depingi 4
Deum ad repræsentandam ejus veram naturam, formam, aut figuram. *Communissima omnium* ex Trident. *sess. 25. decret. de venerat. Reliquiar., & cultu imaginum*, ibi: *Non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit*. Cum enim depingitur secundum modos supradictos, pingitur solum ad repræsentandam oculis historiam, secundum quam Deus in forma corporea, & visibili seipsum hominibus, ut supra, pluries videndum ostendit, seu ad repræsentandam aliquam sui proprietatem, affectionem, operationem, vel mysticam significationem propter finem adductum *sub num. 2.*

Licitum etiam est Angelos depingi, vel sculpi in forma 5
corporea visibili, & consueta in Ecclesia Catholica. *Communis Catholicorum* contra Hæreticos, & ita docuerunt contra Iconoclastas Patres Concilii VII. Generalis *act. 5.*, & *act. 7.*, & colligitur ex Sacra Scriptura, tum veteris, tum novi Testamenti, ubi, non solum Augeli in tali forma sæpissime apparuisse referunt, sed etiam in veteri Testamento Cherubini in forma corporea, & visibili ad Arcam, in Templo, ac alibi etiam ex auro erecti, & repræsentati sunt; ergo recte a nobis etiam sic figurantur, depinguntur, & repræsentantur, ut mens nostra ex forma visibili, & similitudine sibi nota erigatur ad spiritualia, & incorporea facilius intelligenda, sicuti docet S. Dionysius Areop. 6
de Cœlesti Hierarchia cap. 2., & 15. Catholica fide tenendum est, recte depingi imagines Christi Domini, B. Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum, tum memoriæ, tum venerationis causa. Sic definitum est in secundo Nicæno Concilio contra Iconomachos, qui Judæos, Samaritanos, Mahometanos imitati, omnem imaginum cultum Idololatriam dixerunt, ideoque eas flammis, & ferro addixerunt, & est etiam contra modernos Calvinistas, eorumque successores omnem prorsus usum imaginum Christi, & Sanctorum etiam extra historiam eliminantes; Lutherani vero non prohibent usum imaginum Christi, & Sanctorum etiam extra historiam solum pro memoria, sed tantum prohibent quoad cultum; e contra nos Catholici, & pro memoria, & pro cultu eas admittimus, Unde Concilium Trid. *sess. 25. in decreto de invocat. & venerat., & Reliquiis Sanctorum, & Sacris imaginibus* sic statuit, ut sequitur.

Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum 7
Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel virtus propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præsertim vero secundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis

nis picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis Fidei commemorandis, & assidue recolendis: tum vero ex omnibus Sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis Fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem, vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas, & salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit, ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum sacro usu tollatur; omnis turpis quæstus eliminetur; omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.

8 Imagines D. N. J. Christi, & Deiparæ V. Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum, & Sanctarum prohibentur sculpi, aut pingi cum habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, seu alio modo in Ecclesia Catholica inconsueto, & jam sic sculptæ aut pictæ prohibentur teneri, & publico aspectui exponi, & mandantur ab Ecclesiis, & aliis locis quibuslibet amoveri, & deleri. Et Regulares, & Moniales parere negligentes possunt a Locorum Ordinariis, & Legatis Apostolicis Juris remediis, & etiam Censuris Ecclesiasticis, & aliis eorum arbitrio ad observantiam cogi; Et quoad loci Superiores etiam privationis Officii, ac vocis activæ, & passivæ pœnis compelli. Sic expresse statuit Urban. VIII. 15. Martii 1642. Constitut. incipit. *Sacrosancta Tridentina 163. Bullar. Cherubin. t. 5.*

9 Imago Christi non est repræsentanda in agno, sed in figura humana, *Cap. Sextam Sanctam dist. 3. de consecration.*, ibi: *Sextam Sanctam Synodum recipio cum omnibus Canonibus suis, in quibus dicitur: In quibus picturis Sacrarum imaginum agnus Præcursoris digito ostensus depingitur, qui in figuram gratiæ transit, verum nobis per legem Moysi demonstrans Agnum Jesum Christum Dominum nostrum; Antiquis ergo figuris, & umbris ad veritatis præfigurationem Sanctæ Ecclesiæ traditis valedicentes, gratiam, & veritatem præferimus, & sic plenitudinem Legis recipimus; Verum igitur agnum Dominum nostrum Jesum Christum secundum imaginem humanam amodo etiam in imaginibus pro veteri agno depingi jubemus.* Vide infra *num. 58.*, & 71.

10 Imagines Sanctorum non sunt pingendæ habitu profano, vel indecentiam, aut inhonestatem præferentes, & Ordinarii judicant in hoc etiam exemptos. Urban. VIII. citat.
11 Constitut. *Sacro-Sancta Tridentina*. Imagines Sanctorum non sunt pingendæ cum procaci venustate. *Concil. Senonens. in decr. moral. cap. 40. Concil. Mediolanens. I. part. 1. tit. Quæ servanda sunt de sacris imaginibus num. 15. Concil. Moguntin. cap. 41. num. 2. Concil. Trident. sess. 25. in decret. de invocat. Sanct., & de Sacris imaginibus*. Imagines lascivæ in Ecclesiis non sunt tolerandæ. *Conc. Senonens. loc. cit. Concil. Mo-*
13 *guntin. loc. cit.* Imagines Sacræ pingi non possunt in Ecclesia inconsulto Parocho. Concil. Senonens. *in decretis morum cap. 40.* Concil. Mediolanens. *1. tit. Quæ servanda sunt de*
14 *Sacris imaginibus*. De novo non sunt collocandæ imagines in Ecclesiis, nisi ex probatione Episcopi, nec etiam in Ecclesiis exemptis exponi possunt sine Episcopi approbatione. Concil. Mediolanens. *I. tit. Quæ servanda sunt de Sacris imaginibus*.
15 Imagines Sanctorum, qui a S. Sede Apostolica non sunt canonizati, vel beatificati, non possunt pingi cum radiis, & splendoribus, nec aliud, quod cultum indicet, aut repræsentent, potest illis tribui. Urban. VIII. Constitut. 37. in-
16 cip. *Sanctissimus*. Imagines præfatas sic pingentes ab Episcopo, & Inquisitore sunt judicandi, & quas pœnas incurrant?
17 *ibidem* §. 7. Imagines istorum hominum, si ad Ecclesias deferantur, in loco secreto debent teneri, donec a Sede Apostolica super illis fuerit aliquid constitutum. Urbanus VIII.
18 *ibidem*. Eadem confirmat idem Urbanus VIII. in Constitut.

22. (in appendice) incip. *Cœlestis*, Ubi iterum prohibet, ne pingantur, aut teneantur in publicis, aut privatis locis cum splendoribus, radiis, aut aliis sanctitatis signis, imagines quorumcumque etiam cum opinione Sanctitatis mortuorum, si a Sancta Sede Apostolica non sint canonizati, vel beatificati.

Tolerari non debet, quod in locis publicis, & sordidis 19
stent depictæ diversæ Cruces, ac Sanctorum imagines in derisum Christianæ Religionis. *Sac. Congregat. Rit. 22. Maii* 20
1596. In Choro teneri non debent aliæ imagines, quam Sanctorum, *Sacr. Congregat. Rit. 7. Augusti 1609.* Imagines illorum, qui cum Sanctitatis, seu Martyrii fama decesserunt, 21
non sunt apponendæ in Oratoriis, vel Ecclesiis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, antequam declarentur Beati, neque ad eorum sepulcra accendendæ sunt lampades, aut tabellæ affigendæ sine licentia Sedis Apostolicæ; *Sacr. Ritum Congregat. 13. Martii 1625.* Urban. VIII. Constitut. incip. *Cœlestis Jerusalem*. Non ideo tamen præjudicandum erit in 22
aliquo illis, qui, aut per communem Ecclesiæ consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum, Virumque Sanctorum Scripta, vel longissimi temporis scientia, ac tolerantia Sedis Apostolicæ, vel Ordinarii, coluntur; *Sac. Congregat. Rit. eadem die 13. Martii 1625.* Urban. VIII. in dicta Constit. incip: *Cœlestis Jerusalem*.

Sacræ imagines Dei, Christi, Angelorum, & Sanctorum 23
licite, & sancte coluntur, & adorantur; *Communissima* inter Catholicos. Quamvis enim, ut notat Arriaga *tom. 6. disput. 5.* Viva *ad propositi. 25. damnat. ab Alexandro VIII. sub num. 1.*, & alii, nihil hactenus definitum sit expresse in Conciliis de imaginibus Dei, merito tamen ab Alexandro VIII. *die 24. Augusti 1690.* fuit damnata sequens propositio 25.
in ordine: *Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare*. Et jam hoc licitum esse, nec posse sine temeritate negari propter universalem Ecclesiæ consuetudinem, fuit dictum supra *num. 2., & 3.* Quoad imagines Angelorum eas habendas, & venerandas esse fuit contra quosdam Hæreticos expresse definitum *in septima Generali Synodo act. 7.* Quod autem imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum sint colendæ, & adorandæ, fuit expresse definitum in variis Conciliis infra citandis, & præsertim in Tridentino *sess. 25. in decreto de invocat. venerat., & Reliquiis, & Sacris Imaginibus*, ibi: *Imagines porro Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, ac venerationem impertiendam*. Et Sacr. Congregat. Rit. 17. *Aprilis* 1602. expressedecrevit, non esse impediendam Devotionem ad imagines Sanctas. Et Gregor. XIII. in Constitut. 33. tom. 2. Bullar. præscribendo formam professionis Fidei Græcis §. 15. sic fieri mandat: *Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ, semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam*. Et hoc probatur ex Sacra Scriptura, *Exodi* 24
enim 25. erecti sunt duo Cherubim super Arcam Testamenti. *Numer. cap. 21.* Jussu Dei erectus est in sublime serpens æneus. Has imagines, seu sacra signa honorata esse, & honorari debuisse constat ex regula S. Augustini *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 9.* dicentis, signa utilia divinitus instituta honoranda esse, quia honor eorum ad prototypon transit; atqui imagines illæ Cherubini, & Serpentis fuerunt quam maxime utiles, & divinitus institutæ, ut Sacra Scriptura testatur, ergo fuerunt honorandæ, & de facto honoratæ; Hinc si licuit venerari imagines Angelorum, cur non etiam Sanctorum? Si licuit venerari Christum in imagine serpentis (serpens enim ille æneus fuit figura Christi, ipsomet Christo testante *Joann. 3. Sicut exaltavit Moyses serpentem &c.*, debet potius licere venerari imaginem Christi in forma propria hominis.

Ostenditur etiam efficaci ratione. Homo dignus est vene- 25
ratione, quia est imago Dei, juxta illud S. Cyrilli *Catechesi 12. Imago ligneaterreni Regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei?* ergo, & cetera imagines Dei, Christi, & Sanctorum veneratione dignæ sunt: quod enim uni imagini convenit, quia imago est, omnibus imaginibus, quæ imagines sunt, convenire debet. Tum quia imago Regis est venerabilis cultu civili, ergo etiam imagines Dei, Christi, & Sanctorum debent esse venerabiles cultu aliquo religioso competente suis protoypis. Tum etiam quia imagines capaces sunt injuriæ, & contumeliæ, & cavet quis imaginem Regis

iniuria, & contumelia afficere, ergo a contrario sunt etiam capaces honoris, & cultus.

26 Imagines quæcumque nequeunt coli, & adorari cultu, vel adoratione absoluta propter se ipsas, quasi credatur inesse in ipsis aliqua divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, sed solum possunt, & debent coli, & adorari cultu, vel adoratione respectiva, propter respectum nempe ad sua prototypa; *c. Perlatum 26. dist. 3. de consecrat.* Gregor. I. *lib. 9. Reg. Epist. 9.* Gregor. II. *Epist. 10, & 12.* Concil. Senonens. *cap. 4.* & clare explicat, & definit Concilium Tridentinum *sess. 25. loc. cit.*, ibi: *Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant; ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, & veneremur. Id, quod Conciliorum, præsertim vero Secundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.* Hinc imagines Sanctorum
27 coluntur, & venerantur cultu Duliæ respectivo; Imagines B. Mariæ Virginis cultu Hyperduliæ respectivo, Imagines Dei, & Christi, seius Crux, Sudarium, Clavi, Spinæ, & huiusmodi cum suis imaginibus cultu Latriæ respectivo; *Communis Catholicorum.*

28 Imagines non adorantes sunt Hæretici, & anathema est contrarium dicens; Concil. Roman. III. sub Gregor. II. Concil. Nicæn. II. *action. 2.* Idem *act. 4. 5. & 7.* in quibus fere idem repetitur, Concil. Constantient. *in Constit. Martini V. circa medium*, Concil. Moguntin. IV. *cap. 41.* Concil. Trid.
29 *sess. 25. in cit. decreto.* Imagines Sanctorum non sunt violandæ; Violantes, vel proternentes imaginem Crucis, B. M. V. vel Sanctorum graviter sunt puniendi; *cap. Perlatum 26. dist. 3. de consecrat. cap. Si Canonici, de Offic. Ordinarii in 6.*
30 Imaginum usus est maxima necessitatis, & utilitatis in Ecclesia; Gregorius II. *Epist. 12.* Concil. Senonens. *cap. 14.* Concil. Moguntin. IV. *cap. 42.* Concil. Tridentin. *cit. sess. 25. in dict. decreto.*

31 Imagines etiam in veteri lege fieri solitæ erant, & adoratæ
32 erant; Adrian. I. *Epist. 1. & 2.* Nicolaus I. *Epist. 2.* Et in lege nova fuerunt imagines in usu usque a tempore Apostolorum, & in Concilio Antiocheno tempore eorumdem celebrato, *Canon. 8.* statutum fuit, imagines Sanctorum esse depingendas, & adorandas: Sic refert Gonzal. *in decret. ali in apparatu de origin. & progress. Juris Canon. fol. 17. num. 30.* Card. Petra *tom. 1. comment. ad Constitut. 1. Innocentii II. numer. 33.* Et Adrianus I. *Epist. 1.* sic expresse dicit; *Nam & ipse Apostolus B. Petrus, qui Apostolicæ Sedi primitus præsedit . . . . Et ipse quoque suis contulit, & tradidit divino jussu Successoribus Pontificibus, quorum traditione Christi sacram effigiem, Sanctæque ejus Genitricis, Apostolorumque, vel*
33 *omnium Sanctorum venerantur imagines.* Unde primi Christiani Imagines Apostolorum fieri sibi curabant, ut testatur D. Gregorius *Epist. 1. ad Leonem Isauricum*: Cardin. Petra *loc. cit. num. 34.*

34 Hæretici autem adducunt varios Sacræ Scripturæ textus, quibus prætendunt prohiberi omnes imagines; Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in Terra deorsum, aut eorum, quæ sunt in aquis sub terra; non adorabis ea, neque coles.* Levit. 26. *Non facietis vobis idolum, ut adoretis.* Isai. 40. *Cui similem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?*

35 Respondetur tamen cum communi Doctorum, quod in adductis Scripturæ locis solum prohibebatur, ne fierent simulacra, aut imagines, quæ cultu Latriæ instar Deorum adorarentur, ut faciebant Gentiles, unde in textu *Exod. 20.* ut supra patet, statim subiungitur: *Non adorabis ea, neque coles*; Non vero prohibebantur absolute omnes prorsus imagines, aut sculptilia. Et clare patet ex eo, quod ipsemet Deus præcepit Moysi, ut construeret Imagines duorum Cherubim aureorum *Exodi 25.* & ut faceret serpentem æneum *Numer. cap. 21.* Et Salomon posuit in Templo Jerosolymitano duos Cherubim 3. *Reg. 6.* Tum quia dato etiam, quod per citatos textus fuerint in Veteri lege absolute prohibitæ omnes imagines, aut sculptilia, hoc fuit ob nimiam, & pravam inclinationem Hebræorum ad Idololatriam; Unde illud præceptum, utpote mere positivum, & cæremoniale cessavit in lege nova; cessante enim tali periculo, cessavit tale præceptum, quia cessante ratione, & causa legis, cessat lex, seu obligatio ipsa *leg. Adigere §. 2. ff. de jure patron.* Sic Card. Petra *loc. cit. num. 43.* Viva *ad propositionem 25. Alexand. VIII. n. 13.* Sporer *tom. 1. tract. 2. in 1. præcept. Decalog. cap. 8. sect. 4. n. 31.* & alii passim.

Imaginis in translatione ex uno loco Ecclesiæ ad alium locum eiusdem Ecclesiæ non habet locum *Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 7. de reformat. Sacr. Congr. Concil. in Burgi S. Domnini 4. Decembris 1632.* apud Barbos. *in Summa Apostolic. decis. verb. Imago num. 1.* Imagines devotæ non pos- 37
sunt ex una in aliam Ecclesiam transferri sine beneplacito Apostolico; si sine tali beneplacito sit iam facta translatio, non sustinetur, nec est approbanda; *Sac. Cong. Concil. in Nullius Ferentilli 31. Julii 1706.* apud Card. Petrum *to. 5. comment. ad Const. 5. Pauli II. n. 30.*

Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci, & Antonii de 38
Padua, in quibus dicitur formam habitus, qua depicti sunt, esse eamdem, qua ipsi usi fuerunt, vel in quibus asseritur in hoc, vel illo Ordine S. Francisci esse veram, legitimam, & non interruptam eiusdem S. Patris in filios successionem, inhærendo decreto alias edito *die 20. Junii 1658.* prohibentur *Romæ 20. Novembris 1663.* Sic mandavit decerni Alexander VII. & inseri, seu apponi in *Indice librorum prohibitorum*, ut de facto reperitur ibi verb. *Inscriptiones*. Suspen- 39
duntur quoque, & prohibentur Imagines S. Augustini, Sancti Nicolai de Tolentino, & aliorum Sanctorum eiusdem Ordinis impressæ, & depictæ a Fratribus discalceatis Augustinianis in eorum habitu, prout in decreto Sacr. Rit. Congreg. edito *die 19. Decembris 1637.* quod ab Urbano VIII. fuit approbatum, & confirmatum *23. Januarii 1638.* Constit. incip. *Exponi Nobis* la 240. tom. 5. Bullarii.

Non debet ad quamcumque Sanctam Imaginem impediri 40
concursus; *Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. in Taurinensi 30. Julii 1620.* Modo non publicentur miracula prius non 41
approbata; *Ead. Sacr. Cong. Episcop. & Reg. in Feretr. 15. Sept. 1603. & in Trevicana 22. Dec. 1621.*

Si Imagines publicentur miraculosæ absque interventu Ordi- 42
narii, ipse debet eas claudere, informationes capere, Romamque transmittere; *Ead. Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Mutinensi 6. Octobris 1617.* Administratio oblationum 43
Imagini factarum intus aliquam Parochiam, etiam Regularium existenti, spectat ad Ordinarium, qui eas erogabit in Ecclesia inibi ædificanda, & alios pios usus *Ead. S. C. Episc. & Regul. in Perusina 20. Sept. 1605.*

Urbanus VIII. comburi jussit Imaginem cum tribus buc- 44
cis, tribus nasis, & quatuor oculis, & alias, si quæ invenirentur similes; hæc enim nova inventio repræsentandi Sanctissimam Trinitatem tolerabilis non videtur; *In Mediolanensi 11. Augusti 1628.* apud Nicol. *in Floseulis verb. Imago num. 6.* Translatio Imaginis non miraculosæ private est fa- 45
cienda; *Sacr. Congreg. Episcop. & Regul. in Perusina 17. Novembr. 1617.*

Imago Beatificati pingitur cum radiis tantum; Canoniza- 46
ti vero cum Diademate circa caput, ut inter eos appareat differentia; Sic ex aliis Pignatell. *tom. 1. consult. 25. n. 1.*

In Altari, in quo exponitur SS. Sacramentum pro Ora- 47
tione 40. Horarum, cooperienda est quæcumque Imago, aut Statua ibi existens; sicuti etiam parietes Tribunæ Altari vicinæ, si non habeant ornamenta fixa, tegi debent pannis; at apparatus nullam continere debet historiam, aut rem prophanam. Super Altare non sunt ponendæ Sanctorum Reliquiæ, aut eorumdem statuæ, exceptis tamen statuis Angelorum figuram, seu vicem candelabrorum facientibus. Multominus ponendæ sunt figuræ Animarum Purgatorii quacumque materia factæ; Et hoc prohibetur etiam in omnibus expositionibus particularibus, & etiam in illis, quæ aliquando fiunt pro Suffragio dictarum Animarum; Sic Clemens XI. & XII. *in instructione observanda pro Oratione continua 40. horarum cum expositione SS. Sacramenti §. 2.* allata sub verb. *Eucharistia in fine.*

An Imago, & Statua Beatæ M. Virginis, ac aliorum 48
Sanctorum deferri possint in Processionibus cum Baldachino, & intorticiis? Vide verb. *Processiones n. 37. & 38.*

Hic juvat afferre breviter historiam miraculosissimæ Ima- 49
ginis

ginis B. M. V. in altari majori Ecclesiæ nostri Aracælitani Urbis Conventus magnificentissime, & religiosissime asservatæ: Hæc enim prodigiosissima Mariæ Virginis Imago sublamentantis, & Filii sui Domini nostri Jesu Christi mortem plangentis speciem præferens fuit a S. Luca Evangelista depicta, ut ex multis tradunt Annales Minorum Wadingi novissime Romæ reimpressi *tom. 3. fol. 258. num. 46. & 47.*

Et eadem est, quam S. Gregorius Magnus in publica sup- 50
plicatione detulit in illa magna mortalitate, quæ Romam adeo vehementi pestilentia laniavit, ut etiam corporali visu sagittæ cœlitus venire, & singulos quosque percutere viderentur. In illa namque processione hac sacra Imagine deportata, ecce tota aeris turbulentia cedebat Imagini, ac si ipsam 51
Imaginem fugeret, & ejus præsentiam nullatenus ferre posset; sicque post Imaginem mira serenitas, & aeris puritas remanebat. Tunc mirae voces in aere cantantium, & dicentium: 52
Regina cœli lætare, Alleluja, Quia quem meruisti portare, Alleluja, Resurrexit, sicut dixit, Alleluja, juxta Imaginem sunt auditæ. Statim autem Beatus Gregorius, id, quod sequitur, adjunxit: *Ora pro nobis Deum, Alleluja.* Post hæc Beatus Gregorius vidit supra Castellum Crescentii Angelum, qui revocabat in vaginam gladium cruentatum, ex quo intellexit, quod pestis illa cessasset, & sic factum est. Et ideo illud Castrum, Castrum S. Angeli deinceps est vocatum, & ipse Angelus cum gladio in vagina sculptus in lapide miræ magnitudinis ab illo tempore in antea mansit in cacumine dicti Castri, inde tamen dejectus sinistrante fortuna per ictum machinæ, obsidionis tempore per Romanos. Est etiam ad memoriam revocandum ad plenam fidem omnium prædictorum, quod in Castri cacumine præfatibai Capella erat pulcherrima ad honorem Archangeli Michaelis constructa per Dominum recol. mem. Nicolaum Papam III. de domo Ursinorum, & erat ibi Indulgentia singularis. Item in prædicta Capella erat depicta tota forma, & historia hujus Processionis, & Litaniæ, hujus Imaginis glorioſæ, & sic scriptum in Imagine legebatur: *Hæc est Sacra Imago Ecclesiæ Aracæli.* Hæc etiam eadem historia, & forma Processionis depicta est in quadam Capella, quæ dicitur studium S. Gregorii, in appendicio Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis. Item tempore magnæ mortalitatis, quæ fuit anno Dom. 1388. incæpit occupare Romam in principio mensis Junii, & per totum mensem Augusti in suo robore perduravit, fuit per Urbem hæc Sacra Imago cum aliis Reliquiis honorifice, & devotissime deportata, & dum applicuit ad portam Sancti Petri, ille Angelus marmoreus existens in cacumine Castri exhibendo reverentiam huic Imagini se pluries inclinavit. Quod miraculum ultra sexaginta digni fide, tactis Sacrosanctis, se hoc vidisse oculis corporeis affirmabant, clamantes Imagini *Misericordiam* vocibus elatis &c. Sic ad litteram cum pluribus aliis in supradictis Annalibus ex quadam Tabula vetusta refecta anno MDLXII. totam rei seriem referente, & palam appensa ad rei confirmationem, & plenam omnium notitiam.

In perenne testimonium sic insignis miraculi ab ista prodi- 53
giosa Imagine patrati, & in perpetuam memoriam, & gratiarum actionem tanti Beneficii ab ipsa recepti, quotiescumque ad supplicationes publicas transeundum est per molem Adriani, seu Pontem S. Angeli, hujus miraculi locum, Religiosi Aracælitani Conventus semper, & soli cantant supradictam Antiphonam *Regina coeli lætare &c.* ab Angelis ibi cantatam; Ita citati Annales *tom. 3. fol. 261. n. 50.*

Alia ad rem. Vide verb. *Veneratio Sanctorum.*

Additio ex Auctore.

54 IMagines Deum repræsentantes sub ea forma, qua ipse 55 hominibus apparuit, licitæ sunt; Benedict. XIV. tom. 1. Constit. 141. incip. *Solicitudini §. 12. & sequent.* Imagines Sanctissimam Trinitatem repræsentantes sub certis formis licitæ sunt, nempe quæ Deum Patrem continent in forma 56 hominis senis, in cujus sinu sit Christus, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ, vel Imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma hominis senis, & seorsim Christus, sed propinqui ambo, & inter utrumque Spiritus Sanctus in forma Columbæ; Idem *ibid. §. 25. 32. & 36.* 57 Pingi etiam potest Pater solus, seorsim ab aliis Personis; Item Æternus Filius seorsim a Patre, & Spiritu Sancto, & etiam sub forma Agni. Item Spiritus Sanctus, vel tamquam 58
de Cœlo descendens die Pentecostes in figura linguarum, 59
ignis, vel alias in Columbæ specie seorsim pariter ab aliis Divinis Personis; Non tamen Spiritus Sanctus seorsim a duabus aliis Personis humana specie, seu viri, seu Juvenis depingi potest; Idem *ibid. §. 36.* 60

Non licet Sanctissimam Trinitat. pingere in utero B. M. V.; 61
Idem. §. 27. Nec sub figura hominis tricipitis; Idem *ibid. §. 28.* An autem sub figura trium hominum æqualium, & 62
similium, disputatur; Idem *ibid. §. 29.* Imagines Divinam 63
Personam repræsentantes sub alia forma, quam quæ ab eadem assumpta fuerit, tolerari non debent; Idem *ibid. §. 22.*

Imagines æterni Patris permissæ, & approbatæ sunt, ut 64
pingatur solus, tamquam ambulans, & loquens in Paradiso auditus ab Adamo. Item, ut innixus mysticæ scalæ visus est 65
Jacob, seu ut miro modo conspiciendum se præbuit Moysi, 66
seu ut Isaiæ tamquam Rex in solio sedens, seu ut Danieli, veluti se nex albo vestimento amictus; Idem *ibid. §. 36.* 67

Imagines æterni Filii permissæ, & approbatæ sunt, ut pin- 68
gatur solus, uti cum hominibus in diebus carnis suæ conversatus est, atque etiam postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis, aliisque manifestus apparuit. Item sub hu- 69
mana forma Cruci affixus, & mortuus; Item in forma Agni; Idem *ibid. §. 32. & 36.* 70

Imagines Spiritus Sancti permissæ, & approbatæ sunt, ut 71
pingatur in forma Columbæ; Idem *ibid. §. 16. ad 20. & §. 36.* Item in figura linguarum ignis, ubi repræsentatur Mys- 72
terium Pentecostes; Idem *ibid. §. 21. & 36.* Imagines autem 73
Spiritus Sancti sub humana Juvenis forma damnantur, & reprobantur, ac removeri jubentur; Idem *ibid. §. 10. 23. 33. 36. & 37.*

Imagines insolitæ, & errori occasionem præbentes dam- 74
nantur, & prohibentur; Idem *ibid. §. 23.* Imagines Servorum Dei, quorum cultus ab Ecclesia non est approbatus, pu- 75
blice distribui, & venerari non licet; Idem *ibidem §. 41.* Imagines Beatorum non ubique publicæ venerationi exponi 76
possunt; Idem Constitut. 168. incip. *Quoniam §. 10.*

Imagines plurium Sanctorum apponi possunt super Alta- 77
ri, in quo Sacrum peragitur; Idem tom. 2. Constitut. 17. incip. *Accepimus.*

Placet hic subnectere, quæ de significatione symbolorum, 78
quibus pingi solet Imago S. Antonii Abbatis profert eruditiss. Card. Lambert. postea Benedictus XIV. *Institut. Eccles. 47. a n. 5. ad 8.* ubi sequentia adducit.

Effigies S. Antonii variis symbolis distingui solet; ignem, & porcum ad pedes jacentem habet; librum cum baculo dextra manu gerit, tintinnabulum sinistra; Thau quoque super vestem depingitur.

Quid hæc significent, varia Scriptores prodiderunt, inter quos P. Menochius *nelle fluore parte 2. cap. 25.* Sarnellius *in Epist. Ecclesiast. tom. 3. lit. 6.* & fusius P. Theophilus Raynaudus *tom. 8.* in eo libro, qui inscribitur: *Symbola Sancti Antonii.*

Molanus *lib. 2. de Imaginibus*, suem ad pedes Antonii jacentem hoc pacto interpretatur, quod illius patrocinio bruta sanitatem consequantur: *Thau* salutis indicium esse ex Sacris Litteris deprehendimus (*Ezech. cap. 9. v. 6.*) *Omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis.* Nos quidem Sancti Antonii patrocinium non inficiamur pro his brutis, quæ vitæ alendæ, commodoque mortalium inserviunt, hæc tamen per effigiem porci nobis declarari minime existimamus: *nam si idcirco* (ait P. Theophilus Raynaudus *lib. superius allato, §. 8. Tandem*) *appingitur S. Antonio porcus, quia sospitatem exorat brutis, cur potius ei appingitur porcus, quam asinus, aut equus*, & paulo post: *Cur igitur sus, quam aliud quodpiam brutum, B. Antonio appingatur, ægre assignari potest valida ratio, si sistamus in præsidio, quod brutis a Sancto Antonio suppetit; cujuscumque enim generis bruta Beato huic Coeliti sospitatori commendari ex usu est, & eventus felix sepe vota secundat.*

Itaque sententiam suam his verbis exprimit: *Existimarim vero non minus commode, symbolo illo porci jacentis, ad Sancti Viri pedes insinuari triplex genus porcinorum, hominum ab eo domitorum, ac prostratorum; Ethnicos dico, & hæreticos, ac voluptuarios Christianos.* Aliqui (P. Ajala *lib. Pictor Christianus, lib. 5. cap. 4. num. 7.*) putaverunt murem Ægyptium porco similem ad pedes S. Antonii appingi consuevisse, ut Antonium Ægyptium a reliquis omnibus secernerent. Hinc pau-

paulatim ſuſus obtinuerit, ut loco muris Ægypti imago ſuis ſufficeretur. Hæc præciſe laudatus Pontifex.

79 Subdunt ad rem eruditiſſimi Bollandiſtæ *tom. 2. in Legenda* ipſius Sancti *ad diem 17. Januar.* quod adpingi, ſeu ſculpi etiam ſolet Nola, & Eccleſia: hæc ceu primæ Domus, ſeu Eccleſiæ Antonianæ imago: illa quia a Nunciis Eleemoſynariæ Domus, ſeu Eccleſiæ (ideſt Eccleſiæ S. Mariæ, quæ de Elemoſyna dicebatur) Antonianis ad colligendam ſtipem concurſantibus deferri in adventus ſui ſignum cum reliquiis ſolita; cum baculo inſuper ob baculum ad *Potentiæ*, vel ſigni *Thau* modum, & figuram a Sancto ipſo cuidam Gaſtoni Provinciæ Viennenſis in Gallia viro nobiliſſimo ac opulentiſſimo in magnam arborem ſuccreſcentem in viſione præoſtenſum, ad ei indicandum, fore ab ſe, ſuiſque ſociis, atque alumnis in poſterum miſeros igneo morbo, ſacroque igne peruſtos ac mutilatos, atque egeſtate preſſos omnimode ſuſtentandos; ſeu, ut in *Vita S. Pauli* dicitur, ſenex infirmos artus baculo regente ſuſtentans: quæ verba peregre proficiſcentem indicant, aut certe ideo appoſita, quod baculum Monachi gerere ſolerent, ut tradit Caſſianus *lib. 1. Inſtitut. cap. 9.* & ita baculo inſtitutus pingi ſolet S. Antonius. Sic ex laudatis Bollandiſtis *loc. cit.* Vide *ibi*, ubi multa ſcitu digniſſima. Hinc facile colligitur, quare ei appingatur ſignum *Thau* & *ignis*, tum ex hic adductis, tum ex allato textu *Ezechielis cap. 6. num. 4. & 6.* tum ex traditis a nobis *tom. 6.* ſub *verb. Religiones Regulares*, *art. 3. numer. 27* vide *ibi*.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 SOllicitudo ſacrarum imaginum præcipue ſpectat ad Epiſcopum. Atque hinc eſt, quod citra Epiſcopi conſenſum haud licet pingere, aut inſculpere in Eccleſia inſolitam aliquam imaginem, vel eam exponere. Non licet transferre Sacras Imagines ac Reliquias, Epiſcopo invito, vel contradicente Rectore Eccleſiæ, vel Patrono. Maxime ſi fuerint Eccleſiæ dono datæ ad conſervandam memoriam donantis; Vide Rot. *in Vratislavien. Translationis Imaginis 17. Martii 1738. cor. cl. mem. Calcagnin.*

IMMUNDITIA.

Vide verb. *Gula num. 27.* & verb. *Luxuria numero 36.*

IMMUNITAS ECCLESIASTICA ET ECCLESIARUM.

Articulus I.

Immunitas quoad ea, quæ concernunt ejus naturam, diviſionem, & jus, a quo provenit.

1 IMmunitas derivatur a verbo *Munus*, quod licet generatim captum tria ſignificet, ſcilicet Donum, Officium cum onere, & Onus ſine honore; proprie tamen ſumptum, ſolum tertium ſignificatum importat, ſcilicet Onus ſine honore, ſeu onus, functionem, & obligationem alicui impoſitam, ſive lege, aut more ei incumbentem; *leg. Munus proprie 214. ff. de verbor. ſignificat.* ibi: *Munus proprie eſt quod neceſſario obimus lege, more, imperiove ejus, qui jubendi habet poteſtatem.* Unde qui a tali onere, aut obligatione liber, aut exemptus eſt, immunis eſſe, & immunitate gaudere dicitur; *l. Munus 18. & ibi Gloſſ. verb. Onus, & verb. Officium, ff.*
2 *de V. S. & leg. 1. ff. de jure Immunitatis.* Immunitas Eccleſiaſtica, & immunitas Eccleſiarum, quamvis paſſim a plurimis pro eodem ſumantur, & unica definitione deſcribantur dicendo, *Immunitas Eccleſiaſtica eſt jus, ſeu exemptio, qua Eccleſiæ, res, & perſonæ Eccleſiaſticæ a publicis muneribus, & oneribus ſæcularibus ſunt liberæ*; tamen proprie, & rigoroſe loquendo non ſunt idem, ſed quid diverſum, ut recte advertunt Riccius *in praxi aurea part. 2. reſolut. 153. num. 2.* Engel *lib. 3. Decret. tit. 49. num. 2.* Reiffenſtuel *ibi d. num. 3.* & alii intelligentes pro *Immunitate Eccleſiarum* ſolam Immunitatem localem competentem Eccleſiis, aliiſque locis ſacris, & pro *Immunitate Eccleſiaſtica* ſolam Immunitatem perſonalem, & realem competentem perſonis Eccleſiaſticis, & rebus ad tales perſonas, vel ad Eccleſias, ſeu loca ſacra pertinentibus; *arg. cap. Inter cunctas 1. Extravagant. de privileg. inter commun.* §. *Incendiarios*; ubi diſtinctim ponuntur, & nominantur violatores Immunitatis Eccleſiarum, & libertatis (ideſt Immunitatis) Eccleſiaſticæ, ibi: *Eccleſiarum Immunitatis, & libertatis Eccleſiaſticæ.*

Et hoc videtur rationi congruere, quia allata definitio 3
Immunitatis communiter diviſæ in *localem*, *realem*, *& perſonalem* non convenit omni definito, cum non poſſit aptari *Immunitati locali*, ac juri Aſyli, ut clare patet. Unde ap- 4
tius definitur *Immunitas*, dicendo, quod ſit *Jus, quo Eccleſiæ, & alia loca ſacra nec non perſonæ Eccleſiaſticæ, ac res ipſarum liberæ, ac immunes ſunt a muneribus, & oneribus ſæcularibus, atque ab actibus earum ſanctitati, & reverentiæ debitæ repugnantibus.* Hæc enim definitio competit omni 5
membro definiti, cum per ly *Jus, quo Eccleſiæ, & alia loca ſacra, nec non perſonæ Eccleſiaſticæ, ac res ipſarum liberæ, ac immunes ſunt a muneribus, & oneribus ſæcularibus*, denotatur, *Immunitas realis, & perſonalis*, & per ly *atque ab actibus earum ſanctitati, & reverentiæ debitæ repugnantibus*, denotatur *Immunitas localis*.

Immunitas ſic deſcripta recte dividitur in localem, realem, 6
& perſonalem. Immunitas *localis* eſt, quæ convenit Eccleſiis aliiſque locis piis, ſeu Religioſis. Immunitas *realis* eſt, quæ competit rebus Eccleſiaſticis, ideſt bonis ad Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas pertinentibus. Immunitas *perſonalis* eſt, quæ competit perſonis Eccleſiaſticis.

Immunitas realis, & perſonalis eſt de jure divino; ut col- 7
ligitur ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. *Geneſ. enim 47. verſ. 22.* ſub Pharaone Ægypti Rege habetur Sacerdotes, & Levitas exemptos fuiſſe a jurisdictione ſæculari, & a lege ſolvendi tributa, & refertur *in cap. Non minus 4. de Immunit. Eccleſ.* ubi idcirco graviter arguuntur plurimi Chriſtiani Principes, quod *deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quam ſub Pharaone, qui legis divinæ notitiam non habebat*, ubi nota illa verba *legis Divinæ*: & ſimiliter colligitur *ex cap. ultimo verſ. 28. Levitici, & ex cap. 3. Numer. verſ. 20. & cap. 45. verſ. 14. & 15. & ex primo Eſdræ cap. 7. verſ. 25. & cap. 17. Matthæi verſ. 25. & 26.* ſed ne repetantur omnia jam ſcripta, vid. verb. *Clericus art. 2. a num. 77. uſque ad 85.* incluſive, & verb. *Bona Eccleſiaſtica art. 2. a num. 16.* ubi late probatur concluſio per citatas Scripturas, per varios Sacros Canones, & per Concilium Trid. *ſeſſ. 25. cap. 10. de reform.* ubi expreſſe conteſtatur Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam. Et ſic tenent ultra Doctores *loc. cit.* adductos, Bellet. *Diſquiſit. Cleric. part. 1. de exempt. Cleric. §. 1. num. 1.* Diana *part. 1. tract. 2. reſolut. 1.* Reiffenſtuel *lib. 3. Decret. tit. 49. art. 9. num. 235.* Tambur. *de Jure Abbat. tom. 1. diſp. 15. q. 10.* Thom. Delbene *tom. 1. de immunit. Eccleſ. par. 1. cap. 1. dub. 1. per tot.* Fagn. *in cap. Non minus 4. de immun. Eccleſ. num. 4.* Bonacina *de Cenſuris in Bulla Cœnæ diſp. 1. q. 16. ſect. 2. punct. 1. & ſeq. & in 8. præcept. Decalog. diſp. 10. q. 2. par. 1. §. 1. num. 3.* & late Card. Petra *tom. 2. comment. ad Conſtitut. 1. Honorii III. a nu. 3.* & alii.

Immunitas localis Eccleſiarum, ſeu privilegium Aſyli non 8
competit Eccleſiis, aliiſque piis locis de jure naturali, & divino, ſed ſolum de jure humano, tum Civili, tum Canonico, & quod hæc localis Immunitas ſit de jure Civili, habetur *ex tot. tit. Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt, & authent. de mandatis Principum* §. *Neque autem homicidii, collat. 3.* & quod ſit de Jure Canonico, habetur *ex cap. Inter alia 6. de immunitate Eccleſ.* ibi: *Juxta Sacrorum ſtatuta Canonum, & traditiones legum Civilium..... fugiens ad Eccleſiam; & cap. Id conſtituimus 36. cauſ. 17. quæſt. 4. ex Concil. Aurelianenſ. I. cap. 3.* ibi: *Id conſtituimus obſervandum, quod Eccleſiaſtici Canones decreverunt, & lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi reos abſtrahere omnino non liceat; & cap. Eos qui 6. diſt. 87. ex Concilio Arauſicano canon. 5.* ibi: *Eos, qui ad Eccleſiam confugiunt, tradi non oportere, ſed loci ſacrati reverentia, & interceſſione defendi; & cap. ſicut antiquitus 6. cap. Reum 9. cap. ſi quis 20. cap. Definivit 35. cauſ. 17. quæſt. 4.*

Nec

9 Nec valet objicere, quod Deus in lege veteri præter Civitates refugii, de quibus *Numer. 35. Deuter. 19. Joſue 20.* conſtituerit pro Aſylo Templum Jeroſolymitanum, ut videtur colligi *ex cap. 21. Exodi*, ibi: *Conſtituam tibi locum, in quem fugere debeas*, videlicet Altare Templi; & quod etiam Gentiles ex inſtinctu naturæ aliqua loca deſignaverint, quæ
10 vocabantur *Aſyla*. Non valet inquam, quia, præterquam quod Abulenſis *c. 25. Joſue q. 7.* & alii plures negant Templum Jeroſolymitanum pro Aſylo conſtitutum fuiſſe, dato etiam hoc, & non conceſſo, hujuſmodi lex poſt mortem Chriſti, utpote ad Cæremonialia pertinens, jam expiraſſet; Unde jus Aſyli jam non habetur ex veteris legis obligatione, ſed ſolum ad quamdam ſimilitudinem, & ſecundum congruam Juris naturalis æquitatem (quam etiam Gentiles agnoverunt) de facto per Jura humana, tum Civilia, tum Canonica Eccleſiis, aliiſque locis piis conceſſum fuit.
11 Neque in noſtra nova lege Evangelica habetur aliquod Jus poſitivum, ſive ſcriptum, ſive Apoſtolis traditum decernens tale m immunitatem, ſiquidem Chriſtus præter leges naturæ, & Fidei nullas leges cæremoniales præſcripſit, niſi circa ritus Sacrificii, & Sacramentorum, reliqua Eccleſiæ ſtatuenda relinquens. Sic tenent Suar. *tom. 1. de Religion. lib. 3. de locis ſacris c. 8. nu. 9. 10. 11. & 13.* Cov. *lib. 2. reſolut. cap. 20. num. 1. 2. & 3.* Laym. *lib. 4. tract. 9. cap. 3. q. 1. num. 1.* Pirhing. *lib. 3. Decretal. tit. 49. ſect. 2. num. 15.* Engel *ibid. num. 7.* Zoeſius *ibid. num. 6.* Sannig *ibid. cap. 2. num. 1.* Reiffenſtuel *ibid. num. 22. & lib. 2. tit. 2. num. 131. & in Theologia morali tract. 12. diſt. 2. num. 2.* cum communiori aliorum contra Delbene *de immunitate, & juriſdiction. Eccleſ. cap. 16. dub. & num. 2.* ubi illud jus naturale eſſe aſſerit, & contra Fagn. *in appendice de immunitate cap. 2. num. 9.* Decium, & Tuſcum exiſtimantes eſſe Juris Divini poſitivi.
12 Quam ſententiam ſcilicet Jus Aſyli etiam in novo Teſtamento eſſe juris divini naturalis, vel poſitivi non improbabilem cenſet etiam Reiffenſtuel *lib. 3. Decretal. tit. 49. n. 26.* Eo vel maxime quod videatur ei favere Sacra Scriptura locis citatis *ſub num. 9.* Tridentinum *ſeſſ. 25. cap. 20. de reform.* per verba adducta *ſub n. 7. & cap. Quamquam 4. de cenſibus in 6.* & quia apud omnes fere Gentes vigebat tale Jus Aſyli, ut videre eſt apud ipſum Reiffenſtuel *loc. cit. num. 26.* Covar. *loc. cit. cap. 20.* Gonzalez *in c. Inter alia 6. de immunit. Eccleſ. n. 9.* & alios.
13 Tamen ad id de Scriptura, & Gentilibus fuit jam reſponſum *ſub num. 10.* & ad Tridentinum, & textum Canonicum communiter reſpondetur non loqui de immunitate locali, ſeu Aſyli; ſed ſolum de immunitate reali, & perſonali, ideſt de immunitate perſonarum Eccleſiaſticarum, & rerum ad eos, vel ad Eccleſias pertinentium, quam eſſe de jure divino etiam nos docuimus *ſub n. 7.* Et ſi quis contendat Tridentinum loco citato loqui etiam de immunitate locali, ſeu de Jure Aſyli; Reſpondetur, quod ut Jura Juribus concordentur juxta *cap. Cum expediat, de elect. in 6.* quantum ad immunitatem Aſyli, plus non vult Concilium, quam ipſam ad imitationem veteris legis, atque inſtinctu divino per Cano-
14 nicas ſanctiones conſtitutam eſſe. Tum quia, ſi Jura Aſyli eſſent de jure divino naturali, nunquam potuiſſent, nec adhuc poſſent mutari, quia jura naturalia ſemper firma, & immutabilia permanent, ut dicitur §. *Sed naturalia 11. Inſtit. de jure naturali, Gent. & Civil.* nec potuiſſent ab aliquo etiam Summo Pontifice minui, immutari, aut diſpenſari, cum inferior in lege Superioris nullam habeat poteſtatem; *cap. Cum inferior 16. de majorit. & obed. & Clement. Ne Romani, de elect.* Neque potuiſſent conſuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, cum conſuetudo contra jus divinum nihil valeat: *cap. Cum tanto 11. de conſuetudin.* Atqui jus Aſyli per Pontificem fuit immutatum, quoad certa crimina, & perſonas reſtrictum, ac limitatum, ut patet *ex cap. Inter alia 6. de immunitat. Eccleſ.* & ex Conſtitutionibus Gregorii XIV. & Benedicti XIII. art. ſeq. adducendis, adeoque &c.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 QUæſtio, num immunitas perſonalis ſit de jure divino, an potius humano, magni momenti eſt, & ſurſum, at-
2 que deorſum verſata, non modo a Juriſconſultis, ſed etiam a Theologis. Num alii contendunt, Clericos privilegio fo-
3 ri uti de jure divino. Ita *Auctor num. 7.* & qui ab ipſo allegantur. E diverſo alii in contrarium nituntur id eſſe de jure humano; *Innocent. in cap. 2. de Major. & obed. Alciat. in cap. Quum non ab homine, de Judic.* & alii apud *Peregrin. de Immunit. Eccleſ. in princip.* quos ex Theologis ſequitur *Medina in tit. de Reſtit. quæſt. 15.*

Mihi haud diſplicet opinio *Covarruv. 3. practic. 31.* qui 4
diſtinguit, ut ſi agatur de rebus ſpiritualibus, Clerici immunes ſint de jure divino a jurisdictione Laicorum, ſi autem de rebus temporalibus, de jure humano ſint exempti ex Legibus potiſſimum Conſtantini Magni *in C. de Epiſcop. & Cleric.*

Prima pars probatur, quia Summus Pontifex de jure divi- 5
no ex inſtitutione Chriſti poſitus eſt ad regimen Eccleſiæ, quum ei dedit poteſtatem paſcendi oves ſuas, ſolvendi & ligandi, deditque claves Regni cæleſtis, & voluit, ut aliquando converſus confirmaret Fratres ſuos. Ex quibus Pontifex factus eſt in ſpiritualibus caput totius Orbis Chriſtiani, & præſertim Clericorum, qui militantis Eccleſiæ partes ſunt magis connexæ. Hi igitur ex eodem met jure divino facti in 6
ſpiritualibus ſunt ſubditi Summi Pontificis a quo regi debent; nam ex quo jure eſt poteſtas capitis, ex eodem eſt ſubjectio ſubditorum.

Patet altera pars, tum ex dictis, tum etiam quia ipſi Cle- 7
rici in Sacris conſtituti a Summo Pontifice ſæpe Judici Laico traduntur, ut eoſdem puniat, *cap. In audientia, cap. Contingit, cap. Perpendimus, de ſentent. Excommunic. cap. Ex parte, de Privil. cap. Ad abolendam, de Hæretic.* Ergo exemptio Fori Clericorum in Temporalibus Juris eſt humani; Idque 8
quia Summus Pontifex non ſolum immutare haud poteſt Jus 9
divinum, ſed nec ob cauſam licet juſtam diſpenſare; bene vero declarare & interpretari.

Nec negotium faceſſere debet *Can. Si Imperator diſt. 99.* 10
ubi Joannes Pontifex ait: *Clerici ex Divina Inſtitutione a Summo Pontifice ſunt judicandi*, quod etiam habetur *in cap. Quamquam, de Cenſib. in ſexto*; nam, ut recte obſervavit 11
Covarr. ubi ſupra, Jus divinum ibi uſurpatur pro Canonico, quod novum haud eſt.

Hinc facile eſt judicare, quid dicendum ſit *de Juſtiniano*, 12
qui *in l. g. Si quis in conſcribendo Cod. de Pactis* ſtatuit, Sacerdotem, qui ſe non uſurum promiſerit exceptione Fori, promiſſis ſtare teneri, ita ut poſſit dein coram Laico conveniri, 13
ea reddita ratione, quod poſſit quiſque Juri pro ſe introducto renunciare. Non ignoro in hoc Textu explicando ſe varie torquere DD.; eorumque plurimos *Juſtinianum* reprehendere, quod legem tulerit ſtatui Eccleſiaſtico contrariam; At diſtinguendum videtur poteſtatem inter, & juſtitiam. Porro 14
potuit Juſtinianus id ſtatuere, cum, ut mox dictum eſt, Fori Privilegium, quod habent Clerici in Temporalibus, ſit 15
Juris humani; ſed non juſte fecit, quia ratio qua Juſtinianus utitur minime convincit; nam regula, quæ ait poſſe quem- 16
que Juri ſuo renunciare, intelligitur, cum Jus eſt perſonale, quod ſane non accidit in Clericis, quorum exemptio in gratiam totius Collegii Eccleſiaſtici eſt inducta. Qua de ratione 17
recte *in cap. Si diligenti, de For. Competent.* corrigitur lex *Juſtiniani*, & ſtatuitur, ut Clericus ne Juramento quidem poſſit Foro ſuo renunciare.

Inſici as haud eo, ſæpe *Juſtiniano* libuiſſe pervertere Chri- 18
ſtianorum ſanctiones, ut inquit *Procopius in Hiſtoria Arcana pag. 123.* At ſæpius non tam pervertit, quam præſcripſit: 19
Nam quidquid in Canonibus Eccleſiaſticis erat inſigne, id voluit auctoritate ſua ſtabilitum, declaratum, ac pœnis vin- 20
dicatum. Factum hinc eſt, ut Epiſcopi Orientales *ex Juſtiniani* legibus eas ſibi concinnaverint regulas, quas *Nomocanonem* nuncuparunt. *Nomocanonem* enim ſcripſit *Joannes Scholaſticus*, qui a *Juſtiniano* ſuffectus eſt *Eutychio C. P. Patriarchæ* in exilium pulſo. Alium poſtmodum compoſuit *Photius Patriarcha etiam C. P.*, quem *Theodorus Balſamon* notis ſuis illuſtravit. 21 22

Articulus II.

Quoad ea, quæ ſpecialiter concernunt immunitatem localem, ſeu Jus Aſyli, loca, delicta, & perſonas, quibus competit, vel non.

1 IMmunitas localis, ſeu Jus Aſyli eſt Jus Eccleſiis, & ſacris, aliiſque quibuſdam locis competens confugientibus ad ea Malefactoribus ſecuritatem præſtans ad hoc, quod in- 2
de violenter extrahi non poſſint, nec in vita, nec in membris puniri valeant; *Eſt in re communis, arg. cap. Inter alia 6.*

de Im-

de immunit. Eccleſiar. Immunitate, ſeu Jure Aſyli gaudent omnes Eccleſiæ auctoritate Epiſcopi erectæ; *cap. Inter alia 6. de immunitat. Eccleſ.* & concordat *cap. Immunitatem 10. eod. cap. Eos, qui 6. diſt. 87. cap. Sicut antiquitus 6. cap. Rerum 9.*
3 *cap. Si quis 20. cap. Definivit 35. & cap. Id conſtituimus 36. cauſ. 17. quæſt. 4.* Etſi nondum ſint conſecratæ, textu expreſſo in *cap. Eccleſiæ 9. de immunit. Eccleſ.*, ibi: *Eccleſiæ, in qua divina myſteria celebrantur, licet adhuc non exiterit conſecrata, nullo modo privilegium immunitatis adimitur.*
4 Imo etiamſi in iis divina adhuc non ſint celebrata; *arg. cit. cap. Eccleſia*; ubi pro ratione immunitatis ſubjungitur: *Quia obſequiis divinis dedicata, nullis eſt temerariis uſibus prophananda*; Unde, cum pro ratione ibi Pontifex non alleget celebrationem divini Officii jam factam, ſed quia obſequiis, ac Officiis divinis eſt dedicata, ſeu deputata, debent Eccleſiæ gaudere immunitate, etiamſi in iis divina adhuc non ſint celebrata; cum ex eo ſolo, quod Eccleſiæ auctoritate Epiſcopi ad uſus ſacros ſint deputatæ, jam exiſtunt loca ſacra, ac religioſa, ita ut ad uſus prophanos redire, & applicari amplius nequeant, textu claro *in cap. Ad hæc 4. de religioſis domibus*, & ſic tenent Abbas in *cit. cap. Eccleſia num. 5.* Fagnan. *ibid. num. 8.* Hoſtienſ. *ibid. verb. Celebrantur*, Barboſ. *lib. 2. jur. Eccleſ. univerſ. cap. 3. numer. 59.* Covarruv. *lib. 2.*
5 *variar. reſolut. cap. 20. num. 4.* & alii communiter. Quinimmo immunitate gaudent etiam Eccleſiæ interdictæ; Fagnan. *in cit. cap. Eccleſiæ 9. de immunit. Eccleſiar. num. 11.* Abbas *ibid. num. 8.* Ventriglia *tom. 2. annotat. 23. §. 1. de immunit. Eccleſ. numer. 5.* Pirhing *lib. 3. decretal. tit. 49. num. 3.* Reiffenſtuel *ibid. num. 29.* Engel. *ibid. num. 11.* Layman *lib. 4. tract. 9. cap. 3. num. 2.* Silveſter *verb. Immunitas 1. quæſt. 1. dicto 2.* Barboſa *loc. cit. num. 60.* cum plurimis aliis ibi citatis. Immunitate gaudent etiam Eccleſiæ pollutæ; Fagnan.
6 *loc. cit. num. 13.* Ventriglia *loc. cit. num. 5.* Barboſ. *loc. cit. num. 61.* cum Suarez, Giurb. Bonacin. Bobadill., & Fagun-
7 dez *ibi* citatis & alii *num. anteced.* adducti. Item gaudent immunitate Eccleſiæ dirutæ, dummodo non ſint dirutæ auctoritate Epiſcopi, & ſubſit ſpes re ædificationis, *argum. cap. Quæ ſemel 4. cauſ. 19. quæſt. 4. leg. Æde ſacra 73. ff. de contrahend. emption.* Fagnan. *loc. cit. num. 14.* Engel. *loc. cit. num. 10.* Ventriglia *loc. cit. num. 4.* Barboſ. *loc. cit. num. 62.* cum plurimis ibi citatis, & alii paſſim.
8 Immunitate gaudet Cœmeterium, quamquam ab Eccleſia ſeparatum, dummodo auctoritate Epiſcopi ſit deſignatum, *cap. Cum Eccleſia 5. deimmunit. Eccleſiar.* Fagnan. *loc. cit. num. 21.* Barboſa *loc. cit. num. 63.* cum plurimis ibi cita-
9 tis, & alii communiter. Item immunitate gaudet Porticus Eccleſiæ; *cap. Si quis contumax 20. cauſ. 17. quæſt. 4.* & declaravit *Sacr. Congregat. Immunit. in Spoletana 7. Februarii 1630. in Camerinen. 3. Aprilis 1635. in Aſculana 20. Decembris 1657. & in Dertonen. 9. Septembris 1670.* apud Pignatel.
10 *tom. 1. conſult. 171. ſub num. 15. in fine.* Item immunitate gaudet Atrium; *cit. cap. Si quis contumax 20. & cap. Id conſtituimus 36. cauſ. 17. quæſt. 4.* Item immunitate gaudet Tectum, cum ſupra illud exiſtens dicatur eſſe intra ſitum Eccleſiæ; Suarez *tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 9. num. 8. verſ. Sed quid ſi quis ſupra Tectum*, Peregrin. *de immunitate num.*
11 *mer. 282.* Diana *part. 6. tract. 1. reſolut. 73.* Sperell. *deciſ. 63.*
12 *num. 9.* Ventriglia *loc. cit. num. 9.* Barboſa *loc. cit. num. 66.* & alii paſſim. Item immunitate gaudet Campanile Eccleſiæ, quamvis ab ipſa disjunctum ſit, dummodo non ultra triginta paſſus diſtet, uti bis declaravit Sacr. Congregat. apud Delbeh. *de immunitat. d. 9. ſect. 6.* Diana *part. 4. tract. 1. reſolut. 108.* Joan. Anton. Novar. *tit. de immunit. Eccleſ. num. 26.* Barboſa *loc. cit. num. 66.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 29.*
13 La Croix *lib. 4. ſub num. 1392.* & alii. Item Sacriſtia, ſi Eccleſiæ, vel Cœmeterio cohæreat, & etiam non cohærens, ſi Altare habeat; Secus autem ſi non cohæreat Eccleſiæ, vel Cœmeterio, nec Altare habeat ad celebrandum; Sporell. *deciſ. 61. a principio, & deciſ. 62. num. 19.* La
14 Croix *loc. cit.* cum variis aliis, Ventriglia *loc. cit. num. 12.* ubi dicit hoc certum eſſe. Item immunitate gaudent Scalæ exteriores Eccleſiæ; Suarez *tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 9.* Barboſa *loc. cit. num. 66.* cum pluribus aliis, Farinac. *tract. de immunit. num. 180.* ubi refert Sacr. Congregat. ita cenſuiſſe.
15 Item immunitate gaudent Fores, ſeu Portæ Eccleſiæ ſaltem manu tactæ, & apprehenſæ, cum clauſæ reperiuntur; Suarez *loc. cit. lib. 3. cap. 9. num. 8.* Navar. *in Manual. cap. 25. num. 17. ad finem*, La Croix *lib. 4. ſub num. 1392.* Barboſa *loc. cit. num. 65.* Pignatell. *to. 6. conſult. 4. num. 81. & ſeq.* ubi ad propoſitum affert declarationes, ac decreta Sacræ Congreg. præſentis tenoris: *Inniocus Stipiti Portæ Eccleſiæ gaudet immunitate in Amerina 28. Maji 1628.* Item *evadens e manibus Birruariorum, & adhærens valvis Eccleſiæ, gaudet Immunitate in Firmana 13. Julii 1657.* Item *teneas annulum Valvarum Eccleſiæ gaudet immunitate 7. Septembris 1638.* Item *qui in actu carcerationis cohæreat Valvis Eccleſiæ unico pede, & unica manu, gaudet immunitate in Brundusina 4. Septembris 1640.* Item *captus a Birruariis in janua Conventus, ſeu Monaſterii gaudet immunitate in Roſſanen. 18. Februarii 1653.* Sicetiam gaudet immunitate, qui tangit aliam partem exte- 16
riorem Eccleſiæ, v. g. muros; Barboſ. *loc. cit. num. 65.* Riccius *in praxi tom. 3. reſolut. 560. num. 8.* Navarrus *in Summa Bullæ de immunitate num. 16.* Bonacina *diſp. 3. in decalog. 3. punct. 4. num. 5.* Pignatel. *loc. cit. num. 82.* affert ſequentia decreta Sacræ Congr. Adhærens muro Eccleſiæ gaudet immunitate *in Amerina 18. Februarii 1632., & in Camerinen. 13. Julii 1638.* Item qui elapſus e manibus ſatellitum confugit ad Eccleſiam, & apprehendit parietem aut feras Valvarum, gaudet immunitate: *Sac. Congreg. Epiſcop. 31. Martii 1694. & 18. Julii 1614. & 20. Decembris 1616.* refert Pignatell. *loc. cit. num. 107.*

Privilegium immunitatis non reſtringitur ad portas, aut pa- 17
rietes, vel Atrium Eccleſiæ tantum, ſed per quadraginta paſſus in majori Eccleſia, per triginta in Capellis, vel minoribus Eccleſiis extenditur circumquaque, ut eſt definitum in *cap. Sicut antiquitus 6. cauſ. 17. quæſt. 4.* ibi: *Sicut antiquitus a Sanctis Patribus ſtatutum eſt, ſtatuimus, ut major Eccleſia per circuitum quadraginta paſſus habeat, Cappellæ vero, vel minores Eccleſiæ triginta; qui autem confinia earum confringere tentaverit, aut perſonam hominis, vel bona ejus inde ſubtraxerit . . . excommunicatur*, & concordat *cap. Definivit 35. ead. cauſ. 17. & quæſt. 4.* & utrobique notant, & tenent Gloſſ. Archidiaconus, & Doctores omnes; ut teſtatur & ſequitur Fagnan. *in cit. cap Eccleſiæ 9. de immunitat. Eccleſiar. num. 16.* Covarruv. *lib. 2. variar. reſolut. cap. 20. num. 5.* Hoſtienſ. in *cap. Inter alia 6. de immunit. Eccleſ. num. 2.* & ibi etiam Joann. Andr. *num. 7.* Abbas *in ult. not. ab.* Felin. *num. 2.* & Marian. Soccin. *num. 10.* Silveſter verb. *Immunitas 3. num. 1.* Barboſ. *in cit. cap. Sicut antiquitus 6. cauſ. 17. quæſt. 4.* Reiffenſtuel *lib. 3. decretal. tit. 49. num. 31.* Turrecremata Præ- 18
poſitus, & alii. Dicta autem immunitate triginta paſſuum pro Eccleſiis minoribus non gaudent Eccleſiæ, ſeu Capellæ quæ ſunt intra ambitum murorum Caſtellorum, ut expreſſe habetur in *cap. Quiſquis 21. cauſ. 17. quæſt. 4.*, ibi: *Capellæ, quæ ſunt infra ambitum murorum Caſtellorum, non ponuntur in hac triginta paſſuum obſervatione.* Et ratio eſt, quia ſi dictæ Eccleſiæ, ſeu Capellæ gauderent immunitate etiam ad triginta paſſus ob loci anguſtiam, immunitas fere totum Caſtrum quandoque abſorberet, ut obſervat Gloſſa 1. *in cit. cap. Sicut antiquitus*; & docent Fagnan. *loc. cit. num. 17.* Covarruv. *loc. cit. num. 5.* Abbas *in cit. cap. Eccleſiæ num. 10.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 32.* Silveſter *loc. cit.* & alii communiter.

Imo non deſunt, qui dicant, Jus Aſyli in ſpatio quadragin- 19
ta, vel triginta paſſum pro omnibus Eccleſiis ſublatum eſſe conſuetudine contraria, ſicque non amplius obſervari poſſe, aut debere; *arg. cap. Cum tanto 11. de conſuetudin.* Ita Igneus *in leg. 1. in princip. num. 58. ff. ad Syllanian.* quem refert Remig. *de immunit. Eccleſ. fol. 52. in 6. ampliation.* Clarus *in §. fin. quæſt. 30. verſ. Hinc eſt*, ubi dicit non eſſe ab hac communi conſuetudine recedendum, præterquam in domibus Eccleſiæ cohærentibus; Covarr. *loc cit. num. 5.* Haunold. *de juſt. & Jur. tom. 3. num. 152.* & ex Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verb. Immunitas §. 12.* Teſtatur. Engel. *lib. 3. decret. tit. 49. a num. 10.* hodie immunitatem non attendi ultra fines Cœmeteriorum; & Card. de Luca *lib. 14. part. 4. Miſcellan. diſc. 12. num. 17.* dicit, quod Immunitas talis ſpatii prope Eccleſias receſſit ab aula, & Pignatell. *tom. 1. conſult. 435.* ubi, poſt- 20
quam ad quæſitum: *An carceratus infra ſpatium quadraginta paſſuum circa Cathedralem gaudere debeat immunitatem ſitque veſtituendus?* reſpondit affirmative, ſi adſit conſuetudo, & ita declaraſſe Sacram Congregationem Immunitat is in una Interamnen. pro Petro Paulo Mangonio 17. *Julii 1663.* ſubjungitur: *Verum eadem Sacr. Congregatio die 27. Januarii 1665. cognito per plurimos caſus, quod gravia inferat publicæ quieti Narnienſis Civitatis præjudicia plateam Eccleſiæ Cathedralis ex quadam veteri conſuetudine haberi pro loco immuni, cujus ſecu-*
ritate, qua ſepiſſime abutuntur Criminoſi, Contumaces, & de-
bitores

bitores maximo non ſine juſtitiæ detrimento, cenſuit, ſi Sanctiſſimo D. N. placuerit, plateam eamdem inpoſterum pro loco immuni non habendam, & exiſtimandam, ac ad ipſam confugientes immunitate Eccleſ. non gaudere, injungendumque Epiſcopo, ut triduo a publicatione hujus decreti, eam ut talem teneri curet, & mandet, quibuſcumque non obſtantibus. Et facta relatione ſub die 21. Februarii 1665. Sanctiſſimus annuit, & ita exequi juſſit. Et idem Pignatell. *tom. 6. conſult. 25. num. 13.* cum multis ibi citatis concludit hos paſſus gaudere, ſi adſit in loco legitima conſuetudo, juxta ſupra allatum decret. *in Interamnenſi*; Secus vero non. Unde hos paſſus non gaudere declaravit eadem Sac. Congr. Immunit. *ſub anno 1634. in Spoletana* relata a Donato *de Aſylo reſol. 43. num. 1. & 2.* Vide ibi Pignatell. *per totam conſ. 25.* ubi multa erudite.

21 Affertur aliud conſimile decretum, ut ſequitur. Licet *die 9. Februarii 1694. lib. 1. decret. Valleman. pag. 104.* declaratum ſit, Atrium circumductum muris ante Eccleſiam Beatæ Mariæ Montis Virginis extenſum per quadraginta paſſus gaudere immunitate, attamen, mandante Sanctiſſimo, Ordinarius declaret eidem loco non ſuffragari amplius immunitatem Eccleſiaſtica m, & reputari tamquam non immunem; & inſuper ne poſſit allegari ignorantia, & ad perpetuum documentum apponat in loco opportuno lapidem cum præfata declaratione; *Sacr. Congr. Immunit. in Nullius Montis Virginis 11. Decembris 1697. lib. 2. decret. Vallem. pag. 125.*

22 Immunitate gaudent Monaſteria, & Conventus; *cap. Quiſquis 21. cauſ. 17. q. 4. Leg. Omnia privilegia Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Conſtitut. Gregorii XIV. incip. *Cum alias Monaſteriis domibus Regularibus, locisque Sacris, aut Religioſis*: Fagnan. *loc. cit. n. 28.* Barboſa *loc. cit. n. 72. & communis* alio-
23 rum. Eadem immunitate gaudent omnia loca intra eorum ſepta, ſcilicet Clauſtra, Cellæ, ac habitacula, imo etiam eorumdem Monaſteriorum horti, areæ, domus Familiarum, ſtabula animalium, officinæ, cunctaque alia loca, quæ intra Monaſteriorum ſepta continentur; *arg. l. Pateant Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt*, ibi: *Nec ſola Altaria, & Oratorium; &c. ſed quidquid fuerit interjacens, ſive in cellulſive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus conſingias interioris templi vice tueatur; &c. Id conſtituimus 36. cauſa 17. q. 4.* & cit. Conſtitut. Gregorii XIV. incip. *Cum alias*; Barboſ. *loc. cit. num. 72.* Lezana verb. *Immunitas num. 3.* Portell. *in dub. Regular. verb. Immunitas, & communis* aliorum.

24 Item immunitate gaudent Villæ, ſive Grangiæ, quas etiam recreationis gratia habent Regulares; Sic habetur ex privilegio conceſſo ab Eugenio IV. Ciſtercienſibus, & conſequenter omnibus aliis cum illis communicantibus, quod privilegium ex compendio Ordinis Ciſtercienſis refert Eman. Rodericus *to. 2. quæſt. Regular. quæſt. 75. art. 2.* his verbis: *Conceſſit, quod Grangiæ Monaſteriorum Ciſtercienſium ſicut Eccleſiæ atria pravorum hominum incurſu, & violentia liberæ, & quietæ debeant eſſe, ita ut nemo in eis hominem capere, ſpolium aut ruinam exercere præſumat in virtute Spiritus Sancti inhibendo ſtatuit.* Sic ex hoc privilegio late probat Card. de Lugo *in Reſponſ. moral. lib. 3. dub. 15. per totum*, ubi *num. 3.* refert, quod cum quidam Epiſcopus Sacrum Congregationem Romæ ſuper hoc conſuluiſſet, reſpondit; *Si Capella illa erat ingrangia, obſervandum privilegium*; Villalobos *in Summa tomo 2. tract. 39. difficul. 5. num. 6.* Peregrinus *de immunitate cap. 4. num. 58.* La Croix *lib. 4. ſub. n. 1392.* Diana *part. 6. tract. 1. reſolut. 6. verſ. Et tantum in fine* & alii contra Barboſam *loc. cit. num. 76.* Gambacurt. *lib. 1. cap. 4. num. 7.* Trullench. *lib. 1. cap. 11. dub. 1. numer. 6.* Lezzanam *tom. 3. verb. Immunitas num. 3.* Qui tamen Auctores ideo negarunt talem immunitatem, quia, ut dicit Card. de Lugo *loc. cit. num. 2.* vel non viderunt ſupra allatum privilegium Eugenii IV., vel illius memores non fuerunt.

25 Omnia loca religioſa, ut Seminaria, Hoſpitalia, Noſocomia, Orphanotrophia, & hujuſmodi auctoritate Epiſcopi erecta gaudent immunitate Aſyli; *Communis arg. cap. Ad hæc 4. & cap. Ne nimia 9. de Religioſis domibus; l. Sancimus*
26 *Cod. de SS. Eccleſiis, l. Omnia Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Item immunitate gaudet Domus Collegii de Propaganda Fide; *Sac.*
27 *Congreg. Immunitatis die 8. Martii 1650.* Confugiens ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum, quod portatur ad ægrotum, vel inde reportatur, aut in Proceſſione circumfertur, gaudet immunitate; Barboſa *loc. cit. n. 69.* Layman *loc. cit. num. 4.* Silveſter verb. *Immunitas in 1.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 48.* & *communis* aliorum, & Pignatell. *tom. 6. conſult. 4. n. 89.* ubi affert declarationem Sacr. Congregat. editam in *Melitenſi*

28. *Maji 1628.* tenoris ſequentis: *Carceratus ſequens, & manu tenens fimbriam veſtis Sacerdotis redeuntis ad Eccleſiam cum SS. Euchariſtiæ Sacramento gaudet immunitate.* Item gaudet 28
immunitate etiamſi ſolum ſe aſſociet proceſſioni Sanctiſſimi, aut illis, qui Sanctiſſimum comitantur; Barboſa *loc. cit. n. 69.* Diana *part. 1. tract. 1. reſolut. 28.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 49.* & alii paſſim, & Pignatell. *loc. cit. num. 90.* ubi affert declarationem Sac. Congr., ut ſequitur: *Aſſocians Proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti gaudet immunitate 30. Septembris 1636.* 29
Qui confugit ad Crucem exiſtentem in via extra Civitatem, gaudet immunitate Eccleſiæ, ſi adſit conſuetudo; *Sac. Congreg. Immunit. in Melevitana 1. Decembris 1638. lib. 3. decret. Pauluc. pag. 81.*

Capellæ, ſeu Oratoria in Palatiis, aut domibus Privato- 30
rum non gaudent Immunitate. Pignatell. *tom. 1. conſult. 93.* ubi teſtatur de communi, & citat plurimos Doctores, *tom. 6. conſ. 4. num. 103.* ubi affert decretum, ut ſequitur: *Capellæ privatorum palatiorum non gaudent immunitate. Sac. Cong. Epiſcop. & Regul. in Marſicana 17. Novembris 1617. & Sac. Cong. Immunit. in Peruſina 9. Decembris 1631.* La Croix *l. 4. ſub n. 1392.* Barboſa *lib. 2. Juris Eccleſ. univerſ. cap. 3. n. 68* & in *ſumma Apoſtol. deciſ. verb. Immunitas n. 5.* referens utrobique citatum decretum, & *cit. cap. 3.* citans plurimos alios Doctores, & Riccius in Synopſi verb. Capella; ubi refert ſequens decretum: *Capellæ vero privati Palatii regulariter non gaudent Immunitate Sac. Cong. Immunit. in Tudertina 4. Junii 1663. lib. decret. Rocci pag. 439.* Fagnanus vero *lib. 3.* 31
decretal. in cap. Eccleſiæ 9. de immunit. n. 23. cum pluribus ibi citatis, Reiffenſtuel *loc. cit. num. 43.* & alii volunt talia Oratoria etiam in domibus privatorum, dummodo auctoritate Epiſcopi ſint erecta, gaudere immunitate, quia ut dicunt ipſi, cum talia Oratoria ſint vera loca religioſa, nec amplius ad uſus profanos applicari poſſint; *c. Ad hæc 4. de Religioſis domibus*, ac inſuper juriſdictioni, & viſitationi Epiſcopi ſint ſubjecta, non minus debent gaudere immunitate, ac Oratoria publica Epiſcopi auctoritate erecta. Ad citata autem decreta omnes contrarii Doctores reſpondent eſſe intelligenda, & reſpective intelligenda de Oratoriis, & Capellis ſine auctoritate Epiſcopi erectis, uti plura habentur in domibus privatorum, quæ cum Religioſa non ſint, & ad nutum Domini Domus iterum ad uſus profanos poſſint applicari, & converti, quamvis de licentia Papæ, aut Epiſcopi in eis ſuper Altare portatili celebratæ fuerint Miſſæ, non debent gaudere immunitate Aſyli, uti tenent communiter Doctores, & cenſuit Sacra Congreg. in relatis decretis.

Eccleſia Campeſtris gaudet immunitate *Sac. Cong. Immun.* 32
in Brundusina 18. Decemb. 1694. lib. 1. decret. Vallem. pagine 162. Eccleſia enim quælibet, dummodo ſit fundata auctoritate Epiſcopi, gaudet immunitate Eccleſiaſtica, etiamſi 33
non fuerit benedicta, *arg. cap. Eccleſia 9. de immunit. Eccleſiar.* & expreſſe *Sac. Cong. Immun. in Anconitana 19. Junii* 34
1635. lib. 2. decret. Paul. pag. 126. Immo Locus, in quo conſtruitur Eccleſia, jam injecto ſolemniter primo lapide, eſt immunis. *Sac. Congreg. Immun. in Januen. 5. Octobris 1688.* 35
lib. decret. Martelli pag. 358. Capellæ, ſive Eccleſiæ in Arcibus ſive Caſtellis exiſtentes gaudent Immunitate. *Sac. Cong. Immunit. ſub anno 1653.* apud Pignatell. *tom. 6. conſul. 4.* 36
num. 121. Eccleſia ſita in Fortalitio S. Urbani gaudet immunitate Eccleſ. *Sacr. Congreg. Immunitatis in Bononien. 16. Julii 1675. lib. 1. decret. Altoviti. pag. 1122.*

Capella carcerum, vel contigua carceribus non gaudet im- 37
munitate. *Sac. Congreg. Imm. in Tudertina 12. Junii 1663.* 38
apud Pignatell. *t. 1. conſ. 471.* Capella contigua, ut dicitur, *Al Corpo di guardia*, erecta, ut milites ibi degentes audiant Miſſam maxime diebus Feſtivis, permittitur declarari non eſſe locum immunem. *Sac. Cong. Imm. in una Nullius Orbetelli 16. Febr. 1683. lib. 3. decret. Altoviti pag. 142.* Capella 39
ruralis, vulgo dicta *una Maeſtà*, poſita in publica via, niſi probetur fuiſſe conſtructam auctoritate Ordinarii, non gaudet immunitate. *Sac. Cong. Immunit. in Spoletana 2. Martii 1642.* 40
lib. 3. decret. Paul. pag. 171. Mandante Sanctiſſimo, claudunt Capellæ Civitatis, etiam cum muro, attento, quod confugiti committunt continuos abuſus, & ſcandala, & onera Miſſarum transferantur in alias Eccleſias arbitrio Epiſcopi. *Sac. Cong. Immunit. in Lycien. 19. Maii 1679. lib. 1. decret.* 41
Altoviti pag. 1249. Quando Capella exiſtens in Palatio Gubernatoris eſt perpetua, & invariabilis, confugientes ad eam gaudent immunitate; ſecus ſi ſit variabilis, & non perpetua. *Sac. Cong. Immunit. in Tudertina 7. Maii 1658. lib. decret.* 42

Rocci pag. 89. Capella vero privati Palatii, *ut* jam dictum est sub *num.* 30. regulariter non gaudet immunitate. *Ead. Sac. Congreg. in eadem. Tudertina* 4. *Junii* 1663. *libro decret. Rocci pag.* 489.

43 Domus Confraternitatis gaudere debet privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ. *Sac. Cong. Immunit. in una Civitatis Castelli* 23. *Julii* 1652. *lib.* 4. *decret. Paul. pag.* 189. Locata vero Laicis non gaudet. *Eadem Sacra Congregatio Immunitatis*

44 *in Reatina* 14. *Decembris* 1628. *lib.* 1. *decret. Paul. pag.* 115.

45 Sic immunitatem non gaudent Apothecæ Laicis locatæ habentes ingressum ex platea, vel via publica. *Ead. Sac. Congr. Immunit. in Narniensi* 27. *Februarii* 1662. Nec gaudet im-

46 munitate domus contigua Ecclesiæ, quæ præter januam viæ publicæ correspondentem, habet etiam egressum in Choro ejusdem Ecclesiæ, maximæ si sit Laicorum. *Ead. Sacr. Congr.*

47 *Immunit. in una Pennensi* 28. *Februarii* 1662. Gaudet tamen immunitate Domus Ecclesiæ, quæ inservit pro habitatione Sacristæ, etsi ab Ecclesia disjuncta, *Ead. Sacr. Cong. Immunit* 29. *Februar.* 1662. apud Pignatell. *tom.* 1. *consul.* 456.

48 Item immunitate gaudet domus annexa, & addicta Ecclesiæ. *Ead. Sacr. Cong. Immun. in Portuen.* 30. *Martii* 1666. *lib. decret. Borrom. pag.* 151. *&* *pag.* 754.

49 Domus a Suffraganeo Veliterno conducta gaudet immunitate, præterquam in parte reservata locatori. Tenetur tamen Suffraganeus impertiri licentiam pro transitu super parte ab eodem conducta, pro faciendis executionibus a Curia Sæculari contra locatorem. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Veliterna*

50 24. *Januarii* 1696. *lib.* 2. *decret. Vallem. pag.* 5. Domus contigua Ecclesiæ gaudet immunitate. *Ead. Sac. Congr. Immun. in Firmana* 8. *Januarii* 1665. *lib.* 1. *decret. Vallem pag.* 165. Sic

51 Domus contigua Ecclesiæ, ad quam habet aditum, ad viam publicam vero medio Cortili, gaudet immunitate. *Ead. Sac. Congreg. Immunit. in Theatina* 31. *Julii* 1674. *lib.* 1. *decretal.*

52 *Altoviti pag.* 976. Domus contigua Ecclesiæ, a qua nullus patet aditus ad Ecclesiam, & Laicis locata, non gaudet immunitate. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Marsicen.* 16. *Junii* 1682. *lib.* 3. *decr. Alt. pag.* 51. *&* *in Pisauren.* 16. *Julii* 1686. *ibi*

53 *pag.* 584. Domus Commendæ Religionis Hierosolymitanæ habens in inferiori parte Cauponam, habentem communicationem internam media parte Domus superioris cum Ecclesia, non gaudet immunitate, & claudatur aditus ad Ecclesiam. *Ead. Sac. Congreg. Immunit. in Perusina* 27. *Maii* 1687. *lib. decret. Marcelli pag.* 107. Domus posita super Sacristiam,

54 Confraternitatis Laicis locata non gaudet immunitate Eccles. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Reatina* 4. *Decemb.* 1628. *l.* 1. *de-*

55 *cret. Paul. pag.* 115. Domus, in qua habitat Vicarius Sanctissimæ Inquisitionis, non gaudet immunitate Ecclesiastica, nisi habeat Ecclesiam cohærentem, vel adsit consuetudo. *Ead. Sac. Congr. Immunit. in Marianen.* 6. *Novembris* 1634.

56 *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 206. Mansiones Conventus olim suppressi annexæ Ecclesiæ, nunc Commendatæ, laicis locatæ præter servitium Ecclesiæ, non sunt Immunes. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Recitanen.* 28. *Jan.* 1682. *l.* 2. *decret. Alt. pag.*

57 *gine* 2147. Non constat, quod sit locus immunis Domus empta a Regularibus ad effectum ampliandi suam Ecclesiam, & Conventum, in qua Episcopus unica vice celebravit Sacrum, sed deinde locata fuit Laicis, nec ullum habet ingressum ad Ecclesiam. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Perusina* 29. *Feb.* 1684.

58 *lib.* 3. *decret. Alt. pag.* 287. Non constat esse immunem capannam spectantem ad Regulares, positam in distantia quinquaginta septem palmorum ab Ecclesia, & septem a Claustro Regularium, quæ est locata laico, & est intra ambitum Civitatis. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Albanen.* 11. *Jul.* 1684. *lib.* 3. *decret. Altoviti pag.* 340.

59 Domus Canonicales gaudent immunitate. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Florentina* 8. *Maii* 1694 *l.* 1. *dec. Val. pag.* 120.

60 Non est permittendum Ædes Canonicales in Canonica existentes locari per Canonicos laicis ad inhabitandum. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Lauret.* 16. *April.* 1652. *lib.* 2. *decret.*

61 *Paulucci pag.* 180. Immo Episcopus hanc locationem prohibeat sub pœnis sibi benevisis. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Perusina* 14. *Maii* 1652. *l.* 2. *decret. Paul. p.* 184. *&* 23. *Septem-*

62 *bris* 1692. *lib. decret. Crim. pag.* 200. Et quidem sub pœnis pecuniariis, arbitrio Episcopi: *Ead. Sac. Cong. Immun. in Mantuana* 16. *Aug.* 1704. *l.* 3. *decret. Vallemani pag.* 618.

63 Laudatur Archiepiscopus Florentinus ob reintegrationem Ecclesiæ mediis Censuris procuratam in causa perquisitionis factæ auctoritate laicali in domibus Canonicalibus. *Ead. S. Cong. Immun. in Florentina* 8. *Maii* 1694. *l.* 1. *decret. Vallem. pag.* 226. Ob perquisitionem, & extractionem rerum e cubi- 64
culis Cathedralis, Clericus absolvatur arbitrio Episcopi, impositis gravibus pœnitentiis salutaribus. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Perusina* 25. *Septembris* 1694. *l.* 1. *decret. Valleman. pag.* 147.

Domus Præposituræ contigua Ecclesiæ gaudet immunita- 65
te, etiam respectu bonorum ibidem existentium, quamvis pars ejusdem domus sit Laico locata. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Castri Durantis, sive in Urbanien.* 19. *Aug.* 1630. *liber.* 2. *decret. Paul. pag.* 54. Domus Parochialis gaudet im- 66
munitate. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Comen.* 25. *Feb.* 1698. *lib.* 2. *decret. Vallem. pag.* 138. Etiamsi ab Ecclesia distans, modo non sit locata, & inhabitata a Laicis. *Ead. Sac. Cong.* 67
Immun. in Cesenaten. 17. *Novembris* 1654. *l.* 5. *decr. Paul. p.* 24. Attamen distans ab Ecclesia Parochiali spatio circiter 68
tertiæ partis milliarii, non gaudet immunitate. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Civitatis Castelli* 4. *Jul.* 1673. *lib.* 1. *decret. Altoviti pag.* 817. Domus, quæ habitatur a Parocho, sed non est
Parochialis, idest de pertinentia Parochiæ, non gaudet im- 69
munitate. *Ead. Sac. Cong. Immun. in Alatr.* 5. *Maii* 1699. *l.* 2. *decret. Vallem. p.* 217. Domuncula de juribus Ecclesiæ
Parochialis, ab ea tamen, & a domo Parochi distans circa 70
triginta passus, quæ solum inservit pro usu, & servitio Parochi non gaudet immunitate. *Ead. Sac. Congr. Immun. in Feretr.* 27. *Jul.* 1682. *l.* 3. *decret. Altoviti p.* 209.

Palatia Cardinalium gaudent immunitate Asyli. *Communis*, 71
ut testantur, & tenent Manf. *in tract. de Cardinal. cap.* 8. *in* 18. *privil.* Julius Clarus *in* §. *fin. d. p.* 3. *verf. Item adde*, Fagnan. *in cit. c. Ecclesiæ* 9. *de immun. num.* 32. Barbosa *loc. cit. num.* 71. Reiffenstuel. *loc. cit. num.* 53. & alii passim. Solum tamen gaudent tali privilegio extra Urbem Romanam, 72
ut testantur Card. Tuschus *in verb. Ecclesia conclus.* 9. *n.* 12. Beiffenstuel. *loc. cit. n.* 53. Pax Jordan. *lucubration. lib.* 2. *tit.* 3. *num.* 206. ubi testatur, delinquentes ex Cardinalium domibus ad carceres, & supplicia fuisse abtractos, idque, ne ob Asylorum nimiam frequentiam delinquentes passim manerent impuniti cum gravi boni publici jactura, Fagn. *loc. cit. num.* 33. *&* 34. ubi refert id declarasse Julium III. non solum pro domibus Baronum, Comitum, Ducum, & Principum Oratorum, sed etiam pro domibus Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & S. R. E. Cardinal. Et tale privilegium immunitatis a Palatiis Cardinalium abstulerunt pro Urbe etiam Greg. XIII. & Sixtus V. ut refert Felix Potestas *to.* 1. *part.* 2. *num.* 614. La Croix *lib.* 4. *sub n.* 1392. & alii passim, & a Palatiis Legatorum Principum esse ablatum hoc privilegium satis declaravit etiam Innocent. XI. ut testatur La Croix *loc. cit.* Immo nec jam ibi gaudent tali privilegio propter abusus statuæ, aut palatia Regum, & Principum, ut testatur Delbene *f.* 17. 10. La Croix *loc. cit.* & alii 73
Palatium Nunciaturæ Neapolis gaudet immunitate. *Sacra Cong. Immun.* 3. *Maii* 1686. *l.* 3. *decret. Altoviti pag.* 562. & sic pariformiter omnia Palatia aliarum Nunciaturarum.

Palatium Episcopi gaudet immunitate Asyli; *cap. Id con-* 74
stituimus 36. *caus.* 17. *quæst.* 4. ibi: *Id constituimus, ut a domo Episcopi reos abstrahere omnino non liceat.* Etiamsi ab 75
Ecclesia Cathedrali abesset ultra quadraginta passus; Abbas *in cit. cap. Ecclesiæ* 9. *de immunit. n.* 9. Fagnan. *ibid. n.* 29. Barbosa *loco cit.* Navarr. *in Manuali cap.* 25. *num.* 18. La Croix *loco cit.* & alii communiter cum Reiffenstuel *loc. cit. num.* 52. Et quamvis in palatio nullum esset Oratorium, quia *cit. cap. Id constituimus* loquitur absolute de domo Episcopi, nulla facta mentione de Oratorio. Navarr. Tusch. Suarez, Delbene cum La Croix *loco cit.* & hæc magis elucescunt ex sequentibus decretis. Palatium Mensæ Episcopalis etiam situm 76
extra Diœcesim gaudet immunitate, ac si esset in propria Diœcesi pro tempore, quo Episcopus eum inhabitat; *Sac. Congregat. Immunit. in Castren.* 8. *Julii* 1670. *lib.* 1. *decret. Alt. pag.* 453. Palatium Episcopi conductum pro sua habita- 77
tione Episcopali gaudet immunitate; *Eadem Sacr. Congreg. Immunit. in Aquitanen.* 19. *Novembris* 1666. *lib.* 1. *decret. Altov. pag.* 59. Palatium tamen conductum ab Episcopo in 78
propria Diœcesi pro propria habitatione, in quo etiam habitat Dominus ejusdem Palatii, gaudet immunitate tantum quoad portionem Episcopi, & suæ Familiæ; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Sagonen.* 8. *Julii* 1692. *lib. decret. Grimpag.* 157. Palatia ruralia Episcoporum in locis eorum Diœcesis, & ab ipsis interpolate, seu recreationis gratia habitata, & quæ ab eorum Affectuariis continuo habitantur, non 79
gaudent immunitate Eccles.; *Eadem Sacr. Congregat. Immu-*

80 *nit. in una Civitatis Plebis* 2. *Septembris* 1681. *lib.* 2. *decret. Alt. pag.* 2248. Confugiens ad palatium Episcopi gaudere debet immunitate; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Foro-*

81 *sempronen.* 4. *Junii* 1630. *lib.* 2. *decret. Paulucci pag.* 44. Quare carceratus in palatio Episcopi, est ibidem restituendus; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Lycien.* 19. *Januar.* 1638.

82 *lib.* 3. *decret. Pauluc. pag.* 52. Sicut etiam Sacerdos captus in Palatio Episcopi, gaudet immunitate, & ibidem est restituendus; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Fanen.* 17. *Se-*

83 *ptembris* 1658. *lib. decret. Rocci pag.* 120. At quando Episcopus ordinat carcerationem in proprio palatio, Reus non gaudet immunitate Eccles. *Eadem Sacr. Congregat. Immunit.*

84 *in Signina* 31. *Julii* 1703. *lib.* 3. *decret. Vallem. pag.* 506. Sicut in casu quo Baroncellus, & Birruarii Curiæ Episcopalis qui tentarunt absque ordine carcerationem Sacerdotis inventi cum falce vinitoria præ manibus, & ob resistentiam eis factam, ipsum taliter percusserunt, ut secundo die obierit, unde vocati ab Episcopo, ad propriam Palatium pro reddenda ratione hujus facti, ibidem de mandato Episcopi carcerantur, & deinde pœna Triremium puniuntur, non gaudent immunitate; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Imolen.* 8. *Augu-*

85 *sti* 1673. *lib.* 1. *decret. Alt. pag.* 828. Reus allegans Clericatum Baroncello, ductus liber ad Vicarium Generalem, cui in Palatio Episcopi dixit, se non esse Clericum, sed velle uti Immunitate Palatii Episcopalis, quam Vicarius admisit, gaudet immunitate, & Baroncellus non incidit; *Ead. Sacr. Congregat. Immunit. in Sutrina* 17. *Novembris* 1699. *lib.* 2. *de-*

86 *cret. Vallem. pag.* 257. Executio etiam pro debitis civilibus fieri non potest in Palatio Episcopi, nec in domibus, seu Mansionibus Clericorum in Regno Neapolitano, attenta consuetudine in dicto Regno ad eorum favorem; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Conversanen.* 12. *Novemb.* 1647. *lib.* 4.

87 *decret. Paul. pag.* 30. Concedenda est facultas exequendi in Palatio Episcopi, quatenus a Creditoribus Episcopi petatur; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Anagnina* 20. *Junii* 1651.

88 *ibi pag.* 143. Magistratus Secularis absolvitur ad cautelam eo quod demoliri fecerat murum ædificatum ante Palatium Episcopi, quod prætenditur spectare ad mensam Episcopalem; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Tropien.* 6. *Februarii* 1694. *lib.* 1. *decret. Vallem. pag.* 104.

Ad hoc, ut clarius percipiantur delicta, quibus competit, vel non Jus Asyli, dantur hic ad litteram duæ Pontificiæ Constitutiones, quæ debent ad hæc esse vera norma, & regula.

GREGORIUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

89 CUm alias nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim fel. record. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V. sancto zelo ducti diversas facultates, & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam a Jure non permissis, ex Ecclesiis Criminosos, & deliquentes, compluribus sæcularibus Principibus, eorumque Curiis, & Magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continetur.

§. 1. Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem, & differentiam hujusmodi Indultorum, tum quia plerique eorumdem Principum Ministri, ex hoc ipso diversimode, etiam latius, quam par erat, & ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cæperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, & Immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem. alibi vero, ne ipsos quidem Laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod populis inveterata erga Ecclesias reverentia devotis, & assuetis scandali potius, quam quietis occasionem præberent. Illud etiam absurdum sæpe numero secutum est, ut infimæ interdum conditionis Laici, non modo Juris, sed etiam litterarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi Potestates, & Ministri Curiæ sæcularis in aliquo Castro, aut Oppidulo jurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum hujusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitrio in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu, quidquid sibi in mentem venit, attentare præsumpserint, in grave jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, locorum, & personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso nobis a Domino Pastoralis Officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura plane conculcentur, & negligantur, opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus V. Prædecessor noster, iisdem de causis motus, statuere decreverat, licet morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda eorum facinora, ultra id, quod prisca illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus SS. Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus, congrua moderatione adhibita, permittamus.

§. 2. Hac itaque nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta, & gratias, tam per dictum Sixtum, & Pium V. quam alios quoscumque nostros Prædecessores, aut nosmetipsos, Sedem Apostolicam, ejusque Legatos, super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, domibus Regularibus, Locisque sacris, aut religiosis, aliisque in casibus Jure permissis hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum Reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis, & æqui, pollentibus casibus in Jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis exinstis perpetuo, vel ad non, dum elapsum tempus quomodolibet concessa, etiam iteratis ac multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, litteraque Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seu alias quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamur.

§. 3. Ut Laicis ad Ecclesias, Locaque sacra, & religiosa, prædicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, viarumque Grassatores, qui itinera frequentata, publicasque stratas obsident, ac Viatores ex insidiis aggrediuntur, aut Depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cæmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsæ Majestatis personam ipsiusmet Principis Rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam sæcularibus, quam cujusvis Ordinis Regularibus, districte præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respective confugientes, & in eis se recipientes atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquid judicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia Sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, Ministris, & Officialibus Curiæ Secularis absque Irregularitatis nota, aut alicujus Censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat.

§. 4. Ne autem Curiæ Sæcularis prædictæ Ministri facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi, sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentes revocata abutantur; Volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Sæcularis, ejusque Judices, & Officiales ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios) capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ, illos in delictis superius expressis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi in-

tervenire, & assistere recusarint, tunc que reverentix Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quoad id fieri poterit, scandalo, & tumultu extrahere curent.

§. 5. Quodque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut refertur, ab Ecclesiis Locisque extracti, & capti fuerint ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportuna custodia, data illis, si opus fuerit, per Curiam Sæcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæque Sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint, tunc que demum de mandato Episcopi per Judicem Ecclesiasticum Curiæ Sæculari, quacunque appellatione sepositta, consignentur.

§. 6. De crimine vero hæresis cognitio ad Forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in eo Curia Sæcularis se quoquo modo intromittat.

§. 7. Sicuti etiam prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas, sæculares, aut cujusvis Ordinis, vel Militiæ etiam S. Joannis Hierosolymitani Regulares, quoquo modo etiam vigore prædictorum privilegiorum, Indultorum, aut Concessionum, quæ omnia ad terminos Juris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illative ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Locisque Sacris, aut Religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad Forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de jure, & per privilegia eisdem Ordinibus, ac Militiis concessa permittitur, quomodolibet præsumant.

§. 8. Quod si quis quacunque Dignitate, & auctoritate præditus, præmissorum, aut alio quovis prætextu quidquam præter, aut contra hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, declaramus eum ipso facto Censuras, & pœnas eisdem incurrere, quæ contra Libertatis, Juris, Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per Sacros Canones, Conciliorum Generalium, nostrorumque Prædecessorum Constitutiones sunt promulgatæ.

§. 9. Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa, & instantia judicari, & definiri debere, nec non irritum decernimus, & inane, si secus super his per quoscunque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 10. Non obstantibus præmissis tam Sixti, & Pii V., quam aliorum quorumcumque Prædecessorum nostrorum literis Apostolicis, privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorumque Curiis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Pro-regibus, Gubernatoribus, Locumtenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentibus causis tam illorum intuitu, & contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quam etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, de Fratrum nostrorum consilio, & quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusve præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, & efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamsi imbi caveatur expresse, quod illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & alias quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quam superius expressos casus, contineant, auctoritate, & tenore præmissis, omnino, ac perpetuo tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis quoad superius descripta duntaxat reducimus, & nolumus cuiquam de cetero suffragari, & qualibet alia dictæ Sedis Indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentes Litteræ &c.

Datum Romæ in monte Quirinali Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingent. nonag. primo. Nono Kalendas Junii Pontificatus nostri anno primo.

Constitutio, qua san. mem. Gregorii Papæ XIV. Litteræ Apostolicæ certa excipientes delicta, & casus, in quibus inquisiti Laici Ecclesiastica Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & casus extenduntur, ac ampliantur. Nec non Curiis Ecclesiasticis forma in eorumdem inquisitorum extractione a locis immunibus observanda præscribitur, cum aliis ordinationibus, & clausulis, ac derogationibus opportunis.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX quo divina disponente Clementia ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem sartam tectam inviolatamque ubique custodiendi, inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recenseri: diu multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, & reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca Majorum nostrorum disciplina, & vetus Canonicarum sanctionum norma præscripsit. 90

§. 1. Dum hæc solicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio a fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore nostro edita, quæ incipit *Cum alias*, qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates, & Indulta a quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim a S. Pio V., & Sixto etiam V. Prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque Locis immunibus certorum criminum reos, & delinquentes, reformavit, moderatusque fuit. Simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus Laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit, ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset nec ne in eadem Gregoriana Constitutione, exceptum, cognoscere, & declarare deberent, certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit; quemadmodum in prædicta Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. nono Kal. Junii promulgata ulterius continetur.

§. 2. Quoniam vero post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim multiplices contentiones super vero, rectoque ejus sensu inter Ecclesiasticas, & sæcularia Tribunalia exortæ fuerunt, quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX. Clemens X. Clemens XI. Prædecessores similiter nostri de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt; facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoris mens plenius executioni demandaretur, Curiis Ecclesiasticis præscribere cogitabant, sed ab aliis distracti curis; ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorumdem Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine hac

hac nostra perpetuo valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere, iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam sæpe ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietem perturbant, proinde ad delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

§. 3. Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur. Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum Grassationem in via publica, aut vicinali admisam sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodo tamen Grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

§. 4. Insuper ab Ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent; quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant. Nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesiis, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt. Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos, non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed, cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere, nequaquam posse, aut debere.

§. 5. Ad hæc in crimine Assassinii non modo Mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus.

§. 6. Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio Interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes Litteras Apostolicas: Ministros Montis Pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis principis, privatarumque Personarum, destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione Area pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit: Conflantes, adulterantes, vel detondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut provincia, ubi crimen admittetur, liberum habeant usum, & commercium: vel ipsas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: Illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel membrorum mutilatio sequatur.

§. 7. Ceterum cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus, qui hactenus evenerunt, difficulter probare, & consequenter, declarare, potuisse delictum, pro quo quis ad Ecclesiam confugerat, fuisse comprehensum in numero exceptorum propter variam earumdem Curiarum praxim, & varias pariter opiniones Doctorum, qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem quoad normam ab ipso præscriptam recipiendi probationes, & procedendi ad declarationem criminum exceptorum, interpretari voluerunt, statuimus, præcipimus, & mandamus nullam, in hoc de cetero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianæ Constitutionis, quæ a quocumque Doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet Curiis, aut Tribunalibus invectæ, immo nec quarumcumque declarationum quæ ab hujus Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, sive etiam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum emanaverit, quatenus præsenti nostræ Constitutioni adversentur; sed in occurrentibus, normam hic a nobis præscribendam inviolabiliter ab omnibus observari volumus & sancimus.

§. 8. Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica a Curia Sæculari fuerit requisita, ut Laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, eaque super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita sint indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc Curia Eccles. ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus ope ac medio suorum Executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii Sæcularis auxilio, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos Carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat. Ubi vero ex Processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac inliquer adversus eumdem, extractum, talia, resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum, moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu, præfatum Extractum Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, & consignare possit, ac debeat, exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione in forma Juris valida restituendi Extractum Ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem Extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat. Quod si ea minime purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, Curiæ Sæculari in ipsum tali casu, ut Juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat.

§. 9. Præterea considerantes sæpe dictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem Jure sanxisse, ut soli Episcopi, & non alii, Episcopis inferiores, etiamsi Locorum Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores a Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati cognoscere, & declarare valeant, an, delicta, pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt, & in eis se receperunt, sint nec ne de genere, ac numero exceptorum; Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes, & confirmantes, eique inhærentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus, tenore præsentium quibuscumque Magistratibus, Officialibus, & Ministris Sæcularibus, nec non quibusvis aliis personis cujuscumque gradus, & conditionis exitant, etiamsi Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis mundana Dignitate, aut auctoritate præfulgeant, districte interdicimus, ac inhibemus, ne hujusmodi causis, vel conficiendo processus, vel Inquisitos extrahendo a locis immunibus, vel declarando crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana, aut in præsenti nostra Constitutione, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant. Quod si secus quidquam attentare præsumpserint, ex nunc omnia in contrarium præmissorum gerenda irrita, & inania, nullius que roboris, vel momenti perpetuo fore, ipsosque attentantes in Censuras, & alias pœnas a Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis adversus eos, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lædunt, ac violant, volentes, intendentes, ac expresse mandantes, quod omnimoda cognitio, atque judicium de criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis, & a Nobis superius explicatis, tum etiam de aliis, quæ in præsenti nostra Constitutione adjicienda, & similiter excipienda duximus, quemadmodum, ut præfertur, adjecimus, & excepimus, ad Episcopos tantum privative quoad omnes alios, perpetuo spectet, atque spectare debeat: & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis, & cetera omnia a Nobis superius constituta adimplever int, Inquisitos Ecclesiæ, vel alterius loci Sacri ad quem confugerunt, immunitate gaudere tuto

re tuto debere, ac in ea conservandos, & manutenendos esse statuimus, præcipimus, & mandamus.

§. 10. Universos demum, & singulos Venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos quos hujus nostræ Constitutionis Executores deputamus, in visceribus Domini nostri Jesu Christi hortamur, & paterna Caritate admonemus, ut quanti momenti sit hoc negotium, serio cogitantes, in occurrentibus casibus qualitatem Testium, & probationum pondus summo studio, ac vigilantia scrutentur, omnemque fraudem, dolum, procul arceri satagant; quin etiam Sacerdotali pectore, quotiescumque opus fuerit, iis omnibus obsistant, qui ejusdem præsentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro casibus, tam in hac nostra, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores quam acriter semper, & qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine Majores nostri pro Ecclesiastica Libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa imminui permittant, neque sacris Juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo; atque constantia tueri curent: ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius, quam miserationis, & justitiæ titulo Ecclesiastica privilegia asserere velle videantur.

§. 11. Decernentes easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcumque semper valida, & firma, & efficacia existere, & fore, suosque integros, atque plenarios effectus ubique sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum invio labiliter, & inconcusse observari, sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardin. etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quavis præeminentia, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate ac auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 12. Non obstantibus quibuscumque Cancellariæ nostræ Apostolicæ Regulis, &c. quibus ad præmissorum effectum plenissime derogat ceteris contrariis quibuscumque. §. 13. Ut præsentes Litteræ ad omnium notitiam deveniant &c. prout de stylo. §. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc &c. item prout de stylo.

Dat. Romæ apud S. Petr. Anno Incarn. Dom. 1725. 6. Idus Junii Pont. nostri anno 2.

91 Delicta, seu crimina, quibus competit Jus Asyli, sunt ea omnia, & singula, quæ specialiter non sunt excepta, textu expresso *in cap. Inter alia 6. de Imm. Eccl.*, ibi: *Fugiens ad Ecclesiam .... quantocumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam ... Nisi publicus Latro fuerit, vel nocturnus Depopulator agrorum*, & patet ex Gregoriana §. 3. Exceptio enim unius firmat regulam in casibus non exceptis; *leg. In iis, quæ, ff. de legi-*
92 *bus*, Et sic *communis* Doctorum. Crimina autem, quibus non competit Jus Asyli, sunt omnia expressa, & excepta in d. Bulla Gregoriana §. 3. ubi ita statuitur: *Ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac Viatores ex insidiis aggrediuntur, aut Depopulatores agrorum, quique homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque Cœmeteris committere non verentur, aut proditorie proximum suum occiderint, aut Assassinii, vel Hæ-*
93 *reses, vel læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur*. Et omnia illa, quæ sunt novissime expressa, & excepta in mox allata Constitutione Benedicti XIII. §. 4. 5., & 6. quæ Constitutio est valde attendenda, cum multo plura delicta excipiat quam Constitutio Gregoriana. Vide infra *num. 156. & seq.*

94 Crimina igitur excepta, seu casus, pro quibus non gaudent Rei Jure Asyli, sunt sequentia. Primo, publici Latrones, viarumque Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac Viatores ex insidiis aggrediuntur, uti expresse *in cit. Gregoriana §. 3. confirmata in d. Benedictina*, & concordant *cap. Inter alia 6. de Imm.*, *& cap. Sicut 6. causa 17. quæst. 4.* Quamvis enim a multis *Latrones*, *& Grassatores viarum* distinguantur per hoc, ut dicunt ipsi, quod *Latrones* nedum violenter homines aggrediantur, & spolient, sed insuper occidant; *Grassatores* vero solum violenter homines aggrediantur, & spolient, sed sine occisione; unde ambo conveniant in spolio violento, sed ratione homicidii distinguantur; Tamen quantum ad præsens pro eodem sumuntur, & confunduntur a Fagn. *in cap. Inter alia 6. de imm. num. 23.* Farin. *in Appendice de immun. cap. 10. num. 549.* Castropalao *part. 2. tract. 11. disp. unic. punct. 9. num. 2.* Pirhing. *lib. 3. Decret. tit. 49. num. 59.* Felic. Potest. *tom. 1. part. 2. num. 639.*, & aliis pluribus; & pro eodem sumere videtur etiam novissime Bened. XIII. in d. sua Constitut. §. 3., ibi: *Ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodo tamen Grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit*, ubi notanda sunt verba *Grassati mors*. Hinc publici Latrones, & Grassatores viarum dicuntur illi, 95
qui publicas vias, aut vicinales obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur ad ipsos spoliandos, seu interficiendos, ut colligitur *ex cit. Constitut. Gregoriana, & Benedictina*.

Alias, ut publici Latrones, & Grassatores viarum non 96
gauderent Immunitate, seu Jure Asyli, requirebantur plures actus, seu plura latrocinia, & grassationes, ut patet ex Decretis Sac. Congregat. Imm. sub verb. *Grassator*; At modo sufficit unus actus, seu unica tantum grassatio, cum morte, aut membrorum mutilatione Grassati, prout novissime definivit, & declaravit Benedict. XIII. in cit. Constit. incipient. *Ex quo §. 3.*, ibi: *Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur? Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodo tamen Grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus*, & postea *in §. 7.* statuit, & præcipit non esse attendendas quascumque declarationes a Sacra Congregatione Immunitatis emanatas, quatenus præsenti suæ Constitutioni adverlentur. Tales publicos Latrones, & Grassatores viarum 97
licet sine ulla pœna, & culpa occidere; *Cap. Cum homo 19. caus. 23. quæst. 5. leg. 1. Cod. Quando liceat unicuique sine judic.* Glossa *in cit. cap. Inter alia, vers. Nisi publicus Latro*, & ibi Hostiens. *num. 2.* Fagnan. *num. 24.* Pirhing. *loc. citat. num. 19.* & *communis* aliorum. Non tamen sine Irregularita- 98
te; *Cap. Interfecisti 2. & cap. Si perfodiens 3. de homicidio*. Fagnan. *loc. cit. num. 25.* Pirhing. *loc cit. numer. 19.*, & alii communiter; Nisi esset ob necessariam vitæ defensionem, textu expresso in Clementina unica. *Si Furiosus, de homicidio*.

Secundo, excipiuntur seu jure Asyli carent *Depopulato-* 99
res agrorum, ut expresse in citata Bulla Gregorii XIV. confirmata a Benedicto XIII. in cit. Constitut. *Ex quo*; & concordat *cit. Cap. Inter alia 6. de Immunit.*, ibi: *Nocturnus Depopulator agrorum*. Illi autem dicuntur Depopulatores 100
agrorum, qui agrorum segetes, aut vinearum fructus depopulantur, eosdem comburendo, destruendo, devastando, & hujusmodi, sive id faciant animo nocendi proprio Domino, sive sibimet consulendo, sive occulte, sive publice id faciant, quia cum indistincte loquantur, debent etiam indistincte intelligi; *Leg. de pretio, ff. de publiciana in rem action. cap. Quia circa 22. de privileg.* Nec officit quod *in cit. cap. Inter alia*, ut quis privetur jure Asyli ra- 101
tione depopulationis, requiratur expresse quod sit *Nocturnus Depopulator*, quia Bulla Gregoriana confirmata a Benedictina omisit ly *Nocturnus*, & absolute potuit *Depopulatores agrorum*; & eos indistincte privavit jure Asyli, & præcepit, ut forma ibi tradita servaretur, quamvis forlan antiqui Canones mitiores fuissent, ex quo sufficienter videtur correctum jus commune antecedens; *arg. cap. Licet 1. de Constitutionibus in 6.* Sic Farinac. *in Appendice de Immunitate cap. 11. numer. 161.* Barbosa *loc. cit. num. 87.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 98.*, & alii.

Tertio, excipiuntur, & jure Asyli privantur, qui *ho-* 102
micidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum Cœmeteriis committere non verentur, uti expresse in cit. Bulla Gregorii XIV. §. 3. confirmata a Benedicto XIII. & concordat *cap. Immunitatem 10. de Immunitate Ecclesiarum*.

103 *siarum*. Immo Benedictus XIII. in dicta Constitutione *Ex quo §. 4.* quo ad hæc notabilem facit extensionem, ibi: *Insuper ab Ecclesiæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus, nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumque Cœmeteriis committere audent; quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est. Verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant; Nec non eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium occidunt stantes intra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant. Ac eos tandem, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesiis, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt. Declarantes in quatuor prædictis casibus ejusmodi Reos non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ, Immunitate*
104 *gaudere nequaquam posse, aut debere*.

Unde hic Pontifex quatuor de novo disponit. Primo declarat, non gaudere Immunitate eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio interficiunt stantes extra Ecclesiam vel Cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant. Secundo declarat, neque gaudere Immunitate eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut Cœmeterium occidunt stantes in Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant. Tertio declarat, & statuit neque gaudere immunitate eos, qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus violenter extrahunt, & abducunt. Quarto declarat, quod in tribus dictis novis casibus, & in alio jam statuto ib. *cap. Immun. 10. de immunit.* & in dict. Gregoriana, nempe quod, qui *homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum Cœmeteriis committere non verentur*, non gaudeant immunitate hujusmodi Rei, non illius tantum Eccle-
105 siæ, quam violarunt, sed cujuscumque etiam alterius Eccle-
siæ immunitate gaudere nequeant. Et hinc sunt caute legendi Auctores, qui hactenus aliter docuerunt, & scripserunt.

106 Mutilatio membrorum ad hoc, ut sit privativa immunitatis, debet esse alicujus membri corporis, quod speciale officium ab officio aliorum membrorum habet, ut sunt oculus, pes, aures, nares, manus, lingua, membrum virile, & similia, quæ habent peculiares functiones distinctas a ceteris membris non sic autem digitus etiam pollex, vel index, dentes, ungues, capilli, barba, testes, articuli digitorum, pars aliqua carnis, vel copia sanguinis, & similia, quæ proprium non habent officium distinctum ab aliis membris, uti notant communiter Doctores cum Gambacurt. *de immun. lib. 5. cap. 18. sub num. 7.* Covarr. *in Clement. Si furiosus part. 3. num. 8.* Bonac. *tom. 2. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 2. sub num. 8.* Ventriglia *tom. 2. annotat. 23. §. 1. de immunitat. numero 22.*

107 Unde, qui graviter aliquem vulnerat in Ecclesia etiam cum magna sanguinis effusione, & carnis læsione, si vulnus non sit lethale, gaudet adhuc immunitate Asyli; Sic declaravit Sac. Congr. apud Pignatell. *tom. 6. consult. 4. num. 106.* præcisis his verbis: *Qui faciem, vel vultum, vel os cuipiam in Ecclesia vulnerat, gaudet immunitate 16. Novembr. 1618.* & sub aliis verbis refert Barbosa *in Summa Apostolic. decis. verb. Immun. n. 12.*

108 Quarto, secundum Bullam Gregorianam excipiuntur, & jure Asyli non gaudent, qui *proditorie proximum suum occiderint*, ut expresse in cit. Gregoriana §. 3. confirmata a dict. Benedictina, & concordat *cap. Si quis 1. de homicidio*.

109 Nomine *proximi sui* intelliguntur omnes homines cujuscumque conditionis, vel cultus, seu Religionis, quibus etiam in charitate, ac dilectione subvenire tenemur, *cap. Charitas 2. de pœnit. dist. 2. & cap. 10. Lucæ*, ac alibi; proximus enim intelligitur omnis rationalis creatura, ut docet S. Augusti-
110 nus *cap. 23. de doctrina Christ.* Nomine autem homicidæ proditoris intelligitur ille, qui nulla præcedente inimicitia, aut rixa aliquem occidit sub simulata amicitia, aut fidelitate, ad quam ratione muneris, conditionis, aut personæ erat specialiter obligatus, ita ut prudenter ab occiso nec deberet timeri, nec præcaveri. Ut si nulla præcedente inimicitia vir uxorem, aut e contra, filius patrem, aut e contra, servus dominum, aut si quis alius Fratrem, locum itineris, commilitonem, contubernalem, familiarem occidit; Sic *in re communis* cum Pignatello *tom. 9. consult. 18. per totam*, ubi ad rem affert plura decreta, sub *num. enim 6.* sic ait: Declaravit *Sacra Congreg. Immunit. in Beneventana 18. Augusti 1637.* his verbis: „ Ad probationem homicidii proditorii „ requiritur amicitia præcedens, num. 7. *subjungit*: Et Sac. „ Congreg. super Episcopis in Rhegiensi 12. Octob. 1602. „ & in Bojanensi 6. Aprilis 1622. *declaravit*: Dicitur „ Proditor, qui aliquem, cui se tamquam socium, & ami- „ cum adjunxerat in via, nulla rixæ causa interveniente, „ occidit, seu qui dolose sub amicitiæ colore seduxit alia „ quem, ut occidat; numer. 8. *addit*: In Cusentina Eadem „ Sac. Congr. 8. Aprilis 1603. Generaliter homicidium com- „ missum sine præcedentibus inimicitiis, dicitur proditorium, „ & non gaudet Immunitate; num. 9. *subjungit*: die 16. A- „ prilis 1611. Ead. Sacr. Congreg. declaravit, tunc dici præ- „ cessisse inimicitias, quando constat inter homicidam, & „ occisum aliquot ante dies fuisse secutam rixam, & nume- „ ro 10. *addit*: Etiamsi non occidat ferro, sed veneno, vel „ quolibet alio modo, dicitur proditor, ut censuit Sacra „ Congregatio Concilii 7. Decembr. 1632. & num. 11. *supe-* 111
„ *raddit*: Non est tamen proditor, qui occidit inimicum e- 112
„ tiam per insidias, & a tergo, *ut censuit* Sac. Congr. Epi- „ scop. in Bojanen. 6. April. 1612.

Homicidium proditorium committit, qui nulla præceden- 112
te inimicitia occidit Dominum suum, familiarem, contubernalem, commilitonem, socium itineris, peregrinum, seu hospitem susceptum; Item si hospes susceptus occidat susceptorem, seu cauponem, & e contra, & sic de similibus, omnes enim isti ratione status, conditionis, & muneris sui, sunt, vel deberent esse, ac supponuntur amici, & fideles. Unde 113
a fortiori homicidium proditorium committit, qui nulla præcedente inimicitia parentem, prolem, conjugem, affinem, consanguineum occidit, quia omnes isti, vel sunt, vel debent esse amici, & ut tales supponuntur; unde non potest, nec prudenter debet ab iitis mors timeri, & præcaveri. Imo 114
homicidium proditorium committit etiam occidens infantem, seu puerum usu rationis carentem, quia vere occidit hominem omnino incautum, qui præcavere non poterat, & qui est inimicitiæ incapax. Unde *Sacr. Congreg. Conc. 3. Decem- br. 1632.* apud Barbosam *in Summa Apostolic. decis. verb. Im- mun. num. 9.* & apud Pignatell. *tom. 6. consult. 4.* declaravit, quod *Mater occidens filium infantem non gaudet immunitate Ecclesiæ*. Quinimmo neque gaudet immunitate Mulier pro- 115
curans abortum malis medicamentis, ut expresse declaravit *Ead. Sacra Congr. Concil. ead. die 3. Decemb. & anno 1632.* apud Barbosam *loc. cit. num. 11.* & apud Pignatell. *loc. cit. num. 105.* Alia quoad homicidium proditorium, vide verb. 116
Homicida, Homicidium anum. 79. usque in finem.

Quinto, secundum Bullam Gregorianam excipiuntur, & 117
jure Asyli privantur *Assassinii Rei*, ut expresse in cit. Gregoriana §. 3. confirmata a dict. Benedictina, & concordat *cap. Pro humani redemptione 1. de homicid. in 6. Assassinium* est, 118
& dicitur, quando pro pecunia, aut alia re pretio æstimabili, accepta, vel promissa, committitur homicidium. *Assassini-* vero sunt, & dicuntur tam illi, qui pretio conducti alium occidunt, quam qui pretium dant, aut promittunt, ut talis occidatur *Ita in re communis Doctorum, arg. cap. Pro humani redemptione 1. de homicid. in 6.* & cit. Constitut. Benedicti XIII. incip. *Ex quo §. 5.* ubi sic novissime expresse statuitur: „ Ad hæc in crimine Assassinii non modo Mandatarios, quis „ in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, „ sed etiam Mandantes, qui certum pretium, aut mercedem „ sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promi- „ serint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dum- „ modo Assassinium reipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ „ Immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpe- „ tuo haberi volumus, & mandamus: "Ubi, ut vides, ista- 119
tuitur, quod Assassini sunt non solum Mandatarii, sed etiam 120
Mandantes, ibi: *Sed etiam Mandantes*. Item quod ad Assas- sinium requiritur pretium aliquod certum, & specificum, seu determinatum in pecunia, vel aliis rebus consistens, & non sufficit incertæ generalis, ac vagæ rei promissio, ibi: *Qui certum pretium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint*. Item quod qui absque 121
pretio sibi dato, vel promisso spe præmii, & animo complacendi alteri aliquem occidit, non committit Assassinium, ibi: *tradiderint, aut promiserint*. Item quod non sufficit at- 122
tentatum, sed requiritur reipsa patratum Assassinium, ibi: *Dummodo assassinium reipsa patratum fuerit*. Et sic jam de- 123
creverat *Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Sarzanen. 21. Febr. 1620.* nempe quod *antequam sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate*. Sic refert Pignatell. *tom. 2. consult. 69. num. 8.* & idem plures declaravit Sac. Congreg. Immunitatis approbante fel. rec. Urbano VIII.

& si-

& signanter *in una Bononien.* 10. *Aprilis* 1628. *in una Neapolitana* 26. *Maii* 1626. *in una Mediolanensi* 21. *Decemb.* 1633. *in alia pariter Mediolanensi* 20. *Junii* 1636. ut refert Sperell.
124 *decis.* 120. *num.* 58. Item si Mandatarius nihil adhuc attentaverit, licet mandatum cum pecunia receperit, Mandans non privatur Immunitate; *Sacra Congr. Episcop. & Regul. in di-*
125 *cta Sarzanensi* 21. *Februarii* 1620. Item immunitate Ecclesiastica gaudet, qui mandat, & mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum, vel promissum ad faciem ferro cuidam deformandam, aut vulnerandam, quia tales improprie sunt Assassini; *Sac. Cong. Episc. & Reg. in Neapol.* 25. *Junii* 1601.

126 Sexto, secundum Bullam Gregorianam excipiuntur, & jure Asyli carent *Hæresis* Rei, ut expresse in citat. Gregoriana §. 3. confirmata a dict. Benedictina. Intellige tamen si ob ipsius *Hæresis* crimen, non item ob alia crimina ad Ecclesias confugiunt, uti jam dictum est sub verb. *Hæreticus num.* 58.

127 Septimo secundum Bullam Gregorianam excipiuntur, & jure Asyli privantur *læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis Rei*, ut expresse in cit. Gregoriana §. 3. confirmata a
128 dict. Benedictina. Rei criminis læsæ Majestatis non gaudentes immunitate Ecclesiastica sunt occidentes, vulnerantes, percutientes, conjurantes, machinantes, hostiliter insequentes personam Principis, revelantes hostibus secretum Principis, ut ab ipsis capiatur, item ad hoc efficaciter consulentes, auxiliantes, & favorem præstantes; Peregrin. *de immunitat. cap.* 10. *num.* 11. Mar. Ital. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 7. *n.* 52. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 7. §. 6. *num.* 10. Ventriglia *tom.* 2. *annotat.* 23. §. 2. *num.* 43. *de immunitate*, & alii
129 passim. Ad hoc autem, ut tale crimen læsæ Majestatis committentes in personam ipsiusmet Principis non gaudeant immunitate, requiritur quod sint subditi illius Principis, & quod Princeps sit absolutus, & supremus neminem Superiorem recognoscens, ut Papa, Imperator, Reges, Duces, Principes, Respublicæ, ut Veneta, Januensis, Lucensis &c. Magnus Magister Equitum Hierosolymitanorum, & similes habentes in temporalibus supremam jurisdictione. Unde nomine Principis, quantum ad hoc, non veniunt Principes, & Duces pure titulati, Ministri, Proreges, Fratres, Filii, & Uxores Regum, nisi sint Reginæ in capite jure successionis, vel ex morte Regis.

130 Ultra supradicta crimina a privilegio Immunitatis excepta in citat. Gregoriana, & in quibusdam declarata, & extensa a dicta Benedictina, ut patet supra *num.* 96. *num.* 103. & 104. *num.* 119. 120. 121. & 122. Alia sunt novissime excepta a Benedicto XIII. in dict. Constitut. *Ex quo* §. 6. ibi: „ Excludimus pariter, repellimus, atque privamus ejusdem „ immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato; Falsificantes Litteras Apostolicas, Ministrorum Montis Pietatis, vel alterius „ publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem „ in prædictis locis committentes, cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit; Conflantes, adulterantes, vel detondentes quascumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotiescumque in loco, aut Provincia, ubi crimen „ admittetur, liberum habeant usum, & commercium, vel „ ipsas Monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, & erogare præsumentes, ut fraudis „ conscii, atque participes censeri possint. Illos denum, „ qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas, easque reipsa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex „ domesticis earumdem ædium, vel etiam extranei, quem „ ibi forte reperiri contigerit, dummodo homicidium, vel „ membrorum mutilatio sequatur.

131 Personæ, quæ gaudent, vel non, jure Asyli, assignantur. Jure Asyli gaudent omnes Catholici utriusque sexus; *arg. cap. Inter alia 6. de Immunit. Ecclesiar. & ca. Reum 9. caus.* 17. *quæst.* 4. & Constit. Gregorii XV. incip. *Cum alias*; nec
132 non Constitut. Benedicti XIII. incip. *Ex quo*. Unde audiendi non sunt, qui dicunt, Clericos non gaudere Immunitate Ecclesiastica, ut pluries declaravit Sacra Congregatio Episcopor, & Regul. & signanter *in Tropien.* 24. *Jan.* 1617. his verbis: *Immunitate gaudent Clerici, qui post delicta patrata ad Ecclesias confugiunt extra casus in Bulla Gregoriana* (adde nunc etiam in Benedictina) *comprehensos, quo in casu, Abbatis opinio communiter est rejecta, ac reprobata*, ita apud Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 4. *num.* 101. *& in Faventina* 20. *Augusti* 1601. *& in eadem Tropien.* 24. *Januarii* 1617. his verbis: *Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent Immunitate etiam respectu utriusque judicis*. Pignatell. *loc. cit. n.* 110. & pluries declaravit etiam Sacra Congreg. Immunit. & signanter *in Romana* 17. *Januarii* 1628. *lib.* 1. *decret. Paul. pagina* 76. his verbis: *Clerici confugientes ad Ecclesiam gaudent Immunitate Ecclesiastica*, & in *Sulmonen.* 9. *Octobris* 1635. *lib.* 2. *decret. Pauluc. pag.* 236., ibi *Clericus percussor alterius Clerici confugiens ad Ecclesiam gaudere debet Immunitate*.

Imo etiam Regularis captus in loco immuni pro delicto 133 non excepto in Bulla Gregorii XIV. (adde nunc etiam in Bulla Benedicti XIII.) gaudere debet Immunitate Ecclesiastica; *Sacr. Congreg. Immunit. in Fulginaten.* 9. *Martii* 1639. *lib.* 1. *decret. Pauluc. pag.* 116. Quinimmo Regularis Sa- 134 cerdos de ordine Prioris Conventus, & Commissarii causæ criminalis extractus ab Ecclesia Conventus, ad quam confugerat, e carceribus ipsius Conventus restituendus est, & injungitur Archiepiscopo, ut mandet restitui; *Ead. Sacr. Congreg. Immunit. in Neapolitana* 11. *Octobris* 1692. *lib. decret. Grimald. pag.* 209. Unde caute legendi sunt Doctores, qui 135 aliter scripserunt, ex quo in *una Æsina die* 19. *Apr.* 1701. fuerit ab eadem Sacr. Congreg. Immunit. facta declaratio, ut sequitur: „ Exposuit Sacræ Congregationi super immu„ nitate & controversiis jurisdictionalibus Frater Carolus de „ Montechio Ordinis Minorum Observantiæ Reformatorum „ S. Francisci se extractum fuisse de Mandato Patris Provincialis ab Ecclesia Conventus Æsini, in quo morabatur, „ instando propterea declarari incidisse in Excommunicationem, tam ipsum Provincialem, quam Fratres Executores. Et eadem Sacra Congregatio, auditis rationibus a „ Patre Procuratore Generali allatis, inter quas adductum „ fuit prædictum Fratrem Carolum extractum fuisse ad correctionem, & ob id ad domum disciplinæ translatum, censuit Provincialem, aliosque Fratres professos non incurrisse.

„ Romæ hac die 19. Aprilis 1701.

G. Cardinalis Carpineus.
Jo. Vallemanus Secret.

BEATISSIMO PADRE. 136

„ FRA Pietro Paolo di Cirignola per grazia di Vostra „ Santità Procurator Generale della Cismontana Ri„ formata Famiglia di S. Francesco prostrato a' suoi Santis„ simi piedi riverentemente l' espone, come i Ministri Pro„ vinciali, e Guardiani delle Riformate Provincie di det„ ta Famiglia, dovendo per debito de' loro Uffici, e „ per la manutenzione della disciplina Regolare tavolta pe„ nitenziare i loro Sudditi delinquenti, con farli anche „ mettere in carcere *ad correctionem, seu in domo Disciplinæ*, acciocchè non fuggano, come gli viene concesso dal„ le Costituzioni Generali dell' Ordine, e ultimamente de„ cretò la Sagra Congregazione de' Vescovi in *una Bergo„ men.* 5. *Decembris* 1698. i suddetti Delinquenti a pretesto „ di godere l' ummunità Ecclesiastica, si rifugiano con is„ candalo del Secolo nelle Chiese degl'istessi Conventi pre„ tendendo che tanto li Superiori, che comandano, che sia„ no estratti, come quelli, che li estraggono, siano Violatori dell' immunità Ecclesiastica, non ostante, che la Sa„ cra Congregazione dell'immunità *in una Æsina* 10. *Apri„ lis* 1701. abbi decretato il contrario.

„ Quindi umilissimamente supplica la somma Clemenza „ di Vostra Santità a degnarsi confermare i suddetti Decreti „ e più espressamente dichiarare.

Posse a Ministris Provincialibus, & Guardianis suos subditos intra septa Monasterii delinquentes contringi ad subeundas pœnitentias salutares, & quatenus ob id ad Ecclesias confugiant, licite posse extrahi.

Et Deus &c.

Die 19. *mensis Septembris* 1734.

Sanctissimus ex causis in supplici libello expositis, impartitus fuit licentiam, & facultatem Ministris Provincialibus, & Guardianis Ordinis, de quo in precibus, ducere faciendi de-

delinquentes Religiosos, & contumaces ab Ecclesiis eorum respective Conventuum ad claustrales carceres, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Loco ✠ Sigilli.
N. Card. Corsinus.

PAPIEN.

Discusso in S. Congregatione super Immunitate Ecclesiastica, & Controversiis Jurisdictionalibus Articulo: An Pater Antonius de Vignali Provincialis Provinciæ Papien. Ord. Min. Observ. Reform. incurrerit in Censuras ob Extractionem ab Ecclesia S. Crucis ejusdem Civitatis, & successivam, implorato militum brachio, carcerationem P. F. Caroli de Gambolo, & Fratris Joachimi de Cartunio ab eo demandatas.

Eadem Sacra Congregatio, auditis rationibus diffuse allatis a prædicto Patre Provinciali ex una, & a recensitis Fratribus, partibus ex altera, rescripsit sub die 28. Februarii proxime præteriti: Non incurrisse, & Superiores procedant, prout de jure.

Iterumque proposita causa sub die 24. currentis Julii ipsa 139 S. Congr. pariter rescripsit.

In decisis & Amplius.

In quorum fidem &c,
Dat. Romæ hac die 28. Julii 1736.

Georgius Cardinalis Spinola.
Locus ✠ Sigilli.
Joseph Maria Arch. Damas. Secret.

Dalla Segreteria de' Memoriali li 28. *Luglio* 1736.

„ Essendo stata di sentimento la Congregazione dell' im„ munità di supplicare la Santità di Nostro Signore per rile„ vanti motivi, di rivocare l' indulto, e facoltà conceduta „ per Segretaria de' Memoriali sotto li 19. Settemb. 1734. „ ad istanza di Fra Pietro Paolo di Cirignola Procuratore „ Generale della Cismontana Riformata Famiglia di S. Fran„ cesco poter estrarre i Religiosi delinquenti refugiati nelle „ Chiese de' loro respettivi Conventi, per condurli alle „ carceri claustrali, la Santità Sua è restata servita di co„ mandare, che in avvenire non abbia alcun vigore, e forza „ il rescritto del detto indulto, e facoltà, volendo, ed or„ dinando, che un tale affare si riduca a termini di ragione „ con lasciare illesa la dipendenza, che devono avere in si„ mili casi i superiori Regolari dai Vescovi. Per tutto ciò, „ ed in virtù d' espresso comandamento di Sua Beatitudine „ il Cardinal Corsini ne dà l' avviso al Padre Gio. da Pietra„ fitta Vice-Commissario Generale de' Riformati di S. Fran„ cesco, e in lui assenza al P. Lettor Felice da Roma Pro„ Vicecommissario Generale, ad effetto, che abbiano no„ tizia della Mente Santissima, per eseguirla, e facciano „ anche palese a tutti li Ministri Provinciali, e Guardiani dell' „ Ordine, che è quanto in adempimento degli Ordini San„ tissimi.

E Dio gli prosperi.

Præsens copia de verbo ad verbum collationata cum suo originali concordat.

Locus ✠ Sigilli.

Frater Franciscus Antonius a Cirignola Secretarius Generalis.

137 Supradicti omnes, tum Laici, tum Clerici, sive Sæculares, sive Regulares gaudent Jure Asyli, etiamsi sint personaliter interdicti, aut excommunicati etiam denuntiati, & publici Clericorum percussores; Tuschus verb. *Ecclesia conclus.* 10. *num.* 26. Covarruv. *lib.* 2. *variar. resolut. cap.* 20. *numer.* 11. Silvester verb. *Immunitas de except. num.* 2. Layman *lib.* 4. *tract.* 7. *cap.* 3. *num.* 10. Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 49.
138 *num.* 22. Reiffenstuel *ibid. num.* 55. Remigius *de Immunit. Eccles. in* 19. *fallen. num.* 1. Jul. Clarus *in* §. *fin. quæst.* 30. *vers. Quæro etiam numquid excommunicati?* Fagnan. *in cit. Biblioth. Ferrar. Tom. IV.*

cap. Inter alia 6. de immunit. num. 42. cum aliis ibi citatis, & Boer. *dec.* 110. *num.* 7. qui dicit esse communem. Judæi, Pagani, ac ceteri Infideles, qui in Christum non credunt, gaudent immunitate Asyli; Sic pluries declaravit Sac. Congregatio immun., & signanter *in Sarzanen.* 26. *Septemb.* 1651. *lib.* 4. *decret. Paul. pag.* 161. his verbis: *Hebræas confugiens ad Ecclesiam gaudet privilegio immunitatis Ecclesiasticæ, & in Pisauren.* 26. *Martii* 1686. *lib.* 3. *decret. Altovit. pag.* 550. his verbis: *Judæus captus a Birruariis sub tecto, seu stillicidio Ecclesiæ gaudet immunitate, & in Cathacen.* 18. *Feb.* 1631. apud Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 4. *num.* 112. his verbis: *Infidelis sive sit servus sive mancipium gaudet immunitate Ecclesiæ.* Etiam Hæretici gaudent Jure Asyli, si non propter crimen 139 Hæresis, sed ob aliud delictum fugiunt ad Ecclesiam, aut alium religiosum locum; Pirhing *lib.* 3. *decretal. tit.* 49. *n.* 40. Reiffenstuel *ibid. num.* 80. Zoesius *ibid. num.* 16. Sannig. *ibid. cap.* 2. *num.* 7. & alii passim, & jam fuit dictum *supra n.* 126. & sub *verb. Hæreticus num.* 58. Et ratio in universum est, quia privilegium Immunitatis non conceditur intuitu personarum, sed propter honorem, & reverentiam, quæ locis sacris, & Divino cultui debetur; *l. Præsenti vers. Ipsis servata loci reverentia, Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt cap. Reum* 9. *cap. Frater* 10. *& cap. Definivit* 35. *caus.* 17. *quæstion.* 4.

Immunitate Asyli non gaudet, qui ligatus ducitur per 140 locum sacrum ad carceres, vel ad supplicium, quamvis dicat: *Voglio quì godere l' Immunità*, maxime in casu, quo alia secura via e loco capturæ ad carceres, seu e carceribus ad locum supplicii non sit. Secus autem si alia secura existente via per locum sacrum duceretur; Peregrin. *de immunitat. cap.* 5. *num.* 8. Diana *part.* 1. *tract.* 1. *resolut.* 13. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 155. & videtur congruere conciliationi factæ a Pignatello inter decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & decreta Sacræ Congregationis Immunitatis ab ipso relata *tom.* 6. *consult.* 4. *num.* 108. his verbis: *Gaudet etiam comprehensus, qui per locum sacrum ducitur*; *Sacr. Congregat. Episcopor. in Sypontina* 12. *Martii* 1603. *& in Theanensi* 13. *Julii, & in Hieracensi eodem die, ac anno. Verum contra censuit Sacr. Congregat. Immunit. ut supra, sed alibi eas conciliamus*. Et ratio primæ partis conclusionis est, quia talis reus ad Ecclesiam libere non confugit, sed invitus ducitur; Ecclesia tamen tutatur confugientem libere, non vero inductum; nam Gregoriana Constitutio confirmata a Benedictina non loquitur de ductis, sed confugientibus ad 141 Ecclesias. Et confirmatur a simili ex Engel *loc. cit. num.* 17. de confugiente ad Sacerdotem portantem Eucharistiam, qui apud eum Immunitatem reperit, quæ non suffragatur ei, ad quem Eucharistia ad carceres defertur, ut declaravit *Sacra Congregat. Immunitatis* 21. *Februarii* 1707. *apud Riccium in Synopsi* verb. *Extractus num.* 45. Sic Engel *loc. cit.* Sperel. *decis.* 194. *num.* 62. Vital. *in Clementin.* 1. *num.* 87. *de pœnitent. & remiss. in quæstione*: An violetur Immunitas, si captus per Ecclesiam deducatur, & inde invitus abstrahatur; ubi concludit his verbis: *Attende, quia iste non confugit ad Ecclesiam, & sic non debet gaudere*. Ratio autem secundæ partis esse potest, quia alia existente via, nulla adesset necessitas ducendi reum per locum sacrum, & sic Ecclesia tutaretur reum ratione violatæ indebite a Ministris reverentiæ sibi debitæ per *l. Præsenti vers. Ipsis servata loci reverentia, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. cap. Reum* 9. *cap. Fratres* 10. *& cap. Definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4.

Confugiens non gaudet immunitate Ecclesiæ, quando li- 142 gatus una cum Birruario ad Ecclesiam confugit; *Sacr. Congregat. Immunit. in Florentina* 6. *Novembris* 1634. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 205. Item confugiens ad murum Ecclesiæ, 143 sed semper detentus, nec unquam dimissus a Birruariis, non gaudet immunitate; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Alatrina* 2. *Martii* 1660. *lib. decret. Rocci pag.* 236. Etiamsi ingrediatur Ecclesiam; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Albanen.* 11. *Octobris* 1679. *lib.* 2. *decretal. Altovit. pag.* 1856. Similiter Sacerdos in processione publica occidens 144 alium Sacerdotem captus a Birruario Curiæ Laicæ de ordine Vicarii Foranei semper detentus ab ipso Birruario, etiam quando vi confugit ad Ecclesiam, non gaudet immunitate; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in una S. Agathæ Gothorum* 18. *Martii* 1692. *lib. decret. Grimald. pag.* 105. Gau- 145 dent tamen Immunitate confugientes ad Ecclesiam etiamsi ligati catenis, & ferris confugiant; *Sacra Congregat. Immunit. in Beneventana* 6. *Maji* 1653. *lib.* 5. *decret. Paul. pag.* 12. 146

Sic etiam Reus, qui effugerit e manibus Birruariorum ligatus ad Ecclesiam, gaudet immunitate, adeoque est restituendus; *Sacra Congregat. Immunit. in Ragusina* 5. *Maji*
147 1699. *lib.* 3. *decret. Vallem. pag.* 218. Ablatus a propriis consanguineis e manibus Satellitum, & inde confugiens in Ecclesiam, gaudere debet immunitate; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Beneventana* 11. *Februarii* 1648. *lib.* 4. *decret. Paul. pag.* 42.

148 Hic juvat adducere varia decreta Sacræ Congregat. relata a Pignatello *tom.* 6. *consult.* 4. ubi sub *num.* 76. sic refert: Qui cum armis prohibitis ad Ecclesiam confugiunt, gaudent Immunitate; *in Salernitana* 30. *Septembris* 1626.

149 Confugiens ad Ecclesiam, dum ducitur ad supplicium, gaudet Immunitate; *In Vallisoletana* 19. *Maji* 1627. apud eumdem *num.* 78.

150 Confugiens ad Ecclesiam, si ab ea exeat cum salvo conducto, & carceretur a Curia Laicali, est restituendus; *In Ariminen.* 3. *Maji* 1628. apud eumdem *num.* 79.

151 Condemnatus ad supplicium mortis effringens carceres, non autem compedes, si confugiat ad Ecclesiam, gaudet Immunitate; *In Romana* 11. *Februar.* 1648. apud eumdem *num.* 91.

152 Condemnatus ad Triremes confugiens a carcere ad Ecclesiam gaudet immunitate; *In Anglonensi* 22. *Junii* 1660. apud eumdem *num.* 94.

153 Confugitus metu inimicorum eum in Ecclesia obsidentium, ab Ecclesia exiens, gaudet immunitate; ideoque restituendus est eidem Ecclesiæ; *Sacr. Congregat. Immunit. in Spoletana* 4. *Junii* 1641. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 146.

154 Confugiens ad Ecclesiam cadens sub titillicidio, si inde extrahatur, est restituendus Ecclesiæ; *Sacr. Congregat. Immunit. in Firmana* 18. *Martii* 1698. *lib.* 2. *decret. Vallemani pagina* 142.

155 Confugiens ad Ecclesiam pro debito civili gaudet immunitate; *Sacr. Congr. Episcop. in Cotronensi* 21. *Julii* 1617. *in Beneventana* 10. *Maji* 1619. *& in Senogalien.* 22. *Novembris* ejusdem anni apud Pignatell. *loc. cit. num.* 77. 101. *& 102.*

156 Hic attendenda est Constitutio Clementis XII. incipient. *In supremo justitiæ solio*, qua pro ditione temporali Pontificia, & deinde per particularia Brevia extensa ad diversa alia Dominia, ac signanter ad totum Dominium invictissimi nostri Regis Sardiniæ a Benedicto XIV. ut in ejus *Instructione dependenter a Concordatis Benedicti XIII. pro Immunitate, & exercitio Jurisdictionis Ecclesiasticæ* §. IX. in qua Constitutione dictus Clemens XII. confirmatis Constitutionibus Gregorii XIV. incipient. *Cum alias*, & Benedicti XIII. incip. *Ex quo*, ad id editis, declarat inluper non gaudere Immunitate Ecclesiastica Reum homicidii, quamvis in rixa commissi, dummodo non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, ibi: *Item declaramus, omnes, & singulos prædictos, tam Laicos, quam Ecclesiasticos, qui in Urbe, ac Ditione præfatis, ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere.* Et quia Benedictus XIII. in dicta sua Constitutione excipiendo casum homicidii animo præmeditato, ac deliberato commissi, nullam fecit mentionem de Ecclesiasticis, nec expressit, an Reis homicidii præmeditati suffragari deberet beneficium minoris ætatis, & an non solum occidens homicidio præmeditato, sed etiam omnis consulens, & adjuvans similem homicidium, excludatur ab Immunitate locali, Clemens XII. in cit. sua Constitutione extendit, & ampliat Constitutionem Benedicti XIII. etiam ad Ecclesiasticos reos homicidii præmeditati, ibi: *Ad ipsos Ecclesiasticos cujuscumque gradus, & Ordinis existant, in Urbe, ac in universa Ditione Nobis, & Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecta homicidium animo similiter præmeditato, ac deliberato patrantes, extendimus quoque, & ampliamus*; Et insuper declarat ut sequitur: *Declaramus, homicidii reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis, tam Laicos, quam Clericos, atque omnes, & singulos sive Laicos, sive Clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperatrum, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta Benedicti Prædecessoris Constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus.* Et ne iracundiæ calor librum possit reddere homicidam a pœna ordinaria, sic expresse declarat, ibi: *Occisor pœna pariter ordinaria puniatur, licet homicidium secutum sit in rixa, si homicida rixæ auctor fuerit: neque calor iracundiæ a pœna ordinaria delinquentem usquam eximat, ubi inter tempus rixæ ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit, id sufficere volumus, ut reus ad actus extraneos diverterit, vel divertisse debuerit.* Ac alia saluberrima ad homicidia impedienda ibi disponit, & merito uti scitu dignissima ibi videnda, ac attendenda.

Præfatas Constitutiones, nempe Gregorii XIV. Benedi- 157
cti XIII; atque Clementis XII. novissime confirmavit Benedictus XIV. Constitut. incip. *Officii nostri*, in qua inuper declaravit, beneficio immunitatis exclusos etiam Ecclesiasticos, & mulieres reas homicidii, sicut etiam occidentes baculo aut saxo. Alia quoque statuit ac magis declarat, quæ ut melius innotescant, Constitutionem ipsam hic ad literam subjicimus.

Articulus III.

Quoad ea, quæ concernunt privilegia, extractionem, & restitutionem Confugentium, & pœnas violantium jus Asyli, & absolutionem ab eisdem.

Rei debent recipi in locis sacris, ad quæ confugiunt, nec 1
possunt inde repelli, aut excludi; *Communis*; *argum. l.* 2. *&* 3. *& l. Præsenti* 6. *Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, ibi: *Ex his* (Religiosis) *locis, eorumque finibus nullos expelli, aut aliquando ejici patimur*; *cap. Reum* 9. *caus.* 17. *quæst.* 4. ubi statuitur, ut *Rectores Ecclesiarum pacem, & vitam, & membra ejus* (Rei nempe) *obtinere studeant*, & concordat *cap. Inter alia* 6. *de Immunitate Ecclesiar.*, ibi: *Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*, scilicet Confugiti ad Ecclesiam. Rei confugiti 2
nequeunt a loco sacro, seu immuni per vim extrahi, nisi commiserint aliquod crimen exceptum; *Communis*, textu expresso *in cap. Definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4., ibi: *Nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, & residentes inde abstrahere, & cit. cap. Inter alia* 6. *de immunit. Ecclesiar.*, ibi: *Quantumcumque gravia maleficia perpetraverit* (nisi sint de exceptis) *non est violenter de Ecclesia extrahendus*, & concordat *l.* 2. *Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, ibi: *Sanctimus, nemini licere ad SS. Ecclesias confugientes abducere.*

Neque possunt Rei confugiti capi, & extrahi ab Ecclesiis 3
de eorum consensu; *Sacr. Congregat. Immunit. in Cajacen.* 20. *Novembris* 1640. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 143. quia non obstante illorum consensu, & expressa renuntiatione privilegio immunitatis, adhuc violaretur Ecclesiæ immunitas, cum tale privilegium sit concessum potius Ecclesiæ, quam personæ; *leg. Præsenti* 6. *Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, cap. Reum* 9. *cap. Fratres* 10. *& cap. Definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. & privilegio Ecclesiæ, seu locali personæ nequeat renunciare; *argum. cap. Contingit* 36. *de sententia excomm.* ubi statuitur, quod excommunicatus sit, qui in Clericum etiam volentem, & consentientem manus injecerit violentas, & Clericus, qui se sponte subjecerit, excommunicetur, cum Clericus renunciare non possit privilegio Clericali, utpote non tam ob favorem personæ, quam totius status Clericalis introducto, ibi: *Cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus*, & generale sit, ut privilegio in favorem duorum conceso alter altero invito renunciare non possit; *cap. Ad Apostolicam* 16. *de Regularibus*, & ibi Glossa communiter recepta in verb. *Monasterii*, Fagnan. *in cit. cap. Inter alia* 6. *de immunit. num.* 87. *& sequent.* Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 2. *num.* 29. Farinacius *in Appendic. de immunit. cap.* 19. *nu.* 304. 4
cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *lib.* 3. *decret. tit.* 49. *n.* 161. & alii apud ipsum. Possunt tamen Rei confugiti sponte ab Ecclesia exire, ac permittere, ut egressi capiantur, quia tunc non violatur Immunitas, cum nec ipsis, nec Ecclesiæ fiat injuria; Non ipsis, quia volentibus non fit injuria; *leg. Cum donationis Cod. de transactionibus*, *& Regula* 17. *Juris in* 6. Non Ecclesiæ, quia in tali casu nec capiuntur in ipsa, nec ab ipsa violenter extrahuntur, sed prius Rei ab ipsa spon-

te re-

te recedunt, unde Ecclesiæ nulla fit injuria; *argum. leg. Quod factum ff. de pactis*. Gulielm. de Monte Laudun. & post eum Vitalin. *in Clement.* 1. *num.* 85. *de pœnit. & remiss.* Fagnan. *loc. cit. num.* 90. Pignatell. *loc. cit. num.* 29. Farinac. *loc. cit. num.* 306. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 161. & alii.

Rei confugiti quandiu in loco Sacro existunt, non possunt
per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam pœnam corporalem; *cap. Reum* 9. *cap. Id constituimus* 36. *caus.* 17. *quæst.* 4. *cap. Inter alia* 6. *de Immunit.*, ibi: *Nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam*; quæ verba Fagnan. *ibid. num.* 12. adductis variis Canonibus dicit non posse intelligi de executione ipsius sententiæ, sed esse intelligenda de ipsa sententiæ prolatione, seu condemnatione, ut innuit verb. *Damnari*. Et dicit, Judices sæculares in perniciem animarum suarum proferre sententias capitales, vel corporis afflictivas in confugientes ad Ecclesias, & ibi commorantes; Abbas *in cit. cap. Inter alia num.* 3. Hostiens. *ibid. nu.* 1. Joan. Andr. *ibid. nu.* 3. Innocent. *ibid. in verb. Ad pœnam*, Silvester *verb. Immunitas* 3. *quæst.* 4. Layman *lib.* 4.
6 *tract.* 9. *cap.* 3. *nu.* 13. Pirhing *lib.* 3. *decret. tit.* 49. *num.* 47. Reiffenstuel *ibid. num.* 166. & alii. Notant tamen Haunoldus *tom.* 6. *tract.* 1. *num.* 249. Castropalao *part.* 2. *tract.* 11. *disput. unic. punct.* 11. *nu.* 11. Jul. Clar. *in Appendic. de Immunitate cap.* 19. & alii, huic Juri in pluribus locis derogatum esse consuetudine contraria, vi cujus Rei ad loca Sacra confugientes a Judice citantur, & non comparentes condemnantur pœna Juris ordinaria, quamvis sententia executioni mandari non possit, nisi Rei sponte exeant, aut alias extra loca Sacra deprehendantur. Et a Fagnan. *loc. cit. sub nu.* 15. advertitur, *Sacram Congregationem Immunitatis in causa Mantuana* 10. *Septembris* 1629. *censuisse, Judicem citatum Laicum posse procedere contra confugientem ad locum immunem prout Juris in contumacia, & in Januensi die* 9. *Octobris* 1629. *Nicolaum de Valle restituendum esse Ecclesiæ, sed Judicem Laicum posse contra illum ad pœnam exilii, & ad alias in contumaciam procedere.*

7 Rei confugiti licet quandiu existunt in loco sacro, damnari non possint pœna mortis, vel alia corporali, possunt tamen puniri alia pœna, videlicet pecuniaria; *Communis, ac certa, arg. cap. Reum* 9. *cap. Id constituimus* 36. *caus.* 17. *qu.* 4. *& cap. Inter alia* 6. *de Immunit.*, ibi: *Super hoc tamen, quod*
8 *inique gessit, est alias legitime puniendus.* Imo si per sua crimina alios damnificarunt, non solum possunt, sed & debent compelli ad eis satisfaciendum per pecuniam, aut alia bona temporalia, si quæ habent; *arg. cit. cap. Reum*, ibi: *Tamen legitime componat, quod inique fecit*: componere autem pro damno dato est pecunialiter satisfacere, ut notat Archidiaconus *in cit. cap. Reum num.* 3. & Fagnan. *in cit. cap. Inter alia nu.* 17. *& cit. cap. Id constituimus*, ibi: *Ei, cui fuerit crimino sus* (idest obnoxius, ut explicat Glossa ibidem) *de satisfactione conveniat*. Et ideo, non obstante, quod ipsi existant in loco sacro, adhuc ex communi praxi licite fit executio in eorum bonis.

9 Rei confugiti nequeunt in loco sacro carcerari, nec vinculis constringi; *argum. leg. Præsenti, Cod. de his, qui ad Ecclesias confugiunt*, ibi: *Non patimur . . . . in Ecclesiis quempiam detineri, atque constringi, & cap. Definivit* 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. communis cum Farinacio *loc. cit. nu.* 297. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 171. Pignatel. *tom.* 6. *consult.* 4. *nu.* 93. ubi refert sic decrevisse Sacram Congregationem his verbis: *Confugientes non possunt retineri in Ecclesia in compedibus, aut*
10 *ligari, in Cosentina* 11. *Junii* 1627. Imo neque possunt in loco sacro custodiri, & tam Custodes, quam apponentes compedes, & manicas ferreas confugitis in locis immunibus incidunt in censuras, & ad hoc dantur hic varia decreta Sacræ Congregationis Immunitatis, prout referuntur a D. Riccio *in sua Synopsi verb. Custodes.*

11 Custodiæ confugientibus ad locum Immunem sunt removendæ, cum non permittantur, & sint contra libertatem Ecclesiasticam; *Sacr. Cong. Immunit. in Aquinaten.* 20. *Augusti* 1635. *lib.* 2. *decretal. Paul. pag.* 230. *Neapolitana* 22. *Junii* 1627. *lib.* 1. *decret. Paul. pag.* 54. *Regien.* 6. *Julii* 1680. *lib.* 2. *decret. Altoviti pag.* 2007.

12 Episcopus curet, etiam juris remediis amoveri Custodias, seu obsides confugitorum ad Ecclesiam; *Reatina* 5. *Junii* 1694. *lib.* 1. *decr. Vallemani pag.* 127.

13 Monetur Episcopus non esse bonam praxim apponere custodias modo, & forma quibus ab eo appositæ fuerunt, nempe duorum militum die, & quatuor de nocte; *Anconitana* 24. *Martii* 1637. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 27.

Monetur Archiepiscopus, ut amoveat Custodes, seu suos Cursores ab Ecclesia, in qua degunt confugiti; *Salernitana* 23. *Augusti* 1667. *lib.* 1. *decr. Altoviti pag.* 147. 14, 15

Custodias appositas loco immuni, in quo restituti fuere Hebræi violenter extracti, Vicarius Generalis curet auctoritate sua ordinaria removeri; *in Nullius Guastallæ* 10. *Febr.* 1680. *lib.* 2. *decretal. Altoviti pag.* 1924. Custodiæ istæ etiam- 16
si remotæ, sunt prohibendæ; *Isclana* 14. *Febr.* 1634. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 184.

Apponentes Custodias loco immuni incidunt in Censuras 17
comminatas contra Violatores Immunitatis Ecclesiasticæ, & 18
indigent absolutione; *Aprutina* 1. *Octobris* 1647. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 156. Custodes Refugiatorum absolvuntur in forma Ecclesiæ, impositis gravibus pœnis salutaribus; *Somen.* 22. *Maji* 1694. *lib.* 1. *decret. Vall. pag.* 122. *Hyeracen.* 28. *Augusti* 1700. *tib.* 2. *decret. Valleman. pag.* 309.

Semotis prius Custodiis per Regios datur facultas Archie- 19
piscopo extrahendi Clericum, & processum conficiendi super ejus delictis; *Cosentina* 19. *Aprilis* 1644. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 224.

Apponentes compedes, & manicas ferreas confugitis in 20
locis Immunibus incidunt in Censuras; *Catacen.* 25. *Septembris* 1653. *lib.* 5. *decret. Paul. pag.* 21. Contra ponentes com- 21
pedes, & manicas ferreas, ac custodientes confugitos in Ecclesia, Episcopus conficiat processum; *Capuana* 12. *Augusti* 1659. *lib. decret. Rocci pag.* 20.

Archiepiscopus omnino removeri curet Custodiam ab Ec- 22
clesia, & Conventu, & liberari confugitum a compedibus, & manicis ferreis; *Rossanen.* 1. *Septembris* 1671. *lib.* 1. *decret. Altov. pag.* 195.

Injungitur Episcopo, ut curet confugitos ad Ecclesiam li- 23
berari a manicis ferreis, & a compedibus, & amoveri Custodiam a compedibus, & si adsint indicia de delictis exceptis in Bulla extrahat, & retineat dictos confugitos, necnon conficiat processum; *Materanen.* 1. *Septembris* 1674. *lib.* 1. *decret. Alt. pag.* 988. *Puteolana* 17. *Decemb.* 1675. *dict. lib. pag.* 1187.

Appositio compedum, & manicarum ferrearum Confugi- 24
tis in Ecclesiis, & aliis locis immunibus de ordine Archiepiscopi est improbata; *Neapolitana* 20. *Januarii* 1654. *lib.* 5. *decret. Paul. pag.* 31. *Caven.* 8. *Februarii* 1639. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 854.

Declarantur excommunicati ex causa Custodiæ Baroncelli 25
in Ecclesia custodientes Reos ad illam confugientes; *in Amerina* 4. *Decembris* 1629. *ex Sacra Congregat. Immunit.* ut refert Pignatell. *tom.* 6. *consult.* 4. *nu.* 17.

Potest tamen a Curia sæculari poni Custodia extra locum 26
sacrum ad præcavendum, ne libere Rei confugiti effugiant, vel ut si extra fines Ecclesiæ, seu loci immunis exierint, facilius capi, & puniri valeant, quia per talem custodiam nulla penitus vis, aut injuria infertur loco sacro, & ipsis Reis confugitis, cum, uti supponitur, & debetur ex mox dicendis numero sequenti, liber permittatur accessus deferentibus necessaria victui, & vestitui ipsis Reis confugitis; & solum in loco non sacro ponantur Custodes, ut si ipsi Rei confugiti sponte exeant ab Ecclesia, seu loco immuni, ibi capiantur, ubi jure capi possunt; Farinacius *in Appendice de immunitate cap.* 19. *nu.* 299. Haunoldus *tom.* 6. *tract.* 1. *nu.* 245. Castropalao *tract.* 11. *disput. unic. punct.* 11. *num.* 6. Suarez *lib.* 3. *de reverent. debit. locis sacris cap.* 12. *num.* 4. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 688. Pirhing *lib.* 3. *Decret. tit.* 49. *num.* 48. Reiffenstuel *ibid. num.* 173. Bonacina *tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 3. citans Mar. Ital. *de Immunitate lib.* 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 52. Layman *lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 3. *numer.* 13. & alii passim.

Nemo potest impedire, seu prohibere, quo minus vic- 27
tus, & vestitus, aliaque necessaria ad victum deferantur reis confugitis, textu expresso *in leg. Præsenti* 6. *Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ibi: *Nec patimur in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies.* Et ratio est, quia esset aperta coactio, qua rei confugiti, vel 28
ad exeundum, vel in Ecclesia moriendum compellerentur; Ita *communis Doctorum*. Neque Rei confugiti impediri possunt, quominus naturam etiam extra locum Asyli (si reverentia loci id exigat) ex onerare possint; *cap. Definivit* 33. *caus.* 17. *quæst.* 4. ubi pro pterea triginta passus in circuitu Ecclesiæ conceduntur, *qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis*

egeat locis, & nullo teneantur eventu neceſſitudinis, qui Dominicis ſe defendendos commiſerint clauſtris, ut præciſis verbis ibidem dicitur. Unde, qui neceſſitatis naturæ cauſa ad ſe exonerandum egreditur e loco ſacro propter ei debitam, & aliunde non ſalvabilem reverentiam, nequit capi a Curia ſæculari; Haunoldus *tom. 6. tract. 1. nu. 238. & 274.* cum pluribus ibi citatis; Reiffenſtuel *loc. cit. n. 159.* & alii paſſim.

29 Rei confugiti, ſi aliunde non habeant, unde ſuſtententur, debent de bonis Eccleſiæ, ſeu loci ſacri ſuſtentari; *arg. l. Præſenti 6. Cod. de his, qui ad Eccleſias confugiunt; cap. Aurum 69. cauſ. 12. quæſt. 2.*, ibi: *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget in neceſſitatibus*. Et ratio eſt, quia tenentur Rectores Eccleſiarum, quicumque ſint etiam Regulares, conſervare Reorum confugitorum vitam; *cap. Reum 9. cauſ. 17. quæſt. 4. cap. Inter alia 6. de Immunit.* Tum quia confugitis non prodeſſet Jus Aſyli, cum alias indirecte cogerentur ad exeundum, & Curiæ ſæculari ſe tradendum, aut fame moriendum; Sic Gloſſa communiter recepta *in cit. cap. Definivit 35. cauſ. 17. quæſt. 4. verb. Defundantur*; Abbas *in cit. cap. Inter alia, de Immunitate n. 28.* Silveſt. verb. *Immunitas 3. nu. 5.* Reiffenſtuel *loc. cit. nu. 157.* Matthæucc. *Official. Curiæ cap. de Immunitate nu. 33.* & alii paſſim. Notanter autem dicitur, *ſi aliunde non habeant, unde ſuſtententur*, quia, ſi poſſint ſuſtentari ex bonis propriis, aut a conſanguineis, aut ab amicis, aut ex eleemoſynis, in tali caſu de illis, & non de Eccleſiæ bonis vivere debent. Imo poſſunt cogi ad laborandum, & ſerviendum in commodum, & utilitatem Eccleſiæ, ſeu Monaſterii, ut ſic expenſæ in ipſos factæ de bonis Eccleſiæ, quæ nonniſi ad cauſas pias, & pauperes erogari poſſunt, compenſentur, & etiam, ne *Immunitas* ſit eis occaſio otiandi, & exinde etiam peccandi; ita Doctores ſupracitati, & alii.

31 Rei confugiti non poſſunt ſpoliari rebus ſuis, quæ ſecum tulerunt in locum Aſyli; *Communis arg. cap. Sicut 6. cauſ. 17. quæſt. 4.*, ibi: *Qui perſonam, aut bona ejus ſubtraxerit* (e loco Aſyli) *excommunicetur*, & *cap. Definivit 35. ead. cauſ. & quæſt.*, ibi: *Definivit Sacrum Concilium, ut nullus audeat confugientes ad Eccleſiam, vel reſidentes inde abſtrahere, aut quodcumque nocibilitatis, vel damni, vel ſpolii reſidentibus*
32 *in loco ſacro inferre*. Imo neque poſſunt ſpoliari armis, quidquid in contrarium ſenſerit Covarruvias *Variar. reſol. cap. 20. nu. 18. corollar. 36.* & poſt ipſum Reiffenſtuel *loc. cit. nu. 170.* Felix Poteſtas *tom. 1. part. 2. nu. 689.* & alii plures; Sic pluries reſolvit Sacr. Congregat. Immun. apud Sperell. *dec. 127. nu. 26.* & ſignanter *in una Neritonenſi 13. Januarii 1628.*, in qua dixit practicandam non eſſe doctrinam Covarruviæ ex adverſo ſentientis; Et quod non liceat Curiæ ſæculari auferre arma a Laicis confugientibus ad Eccleſias, & alia loca immunia, decrevit *Ead. Sacr. Congr. Immunit. in Adjacen. 18. Martii 1630. lib. 2. decret. Paul. pag. 97. in Motulana 11. Auguſti 1631. lib. 2. decret. Paul. pag. 36. in Tranen. 6. Novembris 1634. lib. 2. decret. Paul. pag. 207.* Etiamſi dicta arma ſint
33 prohibita; *Ead. Sacr. Cong. in dict. Adjacenſi 10. Martii 1630. lib. 2. decret. Paul. pag. 97. in Venuſina 18. Febr. 1635. lib. 2.*
34 *decret. Paul. pag. 215.* Quare arma ablata a confugitis ſunt omnino reſtituenda; *Ead. Sacr. Cong. in Camerinen. 30. Febr. 1629. lib. 1. decret. Paul. pag. 124. in Januen. 9. Junii 1637. lib. 3. decret. Paul. pag. 34. in Fanen. 27. Martii 1703. lib. 3. decret.*
35 *Vallem. pag. 481.* Vel Epiſcopus ſibi conſignari faciat ad effectum diſponendi juxta ordines Sacr. Congregationis; *Eadem*
36 *Sacr. Congr. in Neapolitana 24. Decembr. 1672. lib. 1. decret. Alt. p. 757.* Ablatio armorum a Confugitis non eſt permiſſa abſque facultate S. Sedis, Et conceditur facultas ad tempus Archiepiſcopo auferendi arma a confugientibus in Eccleſiis etiam exemptis, & aliis locis immunibus, hac tamen conditione, ut arma retineantur apud Curiam Archiepiſcopalem, & ablatio fiat per Miniſtrum ejuſdem Curiæ; *Ead. Sacr. Cong. in Neapolitana 20. Januar. 1654. lib. 5. decret. Paul. pag. 31.*
37 Contra auferentes arma a Confugitis procedendum eſt ad declarationem Cenſurarum; *Ead. Sacr. Congregat. in Tra-*
38 *nen. 6. Novembr. 1634. lib. 2. decret. Paul. pag. 207.* Imo laudatur Epiſcopus excommunicans eos, qui Confugitos in locis immunibus armis ſpoliarunt; *Ead. Sacr. Congr. in Martoranen. 15. Julii 1636. lib. 3. decret. Paul. pag. 9.* Poſſunt tamen a Confugitis auferri arma, ſicut & alia bona, quæ non
39 ſunt ſua, ſed aliena, & ipſa tradi propriis Dominis; *Communis arg. cit. cap. Sicut 6. cauſ. 17. quæſt. 4.*, ibi: *Aut bona ejus* (non alterius) *ſubtraxerit*.

40 Quoad modum extrahendi delinquentes e locis immunibus ſervanda eſt inviolabiliter noviſſima diſpoſitio Benedicti XIII, in citat. Conſtitut. incip. *Ex quo §. 9.* ubi ſtatuit, quod, quotieſcumque Curia Eccleſiaſtica a Curia ſæculari fuerit requiſita, ut Laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi conſignari faciat, habitis ſuper delicti exceptis qualitate, ac perſonæ reiteratis indiciis, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur, tunc Curia Eccleſiaſtica ad ejuſdem delinquentis extractionem ab Eccleſia, aliiſve locis immunibus, ope, ac medio ſuorum Executorum, implorato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab Epiſcopo deputandæ, procedere teneatur, & extractum ad ſuos carceres aſportari, ac ibi ſub tuta cuſtodia detineri curet, & faciat. Ubi vero ex proceſſu informativo deſuper conficiendo conſtet de crimine excepto, ac inſuper adverſus eumdem extractum talia reluſtent indicia, ut crimen ab eo fuiſſe patratum moraliter credi poſſit, in eo tandem caſu præfatum extractum Miniſtris, & Officialibus Curiæ ſæcularis tradere, & conſignare poſſit, ac debeat, exacta tamen, & recepta prius ab ipſis obligatione in forma juris valida reſtituendi extractum Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſervatæ, quatenus idem extractus inditia contra ipſum acquiſita in ſuis defenſionibus purget, ac diluat, quod, ſi ea non purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, poſſit in tali caſu Curia ſæcularis procedere contra ipſum, ut juris eſſe
41 cenſuerit.

Curia ſæcularis nullimode poteſt propria auctoritate Reos extrahere ab Eccleſia, ſeu loco immuni in caſibus exceptis, citat. Gregoriana §. 4. & citat. Benedictina §. 9. Imo Curia
42 Sæcularis neque ſe poteſt ingerere in dignoſcendo, an Rei gaudeant immunitate, & crimina ab eis commiſſa ſint de
43 exceptis nec ne? cit. Gregoriana §. 4. & cit. Benedictina §. 9. Soli enim Epiſcopi, aut eorum Vicarii Generales, & non alii Epiſcopis inferiores etiamſi locorum Ordinarii ſint, aut nullius Diœceſis, aut Conſervatores a Sede Apoſtolica ſpeciliter, vel generaliter deputati cognoſcere, & declarare valent, an delicta, pro quibus inquiſiti ad loca immunia confugerunt, ſint necne de genere, ac numero exceptorum; Sic expreſſe noviſſime ſtatuit Benedictus XIII. in dict. Conſtitutione *Ex quo §. 9.* confirmans dictam Gregorianam. Oc-
44 currente caſu in loco exempto, & nullius Diœceſis, tunc hæc cognitio, & declaratio ſpectat ad Epiſcopum viciniorem, & non ad alios, cit. Gregoriana §. 4. confirmata a dict. Benedictina §. 9. Sic etiam, Sede vacante, talis co-
45 gnitio, & declaratio non ſpectat ad Vicarium Capitularem, ſed ad Epiſcopum viciniorem, colligitur *ex cit. Conſtitutionibus* & expreſſe declaravit pluries Sacr. Congregat. Immunitatis, & ſignanter *in Regienſi 19. Novembr. 1650. lib. 4. decret. Paul. pag. 125. in Calaritana 30. Septembr. 1698. lib. 2. decret. Vall. pag. 178. & in una S. Severini 29. April. 1704. lib. 3. decret. Vallem. pag. 577.*

In caſibus non exceptis non eſt licita Epiſcopo extractio
46 abſque facultate Apoſtolica, & ſic extracti reſtitui debent Eccleſiæ; *Sacr. Congregat. in Brunduſina 24. Auguſti 1649. lib. 1. decret. Vall. pag. 141.* Neque ad vitandum populi tumultum; *Eadem Sacr. Congregat. in Peruſina 1. Martii 1695. lib. 1. decret. Vallem. pag. 176.* Etiam reſpectu Clerici Sodomitæ, *in Anglonen. 2. Junii 1699. lib. 2. decret. Vallem. pag. 224.*

Unde Epiſcopus, qui ſine dicta facultate extraxit, acriter
47 corrigitur pœnis Sanctiſſimo benevisis; *Eadem Sacr. Cong. in Cajetan i 10. Septembris 1652. lib. 5. decret. Paul. pag. 197.*

Homicidæ extracti ab Eccleſia de mandato Epiſcopi ad in-
48 ſtantiam Communitatis ad effectum evitandi publicum malum, ſunt reſtituendi; *Eadem Sacr. Congr. in Caſſanen. 1. Aprilis 1704. lib. 3. decret. Vallem. in. pag. 568.*

Militem extractum ab Epiſcopo ob plurima delicta, ſed
49 de non exceptis, Epiſcopus faciat reſtituere; *Eadem Sacr. Congr. in Lauretana 29. Decembris 1625. lib. Scripturarum veterum pag. 78.*

Extractus a Curia laica ob delictum exceptum, Epiſcopus
50 curet ſibi conſignari, vel retineri in carceribus laicalibus, reportata obligatione retinendi nomine Sacræ Congregationis uſque ad novum ordinem; *Eadem Sacr. Congr. in Alexandrina 1. Decembr. 1700. lib. 2. decret. Vallem. pag. 230.*

Archiepiſcopus abſtineat a captura in Eccleſia, quando
51 non agitur de caſibus exceptis; *Ead. Sacr. Congr. in Coſentina 23. Julii 1625. ex Reg. Script. ut. veter. pag. 64.*

Ordinarius loci non poteſt extrahere bona Decoctorum abſ-
52 que

que facultate Sedis Apoſtolicæ; ſic decrevit *Sacr. Congr. in Neritonen. 17. Januarii 1628.* refert Pignatell. *tom. 6. conſult. 4. num. 98.*

53 Epiſcopus non poteſt extrahere Decoctores, cum non ſint de exceptuatis; *Sacr. Congr. Immunit. in Panormitana 21. Januarii 1626. lib. Scripturar. veterum pag. 90.*

54 Sacra Congregat. tribuit Archiepiſcopo facultatem præfigendi Confugito doloſe Decocto congruum tempus, intra quod, vel ſolvat, vel concordet cum Creditoribus, et quatenus neutrum exequatur, attentis graviſſimis circumſtantiis in iſto caſu concurrentibus, ejiciendi e dicto loco immuni, et extrahendi libros, ac res ad eumdem pertinentes; *Avenion. 14. Septembris 1694. lib. 1. decret. Vallem. pag. 164.*

55 Deinde attentis prædictis circumſtantiis datur facultas illum extrahendi ad formam Bullæ, & retinendi in carceribus Eccleſ. nomine Sacræ Cong. nec non perquirendi, & extrahendi res in forma; *ibid.*

56 Mercatori fraudulenter Decocto, annuente Sanctiſſimo, præfigitur tempus duorum menſium, intra quod recedere debeat a loco immuni, ſi Parti non ſatisfecerit, vel illam acquieſcere non curaverit; *Meliten. 13. Decemb. 1633. lib. 2. decret. Paul. pag. 179. Catacen. 21. Martii 1634. lib. 2. decret. Paul. pag. 186.*

57 Datur Epiſcopo facultas aſſecurandi Libros Decoctoris Confugiti repoſitos in loco immuni, ad effectum cuſtodiendi, & de iis diſponendi, prout de jure; *Ravennaten. 3. Julii 1694. lib. 1. decret. Vallem. pag. 131.*, & *15. Auguſti pagin. 139.*

58 Ut conſulatur indemnitati Creditorum, qui nequeunt exequi facere mandatum contra Debitores, qui res ſuas in locis immunibus tranſtulerunt, dantur Epiſcopo Litteræ petitionis in forma; *Peruſina 17. Auguſti 1695. lib. 1. decretal. Vall. pag. 110. Ariminen. 6. Decemb. d. an., & lib. pag. 234. & alibi*.

59 Aliquando præfatæ litteræ diriguntur Nuncio Apoſtolico juxta formam conſuetam ad annum; *Neapolitana 25. Junii 1695. dict. lib. pag. 196.* quibus Litteris uti poſſit in Eccleſiis ſuæ juriſdictioni ſubjectis; *In eadem 11. Januarii d. an. & lib. pag. 168.*

60 Ne creditores damnum patiantur a debitoribus decoctis, qui una cum rebus ſuis confugerunt ad Conventum N. datur facultas D. Nuncio illas perquirendi, & extrahendi in forma, ad effectum illas conſignandi inventariatas Judici competenti; *Piſana 6. Auguſti 1695. lib. 1. decret. Vallem. pag.*
61 208. Datur aliquando facultas, ut Debitores ex cauſa civili cogantur exire a loco immuni; *S. Severinæ 18. Decembris 1635. lib. 2. decret. Paul. pag. 240.*

62 Perceptor proventuum Regiorum Confugitus ad Eccleſiam, de rigore juris gaudet immunitate ob debitum prætenſum a Camera Regia ex cauſa adminiſtrationis; ſed ex gratia, facto verbo cum Sanctiſſimo, concedi poteſt, ut præfigatur eidem terminus duorum menſium, intra quem, ſi non reddiderit computa, vel concordaverit, ſeu ſatisfecerit Cameræ Regiæ, ejiciatur a loco immuni; *Lycien. 21. Auguſti 1646. lib. 3. decret. Paul. pag. 290.*

63 Injungitur Archiepiſcopo, ut præfigat terminum Agenti Regis Poloniæ, qui receperat ſcuta duodecim millia paucis diebus, antequam ſe declararet Decoctum, ad recedendum a loco immuni, & extrahere faciat pecunias, ac bona ibidem translata ad effectum ea conſignandi Judici competenti in forma; *Neapolitana 9. Octobris 1629. lib. 2. decret. Paul. pag. 9.*

64 Aliquando annuente Sanctiſſimo, injungitur Internuncio, ut præfigat terminum Appaltatoribus, ſeu Arrendatoribus Patrimonii Regni, & Gabellarum Civitatis, confugitis, quo elapſo, ſi ſumma debita erit magna, vel ſibi videbitur interveniſſe fraudem, extrahat, retineat, & certioret; *Neapolitana 11. Martii 1625. ex Regeſt. Script. Veter. pag. 51.*

65 Committitur Archiepiſcopo, ut extrahere faciat Debitores Regiæ Cameræ confugitos ad loca immunia a quocumque loco immuni ad formam Bullæ Gregorianæ, & mancipari carceribus Eccleſiaſticis, donec integraliter perſolvant Regiæ Cameræ; *Neapolitana 18. Junii 1626. lib. 1. Litterarum Paul. pag. 19.*

66 Item annuente Sanctiſſimo permittitur Epiſcopo Peruſino, ut Debitor extractus pro debitis in egregia ſumma Communitatis, & Cameræ Apoſtolicæ retineatur in carceribus; *Peruſina 18. Sept. 1635. lib. 5. dec. Paul. p. 76.*

67 Debitor egregiæ ſummæ vocans Creditorem ad propriam domum, ac armata manu, una cum aliis extorquens quietantiam 2000. ſcutorum, gaudet immunitate: ſed agendum cum Sanctiſſimo pro pœna extraordinaria, attenta mala qualitate Rei; *Sarzanen. 11. Januarii 1684. lib. 3. decretal. Altoviti pag. 271.*

Cenſetur doloſe extractus debitor habens promiſſionem a 68
Creditore, quod non faciat exequi mandatum perſonale contra ipſum, verum, cum exierit a loco immuni, carceratus fuit ad inſtantiam ipſius Creditoris; *Nucerina 9. Maji 1702. lib. 3. decret. Vallem. pag. 420.*

Debitor virginis, & pauperrimæ, niſi intra terminum 69
unius menſis ſolvat, datur facultas Ordinario ipſum ejiciendi e domo immuni; *Sabinen. 6. Novembris 1634. lib. 2. dec. Paul. pag. 207.*

Licet non conſtet ex proceſſu de extractione doloſa, ſeu 70
blandis verbis Confugiti ab Eccleſia, quia tamen ex confeſſione extrajudiciali habetur doloſe extractum fuiſſe, Sac. Congregatio reſolvit gaudere, & reſtituendum eſſe Eccleſiæ; *Eadem Sacr. Congreg at. Immun. in Ferrarien. 24. Januarii 1673. lib. 1. decret. Altoviti pag. 765.*

Item declaravit gaudere illum, qui doloſis verbis extra- 71
ctus fuit ex atrio Collegii, ſeu Domus Piæ Litteratorum Romæ; *Eadem Sac. Congregat. Immun. in Romana 16. Julii 1675. lib. 1. decretal. Altoviti pag. 1124.* Similiter qui fuit im- 72
peditus a Birruariis exiſtentibus in loco immuni, ne confugeret ad locum immunem; *In eadem ibidem.* Item qui tem- 73
pore capturæ jam tetigerat columnam poſitam in angulo ſuperiori Domus Miniſtrorum inſervientium Monialibus S. Sylveſtri Romæ; *In eadem ibid.*

Conſtat de doloſa extractione a loco immuni, quando Ba- 74
roncellus fingens ſe velle manducare cum Confugito, mittit ipſum cum vino ad fontem, ubi capitur a Birruarils; *Ead. Sac. Cong. Im. in Reatina 27. Martii 1696. lib. 2. dec. Vallem. pag. 15.*

Eſt doloſa extractio quando ſimulatus Confuga ſeduxit Ju- 75
dæum Confugitum exire de loco immuni, aſſerens non adeſſe Birruarios, a quibus mentitis veſtibus captus fuit; *Ead. Sac. Congregat. Immun. in Anconitana 10. Februarii 1699. lib. 2. decret. Vall. pag. 201.* Conſtat de doloſa Extractione, 76
quando Birruarii mentitis veſtibus, & incogniti ſub prætextu emendi certa mobilia inducunt Confugitum ad exeundum ab Eccleſia, & veniendum domum, ubi ipſum carcerant; *Bononien. 3. Decembris 1697. lib. 2. decret. Vallem. p. 123.*

Conſtat de doloſa extractione, quando Debitor ſub pro- 77
miſſione Creditoris de non faciendo exequi mandatum perſonale contra ipſum, carceratur ad inſtantiam Creditoris, poſtquam exiit a loco immuni; *Nucerina 9. Maji 1702. lib. 3. decret. Vall. pag. 420.* Item quando ſub promiſ- 78
ſione reconciliationis faciendæ cum ſuo Adverſario Confuga egreditur ab Eccleſia, & capitur a Birruariis; *Ferentina 22. Januarii 1704. lib. 3. decret. Vallem. pag. 550.*

Conſtat de doloſa Extractione, quando Confugitus exit 79
ab Eccleſia ſub aſſecuratione Baroncelli, quod non carcerabitur, & poſtea ab ejuſdem Birruariis carceratur; *Peruſina 22. Septembris 1693. lib. 1. dec. Vallem. pag. 77.*

Quando confuga egreditur de Eccleſia, quamvis abſque 80
præcedenti tractatu cum Curia Laica, nec de ejus mandato, ſed amici, vel alterius privatæ perſonæ ſuaſione habentis animum tradendi ipſum in manibus dictæ Curiæ, prout de facto contigit, conſtat de doloſa Extractione, adeoque eſt reſtituendus; *Camerin. n. 20. Septemb. 1704. lib. 3. decret. Vallem. pag. 618.* Conſtito de doloſa Extractione a loco im- 81
muni, Extractus debet reſtitui Eccleſiæ; *Aliphana 12. Julii 1689. lib. decret. Martelli pag. 490. Balneoregien. 11. Januarii 1695. lib. 1. decret. Vall. pag. 166. Anconitana 10. Februarii 1699. lib. 2. decret. Vall. pag. 256.*

Sarcina papyri fraudulenter extracta a Conventu per Mi- 82
niſtrum Appaltatoris, qui ſe finxit Dominum d. papyri, & decipiens Portuarium Conventus fraudulenter inde extraxit, eſt reſtituenda in Eccleſia; *Civitatis Caſtelli 21. Novemb. 1684. lib. 3. dec. Altov. pag. 389.*

Non videtur conſtare de doloſa Extractione, quando quis 83
tamquam privatus promittit Confugito, eum benigne tractandum a Judice Eccleſiaſtico, in cujus propterea Curia ſe conſtituit; *Neapolitana, ſeu Nolana 31. Auguſti 1700. lib. 2. decret. Vall. pag. 311.*

Non conſtat de doloſa Extractione, quando Confugi- 84
tus exiit a loco immuni, ex eo quod Tribunus Militum, ut fieret miles, ei promiſit omnem ſecuritatem, nullo tamen

men habito tractatu per Tribunum cum Curia Laica, a qua extra locum immunem captus fuit. *Tauvinen. 9. Martii 1702. lib. 3. dec. Vall. pag. 420.*

85 Non constat de dolosa Extractione in causa Confugiti ad Ecclesiam ob debitum contractum cum duobus Mercatoribus cum quibus iniit contractum societatis, eo quod exierit ab Ecclesia virtute transactionis factæ cum uno solum Mercatore sine Mandato, & conscientia alterius socii principalioris in interesse, qui renuit ratam habere d. transactionem tamquam ei præjudicialem, & fecit carcerare Debitorem; *Urbanien. 9. Maji 1701. lib. 3. dec. Vallem. pag. 420.*

86 Non constat de Extractione dolosa a loco immuni, quando Confugitus causa debitorum exiit ab Ecclesia sub promissione, & juramento unius Creditoris, de non infestando ei ullam molestiam, sed postea carceratus fuit ad instantiam alterius Creditoris, absque intelligentia cum primo Creditore; *Nullius Orbetelli 31. Novembris 1684. lib. 3. decretal. Altoviti pag. 390.*

87 In causa dolosæ Extractionis Episcopus procedat ad declarationem prout de jure; *Neapolitana 12. Januarii 1700.*

88 *lib. 2. decret. Vallem. pag. 266.* Aliquando injungitur, ut in formet super dolosa Extractione, & interim super sedeat in fulminatione Censurarum, & curet sibi consignari carceratum; *Reatina 23. Novembris 1695. lib. 1. decretal.*

89 *Vall. pag. 229.* Post declarationem: Non constare de dolosa extractione, Curia Ecclesiastica tenetur admittere novas probationes; *Perusina 18. Martii 1698. lib. 2. decretal. Vallemani pag. 148.*

90 Extractus fraudulenter a Conventu gaudet immunitate Eccles. *In una Civitatis Vetulæ 1. Febr. 1661. lib. dec. Ricci*

91 *pag. 312.* Extracti tamen ex fraude alicujus personæ privatæ non gaudent immunitate Ecclesiastica; *Æsina 16. Januarii*

92 *1663. lib. decret. Rocci pag. 450.* Recedens ab Ecclesia ex fraude suorum inimicorum non gaudet immunitate Eccles. *Casalen. 20. Martii 1662. lib. decret. Rocci pag. 390.* Exiens

93 ab Ecclesia de consilio personæ particularis, & accidentaliter captus a Curia, nulla habita intelligentia cum ipso consiliario, non censetur dolose extractus; *Ferrarien. 2. Junii 1693. lib. dec. Vallemani pag. 50.*

94 Mulier extracta ab Ecclesia blandis verbis, & circumventionibus a Notario, & Birruariis Curiæ Laicalis, est eidem Ecclesiæ restituenda; *Camerin. 18. Octobris 1633. lib. 2. dec. Paulucci pag. 173.*

95 Dolose abductus a particulari persona ex concordia cum Curia ad exeundum ab Ecclesia, & postea ab eadem Curia

96 *lib. 1. decret. Alt. pag. 647.* Extractus ab Ecclesia blandis verbis, scilicet sub prætextu impunitatis promissæ a Barone, gaudet immunitate; *Tudertina 18. April. 1679. lib. 2. dec. Altovit. pag. 1749.*

97 Exiens ab Ecclesia cum assecuratione sibi facta a Scriba Curiæ Episcopalis de immunitate ad dandam querelam in eadem Curia, & a Vicario Generali post horum notitiam retentus in carceribus, restituatur, & Vicarius consulat conscientiæ suæ; *Senogallien. 24. Nov. 1682. lib. 3. decret.*

98 *Altov. pag. 710.* Extractus ab Ecclesia sub promissione substituti Curiæ laicæ de illum dimittendo post examen, & postea detentus in carceribus, gaudet immunitate, & est restituendus; *Æsina 13. Novembris 1663. lib. decretal. Rocci pag. 515.*

99 In ordine ad dolosas extractiones frequenter allegari solitas attendendæ sunt sequentes novissime emanatæ resolutiones.

DECRETUM.

100 *Pro tollendis abusibus per eos invectis, qui ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam justitiam, sese a locis immunibus, ad quæ confugerant, dolose extractos fuisse frequenter allegare solent.*

CUM ad aures Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. delati fuerint graves abusus in plurimis locis, ac præsertim in Provinciis Italiæ, & Insulis eidem adjacentibus, atque etiam in Regnis Hispaniarum, a plerisque eorum invecti, qui ubi de mandato Judicum capti fuerint, & carceribus mancipati pro causis Civilibus, vel Criminalibus, ad eludendam justitiam, allegare frequenter solent sese ab Ecclesiis, aliisve Locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel alias dolose extractos fuisse, & ad propriam allegationem comprobandam non solum in suis depositionibus facile pejerant, sed falsos insuper inducunt Testes, adhibitaque Consanguineorum, vel Amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt; Quinimo aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum libere vagandi, & forsan etiam impune delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, data opera, ab Ecclesiis, Locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, ea spe freti, quod interim Ecclesiasticæ immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas sua ejusmodi malis, quibus Justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus magnum in discrimen adducitur, pro eximia sua Pastorali solicitudine, ac zelo occurrere intendens, exquisivit a Congregatione Particulari nonnullorum Eminentissimorum, ac Reverendissimorum S.R.E. Cardinalium, ac Illustrissimorum, & Reverendissimorum Romanæ Curiæ Prælatorum, ad hunc effectum deputata, quomodo, & qua ratione provideri posset, ut tam graves abusus e medio tollerentur. Habita itaque Congregatione prædicta sub die 5. Octobris 1716. cui interfuerunt D. D. Cardinales Tanarius, Spinula S.R.E. Camerarius, Vallemanus, Grimaldus, & Origus, ac R.R. P.P. Prosper Marefuschus Episcopus Cyrenensis ejusdem Sanctitatis suæ Auditor, Antonius Bancherius Protonotarius Apostolicus, ac Sacræ Consultæ Secretarius, Carolus Cerrus Rotæ Romanæ Auditor, Scipio de Ricciis præfatæ Congregationis Secretarius, Prosper de Lambertinis Consistorialis Aulæ Advocatus, ac Fidei Promotor, & Nicolaus Jacobatius R. C. A. Procurator Fiscalis Generalis; re mature discussa eadem Congregatio censuit.

Consulendum Sanctissimo, quod omnibus Ordinariis tam Italiæ, Insularumque illi adjacentium, quam etiam Hispaniarum, scribantur Litteræ, per quas illis injungatur, ut publico Edicto notificent, & moneant omnes, & singulos, qui ad Ecclesias, aliave loca immunia confugerunt, vel in posterum confugient, ut quatenus gaudere velint beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ Localis, curent in eisdem Ecclesiis, & Locis immunibus permanere, caveantque, ne ullo prætextu, causa, vel quæsito colore ad eas, vel ea deferenda se induci sinant; Nam si extra illas, vel illa ab Executoribus Justitiæ capti fuerint, minime eis proderit allegare, vel etiam probare, quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti fuerint; Cum Animarum saluti, justitiæ administrationi, ac publicæ etiam delictorum vindictæ, ubi de Criminalibus agitur, expediat, ut decetero illæ duntaxat extractiones suffragentur, quæ, aut violenter patratæ, aut sub fide Salvi Conductus ab aliquo Judice Ordinario, seu Delegato concessi, ac subscripti, secute fuerint; qui tamen Salvus-Conductus suffragari poterit pro tempore tantum in eo præscripto, intra quod extracti ad Loca immunia omnino reverti debebunt, si eorum Immunitate iterum gaudere intendant. Præterea iidem Ordinarii moneant, atque notificent in ejusmodi Edicto, quod, si quis vere extractionem dolose, ut supra, commissam ante promulgationem Edicti passus fuerit, ac Immunitatis Laicalis beneficio gaudere velit, Ecclesiasticum confugium repetere omnino debeat intra mensem a die promulgationis ejusdem Edicti numerandum, petito etiam, quatenus opus sit, ad hunc effectum Salvo-Conductu ab ipsis Ordinariis gratis concedendo, ita tamen, ut eo tempore elapso, si extra locum immunem deprehensus fuerit, perinde habeatur, ac si voluntarie, sponteque sua inde recessisset, nec audiri possit super extractione dolosa, quam de præterito se passum fuisse allegaret. Factaque eidem Sanctissimo Domino Nostro per me infrascriptum Secretarium de præmissis omnibus relatione, Sanctitas sua particularis Congregationis sententiam benigne probavit, ac desuper præsens Decretum edi, illudque a Sacra Congregatione Immunitati Ecclesiasticæ, & controversiis jurisdictionalibus præposita promulgari, & executioni mandari præcepit. Hac die 22. Decembr. 1716.

S. A. Card. Tanarius.

Scipio de Ricciis Secretarius.

EPI-

101 ## EPISTOLA.

Encyclica jussu Summi Pontificis ad Archiepiscopos Hispaniarum conscripta pro tollendis abusibus eorum, qui ubi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam Justitiam, sese a locis immunibus, ad quæ confugerant, dolose extractos fuisse allegare solent.

Illustris. ac Reverendissime Præsul, uti Frater.

CUM ad aures Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XI. plurimæ pervenerint querelæ fide dignorum testimonio comprobatæ, adversus eos, qui ubi de mandato Judicum, sive in Criminalibus, sive etiam in Civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ad eludendam Justitiam, falso plerumque affirmare solent sese ab Ecclesiis, aliisque Locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel alias dolose extractos fuisse; dictumque suum perjurio confirmare audent, ac insuper adhibita consanguineorum, vel amicorum suorum opera, falsos testes inducere, & alia non minus detestabilia patrare non verentur; Quinimo aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum libere vagandi, & forsan etiam impune delinquendi, per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, data opera, ab Ecclesiis, locisve immunibus prædictis sese extrahi fecerant, ea spe freti, quod interim Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas sua graves ejusmodi abusus, quibus Justitiæ cursus inhibetur, animarumque salus in discrimen adducitur, pro Pastorali sua solicitudine, eximioque zelo, e medio tollere, ac radicitus extirpare cupiens, audito prius nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum, super hac re specialiter deputatorum consilio, decrevit per organum hujus Sacræ Congregationis Immunitati Ecclesiasticæ, & Controversiis jurisdictionalibus præpositæ, injungi Amplitudini Tuæ, quemadmodum per præsentes injungitur, ut publico speciali Edicto, tenoris in adjuncto folio expressi, moneat, denunciet, atque notificet, quod omnes, & singuli cujuscumque status, gradus, & conditionis fuerint, qui actu confugerunt, vel in posterum confugient ad Ecclesias, seu Loca immunia istius Diœcesis, si illorum Immunitate gaudere velint, curent attente in eis permanere, nec se ullo prætextu, causa, vel quæsito colore seduci sinant ad discedendum ab eisdem Ecclesiis, seu Locis immunibus: ubi etenim extra illas, seu illa ipsos deprehendi contingat, minime eis proderit allegare, & probare, quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosisve machinationibus extracti, seu abducti inde fuerint; Cum ad occurrendum fraudibus, & abusibus supra expositis Sanctitas sua, de præfatorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac Prælatorum consilio, congruum, ac opportunum duxerit, firmiter decernere, & statuere, prout decernit, & statuit, quod deinceps ii tantum extra Ecclesias, & loca immunia, ad quæ confugerant, Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio gaudere peragant, qui ab Ecclesiis, & locis immunibus hujusmodi violenter extracti fuerint, vel inde discesserint sub fide Salvi-Conductus ab aliquo Judice Ordinario, vel Delegato concessi, & subscripti, non tamen, nisi ad tempus in eo præfixum valituri. Jubet insuper præfatus Sanctissimus Dominus noster, quod Amplitudo Tua, eodem publico Edicto moneat, prout similiter annexa formula cavetur, omnes, & singulos, qui fuerint in ista Diœcesi, qui ante publicationem Edicti hujusmodi, revera blandis verbis, aut alias dolose ab Ecclesiis, aliisque Locis immunibus extracti fuerint, ut quatenus gaudere intendant beneficio Immunitatis eisdem Ecclesiis, & locis debitæ, debeant intra terminum unius mensis a die publicationis ejusdem Edicti computandum, redire ad Ecclesias, vel loca immunia, unde extracti fuerunt, exposcendo ad hunc effectum, quatenus opus sit, ab Amplitudine Tua Salvum-Conductum, pro tuo arbitrio, & prudentia limitatum, ac gratis concedendum; Addita insuper declaratione, quod, si elapso prædicto termino in manus Curiæ inciderint, ita habeantur, ac si ab iisdem Ecclesiis, & locis immunibus sponte sua nullaque prorsus inter posita fraude discessissent, nec eis licebit amplius dolosam extractionem allegare. Ceterum, cum hæc Sanctissimi Domini Nostri provisio, non in tua tantum, sed, & in aliis istius Provinciæ Diœcesibus servari omnino debeat: Sanctitas sua districte Tibi præcipit, ut hæc omnia, quæ per præsentes Tibi injunguntur, etiam Episcopis Suffraganeis tuis, aliisque Locorum Ordinariis Tibi Metropolitico jure subjectis accurate significes, & ab eis exacte pariter, ac diligenter observari cures, & facias. Placeat igitur Amplitudini Tuæ ita exequi, dum ego interea deprecor eidem veriores felicitates. Romæ 20. Januarii 1717.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater Addictissimus

S. A. Card. Tanarius.

Scipio de Ricciis Secretarius.

FORMULA EDICTI PROMULGANDI.

CUM ad notitiam Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Papæ XI. delati fuerint graves abusus, a plerisque eorum invecti, qui ubi de mandato Judicum sive in Criminalibus, sive etiam in Civilibus capti fuerint, & in carceres conjecti, ut inde emittantur, allegare frequenter solent sese ab Ecclesiis aliisve locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel alias dolose extractos fuisse, & ad propriam allegationem comprobandam, non solum in suis depositionibus facile pejerant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum, vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt; Quinimo aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum libere vagandi, & forsan etiam impune delinquendi per Baroncellos, & Executores, aliosve similes Justitiæ Ministros, data opera, ab Ecclesiis, locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, ea spe freti, quod interim Ecclesiasticæ Immunitatis beneficium amittere non deberent. Hinc est, quod Sanctitas sua ejusmodi malis, pro eximia sua solicitudine, ac zelo occurrere intendens, speciali commissione per organum Sacræ Congregationis Immunitati Ecclesiasticæ, & Controversiis jurisdictionalibus præpositæ Nobis directa, & inferius registranda, districte nobis injunxit, ut ad præsentis Edicti promulgationem procederemus.

Apostolicis itaque Sanctitatis suæ mandatis, qua par est, veneratione, & obsequio morem gerentes, vigore præsentis publici Edicti, monemus omnes, & singulas personas cujuscumque status, gradus, & conditionis existunt, quæ actu confugerunt, vel in posterum confugient ad Ecclesias, & loca immunia, si beneficio Immunitatis hujusmodi gaudere velint, ne sub quovis prætextu exeant, vel discedant ab eisdem Ecclesiis, locisve immunibus, imo diligenter caveant, ne fidem adhibeant ulli assecurationi, quam sibi ad id a quavis persona, etiamsi fuerit Justitiæ Minister, offerri contigerit, nisi eis simul exhibeatur Salvus-Conductus ab aliquo Judice Ordinario, vel Delegato concessus, ac subscriptus; quo casu Salvus-Conductus hujusmodi, pro eo tamen duntaxat limitato tempore, pro quo concessus fuerit, ipsi suffragabitur.

Curent igitur omnes, & singuli Confugientes ad Ecclesias, & loca immunia præcise servare confugium; Quoniam, si deinceps extra Ecclesias, & loca immunia hujusmodi capti, ad manus Curiæ devenerint, nequaquam eis proderit, ad effectum fruendi beneficio Ecclesiasticæ Immunitatis, allegare, vel etiam concludenter probare, quod blandis verbis, vel alias dolose ab Ecclesiis, vel Locis immunibus prædictis extracti, seu abducti fuerint, cum Sanctissimi Domini Nostri mens sit, quod de cetero ex tantum extractiones, seu abductiones extractis, seu abductis ad præfatum effectum suffragentur, quæ, aut violenter, aut sub fide Salvi-Conductus, ut supra concessi, & subscripti, secutæ fuerint.

Ceterum, ubi contingat in hac nostra Diœcesi aliquam reperiri personam, quæ revera blandis verbis, aut alias dolose ab Ecclesia, seu loco immuni extracta, vel ab ducta fuerit;

fuerit, ſerio illam per præſens Edictum admonemus, ut quatenus frui intendat beneficio Immunitatis Eccleſiaſticæ localis, redeat ad confugium intra terminum unius menſis a die publicationis præſentis Edicti computandum, petito prius a Nobis Salvo-Conductu, quem gratis concedemus; Quod, ſi elapſo prædicto termino extra locum immunem deprehenſa fuerit, ſciat ſe habendam eſſe, perinde ac ſi ab eodem loco immuni ſponte ſua diſceſſerit, nec amplius audiendam ſuper extractione doloſa, quam de præterito ſe paſſam fuiſſe allegaret, cum talis itidem ſit mens Sanctitatis ſuæ.

Volumus autem hoc Noſtrum monitoriale Edictum ad valvas Metropolitanæ Eccleſiæ hujus Civitatis affigi, & publicari, ac inſuper in ſingulis ParochialibusEccleſiis Noſtræ Diœceſis, inter Miſſarum ſolemnia promulgari, ſicque affixum, & publicatum, ac reſpective promulgatum poſt menſem a die illius affixionis, & publicationis, ac reſpective promulgationis computandum, omnes, & ſingulos, quos illud concernit, perinde arctare, & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim, & perſonaliter intimatum fuiſſet. Datum ex Noſtro Palatio Archiepiſcopali hac die ....

302 EPISTOLA ENCYCLICA

De eodem argumento conſcripta Italico idiomate ad univerſos Italiæ, Inſularumque adjacentium Ordinarios.

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſignore come Fratello.

ESſendo pervenute da più parti alla Santità di Noſtro Signore molte querele, che pur troppo ſi ſono riconoſciute appoggiate alla verità ſopra gli abuſi, ed inconvenienti, che frequentemente naſcono dall' allegarſi da molti di quelli, che vengono carcerati, tanto per cauſe civili, quanto per criminali, di eſſere ſtati doloſamente eſtratti dalle Chieſe, e Luoghi immuni; mentre li medeſimi, per eludere la giuſtizia, bene ſpeſſo aſſeriſcono falſamente di aver patita tale doloſa eſtrazione, e per ſoſtenerla, ſpergiurano ne'loro Coſtituti, inducono Teſtimonj falſi, e commettono altre ſimili coſe coll' ajuto anco de'loro Amici, e Congionti; anzi talvolta eſſi ſteſſi ſono quelli, che per potere liberamente vagare, e forſe anco commetter delitti ſenza perder il beneficio dell' Immunità, che pretendono di continuare a godere, ſi erano fatti a bella poſta eſtrarre per mezzo de'Miniſtri ſubalterni della giuſtizia dalle ſuddette Chieſe, e Luoghi immuni. Quindi è, che la Santità Sua, per provvedere a tanti, e sì gravi inconvenienti, che accadono in pregiudizio della giuſtizia, ed in notabile aggravio dell'Anime de' Fedeli; Udito prima il parere di una particolare Congregazione di alcuni Signori Cardinali, e Prelati a tal' effetto ſpecialmente deputati dalla Santità Sua, ordina, e comanda, che tutti gli Ordinarj de' Luoghi debbano ammonire, e notificare con pubblico Editto, che tutti quelli, che ora ſi trovano rifugiati, e che in qualunque tempo avvenire ſaranno per rifugiarſi nelle Chieſe, ed altri Luoghi immuni di qualſivoglia ſtato, grado, e condizione ſiano, ſe vogliono goderne l'Immunità, avvertino di non partirne, nè ſi laſcino indurre ſotto qualſiſia pretello, cauſa, o colore a uſcir fuori di dette Chieſe, ed altri Luoghi immuni; poichè uſcendone, ſe capiteranno nelle mani della giuſtizia, non valerà loro il dire, o pretendere di provare di eſſerne ſtati eſtratti doloſamente, o con fallaci ſuggeſtioni, o aſſicurazioni; volendo la Santità Sua, che dopo la detta ammonizione non poſſa più allegarſi, nè allegandoſi, a chi ſi ſia giovare l'eſtrazione doloſa, ma unicamente poſſa allegarſi, e giovar l'eſtrazione violenta, e quella, che foſſe ſeguita ſotto la ſicurezza del Salvo-Condotto conceduto, e ſottoſcritto da qualche Giudice Ordinario, o Delegato, quale però dovrà valere ſolo per quel tempo limitato, per cui ſarà ſtato conceduto. Siccome parimente dovranno notificare publicamente, come ſopra, che ſe alcuno veramente foſſe ſtato per il paſſato doloſamente eſtratto da qualche Chieſa, o luogo immune, e voglia godere del beneficio dell'Immunità locale, debba ritornare al Confugio Eccleſiaſtico dentro un Meſe da decorrere dopo la publicazione del medeſimo Editto, con chiedere agl'iſteſſi Ordinarj, quando gli occorra, per tal'effetto il Salvo-Condotto, quale dovrà darſegli gratis, & per tempo limitato ad arbitrio de' medeſimi Ordinarj. Avvertendo inoltre, che, ſe paſſato il detto termine d'un meſe ſarà catturato fuori del luogo immune, dovrà conſiderarſi, come ſe volontariamente, e ſenza alcuna frode ne foſſe partito, nè dovrà udirſi ſopra l'eſtrazione doloſa, che pretendeſſe aver patita. Avendo però Noſtro Signore ordinato, che ſe ne faccia Lettera circolare, in eſecuzione de'Supremi comandi della Santità Sua, partecipo il tutto a V. S. acciò poſſa adempire la mente di Sua Beatitudine, con farne publicare Editto ſecondo la forma eſpreſſa nell'anneſſo foglio, che le traſmetto, come altresì ſarà ſua cura, che lo ſteſſo ſi eſeguiſca da' Veſcovi ſuoi ſuffraganei, e da altri Ordinarj dipendenti da coteſta ſua Chieſa Metropolitana, a'quali perciò dovrà ella a tal' effetto pienamente ſignificare quanto a lei ſteſſa con la preſente s'ingiunge. Ed io intanto col ſignificarglielo, me le offro.

Roma 20. Gennaſo 1717.

Di V. S.
Come Fratello Affezionatiſſimo.
S. A. Cardinal Tanara.

Scipione de' Rizzi Segr.

REI confugiti per vim extracti, non ſervato modo præ- 103
ſcripto a Benedicto XIII. in cit. Conſtitut. incip. *Ex Quo* §.8., & relato ſupra *ſub num.*40. debent iterum reſtitui; *Communis, & certa, arg. cap. Sicut antiquitus 6. cauſ.* 17. *quæſt.*4. ubi excommunicari jubetur *qui perſonam hominis, vel bona ejus inde* (ideſt e loco Aſyli) *ſubtraxerit quouſque emendet, & quod rapuerit reddat; & cap. Miror* 8. *eadem cauſ. & quæſt.* ubi ſic expreſſe præcipitur: *Eccleſiæ igitur revoca, quæ irreligioſiſſimus rapuiſti*, & cit. Benedictina §.8. Etiamſi notorie conſter ipſosConfugitos com- 104
miſiſſe crimen exceptum, quia ex cit. Gregoriana, & Benedictina ad extractionem requiritur ſemper prævia cognitio, & declaratio Epiſcopi, & ex noviſſima diſpoſitione ipſius Benedictinæ §. 8. inviolabilis obſervantia modi ibi præſcripti, aliter extractio eſt nulla, & conſequenter extracti ſunt reſtituendi; Fagnan. *in appendic. de Immunitat. cap.* 2. *numer.* 51. Diana *part.* 1. *tractat.* 1. *reſolut.* 14. Reiffen- 105
ſtuel *loc. cit. num.* 204., & alii paſſim. Confugiti etiamſi licite ſint extracti, debent iterum reſtitui, ſi inditia contra ipſos acquiſita in ſuis defenſionibus purgent, ac diluant; cit. Benedictina §.8.

Imo debent reſtitui Confugiti, etiamſi de eorum conſen- 106
ſu, & voluntate fuerint extracti, quia quamvis renuntient immunitati, non poſſunt tamen per ſuam renuntiationem præjudicare Eccleſiæ; ſic expreſſe decrevit *Sac. Congregation. Immunitatis in Cajacen.* 20. *Novembris* 1640. *lib.* 3. *decret. Pauluc. pag.*134.

Reſtitutio Extractorum fieri debet eidem Eccleſiæ, vel 107
Loco, a quo fuerunt extracti, & ad hoc, ut reſtitutio alteri Eccleſiæ fieri poſſit, requiritur diſpenſatio Summi Pontificis, nec ſufficit ſolus conſenſus Partium; Sic pluries decrevit Sac. Congregat. Immunitatis, & ſignanter *in Neapolitana* 21. *April.* 1634., *& in Mediolanenſi* 28. *Novembris* 1634. in hunc modum: *D. Secretarius juncta mentem; ſcilicet, ut mediante auctoritate Sanctiſſimi faciat convalidare reſtitutionem factam alteri Eccleſiæ, cum non dependeat a conſenſu partium, ſed ab auctoritate Sanctiſſimi.* Sic refert Pignatell. *tom.*1. *conſult.*172. *num.*10.

Amplia quamvis extractus morum trahat in loco diſtanti 108
ab Eccleſia extractionis, attamen, attento conſenſu extracti, in his caſibus Sanctiſſimus diſpenſat, ut reſtituatur alteri Eccleſiæ; *Ead. Sac. Congregat. Immun. in Mediolanenſi* 28. *Novembris* 1634. *lib.*2. *decret. Paul. pagin.* 210. *in Vercellen.* 25. *Maji* 1655. *lib.*5. *decretal. Paul. pag.* 76. *in Aſculana* 22. *Junii* 1655. *lib.*5. *decret. Paul. p.*67.

Quando quamplures ſunt extracti, qui reſtitui debent 109
eidem Eccleſiæ, ad evitanda ſcandala Reſtitutio fit diverſis Eccleſiis, & diverſo tempore: *Eadem Sacr. Congregat. Immun. in Caſtren.* 4. *Junii* 1639. *lib.* 2. *decretal. Paul. pag.* 43.

Ali-

110 Aliquando extractus ex facultate Sanctiſſimi reſtituitur Eccleſiæ S. Joann. Lateranenſis, uti Matri Eccleſiarum, loco Eccleſiæ, a qua fuit extractus; *Ead. Sac. Congregat. Immunit. in Spoletana* 18. *Septembris* 1646. *lib.* 3. *decretal. Paul. pag.* 293.

111 Permittitur, annuente Sanctiſſimo, quod Reſtitutio Extractorum fiat alteri ab Eccleſia extractionis ex cauſis urgentibus allatis a Curia Laica; *Eadem Sac. Cong. Immunit. in Sarzan.* 16. *Januarii* 1672. *lib.* 1. *decret. Altovit. pagin.*

112 643. Item permittitur, ut extractus, qui ob infirmitatem non poteſt reſtitui Eccleſiæ violatæ, reſtituatur alteri ab ipſo eligendæ; *Eadem Sac. Congregat. Immun. in Averſana* 20. *Jan.*1703. *lib.*3. *decr. Vall. p.*46.

113 Reſtitutio extracti conceditur fieri alteri ab Eccleſia extractionis ob minas, & periculum occiſionis Parochi, & cum idonea cautione de non offendendo inimicum, & teſtes, ac de non accedendo ad locum Eccleſiæ, a qua fuit extractus; *Eadem Sac. Congregat. Immun. in Caſertana* 22. *Januarii* 1697. *lib.*2. *dec. Vallem. pag.* 71.

114 Aliquando Sanctiſſimus concedit Archiepiſcopo facultatem reſtituendi extractum alteri ab Eccleſia extractionis pro conſcientia, & arbitrio ipſius; *eadem Sacr. Congregation. Immun. in Æſina* 15. *Novembris* 1661. *lib. decretal. Rocci pag.*366. *in Neapolitana* 15. *Januarii* 1667. *leg.*1. *decr. Alt. pag.*80. Aliquando injungitur Archiepiſcopo, ut dato in 115
actis Curiæ Eccl. conſenſu extracti, permittat reſtitui in alia ab Eccleſia extractionis extra Diœceſim electa ab extracto; *eadem Sac. Congreg. Imm. in Salernitana* 20. *Julii* 1688. *leg. decr. Mar. pag.*327.

116 Fur extractus fuit ab una Eccleſia, & Epiſcopus ordinavit reſtitui eidem Eccleſiæ, ſed Curia Laica, in cujus carceribus erat, attenta ejus infirmitate, & diſtantia loci, reſtitui fecit in alia Eccleſia inſigniori, & elapſo aliquo tempore, cum idem fur ob nova furta carceratus fuerit in loco non immuni a Curia Laica, petit denuo reſtitui Eccleſiæ primæ extractionis. Sacra Congregatio dixit gaudere, & eſſe reſtituendum Eccleſiæ extractionis pro reintegratione; *Eadem Sac. Congregat. Immun. in Lauretana* 8. *Aug.* 1702. *lib.*3. *decret. Vallemani p.*435.

117 Extractus violenter a quadam Eccleſia Parochiali Diœceſis S. Miniati per Curiam Sæcularem, ac in carceres laicales, a quibus aufugerat, conjectus, pendente proceſſu Curiæ Epiſcop. contra Extractores pro reparatione læſæ Immunitatis, denuo fugiens ex ipſis carceribus in eademmet Eccleſia ſe recepit; inde Romam veniens elapſis circiter tribus annis, nova ob delicta ab Executoribus Em. Urbis Vicarii in carceres iterum truditur, verum allegata per ipſum immunitate, appellavit a ſententia ejuſdem Em. Vicarii ad Sacram Congregat. quæ declaravit: Reſtituendum eſſe Eccleſiæ, ſed cum Sanctiſſimo, ut reſtitutio fiat in Urbe Eccleſiæ per extractum eligendæ; *eadem Sacr. Congregation. Immun. in una S. Miniati* 12. *Julii* 1707. *liber. decr. Maref.*

118 Extractus reſtituitur Eccleſiæ, ſed annuente Sanctiſſimo, præſtita cautione de non offendendo Mulierem, quam tentavit occidere; *eadem Sac. Congregat. Immun. in Caſalen.* 19. *Julii* 1661. *lib. decret. Rocci pag.*348. In reſtitutione extracti Eccleſiæ ſæpiſſime requiritur idonea cautio de non offendendo teſtes, inimicum, ac querelantes, *eadem Sac.* 119
Congregation. Imm. in CivitatisCaſtelli 28. *Feb.* 1668. *lib.*1. *decret. Alt. pag.*200. *in Portuen.* 25. *Septembris* 1696. *lib.* 2. *decret. Vall. pag.*5. *in Cajetana* 24. *Septemb.* 1697. *ibi p.*113. *in Montis Faliſci* 30. *Januarii* 1703. *lib.* 3. *decret. Vall. pag.* 471.

120 Epiſcopus reſtituat extractum loco immuni, ſed prius provideat, ne oriantur ſcandala in præjudicium, & cum periculo Parochi ex parte extracti, *eadem Sacr. Congregat. Immun. in Lauden.* 20. *Decembris* 1702. *lib.* 3. *decret. Vall. pag.* 462.

121 Reſtitutio Carceratorum a Curia laica in locis immunibus facienda eſt propriisOrdinariis Eccleſiarum, non D. Nuncio; *Ead. Sac. Cong. Immun. in Neapolitana* 10. *Novem.* 1676. 122
*lib.*1. *decret. Altovit. p.*1299. Pendente articulo: An extractus gaudeat Immunitate? reſtituendus eſt in carceribus Eccleſiaſticis; *Ead.Sacr. Cong. Imm. in Aſten.*29. *Junii* 1679. *lib.*2. *decret. Alt. pag.*1783.

123 Diſcedens a loco immuni cum Salvo-Conductu Commiſſarii, ut ipſum Commiſſarium alloquatur, & poſtea carceratus, de ordine Sanctiſſimi reſtituendus eſt Curiæ Eccleſia-

ſticæ; *Ead. Sac. Congr. Immun. in Ariminen.*3. *Maii* 1628. *lib.*1. *decr. Pauluc. pag.*93.

Epiſcopus faciat reſtituere Canonicum extractum de ejuſ- 124
dem ordine ab Eccleſia, quatenus non habeat aliquid relevans in contrarium; *Ead. Sac. Cong. Imm. in Ferent.* 9. *Jan.* 1700. *lib.*2. *decr. Vallemani pag.*264.

Reſtitutio extracti debet fieri publice ipſi Eccleſiæ viola- 125
tæ per eos, qui extraxerunt, quia cum per injuriolam extractionem fuerit facta publica injuria Eccleſiæ, ac populus publice ſcandalizatus, requiritur publicus pœnitentiæ actus correſpondens publico delicto, & tollens publicum ſcandalum, *arg. capit. Filius* §. *Illud autem, de pœnis in* 6. & quidem per eos, qui extraxerunt, *cum peccata ſuos debeant tenere Auctores: l. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis, & cap. Quæſivit* 2. *de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.* Sic Pignatell. *tom.*1. *conſult.*172. *num.*7. Peregrin. *de immunitate cap.* 15. *num.*26. Reiffenſtuel *loc. cit. num.*208. & alii, & ex decreto Sanctiſſimi ſervatum fuit contra Gubernatorem Urbis in extracto ab Eccleſia S. Mariæ de Pace 27. *Auguſti* 1629. in qua extractus repoſitus fuit ab iiſdem Birrariis publice poſt meridiem; Sic refert Pignatell. *loc. cit. n.* 4.

Nec ſufficit reſtitutio extracti facta Epiſcopo, ſeu Vica- 126
rio Generali, aut repoſitio in carceribus Eccleſiaſticis, quia cum non poſſit fieri reſtitutio neque alteri Eccleſiæ ſine diſpenſatione Summi Pontificis, etiamſi extractus eſſet in loco diſtanti ab Eccleſia violata, ſed neceſſario debeat fieri reſtitutio ipſi eidem Eccleſiæ violatæ, ut abunde patet ex ſupra allatis Decretis, tanto minus poterit fieri talis reſtitutio carceribus Eccleſiaſticis, aut Epiſcopo, ſeu ejus Vicario Generali, quia Epiſcopus, ex quo non ſit Dominus, ſed tantum Procurator Eccleſiæ, *arg. cap. Si privatum* 28. *cauſ.*12. *q.*1. nequit remittere injuriam illi factam per extractionem, & retentionem confugiti; Gloſſ. *in cap. Si is* 28. *cauſ.*13. *qu.* 4. *verb. Poſſumus*, Abbas *in cap. Contingit* 46. *de ſententia excommun. num.*11. Innocent. *ibid. in princip.* Hoſtienſ. *ibid. num.*2. Pignatell. *loc. cit. num.*9. Reiffenſtuel *loc. cit. numero* 207. & alii, quos refert Bins feld. *de injur. & damn. dat cap.*7. *n.*4. *& ult. concluſ.*

Nec etiam pro reſtitutione ſufficit ſimplex excarceratio 127
aut dimiſſio extracti, ſed debet per extrahentes neceſſario reponi in eadem Eccleſia, ſeu loco, a quo fuit extractus, ut reſpondit *Sacra Congr. Immun. in una Mediolanenſi* 23. *Februarii* 1688. his verbis: *Scribatur Eminentiſſimo Archiepiſcopo, ut Oratorem faciat reſtituere eidem Eccleſiæ, a qua fuit extractus, nec ſufficere illius excarcerationem pro reintegratione violatæ Immunitatis Eccleſiæ ob extractionem ipſius Oratoris*; Sic Pignatell. *loc. cit. numero* 10. Reiffenſtuel *loc. cit. n.*209. Riccius *in ſynopſi verb. Reſtitutio n.*1.

Ultra reſtitutionem Rei extracti pro reintegratione tenen- 128
tur etiam male extrahentes ad reſtitutionem omnium rerum, & etiam armorum, quæ fuerunt ablata in extractione; *Communis arg. cap. Sicut antiquitus 6. cauſ.* 17. *q.* 4., ibi: *Qui perſonam, vel bona ejus inde ſubtraxerit, quouſque emendet, & quod rapuerit, reddat, excommunicetur*; & ſic pluries decrevit Sacra Congreg. Immunitatis, & ſignanter *in Aſculana* 19. *Januarii* 1658. apud Riccium *in Synopſi verb. Reſtitutio num.*29. his verbis: *Ablata de tempore, quo quis fuit extractus ab Eccleſia, Epiſcopus mandet reſtitui; & in Verulana* 20. *Februar.* 1608. apud Riccium *loc. cit. num.*22., ibi: *Nulliter extracti ab Eccleſia per Curiam Epiſcopalem Epiſcopus mandet reſtitui, quidquid ſolvit pro ſua excarceratione Vicario, Cancellario, & aliis*, & in puncto de reſtitutione armorum cenſuit Sacra Congregatio, quod ante abſolutionem facienda ſit reſtitutio in integrum armorum, *in una Lunen. Sarzanen. die* 4. *Auguſti* 1624. *& die* 24. *etiam Auguſti ejuſdem anni in una Brunduſina, & in una Mediolanenſi die* 28. *Maii* 1626. apud Pignatell. *tom.* 1. *conſult.* 172. *numero* 13.

Violatores immunitatis Aſyli, ultra graviſſimum ſacrile- 129
gium, quod committunt *ex cap. Miror* 7. *cap. Frater* 9. *cap. Quiſquis* 17. *cauſ.*17. *quæſt.*4. & aliis ſimilibus, & nullitatem omnium eorum actorum ex cit. Gregoriana, & Benedictina §.9. incurrunt Excommunicationem majorem latæ ſententiæ; Habetur ex cit. Gregoriana §. 8., ibi: „ Quod ſi quis „ quacumque dignitate, & auctoritate præditus, præmiſſo- „ rum, aut alio quovis prætextu, quidquam præter, aut „ contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præ- „ ſumpſerit, declaramus eum ipſo facto Cenſuras, & pœ- „ nas ejuſdem incurrere, quæ contra Libertatis Juris Immu-

„ nitatis Ecclesiasticæ Violatores per sacros Canones, Con-
„ ciliorum Generalium, Nostrorumque Prædecessorum
„ Constitutiones sunt promulgatæ, " & consimiliter habe-
tur ex citat. Benedictina §. 9. & hanc Excommunicationem
esse latæ sententiæ jam habebatur ex repetitis declarationi-
bus jussu Clementis VIII. & Pauli V. editis, de quibus te-
stantur Castropalao *tract.* 11. *disp. unic. punct.* 12. *numer.* 3.
Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 8. *num.* 3. Marius Ital.
de immunit. lib. 1. *cap.* 6. §. 2. *num.* 29. *& sequent.* Haunold.
tom. 6. *tract.* 1. *num.* 255. & hodie post dictas Bullas, & de-
clarationes est *certa*, *& communis*. Unde violatores Asyli,
non sunt excommunicandi, sed solum sunt declarandi ex-
communicati, seu incurrisse excommunicationem, ut optime tradit Sperell. *decis.* 48. *num.* 32. *& decis.* 105. *num.* 42.
& alii passim.

130 Talem majorem Excommunicationem latæ sententiæ in-
currunt quicumque cujusvis dignitatis, & auctoritatis exi-
stant, qui aliquo modo immunitatem Asyli violant; *Commu-*
131 *nis*, *ac certa*, ex cit. Gregoriana §. 8. ex cit. Benedictina §. 9.
Sic eam incurrunt omnes capientes, extrahentes, incarce-
132 rantes, vinculentes Reum in loco Asyli existentem; *Commu-*
nis. Item Complices extractionis, & hujusmodi; *Sac. Cong.*
Immun. in Hydruntina 2. *Decembris* 1692. *lib.* 1. *decret. Val-*
leman. pag. 7. *Balneoregien.* 11. *Januarii* 1695. *lib.* 1. *decret.*
Vall. pag. 166. *Regien.* 2. *Julii* 1695. *lib.* 1. *decret. Vall. pag.*
133 190. Item Fautores; *Ead. Sacra Congr. in Neapolitana* 18.
134 *Novembris* 1687. *lib. decret. Martel. pag.* 186. Item Coope-
ratores; *Ead. Sacr. Congr. in Regien.* 19. *Decembris* 1690.
lib. decr. Martell. pag. 688. *in una Aquipendii* 13. *Novem-*
bris 1691. *lib. decret. Grimald. pag.* 36. *Signina* 31. *Jul.* 1695.
135 *lib. decret. Mart. pag.* 751. Item Mandantes; *Ead. Sac. Cong.*
in Neapolitana 18. *Novembris* 1687. *lib. decret. Martelli*
pag. 186. *Camerinen.* 3. *Augusti* 1695. *lib.* 1. *decret. Vallem.*
136 *pag.* 406. Item Cogentes, Obsidentes, & Custodientes Con-
fugitum, ut egrediatur ab Ecclesia, & capiatur; *Ead. Sac.*
Congreg. in Perusina 5. *Junii* 1694. *lib.* 1. *decret. Vallem. pag.*
126. Hieracen. 28. *Augusti* 1700. *lib.* 2. *decr. Vall. pag.* 209.
137 Item dolose, & blande suadentes Confugito, ut exeat a lo-
co immuni, ut capiatur a Birruariis; *Eadem Sac. Congr. in*
Marsicen. 31. *Julii* 1691. *lib. decret. Martelli pag.* 249. *in*
Aquipendii 13. *Novembris* 1691. *lib. decr. Grim. pag.* 36.
in Neapolitana, seu Castri Maris 23. *Junii* 1693. *lib.* 1. *decr.*
138 *Vall. pag.* 58. *in Camerinen.* 13. *Maii* 1698. *lib.* 2. *decr. Val-*
lem. pag. 153. Item Tentantes; *Ead. Sac. Congr. in Minerbi-*
nen. 1. *Dec.* 1693. *lib.* 1. *decret. Vall. pag.* 96. *in Sutrina* 20. *Au-*
139 *gusti* 1695. *d. lib. pag.* 210. Item ipsi Extrahentes, quamvis
extractum consignaverint Potestati Ecclesiasticæ; *Eadem*
Sac. Cong. in una Civitatis Castellanæ 18. *Novembris* 1687.
lib. 3. *decret. Altovit. pag.* 183. Nec supradicti excusantur ab
140 Excommunicatione, quamvis Reus libere consentiat; *cap.*
Carcerari, *Extrahi*, & hujusmodi, quia adhuc violatur im-
munitas ex dictis supra *n.* 3. *&* 106.

141 Si Violatores Libertatis, vel Immunitatis Ecclesiæ appel-
laverint contra sententiam declaratoriam Episcopi, talis ap-
pellatio non debet admitti, nisi prius Ecclesiæ fuerit satisfa-
ctum; Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 65. *num.* 26. ubi affert plures
declarationes præcisis his visbis: *Appellatio a declaratoria*
Censurarum in materia violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ non
admittitur, nisi prius Ecclesia quoad suum honorem fuerit in
integrum restituta; *Sac. Cong. Episcop. in Neapolitana* 11.
Octob. 1617. *& Liparen.* 4. *Julii* 1620. *& Rhegien.* 28. *Julii*
eodem anno, *& Syracusana* 19. *Julii* 1622. & pluries declara-
vit etiam Sacra Congr. Immunitatis, ut refert Riccius *in Sy-*
nopsi verb. Appellatio; ubi *sub num.* 3. sic præcise habet:
„ Appellatio ad Metropolitanum super Censuris latis in cau-
„ sa violatæ Immunitatis non est attendenda ab Episcopo.
Sacra Congr. Immunit. in Bisacien. 6. *Febr.* 1694. *lib.* 1. *decr.*
Vallem. p. 102. & sub *num.* 4. his verbis: Imo neque Appel-
„ latio ad Sanctissimum, & Sacram Congregationem admit-
„ titur quoad effectum suspensivum, sed solum quoad de-
„ volutivum. *Materan.* 9. *Sept.* 1631. *lib.* 2. *decret. Paul.*
pag. 89. *Beneventana* 22. *Novemb.* 1639. *lib.* 3. *decret. Paul.*
pag. 104. *In una Nullius Abbatiæ S. Joannis in Lamis* 19.
Octob. 1695. *lib. decr. Vallem. pag.* 124. *Balneoregien.* 18. *Au-*
gusti 1700. *lib.* 2. *decret. Vallem. p.* 307. *& sub n.* 7. sic refert;
Non obstante Appellatione interposita ad Nunciaturam per
Baroncellum Excommunicatum ob violationem Immunitatis,
Episcopus procedat contra ipsum ad ulteriora. In una Burgi
S. Sepulcri 7. *Maii* 1688. *lib.* 4. *decret. Vall. pag.* 151. *& sub*
numer. 6. refert: *Non obstante Appellatione*, *procedendum*
prout de Jure contra Violatorem Immunitatis Ecclesiasticæ.
Pisauren. 25. *Sept.* 1627. *lib.* 1. *decr. Paul. pag.* 67. *& sub nu-*
mer. 11. sic habet: *Non admittitur Appellatio tam ad effe-*
ctum devolutivum, *quam suspensivum a Censuris in contu-*
maciam promulgatis ex causa violatæ Immunitatis; *Rossanen.*
8. *Aprilis* 1642. *lib.* 3. *decret. Paul. pag.* 173.

Absolutio a Censuris contractis ex causa violatæ Immuni- 142
tatis, Libertatis, & jurisdictionis Ecclesiasticæ est reservata
Summo Pontifici, nec ab alio potest concedi sub quocum-
que prætextu etiam restitutionis statim factæ Ecclesiæ, & o-
pinio contraria improbatur; Sic *Sac. Cong. Immunitat. in Ly-*
cien. 13. *Julii* 1638. *lib.* 3. *decr. Paul. pag.* 66. *Casertana* 24.
Jan. 1651. *lib.* 4. *decr. Paul. pag.* 134.

Et ita est reservata Summo Pontifici, ut vacante Sede 143
Apostolica, desit Potestas absolvendi; *Ead. Sac. Congr. In*
una S. Marci in Calabria 2. *Junii* 1691. *lib. decret. Martelli*
pag. 374. Sic refert Riccius *in Synopsis verb. Absolutio nu-*
mer. 2.

Unde Ordinarii, & Episcopi absolventes Censuratos hu- 144
jusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidunt in Excom-
municationem eidem Sanctæ Sedi reservatam, a qua regula-
riter datur facultas, ut se faciant absolvere a suis Confessariis
privatim, & cum Sanctissimo agitur pro dispensatione irre-
gularitatis, quatenus incurrerint; *Ead. Sacr. Congr. in Squil-*
lacen. 16. *Decembris* 1664. *lib. decret. Rocci pag.* 698. *Acer-*
nen. 29. *Jan.* 1636. *lib.* 2. *decr. Paul. pag.* 241.

Quare præcipitur Archiepiscopo, qui sine dicta facultа- 145
te absolvit Censuratos ex causa extractionis Confugiti ab Ec-
clesia, ut reaffigat Cedulones contra ipsos; *Eadem Sacra*
Congreg. in Brundusina 28. *Aprilis* 1671. *lib.* 1. *decr. Altoviti*
pag. 346.

Sic pariter absolutio concessa ab Eminentissimo Legato sine 146
facultate Apostolica non suffragatur, & injungitur Episcopo,
ut denuo absolvat auctoritate Sacræ Congregationis; *Ead em*
Sacra Congr. in Papien. 11. *Julii* 1676. *lib.* 1. *decret. Altovit.*
pag. 1392.

Absolutio obtenta a Censuris ex causa violatæ Immunita- 147
tis vigore Brevis Sacræ Pœnitentiariæ non suffragatur in foro
exteriori; *Ead. Sacra Congr. in Gravinen.* 9. *Octobris* 1629.
lib. 2. *decr. Paulacci pag.* 8.

Nec absoluti ex causa præfata vigore Bullæ Cruciatæ ha- 148
bentur pro bene absolutis a Sacra Congregatione, & injungi-
tur reaffixio Cedulonum; *Ead. Sacr. Cong. in Cosent.* 21. *Julii*
1672. *lib.* 1. *decret. Altovit. pag.* 705.

Absolutio data vigore Bullæ Anni Sancti per Confessarium 149
a Censuris incursis ex causa violatæ Immunitatis non suffra-
gatur in foro exteriori; *Ead. Sacr. Cong. in Vicana* 27. *Aug.*
1675. *lib.* 1. *decr. Alt. pag.* 1141.

Absolutio vigore Jubilæi non suffragatur Censuratis, & 150
reaffigi possunt, ac debent Cedulones; *Ead. Sacra Congreg.*
in Aquilana 17. *Decembris* 1630. *lib.* 2. *decret. Paul. pag.* 66.
Gravinen. 1. *Octobris* 1641. *lib.* 3. *decret. Paul. pagin.* 157.
Hyeracen. 4. *Decembris* 1657. *lib. decret. Rocci pag.* 47. *A-*
versana 19. *Julii* 1661. *d. lib. pag.* 347. *Squillacen.* 9. *Maii*
1702. *lib.* 3. *decr. Vallem. pag.* 420.

Ordinario inferiori concedi non debet facultas absolvendi 151
Censuratos ex causa violatæ Immunitatis, sed Episcopo vi-
ciniori; *Eadem Sacra Congreg. in una Nullius Meliten.* 23.
Augusti 1632. *lib.* 2. *decret. Pauluc. pag.* 137. & sæpius
alibi.

Absolutio a Censuris incursis ob violatam immunitatem 152
non datur, nec dari potest, & data non valet, nisi prius re-
stituto Reo, & facta satisfactione læsæ Ecclesiæ, *arg. cap.*
Ex litteris 11. *de constitution. cap. Qua fronte* 25. *de Appel-*
lat. & cap. Cum desideres 15. *de sentent. excomm.* & expres-
se decrevit pluries Sacra Congreg. Immunit. & signanter *in*
Lauden. 9. *Octobris* 1629. his verbis: *Absolutio ab Excom-*
municatione non prodest, *nisi sequuta restitutione*, *& reinte-*
gratione Ecclesiæ. Sic refert Pignatell. *tom.* 2. *consult.* 60. *nu-*
mer. 38. & similiter *in Messanen.* 11. *Augusti* 1638. *lib.* 3.
decret. Paul. pag. 68. *in Marsicana* 24. *Januar.* 1645. *lib.* 3.
decret. Paul. pag. 253. *in Aquen.* 18. *Februar.* 1659. *lib. de-*
cretal. Rocci pag. 158. *in Rossanen.* 9. *Maii* 1662. *lib. decret.*
Rocci pag. 399.

Sup-

Supplementa Auctoris è III. Editione.

153 Immunitatem, sive libertatem Ecclesiasticam publice vio-
lantes, a Pœnitentiaria Apostolica nequeunt absolvi. Be-
nedict. XIV. tom. 1. Constit. 95. incip. *Pastor bonus* §. 14.

Immunitate Ecclesiastica non gaudent Homicidæ tam laici, 154
quam Ecclesiastici &c. Vide verb. *Homicidæ*, & verb. *Ban-*
niti, & dicta *art. sup. n.* 156.

* Pœnæ contra turbantes immunitatem afficiunt etiam eos 155
qui impediunt, ne Judex Ecclesiasticus cognoscat in causis,
in quibus habet auctoritatem tantum cumulativam. Bene-
dict. XIV. *Instit. Eccles.* 40 §. 10.

Si quis reus dolose extrahatur ab Ecclesia, & extra illam 156
capiatur non per vim, aut per salvum conductum, illa dolo-
sa extractio reo non suffragatur ut ex decreto Sacra Con-
gregatio die 22. Decembris 1716. *Institut. Ecclesiast.* §. 9.
num. 31. *

Quoniam ex facili Religiosorum unius Ordinis ad alios Or- 157
dines refugio omnium Ordinum disciplina collabitur; ideirco
P. Procurator Ord. S. Augustini Eremitarum Mexicanæ Pro-
vinciæ pro hujusmodi abusu compescendo recursum habuit
ad S. P. Clementem XII. a quo instantis supplicatione ad
Congregationem Episcop. & Regularium remissa, ejusdem
Congregationis prodiit Decretum, a Sanctissimo confirma-
tum, quo statuitur, aufugientes Superioribus sui Ordinis es-
se restituendos, sub conditionibus, & cautelis in sequenti
expressis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ALias pro parte dilecti filii Ignatii Padilla Fratris expresse
professi, in Sacra Theologia Magistri, Provinciæ SS.
Nominis Jesu Mexicanæ, Ordinis Eremitarum S. Augustini
Procuratoris ad specialia negotia missi, Nobis expositum
fuit, quod in dicta Provincia abusus val de observantiæ re-
gulari præjudiciales, nempe quod aliqui religiosi inquieti, &
parum observantiæ sui instituti amatores obedientiam, reve-
rentiamque, ac subjectionem suis Prælatis debitas parvifa-
cientes ad Cœnobia aliorum Ordinum, vel Congregation-
um, aut Institutorum prætextu evadendæ violentiæ, &
effugiendi rigorem suorum Superiorum confugiant, irrepse-
rant; & licet Superiores prædicti a Prælatis Conventuum,
ubi prædicti Religiosi confugiunt, petant, ut patiantur,
quod obligatio obediendi propriis Superioribus, & esse ad
propria Cœnobia restituendi intimetur, vel quod illos pro-
priis Superioribus tradant, neutrum obtineri solet, prote-
stantes aliorum Ordinum, vel Congregationum, aut Insti-
tutorum Prælati, ubi dicti Religiosi confugiunt, eosdem
gaudere immunitate refugii, & consequenter a proprio Præ-
lato non posse extrahi, requiri, aut notificari, utpote in alie-
no territorio existentes, neque Superiores aliorum Ordinum
prædictorum debere dictos Religiosos confugientes tradere:
& in eadem expositione subjuncto, quod dilectus etiam
filius modernus Prior Provincialis Provinciæ, & Ordinis
prædictorum in angustias positus ad Venerabilem Fratrem
modernum Archiepiscopum Mexicanum illius Regni Prore-
gem recursum habere coactus fuerat, ut ei auxilium regium
impertiretur, quo dispersum gregem ad Ovile proprii Ordi-
nis reducere, & hoc tantum medio relatis prædictis occu-
currere posset. Cum autem minime lateat quod si hæc janua
Asyli, aut refugii Religiosis pateat, funditus disciplina Re-
gularis, ac debita propriis superioribus obedientia corruant,
necnon jurgia, & discordiæ inter superiores respective Ordi-
num cum sæcularium scandalo proculdubio pullulent.

§. 2. Porro, ut tot malis occurreremus per Nos declara-
ri summopere desiderabat, quod dictis Religiosis ad Con-
ventus aliorum Ordinum, vel Congregationum, vel Institu-
torum confugientibus immunitas refugii, seu Asyli minime
suffragetur, sed a proprio superiore judicialiter ex alieno
conventu unusquisque confugientium hujusmodi extrahi, &
ad proprium quocumque privilegio Regularibus concesso hac
in parte non obstante, reduci possit. Quod si dicti Religiosi
adhuc rebelles in parendo propriis superioribus ad suum
Conventum eosdem redeundi jubentibus perseverent, vel
dicti superiores eos titulo refugii recipientes, & auxilium præ-
stantes propriis superioribus tradere renuerint, utrique pœnas
fugitivis, & eorum fautoribus, & protectoribus, necnon re-
bellibus, & inobedientibus per hanc Apostolicam Sedem
impositas ipso facto, & absque alia declaratione incurrere
debeant.

§. 3. Nos supplicem libellum nobis porrectum ad Con-
gregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Car-
dinal. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regu-
larium præpositam remissimus, a qua emanavit Decretum
tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congr. Eminentiss.
& Reverendiss. S. R. E. Card. negotiis, & Consultationi-
bus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam San-
ctiss. Dominus Noster supplicem Libellum remisit, attenta
relatione Eminentissimi Firrao prædicti Ordinis apud Sanctam
Sedem Protectoris, re mature perpensa, decrevit, Regu-
lares unius Religionis, confugientes ad Ecclesias, & Mo-
nasteria alterius Religionis, Superioribus propriæ Religio-
nis restitui debere a Prælatis alterius Religionis, ad quorum
Ecclesias, & Monasteria confugiunt, præstito tamen ab iis-
dem Superioribus confugientium Juramento, & facta obliga-
tione de servanda immunitate Ecclesiastica, & de restitu-
endo confugientes præfatos Ecclesiis, vel Monasteriis, ad
quæ confugerunt, casu quo procedendum sit ad pœnas cor-
porales, carceris perpetui, mortis, & triremium, propter
delicta ab ipsis confugientibus commissa, secus, si ipsi Supe-
riores procedere deberent ad pœnas ordinarias, & ad cor-
rectionem Regularem per Constitutiones Ordinis præscriptas,
cujus rei declaratio ad definitorium Provinciale, vel ubi il-
lud non fuerit, ad Consilium Conventus spectabit. Quod
si constito Regulares confugientes pœnas dumtaxat ordina-
rias, & per Constitutiones Ordinis ad correctionem præscri-
tas promereri, Prælati alterius Religionis renuant eos pro-
priis Superioribus restituere, vel ipsi Regulares ad proprias
religiosas Domos redire recusent, Sacra eadem Congregatio
utrosque ad instar Apostatarum, vel Apostatas recipientium,
in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incur-
sos declaravit.

Romæ 5. Sept. 1738.

J. Cardinalis Firao.

C. Archiepiscopus Damiatæ Secretarius.

§. 4. Cum autem, sicut dictus Ignatius Procurator No-
bis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo fir-
mius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmatio-
nis nostræ patrocinio communiri plurimum cupiat.

§. 5. Nos ipsum Ignatium Procuratorem specialibus fa-
voribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis ex-
communicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ec-
clesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab ho-
mine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodo-
libet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat
consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore
censentes supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc hu-
militer porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctorita-
te Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approba-
mus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjici-
mus, salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ
Congregationis Cardinalium.

§. 6. Decernentes easdem præsentes litteras, firmas, va-
lidas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, &
integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat,
& spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis re-
spective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per
quoscumque Judices Ordinarios, vel Delegatos etiam Cau-
sarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri de-
bere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attenta-
ri.

§. 7. Non obstantibus, &c.

§. 8. Volumus autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub An-
nulo Piscatoris, die 20. *Decembr.* 1738. *Pontificatus nostri An-*
no IX.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 IN hoc & superiore articulo plura *Auctor*, & quidem fuse, de immunitate locali habet, quæ tamen praxim tantum spectant: quæque ideo antam nobis præbere videbantur, ut aliqua subnecteremus de ejusmodi immunitatis origine, progressu, fatis variis, & præsenti statu. Verum hoc non perfunctorii laboris esset opus, & vix quidem dignum, quod hic subjungeretur. Cui tamen vacat, eaque tenere cupienti adeundus præ ceteris est *Mascambronius* recentissimus hujus generis scriptor in suo opere, italice conscripto, cui titulus: *Degli asili de' Cristiani ragionamento*; ubi capite IV, illud præsertim enodatur, palamque fit: quomodo nimirum Asyli jus apprime cum Naturæ, & civili delictorum vindice jure conveniat: quam bene hominum societati prospiciat: & qui fines Sacerdotium inter, & Imperium intercedant.

2 At ut operi, in quo versamur, serviamus, e re duximus quatuor hic transcribere regulas, quas idem *Mascambronius* in fine penultimi capitis statuit ad amputandas ambages illas, ac tricas, quas de trivio Scriptores inanibus movent quæstionibus, ibi: „ E conciosiacosache le questioni, le quali „ spettano alla prattica della locale Immunità sieno presso „ che innumerabili, a cagione che molti Autori hanno più „ amato fantasticare, e stillarsi il cervello sulla corteccia „ delle parole, che consumare inutilmente il tempo nell' „ investigare lo spirito della Chiesa, e de' Canoni già pre„ scritti sul modello de' Libri santi, e delle Apostoliche „ Tradizioni, ho io divisato di ridurre a poche regole tutto „ ciò, che è stato dibattuto e messo in controversia fino ad „ ora dagli altri,

„ Per quello dunque, che concerne le persone, alle quali 3 prestare si dee dal Clero ajuto, e refugio, la prima regola con cui è da guidarsi tutto il sistema si è, che secondo l' indole primiera della Religione gli Asili, e gli Uffizj di Misericordia non sono da negarsi ad alcuno. Ma giacchè i Sommi Pontefici, i quali hanno da *Cristo* facoltà d' interpretare, ed accomodare eziandio l' eterne leggi, e le più sante istituzioni divine alle varie occasioni ed opportunità, le quali si moltiplicano senza misura, giacchè dico i Sommi Pontefici hanno dichiarato, che alcuni Delinquenti possono restare esclusi dal beneficio della Franchigia, non lice a noi ampliare la significazione delle parole usate da loro nelle Bolle e nelle Decretali più di quello, che porta la comune approvazione degli uomini. Facendo altrimenti s' accrescono sempre più le vane contese, e si reca spesse volte non piccolo pregiudizio ad una gran turba di Cristiani i quali restono esclusi da' luoghi immuni, sol perchè così piacque decidere al capriccio di pochi Autori. Così per modo d' esempio quando si dice esser privato della franchigia chi commette omicidio deliberatamente, ed a malizia, non sono per questo da escluderne quelli, che presi da tumultuaria passione tolgono altrui la vita. Oltre di che si dee sempre riguardare quella dolce indole del Sacerdozio, per cui furono constantemente difesi, ed ajutati, e tolti ancora per forza dalle mani della Giustizia tutti gli omicidi generalmente.

Similmente allorchè si dice esser escluso dal diritto del Refugio chi è reo di lesa Maestà, offendendo la Persona stessa del Principe, per tal nome di Principe non è da intendersi ogni Superiore, ma solamente il Sovrano, e per nome di delitto di lesa Maestà, non si dee prendere ogni trascorso, che si commette contro la volontà del proprio Signore, ma quella colpa, con cui, o si machina contro la vita di lui, o si tenta d' offendere qualche parte del suo corpo, o di contaminare il suo onore con ingiurie, e villanie, o pur se si faccia congiura co' suoi Nemici, e loro si riveli il regio segreto, o finalmente se si concita ribellione, e tumulto, e gli si sollevino contro i Sudditi stessi. Questi, che sono delitti di lesa Maestà direttamente, e non gli altri, riguardati sono dalla Bolla di Gregorio con queste parole: *Aut læsæ Majestatis in personam Principis Rei &c.* E per vero dire chi non comprende, che altrimente tutti i colpevoli sarebbero Rei di lesa Maestà, come quegli, i quali operando contro le leggi, sempre fanno contro la volontà del Legislatore?

4 L' altra regola è, che discendendo gli Asili dalle più sincere massime della Carità Cristiana, o si neghino, o si concedano a' colpevoli, non mai però debbe mancare il Sacerdozio di usare in verso di loro qualche uffizio di beneficenza, e di misericordia. Per la qual cosa debbono i Vescovi spedire quanto più presto si può il processo de' Delinquenti eccettuati, perchè non si accresca sempre più l' odiosità de' Laici contro l' Ecclesiastica Immunità, ma non deono trascurare di farlo maturamente, affinchè sempre abbiano i Cristiani da riguardare ne' loro Pastori qualche particella delle antiche misericordievoli consuetudini, e del prisco amore inverso de' refuggiti. Anzi non potendo tai colpevoli esclusi dalla franchigia esser privati di ogni uffizio di carità, e di clemenza, i Vescovi allorchè si consegnano al foro laicale, conviene, che s' interpongano quanto più possono efficacemente per ottener loro il perdono. Così mancando a' Cristiani il locale Rifugio, non mancherà loro almeno il primiero Asilo, che fu l' intercessione, e l' amorevole sollecitudine de' loro Pastori.

La terza regola è, che essendo indirizzata la locale Immunità, non già perchè trionfi, e si dilati impunemente la colpa, ma bensì al correggimento, ed all' emenda de' trilti, si dee perciò attentamente invigilare acciocchè colui, che si ricovera nelle Chiese, non vi entri, e non vi dimori qual se fosse uno Scherano, ed un Malandrino corredato d' armi, e gonfio di arroganza, e di fasto, forse più disposto con dannevole esempio ad incendiare lo stesso Tempio di Dio, che a riconciliarsi col Prossimo, ed a dare qualche contrasegno di pentimento. Questi perversi uomini a mio credere, e tutti eziandio coloro, che trasportano ne' luoghi immuni contrabbandi, ed illecite mercatanzie sarebbero indi da *Cristo* medesimo, che è il Padre delle Misericordie, e che nel Tempio giustificò il Publicano, discacciati, e mandati via bruttamente, come già fece una volta per nostro esempio. Io non dico già, che contro tai Rifuggiti sia da rinnovellarsi l' antico rigore delle pubbliche penitenze, non solamente perchè una tal costumanza non fu giammai comune rispetto ad essi, ma molto più perchè colla natura del Rifugio si adatta del pari la pubblica, che la privata penitenza: Dico però, che a sostenere il fine, per cui introdotti furono gli Asili tra' Cristiani, è uopo, che i Peccatori facciano almeno sembianza di ricorrervi umili, dimessi, e divoti: Non altrimenti, che non si riceve negli Ospedali, se non chi vi si presenta in forma o di meschino, o d' infermo. Quindi saviamente Gregorio IX., e con esso quasi tutti i migliori Canonisti, pronunziò quella bellissima sentenza, che non debba giovare il benefizio della legge a quelli, che mentre il chieggono, se ne abusano, e peccano contro la stessa legge.

La quarta regola da osservarsi è, che eccettuati gli Oratorj, e le private Cappelle poste entro le case de' Nobili, la franchigia non più conviene ad una Chiesa, che all' altra: Talchè debbono gli Ecclesiastici ajutare, e con coraggio, e con indifferenza tutte le Persone, che vi ricorrono. E se alcuni piccoli Paesi fossero oltremodo ricchi ed abbondanti di sacri Edifizj, non vi si debbe però introdurre alcuna variazione prima di chiederne consiglio, e licenza dalla S. Sede, la quale essendo guidata dal verace spirito di Carità, e di prudenza, saprà adoperarci quei rimedj, che più le pareranno opportuni, e per servigio di Dio, e per bene del Publico. In tal proposito io non lo comprendere, come i Laici abbiano continuamente molestati i Sommi Pontefici, affinchè restringessero l' Immunità a picciol numero dei delitti, e non abbianli anzi supplicati, acciocchè rivocando gli Asili alla primiera loro condizione, cioè al comune benefizio di tutti, gli avessero collocati, e stabiliti oltre alle case de' Vescovi, alle quali convengono di loro natura, nelle Chiese più nobili, come nelle Cattedrali, nelle Parrochiali e nelle insigni Collegiate. Anche ciò sarebbe ridondato senza alcun dubbio in molto svantaggio de' diritti del Sacerdozio, dal quale furono anticamente veduti i Rifugj difesi anche alle Croci, che s' impiantavano per le vie, non che a tutte le Chiese, le quali non erano in poco numero appò i Maggiori, ed infino a lunghissimi spazi fuori delle loro porte, ed alle prossime case, ed a' Giardini, ed a' Cimiterj, ed a' vicini Portici, e Bagni; Ma per lo meno non sarebbero stati i Sommi Pontefici costretti malgrado la soave indole loro, ora a negare agli uni, ora agli altri colpevoli i più sacrosanti Uffizj di misericordia, e di carità. Infinchè però la Santa Sede non prenda altri provvedimenti, giammai non sia, che alcuno osi variare sulla gelosissima materia de' Sacri Rifugj neppure le particolari consuetudini introdotte ne' luoghi intorno alla maggiore, o minore estensione della franchigia fuori de' Tem-

Templi immuni; ma si badi bensì a togliere di mezzo le dissenzioni, che nascono talvolta tra il Sacerdozio e l' Imperio a cagione o degli Orti, o de' Forni, o degli altri profani luoghi, ne' quali, contigui essendo alle Chiese, pretendono di rifuggiarsi impunemente i colpevoli. In tal maniera si toglie l' occasione a quei, che scrivono sul modello di Pietro Giannoni di mettere in derisò ciò, che è venerando e sacrosanto per sua natura a cagione degli abusi introdotti, i quali non hanno a fare cosa del mondo colla santa dottrina, e disciplina della Chiesa. Finalmente se la civil Potestà voglia rispetto agli Asili procurarsi vera quiete, e sicurezza di coscienza, basterà, che ripensi, e rivolga per l' animo suo, che quando anche il sacro Rifugio non discendesse dirittamente dalla dottrina di Cristo, è stato nondimeno mantenuto, e conservato in tutte le Chiese per lo lunghissimo spazio di tredici secoli, e che i Sacerdoti di tutte le cattoliche Provincie hanno sempre avuto in costume di fulminare gravissime pene contro di coloro, i quali hanno tentato di contaminarlo, e violarlo, e che i primi Dottori della Chiesa così Greca, come Latina, lo hanno vigorosamente sostenuto ad onta di tutti; senza ragionare della venerazione, con cui è stato riguardato da tanti Principi, e dagl' Imperatori più rinomati, e più santi. E se in così lungo spazio di tempo conservati si sono gli Asili a favore di tutti i Rei, quando non meno, che ora militavano i soliti pretesti della pubblica quiete, e del mal' esempio degli altri, perchè sono eglino da abborrirsi nei giorni nostri con grave disprezzo di tanti Canoni Ecclesiastici, e di tante censure, e di tanti affaticamenti de' nostri Maggiori?

ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ specialiter concernunt Immunitatem Realem, & Personalem, & pœnas eam violantium, ac Absolutionem ab eisdem.

1 IMmunitas realis, & personalis ea est, & in hoc consistit, quod Personæ Ecclesiasticæ, & bona cuncta, seu res omnes ad personas Ecclesiasticas, vel ad Ecclesiam aliquam pertinentes, sint immunes, & liberæ, ac exemptæ a jurisdictione cujusvis potestatis, & personæ Laicalis, atque ab exactionibus, & oneribus quibuscumque. Unde, ut vides, immunitas, qua res Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum sunt immunes, vocatur *Realis*; Illa vero, qua personæ sunt exemptæ a jurisdictione, & ab oneribus personalibus, vocatur *Personalis*; Ita in re omnes communiter; *arg. cap. Non minus 4. & cap. Adversus 7. de immunitate Ecclesiarum, cap. Quia nonnulli 1. de immunitate in 6. Clementin. unic. eodem cap. Quamquam 4. de Censibus in 6. Authent. Item nulla, Cod. de Episcop. & Cleric.*

2 Nomine personarum Ecclesiasticarum veniunt omnes Clerici, tum Sæculares, tum Regulares utriusque sexus etiam Novitii, et alii enumerati *sub verb. Clericus art. 1. a num. 5. ad 18. & art. 2. fere per totam*; Vide *ibi*. Nomine bonorum, seu rerum Ecclesiasticarum veniunt omnes Ecclesiæ, seu Templa ædificata una cum Cæmeteriis, item vasa sacra, paramenta, vestes, et alia sive consecrata, sive benedicta ad Divinum cultum deputata quasi instrumenta; Item bona a piis Fidelibus oblata, donata, et destinata pro dote, et manutentione Ecclesiarum, earumque Rectorum, et Ministrorum; Item alia bona Ecclesiarum, et Ecclesiasticarum personarum patrimonialia. Omnes personæ vere Ecclesiasticæ gaudent 4 *immunitate personali*, indeque liberæ, immunes, et exemptæ sunt ab omni jurisdictione, et foro cujusvis potestatis, et personæ laicalis, tum in causis civilibus, *ex cap. Bona quidem 1. dist. 96. cap. In Canonibus 57. caus. 16. quæst. 1. cap. Ecclesia S. Mariæ 20. de Constitutionibus, cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis, cap. Si delinquenti 12. de Foro competenti, & Authent. Statuimus, Cod. de Episcop. & Cleric.* cum similibus: Tum in causis criminalibus, *ex cap. Nemo unquam 1. cap. Nullus Judicum 2. cap. Relatum 13. caus. 11.* 5 *cap. At si Clerici 4. de Judiciis.* cum similibus. Sic etiam omnes res Ecclesiarum, et personarum Ecclesiasticarum gaudent *immunitate reali*, indeque liberæ, immunes, et exemptæ sunt ab omni Jurisdictione Laicali, et ab oneribus, et exactionibus quorumcumque Laicorum; *cap. Quæ semel 4. caus. 19. quæst. 3. cap. Lignæ 38. de consecrat. dist. 1. cap. Non minus 4. & cap. Adversus 7. de immunitate Eccles. cap. Quia nonnulli 1. de immun. in 6. Clement. unic. eod. cap. Sanctum est 1. de censibus; cap. Quamquam 4. eod. in 6. Authent. Item nulla, Cod. de Episcop. & Cleric. leg. Sanctimus 21. Cod. de Sacrosanctis Eccles.* Vide verb. *Clericus art. 2. & art. 7. per totum*, ubi late quoad immunitatem, et exemptionem.

Immunitas Realis, et Personalis est de jure divino, ut jam 6 probatum est antea *art. 1. num. 7.* et sub verb. *Clericus art. 2. a num. 77. usque ad 84. inclusive*, & verb. *Bona Ecclesiastica art. 2. a num. 16.* Vide *ibi*. Ecclesiastici etiam sponte non 7 possunt solvere exactiones Laicales, & Laici a sponte dantibus non possunt accipere; Sic expresse statuit Urbanus VIII. Constitut. incip. *Romanus Pontifex* §. 6. per extensum adducta sub verb. *Bona Ecclesiastica art. 2. num. 68.* ubi declarat illicitas, & invalidas, & restitutioni obnoxias exactiones Laicales etiam sponte datas, ibi: „ Nec non quascumque „ contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, „ decimas, vel alias fructuum partes, aliaque onera, & „ gravamina quæcumque super Ecclesiis, Monasteriis, & „ locis piis, præsertim vacantibus, personis Ecclesiasticis, „ earumque, vel eorum bonis, seu fructibus, etiam præ„ textu, vel causa facultatis bona stabilia acquirendi, seu re„ tinendi, ac quomodolibet per Laicos præfatos, & quos„ cumque alios alias quomodolibet qualificatos absque suffi„ cienti facultate Apostolica impositas, exactasque etiam a „ sponte dantibus, vel contribuentibus „. Et in Bulla Cœnæ Domini §. 18. expresse excommunicantur Laici omnes cujuscumque sint Dignitatis, & auctoritatis, qui Collectas, Exactiones, aliave onera Clericis, aut Locis piis, eorumque bonis imposita, etiam a sponte dantibus, & concedentibus sine speciali, et expressa Sedis Apostolicæ licentia recipiunt, et ex declaratione Sacr. Congregat. Immunitatis *in Volaterrana 18. Septembris 1629. Clerus non potest solvere collectas absque incursu Censurarum*, sic præcisis verbis refert Pignatell. *tom. 2. consult. 54. num. 62.* qui *ibid. sub num. 88.* subdit: *Clerus non potest sponte solvere Gabellas a Laicis impositas; Eadem Sacr. Congr. in Vicentina 15. Junii 1638. & in Adrien. 27. Septembris 1632.* Quoad hæc, et similia, vide verb. *Bona Ecclesiastica art. 2. per tot.* et signanter *a num. 68.* ubi adducitur Bulla Urbani VIII. incip. *Romanus Pontifex*, in qua multa scitu necessaria statuuntur, et declarantur, ut ibi videre est, *& numer. 69. cum sequent.*

Quas pœnas incurrant Violatores hujus immunitatis, quinam sint tales Violatores, et a quo possint, vel non ab eisdem pœnis absolvi? jam satis dictum est sub verb. *Bona Ecclesiastica art. 3. per tot.* Unde ne jam scripta rescribantur, vide *ibi*. 8

Novissimæ additiones ex aliena manu.

IN prima hujus Bibliothecæ editione ab *Auctore* facta in articulo *Bannitus numero 22.* impressa est quædam Epistola de mandato Pauli V. a Cardinali Sabellio data ad Nuncium Regni Neapolitani, eaque reperiri asseritur in Regestis Sacræ Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ *fol. 55.* Sub fide *Auctoris* hæc ipsa Epistola impressa est in ceteris, quæ postmodum factæ fuerunt editionibus in eodem articulo *Bannitus*, non excepta nostra prima, tum hac secunda editione. Sed tandem aliquando animadversum fuit hanc Epistolam immane quantum lædere localem immunitatem, atque ideo inquiri cepit, an ea vera esset nec ne? Et supposititia fuit deprehensa. In Regestis enim dictæ Sacræ Congregationis non ipsa, sed hæc alia Epistola fuit reperta, quam ad corrigendum errorem in quem nos traxit *Auctor* e re duximus hic imprimere.

„ Avendo Nostro Signore inteso quello, che VS. scrive al„ la Congregazione de Vescovi con sua de' 7. Giugno prossimo „ circa ai disordini, che nascono per la frequenza di quelli, che „ confuggono ai Luoghi Sagri, et inteso anche il senso di lei, „ che allargandosi seco la mano col concedergli facoltà di po„ ter far' estrarre alcuni più insolenti, si potrà col castigo di „ pochi dar esempio, e reprimere l' insolenza agli altri; si „ contenta la Santità Sua di rimettere in lei, che in alcuni casi „ più gravi possa secondo la sua prudenza, dopo l' aver fatto „ ammonire li Delinquenti, che partano; se ciò non giova, „ dar licenza alla Corte Secolare di estraerli, persuadendosi „ Sua Santità, che Ella sia per valersi di questa facoltà solo „ quando conoscerà, che lo scandalo, ed il servizio pubblico „ lo ri-

„ lo ricerchi, dando però in ciascuno di detti Casi avviso del „ seguito; E per fine Dio etc.

Additio ex Auctore.

9 Immunitatem, sive libertatem Ecclesiasticam publice violantes, a Pœnitentiaria Apostolica nequeunt absolvi; Benedicti XIV. tom. 1. Constitut. 95. incip. *Pastor bonus* §. 14. Im-
10 munitate Ecclesiastica non gaudent homicidæ tam Laici, quam Ecclesiastici etc. Vide *tom.* 3. verb. *Homicidæ*, et verb. *Banniti*.

11 Hic attendenda est novissima Constitutio felicis record. Summi Pontificis Benedicti XIV., quæ ut plurima continens circa Immunitatem scitu necessariissima, ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Officii Nostri ratio non eam modo solicitudinem Nobis imponit, ut (a) Sacrorum Canonum leges, et Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Constitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactissime servari, et impleri curemus; sed id etiam a Nobis expoſcit, ut exorientem circa aliquas ex illis dubiorum segetem, quæ earum debitæ executioni multis modis officere dignoſcitur, opportunis editis declarationibus, aut definitionibus, amputare, ac removere studeamus.

Sane fel. record. Prædecessor (b) Noster Gregorius Papa XIV. providam Juris Canonici sanctionem præ oculis habens, qua scilicet sub Tit. *De homicidio voluntario, vel casuali cap.* 1. innovatum fuit vetus præceptum Legis a Deo in Exodo latæ - *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias ab Altari meo evellet eum ut moriatur* -; per suam Anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. nono Kalendas Junii editam Constitutionem, quæ incipit - *Cum alias* -, iis, qui proditorie proximum suum occidissent, ad Ecclesias, Locaque Sacra, et Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam immunitatem minime suffragari decrevit. Tum vero piæ mem. Prædecessor quoque Noster, ac Dignitatis Nostræ amplificator Benedictus Papa XIII. Anno Incarnat. Dominicæ MDCCXXV. sexto Idus Junii, edita Constitutione, quæ incipit - *Ex quo divina* -, non eos tantum, qui proditorie, ut præfertur, homicidium patrassent, verum etiam interficientes proximum suum animo præmeditato, ac deliberato, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excluſit, et repulit; Demum san. mem. proximus Decessor Noster Clemens Papa XII. in sua Constitutione, quæ incipit - *In supremo Justitiæ solio* - Ann. Incarn. Dom. MDCCXXXIV. Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis prædictæ beneficio minime gaudere voluit, atque decrevit.

Insuper iidem proxime (c) memorati Prædecessores Benedictus, & Clemens, ad ea, quæ in Jure Canonico, & in Gregoriana Constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quæ, si qui commisissent, eos a prædicto beneficio ajyli, & confugii apud Ecclesias, ac loca Sacra, & Religiosa, excluſos fore statuerunt; variasque a Doctoribus, ac dicti Juris, & Constitutionum Apostolicarum interpretibus, ac de immunitate locali agentibus, excitatas quæstiones, & controversias, declarando, ac definiendo sustulerunt; ut ex eorumdem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una e Nostris Inititutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam præsentes moderabamur, pro illius Populi curæ Nostræ concrediti instructione, edidimus, quæque impressa extat *tomo* 2. Editionis Italicæ *num.* 21., in Latina vero Editione *num.* 41.

Ad hoc autem (d) ut in Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad extractionem delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos carceres transferre posset, quum præfatus Benedictus prædecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate, ea supperetent indicia, quæ ad capturam decernendam sufficientia reputari solent; ut vero extractum hujusmodi Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, et consignare valeret, ea decrevisset indicia ex processu informativo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quæ, juxta regulas Juris, vocantur ultra torturam; alter deinde Prædecessor Clemens XII. ampliando declaravit, ut quoties Ecclesiastico Judici, ex indiciis, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commisso constaret, posset idem extractum hujusmodi Curiæ Sæculari tradere, et consignare. Cæterum iidem Prædecessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per premissa imminui, nec inde ullam Justitiæ lædendæ occasionem captari posse voluerunt (e). Siquidem extractiones delinquentium hujusmodi e loco immuni nunquam sine auctoritate Episcopi, et interventu Personæ Ecclesiasticæ ac ipso Episcopo deputandæ, fieri posse statuerunt; nec unquam extractos ipsos, prædictis etiam occurrentibus indiciis, Curiæ sæcularis Officialibus tradi, et consignari, nisi ea lege, sub gravissimarum censurarum pœnis servanda, ut Ecclesiæ, seu Loco immuni restituerentur, quatenus in progressu causæ iidem extracti indicia hujusmodi purgarent, atque diluerent.

Cum autem (f) ea, quæ per Clementem Prædecessorem prædictum, Juris communis, et Gregorianæ, ac Benedictinæ Constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis Dominii Apostolicæ Sedis minime extenderentur; visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Principes id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum, quæ An. MDCCXLI. cum Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliæ Rege Illustri, tum quæ anno sequenti MDCCXLII. cum alio pariter Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Emmanuele Illustri quoque Sardiniæ Rege sancita fuerunt, præmissas, aliasque in Clementis Litteris præfatis contentas dispositiones in eorumdem Regum Dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia Principum id spectantium dominia, peculiaribus respective editis Litteris, quarum exemplum videre est in *tomo* 1. *Bullarii nostri Constitut.* 83., quæ incipit - *Alias felicis* - extendimus, & ampliavimus.

Verum, quum tot ista per Prædecessores Nostros prædictos (g), ac per Nos ipsos adhibita studia, non omnes quæstiones, quæ in Tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quæ pro exceptis haberi debeant, quam super modo exequendi præfatas Constitutiones in variis homicidiorum hujusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio tollere, seu penitus anteverterе valuerint; id adhuc oneris Nobis relictum esse judicavimus, ut constitutas in hoc rerum genere agendi regulas, ad quas sæpissime tam Ecclesiasticorum, quam sæcularium Judicum acta expendere, & exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus, et dubiis involutas remanere pateremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque gravium Virorum, Jurisque Canonici peritorum, et in criminalibus judiciis versatorum consiliis, motu proprio, ac de Apostolicæ, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, Nostram, et Prædecessorum Nostrorum mentem, in hunc, qui sequitur, modum declarare, & quædam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

Ac

(a) *Exordium.*

(b) *Romani Pontifices reos homicidii proditorii præmeditati, atque etiam in rixa voluntarie commissi, ab Immunitatis beneficio excluserunt.*

(c) *Alia quoque delicta eodem beneficio non gaudere decreverunt, & plures declarationes ediderunt.*

(d) *Reos a loco immuni extrahi permiserunt ex indiciis ad capturam, & Curiæ sæcularis Officialibus tradi ex indiciis ad torturam sufficientibus.*

(e) *Extractionem tamen auctoritate Ecclesiastica semper fieri voluerunt; Traditionem vero sub conditionibus Justitiæ conservandæ idoneis.*

(f) *Leges pro S. R. E. Dominiis hac de re editæ, ad nonnullorum Principum ditiones extensæ fuerunt.*

(g) *Plura tamen dubia adhuc declaranda supersunt.*

Ac primum (a) quidem, cum in memorata Gregorii Præcessoris Constitutione, quæ incipit - *Cum alias* -, dum ea delicta enumerantur, quæ ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excluſa censeri debent, de Laicis delinquentibus dumtaxat mentio habeatur; deque his etiam tantummodo loquutus fuerit alter Prædecessor Benedictus in supracitata Constitutione, quæ incipit - *Ex quo Divina* -, placuit laudato Prædecessori Clementi XII. hujusmodi Constitutiones per suam, quæ incipit - *In Supremæ Justitiæ solio* -, ad Ecclesiasticos etiam cujuscumque gradus, & ordinis homicidium animo præmeditato, ac deliberato patrantes, extendere, & ampliare; itaut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica immunitate juvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii causa ab eorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione. Cum autem dubitatum fuerit, an sub hac Clementis Prædecessoris ampliatione, & extensione Regularium quoque Ordinum Professores, & Alumni comprehendantur (b); Nos ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos cujuscumque Ordinis, Congregationis, Militiæ, & Instituti Regulares, tam in ipsis expresse Professos, quam illis quomodolibet adscriptos, cujuscumque gradus, & conditionis extiterint, etiamsi ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu alias, quælibet expressa, & individua mentio de ipsis, eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub præsentis, aut præmissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret; si qui unquam, quod Deus avertat, homicidium animo præmeditato, ac deliberato patraverint, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ, juxta formam earumdem Constitutionum Benedicti, & Clementis, excluſos fore, & censeri.

Et quoniam prædictus (c) Clemens Prædecessor speciali decreto edito die 5. Octobris 1736. expresse declaravit, Mulieres etiam, quæ aliquod delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta, et ab Immunitatis localis beneficio excluſa, juxta premissa, haberi debeat, pari jure hac in re cum Viris censeri, et sub dispositione ipsius Litterarum incipient. - *In Supremo Justitiæ solio* -, æque in omnibus comprehendi debere: Nos hujus nostræ Constitutionis tenore declarationem prædictam approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino debeat, plenarium robur adjicimus; Decernentes similiter, ac declarantes, sub ejusdem Clementis, nostræque hujus Constitutionis dispositione, (d) etiam Milites in omnibus, & per omnia comprehensos esse; nec ullum militare privilegium, hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

(e) Præterea quum in præfata Clementis Decessoris Constitutione ab Immunitatis prædictæ beneficio excludantur omnes, & singuli tam Laici, quam Ecclesiastici inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati, *ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale; vel ad propriam defensionem*; Sæpe disputari contingit, an is, qui non casu, vel ex propriæ defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo, aut saxo; quæ scilicet, vel arma non sunt, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent, ab Immunitatis localis beneficio excluſis haberi debeat. (f) Nos igitur, super hujusmodi dubio definiendo decernimus, quemcumque Homicidam sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum sæcularem, aut cujuslvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit, Ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prodiisse. Quæ quidem definitio nostra conformis est divinæ Legi, quæ habetur in Libro Numerorum cap. 35., ubi, designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem proximi nolentes effudissent, ita subjungitur - *Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit, qui percussus est; reus erit homicidii, & ipse morietur. Si lapidem jecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur; Si ligno percussus interierit, percussoris sanguinem vindicabitur. Propinquus occisi Homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit: quod si forsuito, & absque odio, & inimicitiis, quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus, qui Oleo sancto unctus est, moriatur.*

(g) Accidit autem in homicidiis id, quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim moriatur; sed plerumque per aliquot horas, aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumve locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de salvi vita solicite explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, Magistratuum diligentiam prævertens, tempestive sibi consulit, meritasque pœnas evadit. Quod cum ab iis, qui justitiæ administrandæ præpositi sunt, Nobis expositum fuerit persæpe evenire, & quidem non sine magna publicæ tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex hujusmodi evasionis fiducia concipiunt; iidemque postularint, hujusmodi malum opportunis providentiæ Nostræ remediis submoveri.

(h) Ideo Nos, de prædictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per præsentes decernimus, ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve sacrum, aut religiosum locum confugiente, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni servatis servandis extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a Legibus constitutum, superstes vivat, & quidem sub iisdem pœnis, quibus in memoratis Benedicti, & Clementis Literis ii subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

(i) Quod vero in citata Gregorii Prædecessoris Constitutione, circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis, statutum fuit; ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopi superiores Prælatos pertineat, non vero ad alios Episcopis inferiores etiamsi alii Ordinarii sint, aut Nullius Diœcesis; ita ut occurrente casu in loco exempto, & Nullius Diœcesis, tunc negotium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur; id quod ab alio quoque Prædecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione confirmatum fuit; idipsum Nos quidem præsentium Litterarum tenore approbamus, & confirmamus. Sed quoniam nonnullæ ad Nos querelæ super hoc delatæ fuerunt, quod quædam Curiæ Ecclesiasticæ pro parte Officialium Curiæ Sæcularis requisitæ, extractionem delinquentium in casibus exceptis hujusmodi, diutius quam par est, protrahere consueverunt; (k) Nos ipsis Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Præsulibus, enixe, studioseque suademus, & respective mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, & quoties de delinquentibus in casibus exceptis hujusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus

(a) *1. circa personas in dictis Constitutiobibus comprehensas.*

(b) *Comprehensi declarantur Regulares.*

(c) *Item Mulieres.*

(d) *Et Milites.*

(e) *11. Circa homicidium baculo, aut saxo commissum.*

(f) *Quod decernitur a beneficio Immunitatis exceptum, dummodo voluntarie, etiam in rixa commissum fuerit.*

(g) *III. Circa eos qui proximum vulneraverunt ad mortem.*

(h) *Hi etiam e loco immuni extrahi jubentur, restituendi tamen, si mors non sequatur intra tempus a Lege præfinitum.*

(i) *Episcoporum privativum jus in præmissis asseritur.*

(k) *Eorumdem diligentia excitatur ad promptam Constitutionum Apostolicarum executionem.*

sus eos colligenda animum intendere non recusent; sique ea, quæ juxta præmissa requiruntur, revera suppetere agnoscant, eorumdem delinquentium extractionem e loco immuni quam primum decernant, ut vel in Episcopalibus Carceribus nomine Ecclesiæ detineantur, vel etiam ad Curiæ Laicalis Carceres ejusdem Ecclesiæ nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut justitiæ cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in Ecclesiæ immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, & personarum juribus asserendis, & sustinendis, quum ea, contra sacrarum Legum præscriptum, infringi, ac violari contingat. (a) Quum tamen hujusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, quum præfata delicta excepta non in Civitatibus, sed per Diœceses, in locis a Curiæ Ecclesiasticæ residentia remotis, perpetrantur; idcirco Nos per easdem præsentes prædictis Episcopis, aliisque Superioribus Prælatis facultatem concedimus, & impertimur, ut quoties in hujusmodi casibus pro parte Curiæ Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Foraneis, sive etiam aliis Personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistites deputandis, committere possint; ut indicia ad extractionem necessaria juridice colligant; ut his nimirum inspectis iidem Antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant.

(b) Et quidem hæc omnia, quæ per præsentes hucusque declaravimus, definivimus; atque statuimus, tam in hac Urbe Nostra, & Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque omnibus Civitatibus, Terris, & Locis, Nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, etiam specialem, & individuam mentionem requirentibus eorumque Curiis Ecclesiasticis, & sæcularibus, etiam Baronalibus; quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictæ Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, ut supra, sive per viam *Concordati*, extensæ & ampliatæ fuerunt, quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem Concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis Ditionum, Regnorum, Locorumque hujusmodi tam Ecclesiasticarum, quam sæcularium Curiarum Judicibus, Magistratibus, Officialibus, & Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus.

(c) Illud etiam, quod in præallegatis Nostrorum Prædecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum pœnarum interminatione, districte vetitum fuit, ne scilicet Curiæ seculares, eorumque Magistratus, Judices, & Officiales quicumque, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticæ auctoritatis interventu, capere, extrahere, ut incarcerare; neve ad declarandum, crimina a prædictis admissa esse de exceptis in eorumdem Prædecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut præfertur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant, seu præsumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, & innovamus; itaque ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter etiam perpetuo observari præcipimus; contrafacientes quoque, & transgressores, eadem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus dictæ sunt, omnino incurrere statuimus, atque sancimus:

(d) Decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse, & censeri, qui, in spretum Ecclesiasticæ auctoritatis, & Canonicarum sanctionum, præscripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, & loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui Sacro Confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter, eosdem in Curiæ secularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes, & singulas pœnas, atque censuras adversus Ecclesiasticæ immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis Constitutionibus Apostolicis latas, atque statutas, incurrere decernimus, ac declaramus. Sane hujusmodi artes, atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus; (e) sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper, atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea, quæ in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus Decimotertio, ac Decimoquarto Ecclesiæ seculis, statuta leguntur; (1) ibi enim, expositis Ecclesiarum circumsessionibus, interceptione alimentorum, aliisque artibus, quibus ii, qui ad Ecclesias confugerant, ad deditionem adigebantur, quicumque similia attentare præsumpserint, anathematis mucrone feriuntur. Et Nos igitur, qui Ecclesiæ spiritum circa præmissa toties aperte declaratum, atque a Prædecessoribus Nostris constanter servatum, exuere neque possumus, neque volumus, eidem per omnia inhærentes, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos, qui sub Ecclesiasticæ immunitatis tutela degentibus, hujusmodi ratione vim inferre ausi fuerint, præter alias pœnas, atque censuras adversus ejusdem Immunitatis violatores, ut præfertur, latas, atque sancitas, sine alia declaratione incurrendas, omni beneficio, ac privilegio Ecclesiastici confugii, & Asyli tam apud Ecclesias, & loca immunia ab ipsis sic violata, quam apud alias qualscumque Ecclesias, & Loca Sacra, & Religiosa, indignos, atque privatos fore, & habendos esse; non secus ac alii omnes, *qui confugientibus vim inferunt, aut ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni, violenter extrahunt, & abducunt*; quos scilicet laudatus Prædecessor Bened. XIII. in sua allegata Constitutione, *non illius tantum Ecclesiæ, quam violarint, sed cujuscumque etiam alterius Ecclesiæ immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere* declaravit; & quorum Nos numero supradictos etiam jure & merito accensendos esse decernimus.

(f) Denique quum, sicut accepimus inter temporalis Dominii Nostri, ac nonnullarum finitimarum Ditionum Curias, reciproca quadam consuetudo inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex Ditionibus hujusmodi commiserint, & intra fines alterius se receperint, instante Curia illius Ditionis, in qua delictum commissum fuit, capiantur, eidemque Curiæ tradantur; cumque, sicut etiam Nobis expositum fuit, hujusmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujusmodi, in Terris, ad quas confugerunt, sub Ecclesiæ alicujus, vel alterius loci immunis tutela se receperint; Ideirco Nos, Ecclesiasticæ Immunitatis rationes cum recta Justitiæ administratione, & Reipublicæ tranquillitate, opportune copulare volentes, decernimus, & mandamus, ut, si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in Apostolicis Constitutionibus præfatis excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesiæ Dominio patraverint, (g) Indicia ad capturam requisita, ab Episcopo Diœcesano, seu respective viciniori illius loci, in quo

(a) *Eisdem permittitur, ut indiciorum compilationem per Diœceses aliis Ecclesiasticis personis committere valeant.*

(b) *Hactenus decreta serventur in omnibus locis, ad quæ Clementis XII. Constitutio extensa fuit.*

(c) *Confirmantur pœnæ statutæ adversus violatores Immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ.*

(d) *Eorum numero habendos esse decernitur eos etiam, qui loca immunia obsidendo, aliisque artibus, confugientes in suam potestatem venire compellunt.*

(e) *Hujusmodi artes pluries Canonicis censuris damnatæ.*

(1) *Concilium Provinciale Lambetense hab. Anno 1261. tom. 11. part. 1. Labbeanæ Collectionis Conciliorum col. 810. Concil. Exoniense Anni 1287. tom. 11. part. 2. dictæ Collectionis col. 1281. tit. 15. Concil. Provinciale Nugaroliense Anni 1303. dicto tom. 11. part. 2. ejusdem Collectionis col. 1479. can. 6. Concil. Palentinum Anni 1322. dicto tom. 11. part. 2. præfatæ Collectionis col. 1697. cap. 7. Concilium Vallisoletanum Anni 1322. tom. 3. Collectionis Conciliorum Hispaniarum Cardinalis de Aguirre pag. 564. tit. 13. num. 51. Concilia Marcianense, & Sylvanectense Anni 1326. supracitato tom. 11. part. 2. dict. Collect. Lebbeanæ col. 1751. tit. 11. & col. 1770. cap. 5. Concilium Vaurense Anni 1368. eodem tom. 11. part. 2. dictæ Collect. col. 2012. tit. 93.*

(f) *De his, qui delictum exceptum in una ditione patrarunt, & ad locum immunem confugiunt in altera, ex qua, vigore mutuæ consuetudinis, traderentur Curiæ in loco delicti jurisdictionem habenti.*

(g) *Indicia contra hos cumulentur ab Episcopo, ad quem spectat, ratione loci delicti, & transmittantur alteri, ad quem spectat extractionem decernere.*

quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur; eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens Asylum cœpit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus esse debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate sua, & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, fieri mandet. Eadem ratione, si in præfatis aliorum Principum Ditionibus in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod, sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione *Concordati* cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat; volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem, ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia ad capturam requisita cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum Ditionis Ecclesiasticæ, intra cujus Jurisdictionis fines illius delicti reus Asylum delegit; ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, aliisque servatis servandis, a confugii loco extrahi, ac, si ita res feret, externæ postulanti Curiæ valeat consignari. (a) Volumus tamen, in quolibet ex præmissis casibus, in quibus de delictis, ut supra, exceptis tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, & Clementis Constitutionum, seu Concordatorum respective leges, atque tenores, inviolabiliter observari; tum scilicet in eo, ut delinquens Ecclesiæ nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Episcopos dumtaxat, privative quoad omnes alios etiam Ecclesiasticos Judices, ex Indiciis, ut præfertur, ad torturam sufficientibus, declaretur, an delictum, de quo est quæstio, inter excepta connumerari debeat, nec ne? tum denique in eo quod pertinet ad obligationem restituendi reum ad formam dictarum Constitutionum, quatenus is in progressu Causæ, indicia hujusmodi sibi adversantia purgaverit, atque diluerit.

(b) Ipsas demum præsentes Litteras, & in eis contenta, quæcumque, perpetuæ firmitatis vim, & robur habere, suosque integros, atque plenarios effectus, in locis, atque Ditionibus prædictis, ac respective ubilibet locorum, & gentium, sortiri, & obtinere, atque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & quoquomodo pro tempore spectabit in futurum, etiam sub statutis pœnis, atque censuris per contravenientes ipso facto incurrendis, omnino servari: sicque, & non aliter in præmissis, per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Cardinalium hujusmodi Congregationes, & Apostolicæ Sedis Nuncios, necnon sæculares Curias, & Magistratus, etiam supremos, alioscve quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, etiam speciali nota, & mentione dignos, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, decernimus, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

(c) Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet Apostolicis Constitutionibus, Regulis, & Ordinationibus, necnon quarumcumque Ecclesiasticarum, aut Sæcularium Curiarum legibus, edictis, stilis, usibus, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & facultatibus, quibuscumque Personis etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibuscumque etiam gravibus, & urgentissimis causis, seu quibuscumque Regularium Ordinibus etiam Mendicantium, & Militaribus, etiam S. Joannis Hierosolymitani, seu Monachorum, aut Clericorum Regularium Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, aliisque quibuscumque etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque clausulis, & decretis, etiam motu, & potestatis plenitudine similibus, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, formas, & causas præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, atque etiam insertis, ac respective servatis habentes, ad præmissorum effectum, ac vice dumtaxat prædictis motu, scientia, & potestatis plenitudine derogamus; & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque: seu si aliquibus communiter, aut divisim ab hac eadem sit Sede indultum, quod nullo in casu, seu extra certos casus, certisque de causis excommunicari, suspendi, aut interdici non possint, nisi per Litteras ejusdem Sedis, facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

(d) Ut autem præsentes Litteræ, & in eis contenta hujusmodi, ad omnium notitiam perducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, volumus easdem ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis Innocentianæ, aliisque locis solitis, & consuetis ejusdem Urbis per Cursores Nostros, ut moris est publicari, earumque exemplaria affigi, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; earum quoque Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem fidem in judicio, & extra illud ubique haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, & ostenderentur.

(e) Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum declarationum, definitionum, ordinationum, confirmationum, prohibitionum, mandatorum, decretorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

(f) Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCL. Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Cardinal Passionei.

I. Datarius.
Visa de Curia
J. C. Boschi.
Loco * Plumbi.

(a) *In extractione & in reliquis omnibus serventur Constitutiones, & Concordata.*

(b) *Præsentes Litteræ omnimodam firmitatem, debitamque executionem sortiantur.*

(c) *Contrariis quibuscumque non obstantibus.*

(d) *Earum publicatio vim personalis intimationis; Transumpta vero authographi fidem obtineant.*

(e) *Sanctio.*

(f) *Dat. die 15. Martii 1750.*

Novæ additiones ex aliena manu.

DE Immunitate reali vide quæ diximus *in additione ad verbum Bona articul. 2. per tot.* 1

IMPEDIENS.

IMpediens aliquem a consecutione boni, ad quod habet jus quæ situm *in re*, vel *ad rem*, peccat graviter contra justitiam, & tenetur proportionate ad restitutionem; *Communis, & certa* cum S. Thoma 2. 2. *quæst.* 62. *ad* 4. Navar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 69. Card. de Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 8. Etiamsi impediat absque vi, fraude, detractione, mendacio, quia quocumque modo impediat, vere violat justitiam auferendo bonum alterius, id nimirum, ad quod alter jam jus in re, vel ad rem habuit; *Communis* cum supracitatis. Dicitur autem notanter teneri ad restitutionem *proportionate*, quia impediens consecutionem boni, ad quod alter jam habet jus perfectum, seu *jus in re*, tenetur ad fere totum damnum compensandum, scilicet reddendo, seu restituendo ipsum bonum ei impeditum, V. G. Beneficium sibi jam collatum, & confirmatum, quamvis possessione nondum aditum, aut ejus valorem, detracta tamen æstimatione possessionis nondum habitæ, quæ etiam est pretio æstimabilis, quia *jus in re* ante possessionem adhuc periculo subest, ideoque minus valet, quam ipsa res possessa, minus enim valet pecunia V. G. tibi ablata, & restituenda, sed nondum restituta, & possessa, 2 3

quam pecunia jam restituta, & possessa. Impediens autem a consecutione boni, ad quod habet jus imperfectum, *& ad rem* tantum, non tenetur compensare totum damnum, V.G. totum Beneficium promissum, & præsentatum tantum, sed nondum collatum, nec totum valorem ipsius; sed solum partem juxta æstimationem juris, & spei habitæ consequendi illud bonum; *Communis* cum S. Thoma *loc. cit.* & Scoto *in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 4. numer. 40. §. Ad ultimum dico similiter.*

4 Impediens sine vi, fraude, & mendacio aliquem a consecutione boni, ad quod nullum habet Jus ex justitia, nec *in re*, nec *ad rem*, peccat mortaliter, si id faciat ex odio, & non ex justa causa, & non tenetur ad restitutionem, quia non
5 peccat contra justitiam; *Communis*. Tenetur autem ad restitutionem juxta proportionem spei, probabilitatis, seu certitudinis habitæ illius boni consequendi, si per vim, fraudem & mendacium impediat a consecutione talis boni, v. g. si Titio volenti relinquere hæreditatem, vel legatum Cajo, vim quis inferat, ne id faciat, vel mendaciis, & falsis criminibus Caji relatis avertat Titium ab hac voluntate, quia licet non habeat Jus absolutum ad illud Legatum, habet tamen Jus absolutum, ne per fraudem, & vim impediatur ejus potentia, ipes, & probabilitas ad illud; *Communis*, teste Car-
6 din. de Lugo *disp. 18. sect. 5. num. 91.* Impediens aliquem a consecutione boni, revelando occultum, attamen verum crimen, peccat graviter, & tenetur ad compensationem, si id non facit ex justa causa; quia non solum peccat contra famam, sed etiam contra Jus, quod ille habebat, ne inique per talem detractionem impediretur a consecutione talis boni; *Communis*.

7 Advocati, Procuratores, Medici, Chirurgi, Tonsores, Artifices, Ludimagistri, Mercatores, aliique similes, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus, cum aliorum præjudicio, curant ad se trahere illos, qui alios frequentabant, peccant graviter, & tenentur ad restitutionem juxta proportionem boni aliis impediti, & consequenter damni causati, quia tales nedum peccant contra Charitatem, sed etiam con-
8 tra justitiam; *Communis*. Non peccant autem contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, mendacio, & criminatione, sed solis communibus mediis persuasionis, consilii, precum, & hujusmodi absque intentione alios offendendi, quia tales utuntur Jure suo, quod habent ad alios persuadendos in sui utilitatem, nec alii habent jus strictum ad illos clientes, discipulos, & respective se frequentantes; sicut enim poterant illi sine injustitia sponte sua recedere, sic possunt sine injustitia suaderi; Sanchez *in consil. lib. 1. cap. 3. dub. 3. num. 2.* Lugo *disp. 18. numer. 106.*
9 ubi dicit hanc esse veriorem sententiam, & alii. Imo Lugo *ibid. num. 111.* eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam operam, & officinam trahere eos, qui alios frequentare solebant, quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno proprio incommodo. Si enim peccarent mortaliter, ut volunt plures cum Sanchez *loc. cit. num. 5.* væ, dicit Lugo, væ Magistris & Concionatoribus, qui omnibus artibus, & mediis utuntur, ut Auditores sibi accumulent etiam cum præjudicio omnium concurrentium, imo tunc majorem æstimant suam gloriam, quando ex Schola, vel audientia aliorum retrahunt auditores ad suam; quod quidem faciunt & Advocati, Procuratores, Medici, Chirurgi, Tonsores, Artifices, Mercatores, aliique similes.

10 Qui vi, fraude, minis impedit Procuratorem, vel Advocatum, ne assistat alterius causæ, seu liti, & sic ei impedit victoriam, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem juxta proportionem boni impediti, & mali causati;
11 *Omnes*. Item tenetur ad restitutionem, qui ex industria aliis negotiis, verbi gratia invitando ad venationem, ludum, prandium, & hujusmodi, occupat Procuratorem alterius, ne possit huic aliquod bonum obtinere, ad quod procurandum tenebatur, vel ex officio, vel ex contractu, quia talis fecit
12 fraudem, per quam est causa damni. Imo etiamsi Procurator esset voluntarius, & sponte vellet servire, quia ita tacite, & industrialiter occuparet eum ignarum intentionis suæ, adhuc teneretur restituere, quia adesset fraus, nam invitando ad venationem, ludum, prandium, & hujusmodi, aliud significaret, & aliud intenderet, fraus autem, & dolus nemini patrocinari debent; *cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumacia, cap. Sedis 15. & cap. Ex tenore 16. de Rescriptis, cap. Tuæ 12. de Clericis non resident.* Lugo *loc. cit. num.* 103. La Croix *lib. 3. part. 2. num. 78.* & alii.

13 Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue beneficium certo medio consecuturum, certa negotiatione multum lucraturum, & hujusmodi, & postea prævenit, impedit, & sibi tali medio, & negotiatione acquirit, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi; quia talis injusta aperitio, & lectio litterarum fuit impeditiva ipsius boni, & causa mali; Lugo *disp. 18. sect. 5. num. 104.* & in *Respons. moral. lib. 5. dub. 10.* Lessius *lib. 2. cap. 12. a n. 130.* Sporer *tom. 2. tract. 4. prælimin. ad præcepta secundæ Tabul. cap. 2. sect. 5. num. 205.* La Croix *lib. 3. part. 2. num. 76.* Item peccat contra justitiam, 14
& tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas, quas ex justitia, officio, vel contractu tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni; talis enim dolosa litterarum detentio fuit graviter injuriosa, & præjudicialis ei, cui erant directæ; *Doctores citati*, & alii passim.

Impediens bona fide, & zelo, vi, vel fraude, aliquem 15
vere indignum, & ineptum a consecutione Cathedræ, Officii, vel Beneficii, etiamsi vera ejus crimina occulta, & ineptitudinem incognitam manifestet Collatori, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem, imo est potius laude dignus; & merito, quia maxime interest bono communi Reipublicæ, & Ecclesiæ Cathedras, Officia, vel Beneficia non conferri indignis, & ineptis, & ad illa nullum prorsus Jus habent indigni: *Communis, ac certa*. Talem autem impediens ex odio, 16
vel vindicta, aut cum vi, seu fraude, licet non peccet contra justitiam, & non teneatur ad restitutionem, ex quo indignus, & ineptus nullum prorsus Jus habeat ad illa, peccat tamen contra charitatem, vel aliam virtutem juxta suam malam affectionem, & iniquam artem adhibitam. Imo, si talem impediat, infamando injuste apud alios, peccat etiam contra justitiam injusta læsione famæ alterius, & ad hujus restitutionem tenetur, licet non teneatur ad restitutionem pro impedita consecutione Cathedræ, Officii, vel Beneficii propter rationem adductam; *Communis*.

Impediens aliquem dignum a consecutione Cathedræ, Of- 17
ficii, vel Beneficiatus, ut Cathedra, Officium, vel Beneficium conferatur manifeste digniori, quovis modo impediat, nec peccat, nec tenetur ad aliquam restitutionem, quia dignus nullum prorsus jus habet respectu digni oris, unde illum impiendo, & hunc promovendo, recte agitur juxta intentionem Ecclesiæ, vel Reipublicæ volentis dare Cathedras, Officia, vel Beneficia dignioribus, ita exigente justitia distributiva; *Communis*. E contra impediens 18
malo, & iniquo affectu digniorem, vel vere dignum quovis modo a consecutione Cathedræ, Officii, vel Beneficii, & curans conferri manifeste indigno, peccat gravissime, & ad restitutionem tenetur ipsi digniori, seu vero digno, juxta proportionem Juris, si quod ad ipsa habebat, sin autem ipsi Ecclesiæ, vel Reipublicæ pro damnis consecutis, & primo loco restituere tenetur ipse indignus habens Cathedram, Officium, vel Beneficium, secundo loco Collator; tertio loco ipse suasor, & promotor, seu cooperator; *Communis*; *arg. cap. Quia per ambitiosam 15. de Rescriptis, & cap. Grave nimis 29. de Præbend.* Impediens sine vi, & 19
fraude, sed solis precibus, & suasionibus, ne Cathedra, Officium, vel Beneficium conferatur uni digno, & procurans conferri alteri æque digno, nec peccat, nec tenetur ad restitutionem; Si autem id faciat, vi, fraude, & hujusmodi, licet non teneatur ad restitutionem, ex quo dignus non habeat jus justitiæ supra æque dignum, peccat tamen ob fraudem, & vim adhibitam, quia æque dignus gaudet jure, ne malis artibus impediatur; *Communis*.

Impediens sine vi, & fraude, sed solis precibus, & sua- 20
sionibus, ne Cathedra; Officium, vel Beneficium simplex conferatur digniori, sed digno, quamvis non desint magni nominis Doctores dicentes, quod peccet graviter, tamen non esse peccatum mortale conferre Beneficia simplicia nullam curam Animarum habentia personis dignis, omissis dignioribus, tenent plurimi alii a nobis citati, & secuti sub verb. *Beneficia Ecclesiastica art. 5. num. 28. & sequent.* & cum La Croix *lib. 4. num. 591.* cum Rota recentior. *part. 10. dec. 262. num. 1. & 2.* ubi precise dicit, quod dignus in Beneficiis simplicibus eligi potest, omisso digniori; quod, si aliud diceremus, omnes fere Prælati essent in statu damnationis providentes Beneficia simplicia dignis, prætermissis dignioribus quæ acerbissima profecto esset sententia; Hactenus Rota *loc. cit.*

plurima

plurima alia adducens, ut *ibi* videre est. Attamen *ibid. sub num. 8.* dicit, quod tutius est etiam Beneficia simplicia adju-
21 dicare dignioribus. Impediens autem per vim, vel fraudem, aut aliam iniquam artem peccat, & tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, aut spei, vel probabilitatis, quam habuit dignior consequendi illam Cathedram, Officium, vel Beneficium, quia ille dignior gaudet jure, ne iniquis artibus impediatur; *Communis*.

22 Impediens etiam sine vi, & fraude, et a fortiori cum vi, et fraude, ne Cathedra, aut Beneficium conferendum per concursum, & oppositionem conferatur digniori, peccat gravissime, & tenetur ad restitutionem, seu ei resarciendum damnum judicio prudentis; colligitur ex *cap. Metropolitano 19. dist. 63. ex cap. Licet 15. caus. 8. quæst. 1. ex cap. unico, Ut Ecclesiastica Beneficia*, ex Concili Trident. *sess. 24. cap. 1. & cap. 18. de reformat.* & Constit. S. Pii V. incip. *In conferendis Beneficiis* & ex propositione 47. inter damnatas ab Innocent. XI. *die 2. Martii 1676.* et sic tenent Fagnan. *lib. 5. decretal. in cap. Mandato 46. de Simonia num. 29.* Navarr. *in Manual. cap. 17. num. 74.* Lessius *lib. 2. 3. cap. 34. dub. 15. n. 75.* Lugo *disp. 18. sect. 5. num. 107.* ubi testatur de communi. Et ratio est, quia dignior judicatus in concursu habet Jus ex lege, uti recte dicit Navarr. cum Lessio *loc. cit. num. 72.* La Croix *lib. 4. n. 628.* intervenit enim quasi contractus inter illos, qui indicunt concursum, et qui concurrunt, ut qui dignior fuerit renuntiatus, consequatur Cathedram, seu Beneficium, unde impediens digniori talem consecutionem, ad quam habet jam perfectum Jus ratione habiti concursus, facit gravem injuriam contra justitiam, et ideo tenetur ei restituere, seu compensare damnum. Vide verb. *Beneficia Ecclesiastica art. 5. a num. 18. ad 27.*

23 Impediens jurisdictionem Episcopi Censuris innodatur; *Sac. Congr. Immunitat. in Vgentina 10. Martii 1699. lib. 2. de-*
24 *cret. Vallem. pag. 207.* Ob recursum ad Judices Laicos pro impediendo, ne Curia Ecclesiastica possit vocare laicos ad comparendum personaliter pro examine, Ordinarius procedat; *Ead. Sacr. Congr. Immunit. in una Montis Cassini 20. No-*
25 *vemb. 1696. lib. 2. decret. Vallem. pag. 58.* Impedientes in exercitio sui muneris Ministros Curiæ Ecclesiasticæ Censuris innodantur; *Ead. Sacr. Congr. Immun. in Asculana in Apulia*
26 *9. Julii 1695. lib. 1. decret. Vallem. pag. 199.* Birruarius impediens fugam Sacerdoti eum detinens per pallium absolvitur ad cautelam; *Ead. Sacr. Cong. Immunit. in una S. Agathæ Go-*
27 *thorum 2. Junii 1698. lib. 2. decretal. Vallem. pag. 225.* Ballivum addictum servitio utriusque Curiæ, si quis impedierit, ne inserviat Curiæ Ecclesiasticæ, excommunicatur; *Ead. Sacr. Congr. Immunit. in Nuscerina 18. Novemb. 1687. lib. de-*
28 *cret. Martelli pag. 186.* Et ubi sufficienter non constet de servitio Curiæ Laicalis, tunc datur absolutio ad cautelam; *ibid.*
29 Decretum Magistratus Secularis prohibens, ne prædictus Ballivus inserviat Curiæ Ecclesiasticæ, est abolendum per actum publicum; *Ead. Sacr. Congr. Imm. in Asculana 5. Octo-*
30 *bris 1688. lib. decret. Martelli pag. 356.* Gubernator Ballivum Curiæ laicalis carcerans, eo quod ei præsentasset præceptum Curiæ Episcopalis, excommunicatur; *Ead. Sacr. Congreg. Immun. in Surina 13. Januarii 1703. lib. 3. decret. Vallemani pag. 468.*

Novæ additiones ex aliena manu.

1 DE legitimo impedimento frequens est in Foro disputatio; Abs re igitur haud est de eo paucis disserere.

2 Legitimum impedimentum non male definitur: *Justa causa alicui obstaculum creans, quominus quod ipsi faciendum incumbebat præstare possit.*

3 Præstat I. legitimum impedimentum morbus non omnis, sed sonticus tantum, *Stryk. disput. 3. cap. 2. num. 3. & 4.* qui
4 *num. 16. & plur. sequent.* una tradit, an & quando senectus præstet legitimum impedimentum. Sonticus vero morbus, non solum proprius, sed & Conjugis, tum Liberorum legitimum præstat impedimentum; *Carpzov. Jurispr. Forens.*
5 *part. 1. Constit. 9. defin. 8. Zanger. de Except. part. 2. cap. 9. num. 13.* Nonnunquam & morbus Advocati impedimentum legitimum præstat, tunc scilicet quum reus facile alium Advocatum, aut Procuratorem habere haud possit; *Stryk. dis-*
6 *put. Juridic. tom. 5. cap. 2. num. 10. & sequent.*, *Langius in Proces. Jur. civil. & Saxon. cap. 70. n. 71.*

II. Præstat impedimentum legitimum Captivitas, & quidem etiamsi culpa præcesserit: *Mynsinger. Cent. 4. observ. 57.*

Rudinger. Centur. 2. observ. 10. Idque extende ad violentam 7
detentionem, & quidem etiamsi a Privato, ea fiat; *Stryk. disput. juridic. tom. 5. disp. 3. cap. 2. num. 22.*

III. Legitimum præstat impedimentum absentia Reipu- 8
blicæ causa. At num abesse Reipublicæ causa dici possint, 9
& sic allegare legitimum impedimentum Deputati, qui a Civitate Municipali, aut Castro, aut Villa mittuntur, non convenit inter Doctores; Consule *Stryk. disput. Juridic. tom. 5. disp. 3. cap. 2. n. 24. & plur. sequent.* qui & de eo disputat, an legatio libera præstet impedimentum legitimum.

IV. Militia legitimum impedimentum præstat; Et, quod 10
singulare est, etiam Milites Urbanici legitimum impedimentum allegare valent; *Bruneman. ad L. 53. ff. ex quib. caus.* 11
major. Stryk. juridic. Dissert. volum. 5. disput. 3. cap. 2. n. 32.

V. Præstat legitimum impedimentum peregrinatio, sed 12
non omnis. Tributum id est peregrinationi studiorum causa, 13
tum causa mercaturæ; *Stryk. disput. Juridic. tom. 5. disput. 3. cap. 2. num. 38. & plur. sequent.*

VI. Locus non tutus præstat impedimentum legitimum; 14
Stryk. juridic. dissert. volum. 5. disput. 3. cap. 2. num. 46. qui, & exemplis rem illustrat; *Coler. de Proceff. exequut. part. 1. cap. 12. num. 21.*

VII. Præstat legitimum impedimentum litis pendentia; 15
Zanger. de Except. 2. art. 2. c. 13. n. 3. Mindan. de Proces. l. 3. §. 5. num. 11.

Et ut alias causis legitimi impedimenti omittamus, de 16
quibus consuli potest *Stryk. juridic. dissert. volum. 5. cap. 2. a num. 50. ad fin.* præstat & illud factum Adversarii, vel etiam Alterius cujuscumque.

De ratione probandi legitimum impedimentum adi eum- 17
dem *Stryk. juridic. dissert. vol. 5. cap. 3. per tot.* Nota vero, 18
quoad factum Adversarii vel Alterius cujuscumque, satis haud esse illud probare, sed probare simul oportet, omnes adhibitas esse diligentias pro ejus remotione, easque nihil profuisse; *Decius consil. 677. num. 4. Mindan. de Proces. lib. 2. cap. 19. num. 2.*

Probato legitimo impedimento, causa restituitur in pri- 19
stinum statum, in quo erat ante impedimentum, & de novo secundum juris ordinem proceditur. De specialibus vero effectibus legitimi impedimenti pro varietate præsertim causarum ipsius, confer *Stryk. jurid. dissert. vol. 5. c. 4. per tot.*

IMPEDIMENTA MATRIMONII.

ARTICULUS I.

Quoad ea, quæ concernunt impedimenta mere impedientia, & septem prima dirimentia.

IMpedimenta Matrimonii sunt duplicis generis, alia mere- 1
impedientia, & alia dirimentia. *Impedimenta mere impedientia* sunt illa, quæ mere impediunt Matrimonium contrahendum, sed non irritant jam contractum, unde quamvis Matrimonium cum aliquo ex his impedimentis nequeat licite & absque peccato contrahi, potest tamen valide. *Impedimenta dirimentia* sunt illa, quæ non solum impediunt, ne Matrimonium contrahatur licite, sed etiam ne valide, unde Matrimonium contractum cum aliquo ex his impedimentis est omnino nullum, ac irritum. Datur in Ecclesia Dei potestas 2
constituendi impedimenta, sive impedientia, sive etiam dirimentia Matrimonii; *Communis* inter Catholicos, atque definitum contra Modernos Hæreticos in Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 4.*, ibi: „ Si quis dixerit, Ecclesiam non po-
„ tuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia,
„ vel in iis constituendis errasse anathema sit; *Et* Can. 3. ibi: „ Si quis dixerit, eos tantum, Consanguinitatis, & Af-
„ finitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedi-
„ re Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum:
„ Nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut
„ constituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema
„ sit „; & colligitur ex *cap. Tuam 3. de Ordine cognitionum, cap. Ex litteris 1. de Consanguinit. & Affinit. cap. Multorum 10. caus. 35. quæst. 6.*

Impedimenta mere impedientia, spectato Jure antiquo, 3
sex fuerunt sequentibus versiculis communiter comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum;
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum
Impedunt fieri; permittunt juncta teneri.

4 *Ecclesiæ vetitum* est prohibitio Ecclesiæ, quæ fit a Papa, ab Episcopo, vel Parocho ex justa causa ad certum tempus, v. g. ad evitandum scandalum, & tumultum, aut cognoscendum impedimentum aliquod, de quo dubitatur inter copulandos; *arg. cap.* 1. 2. *&* 3. *de Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ, & cap. final. de Clandestin. desponsat.*

Tempus Feriatum, quo prohibetur, non Matrimonium, sed
5 Matrimonii solemnitas, scilicet Benedictio nuptiarum solemnis, Sponsæ in domum Sponsi traductio, solemniora convivia, & tripudia &c. Tale tempus olim varium, & longius erat, ut patet *ex cap.* 8. 10. *&* 11. *caus.* 33. *q.* 4, *& cap. Cappellanus* 14. *de Feriis*. Ast in præsentiarum est restrictum a Concilio Tridentino *sess.* 21. *cap.* 10. *de reformat. Matrimonii*, ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive, ibi: „ Ab „ Adventu Domini Nostri Jesu Christi usque ad diem Epi„ phaniæ, & a Feria quarta Cinerum usque ad octavam „ Paschæ inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibi„ tiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus „ præcipit, in aliis vero temporibus solemniter celebrari „ permittit.

6 *Catechismus*, per quem intelligitur cognatio quædam spiritualis imperfecta, quæ olim contrahebatur ab eo, qui respondebat pro infante, quando supplebantur Cæremoniæ post Baptismum collatum privatim in necessitate, quamvis talis respondens infantem jam antea privatim baptizatum de sacro Fonte non levarit, *arg. cap. Contracto* 5. *de cognatione spirituali, & cap. Per Catechismum* 2. *eod. in* 6. Ast hodie non amplius viget hoc impedimentum, cum videatur sublatum a Tridentino *sess.* 24. *de reformat. Matrim. cap.* 2. per illa verba: *Omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninosublatis*, prout contra paucos alios advertunt Pontius *lib.* 6, *cap.* 11. *num.* 3. Sanch. *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 10. *num.* 10. Reiffenstuel *lib.* 4. *decret. tit.* 11. *n.* 3, ipsisque textibus declaravit Sacra Congregatio. & Motus proprius S. Pii V, confirmatque ipsa praxis, & universalis Ecclesiæ consuetudo, quæ, ex *cap. Cum dilectus filius* 8. *de consuetudine, optima est legum interpres*. Et sic tenent Ledesma, Reginald. Rebellus, Guttierez, Bonacina, Molfesius cum Barbosa *super dict. cap. Concilii Tridentini n.* 41. Quamvis ipse Barbosa sibi contradicat, & teneat contrarium *in Summa Apostolicar. decis. verb. Cognatio spiritualis num.* 7. afferens Decretum *Sacræ Congregationis Concilii de anno* 1592. 22. *Decembris*,

Crimen, per quod intelligebantur varia enormia delicta, 7
quorum aliquod si quis committebat, nubere alteri licite amplius non poterat, *arg. cap. Qui Presbyterum* 2. *de pœnitentiis, & remissionib. cap. Si quis* 1. *&* 2. *Veniens* 2. *de eo, qui cognovit consanguineam, & cap. Statutum* 33. *caus.* 17. *q.* 2. *cap. Admonere* 8. *caus.* 33. *q.* 2, cum similibus, & Glossa in *cit. cap. Qui Presbyterum, verb. Absque spe conjugii*, ubi ipsa crimina comprehendit his versiculis.

Incestus, Raptus sponsatæ, Mors mulieris,
Susceptus propriæ prolis, Mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

8 *Sponsalia*, quæ sunt mutua promissio futurarum nuptiarum; *l.* 1. *ff. de sponsalibus, cap. Nostrates* 3. *caus.* 30. *q.* 5. quando sunt contracta cum una persona, impediunt Matrimonium cum alia, nisi prius sint rite dissoluta; *arg. cap. Ex litteris* 2. *& cap. Ad audientiam* 4. *de Sponsalibus, & cap.* 1. *de pactis*, & similibus.

9 *Votum*, per quod in proposito intelligitur Votum simplex Castitatis, seu Votum simplex ingrediendæ Religionis, assumendi Ordinem Sacrum, non ineundi conjugium, quæ Vota impediunt Matrimonium contrahendum, sed non dirimunt jam contractum; *cap. Consuluit* 4. *& cap. Rursus* 6. *Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere possunt: cap. unic. de Voto in* 6.

10 Ex assignatis autem sex impedimentis mere impedientibus, cum duo jam non amplius vigeant, nempe impedimentum *Cathechismi* jam per consuetudinem contrariam abrogatum, & impedimentum *Criminis* jam per longævam desuetudinem abrogatum, hinc quatuor tantum hodie vigent impedimenta mere impedientia apte in hoc versiculo comprehensa.

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

11 Impedimenta dirimentia, quamvis Jure antiquo fuerint tantum duodecim, tamen hodierno Jure sunt quatuordecim, cum ipsis duodecim impedimentis antiquis duo de novo sint adjecta a Concilio Tridentino, scilicet *Absentia* Parochi, & duorum Testium, ut habetur *sess.* 24. *cap.* 1. *de reformat. Matrim.* & *Raptus* ut habetur *cad. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat. Matrim.* quæ omnia impedimenta comprehenduntur sequentibus versiculis relatis tum a S. Thoma *part.* 3. *quæst.* 50. *Supplement. art.* 1. tum a Scoto *in* 4. *dist.* 42. & ab aliis passim.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas.
Si sis Affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis desit præsentia testis,
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc jocianda vetant connubia, facta retractant.

Error est quadruplex, scilicet Personæ, Fortunæ, Con- 12
ditionis, & Qualitatis, textu expresso in *cap. Quod autem caus.* 29. *quæst.* 1., ibi: *Error personæ est quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato; Error Fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso; Error Conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est; Error qualitatis, quando putatur bonus, qui malus est.*

Error personæ dirimit Matrimonium, non solum jure po- 13
sitivo ex *cap. Tua nos* 26. *de Sponsalibus, & cit. cap. Quod autem caus.* 29. *quæst.* 1., ibi: *Error personæ consensum conjugii non admittit*; sed etiam ex jure naturæ, adeoque nullum est, etiamsi ab Infidelibus cum tali errore contrahatur; Et ratio est, quia errantis nullus est consensus; *arg. l.* 8. *& l.* 9. *Cod. de jur. & fact. ignorant.* Ubi autem non adest consensus non adest Matrimonium; *cap. Sufficiat* 2. *caus.* 27. *quæst.* 2. *cap. Cum locum* 14. *de Sponsalibus*, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat; *l. Nuptias* 30. *ff. de Regul. Juris*.

Error Fortunæ, aut Qualitatis non dirimit Matrimonium, 14
nisi certe limitaret consensum contrahentis; *Communis arg. cap. Cum in Apostolica* 18. *de Sponsalibus*; *& cit. cap. Quod autem caus.* 29. *q.* 1. ibi: *Error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum . . . . quæ nubit pauperi putans illum esse divitem, non potest renunciare priori conditioni, quamvis craveriti . . . . . Similiter qui ducit in Uxorem meretricem, vel corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere*. Dictum autem fuit notanter *nisi certe limitaret consensum contrahentis*, quia invalidum est Matrimonium, si non intendat contrahere, nisi adsit talis qualitas, eo quod tunc non censeatur adesse consensus in personam, nisi sub conditione qualitatis subsistentis, & consequenter ubi non subsistit hæc, non subsistit ille; omnis enim contractus sub conditione honesta de præsenti initus, conditione non subsistente, nullus est; *l. Cum ad præsens* 37. *ff. de Rebus credit. & l. Cum in secundo princip. ff. de injusto raptu*, S. Thomas *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad* 5. S. Bonaventura *in* 4. *dist.* 30. *in Expositione litteræ num.* 4. &, teste Sanchez *lib.* 7. *disp.* 18. *num.* 21., omnes alii.

Conditio quantum ad præsens, seu error Conditionis est ju- 15
dicium, quo liber judicat personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit; Conditio enim servilis est status personæ, quæ non est sui juris, ut in re communiter sentiunt Doctores. Hinc error Conditionis servilis dirimit, & irritat Ma- 16
trimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, & e contra, textu expresso *in cap. Ad nostrum* 4. *de conjugio servorum* ibi: *Mandamus quatenus si constiterit, quod Miles ignoranter contraxerit cum ancilla, ita quod postquam intellexerit conditionem ipsius, nec facto, nec verbo consenserit in eamdem . . . . contrahendi cum alia libera ipsi concedas auctoritate Apostolica facultatem*; & concordat *cap. Si quis ingenuus* 4. *caus.* 29. *quæst.* 2., ibi; *Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit, & existimat, quod ingenua sit, si ipsa fœmina postea in servitute fuerit detecta, si voluerit, aliam accipiat; si autem ancillam eam sciverat, legitimam eam habeat, similiter & mulier ingenua de servo alterius facere debet*. Intellige tamen conclusionem de 17
servis, & ancillis propriè talibus, non autem de servis, & ancillis *Adscriptitiis*, nec de *Originariis*; Matrimonia enim contracta cum *illis* a personis liberis, etiamsi illarum conditionem ignoraverint, sunt valida ut nemine dissentiente sentiunt omnes Doctores, & docet praxis communis.

Matrimonium contractum a persona libera cum servili prius 18
cognita ut tali est validum, & licitum; *Communis* textu claro *in c. Proposuit* 2. *& c. Ad nostram* 4. *de conjugio servorum; & cap.*

cap. Si quis liber 2. *cap. Si quis ingenuus* 4. *& cap. Si Fœmina* 5. *caus.* 29. *quæst.* 2. ibi: *Si Fœmina ingenua deceperit servum* 19
sciens quod servus esset, habeat eum. Item validum est Matrimonium contractum inter duas personas serviles, etiam invitis Dominis; *Communis* textu expresso *in cap. Dignum est* 1. *de conjugio servorum*, ibi: *Ita nec inter servos Matrimonia debent ullatenus prohiberi, & si contradicentibus Dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda*, concordat *cap. Omnibus* 1. *caus.* 29. *quæst.* 2. Item 20
validum est Matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva quam tamen putabat liberam, & cui non nupsisset, si conditionem ejus servilem cognovisset; Sic. S. 21
Bonaventura *in* 4. *dist.* 36. *art.* 2. *q.* 2. *in conclus.* S. Thomas *in* 4. *dist.* 36. *ar.* 1. *ad* 1. his verbis; *Quia in Matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem oblationem ex parte alterius, quam ipse possit facere, & propter hoc servus etiam si contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur Matrimonium, & sic patet quod servitus non impedit Matrimonium, nisi quando ignorata est ab alio conjuge, & si ille sit liberæ conditionis*. Sic etiam docet Scotus *in* 4. *dist.* 36. *qu.* 1. §. *Dic ergo*; Duran. *ibid. qu.* 2. Petrus Paludan. *ibidem qu.* 1. *num.* 8. Pontas verb. *Impedimentum conditionis cas.* 2. & alii passim. Item validum est Matrimonium contractum a persona libera cum alia libera quam ex errore putat servam, quia exinde non deterioratur ejus conditio. *Communis* cum Scoto *in* 4. *dist.* 36. *quæst.* 1. & Sanch. *lib.* 7. *disp.* 19. *num.* 23. Hostiens. in *cap. Ad nostram* 4. *de conjugio servorum num.* 2. 22
Reiffenstuel *lib.* 4. *decretal. tit.* 9. *num.* 10. Item validum est Matrimonium contractum a persona serva cum libera, quam ex errore putat servum, quia melioratur ejus conditio; Scotus *in* 4. *dist.* 36. *quæst.* 1. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 10. & alii communiter.

23 *Votum*, quod, ut sit impedimentum dirimens, debet esse solemne Castitatis, est illud, quod fit in professione Religionis approbatæ, vel in susceptione Ordinis sacri; *arg. cap. unic. de Voto in* 6., ibi: *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum Votum debere dici solemne, quantum ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem S. Ordinis, aut, per Professionem expressam vel tacitam facta alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis*. Omne, & solum Votum so- 24
lemne per susceptionem sac. Ord. vel per Professionem Religiosam emissum dirimit Matrimonium contrahendum; *Communis*. Et quidem de voto solemni per susceptionem sac. Ord. habetur *cap. De Diacono* 1. *& cap. Ex litterarum tuarum tenore* 2. *Qui Clerici, vel voventes, cap. Si qui Clericorum* 1. *de Clericis conjugat.* & concordat *c. Presbyter* 16. *dist.* 28. cum similibus. De Professione autem Religiosa habetur *capit. Meminimus* 3. *& cap. Insinuante* 7. *Qui Clerici, vel voventes*, & de utroque Voto expresse definivit Concilium Trident. *sess.* 24. *de Sacramento Matrimonii canon.* 9. ibi: *Si quis dixerit, Clericos Sac. Ordinib. constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto . . . . Anathema sit*.

Adest tamen hæc differentia inter Votum solemne Ordinis
25 Sacri, & Votum solemne Professionis Religiosæ, quod Votum solemne Ordinis Sacri est solum impedimentum dirimens respectu Matrimonii postea contrahendi; Attamen non dirimit Matrimonium prius jam contractum quamvis nondum fuerit consummatum; *Communis*, textu expresso, & definito a Joanne XXII. in Extravagant. *Antiquæ, de Voto*, ibi: *Quo licet Votum solemnizatum per sacri susceptionem Ordinis, quantum ad impediendum Matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta Canonum sit efficax reputandum; ad solvendum tamen prius contractum, etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, cum nec jure Divino, nec per Sac Canones reperiatur hoc statutum, invalidum est censendum*. Votum autem solemne
26 Professionis Religiosæ, non solum est impedimentum dirimens respectu Matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum ratum, dummodo nondum fuerit consummatum. *Communis*, textu expresso *in c. Verum* 2. *& cap. Ex parte* 14. *de conversion. conjug.* & est expresse definitum a Conc. Tridentino *sess.* 24. *de Matrim. Can.* 6. ibi: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius Conjugum non dirimi, anathema sit*.

Cognatio est triplex, Naturalis, Spiritualis, & Legalis. 27
Cognatio naturalis, seu carnalis, quæ consanguinitas dicitur, *est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendentium, seu quarum una descendit ab altera*: quæ ultima verba adduntur, ne excludatur consanguinitas genitorum cum genitis. Stipes *est illa persona, a qua aliæ* 28
personæ, de quarum cognatione tractatur, carnali propagatione descendunt. Linea consanguinitatis *est ordinata series talium* 29
personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens & numeros distinguens. Hæc linea est duplex, linea recta, 30
& linea transversalis, seu collateralis. Linea recta *est earum* 31
personarum, quarum una procedit ab altera; quæ si fiat descendendo v. gr. a Patre ad Filium, ac Nepotes suos, dicitur *linea recta descendentium*: si autem fiat ascendendo, ut a Filio ad Patrem, a Nepote ad Avum, Proavum, Abavum, Atavum, Tritavum, & sic deinceps usque ad Adam dicitur *linea recta ascendentium*. Linea *transversalis*, seu 32
collateralis est earum Personarum, quarum una non procedit ab altera, licet omnes procedant ab eodem Stipite, ut Fratres, Consobrini, & hujusmodi. Linea *transversalis*, seu *collateralis* est duplex, æqualis, & inæqualis. Linea transversalis æqualis *est habitudo inter personas ab eodem communi stipite æqualiter distantes*, ut inter Fratres, & Sorores, Patrueles, & Consobrinas. Linea transversalis inæqualis *est habitudo inter personas inæqualiter a communi stipide distantes*, ut Fratres, & Filii fororis. Gradus consanguinitatis *est ipsa distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis in ordine ad eumdem stipitem*. Et dicitur gradus ad similitudinem graduum scalarum, vel locorum proclivium, quia ita gradimur de proximo in proximum. 33

Ut facilius cognoscatur quot gradibus distent inter se consanguinei, tres Regulæ communiter assignari solent. Prima pro linea recta. Secunda pro linea transversali æquali. Et tertia pro linea transversali inæquali. Regula pro linea re- 34
cta est hæc: *Ascendentium, & Descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ, de quibus quæritur, computatis intermediis, dempto stipite*. Hinc, si vis scire quantum distet *Abavus* ab *Antonio Stipite*, computato utroque, ac intermediis, inveniuntur quinque personæ, deme unam, nempe *Antonium Stipitem*, quatuor remanent gradus, ut clarissime demonstrat parvum sequens.

SCHEMA LINEÆ RECTÆ.

4. Titius	Abavus.
3. Cajus	Proavus.
2. Petrucius	Avus.
1. Franciscus	Pater.
Antonius	Stipes.
1. Franciscus	Filius.
2. Petrucius	Nepos.
3. Cajus	Pronepos.
4. Titius	Abnepos.

Ubi, ut vides, *Franciscus* est in primo gradu conjunctus 35
cum *Antonio*, quia dempto ipso Stipite, qui est *Antonius* una sola remanet Persona, nempe *Franciscus*. *Petrucius* autem est in secundo gradu conjunctus cum *Antonio*, quia *Antonio* Stipite dempto, remanent duæ personæ, scilicet *Petrucius*, & *Franciscus*. *Cajus* vero est in tertio gradu conjunctus cum *Antonio*, quia ipso *Antonio* stipite dempto, remanent tres personæ, nempe *Franciscus*, *Petrucius*, & *Cajus*. *Titius* denique est conjunctus cum *Antonio* in quarto gradu, quia ipso *Antonio* stipite dempto, remanent quatuor personæ, idest *Franciscus*, *Petrucius*, *Cajus*, & *Titius*.

Regula pro linea transversali æquali est hæc: *Quot gradi-* 36
bus quævis duarum personarum, de quibus quæritur, distat a

pro-

proximo communi ſtipite, a quo ambæ deſcendunt, tot gradibus diſtant inter ſe, & ad facilius hanc regulam percipiendam ponitur parvum ſequens

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS.

Antonius Stipes.

Franciſcus	*Frater, & Soror*	1. *grad.*	Maria
Petrucius	*Conſobrini primi*	2. *grad.*	Lucia
Cajus	*Conſobrini ſecundi*	3. *grad.*	Petronilla
Titius	*Conſobrini tertii*	4. *grad.*	Agnes
Lucas	*in nullo gradu*		Clara

Ubi, ut vides, *Franciſcus* eſt conjunctus in primo gradu cum *Maria*, quia uno gradu diſtant ab *Antonio* ſtipite, ſeu Patre. *Petrucius* eſt conjunctus in ſecundo gradu cum *Lucia*, quia duobus gradibus diſtant ab *Antonio* ſtipite. *Cajus* eſt conjunctus in tertio gradu cum *Petronilla*, quia tribus gradibus diſtant ab *Antonio* ſtipite. *Titius* eſt conjunctus in quarto gradu cum *Agnete*, quia quatuor gradibus diſtant ab *Antonio* ſtipite. *Lucas* denique in *nullo gradu* eſt conjunctus cum *Clara*, quia licet antiquo jure conſanguinitas in *linea tranſverſali* extenderetur uſque ad ſeptimum gradum incluſive; *cap. Nullum 7. cap. De conſanguinitate 17. cauſ. 35. quæſt. 3.*, ibi: *De conſanguinitate ſua uxorem nullus ducat uſque poſt generationem ſeptimam*, cum ſimilibus; tamen moderno jure in dicta *linea tranſverſali* non extenditur, niſi ad quartum gradum incluſive, ut expreſſe ſtatuit Concilium Generale Lateranenſe *cap.* 20, relatum *in cap. Non debet 8. de conſanguinitate, & affinitate*, ibi: Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari.

36 Regula pro linea tranſverſali in equali eſt hæc: Quot gradibus remotior ex perſonis, de quibus quæritur, diſtat a communi ſtipite, a quo ambæ proxime deſcendunt, tot gradibus diſtant inter ſe. Unde ut vides, in allato ſchemate lineæ tranſverſalis *Franciſcus* in ſecundo gradu diſtat a *Lucia*, quia *Lucia*, quæ eſt perſona remotior ab *Antonio* ſtipite, duobus gradibus diſtat ab ipſo *Antonio* ſtipite, quamvis *Franciſcus* ab ipſo *Antonio* diſtet unico tantum gradu. Sic deſcendendo idem *Franciſcus* in tertio gradu diſtat a *Petronilla*, quia *Petronilla*, quæ eſt perſona remotior ab *Antonio* ſtipite, tribus gradibus diſtat ab ipſo *Antonio* ſtipite. Item idem *Franciſcus* in quarto gradu diſtat ab *Agnete*, quia *Agnes*, quæ eſt perſona remotior ab *Antonio* ſtipite, quatuor gradibus diſtat ab ipſo *Antonio* ſtipite.

37 Notandum tamen hic eſt, quod licet in linea tranſverſali inæquali ita numeretur in ordine ad Matrimonii impedimentum cognoſcendum; in ordine tamen ad obtinendam in gradibus conſanguinitatis diſpenſationem, debet in memorialibus explicari, & manifeſtari, nedum gradus remotior, ſed etiam gradus proximior, ſeu propinquior *Stipiti*, ut declaravit S. Pius V. Conſtitut. incip. *Sanctiſſimus*, & Urbanus VIII., & Innocent. X. ambo in Brevi incipient. *Alias pro parte*. Hinc in eodem allato ſchemate lineæ tranſverſalis, *Franciſcus* dicitur primo gradu in ſecundo conjunctus cum *Lucia*. Primo gradu in tertio cum *Petronilla*. Primo gradu in quarto cum *Agnete*. Denique primo in quinto cum *Clara*, & ſic in nullo gradu, quia ultra quartum gradum nulla datur amplius cognatio, ex *cit. Cap. Non debet 8. de conſanguinitate, & affinitate*; & per hoc cum gradus remotior eſt ultra quartum, nec gradus proximior eſt exprimendus, nec diſpenſatio eſt neceſſaria, quia nulla amplius datur cognatio. Pariformiter *Petrucius* eſt ſecundo gradu in tertio conjunctus cum *Petronilla*, ſecundo in quarto cum *Agnete*, ſecundo in quinto cum *Clara*, & ſic in nullo, cum ex dictis ultra quartum gradum nulla detur amplius cognatio. Similiter *Cajus* eſt tertio gradu in quarto conjunctus cum *Agnete*. Tertio in quinto cum *Clara*, & ſic in nullo, propter rationem ſupradictam. Item *Titius* eſt quarto gradu in quinto conjunctus cum *Clara*, & ſic in nullo propter ſemper eamdem rationem. *Lucas* denique in nullo gradu eſt conjunctus cum filia *Claræ*, cum hodie ex dictis ultra quartum jam non detur amplius ulterior gradus. Quæ autem exemplificata, & dicta ſunt de viris in ordine ad fœminas, intelligenda omnimode ſunt de fœminis in ordine ad viros. Unde *Maria* eſt conjuncta primo gradu in ſecundo cum *Petrucio*, primo in tertio cum *Cajo*, primo in quarto cum *Titio*, denique primo gradu in quinto cum *Luca*, & ſic in nullo, cum ultra quartum gradum nulla amplius detur cognatio. Similiter *Lucia* eſt ſecundo gradu in tertio conjuncta cum *Cajo*, ſecundo in quarto cum *Titio*, ſecundo in quinto cum *Luca*, & ſic in nullo, & pariformiter diſcurrendum de ceteris.

Notandum eſt inſuper, quod traditæ Regulæ pro computatione graduum in linea tranſverſali, tam æquali, quam inæquali, valent ſolum in jure Canonico, non autem in jure Civili. Quamvis enim in linea recta aſcendentium, & deſcendentium eodem modo computentur gradus conſanguinitatis ſecundum jus Civile, & ſecundum jus Canonicum, ita ut pro utroque jure valeat Regula tradita ſupra ſub *numer.* 34. ut clare habetur ex *Cap. Ad Sedem 2. cauſ. 35. quæſt. 5.*, & §. 1. *ac ſequent. Inſtitut. de Grad. cognat.*. In linea tamen tranſverſali, ſeu collaterali, tam æquali, quam inæquali aliter computantur gradus ſecundum jus Civile in ordine ad capiendam ab inteſtato hæreditatem, & aliter ſecundum jus Canonicum in ordine ad contrahenda Matrimonia; *Communis*, textu claro *in citat. capit. Ad ſedem 2. cauſ. 35. quæſt. 5.* Secundum enim jus Canonicum obſervantur pro computatione graduum Regulæ traditæ ſupra *ſub num.* 35., & 36. Secundum autem jus Civile pro tali computatione, tam in linea æquali, quam inæquali obſervatur alia, & quidem unica ſequens Regula: „ Tot ſunt gradus, quot ſunt „ ex utraque parte, vel linea, perſonæ, una dempta, „ communi nempe ſtipite; & *conſequenter*: Tot gradibus „ duæ perſonæ in linea tranſverſali diſtant inter ſe, quot ex „ utraque parte numerantur perſonæ uſque ad communem „ ſtipitem, in quo ambæ conveniunt, una dempta, ipſo „ nempe ſtipite communi. „ Unde, ut vides, ſecundum jus Civile in computatione duplicantur gradus, ita ut inter duos Fratres ſint duo gradus, inter duos Patrueles quatuor gradus inter ſe, quia ſunt tres perſonæ, duo Fratres nempe, & Pater, in quo tamquam in communi ſtipite conveniunt, & conſequenter una perſona dempta, ſcilicet *ſtipite*, ſunt duo gradus, quia remanent duæ perſonæ: ſecundum enim jus Civile in linea tranſverſali non datur gradus unicus, ſeu primus. Sic duo Patrueles diſtant quatuor gradibus inter ſe, quia ex utraque parte, ſeu linea uſque ad communem ſtipitem ſunt quinque perſonæ, ipſi nempe duo Patrueles, duo ipſorum Patres, & Avus, una autem perſona, Avo nempe tamquam ſtipite, dempta, ſunt quatuor gradus, quia remanent quatuor perſonæ, & ſic de aliis, *arg. tot. tit. Inſtit. de Gradibus cognat.*, & *cit. cap. Ad Sedem 2. cauſ. 35. quæſt. 5.* ubi habentur præcipua hæc verba: *Fratres, itaque qui ſecundum Leges ſæculares dicuntur in ſecundo gradu, juxta Canones numerantur in primo. Filii Fratrum, qui illic numerantur in quarto, hic computantur in ſecundo*, & ſic deinceps. Et ratio diſparitatis eſt, quia jus Canonicum computat gradus ob Matrimonium, pro quo requiruntur duæ perſonæ ad conſtituendum gradum; Jus vero Civile ob ſucceſſionem, in qua ſufficiunt una perſona proxima in gradu, *cit. Cap. Ad Sedem 2. cauſ. 35. quæſt. 5.* 38 39

Advertendum tamen hic eſt, quod ordo computationis graduum ſtatutus a jure Civili pro ſucceſſione hæreditaria, ab inteſtato capienda, ſervandus eſt etiam in Foro Eccleſiaſtico, & Canonico, cum quoad hoc jus Civile ſit approbatum, & canonizatum a jure Canonico, *argum. citat. capit. Ad Sedem 2. cauſ. 35. quæſt. 5.* Et e contra Ordo computationis graduum ſtatutus a jure Canonico pro contrahendis Matrimoniis ſervandus eſt etiam in Foro ſeculari, ſeu Civili, prout fatentur ipſimet Civiles Juriſtæ, *arg. cit. cap. Ad Sedem 2. cauſ. 35. quæſt. 5.* 40

Cognatio naturalis, vel carnalis, quæ dicitur conſanguinitatis, ideſt *quaſi ſanguinis unitas*, non dirimit Matrimonium jure Eccleſiaſtico, niſi infra quartum gradum tam in linea recta, quam in tranſverſali, ſive æquali, ſive inæquali, ut colligitur ex *Cap. Non debet 8. de Conſanguinitate, & Affinitate*, ubi indiſtincte reſtringitur ad quartum gradum impedimentum Conſanguinitatis, quod juxta jus antiquum in *Cap. Nullum 7. in cap. De Conſanguinitate 17. cauſ. 35. quæſt. 3.*, & aliis ſimilibus, extendebatur uſque ad ſeptimum gradum incluſive. Nec quid diverſum ex poſt ſtatutum reperitur in ſacris Canonibus, neque pro linea recta, pro qua ſtat præcipua lis inter Doctores; Sic tenent Sanchez *lib. 7. diſp. 51. num. 22.* Fagnan. *in cap. Vir qui 9. de conſanguinitate numer. 31.* ubi dicit certum eſſe Matrimonium inter aſcen- 41

aſcendentes, & deſcendentes non irritari in infinitum jure Eccleſiaſtico; Henno *tom. 2. diſp. ult. de Matrimonio quæſt. 3. concluſ. 1.* Sporer *tom. 3. part. 4. cap. 1. ſect. 4. numer. 67.* Felix Poteſtas *tom. 1. part. 4. num. 4042.* Leander, Tamburinus, Pontius, & alii plures contra Abbatem, Silveſt. Engel, & Reiffenſtuel *lib. 4. decret. tit. 14. num. 25.*, & alios volentes impedimentum conſanguinitatis in linea recta dirimere Matrimonium jure Eccleſiaſtico in infinitum.

42 Impedimentum conſanguinitatis dirimit Matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non ſolum jure humano, ſed etiam Divino, & naturali *Communis*. Et ratio eſt, quia ipſe, inſtinctus naturalis Matrimonium inter parentes, & liberos abhorret propter pudorem; Unde merito, in *Leg. Adoptivus 14. §. 2. ff. de ritu nuptiar.* ſic dicitur: *In contrahendis Matrimoniis naturale jus, & pudor inſpiciendus eſt; contra pudorem eſt autem filiam in uxorem ſuam ducere*. Imo probabiliſſimum eſt dictum impedimentum conſanguinitatis in linea recta dirimere Matrimonia jure naturæ, non ſolum quoad primum gradum, ſed etiam quoad reliquos uſque in infinitum, adeo ut ſi Adam hodie viveret, nullam poſſet uxorem ducere ex univerſo mundo, cum omnes Fœminæ per lineam rectam ab ipſo deſcendant, & ita Eva nullum poſſet ducere maritum, cum omnes homines per lineam rectam ab ipſa deſcendant; Ita Scotus *in 4. diſt. 40. §. De ſecundo*; Fagnanus *in cap. Vir qui 9. de conſanguinit.*, & *affinit. num. 25.*, Roſignolus *contract. 15. de Matrimon. 11. præcept. 10. ſect. 2. num. 3.* citans Gloſſam, & alios plures, Sporer *tom. 3. part. 4. cap. 1. ſect. 1. numer. 68.* Herincx *diſp. 6. de Matrimonio quæſt. 8. numer. 50.* Henno *loc. cit. concluſ. 2.* Reiffenſtuel *loc. cit. numer. 27.* Pirhing. *lib. 4. decretal. tit. 14. num. 9.* Coninch *diſp. 32. de Sacrament. numer. 16.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. num. 2.* Buſemb. *lib. 6. part. 3. cap. 3. dub. 2. num. 4.* S. Antonin., Paludan., Durand., Abbas, Bellarm., Vaſquez, Hurtadus, Meracius, Maſtrius, & alii, *arg. leg. ultim. ff. de ritu nuptiar.* ubi deciditur, jure gentium (per quod intelligitur a juriſconſultis jus naturæ) inceſtuoſas eſſe nuptias in gradu aſcendentium, vel deſcendentium, ibi: „ Jure gentium inceſtum commi„ tit, qui in gradu aſcendentium uxorem duxerit; & leg. „ Nuptiæ 53. ff. eod., ibi: Nuptiæ conſiſtere non poſſunt „ inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorumve „ ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris gradus uſque in infi„ nitum.„ Et ratio eſt, quia in omnibus lineæ rectæ aſcendentibus, quantumvis remotis reperitur ratio principii, & principiati, & aſcendentes veniunt omnes nomine parentum, & deſcendentes omnes nomine liberorum; *arg. cit. leg. Nuptiæ 53. de Ritu nuptiar.* Inter parentes autem, & liberos Matrimonium eſt irritum jure naturæ, adeoque &c. Tum quia, ut obſervant Reiffenſtuel *loc. cit. num. 27.* Henno *loc. cit. concluſ. 2.*, & alii, nullibi legitur Summos Pontifices in tali gradu diſpenſaſſe, quæcumque occurrerit ratio, aut neceſſitas.

44 Contraria tamen ſententia docens dictum impedimentum in linea recta dirimere Matrimonia de jure naturæ ſolum quoad primum gradum, & non quoad alios, eſt vere probabilis, eamque docent S. Thomas *in diſtin. 40. quæſt. 1. articul. 3.*, & *ibi* S. Bonaventura, et Ricardus *quæſt. 2.* Roſenſis *in tract. de Matrimonio Regis Angliæ fol. 3.* Alexander de Ales *in ſecunda parte quæſt. 169.* Auguſtin. Triumph. *in Summa de poteſtate Eccleſ. quæſt. 53. art. 5.*, & 6. Fagnan. *in cap. Vir, qui 9. de conſanguinit.*, & *affinit. num. 35.* Sanchez *lib. 7. diſput. 51. num. 19.* Cajetan. Victoria, Ledeſma, Pontius, Covarruv. Sotus, Valentia, Fagundez, Perez, Bonacina, Averſa, Felix Poteſtas *tom. 1. part. 4. num. 4042.* Pignatell. *tom. 7. conſ. 22. num. 45.* et alii apud La Croix *lib. 6. part. 3. numer. 608.* ubi ultra rationem adductam pro hac ſententia ſolvit etiam rationem opinionis contrariæ.

45 Impedimentum cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis in linea tranſverſali dirimit Matrimonium jure naturæ, ac Divino quoad primum gradum, nempe inter Fratres, & Sorores, excepto caſu abſolutæ neceſſitatis propagandi genus humanum, ut fuit ab initio mundi inter filios, & filias Adæ, & Evæ; Scotus *in 4. dict. 40. quæſt. unic.* ubi ſolvit rationes oppoſitæ ſententiæ, Guttierez *de Matrimonio cap. 98. num. 20.* Roſignolus *loc. cit. ſect. 3. numer. 2.*, & 5. Sanchez *lib. 7. diſp. 52. num. 11.* Reiffenſtuel *loco cit. nu. 28.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 4.* Sporer *loc. cit. nu. 70.* Sotus, Vaſquez, Bellarmin. Valentia, Ledeſma, Bonacina, Henriquez, Perez, & alii plures contra D. Thomam. 2. 2. *quæſt. 154. art. 9.* Cajetanum, Pontium, & alios citatos a Sanchez *lib. 7. diſp. 52. numer. 10.*, & a Felice Poteſt. *tom. 1. part. 4. num. 4042.* Colligitur autem noſtra ſententia *ex Cap. Gaudemus 8. de divortiis*, ubi Pontifex decernit, quod Infideles converſi ad Fidem ſeparari non debeant, ſi in ſecundo, & ulteriori gradu conſanguinitatis exiſtentes antea Matrimonio juncti fuere, quia Legibus Eccleſiæ Infideles non arctantur; ergo a ſenſu contrario, ſi in primo gradu uniti eſſent, deberent ſeparari, eo quod talis gradus jure naturæ dirimat, aliter Pontifex incongrue expreſſiſſet ſecundum, & tertium gradum, ſi etiam primus de jure naturæ non eſſet interdictus. Sic Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonii cap. 5.* decrevit, in ſecundo conſanguinitatis gradu nunquam eſſe diſpenſandum, & ſolum in tali gradu poſſe diſpenſari inter magnos Principes, & ob publicam cauſam, ibi: *In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam*; ergo a ſenſu contrario in primo gradu non; adeoque videtur primus gradus eſſe de jure naturæ, aliter incongrue Concilium expreſſiſſet ſecundum gradum, ſi primus non eſſet de jure naturæ, & Divino.

Et ratio concluſionis eſt, quia ipſa natura ſuadente inter fratrem, & ſororem eſt naturalis quidam pudor, & reverentia, cui valde adverſatur actus conjugalis, utpote, qui turpitudinem quamdam præſefert; Hinc, & ipſamet nationes infideles ſolo lumine naturali ductæ abhorruerunt ab hujuſmodi conjugio, ut colligitur ex Ariſtotele 2. *Politicorum cap. 2.* qui turpiſſimam cenſet conjunctionem fratrum cum ſororibus. Hinc, ut obſervant Reiffenſtuel *loc. cit. num. 29.* Roſignol. *loc. cit. num. 5.* Henno *loc. cit. concl. 3.*, & alii plures, Summi Pontifices nunquam in tali gradu diſpenſarunt ob quamcumque neceſſitatem occurrentem, quamvis Silveſter verb. *Papa quæſt. 17.* referat ex Archidiacono Martinum V. ſemel diſpenſaſſe in tali gradu, ut evitaret gravia ſcandala alias eventura. 46

Impedimentum cognationis naturalis, ſeu conſanguinitatis in linea tranſverſali non dirimit Matrimonium quoad ſecundum, & ulteriores gradus jure naturali, & Divino, ſed ſolum jure Eccleſiaſtico; *Communis*, *arg. Cap. Gaudemus 8. de divortiis*, ubi Matrimonium Infidelium inter conſanguineos in ſecundo gradu agnoſcitur validum, adeoque non eſt contra jus naturæ; & Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonii cap. 5.* ubi expreſſe decernitur poſſe in ſecundo gradu diſpenſari, adeoque ſecundus, & a fortiori ulteriores non dirimunt jure naturæ, aliter Papa in ipſis non poſſet diſpenſare. Et quod dirimat jure Eccleſiaſtico, habetur expreſſe *in cap. Non debet 8. de conſanguinitate, & affinitate*, ubi ſtatuitur dirimere hodie ſolum uſque ad quartum gradum, & reſtringitur jus antiquum, quo tale impedimentum dirimebat uſque ad ſeptimum gradum incluſive, ut patet *ex Cap. Nullum 7.*, & *Cap. De conſanguinitate 17. cauſ. 35. quæſt. 3. cap. Ad Sedem 2. cauſ. 35. q. 5.*, & ſimilibus. 47

Cognatio ſpiritualis eſt propinquitas inter aliquas perſonas proveniens ex diſpenſatione Sacramentali ſolius Baptiſmatis, & Confirmationis: Scotus *in 4. diſt. 42. quæſt. 1. numer. 2.*, & *eſt in re communis*, *arg. tot. Titul. de cognatione ſpirituali*, & *cauſ. 30. quæſt. 1. & 3.* & Concil. Tridentin. *ſeſſ. 24. de reform. Matrimonii cap. 2.* Dicitur notanter *ſolius Baptiſmatis*, & *Confirmationis*, quia per diſpenſationem Baptiſmi, & Confirmationis ſit ſpiritualis quædam generatio; Baptiſmus enim dat primam vitam ſpiritualem, quæ dein per Confirmationem perficitur, & roboratur, ut cum S. Thoma advertit S. Bonaventura *in 4. diſt. 42. art. 1. quæſt. 3.* & notatur *in Cap. Ita diligere 1.*, & *cap. Placitum 2. cauſ. 3. quæſt. 1.* Unde merito per ſolam diſpenſationem Baptiſmi, & Confirmationis, & non per diſpenſationem aliorum Sacramentorum contrahitur cognatio ſpiritualis, ut expreſſe habetur *in cap. Quamvis 3. de cognatione ſpirituali in 6.*, ibi: *Ex datione vero aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat, vel diſſolvat*. Impedimentum cognationis ſpiritualis introductum eſt ſolum jure Eccleſiaſtico; *Communis*, *arg. tot. Titul. de cognatione ſpirituali*, & *cauſ. 30. quæſt. 1.*, & 3. Et juſte convenienterque Eccleſia hoc ſtatuit impedimentum, quia ſicuti ex generatione naturali oritur *cognatio naturalis* Matrimonium dirimens, ita voluit Eccleſia, ut etiam ex generatione ſpirituali *cognatio ſpiritualis* oriretur, pariter Matrimonium dirimens, idque ex decentia, ac reverentia, quam ſpiritualiter nati debent ſuis ſpiritualibus genitoribus, ſicuti 48 49 50

carnaliter, & naturaliter nati debent suis carnalibus, & naturalibus, *genitoribus arg. Cap. Ita diligere* 1. *& Cap. Placitum* 2. *caus.* 30. *quæst.* 3.

51 Cognatio spiritualis antiquo jure erat triplex, scilicet *Paternitas*, *Compaternitas*, *& Confraternitas*. Paternitas spiritualis est propinquitas, seu cognatio spiritualis inter Baptizantem, seu Confirmantem, eorumque uxores, & Baptizatum, vel confirmatum; item inter Baptizati, aut Confirmati Patrinum, ejusque uxorem, & ipsum Baptizatum, seu Confirmatum; *arg. Cap. Pervenit* 1. *cap. Si quis* 2., *& Cap. De eo* 5. *caus.* 30. *quæst.* 1. *cap. Ita diligere* 1. *caus.* 30. *quæst.* 3. *Cap. Nedum inter* 1. *de cognatione spirituali in* 6. cum si-
52 militibus. *Com paternitas spiritualis* est cognatio inter Baptizati, & Confirmati naturales parentes ex una, & inter Baptizantem, & Confirmantem, atque Patrinos, eorumque uxores ex altera parte; *Cap. Si quis* 3. *caus.* 30. *quæst.* 4., *& cap. Nedum inter* 1. *de cognatione spirituali in* 6. cum simili-
53 bus. *Confraternitas spiritualis* est cognatio inter Baptizatum, seu Confirmatum ex una, & filios naturales Baptizantis, seu Confirmantis, atque Patrinorum ex altera; *Cap. Placitum* 2. *& cap. Non oportet* 3. *caus.* 30. *quæst.* 3. *cap. Verum* 1. *cap. Super eo* 3., *& cap. Tua nos* 7. *de cognatione spirituali* cum similibus.

54 Jure autem novo Concil. Trident. *sess.* 24. *de reformat. Matrimon. cap.* 2. ad tollenda multa inconvenientia, & scandala, & præcavenda multa peccata fuit omnino sublata dicta *Confraternitas spiritualis*, & certo modo restricta *Paternitas*, *& Compaternitas*; ita ut hodie non amplius cognatio spiritualis oriatur inter virum, & uxorem simul levantes infantem ex Baptismo, ut olim *ex cap. Quod autem* 5. *caus.* 30. *quæst.* 4. Neque inter Baptizatum, vel ipsius Patrem ex una, & Baptizantis, vel levantis uxorem ex alia parte, ut olim *ex Cap. Martinus* 4. *de cognatione spirituali*. Neque inter Baptizatum, & Confirmatum ex una, & filiam Baptizantis, Confirmantis, levantis, seu tenentis ex altera, ut olim *ex Cap. Ex litteris* 8. *de cognatione spirituali*. Neque inter filium Compatris, & filiam Commatris, & e contra, ut olim *ex Cap. Tua nos* 7. *de cognatione spirituali*. Neque inter filiam spiritualem Baptizatam, & filium carnalem Baptizantis, ut olim *ex Cap. Placitum* 2. *caus.* 30. *quæst.* 3. Neque inter filium Spiritualem levatam de Sacro Fonte, & inter filiam carnalem levantis, seu tenentis, ut olim *ex Cap. Non oportet* 3. *caus.* 30. *quæst.* 3. Neque inter virum, & Commatrem suæ Uxoris defunctæ, & e contra, ut olim *ex Cap. Scisciatur* 1. *caus.* 30. *quæst.* 4. Neque inter Baptizantem, & levantem, levantisque uxorem, & filiam, & hujusmodi.

55 Unde hodie cognatio spiritualis solum contrahitur. I. A Baptizato, vel Confirmato cum Baptizante, vel Confirmante. II. A Baptizato, vel Confirmato cum Patrino, vel Matrina, & hæ duę cognationes dicuntur *Paternitas*, *& Filiatio spiritualis*, *arg. cap. Pervenit* 1. *Cap. Si quis* 2., *& Cap. Deo* 5. *caus.* 30. *quæst.* 1. *Cap. Ita diligere* 1. *caus.* 3. *q.* 3. *Cap. Nedum* 1. *de cognatione spirituali in* 6. III. Contrahitur a Patrino, vel Matrina cum Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati. IV. A Patre, & Matre Baptizati, vel Confirmati cum ipso Baptizante, vel Confirmante, & hæ duæ posteriores dicuntur *Compaternitas*, *& Commaternitas arg. cap. Si quis* 2. *caus.* 30. *quæst.* 4., *& Cap. Nedum* 1. *de cognatione spirituali in* 6. Inter istos igitur solum contrahitur hodie cognatio spiritualis dirimens Matrimonium, & non ultra inter alios, ut expresse decrevit Concil. Tridentinum *sess.* 24. *de reform. Matrimon. cap.* 2., ibi: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus, vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis spiritualis impedimento incipiens statuit, ut unus tantum vir sive mulier juxta Sacrorum Canonum statuta, vel ad summum unus, & una Baptizatum de Baptismo Suscipiant, inter quos, & Baptizatum ipsum, & illius Patrem, & Matrem, necnon inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, & Matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur ... Quod si alii ultra designatos Baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, Constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus .... Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Cognatio spiritualis non oritur ex Baptismo nulliter col- 56
lato, sicuti neque ex Confirmatione nulliter collata; *Communis*. Et ratio est, quia cum ex talibus Sacramentis nulliter collatis nulla fiat generatio, & corroboratio vitæ spiritualis, nulla quoque consurgit *Paternitas*, vel *Compaternitas*, aut *Filiatio spiritualis*, quia quod nullum est, nullum producit effectum: *Cap. Illud* 8. *de jure patronat.* Et juxta *Regulam* 52. *juris in* 6. *Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum*. Cognatio spiritualis contrahitur ab 57
accipiente puerum ab Obstetrice, neque est necesse, ut illum accipiat immediate a manu Baptizantis: *Sac. Congregat. Concil. in dub. cognationis spiritual.* 18. *Decembris* 1688. *lib.* 38. *decret. fol.* 618. Cognatio spiritualis contrahitur etiam 58
in Baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto *Sac. Cong. Concil. in dub. cognat. spirit.* 5. *Martii* 1678. *lib.* 30. *decret. fol.* 33. Cognationis spiritualis in primo gradu dis- 59
pensatio concedi non solet: Sanchez *de Matrimon. lib.* 8. *disp.* 24. *num.* 7. Illam tamen concessam fuisse a Gregorio XIV. testatur Pontius *de Matrim. lib.* 8. *cap.* 17. *numer.* 28., & de Justis *de dispensat. Matrim. lib.* 2. *cap.* 5. *numer.* 74. asserentes infelicem habuisse exitum: Sic apud Ursayam *in Miscellaneo sacro, & prophano primo*, verb. *Cognatio numer.* 189.

Alia concernentia hanc cognationem spiritualem Vide 60
verb. *Baptismus art.* 7. *per totum*, verb. *Cognatio spiritualis*, verb. *Confirmatio art.* 3.

Cognatio Legalis sic est dicta, quia prius a Legibus inven- 61
ta; *leg. Adoptivus* 14. *ff. de Ritu nuptiar. & §.* 1. *ac* 2. *Institut. de Nupt.* ac postea per Sacros Canones recepta est, *cap. Si quis* 1. *de cognatione Legali*: & *cap. Ita diligere* 1. *& cap. Per adoptionem* 6. *caus.* 30. *quæst.* 3. Cognatio Legalis est propin- 62
quitas personarum, quæ ex adoptione provenit, & inter certas personas Matrimonium dirimit; *Est in re communis*: *arg. cit. leg. adoptivus*: *& cit.* §. 1. *& 2. Institut. de Nupt. & cit. cap. Si qui, & cap. Ita diligere* 1. *& cap. Per Adoptionem* 6. *caus.* 30. *quæst.* 3.

Cognatio Legalis est triplex, scilicet Paternitas, Frater- 63
nitas, & affinitas Legalis. *Paternitas Legalis* est cognatio inducens impedimentum in linea recta inter Adoptantem tamquam Patrem legalem, & Adoptatum tamquam Filium, & Adoptati descendentes usque ad quartum gradum; *Est in re communis*, arg. §. 1. *Institut. de Nupt. & leg. Quin etiam* 55. *ff. de Ritu Nupt.* Hæc cognatio semper durat, & dirimit, 64
etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta, *cap. Ita diligere* 1. *caus.* 30. *quæst.* 3. §. 1. *Institut. de nuptiis*, *leg. Quin etiam* 55. *ff. de ritu nuptiar.* Et ratio est, quia, cum hæc cognatio Legalis pariat quamdam conjunctionem similem naturali, & inde oriatur reverentia inter cognatos sic constitutos, talis reverentia debita inter ipsos cognatos adhuc perseverat, nec dissolvitur per dissolutionem adoptionis.

Fraternitas Legalis est cognatio in linea transversali impe- 65
dimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis, & adoptatum tamquam fratres, & sorores Legales: *Est in re communis*, *arg. cap. Si qui* 1. *de cognat. legal. & leg. Qui in adoptionem ff. de adoption.* Hæc cognatio non durat sem- 66
per, sed expirat expirante adoptione; *leg. Per adoptionem* 17. *ff. de ritu nuptiar.*, ibi: „ Per adoptionem quæsita Fraterni-
„ tas eousque impedit nuptias, donec manet adoptio; ideo-
„ que eam, quam Pater meus adoptavit, & emancipavit,
„ potero uxorem habere æque etsi me emancipato illam in
„ potestate retinuerit, poterimus jungi Matrimonio; *& concordat cit. cap. Si qui* 1. *de Cognatione Legali*: ibi: „ Si qua
„ mihi Soror per adoptionem esse cæperit, quandiu durat
„ adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt.

Affinitas Legalis est cognatio inter adoptantem, & inter 67
uxorem adoptati, & vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptantis; *Est in re communis*, *arg. leg. Adoptivus* 14. *ff. de ritu nuptiar.* Hæc cognatio semper durat, & dirimit etiam soluta adoptione: *Communis*, textu expresso *in cit. leg. Adoptivus*, ibi: „ Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ
„ patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia Nover-
„ cæ locum habet „. Ratio autem differentiæ, cur Cogna- 68
tio Legalis in linea recta descendentium, & Affinitatis duret semper, & dirimat Matrimonium etiam soluta per emancipationem adoptione, non autem cognatio transversalis, seu Fraternitas Legalis, est, quia cognatio in linea recta descendentium, & Affinitatis trahit secum majorem reverentiam inter

inter cognatos debitam, quæ semper perseverat; cognatio autem in linea transversali non trahit secum tantam reverentiam, unde soluta per emancipationem adoptione, cessat ipsa Cognatio, & prohibitio de contrahendo Matrimonio in tali linea: Sanchez *lib.* 7. *de Matrimonio disput.* 63. *num.* 24. *in fine*, Rosignol. *controv.* 15. *de Matrimonio* 11. *prænot.* 10. *sect.* 5. *num.* 15. & alii passim.

69 Cognatio Legalis dirimens Matrimonium non oritur inter ipsos filios adoptivos, si plures ab eodem adoptantur, unde valide possunt inter se Matrimonium contrahere; Glossa communiter recepta *in cap. Si qui* 1. *de Cognat. Legali verb. Quandiu de Cognatione Legali*, Divus Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 13. Bonacina *de Matrimon. quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 7. Rosignol. *loc. cit. num.* 16. & alii passim. Nullo enim jure statutum iuventur tale impedimentum; Tum quia inter Filium, et Filiam spiritualem ejusdem Patris spiritualis non verlatur impedimentum, ergo multo minus inter duos adoptivos cum isti minus sint conjuncti, quam illi; *arg. cap. Ita diligere* 1. *caus.* 30. *quæst.* 3.

70 Cognatio Legalis dirimens Matrimonium non oritur inter adoptatum, et Filiam illegitimam adoptantis, nec inter Filiam illegitimam adoptati, et adoptantem, vel legitimos ejus liberos: *Communis*, cum Sanchez *lib.* 7. *de Matrimon. disput.* 63. *num.* 30. Sporer *tom.* 3. *part.* 4. *cap.* 1. *sect.* 1. *num.* 35. Pirhing *lib.* 4. *decretal. tit.* 17. *num.* 9. Reiffenstuel *ibid. num.* 7. Et ratio est, quia illegitimi non veniunt nomine naturalium liberorum, neque sunt sub patris potestate; §. *Si adversus* 12. *Institut. de nupt.* et tali potestate non existente, seu cessante, cessat adoptio, et consequenter etiam Cognatio Legalis, *cap. Per adoptionem* 6. *caus.* 30. *quæst.* 3.

71 Cognatio Legalis dirimens Matrimonium non oritur inter adoptantem, et parentes adoptati, quia nullo jure prohibitum est inter istos Matrimonium contrahi; *Communis* cum S. Thoma *in* 4. *dist.* 42. *quæst.* 1. *artic.* 3. *ad primum*, S. Anto-
72 nin. 3. *part. titul.* 1. *cap.* 13. Tolet. *lib.* 7. *Summæ cap.* 4. *in fin.* Rosignol. *loco cit. num.* 18. Neque Cognatio Legalis dirimens Matrimonium oritur inter Filios duorum Fratrum adoptivorum; Si enim ex dictis *supra num.* 69. duo adoptivi possunt libere contrahere inter se, a fortiori poterunt ad invicem con-
73 trahere eorum Filii; *Communis*. Neque Cognatio Legalis impediens Matrimonium oritur inter Filios legitimos, et naturales patris adoptantis, et Filios adoptivorum; Sic Bonacina *quæst.* 3. *de Matrim. punct.* 5. *num.* 6. Rosignol. *loc. cit. num.* 19. & alii plures. Et ratio est, quia de hac Cognatione nulla fit in jure mentio, & illa tantum debet Cognatio agnosci, quæ in ipso jure exprimitur, unde non debemus extendere hanc Cognationem Legalem ultra terminos, ad quos eadem jura extendunt, ut docet Navarr. *in Manual. cap.* 21. *num.* 45. Nec aliam extensionem per gradus debemus agnoscere præterquam in linea recta; in linea enim transversali, seu collaterali non fit extensio ultra primum gradum; Rosignol. *loc. cit.* Felix Potest *tom.* 1. *part.* 4. *num.* 4031. & alii.

74 Ut facilius percipiantur, quæ de Cognatione Legali dicta sunt, & in dies occurrunt, cum ipsa ex adoptione proveniat, hic aliqua breviter de adoptione traduntur. *Adoptio* igitur *est extraneæ personæ in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps legitima assumptio. Est in re communis.* Per ly *Personæ extraneæ* intelligitur ea, quæ est extra potestatem adoptantis, et a jure, ad quod assumitur, aliena, sive alioquin sit ejus consanguinea, sive non. Per ly *in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps*, denotatur quod non potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, quia, cum adoptio ex genere suo sit superioris ad inferiorem, & per illam adoptatus constituatur sub potestate adoptantis, non potest esse in fratrem, vel parentem, quia isti de genere suo non sunt inferiores, sed vel æquales, vel superiores, & hoc habetur expresse *in leg. Nec apud Cod. de hæred. Institut.* Per ly *legitima assumptio* denotatur, quod ad hoc, ut adoptio sit valida, debet fieri secundum formam a Lege, seu jure præscriptam, scilicet ut adoptio fiat inter præsentes, & non per Procuratorem; *leg. Neque, & leg. Post mortem* §. *Neque ff. de adoption.* Ut adoptans sit masculus; nam fœmina adoptare non potest, nisi ex speciali concessione Principis; §. *Fœminæ* 10. *Institut. de adopt.* Ut 18. annis præcedat adoptatum; §. 4. *Institut. de adoption.* Ut natura sit potens ad generandum; unde Castrati adoptare non possunt; §. 9. *Institut. de adoption.* Vide verb. *Patria Potestas num.* 26. *&* 27. ubi notatur differentia inter Spadones, & Castratos; Possunt tamen adoptare Sacerdotes, quia isti non a natura, seu physice,

sed per accidens, & moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum; Abbas *in cit. cap. Si qui* 1. *de Cognatione Legali num.* 4. Hostiens. *ibid. numer.* 4. & alii passim. Ut adoptans sit sui juris, et major 25. annis, quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum, quæ omnia, et alia habentur *tot. titul. ff. & Cod. de adoption. & institut. eod.*

Adoptio est duplex, una propria, et perfecta, quæ *Ad-* 75
rogatio dicitur, et alia impropria, et imperfecta, quæ *adoptio simplex*, *& in specie* vocatur; *leg.* 1. *ff. de adoption.* Adoptio perfecta, seu *Adrogatio* est illa, per quam adoptatus sui juris existens, Principis Rescripto transit in potestatem Adoptantis, sitque hæres necessarius ex testamento in quarta bonorum parte, ut filius legitimus, et naturalis, *arg.* §. 1. *Institut. de adopt. & leg.* 2. *Cod. eod.* Adoptio imperfecta, seu *Adoptio simplex*, *& in specie*, est illa, per quam adoptatus nondum sui juris existens, auctoritate cujuscumque Judicis competentis ita assumitur in filium, aut nepotem, ut non transeat in potestatem, et familiam adoptantis, sed adhuc maneat sub sui Patris naturalis, aut Avi potestate, nec fiat adoptantis hæres necessarius ex testamento, sed solum ei succedere possit ab intestato; *arg.* §. *Adoptio Institut. de adoption. leg. Generalis ff. de adoption.* Unde, ut vides, in multis differunt inter se Adoptio perfecta, & imperfecta. Primo, Adoptio perfecta, seu *Adrogatio* non potest fieri, nisi auctoritate supremi Principis, et adoptio imperfecta, seu *simplex*, *& in specie* potest fieri auctoritate cujuslibet Judicis, seu Magistratus competentis; *leg. Generalis* 2. *ff. de adoptionibus*, §. *Adoptio Institut. eod. tit.* Secundo Adoptio per- 76
fecta, seu *Adrogatio* transfert jus in Adrogatum, ut non solum succedat ab intestato, sed etiam ex testamento in quarta parte bonorum adrogantis, unde Adrogans non potest penitus privare adrogatum per testamentum omnibus suis bonis, sed tenetur eidem servare quartam partem bonorum pro legitima; §. *Sed hodie Institut. de adoption.* Adoptio autem imperfecta transfert solum jus in adoptatum, ut succedat ab intestato, non vero, ut sit hæres necessarius ex testamento, unde adoptans potest per testamentum de bonis suis disponere in favorem alterius sine læsione, et injuria adoptati, *cit.* §. *Sed hodie Institut. de adopt.* Tertio Adoptio perfecta, seu *Adrogatio* petit, ut a drogatus ante sui assumptionem, seu electionem sit sui juris, cum per adrogationem transeat in potestatem adrogantis; Adoptio vero imperfecta non requirit, quod adoptatus sit sui juris, cum per adoptionem imperfectam adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, adeoque nullum jus lædatur illius, sub cujus potestate est; *leg.* 2. §. *ultim. ff. de adoption.* Sunt adhuc aliæ differentiæ, quæ ut minus principales relinquuntur videndæ apud Legistas *in Institut. ff. & Cod. de adoption.*

Probabile est, quod Cognatio Legalis dirimens Matrimo- 77
nium non solum oriatur ex Adoptione perfecta, seu Adrogatione, sed etiam ex Adoptione imperfecta, seu simplici: Glossa *in cap. Si qui* 1. *de adoptione Legali*, et ibi Abbas *num.* 5. Ancharanus *num.* 8. Covarruv. *part.* 2. *de Matrim. cap.* 6. §. 5. *num.* 2. Guttierez *de Matrim. cap.* 102. *num.* 5. Barbosa *de Officio*, *& potestat. Episcop. allegat.* 51. *num.* 189. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 10. ubi testatur de communi. Et ratio est, quia jura omnia inducentia hanc cognationem ad dirimendum Matrimonium loquuntur indistincte de adoptione, nulla facta mentione de imperfecta, vel perfecta, adeoque intelligenda sunt in tota sua latitudine, et sine ulla restrictione; *cap.* 78
Quia circa 22. *de Privileg.* Non desunt tamen etiam magni nominis Auctores, qui nedum dicunt probabile esse, sed etiam probabilius ex adoptione imperfecta non oriri cognationem Legalem dirimentem Matrimonium, sed tantum ex perfecta; Ita Innocentius *in cap. Si qui* 1. *de Cognatione Legali num.* 1. Silvester verb. *Matrimon.* 8. *quæst.* 8. & varii alii cum Rosignolo *loc. cit. num.* 10.

Crimen dirimens Matrimonium est quadruplex. Primum 79
est solum homicidium. Secundum est homicidium cum adulterio. Tertium est Adulterium solum cum promissione Matrimonii de futuro. Quartum est Adulterium solum cum alio Matrimonio contracto. *Solum homicidium*, scilicet Uxoricidium, vel Mariticidium est impedimentum dirimens, quando Vir, aut Mulier etiam sine adulterio, ex mutuo tamen consensu occidit suam, aut alterius consentientis compartem cum animo Matrimonii inter se post mortem alterius conjugis contrahendi; *Communis arg. cap. Laudabilem* 1. *de conversion. infidelium*, *& cap. Si quis vivente* 5. *caus.* 31. *quæst.* 1. 80

Ut autem tale homicidium sine adulterio caulet impedi- 81

mentum, requiruntur tres conditiones. Prima, ut tam Vir, quam Mulier contrahere volentes moraliter, vel physice, concurrant ad mortem conjugis innocentis; non enim sufficit, si unus tantum, vel una sine scitu, vel consensu alterius ad talem mortem concurrat, *arg. cit. cap. Laudabilem 1. de convers. infidelium*. Secunda, ut mors ex mutua eorum machinatione revera, & in effectu sequatur, non enim sufficit sola mera machinatio, si mors non sequatur; *Communis arg. cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quæst. 1. & cit. cap. Laudabilem 1. de convers. Infidelium*. Tertia, ut conspiratio illa in mortem conjugis innocentis, ac mortis machinatio fiat, ex, vel cum intentione contrahendi invicem Matrimonium morte secuta, non enim sufficit, si fiat ex alio fine, seu motivo, v. g. ex odio, vindicta, & hujusmodi; *Communis, arg. cit. cap. Laudabilem, & cit. cap. Si quis caus. 31. quæst. 1.* ibi: *Occidisse notetur, ut conjungeretur*, ut notat *ibid.* Glossa.

82 *Homicidium cum adulterio* est impedimentum dirimens, quando solus adulter commisso adulterio occidit suam Uxorem, aut sola adultera suum Maritum etiam absque conspiratione cum complice, ex intentione tamen perveniendi ad Matrimonium cum complice adulterii; *Communis, argument. cap. Significaverit nobis 2. & cap. Super hoc 3. de eo, qui duxit in Matrimonium, & cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quæst. 1.*

83 Ut tale homicidium cum adulterio causet impedimentum requiruntur etiam tres conditiones. I. Ut unus complicum adulterii sit vera causa physica, aut moralis cædis conjugis innocentis, sola enim ratihabitio cædis jam factæ, aut approbatio non sufficit; *Communis argument. cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quæst. 1. cap. Significasti 6. de eo, qui duxit in Matrimonium*. Nec requiritur, quod uterque concurrat, sed sufficit, si unus solus eorum, etiam altero inscio id faciat; *argument. cit. cap. Si quis vivente*, ibi: *Nisi forte vir, aut mulier*; *& cit. cap. Significasti*; ibi: *Nisi alter eorum in mortem fuerit machinatus*. II. ut mors ex tali machinatione realiter, & in effectu sequatur. Non enim sufficit sola machinatio, si revera mors non sequatur; *Communis, argument. cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quæst. 1. & cap. Laudabilem 1. de convers. Infidel.* III. Ut machinatio in mortem conjugis innocentis fiat ab alterutro eo fine, & animo contrahendi Matrimonium cum complice adulterii: Non enim sufficit, si fiat ex alio fine, aut motivo, v. gr. ex odio, vindicta, & hujusmodi; *argument. cit. cap. Laudabilem 1. de convers. Infidel., & cit. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quæst. 1.* ibi: *Occidisse notetur, ut conjungeretur*, ut notat *ibid.* Glossa.

84 *Adulterium solum cum promissione Matrimonii de futuro* est impedimentum dirimens, quando adulter, & adultera, sive ante, sive post adulterium commissum promittunt, & fidem dant de Matrimonio post mortem conjugis contrahendo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint; *Communis argument. cap. Relatum est 4. caus. 31. quæst. 1. cap. Propositum 1. cap. Ex litterarum tuarum 4. cap. Significasti 6. & cap. Veniens 7. de eo, qui duxit in Matrimonium*.

85 Ut tale adulterium solum cum promissione Matrimonii de futuro causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones. I. Ut intercedat fœria, & acceptata ab altera parte promissio de futuro Matrimonio: Non enim sufficit adulterium sine tali acceptata promissione; *Communis argument. cap. Significasti 6. cap. Veniens 7. & cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in Matrimonium*. Nec refert, an adulterium præcedat, vel subsequatur talem promissionem; textu expresso *in cit. cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in Matrimonium*, ibi: *Si prius vel postea . . . illam adulterio polluisset*. II. Ut promissio, & adulterium facta sint vivente eodem conjuge: Non enim sufficit, si fiant post mortem ipsius; *Communis argument. cap. Significasti 6. cap. Veniens 7. & cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in Matrimonium*, ubi semper dicitur: *Si vivente Uxore*. III. Ut uterque adulterans sciat alterum esse conjugatum: Non enim sufficit, si neutra, vel altera pars nesciat se committere adulterium; *Communis, argument. cap. Propositum 1. de eo, qui duxit in Matrimonium*, ibi: *Quia tamen mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem; & cap. Veniens 7. eodem*. IV. Ut adulterium sit perfectum, & consummatum: Non enim sufficit copula solum attentata; *Communis* cum Glossa *in cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in Matrimonium, verb. Cognovit*, Joannes Andr. *ibid. num. 4.* Abbas *ibid. numer. 6.* Barbosa *ibid. num. 4.* Et ratio est, quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum; *arg. cap. Adolescens 32. de sponsalibus*.

Adulterium solum cum alio Matrimonio contracto est impedimentum dirimens, quando adulter vivente legitima sua Uxore cum altera adultera contrahit per verba de præsenti, vel adultera vivente legitimo suo Marito cum alio adultero per verba de præsenti contrahit; tunc enim etiam mortua Uxore adulteri, vel Marito adulteræ contrahere numquam possunt; *Communis, arg. cap. Propositum 1. cap. Cum haberet 5. cap. Veniens 7. cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in matrimonium*. 86

Ut tale adulterium solum cum alio Matrimonio contracto causet impedimentum dirimens, requiruntur duæ conditiones. 87

I. Ut Matrimonium cum primo conjuge sit validum: Non enim sufficit Matrimonium ex aliqua ratione invalidum; *Communis, arg. cap. Significavit 2. de eo, qui duxit in Matrimonium*.

II. Ut Matrimonium cum primo conjuge contractum sit notum secundo conjugi: Non enim sufficit primum contractum Matrimonium, si secundus conjux ipsum penitus ignoraverit; *Communis, arg. cap. Propositum 1. & cap. Veniens 7. de eo, qui duxit in Matrim.*

Criminis impedimentum non est inductum jure naturæ, vel Divino, ut patet in Davide, qui post adulterium, & occisionem Uriæ, duxit ejus Uxorem Bethsabæam, sed solum jure Ecclesiastico; *Communis, arg. cap. Si quis vivente 5. caus. 31. quæst. 1. cap. Propositum 1. cap. Significavit 2. cap. Super hoc 3. cap. Cum haberet 5. cap. Significasti 6. cap. Veniens 7. & cap. Si quis 8. de eo, qui duxit in Matrimonium*. 88

Hinc, si duo infideles pro tempore infidelitatis commisissent tale crimen, & postea conversi ad Fidem inter se contraherent, valide contraherent, quod non possent, si tale impedimentum esset inductum jure naturæ, cui & ipsi infideles subduntur, licet non subdantur juri Ecclesiastico; *Communis*. Non sic autem, si tale crimen fuisset commissum a duobus, quorum unus esset fidelis, & alter infidelis; tunc enim non posset hic alteri post Baptismum jungi Matrimonio; *Communis arg. cap. Laudabilem 1. de convers. Infidelium*. Et ratio est, quia tunc impedimentum ab Ecclesia statutum directe in fidelem, redundat eiiam in infidelem, siquidem impedimentum ex parte unius in contractibus correspectivis invalidat contractum etiam respectu alterius, ut patet in impedimento Voti solemnis in Professione Religiosa, quod quamvis in uno tantum reperiatur, reddit tamen Matrimonium invalidum etiam respectu alterius. 89 90

Cultus disparitas, seu diversitas Religionis dirimit Matrimonium inter fidelem, & infidelem, seu baptizatum, & non baptizatum; *Communis arg. cap. Cave 15. caus. 28. quæst. 1. & tota fere illa quæstione*. Et ratio est, quia non patet aditus ad alia Sacramenta sine Baptismo, cum Baptismus sit janua Sacramentorum. Hoc impedimentum non est inductum jure naturæ, aut Divino, sed solum jure Ecclesiastico, si non scripto, saltem consuetudinario, consuetudine, & perpetuo usu Ecclesiæ approbante; Scotus *in 4. dist. 39. quæst. unic. art. 2.* & ibi S. Bonav. *art. 1. qu. 1.* Coninch. *de Matrim. disp. 21. num. 41.* Sanchez *lib. 7. disp. 71. num. 7.* Perez. *disp. 36. sect. 1. num. 4.* Sporer *tom. 3. part. 4. cap. 1. sect. 1. n. 115.* Reiffenstuel *lib. 4. decret. tit. 1. num. 355. & sequent.* & alii communiter; Tempore enim Legis naturæ Esau duxit Uxores Chananæas, *Genes. 16.* Joseph duxit Uxorem Aseenet Ægyptiacam, *Genes. 41.* Tempore Legis scriptæ Moyses accepit Sephoram Æthiopem, *Exod. 2.* Salomon plurimas uxores Idololatras, *2. Reg. cap. 1. & 2.* Esther duxit Assuerum Chaldæum *Esther. 2.* 91

Si ex duobus conjugibus Infidelibus unus convertatur ad Fidem, & alter monitus, & rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc Matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum; ita ut conjux Fidelis possit aliud Matrimonium contrahere cum Fideli ante omnem sententiam, Colligitur *ex prima ad Corinth. cap. 7.*, ibi: *Quod si Infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (idest ligamini conjugali) *subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi*, & ex *cap. Si infidelis 2. caus. 28. qu. 2.* ubi sic expresse habetur: *Contumelia quippe Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur; Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in Matrimonium, nec est ei fides servanda Conjugii &c. & c. Quanto 7. de divortiis* ibi: *Si enim alter Infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel sine blasphemia Divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, si cohabitare* 92 93

zare volente, qui relinquitur, ad secunda voluerit vota, transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: Si Infidelis discedit, discedat; Frater enim, vel Soror non est servituti subjectus in hujusmodi, & Canonem etiam, in quo dicitur, Contumelia Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur, & Glossa *ibid.* verb. *Contumelia*, ubi adducit sequentes versus:

Deserere spernentem, vel blasphemare volentem.
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

94 Non potest autem Fidelis conversus solvere Matrimonium quoad vinculum, quando Infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti; Colligitur *ex prima ad Corinth. cap. 7.*, ibi: *Si quis Frater Uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si quæ Mulier virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum*, & ex *cit. cap. Si infidelis 2. caus. 28. quæst. 2. & cit. cap. Quanto 7. & cap. Gaudemus 8. de divortiis*. Et tenent S. Thomas *in 4. dist. 39. quæst. unic. art. 5. in corpore*, & ibi S. Bonavent. *art. 2. quæst. 1.* S. Antonin. *3. part. tit. 2. cap. 6. not. 3.* & alii passim.

95 Nec etiam solvitur Matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad Infidelitatem, seu labatur in Hæresim, textu expresso in *cit. cap. Quanto 7. de divortiis*, ibi: *Si vero alter Fidelium conjugum, vel labatur in Hæresim, vel transeat ad Gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu, is, qui relinquitur, vivente altero, possit ad secundas nuptias convolare*; & tenet communis Doctorum cum S. Th. *in 4. dist. 39. art. 1. in corpore*, ubi dicit: *Si vero infidelitas conjugis Matrimonium sequatur, non propter hoc vinculum Matrimoniale dirimitur, sed potest fieri separatio a thoro, & cohabitatione, sicut & propter fornicationem carnalem*, & quod non solvatur tale vinculum propter Hæresim, definivit Concil. Trident. *sess. 24. de Matrim. can. 5.*, ibi: *Si quis dixerit, propter Hæresim, aut molestam cohabitationem . . . . a conjuge posse dissolvi Matrimonii vinculum, anathema sit*.

96 Imo nedum non dirimuntur Matrimonia propter Hæresim sed & valide contrahuntur cum Hæreticis, si ritu Catholico contrahantur; Sic S. Th. *in 4. dist. 39. quæst. unica art. 1. ad 5.* S. Bonavent. *in 4. distin. 39. quæst. 1. art. 1.* Abbas *in cap. Si conditiones 7. de conditionibus appositis num. 5.* & ibi Cardinalis *n. 3.* Joan. Andr. *num. 8.* Sanchez *lib. 7. disp. 72. numer. 2.* & communis aliorum, *arg. cap. Decrevit 14. de Hæreticis in 6.* Quinimmo secundum Sanchez *loc. cit. numer. 5.* Azorium *lib. 8. cap. 11. quæst. 5.* & varios alios, Matrimonia cum Hæreticis nedum sunt valida, sed insuper sunt licita *in locis*, ubi Hæretici, & Catholici permixti vivunt. Vid. tamen verb. Hæreticus *a num. 20. ad 26.* ubi affertur in contrarium novissimum Decr. Clementis XI. sub die 16. Junii 1710. relat. a Card. Petra tom. 4. Commentar. in Constitut. 12. Joannis XXII. *numer. 14.* Vide ibi, ubi multa sapientissime adducit ad rem.

97

98

99 *Vis*, seu violentia, quantum ad præsens, est metus gravis, & injuste incussus, inducens virum, seu Fœminam ad contrahendum Matrimonium, quod alioquin nullo modo contraxisset, nisi ad id metu illo, seu violentia fuisset compulsus, seu compulsa; *Est in re communis; arg. cap. Abbas 2. cap. Ad audientiam 4. & cap. Cum dilectus 6. de his, quæ vi, metusve causa fiunt; & leg. Metum autem ff. eod.* Vis, & metus est duplex, scilicet gravis, seu cadens in constantem virum, & levis, seu cadens in virum inconstantem. Metus gravis, seu cadens in virum constantem, est ille, quem vir constans, & fortis prudenter, & rationabiliter concipit de gravi malo sibi, aut consanguineis, vel affinibus inferendo; *Est in re communis, arg. cit. leg. Metum autem, & cit. cap. Ad audientiam*. Metus levis, seu cadens in virum inconstantem, est ille, quem vir pusillanimis concipit de levi tantum malo, aut gravi quidem, sed inmerito, ac irrationabiliter, & imprudenter, cum non certa, prudenti, & rationabili, sed solum levi, & irrationabili sua æstimatione tale grave malum ei immineat, & sit eventurum; *Est in re communis arg. cit. leg. Metum autem, & cit. cap. Ad audientiam 4. & cit. cap. Cum dilectus 6. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*.

100 Ad metum gravem quatuor conditiones requiruntur. Primo quod malum, quod timetur, sit grave in se, & non solum in vana æstimatione metuentis. Secundo quod cum rationabili fundamento, & non leviter, & imprudenter timeatur. Tertio ut metum incutiens potens sit minas exequi. Quarto quod is, qui timet, non possit ullo modo minanti resistere, aut vitare malum, quod timet; Quod si alterutra harum conditionum deficiat, metus erit levis, seu cadens in virum inconstantem; *arg. cap. Cum dilectus 6. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*.

Metus alius est incussus a causa intrinseca, & alius a causa extrinseca libera. Primus est metus intrinsecus ab ipsomet metuente susceptus, vel ex propria passione, vel ex causa naturali, ut est metus mortis imminentis ob morbum, naufragium, bestias; item metus inferni, & hujusmodi. Secundus est metus extrinsece ipsi metuenti ab alio homine incussus, ut cum quis minatur alteri mortem, mutilationem, carcerationem, spoliationem bonorum, & hujusmodi, nisi suæ voluntati adhæreat. Insuper metus alius est juste incussus, & alius injuste. Metus juste incussus est, cum quis minatur alteri gravem pœnam, nisi faciat aliquid, ad quod de justitia tenetur, v. gr. nisi ducat, vel dotet puellam, quam violavit. Metus iniuste incussus e contra est, cum quis minatur alteri gravem pœnam, nisi faciat aliquid, ad quod de justitia non tenetur, v. gr. nisi ducat puellam, cui nec ratione violationis tenetur. 101 102

Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso Jure nullum, & invalidum: *Communis; arg. cap. Cum locum 14. de Sponsalibus*, ubi dicitur, quod contracturus Matrimonium *plena debet securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire, & capit. Veniens 15. & cap. Consultationi 28. eod.* Metus gravis injuste incussus dirimit Matrimonium Jure naturæ; S. Thoma *in 4. dist. 29. quæstion. 1. art. 3.* S. Bonaventura *ead. dist. num. 5.* Scotus *ead. dist. 29. quæst. unic. §. de Secundo*, Covarruvias *p. art. 3. de Matrimonio cap. 3. §. 5. numer. 6.* Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit. 41. num. 48. & sequent.* & alii plures, *arg. cit. cap. Cum locum 14. de Sponsalibus*, ubi dicitur: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit*. Sine consensu autem Matrimonium est nullum Jure naturæ, adeoque &c. Metus levis etiamsi sit injuste incussus, non invalidat, nec dirimit Matrimonium; *Communis*, textu claro in *cap. Cum dilectus 6. de his, quæ vi metusve causa fiunt, & leg. Metum autem ff. eod. & arg. cap. Veniens 15. & cap. Consultationi 28. de Sponsalibus*, ubi requiritur, quod metus sit talis, qui cadere possit in virum constantem, scilicet gravis. 103 104 105

Metus gravis ab intrinseco proveniens non invalidat, nec dirimit Matrimonium; *argum. cap. Sicut Nobis 17. de Regularibus*, ubi votum Religionis emissum a constituto in lethali infirmitate censetur validum, & servari jubetur, ergo a pari idem dicendum est de Matrimonio contracto ex metu gravi ab intrinseco proveniente, v. g. de eo, qui metu imminentis mortis, & timore inferni contrahit Matrimonium cum concubina; Ita Covarruvias *de Matrimonio p. 2. cap. 3. §. 4. num. 26. & sequent.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 26.* Sanchez *lib. 4. de Matrimonio disp. 12. num. 4. & sequent.* & alii passim. Nec etiam invalidat, & dirimit matrimonium metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus; *Communis; arg. cap. ex litteris 10. de sponsalibus*, ubi matrimonium ante promissum, si contrahatur metu excommunicationis per Judicem infligendæ, validum censetur, & *cap. Pervenit 2. de adulter. & stupr.* ubi ille, qui ob stuprum ad ducendam stupratam obligatus, renuit nubere, jubetur excommunicari, & sic indirecte cogi ad nubendum, *& leg. Continet 3. §. 1. ff. Quod metus causa*. 106 107 108

Alia. Vide verb. *Metus*.

Additio ex Supplemento Auctoris ad verb.
Adulterium.

Adulterium præcedens, secluſa machinatione, & fide futuri Matrimoni, non est impedimentum dirimens Matrimonium; Benedictus XIV. tom. 1. Constitut. 113. incipit, *Redditæ §. 12.* 109

Novæ additiones ex aliena manu,

DE ratione probandi impedimenta matrim. non inutile est hic differere. Distinctio autem in subjecta materia recepta est, quod aut sumus in matrimonio nondum contracto im- 1 2

3 impediendo, & levis sufficit probatio. Aut vero in matrimonio versamur, jam contractu dirimendo, & probatio requiritur plenissima. Idque adeo verum est, ut hoc in casu, nec utriusque sponsi confessio de impedimento attendi queat, ut communiter firmant *Schmalzgrueb. Jur. Eccles. univ. lib.4. part.3. tit.13. num.30. & sequent. Picher Jur. Canon. lib. 3. tit.13. num.7. Sanchez de Matrim. lib.2. disput. 45. numer. 3. Molin. de Rit. Nuptiar. lib. 1. comparat. 15. numero 32. & plur. sequent. Paninoll. decis.19. adnotat. 3. numer.52.55. & sequent.*

4 Quæstionis vero est, an idipsum obtineat si confessio hæc emissa sit a sponsis ante matrimonium contractum? Affirmare videtur Rota *cor. Penia decis.*211, ea de ratione, quod emissa sit eo tempore, quo suspicio collusionis cadere haud potest.

5 At confessio conjugum de impedimento sive emissa sit matrimonio constante, sive ante contractum matrimonium re-
6 jicienda indistincte est, idque quia Sacri Canones dum disponunt, ne stetur Confessioni Conjugum de impedimento, se se fundant, non in periculo solum collusionis, sed & in præjudicio inde obveniente Proli, aliisque bonis matrimon., ut notant *Barbos. in Collectan. dd. in decretal. lib.4. tit.13. cap.*
7 *Super eo num.3. Wagnereck. in Commentar. exeget. Sacr. Canon. lib.4. tit. 13. dict. cap. Super eo not. 1. Pirhing. in Jus Canon. lib.4. tit.13. §. 3. num.17. Schmalzgrueb. Jur. Eccles. univers. lib.4. part.3. tit.13. num.33. Picler. Jur. Can. lib.4. tit.13. num.17. Molin. de Rit. Nupt. lib.1. comparat.15. numer.41. in fin.* Hoc autem præjudicium, quum æque urgeat, si Confessio Conjugum de Impedimeto emissa sit vel matri-
8 monio constante, vel ante matrimonium contractum, utroque propterea casu rejici debet, ut sensit Rota *in Compostellana* 10. *Januarii* 1757. §.12. *cor. R. P. D. Canilliac*, & 27. *Novembris* 1758. §. 13. & 15. *coram Reverendiss. P.D. Bussio Decano*.

9 Quod vero attinet *ad decisionem* 211. *Peniæ*, satis est animadvertere, quod Rota *in decisione illa* citra ullam causæ necessitatem dixit standum esse Confessioni Conjugum de impedimento emissæ ante contractum matrimonium, eo quia revera non concurrebat confessio hæc, ut patex ex *nu.* 16. Vulgatissimum autem est, nequaquam esse attendenda quæ supremum hoc Tribunal præter necessitatem causæ tangit.

10 De singulis impedimentis, de quibus hoc in articulo agit Auctor, aliqua supplere utile esset, sed prolixum nimis. Potius in sequenti articulo aliqua addemus de impedimentis illis, de quibus frequentius in Foro disputari contingit.

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt alia septem impedimenta dirimentia.

1 ORdo quantum ad præsens est impedimentum quo Clerici in sacris Ordinibus constituti, fuerunt ab Ecclesia inhabiles redditi ad valide contrahendum Matrimonium, ut patet *ex cap. De Diacono* 1. *cap. Ex Litterarum* 2. *Qui Clerici, vel voventes, cap. Si qui Clericorum* 1. *de Clericis conjugatis*, & concordant *capit. Presbyter* 8. *distin.*27. *cap. Presbyter* 16. *dist.*28. cum similibus, & expresse definivit Concilium Trident. *sess.*24. *de Matrimon. Canon.*9., ibi: *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto . . . . . anathema sit*.

2 Etiam Græci in Majoribus constituti, non possunt Matrimonium, nec valide, nec licite contrahere, quamvis post contractum Matrimonium possint suscipere Sacros Ordines, & in his constituti cum Uxore, quam prius duxerant, conjugaliter vivere; Azorius *part.*1. *lib.*13. *cap.*12. *quæst.* 5. Sanchez *lib.*7. *disp.*28. *num.*3. Reiffenstuel *lib.* 4. *decretal. tit.*6. *num.*4. & alii passim id ostendentes ex ipso Græcorum usu, ac moribus, *arg. cap. Cum olim, de Clericis conjugatis, cap. Si quis eorum dist.* 32. & similibus.

3 Ordo Sacer est quidem impedimentum dirimens respectu matrimon. contrahendi, sed non dirimit matrimonium jam prius contractum, ut dirimit Votum solemne Professionis
4 Religiosæ per Jura adducta *articul. antecedent. sub num.* 25. & 26. Ordo Sacer dirimit matrimonium solum Jure Ecclesiastico; S. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.*11. Scotus *in* 4. *dist.*37. *quæst. unic.* Pirhing. *lib.*4. *tit.*6. *num.*6. Reiffenstuel *ibidem num.*15. & 17. & *communis* aliorum, & colligitur ex Concil. Trident. *sess.*24. *de Sacramento Matrimon. Canon.* 9. (textum vide supra *numer.*1.) ubi impedimentum hoc dirimens expresse adscribitur *Legi Ecclesiasticæ*, & *Voto*, non quidem simplici, cum illud non dirimat; *argum. capit. Consuluit* 4. & *capit. Rursus* 6. *Qui Clerici, vel Voventes*, sed solemni. Voti autem solemnitas, ejusque vis dirimendi provenit solum a Jure Ecclesiastico; *cap. unico de Voto in* 6., ibi: *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*, & idem declaravit Gregorius XIII. Constit. incip. *Ascendente*. Sic etiam Votum simplex Societatis Jesu solum cœpit esse dirimens per dictam Constitutionem Gregorii XIII. *Ascendente*, ante quam non dirimebat.

Clericus in Sacris Ordinibus constitutus Matrimonium, 6
contrahens, præter nullitatem Matrimonii, incurrit ipso facto Excommunicationem, & Irregularitatem, *capit. Si qui Clericorum* 1. *de Clericis conjugatis*, & *Clementin. unic. de consanguinat. & affinitat.* ibi: *Clericos in Sacris Ordinibus constitutos Matrimonium contrahentes . . . . , Excommunicationis sententiæ ipso facto subjacere decernimus.* Insuper Concilium Neocæsariense *in cap. Presbyter* 9. *dist.*28. ab Ordine illum deponi jubet, ibi: *Presbyter, si uxorem duxerit, ab Ordine illum deponi debere, &c.* Quod Glossa explicat de depositione Officii, ut observat etiam Pignatell. *tom.*8. *consult.*63. *num.*32. sicut ipse, nedum Officio, sed & quolibet Beneficio Ecclesiastico privari debet, *capit. Decernimus*, 2. *dist.*28. ibi: *Decernimus, ut hi qui in Ordine Subdiaconatus, & supra, uxores duxerint . . . . Officio, atque Beneficio Ecclesiastico careant*, & concordant *cap. Si qui Clericorum* 1. *cap. Quod a te* 3. *de Clericis conjugatis* cum similibus. Potest tamen talis Clericus, dimissa uxore invalida, post longam 7
pœnitentiam, & laudabilem vitam absolvi, dispensari, & suis Officiis restitui ab Episcopo; *cit. Clementin. unica, de consanguinit. & affinit. & cap. Si qui Clericorum* 1. & *cap. Sane Sacerdotes* 4. *de Clericis conjugatis*, ibi: *Post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes Officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi ejus executionem habere*.

Ligamen est vinculum conjugum ortum ex Matrimonio ra- 8
to, vel consumato, utroque conjuge vivente. *Est in re communis, arg. cap. Gaudemus* 8. *de divortiis*, cum similibus. Hoc impedimentum dirimit Matrimonium, nedum Jure 9
Ecclesiastico, sed etiam Jure divino. *Communis, ex cap. Gaudemus* 8. *de divortiis*, & Concil. Trident. *sess.* 24. *de Sacramento Matrimonii Canon.* 2. ubi expresse sic definivit: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit*. Et merito Concilium sic definivit: habetur enim hoc *ex Mat. hæi-* 10
19. *Marci* 10. & *Luc.* 16. Unde SS. Patres, qui in veteri Testamento plures Uxores habuerunt, ex Divina revelatione, atque dispensatione eas duxerunt, & retinuerunt propter necessitatem multiplicandi Fideles, ut respondent communiter Doctores; *argument. citat. cap. Gaudemus* 8. *de divortiis*.

Neutri Conjugum licet, vel permitti potest quavis auctoritate transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius, textu expresso *in Cap. In præsentia* 19. *de sponsalibus*, & *cap. Dominus* 2. *de secundis nuptiis*. Si tamen quis sine tali morali certitudine de morte 12
alterius conjugis transiit ad secundas nuptias, illicite quidem, sed valide contraxit, si revera, quando contraxit, prior conjux erat mortuus, quia pro nunc non erat ligamen; *arg. cap. Dominus* 2. *de secundis nuptiis*. Certitudo autem mora- 13
lis habetur, quando adest attestatio legitima Parochi, vel alia publica, & authentica facta a Magistratu Ecclesiastico, Politico, aut Militari, vel a Notario publico, aut alia persona publica auctoritate constituta, aut duorum testium de visu; Sed quoad hoc est omnino servanda Instructio emanata a Sacra Congregatione Supremæ, & Universalis Inquisitionis, quæ asservatur in Cancellariis Episcopalibus, & adducitur a Monacelli *tom.* 3. *in Appendice ad formularium Instruction.* 6. ubi adducit etiam dubia aliquot circa exterorum Matrimonia cum responsionibus Sacr. Cong.

Qui stante dubio de morte conjugis Matrimonium cum 14
alio habente bonam fidem contrahit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest; *Communis*, textu expresso *in cap. Dominus* 2. *de secundis nuptiis*. Si autem deponat

15 nat prudenter dubium, etiam petere potest, *Communis, argum. cit. cap. Dominus, & Cap. Inquisitioni* 44. *de sententia Excommunic.* Si vero ambo conjuges in dubio de morte
16 Conjugis contrahunt, ambo privati existunt Jure tam petendi, quam reddendi, donec prudenter tale dubium deponant, *Communis, ex cit. Cap. Dominus, & cit. Cap. Inquisitioni*.

17 Si post Matrimonium etiam bona fide ab utroque Conjuge contractum constiterit Conjugem putatum mortuum, adhuc vivere, statim sunt separandi, & qui contraxerat alterum Matrimonium, debet ad priorem Conjugem omnino redire, *Communis*, textu expresso *in cit. C. Dominus* 2. *de secundis nuptiis, & cit. Cap. Inquisitioni* 44. *de sententia excommunic.*

18 Si autem deprehendatur vixisse quidem priorem Conjugem tempore contracti secundi Matrimonii, sed modo certo constet e vivis excessisse, adhuc separandi sunt a Thoro, quia tale secundum Matrimonium fuit invalidum, *arg. cit. Cap. Dominus, & Regul.* 18. *Juris in* 6. ubi sic expresse statuitur: *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit*. Et si velint cohabitare ut Conjuges, tenentur de novo legitime contrahere, Si autem nolint de novo contrahere, non possunt ad hoc cogi, cum nullo Jure ad hoc adstringantur, quamvis maxime expediat ad multas tricas evi-
19 tandas. Si tamen tale Matrimonium secundum fuit contractum ex judicio, & assensu Ecclesiæ, Filii ex ipso nati reputantur legitimi, & admittendi sunt ad hæreditatem, *Communis*, textu expresso *in cap. Perlatum est* 7. *Qui Filii sint legitimi*.

20 *Honestas* publica est propinquitas Jure Ecclesiastico oriens ex Sponsalibus, aut ex Matrimonio rato. *Est in re communis, arg. cap. Juvenis* 3. *cap. Ad audientiam* 4. *cap. Sponsam* 8. *de Sponsalibus, & Matrim. cap. unic. de Sponsalibus in* 6. *Cap. Si quis desponsaverit* 11., & *cap. Si quis uxorem* 14. *cauf.*27. *quæst.*2. cum similibus. Impedimentum publicæ ho-
21 nestatis introductum est Jure Ecclesiastico, *Communis* ex mox
22 *citatis Juribus*. Jure antiquo hoc impedimentum dirimebat inter Sponsum, & consanguineos sponsæ, & e converso, usque ad quartum gradum, *arg. Cap. Sponsam* 8. *de sponsalibus*. Et oriebatur ex quibusvis Sponsalibus de futuro, & præsenti, etiamsi fuissent invalida, dummodo non es-
23 sent invalida ex defectu consensus, textu expresso *in Cap. unico de Sponsalibus in* 6.. Hodie autem rigor dicti Juris antiqui non amplius viget, cum correctus, & temperatus sit a Concilio Tridentino *sess.* 24. *de reformat. Matrimon. cap.* 3. his verbis: „ Justitiæ publicæ honestatis impedimen„ tum, ubi sponsalia quacumque ratione invalida erunt, „ Sancta Synodus prorsus tollit; Ubi autem valida fuerint, „ primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus „ gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dis„ pendio observari; Ubi, ut vides, declaratur, quod im-
24 pedimentum publicæ honestatis non amplius oriatur ex Sponsalibus invalidis. Et quod ortum ex Sponsalibus validis, dirimat inter Sponsum, & consanguineos Sponsæ, & e converso, solum usque ad primum.

25 Impedimentum autem hoc ortum ex Matrimonio rato, & nondum consummato, sive valido, sive invalido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, dirimit etiam nunc, sicut olim usque ad quartum gradum inclusive: quia Tridentinum circa hoc nihil immutavit, ut expresse declaravit S. Pius V. Constitut. incipient. *Ad Romanum*, ibi: *Motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, & procedere de Sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio sicut præfertur contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis gradibus, & casibus, in quibus de Jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus judicare debere mandamus, atque statuimus*. Unde, ut vides, si Matrimonium tuum fuit invalidum, ex quocumque alio impedimento, quam ex defectu consensus, V. G. ex impedimento Voti, Sacri Ordinis, Ligaminis, Consanguinitatis, Affinitatis, Criminis, & hujusmodi, contraxisti hoc impedimentum cum consanguineis uxoris tuæ putatitiæ, & illa vicissim cum consanguineis tuis usque ad quartum gradum inclusive, quia *ex Cap. unico de Sponsalibus in* 6. non correcto per Tridentinum, hoc impedimentum oriebatur etiam ex Sponsalibus de præsenti invalidis, seu ex Matrimonio rato etiam invalido; dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, qua invaliditate interveniente, puta defectu consensus, ut si contraxisti cum errore personæ, cum ignorantia qualitatis servilis, ex metu gravi injuste incusso, & hujusmodi, non contraxisti hoc impedimentum, cum Matrimonium invalidum defectu consensus non pariat publicam honestatem, ut expresse habetur *in dict. cap. unico de Sponsalibus in* 6. non correcto a Tridentino, & consequenter remanente in suo robore per allatam declarationem Sancti Pii V. Totum exemplificatur variis casibus.

I. Si Paulus V. G. contraxerit cum Francisca Sponsalia de præsenti, seu Matrimonium ratum invalidum, non ex defectu consensus, sed ex alio defectu, seu quocumque alio impedimento, puta Voti, Sacri Ordinis, consanguinitatis, affinitatis, criminis, & hujusmodi, non poterit ipse Paulus contrahere cum ulla Franciscæ consanguinea usque ad quartum gradum inclusive; *arg. Cap. Sponsam* 8. *de Sponsalibus* ubi universaliter ita disponitur: *Sponsam alterius nullus consanguineorum aliquo modo sibi potest Matrimonio copulare*; intellige, juxta praxim, & communem intelligentiam de consanguineis usque ad quartum gradum instar affinitatis; *arg. Cap. Non debet* 8. §. *Prohibitio, de consanginit., & affinit.* quæ, & alia antiqua jura circa id non fuerunt correcta per Tridentinum, sed relicta adhuc in suo robore juxta cit. San Pii V. declarationem; Concilium enim Tridentinum novum jus induxit solum quoad sponsalia de futuro, decernendo quod si ipsa fuerint invalida, nullum pariant impedimentum publicæ honestatis; & si fuerint valida, pariant dictum impedimentum solum usque ad primum gradum, ut patet ex ipsismet verbis supra allatis. Si vero tale ratum Matrimonium fuisset invalidum ex defectu consensus, puta ob errorem in personam, aut per vim, & gravem metum, & hujusmodi, poterit adhuc libere contrahere cum Franciscæ matre, vel filia, aut sorore, quia ex Matrimonio rato invalido defectu consensus, non oritur impedimentum publicæ honestatis, ut expresse cavetur *in Cap. Ex sponsalibus unic. de Sponsalibus in* 6. non correcto per Tridentinum, sed adhuc remanente in pleno suo robore per citat. Constitutionem S. Pii V. Excipitur tamen Matrimonium ratum impuberum, quia licet defectu perfecti consensus sit invalidum in ratione Matrimonii, est tamen validum in ratione Sponsalium, seu ex speciali juris dispositione adhuc retinet vim Sponsalium, textu expresso *in cap. Tuæ* 14. *de desponsatione impuberum, & cap. unic. §. Idem quoque eod. in* 6. Unde tales impuberes adhuc contrahunt impedimentum publicæ honestatis ex Sponsalibus usque ad primum gradum tantum; & tandem Matrimonio post pubertatem adeptam ratificato, etiam impedimentum usque ad quartum gradum ex Matrimonio rato.

II. Si Paulus contraxit Sponsalia pura, & absoluta cum Francisca, & postea contra fidem priorum Sponsalium contrahat Matrimonium ratum cum ejus consanguinea in primo gradu, puta cum ipsius Franciscæ matre, vel filia, aut sorore, tale Matrimonium erit nullum ob impedimentum dirimens publicæ honestatis; At nihilominus poterit, & debebit ducere priorem Sponsam de futuro, non obstantibus secundis Sponsalibus de præsenti, seu Matrimonio rato cum ejus consanguinea, si nulla, ut supponit casus, intercesserit copula; Id enim habetur non solum ex Jure novo Concil. Tridentin. *loco superius citato*; quia Matrimonium ratum, seu secunda Sponsalia de præsenti sunt invalida, sed ex jure antiquo, *cap. Ex Sponsalibus unic. de Sponsalibus in* 6. quia non debet admitti inter ipsa veluti quædam reciproca actio, qua priora Sponsalia vicissim a posterioribus irritentur contra expressam prohibitionem *dict. cap. Ex Sponsalibus*; Sic Layman *lib.*5. *tract.*10. *part.*4. *cap.*9. *numer.* 3., & 5. Sporer *tom.*3. *part.*4. *cap.*1. *num.*58. Gobat *tom.*1. *tract.*9. *nu.* 386. La Croix *lib.*6. *part.*3. *num.*632. & alii passim.

III. Si Paulus priora sponsalia contraxit cum Francisca solum conditionate sub conditione pendente in futurum, V.G. si parentes consenserint, si Papa dispensaverit, & hujusmodi; & postea illa conditione non adimpleta, absolute contrahat cū ejus consanguinea in primo gradu, puta cum ejus Franciscæ matre, vel filia, aut sorore, tunc ex neutris Sponsalibus impedimentum dirimens contrahet. Non ex primis quominus saltem valide cum secunda contrahere possit, quia ex Sponsalibus conditionatis ante eventum conditionis non oritur impedimentum; actus enim sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum; *arg. §. Sub conditione* 4. *Institut. de verborum obligat. leg. unic. §. Sin autem, Cod. de caducitatib. tollendis*, cum suspendatur ejus valor

valor, usque ad eventum conditionis, *l. Is cui 42. ff. de actionib., & obbligation. & l. Legata sub conditione 41. ff. de conditionib. & demonstrationib.* Neque ex secundis, quia eum sint contra fidem priorum sponsalium, sunt illicita, & invalida; & ex Sponsalibus invalidis non oritur impedimentum publicæ honestatis, ex Tridentino *cit. sess. 24. de reformat. Matrimon. cap. 3.* Sic citati Doctores & alii.

IV. Si Paulus absolute sibi desponsavit Franciscam, & postea copulam habeat cum sorore ejus Lucia, neutram in uxorem accipere potest; Non Franciscam ob impedimentum affinitatis; Non Luciam ob impedimentum publicæ honestatis. Si autem talis copula cum Lucia fuisset habita ante Sponsalia celebrata cum Franciscæ, posset Paulus ducere ipsam Luciam; Nam sponsalia cum Franciscæ essent de jure invalida ob impedimentum contractæ affinitatis, Sicque non inducerent impedimentum publicæ honestatis ex novo jure Tridentini *cit. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 3.* Ita supracitati Doctores, & alii passim.

V. Si Paulus desponsavit sibi Franciscam, & hanc in uxorem postea duxit Petrus frater Pauli Matrimonio nondum consummato, Paulus etsi non teneatur, ob sibi fractam fidem, adhuc tamen si vult, potest ducere ipsam Franciscam, quia priora sponsalia ob publicam honestatem annullantia, sequens Matrimonium, non possunt violari vicissim a sequenti Matrimonio, ne detur mutua quasi reactio inter duas desponsationes se reciproce irritandi contra expressam prohibitionem *cit. Cap. Ex sponsalibus unic. de sponsalibus in 6.* Sic supracitati Doctores, & alii.

26 Sponsalia valida, quamvis mutuo libero consensu dissolvantur, inducunt adhuc publicæ honestatis impedimentum. Quamvis enim olim gravissimi Doctores negativam sententiam tenuerint, ut videre est apud Barbosam *de Offic., & potest. Episcop. allegat. 5. num. 188.* Palao *de Sponsalibus disp. 4. punct. 10. num. 9.* Gutierez *de Matrimon. cap. 103. numer. 11.* Sanchez *de Matrimon. lib. 7. disp. 58. numer. 21.* hodie tamen certa est nostra affirmativa sententia propter authenticam declarationem Sacræ Congregationis Concilii ab Alexandro VII. approbatam, quam refert Fagnanus *lib. 4. decretal. in cap. Ad audientiam 4. de sponsalibus n. 29.* his verbis.

27 „ Alphonsus Ruiza, & Isabella Rodriquez Pacen. Dioc. „ cesis sponsalia per verba de futuro inter se contraxerunt; „ sed cum antequam se vidissent, aut simul colloquerentur, „ Isabella gravi morbo correpta fuisset, se invicem a pro„ missione, & juramento absolverunt. Nunc autem Alpha„ onsus volens Matrimonium contrahere cum Maria sorore „ germana dictæ Isabellæ, dubitat, an sponsalibus cum „ Isabella contractis, & mutuo consensu dissolutis ortum sit „ publicæ honestatis impedimentum? Sacra Congregatio „ censuit, Sponsalia hæc cum a principio valida fuerint, „ induxisse impedimentum publicæ honestatis, licet mutuo „ consensu dissoluta; quia Concilium hoc solum considerat, „ quod a principio validâ sint, & quia si a principio valide di„ rempta per mortem, id impedimentum inducunt, ita, & dis„ luta consensu. Et noviss me, jubente Sanctissimo Domino „ Nostro, propositum fuit in Sacra Congregatione Conci„ lii: An sponsalibus valide ab initio contractis, deinde „ mutuo consensu dissolutis, sit sublatum impedimentum ju„ stitiæ publicæ honestatis? Et pluries proposito dubio, ac „ mature examinato, tandem sub die 6. Julii 1658. Eminen„ tissimi Patres in antiqua ejusdem Congregationis sententia „ consistentes, censuerunt non esse sublatum; Cujus sen„ tentiæ una cum rationibus hinc inde deductis, & recen„ tioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, „ facta relatione ad Sanctissimum, Sanctitas sua die 10. ejus„ dem mensis prædictam Congregationis resolutionem pro„ bavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revo„ cari „.

28 Affinitas. Vide verb. *Affinitas per tot.*

29 Impotentia prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi, sed impotentia coeundi, seu perficiendi copulam conjugalem; *Communis, arg. tot. tit. de frigidis, & maleficiatis.* Hæc impotentia dividitur primo in
30 naturalem, seu intrinsecam, & in accidentalem, seu extrinsecam. *Prima* est illa, quæ oritur ex ipsius naturæ defectu, V. G. ex nimia frigiditate, debilitate, deficientia, aut ineptitudine necessariorum, & in Fœmina talis vasis arctitudo, ut a viro penetrari nullatenus possit. *Secunda* est illa, quæ provenit non ex naturæ defectu, sed ex maleficio, vel hominis opera, qualis reperitur in Maleficiatis, Castratis, & hujusmodi. Secundo dividitur in perpetuam, & 31
temporalem. *Perpetua* est illa, quæ non potest tolli, aut superari, nisi cum mortis periculo, aut miraculo, aut gravi peccato per media illicita. *Temporalis* est illa, quæ per media artis medicæ, aut Ecclesiæ, V. G. per Exorcismos, aut alia media spiritualia potest aliquando tolli, aut superari; *arg. cap. Fraternitatis 6. de Frigidis, & maleficiatis.* Tertio dividitur in absolutam, & respectivam. *Absoluta* est il- 32
la, quæ reperitur in viro per ordinem ad quascumque mulieres, aut in muliere per ordinem ad quoscumque viros. *Respectiva* est illa, quæ solum constituit impotentem per respectum ad determinatam personam, & non ad alias.

Impotentia perpetua, sive fuerit naturalis, sive acciden- 33
talis, sive absoluta, sive respectiva dirimit Matrimonium contrahendum, tum Jure Ecclesiastico, tum Jure naturæ; *Communis.* De Jure enim Ecclesiastico constat *ex cap. Accepisti 1. cap. Quod sedem 2. cap. Ex litteris 3. cap. Laudabilem 5. cap. Fraternitatis 6. & cap. Litteræ de frigidis, & maleficiatis.* De Jure autem naturæ inde patet, quod de essentia, & intrinseca ratione Matrimonii sit obligatio ad reddendum debitum, & traditio corporis apti ad congressum maritalem, seu copulam conjugalem; sed perpetuo impotens ad copulam non potest se obligare ad eam: *Impossibilium enim nulla est obligatio, leg. Impossibilium 185. ff. de Regulis Juris, & cap. Nemo potest 7. de Regulis Juris in 6. &c.* Dicitur autem notanter *Matrimonium contrahendum*, 34
quia si talis impotentia superveniat post Matrimonium jam contractum, ipsum non dirimit, ut tenet *Communis Doctorum*, textu expresso *in cap. Hi, qui 25. caus. 32. quæst. 7.*

Impotentia perpetua antecedens dirimit Matrimonium, si- 35
ve fuerit antecedenter cognita, sive ignorata, Navarr. *in Manual. cap. 22. num. 60.* Coninch. *disp. 31. dub. 7. num. 79.* Bonacina *de Matrimon. quæst. 3. punct. 3. proposit. 3. n. 12.* Rosignol. *controv. 15. de Matrimon. 11. præmot. 17. num. 5.* Panormitanus, Hostiensis, & Innocentius *in cap. Consultationi 4. de frigidis, & maleficiatis*, Pirging. *lib. 4. decret. tit. 15. num. 9.* Reiffenstuel *ibidem num. 61.* Henno *tom. 2. tract. de Matrim. disp. ultim. art. 6.*, & alii passim contra paucos. Et ratio est, quia talis impotentia, sive cognita, sive ignorata, est semper contra naturam, & essentiam Matrimonii, quia excludit traditionem corporis apti ad copulam conjugalem, quæ traditio corporis apti est de essentia Matrimonii, licet enim usus Matrimonii non sit de ejus essentia, potentia tamen ad usum est ipsi essentialis, ut recte docet S. Thomas *in 4. dist. 34. quæst. unic. art. 2. ad 1.*, ibi: *Quamvis actus carnalis copulæ non sit de essentia Matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia ejus*, & idem *ibidem* docent Scotus, Richardus, & Durandus.

Neque obstat, quod, qui novit impotentiam alterius, vi- 36
deatur juri suo renuntiare, si cum eo contrahat, ac proinde subsistere Matrimonium. Non obstat, inquam, quia cum cessio illa sit juris ad substantiam Matrimonii contractus spectantis, admitti non potest, sicuti nec cessio, qua quis Matrimonium contrahens, indissolubilitatis Juri cedere præsumeret. Unde merito Sixtus V. Constitut. incip. *Cum frequenter*, 37
decrevit hujusmodi Matrimonia, sive contracta cum scientia, sive cum ignorantia, nulla, irrita, & invalida penitus esse, ibi: *Fraternitati tuæ per præsentes committimus, & mandamus, ne conjugia per dictos, & alios quoscumque Eunuchos, & Spadones utroque teste carentes cum quibuscumque mulieribus defectum prædictum, sive ignorantibus, sive etiam scientibus contrahi prohibeas, eosque ad Matrimonia, quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, & tam Locorum Ordinariis, ne hujusmodi conjunctiones de cetero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui sic de facto etiam Matrimonium contraxerint, separari cures, & Matrimonia ipsa sic de facto contracta, nulla, irrita, & invalida esse decernas.* Hinc, si hæc verificantur, non obstante scientia inter Eunuchos, cur verificari non debent, non obstante eadem scientia, inter perpetuo impotentes? De utrisque enim militat eadem ratio. Eo vel maxime, quod Sixtus V. in eadem cit. Constitutione expresse declarat, impotentes minime esse aptos ad contrahendum, ibi: *Secundum Canonum Sanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minime apti ad contrahendum reperiuntur.*

Unde post dictam Sixti V. Constitutionem Eunuchi, & 38
quicumque perpetuo impotentes nequeunt contrahere Matrimonium cum impedimenti, seu impotentiæ conscii, neque ad

ad societatem vitæ, & caste vivendum per modum fratris, & Sororis; Sanchez *lib. 9. disp. 97.* ubi hanc vocat certissimam, Dicastill. *disp. 7. dub. 43.* ubi vocat omnino veram, Tannerus *disp. 9. quæst. 4. num. 136.* ubi vocat certam, Perez *disput. 37. sect. 1.* ubi hanc dicit esse communem sensum totius Scholæ, La Croix *lib. 6. part. 3. numer. 785.* ubi vocat communissimam, Sporer *tom. 3. part. 4. cap. 1. sect. 1. num. 123.* ubi dicit sic sentire Doctores communissime contra Pontium apud Dianam *part. 4. tract. 4. resolut. 75.* Et ratio nostra, ultra fundamenta adducta citatis Doctoribus, est, quia citata Constitutio Sixti V. absolute definit impotentiam esse impedimentum dirimens Matrimonium, & nihil distinxit quoad hunc, vel illum usum, ubi autem Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *Cap. Quia circa 22. de privilegiis, & leg. de pretio ff. de Publiciana in rem action.*

39 Eunuchi autem, & Spadones unico tantum testiculo carentes valide, & licite Matrimonium contrahere possunt, *Communis, argum cit. Constitut. Sixti V.* Cum enim dicantur esse invalida Matrimonia inita per Eunuchos, & Spadones utroque teste carentes, videtur sequi, quod, si unico tantum teste careant, possint valide, & licite contrahere. Et stat ratio, quia, licet ipsi sint minus potentes, sunt tamen vere potentes ad actum conjugalem, & ad generationem, ut praxis, & experientia docet. An autem, & quo-
40 modo Hermaphroditi possint valide, & licite Matrimonia contrahere? Vide verb. *Hermaphroditus.*

41 Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium, *Communis*, textu expresso *in cap. Fraternitatis 6. de frigid., & ma-*
42 *leficiat.* In dubio autem, an impotentia sit temporalis, vel perpetua, conceditur a Jure integrum triennium ad faciendum experimentum, si possit nec ne haberi perfecta copula, textu expresso *in cap. Laudabilem 5., & cap. Litteræ 7. de frigid., & maleficiat.* Et hoc triennium debet computari a die attentatæ copulæ, non vero a die contracti Matrimonii, Glossa *in cit. cap. Laudabilem verb. Celebrati*; Sanchez *lib. 7. disp. 110. num. 1.* ubi testatur de communi, Cum enim *in dicto cap. Laudabilem*, dicitur *a tempore celebrati conjugii*, supponitur ex tunc attentatam fuisse copulam, quia dictum triennium conceditur ad experiendum, an impotentia perpetua adsit nec ne? hoc autem experimentum inchoatur sola copulæ attentatione, adeoque &c.

43 Si facto tali experimento ambo Conjuges in foro externo fateantur adesse impotentiam perpetuam ex parte unius, non potest illorum Matrimonium, nec propria, nec Judicis auctoritate annullari, nisi prius sit facta legitima probatio ad præscriptum Sacrorum Canonum, *Communis, arg. cap. Accepisti 1. de frigid., & maleficiat.* Sacri autem Canones præ-
44 scribunt in tali casu requiri juramentum viri, quod serio per tale tempus tentarit copulam, & mulieris, quod etiam conata sit, nec impedierit. Item jurare debent ex parte cujuslibet conjugis septem propinqui, vel his deficientibus, septem vicini, & sic inter omnes quatuordecim bonæ famæ, quod credant conjuges verum, affirmare, textu expresso *in Cap. Litteræ 7. de frigid. & maleficiat.*, & concordat *cap.*
45 *Laudabilem 5. eod.* Si vero unus conjugum neget, & alter affirmet impotentiam perpetuam, tunc non requiruntur quatuordecim propinqui, seu ex qualibet parte septem, sed sufficiunt, & adhibendi sunt solum septem ex parte affirmantis, Hostiens. Joan. Andreas, Ancharanus *in cit. cap. Laudabilem 5. de frigid., & maleficiat.* Rosignol. *loc. cit. numer. 49.* Reiffenstuel *loc. cit. numer. 51.* Sanchez *lib. 7. disp. 100. n. 13.* & alii passim, *arg. cap. Proposuisti 4. de probationibus.*

46 Si elapso triennio vir dubie impotens neget copulam perfectam habitam esse, mulier vero id affirmet, & non appareant certa signa impotentiæ, sed solum ambigua, & dubia, debet credi uxori affirmanti, & pronuntiari pro valore Matrimonii, Sic Joann. Andreas, & Ancharan. *in cit. cap. Laudabilem num. 4.* Sanchez *lib. 7. disp. 109. num. 9.*, & *communis* aliorum, Et ratio est, quia id exigit favor Matrimonii, *arg. cap. final. de sentent.*, & *re judicat.*, & juxta *Regul.*
47 *65-Juxis in 6. In pari ..... causa potior est conditio possidentis.* Item, si elapso triennio mulier neget copulam perfectam habitam esse, & vir dubie impotens affirmet, si non appareat certa signa impotentiæ, sed solum dubia, debet credi viro affirmanti, & pronuntiari pro valore Matrimonii, *arg. Cap. Si quis 3. caus. 33. quæst. 1.*, & *cap. Accepisti 1. de frigid.*, & *maleficiat.* & tenent Pirhing. *lib. 4. titul. 15. numer. 14.* Engel *ibidem num. 6.* Reiffenstuel *ibidem numer. 49.* Sanchez *lib. 7. disp. 109. n. 2.* & alii passim.

Si impotentia antecedens sit perpetua certo sic cognita, per inspectionem corporum, ut posse, & debere fieri innuere videntur *cap. Fraternitatis 6. & cap. Litteræ 7. de frigid.*, & *maleficiat. cap. Proposuisti 4.*, & *cap. Causam Matrimonii 14. de probationibus*; vel aliunde talis impotentia sit simpliciter evidens, Matrimonium debet statim declarari nullum absque concessione triennii ad faciendum experimentum, & absque interpositione juramenti propinquorum, & conjugum, quod copulam perfectam nunquam habuerint, Quando enim evidenter constet de impotentia, evidens est etiam Matrimonium esse nullum, & consequenter conjuges putativos separandos esse ab omni commercio carnali, & posse conjugem potentem, cui voluerit, nubere: *Communis* cum Abbate *in Cap. Fraternitatis 6. de frigid.*, & *maleficiat. num. 11.* & Sacchez *lib. 7. disp. 107. num. 7.* Si per inspectionem, vel aliam probationem non habeantur signa physice certa, & simpliciter evidentia de 49
impotentia, sed solum verosimilia, & quasi moraliter certa, tunc potest quidem, & debet declarari nullum Matrimonium, non expectato triennali experimento: Ast debet uterque conjux jurare nunquam potuisse habere perfectam copulam, & de eorum digna credulitate debent jurare affirmare quatuordecim propinqui, aut vicini bonæ famæ, scilicet septem ex parte utriusque conjugis; Sanchez *lib. 7. disp. 107. numer. 4.* Engel *lib. 4. decretal. titul. 15. numer. 6.* Reiffenstuel *ibidem num. 43.* La Croix *lib. 6. part. 3. num. 787.* et alii passim, *arg. cap. Laudabilem 5. de frigid. & maleficiat.* Si post inspectionem, aut aliam probationem non habeantur nisi signa dubia de impotentia perpetua, præter dictum juramentum conju- 50
gum, et propinquorum, requiritur etiam triennale experimentum, *Communis* textu expresso *in cap. Litteræ 7. de frigid., & maleficiat.*, et concordat *cap. Laudabilem 5. eodem*.

Si quando certo, & evidenter constat de impotentia per- 51
petua, dubitatur autem, an præcesserit Matrimonium, vel illo jam contracto supervenerit? Si sit impotentia naturalis, seu intrinseca, præsumitur præcesisse; Sanchez *lib. 7. disp. 103. num. 5.* Guttierez *de Matrimonio cap. 116. numer. 2.*, & communis aliorum, *arg. cap. Litteræ 7. de frigidis, & maleficiat.*, Et ratio est, quia, quod a natura inest, semper inesse videtur, & consequenter etiam antecedenter inesse præsumitur, ut late probat Menochius *de præsumptionibus lib. 1. præsumpt. 14. num. 3.* Si vero sit impotentia accidentalis, seu extrinseca, ut proveniens ex maleficio, aut mutilatione membri, & hujusmodi, & conjux potens solum multo, & longo tempore elapso post contractum Matrimonium conqueritur, & reclamare incipit de impotentia alterius, in foro externo præsumitur eam fuisse subsecutam; Sanchez *lib. 7. disp. 103. numer. 6.*, & *sequent.* Guttierez *de Matrimon. cap. 116. num. 2.* Rosignol. *loc. cit. num. 63.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 30.*, et alii passim, *arg. cap. Accepisti 1. de frigid.*, & *maleficiat.*, ibi: *Quia si proclamare voluit, cur tandiu tacuit? cito enim, & in prævio tempore scire potuit, si secum coire potuisset.* Si autem conjux potens brevi tempore, uno, vel altero mense post contractum Matrimonium, statim conqueri, et proclemare incipit de impotentia alterius, præsumitur eam præcessisse, Ita Doctores citati, *arg. cit. cap. Accepisti*, ibi: *Si autem statim in ipsa novitate post mensem aut duos ad Episcopum, aut ejus Missum* (idest Vicarium) *proclamaverit &c.*

Dato casu, quo ob præsumptam, et allegatam perpe- 52
tuam impotentiam dissolvatur Matrimonium, et conjux præsumptus, et allegatus impotens contraxerit cum alia, et cum ipsa perfectam copulam habuerit, comperto errore, est dissolvendum secundum Matrimonium, et reintegrandum primum, *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Laudabilem 5. & Cap. Fraternitatis 6. de frigid.*, & *maleficiat.* Excipitur autem *primo*, quando impotens factus est postea potens 53
per solum miraculum, quia ex eo, quod impotens reddatur potens per miraculum, non sequitur impotentiam fuisse temporalem; *Communis arg. cap. Fraternitatis 6. de frigid.* 54
& maleficiat. Excipitur *secundo*, quando impotentia tollitur ope Dæmonis, aut per media illicita, v. g. incantationem, & hujusmodi, quia impotentia, quæ naturali, & licito modo tolli nequit, constetur perpetua, quam vis tollatur modo illicito: *Communis*; *arg. cit. cap. Fraternitatis*. Excipitur *tertio*, 55
quando impotentia perpetua est respectiva, v. g. ob arctitudinem vasis determinatæ mulieris, quia respectu hujus est,

& ma-

& manet Matrimonium nullum, quamvis cum alia postea latius vas habente, copulam perfectam habere possit, & consequenter Matrimonium valide contrahat; Respectu enim illius mulieris vas nimis arctum habentis habet impotentiam perpetuam, unde ab ipsa remanet perpetuo solutus; Sanchez *lib.7. cap.95. num.18.* Henricus in *cap. Fraternitatis 6. de frigid. & maleficiat. num.* 12. Rosignol. *loc. cit. num.* 57. Reiffenstuel *loc. cit. num.59.*, & alii passim. Excipitur
56 *quarto*, quando impotentia provenit ex maleficio, & cum priori conjuge factum est triennale experimentum, & habitæ sunt omnes aliæ probationes a Jure præscriptæ, quia frequentissime accidit, maleficia perpetua fieri ad causandam impotentiam respectu certæ tantum personæ, & non omnium; Glossa communiter recepta *in Cap. Accepisti, verb. Reparare, & Cap. Laudabilem, verb. Separentur, & verb. Redire, & cap. Litteræ, verb. Cognoscendis, de frigid. & maleficiatis*, Abbas *in cit. Cap. Accepisti num.7.* S. Thomas *in 4. dist.35. quæst. unica art.3. in corpore*, & communis aliorum, textu expresso *in cap. Si per Sortiarios, atque maleficos 4. caus.33. quæst.1.*

Steriles, & lenes possunt valide Matrimonium contrahere,
57 dummodo natura, vel arte capaces sint ad habendam perfectam copulam; Sanchez *lib.7. disput. 92.num.26.* Engel *lib.4. decretal. tit. 15. num. 3.* Reiffenstuel *ibid. num. 17. & 18.* Pirhing *ibid. num. 4.* & communis aliorum; Tunc enim Matrimonium est in remedium concupiscentiæ, qui est finis secundarius, & minus principalis, ob quem etiam fuit institutum, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. 7. Melius est nubere, quam uri.* Unde senex annorum 73. qui votum castitatis emiserat, petiit, & obtinuit dispensationem ducendi uxorem ob periculum incontinentiæ *a Sacra Congregat. Concil. in Senonensi 28. Septemb. 1686. lib. 36. decret. fol.472.* apud Ursayam in *Miscellaneo 1. Sacr. & Prophan. verb. Senex num.* 133. Moribun-
58 di possunt, immo quandoque tenentur contrahere, si id exigat honor concubinæ, aut proles legitimanda, aut etiam propriæ animæ salus, quæ ob nimium affectum erga concubinam perichitatur ex eo, quod non possit habere serium propositum eam dimittendi, quia licet non sint actualiter copulæ capaces, supponitur tamen ordinariam, nisi aliud probetur, potentiam generandi tantum esse impeditam, & non ablatam; Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 105.num.3.* Joan. Andreas *in cap. Tanta numer. 2. Qui filii sint legitimi*, & ibi Antonius *num.* 14. Ancharanus *num.4. notabi.* 2. Cardinal. *num. 6.* Præpositus *num. 8.* Barbosa *num. 8.* Pirhing. *loc. cit. num. 6.* Reiffenstuel *loc. cit. num.* 20. & communis aliorum, ut testatur Barbosa *loco citat.*

Clandestinitatis impedimentum est, *si Parochi, aut duplicis desit præsentia testis*; Concil. Tridentin. *sess. 24. de reform.*
59 *Matrimon. cap.* 1., ibi: *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse*
60 *decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.* Ad valorem igitur Matrimonii requiritur præsentia Parochi proprii, Concil. Trident. *loc. cit.*, ibi: *Qui aliter, quam præsente Parocho*, & quidem proprio, ut expresse habetur
61 ab eodem Concilio *in cit. cap.* 1., ibi: *A proprio contrahentium Parocho*. Nomine Parochi, non solum veniunt ipsi Parochi, sed etiam Papa in toto Orbe, Legati a latere, & Nuncii in suis Provinciis, Cardinales in suis Titulis, Episcopi, & Vicarii Generales in suis Diœcesibus, Archiepiscopi dum actu visitant Diœceses Suffraganeorum, & dum ad eos fit appellatio contra Episcopum Suffraganeum nolentem aliquos matrimonialiter conjungi, Vicarius Capitularis Sede vacante, Abbates Ecclesiarum nulli Episcopo subjectarum, & omnes Sacerdotes, sive Sæculares, sive Regulares a supradictis respective delegati: *Communis* cum Barbosa *super Tridentin. sess. 24. de reformat. Matrimon. cap.1. & lib.2. de Offic. & potest. Episcop. allegat.* 32.

62 Sufficit Parochus proprius alterutrius Sponsi; *Communis*. Sic enim declarasse Sacram Congregationem Concilii referunt Sanchez *lib. 3. disput. 19. num.* 4. Bosco *de Matrimon. disput.* 11. *sect. 9. conclus.* 13. Fagnan. *lib.* 1. *decretal. cap. Quoniam, de constitut. num.* 5. Reiffenstuel. *lib.* 4. *decretal.*
63 *tit. 3. num. 56.* & alii. Et est validum Matrimonium, etiamsi unus Parochus assistat in Parochia alterius, quamvis diversæ Diœcesis, v. gr. Parochus viri, seu Sacerdos ab ipso Delegatus in Parochia mulieris, & e contra; sic declarasse *Sacram Congregat. Concil.* refert Pignatell. *tom. 5. consult. 79. a numer.* 16. ubi actlucit ipsalmet declarationes, & La Croix *lib. 6. part.3.numer.*731. ubi adducit diffusam Sacræ Congregationis declarationem, & tenent passim Doctores. Imo po-
64 test proprius Parochus valide assistere Matrimonio suorum Parochianorum in alterius Parochia sine licentia Parochi illius loci, in quo assistit; Hurtado *de Matrimon. disput. 5. difficult. 6. numer.* 22. ubi extendit etiam extra Episcopatum, Sanchez, Salzed. Spinol. Passerin. Coninchius, Reginaldus, Bonacina, Guttierez, cum Barbosa *de offic. & potest. Episcop. lib.* 2. *allegat.* 32. *num. 95. & de offic. & potest. Paroch. part.* 2. *cap.* 21. *num.* 58. & super Concilium *sess. 24. de reform. cap.* 11. *num.* 71. & ita etiam tenent Bosco *de Matrim. disput.* 11. *sect. 9. conclus.* 11. *numer.*406. Castropal. *de Sponsalibus disput. 2. punct.* 13. §. 9. *num.* 3. Perez *de Matrim. disput.* 40. *sect.* 2. *num.* 7. Pirhing. *lib.* 4. *decretal. tit.* 3. *num.*15. Reiffenstuel *ibid. num.* 63. ubi testatur de communi contra Pontium, qui *lib. 5. de Matrimon. cap.* 16. *num.* 4. affert pro sententia contraria declarationem Sacræ Congregat. quæ tamen, ut recte respondent Sanchez *loco cit. num.* 19. Bosco *loco cit. num.* 408. Reiffenstuel *loco cit. num.* 64. & alii, intelligenda sunt de sola illicita assistentia solemni, præsertim cum benedictione Sacerdotali, quia talis solemnis assistentia fit cum quodam quasi strepitu judiciario illicito in Territorio alterius. Et dato, quod tales declarationes militarent etiam contra valorem Matrimonii, respondetur eas esse correctas ab alia *sub*sequenti declaratione recentiori, prout testatur Fagnanus *in cap. Quod nobis 2. de Clandestina desponsat. num.*33 addens Sanctissimum audita relatione opinionum Congregationis statuisse, quod ita in futurum responderetur, nulla habita ratione alterius decisionis editæ *die* 15. *Decembris* 1574.

Quinimo, non solum valide, sed etiam licite de Jure po-
65 test proprius Parochus alterutrius Sponsi assistere Matrimonio privatim, & absque solemnitate, & benedictione publica celebrato in aliena Parochia; Perez *de Matrimon. disput.*40. *sect.* 2. *num.* 7. Sanchez *lib.* 3. *disput. 19. num.* 18. Guttierez *de Matrimon. cap.* 62. *num.* 6. Castropalao *loco cit. disput.* 2. *punct.* 13. §. 9. *num.* 5. Bosco *loco cit. conclus.* 13. *numer.* 11. Reiffenstuel *loco cit. num.* 65. & alii plures contra Pontium, & alios. Et ratio est, quia nullo Jure talis assistentia est prohibita, si fiat privatim, & sine solemnitate publica: Concilium enim Tridentinum ad valorem Matrimonii solum requirit, quod fiat in præsentia proprii Parochi, non vero, ut fiat in propria Parochia, eo quod per solam assistentiam, ubicumque Matrimonium celebretur, jam vitatur Clandestinum Matrimonium, adeoque finis Concilii servatur. Et Sacra Congregat. Concilii declaravit posse proprium Parochum assistere Matrimonio etiam in aliena Parochia, ut patet ex dictis *supra num.* 63. ut refert etiam Fagnan. *in lib.* 1. *Decret. cap. Quoniam de Constitut. num.* 25. Nec potest dici, quod illicite assistant, cum nemo possit extra proprium Territorium Jurisdictionem exercere; *argument. cap. final. de Constitutionibus in 6.* Non valet, inquam, quia talis assistentia non est actus pertinens ad jurisdictionem contentiosam. imo neque ad voluntariam, ut recte notant Doctores cum Barbo-
66 sa *loc. cit.* Proprius autem Parochus est Parochus habitationis, seu Domicilii, seu quasi talis, nec sufficit Parochus originis, nisi etiam sit habitationis; *Communis* cum Bosco *loco cit. conclus.* 11. *num.*400. ubi asserit sic declarasse Sacram Congregationem Concilii.

Proprius Parochus valide, & licite assistit Matrimonio,
67 etiamsi nondum sit Sacerdos; Sic declaravit *Sacr. Congregat. Concil. in Abulensi* 12. *Martii* 1593. *lib.* 7. *decret. fol.* 193. apud Monacell. *tom.* 2. *tit.* 16. *formul.* 2. *num.* 34. & apud Piton. *Constitut. ad Parochos numer.* 160. & jam propter talem declarationem tenent Reiffenstuel *loco cit. num.* 70. Sanchez *lib.* 3. *disput.* 20. *a num.* 3. Pontius *lib.* 5. *cap.* 17. *num.*1. Barbosa *in Concil. Trident. sess.* 24. *de reform. cap.* 1. *num.* 81. & 88. *& de offic. & potest. Episcop. allegat.*32. *num.*101. *& de offic. Parochi cap.* 21. *num.* 51. cum plurimis ibi citatis, & alii communiter contra nonnullos a Sanchez citatos. Licentia tamen
68 assistendi Matrimonio non potest concedi alicui, qui non sit Sacerdos; Sanchez *lib.* 3. *disput.* 20. *num.*10. Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. Palao *de Sponsalib. disput.* 2. *punct.* 10. *num.* 5. Reiffenstuel. *loc. cit. num.*81. & alii passim; *argument. Conc. Trident. loco cit.* ubi expresse requirit, ut deligendus sit Sacerdos, ibi: *Vel alio Sacerdote*.

An affectante Parocho non audire verba, vel non videre
69 nutus attentantium clandestine contrahere Matrimonium, & reve-

revera illa non audiente, vel iistos non vidente, validum sit Matrimonium coram ipso attentatum? variant Doctores. Affirmativam sententiam inter alios tenent Fagnanus *in cap. Quoniam* 13. *de Constitutionibus num.* 25. *& in cap. Quæsitum est* 7. *de Pœnitentiis, & remissionib. num.* 7. testans Sacram Congregationem declarasse, *validum esse Matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & per vim adhibito, quamvis nihil eorum, quæ agebantur, vidit, & intellexit, si affectavit non intelligere; ut in Parocho, qui obturavit aures suas, ne audiret*; Riccius *in Prax. For. Eccles. resolut.*213. *numer.* 3. Pontius *de Matrim. lib.* 1. *cap.* 25. *sub num.*12. Bosius *eod. tract. cap.* 3. *num.* 22. Leander *Oper. moral. tom.* 2. *tract.* 9. *disput.* 7. *quæst.*50. Barbosa *de potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 32. *num.* 83. *& 85. de Officio Parochi part.* 2. *cap.*21. *num.* 47. *& 49. & ad Concil. sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.*1. *num.* 73. *&* 75. Cardinal. de Luca *in annot. ad Concil. disc.*26. *num.* 4. *& sequent.* Natal. ab Alexand. *in Theolog. Dogmat. tom.* 6. *regul.* 10. *in fin. fol.* 494. quos omnes citat, & sequitur Rota *in Romana Matrimonii* 4. *Februar*, 1697. *coram Ursino*, asserens in simili Matrimonio resultare ejus non intelligentiam, ab ipsius Parochi positivo facto processisse, proindeque dum ipse causam dedit, quo minus intelligeret, de Jure habendus est pro intelligente, dum nesciens ex quo noluit scire, vel affectavit nescire, habendus est pro sciente; *cap. Cum inhibitio* 3. §. *Si quis vero, de Clandestina desponsat.*

Et in dicta Romana circa finem eadem Rota expresse sub-
70 jungit, quod eoque magis inclinarunt DD. in hanc sententiam, ex quo ipsamet Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, tam antiquis, quam modernis temporibus eidem sententiæ adhæsisse visa est, & signanter in una *Giennen.* 26. *Julii* 1582. in qua super dubio his verbis concepto; *Quid si Sacerdos nihil eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit? Congregatio declaravit, non valere Matrimonium, si non intellexit, nisi affectasset non intelligere*; in cujus sequelam paucis post annis *in una Ulixbonen.* eiusdem Decretum prodiit, ibi: *Congregatio censuit, si vera sunt, quæ narrantur, & Parochus affectaverit non intelligere, Matrimonium valere*, & in terminis themati, de quo disputatur, proximioribus *in una Sarsanen. 16. Februarii* 1648. ubi omissæ fuerunt denunciationes, Parochus contradicebat, & audivit tantummodo verba consensus prætiti per Sponsum, dum Sponsam habebat præ manibus: *Congregatio censuit, Matrimonium sustineri, etiamsi Parochus non intellexerit verba Sponsæ, dum tamen de illius consensu ex aliis signis, juxta Juris communis dispositionem legitime constet*. Prout etiam *in Patavina* 16. *Maji* 1669. *in Tolentina* 18. *Novemb.* 1671. *& in Venetiarum* 11. *Martii* 1673. in quibus omnibus juxta tenorem Decretorum, quæ hodie in follis authenticis circumferebantur, resolutum legebantur, Matrimonium valere, etiamsi Parochus verba alterius ex contrahentibus non audierit, vel quia affectaverit non intelligere, vel quia ex quo terga vertit non auscultaverit, vel quia propter iram, aut rumorem, vel quid simile audire non potuerit. Et allegata præmissa resolutione in *Giennen.* firmat Fagnan. tum in cap. *Quæsitum de Pœnit. & remissionib. num.* 6. 7. *&* 8. tum *in cap. Quoniam num.* 25. *de Constitutionibus* una cum aliis supra allegatis. Hactenus Rota apud Ursayam *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 2. *num.*
71 11. 12. *&* 13. Negativam autem sententiam verius sustinent innumeri classici Doctores tum Theologi, tum Canonistæ: & signanter Pirhing. *in Jus Canonicum tom.* 4. *titul.* 3. §. 3. *nu.*2. Reiffenstuel *ibid. num.*106. Engel *ibid. sub num.*14. Pignatell. *tom.* 9. *Consult.*133. *num.*35. Panimolli. *decis.* 19. *adnot.* 1. *n.*31. *vers. Vel ab Altari fugam arripiat*; Monacell. *tom.* 3. *tit.* 2. *formul.* 5. *a num.* 6. *ad* 11. Cabassut. *in Not. Eccles. Notit. ad Concil. Trident. num.*55. *& in Prax. Jur. Canonic. lib.*3. *cap.*26. *sub num.* 12. Sanchez *de Matrim. lib.* 3. *disput.* 39. *sub num.*6. Dicastill. *de Matrimon. tract.* 10. *disput.* 19. *num.* 167. Tancred. *de Matrimon. lib.* 3. *disput.* 39. *num.* 2. Marchant. *in Tribunal. Sacramen. de Matrimon. tract.* 1. *titul.* 7. *quæst.* 5. *conclus.* 2. *vers. Dices*, Rosignolus *in Prax. Theologic. Legal. titul. de Matrim.* 1. *præmot.* 32. *sub num.* 5. & plurimi alii citati, & sequuti ab Ursaya *tom.*1. *part.* 2. *discept.* 1. *num.*129. *& discept.*2. *num.*106. *& sequent. & tom.*3. *part.* 1. *discept.* 1. §. 4. *a num.* 2. *ad* 15.

72 Et ratio viva est, quia eo ipso quod Parochus affectando non audire verba, nec videre nutus contrahentium, ipsos revera non videt, & illa non audit, non potest esse testis contracti Matrimonii, ad quem effectum sub nullitatis pœna illius præsentia præscripta fuit a Concilio *capit.* 1. *sess.* 24. *de reform. Matrim.* adeoque tale Matrimonium tamquam deficiens in forma substantiali, hoc est in uno ex tribus testibus a Concilio pro forma requisitis, nullum est in radice; Et hoc verum est, sive voluntarie, sive ex quocumque alio motivo nequeat Parochus testificari de contracto Matrimonio, & modo quo in Testamentis, in quibus deficiente, sive ex propria culpa, & voluntate, sive ex alio accidenti, uno ex septem necessariis testibus, illud est nullum, textu expresso *in leg. Si unus* 12. *Cod. de Testamentis*, & observant Glossa *in leg.*1. §. *Si qui negeat, ff. Quemadmodum Testamenta aperiantur*, Fagnan. *in cap. Cum esses num.* 37. *de testamentis*, Ursaya *tom.* 1. *part.* 1. *discept.* 2. *num.* 115. cum Rota, & aliis ibi allegatis.

Nec contra istam nostram sententiam militant resolutiones 73
Sacræ Congregationis Concilii allegatæ *supra num.* 70. pro alia sententia, quia in tantum in dictis resolutionibus Sacra Congregatio censuit esse valida Matrimonia contracta coram Parochis affectantibus, dissentientibus, contradicentibus, fugientibus, & data opera oculos, vel aures claudentibus, ne mutui consensus contrahentium nutus viderent, aut verba audirent, in quantum istis non obstantibus perfectissime contrahentium consensum perceperunt; & quamvis consulto, & data opera affectassent, seu finxissent non intelligere, ac percipere, revera tamen intellexerunt, & perceperunt mutuum actualem contrahentium consensum, ut solide, & clare probat Ursaya *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 2. *num.* 169. *& sequent.* adducens præcisa verba allatæ resolutionis *in Giennen. 26. Julii* 1582. & infra *num.* 185. *& sequent.* adducens verba allatæ resolut. *in Ulixbonen.* & sub *num.* 189. *& sequent.* adducens verba in allata *Sarsanen. 16. Februar.* 1648. & infra *num.* 239. adducens verba in allata *Patavina* 16. *Maji* 1669. & infra sub *num.*240. *& sequent.* adducens verba in allata *Tolentina* 18. *Novembr.*1671. & inde *num.* 243. adducens verba in allata *Venetiarum, seu Vicentina* 11. *Martii* 1673. Et in hunc sensum varias Sacræ Congregationis Concilii resolutiones citant, & sequuntur Bonacin. *tom.* 1. *de natura, & proprietat. Matrim. quæst.*2. *punct.* 8. *num.* 20., Ledesma *in* 3. *part. D. Thomæ quæst.* 45. *art.* 5. *fol.* 201. *vers. Quo posito*, Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell. r. gloss.* 48. *num.* 7. Pignatell. *tom.* 5. *consult. 79. numer.* 19. Jorius *de Matrim. part.* 4. *quæst.*7. *de Paroch. num.* 8. Rodriquez *in Summa cap.* 218. *num.* 18. De Justis *de dispensat. Matrim. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 98. & pluries resolvit *dict. Sacr. Congregat. Concil.* signanter *in Mediolanen.* 15. *Decembr.* 1629. *in Brugnat.* 16. *Martii* 1630. *in Comen.* 2. *Junii* 1674. *& in Ruremunden.* 23. *Augusti* 1681. apud Ursayam *tom.* 1. *part.* 2. *discept.* 2. *num.* 109. Et talem esse verum, & germanum sensum resolutionum Sacræ Congregationis Concilii circa Parochi affectationem late ostendit dict. Ursaya *tom.* 2. *part.* 1. *discept.* 1. §. 14. *per tot.* plurimos ad id allegans Doctores, & valida fundamenta adducens.

Nec valet dicere, uti prætendunt Patroni contrariæ senten- 74
tiæ, quod in dictis casibus Parochi affectantis non audire verba, vel non videre nutus contrahentium, sufficiat sola ipsius Parochi præsentia physica, seu materialis; Non valet, inquam, quia talis opinio fuit expresse reprobata *a Sacr. Congregat. Concil. die* 6. *Martii* 1700. Cum enim mandante Innocentio XII. die 10. Januarii 1699. fuerint in dicta Sacra Congregatione proposita resolvenda infrascripta quatuor dubia.

I. *An Parochus teneatur prohibere, & quantum in se est positive resistere Clandestinis Matrimoniis? & quatenus affirmative.*

II. *An ob inopinatum casum deficientibus aliis mediis prohibendi, & resistendi, peccet, vel male faciat Parochus tentando fugam, claudendo oculos, & aures obturando?*

III. *An Parochi præsentia, de qua loquitur Sacrum Concilium in* 2. *part. cap.* 1. *sess.*24. *de Reform. Matrimonii cum illis verbis; Qui aliter quam præsente Parocho &c. debeat esse moralis humano modo, vel cum advertentia, ita ut possit esse testis Matrimonii actualiter, & de facto contracti; non vero voluntatis contrahendi, vel sufficiat potius sola præsentia physica, & materialis?*

IV. *An affectante Parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere Matrimonium, & revera illa non audiente, vel istos non videnti, validum sit Matrimonium coram ipso attentatum?*

Die 6. *Martii* 1700. *Ead. Sacra Congregatio Concilii reproba-*

Data opinione, quod sufficiat præsentia Parochi pure physica, seu materialis, censuit providendum esse in casibus particularibus.

J. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Jo. Dominicus Thomatus Sacr. Congregat. Secretarius.

75 Sic refert Ursaya *tom. 1. part. 2. num. 20. & sequent. & num. 258. & sequent. & num. 279. & sequent.* Qui *in ead. disc. cept. a num. 25. ad 29.* ad primum ex quatuor allatis dubiis respondet cum plurimis Doctoribus *Affirmative* per expressum textum Generalis Concilii Lateranensis relat. *in cap. Cum inhibitio 3. §. Sane, de clandestina desponsatione*, ibi: „ Sane si Parochialis Sacerdos tales conjunctiones prohibere „ contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui eisdem „ præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspenda„ tur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit„ quæ Conciliaris Sanctio fuit expresse renovata per Concil. Tridentin. *sess. 24. de reform. Matrimon. cap. 1, post princip.*

76 Et ibid. *a num. 30. ad 32.* ad secundum dubium respondet *Negative*, quia ad evitandam suspensionis pœnam, & ad non committendum peccatum mortale, tenetur Parochus omnibus sibi possibilibus modis clandestinis Matrimoniis resistere; sicque aliis deficientibus modis, bene facit tentando fugam, claudendo aures, & oculos, ut ipso teste advertunt fere omnes classici Doctores, & Rota *part. 7. recent. decis. 124. num. 17. part. 8. recent. decis. 122. per tot.* & coram Rojas *decis. 431, num. 5.* & resolvit *Sacr. Congregat. Concil. in Comen. Matrimon. 2. Julii 1675. ut in lib. 28. Decretor. fol. 312.*

77 Et infra a *num. 33. ad 101.* cum innumeris Doctoribus, variisque Decisionibus, ac Juribus resolvit tertium dubium, solide ostendendo, quod ad validitatem Matrimonii requiratur Parochi præsentia moralis humano modo, & talis naturæ, & advertentiæ, ut possit testificari de Matrimonio de facto coram ipso contracto; & nullimode sufficiat ejus præsentia pure physica, seu materialis, ut pluries censuit *Sacr. Congregat. Concil.* & signanter *in Lauden. Matrimon. 28. Julii 1678.* in qua nullatenus pro valido canonizare voluit Matrimonium coram Episcopo materialiter, & physice prælente contractum, & novissime in *Romana Matrimonii die 6. Martii* 1700. absolute reprobavit *opinionem, quod sufficiat præsentia Parochi pure physica, & materialis.*

78 Et ultimo *ibid. a num. 103. usque in finem* plurimis adductis rationibus, decisionibus, & Auctoribus ad quartum dubium respondet *Negative.*

79 Nec ijspradictis obsistunt duæ, quæ solent allegari, resolutiones Sacræ Congregationis Concilii; Una in *Romana Matrimonii 6. Augusti* 1706. Et alia *in Amerina Matrimonii 15. Decembr.* 1714. *&* 12. *Januarii* 1715. ac si dicta Sacra Congregatio Concilii recedendo a prioribus aliis resolutionibus, & præcipue a dicta *Romana 6. Martii* 1700. in ea fuerit opinione in dd. *Romana, & Amerina*, ut sola physica Parochi præsentia pro Matrimonii validitate sufficiat, utque affectante Parocho non audire, & revera ex ipsius facto, seu affectatione, non audiente consensum contrahentium, adhuc Matrimonium sit validum. Tales enim Sacræ Congregationis resolutiones nihil officiunt, quia in tantum ibi Sacra Congregatio censuit validum esse Matrimonium, non obstante affectatione Parochi, in quantum non obstante quod Parochus data opera, & consulto affectasset, seu finxisset non intelligere, ac percipere, revera tamen intellexit, & percepit mutuum actualem contrahentium consensum, ut clare ostendit dict. Ursaya *tom. 1, part. 2. disceptat. 2. a num. 245. ad 253.*

80 Hinc manifeste apparet, nullatenus recessisse dictum Sacram Congregationem ab allegata *supra num. 74. resolutione, in Romana 6. Martii* 1700. in qua raro exemplo interfuerunt 21. Eminentissimi PP. nempe Eminentissimi DD. Cardin. Bullionus, Acciajolus, de Carpineo, Petruccius, Colloredus, Cantelmus, De Judice, Morigia, Tanara, Cincius, S. Clementis, Sacripantes Præfectus, Noris, Paulucius, Radolonicus, Sperellius, Gabriellius, Bichius, Franciscus Barberinus, de Alteriis, & Sancti Cæsarei. Unde stat clarum, quod Sacra Congregatio Concilii declaravit quidem valida Matrimonia contracta coram Parochis affectantibus, seu fingentibus non audire verba, vel non videre nutus contrahentium, sed in rei veritate illa audientibus, istos videntibus; Nunquam vero pro validis habuit illa Matrimonia contracta coram Parochis, ex virtuosa, & commendabili diligentia in exequendo sanctionem Generalis Concilii Lateranensis *cap. 51.* relat. *in cap. Cum inhibitio 3. §. Sane, de Clandestina dispensatione* & confirmata a Concil. Trident. *Sess. 24. de reformat. Matrimon. cap. 1, post princip.* affectantibus non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere, & revera illa non audientibus, vel istos non videntibus, & sic nullatenus mutuum eorum consensum percipientibus; Ut enim recte dicit doctissimus Rosignolus *in Prax. Theol. Legal. de Matrim. 1. prænot. 32. sub num. 5.* sequutus ab Ursaya *cit. disceptat. 2. num. 265.* „ Omnino improbabile est, quod Sa„ cra Congregatio voluerit testimonium illius esse validum, „ qui nihil percipit eorum, quæ facta sunt; Quomodo enim „ testificari poterit de Matrimonio, quod non cognovit „? Et clare evincitur de mente ipsiusmet Sacræ Congregationis Concilii, quæ in *cit. Romana die 6. Martii* 1700. *absolute reprobavit opinionem, quod sufficiat præsentia Parochi, pure physica, seu materialis*, hac viva ratione, quod non censeatur præsens, ad hoc ut de Matrimonio testificari possit, nisi vere intelligat, ac percipiat mutuum contrahentium consensum; *argument. leg. Coram Titio 209. ff. de verbor. signific.*, ibi; „ Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsen„ te eo feciste, nisi is intelligat; scire autem, non etiam velle „ is debet, nam & invito eo, recte fit, quod jussum est; *leg. Non multum 14. ff. de Auctorit. Tutor.*, ibi: „ Non multum „ interest an adfuerit Tutor, cum negotium contraheretur, an „ præsens ignoraverit, quale esset, quod contrahebatur; *leg. Apud Labeonem 246. ff. de verbor. significat. leg. Testium 18. Cod. de Testib.* cum similibus. Hinc sic recte concludit Guttierez *de Matrimon. in cap. 69. num. 1.* sequutus ab Ursaya *cit. disceptat. 2. num. 65.* „ Cum igitur Concil. Trident. ad valo„ rem Matrimonii requirat præsentiam præcise Parochi &c. „ intelligi debet juxta Juris communis dispositionem, scilicet „ de præsentia more humano, hoc est cum intelligentia, & „ advertentia actus, qui celebratur„. Vide ipsum Ursayam *tom. 1. part. 2. disceptat. 2. per tot.* & *tom. 3. part. 1. disceptat. 1. per tot.* & signanter §. 13, *&* 14. ubi late, & solide ad rem.

Parochus valide assistit, etiamsi ex alia causa vocatus, 81
adhibitus tamen ad illum actum; *Sacra Congreg. Concil.* apud Fagnan. *in cap. Quoniam 13. de Constitutionibus num. 25.* Imo etiam si Episcopus illi facultatem assistendi Matrimoniis in- 82
terdixerit, quia Parochus ex Concilio Tridentino *loco cit.* jure proprio, & non ex aliena facultate hanc assistentiam, exercet, *arg. leg. More majorum ff. de Jurisd. omnium Judic.* ibi: *Qui etiam jure suo, non alieno beneficio habent.* Et sic declaravit *ead. Sac. Congr. Concil.* apud Fagnan. *loc. cit.* & tenet communis Doctorum, teste Reiffenstuel *loc. cit. numero 72.*

Parochus valide assistit Matrimonio, quamvis sit putati- 83
vus; *Sacr. Congr. Concil. 12. Martii 1593.* teste Barbosa *de offic. & potest. Parochi part. 2. cap. 21. num. 51.* Item 84
quamvis habeat suam collationem nullam ob nullitatem concursus propter defectum Examinatorum Synodalium; *Ead. Sac. Congr. in Ceneten. 31. Julii* 1627. apud Barbos. *loc. citat.* 85
Item valide assistit, quamvis sit Irregularis, Suspensus, Interdictus, & Excommunicatus, etiam vitandus, dummodo possessionem Beneficii adhuc retineat, & non sit actualiter depositus, quia talis adhuc est, & manet vere Parochus, adeoque &c. *Communis* cum Barbos. *loc. cit. num. 52.* Sanchez *loc. cit. num. 4.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 73.* Fagnan. *in cap. Literæ num. 26. de Matrimonio contracto contra interdictum Eccles.* ubi refert sic declarasse *Sacr. Congr. Concil. de Parocho publice denunciato Excommunicato.*

Parochus proprius vagorum in ordine ad Matrimonium est 86
Parochus illius loci, ubi vagi actu versantur; Sanchez *loc. cit. num. 5. 8. & 11.* Pirhing. *loc. cit. num. 16.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 83.* & alii communiter. Talis Parochus valide 87
assistit vagorum matrimonio, etiamsi ipsi ea intentione, & animo, ut citius, & liberius in ejus Parochia copulentur, e proprio domicilio discedant, sicque aliquam quasi fraudem, & dolum committant, dummodo vero, & non ficto animo illud deserant, & ad illud brevi redire revera non intendant. In tali enim casu non patrocinatur illis fraus, sed conditio Parochiani, quam licite acquirunt; Card. de Luca *de Matr. disc. 1. num. 9. & sequent.* dicens sæpe esse declaratum a Sacra Congr. Concilii talem fraudulentiam non obstare mutationi domicilii, nec invalidare matrimonium; idem docet Fagnanus *lib. 3. Decretal. cap. Significavit 5. de Parochis num. 36.*

num. 36. & seq. ubi affert ad rem plures *Sacr. Congr. Concil. casus*, & signanter de quodam Juvene nobili, & Meretrice Senensi, qui timentes posse impediri in Civitate Senarum, ut facilius, & securius inter se matrimonium contraherent, Romam accesserunt, ibique aliquantisper commorati, coram Parocho, & testibus S. Anastasiæ, in cujus Parochia tunc habitabant, contraxerunt, & fuit judicatum pro validitate matrimonii. Item de quodam Scholari, qui Patavii quinque vel sex menses commoratus duxit Mulierem plebejam coram Parocho loci, & testibus. Item de quodam alio, qui ob eamdem causam se in Angliam transtulit, & ibi aliquantisper moratus coram Parocho habitationis cum Meretrice contraxit Matrimonium. Item de quodam viro, & Muliere Trajectensi, qui timentes impedimentum a parentibus ad vicinam Urbem Aquisgranensem se contulerunt, & ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxerunt. & *Sacr. Congreg. Concil. respondit, quod si Aquisgranæ manserunt saltem per tempus unius Mensis, danda est decisio pro validitate, alias de novo referendum in Congregatione.* Ex quibus, dicit Fagnanus, non videtur dubitandum quominus validum sit matrimonium contractum coram Parocho habitationis post quartum habitationis Mensem, & in hanc sententiam *Sacr. Congr. respondit*: Hæc ex Fagnano *loco cit. a num. 36. ad 39.* inclusive. Et pro validitate matrimonii contracti in Civitate, ad quam data opera se contulerunt conjuges, respondit *Sacra Congregatio in Cæsenaten. seu Forolivien. Matrimonii 20. Februarii* 1723. *& in Firmana Matrimonii 24. Aprilis ejusdem anni* 1723. Vide *Vagus, Vagabundus num. 4.*

88 Parochi autem quamvis vagorum matrimoniis valide assistant sine præcedenti inquisitione de eorum statu libero, & habilitate ad contrahendum, tamen non possunt licite assistere, nisi prævia diligenti inquisitione, & obtenta Ordinarii licentia, ne forte sint alibi conjugati, aut habeant occultum impedimentum; Sic expresse statuit Concil. Tridentinum *sess. 24. de reformat. Matrimonii cap. 7.* ibi: „ Multi „ sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes!, & ut im„ probi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerum„ que plures, illa vivente, diversis in locis ducunt, cui„ morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad „ quos spectat, paterne monet, ne hoc genus hominum „ vagantium ad matrimonium facile recipiant; Magistratus „ etiam sæculares hortatur, ut eos severe coerceant. Pa„ rochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, „ nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Or„ dinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

89 Unde Parochi, qui sine diligenti inquisitione præmissa, & licentia ab Ordinario obtenta assistunt Matrimoniis vagorum etiamsi unus tantum esset vagus, peccant mortaliter, & possunt graviter ab Ordinariis puniri, quia in re gravissima agunt contra tam urgens, & expressum præceptum Ecclesiasticum Trid. Conc. *Communis.*

90 Matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam, vel ad correctionem coram Parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium, ut declaravit *Sac. Congr. Concil. in Farfen. matrim. 26. Martii* 1707. quod decretum legitur impressum in statuto Cleri Romani *cap. 3. de jure eligendi sepultur. §. 4. in addition.* Matrimonium contractum coram Capellano Hospi- 91
talis nullum est; *Sacra Congr. Concil. in Eugubina 12. Apr.* 92
1651. *lib. 19. decret. fol. 124. a tergo.* Matrimonium puellarum expositarum degentium in Conservatoriis, seu Hospitalibus non debent, neque possunt contrahi coram Rectoribus, seu Capellanis eorumdem Locorum, sed coram proprio Parocho, in cujus Parochia sita sunt prædicta loca; Sic pluries declaravit *Sacra Congr. Concil. apud Pignatell. conf. 396. tom. 1.* & nuper *in Svessana 7. Septembr.* 1697. Matrimonium 93
contractum a puella educanda ad Crates Monasterii coram testibus, & Parocho Ecclesiæ Parochialis, intra cujus limites situm est Monasterium, validum est, etiamsi Parochus fuerit alio prætextu vocatus, nisi aliud obstet; *Sacra Cong. Concil. in Turitana 19. Decembr. 1648. lib. 18. decr. pag. 563.*

94 Matrimonia contracta coram Capellanis Exercitus a militibus degentibus in Castris, & stationibus hybernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militaribus Fœminis sine licentia Ordinarii loci, vel sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, nulla sunt; *Sac. Cong. Conc. 6. Martii* 1694. Vide verb. *Capellanus militum, ubi abunde per tot.*

Principes, vel Nobiles, quamvis per fictionem Juris cen- 95
seantur Cives omnium Urbium, & omnium Pagorum sui Principatus, vel dominii, non tamen possunt valide contrahere matrimonium in omnibus sibi subditis locis, sed solum in loco, ubi veram, & realem habitationem habent, & coram Parocho Palatii, in quo ordinarie residet, qua Concilium Tridentinum *sess. 24. de reformat. Matrimon. cap. 1.* exigens præsentiam proprii Parochi, aperte intelligit de Parocho proprio, apud quem vere, & non per fictionem Juris contrahentes habitant in proprio domicilio; Card. de Lugo *in Respons. moralib. lib. 1. dub. 37.* Gobat. *tract. 9. numero 497.* La Croix *lib. 3. par. 6. num. 724.* & alii; *arg. cap. Cum quis 2. de sepult. in 6.* Si autem tales Principes, vel No- 96
biles, Marchiones, Comites, & hujusmodi duo loca, seu duas Parochias æqualiter, aut fere æqualiter inhabitant, V. G. unam hyeme, alteram æstate, possunt indifferenter coram alterutro Parocho contrahere matrimonium, ita ut, si hyeme contrahant, possunt contrahere etiam coram Parocho æstivali, & e contra, quia uterque utroque tempore est proprius eorum Parochus; *arg. cap. Cum quis 2. de sepult. in 6. & leg. Assumptio §. Virisprudentibus ff. ad municipalem*, Guttierez *de Matrimon. cap. 26. num. 4. & cap. 64. numer. 2.* Sanchez *de Matrimon. lib. 3. disp. 24. num. 3.* Barbosa *de potest. Episcop. allegat. 32. & de Officio Par. part. 2. cap. 21. n. 41.* Bonacina *in tit. de Matrimonio quæst. 2. punct. 8. nu. 5. tom. 1.* Panimoll. *decis. 120. num. 29.* Ferentil. *in annotat. ad dec. 713.* Buratti *num. 14.* & alii passim cum La Croix *loc. cit. n. 723.* Lugo *loc. cit.* Gobat. *loc. cit. num. 508.* & Rota *in Toletana Matrimonii 10. Decembris* 1615. *& in Neapolitana Matrimonii 30. Martii* 1629. *coram Merlino.* Si vero non æqua- 97
liter habitent utrobique, sed V. G. per septem menses in Urbe, & per quinque Ruri recreationis gratia, aut recolligendorum fructuum causa, invalide contrahunt Ruri, quia, ut possint contrahere in utroque loco, Jura requirunt æqualitatem habitationis in utroque, non quidem arithemeticam, sed saltem moralem, quæ in nostro casu non reperitur, cum dies 154. non sint numero moraliter æquales cum diebus 210. Lugo *loc. cit. dub. 37.* Gobat *loc. cit. num. 508.* La Croix *loc. cit. num. 723.* Cenedo *q. 30. n. 69.* & ita firmasse Sac. Congr. Conc. testatur Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 7. n. 11. ad 4.* Panimoll. *dec. 120. num. 31.* Guttier. *de Matrim. cap. 63. num. 7.* Navarr. *consil. 7. num. 2. sub tit. de Clandestin. desponsi. in noviss.* Menochius *consil. 378. numer. 5. 16. 21. 37. & vol. 4.* Sanchez *de Matrimon. lib. 3. disp. 23. num. 12.* Riccius *in praxi tom. 1. resolut. 214. num. 2.* Barbosa *de potest. Episc. allegat. 32. num. 66. & de Offic. Parochi part. 2. cap. 21. num. 37.* Bonacina *loc. cit. num. 3.* Diana *resol. moral. part. 3. tract. 4. de Sacrament. resolut. 231.* & alii passim cum Rota *dec. 656. part. 1. diversf.* & coram Seraphin. *dec. 615.*

Ad valorem Matrimonii ultra præsentiam Parochi, aut 98
delegati ab eo, vel ab Ordinario requiruntur, & sufficiunt duo testes; *Communis*, textu expresso in Concil. Trident. *sess. 24. de reformat. Matrimon. cap.* Ad valorem matrimonii 99
sufficiunt, quicumque testes rationis capaces, & ea, quæ de jure naturæ requiruntur habentes; sic sufficiunt etiam Puberes, Consanguinei, Domestici, Religiosi, Fœminæ, Excommunicati, infames, infideles, hæretici, & alii etiam de Jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles, Concilium enim Tridentinum *loc. cit.* duos, vel tres testes simpliciter, & sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit, adeoque &c. *Communis* cum Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. allegat. 32. num.* 138. Sanchez *lib. 3. disp. 42. num. 5.* Layman *lib. 5. tract. 10. punct. 2. cap. 4. num. 6.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 103.*

Ad valorem matrimonii non sufficit præcise præsentia 100
physica, & corporea Parochi, & testium, sed requiritur eorum præsentia moralis, rationalis, & humana, ita ut intelligant sponsos de præsenti contrahere matrimonium: *Communis, arg. Concil. Trident. cit. sess. 24. cap. 1.* ibi: *Eorum mutuo consensu intellecto*; & sic expresse declarasse Sacram *Congreg. Concil.* refert Rebellius *part. 2. lib. 2. quæst. 8. num. 4. & 7. & post lib. 4.* per hæc verba formalia: „ Quartum du„ bium si Sacerdos adfuit, nihil tamen eorum, quæ age„ bantur, vidit, neque audivit; Utrum tale matrimonium „ validum sit sic contractum, vel potius tamquam sine Sa„ cerdote nullius sit ponderis? Respondit Sacra Congr. non „ valere, si Sacerdos non intellexit.

Præsentia Parochi, & testium ad validitatem matrimonii 101
debet esse simultanea, nec sufficit successiva. Debent enim

ita esse præsentes, ut de uno, eodemque contractu matrimonii testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul præsentes existant; *Communis, argum. Concil. Trident. loc. cit.* ubi expresse videtur requirere simultaneam eorum præsentiam per illam copulativam dictionem: *Et Præsente Parocho, & testibus*. Præsentia Parochi, & testium sufficit ad
102 valorem matrimonii, quamvis ob aliam causam sint vocati, dolose, & fraudulenter illuc adducti, inviti, & coacti, etiam cum protestatione, & contradictione ibidem existant, dummodo tamen ad illum actum adhibeantur, & intelligant, seu percipiant contrahentium consensum; Sic pluries declarasse Sacram Congregat. Conc. refert Sanchez *lib. 3. disp. 39. n. 9.* & signanter *die 29. Augusti* 1591. teste Gonet. *cap. 4. qu. 10.* apud la Croix *lib. 6. part. 3. num. 760.* his verbis: *Sacr. Congreg. Concilii censuit Matrimonium coram Parocho, & testibus contractum, nisi aliud obstet, videlicet esse, quamvis Parochus invitus interfuerit, & alia de causa, quam, ut Matrimonio interesset, a contrahentibus accersitus fuerit*, & consimiliter 19. *Decembris* 1648. *lib. 18. decret. pag. 563.* & alios apud Pontium *lib. 5. cap. 21. num. 5.* & apud Farinacium *volum. 4. pag. 267.* & apud Reiffenstuel *loc. cit. n. 108.* his verbis: *Dummodo Parochus sit præsens, & intelligat id, quod agitur, licet dissentiat, & contradicat; adhibitus vero Parochus intelligitur, etiamsi ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum*. Et sic tenet communis Doctorum, quia Tridentinum *loc. cit.* plus non requirit, quam ut matrimonium contrahatur *Præsente Parocho, & duobus, aut tribus testibus*, quod revera sit, etiamsi ipsi dolo inducti, aut coacti, & inviti, seu dissentientes, & contradicentes sint præsentes; *arg. leg. coram 209. ff. De V. S.* ubi clare habetur, quod coram aliquo quid fieri dicatur, etiamsi eo invito fiat, ibi: *Scire autem, non etiam velle, is debet*, Vide *supra num. 80.*

103 Præsentia Parochi, & testium an sufficiat ad valorem matrimonii, etiamsi ipsi nihil eorum, quæ agebantur, viderint, & intellexerint, si affectarunt non intelligere, obturando aures suas, ne audirent? Ut pro valore declarasse Sacram Congregationem Conc. refert Fagnan. *lib. 1. decr. cap. Quoniam de Constitutionibus num. 25. & lib. 5. cap. Quæsitum est de pœnitent. & remissionibus num. 7.* præcisis his verbis; *Sacra Cong. Concilii alias respondit, validum esse matrimonium contractum coram Parocho etiam invito, & pervim abhibito, quamquam nihil eorum, quæ agebantur, vidit, & intellexit, si affectavit non intelligere, ut in Parocho, qui obturavit aures suas, ne audiret*. Vide supra *a num. 69. ad 80.* & conclude ut *ibi*.

104 Præsentia Parochi, & testium sufficit ad valorem matrimonii, etiamsi fuerit accidentalis, seu casualis, & non requisita, seu contrahentes se fisterint coram ipsis transeuntibus per viam, confabulantibus in congressu, convivantibus in mensa, rem Divinam Parocho ad Altare faciente, ad ipsum accedente, & ab ipso recedente, & testibus intervientibus, seu assistentibus, & hujusmodi, dummodo tam Parochus, quam testes contrahentium consensum intelligant; Sic declarasse *Sacram Congregationem Concilii* refert Salzedo *ad pralvic. Diaz. cap. 37. dub. 5.* & Rosignol. *contract. 15. de Matrimon. 1. præmot. 32. num. 10.* his verbis: „ An si adsit „ Parochus, dum contrahitur matrimonium, casu non co„ gitans se ad id vocatum, sed aliud agens audivit duos „ inter se contrahentes matrimonium, sit validum tale ma„ trimonium, in quo fuit præsens, non autem certioratus, „ neque ad id expresse vocatus, neque interponens suam „ auctoritatem dicto, vel facto, vel potius sit nullum, quasi „ assistentia auctorativa per Concilium requiratur, non „ nuda, vel carnalis præsentia? Sacra Congregatio Conci„ lii censuit valere, etiamsi Parochus aliam ob causam ad„ hibitus sit ad illum actum: & consimiliter fuisse sæpius „ resolutum *ab eadem Sacra Congregatione* refert Ledesma *de Matrimon. quæst. 45. art. 5. in 2. dub.* Guttierez *de Matr. cap. 69. num. 3.* & tenuit Rota *de Mente ejusdem Sacr. Congr.* coram Card. Seraphin. *decis. 1099. num. 5. & in Ulixbonen. Matrimon. 16. Novembris* 1622. *coram Manzanedo, & par. 7. recent. decis. 124. num. 17. & 18. & part. 11. decis. 301. nu. 7. & part. 4. tom. 2. decis. 431. num. 2. & 3.* & Annotat. *ad dictam decis. 431. a num. 13. ad 24.* & sic tenent Barbos. *de Offic. & potest. Episcop. allegat. 32. num. 88. & de Offic. & potest. Parochi part. 2. cap. 21. num. 50. & supra Concil. sess. 24. de reformat. cap. 1. num. 77.* ubique plurimos alios citans; Rosignol. *loc. cit. num. 10.* Navarrus *lib. 4. consil. in prima edit. tit. de sponsalibus consil. 20. & in secunda tit. de clandestin. desponsat. consil.* 11. Segura *secund. part. director. Judic. cap. 51. num. 54.* Sanchez *loc. cit. disp. 41. num. 7.* Bosco *disp. 11. sect. 9. conclus. 14. num. 558.* Gobat. *tract. 9. cas. 18. num. 292.* Joannes Angelus Bossius *de Matrimon. contractu cap. 3. num. 6. & alii innumeri apud eumdem*, & apud La Croix *lib. 6. part. 3. num. 760.* Et ratio est, quia quomodocumque Parochus, & testes sint præsentes, sive expresse rogati, sive non rogati, per talem præsentiam satisfit fini Conc. Trident., cum taliter præsentes, etiam non rogati, possint, ac si data opera interessent, testificari de contracto matrimonio, & consequenter impedire, ne sic contrahentes, stante hoc, aliud contrahere possint; *arg. l. Ad fidem 11. ff. de testibus*, ibi: *Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur*.

Alii tamen, ut Gonzalez *ad regul. 8. Cancellar. glossa 48.* 105
num. 35. Fagnan. *lib. 4. decretal. cap. Quod nobis 2. de clandestina desponsat. num. 54. §. Cave*, Pontius *lib. 5. cap. 21. n. 4.* Bonacina, Leander, & Amicus tenent ad valorem matrimonii requiri, ut Parochus, & testes formaliter sint adhibiti, idest requisiti, & rogati, & adducunt pro sua sententia duas declarationes Sacræ Congregat. Conc., quas allegant Pontius *loc. cit.* Rebellius *part. 2. lib. 2. q. 8. sect. 3. num. 51. & 73.* & alii, quorum prima sic sonat; „ Parochus præsens matri„ monio debet esse, ut appareat a contrahentibus adhibitum „ fuisse, secus, si præsens casu fuisset. Secunda sic habet: „ An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de præ„ senti proprio Parocho præsente, & aliis requisitis non„ omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non „ fuit, sed dum forsan convivii, vel confabulationis, vel „ aliud tractandi causa adesset, accidit hujusmodi contra„ ctum fieri, & postea alter contrahentium velit ab hujus„ modi contractu ratione hujus defectus resilire? Congrega„ tio respondit, posse, nisi alia intervenerint, quæ Paro„ chum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant, qui dice„ retur adhibitus, ut supra, quamvis ex alia causa vocatus, „ dummodo sit adhibitus ad illum actum. Aft istæ, & con„ similes Sacræ Congregationis declarationes possunt, & de„ bent conciliari cum primis adductis numero antecedenti, di„ cendo esse intelligendas pro quando Parochus, & testes ac„ cidentalites, & casualiter præsentes non adverterunt, quæ „ dicevent, & facerent contrahentes, nec potuerunt percipe„ re, & intelligere serium esse in tali circumstantia recipro„ cum eorum consensum, prout explicant Joannes Angelus „ Bossius *loc. cit. num. 7. in fine*, Rosignol. *loc. cit. num. 10.* „ & alii. Hinc Parochus, & testes licet solum accidentaliter, & casualiter præsentes adhuc dici possunt sufficienter ad „ eum actum adhibiti, ex eo quod contrahentes coram illis „ consensum manifestaverint, ad finem servandi ea, quæ a „ Tridentino *loc. cit.* præscribuntur, dummodo contrahentium „ consensum intellexerint, & perceperint. Vide *supra a n. 71. ad 80.*

Præsentia Parochi, & testium non requiritur in locis, ubi 106
Concilium Tridentinum non est promulgatum. Colligitur ex ipsomet Concilio *loc. cit.* ubi expresse disponit Decretum „ illum in aliquo loco, seu Parochia non tenere, nisi ibidem „ fuerit promulgatum, ibi: *Decrevit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ enumerandos*, & explicite declaravit Sacra Congregatio Concil. apud Bosco *par. 5. disp. 11. sect. 9. concl. 5.*, ibi: *Sacra Congregatio censuit, ubi decretum Concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonii non est publicatum, valere Matrimonia contracta absque observatione formæ a Concilio præscriptæ*. Matrimonium contractum sine præsentia Paro- 107
chi, & testium ab incolis loci, seu Provinciæ, ubi fuit promulgatum, sed non receptum Tridentinum quoad disposita *de Matrimonio Clandestino*, est validum; *Communis, & certa*. Item validum est Matrimonium contractum sine præsen- 108
tia Parochi, & Testium ab eo, qui e loco promulgati, & recepti Concilii pergit ad locum, ubi promulgatum, aut receptum non est, & ibi cum incola illius loci contrahit; Secus vero e contra, si e loco non promulgati Concilii pergat ad locum, in quo est promulgatum, & ibi contrahat sine præsentia Parochi, & testium, semper enim habenda est ratio loci, ubi Matrimonium per verba de præsenti contrahitur; *Communissima*, & sic declarasse Sacr. Congregationem Conc. referunt Uvamelius *in consil. tom. 2. consil. 530.* Pignatell. *tom. 5. consult. 79. num. 23.* La Croix *lib. 6. part. 3. numer. 714.*

Si

109 Si ambo Sponsi e loco publicati, & recepti Conc. transferant realiter suam habitationem ad locum, ubi non est publicatum, quamvis eo solo animo, ut absque Parocho & testibus contrahant, validum est eorum Matrimonium: Secus vero, si illuc se transferant cum tali fine, & habitationem realiter non mutent, seu retento suo domicilio in loco publicati Conc. transeant per locum, ubi non est publicatum, & ibi contrahant; Sic quoad omnes tres partes respondit Sacra Cong. Conc. 5. *Sept.* 1626. quæ responsio fuit confirmata ab Urbano VIII. in Brevi, ut sequitur:

URBANUS VIII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis fecit Venerabilis Frater Archiepiscopus Colonien sis, quod habito nuper per eum ad Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, Sacri Conc. Trid. Interpretes, recursu supra infrascriptis dubiis, videlicet: Primo, An Incolæ tam masculi, quam Fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii est promulgatum, tranleuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in illo loco matrimonium sine Parocho, & testibus contrahere? Secundo, quid si eo prædicti incolæ, tam masculi, quam fœminæ solo animo sine Parocho, & testibus contrahendi se transferant habitationem non mutantes? Tertio, quid si iidem incolæ tam masculi, quam fœminæ eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, & testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum, & secundum non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude. Ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt, & resolverunt, prout in Decreto desuper emanato plenius continetur.

Cum autem sicuti eadem expositio subjungebat, dictus Archiepiscopus responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi pro illius subsistentia firmiori Apostolicæ Nostræ Confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eumdem Archiepiscopum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis superhoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi Auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus; & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes illud, seu illam, necnon præsentes Litteras valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque, & juxta illa per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 14. Augusti anno 1627. Pontificatus nostri Anno V.

110 Valida sunt matrimonia, quæ Catholici V. G. Mercatores, aut peregrini contrahunt sine præsentia Parochi, aut testium in locis infidelibus, ut in Regno Turcarum, Persiarum, & hujusmodi, aut in locis hæreticis, ubi nunquam fuit publicatum Concilium Tridentinum, ut in Saxonia, Prussia, Svecia, Anglia, Scotia, Dania, Pomerania, & aliis partibus septentrionalibus, quæ jam ante Concilium Tridentinum a vera fide defecerant; *Communis*, & sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Bosco *par. 5. disp. 11.*
111 *sect. 9. conclus. 5.* & sic respondit Episcopo Tricaricensi ad primum dub. 19. Januar. 1605.; V. G. in Holandia, Zelandia, Frisia, & hujusmodi. In locis autem hæreticis promulgati Conc. Trid., si Parochus, aut Episcopus, vel alius Sacerdos ab ipsis deputatus haberi non potest, ad valorem matrimonii requiruntur nihilominus duo testes, quia illi facile haberi possunt; Sic declaravit *Sacra Congregatio Concilii, & respondit Episcopo Tricaricensi 19. Januar.* 1605. ad quartum, & quintum dubium, ibi: „ Quarto. Ubi etiam constat „ Decretum Conc. esse observatum, sed Parochialis Eccle„ sia, utpote vacans proprio Parocho careat, et Cathedralis „ itidem Episcopus, atque Capitulo, habentibus a Concilio „ facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque „ alius ibi sit, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat, „ matrimonium valere absque præsentia Parochi; servata „ tamen in eo, in quo potest, forma Conc., nempe adhibi„ tis saltem duobus testibus. Quinto. Si extent quidem Pa„ rochus, et Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uter„ que metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur, ubi„ nam sit, vel eodem metu a Dioecesi absit, nec ad alteru„ trum sit cuius accessus, validum est matrimonium contra„ ctum absque forma Conc., adhibitis tamen, ut dictum „ est, duobus testibus.

Hæretici quoque in locis, ubi publicatum est Concilium 112
Tridentinum, tenentur observare formam indictam ab ipso pro contrahendis matrimoniis, unde, si sine præsentia Parochi, et testium ibi contrahant, eorum matrimonia sunt nulla; Sic respondit *Sacra Congregatio Concilii Episcopo Tricaricensi 19. Januarii 1605. ad tertium dubium*, ibi: *Tertio Hæreticos quoque, ubi Decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, & præterea ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro hæretico, vel Magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse*, & similiter declaravit *in Ruremondensi Matrimonii die 2. Maii* 1676. ubi declaravit nullum matrimonium contractum coram Magistratu sæculari in loco, ubi Concilium Tridentinum est receptum, et Parochus commode haberi, et adiri poterat. Sunt autem valida matrimonia hæreticorum contracta 113
sine præsentia Parochi, et testium in locis, ubi non fuit publicatum Tridentinum, et sine præsentia Parochi in illis locis, in quibus, quamvis sit publicatum, Parochus tamen, aut Episcopus Catholicus, seu alius Sacerdos ab ipsis deputatus non invenitur, nec potest tutus ad eum haberi accessus, dummodo in illis locis promulgati Conc. adhibeantur duo testes; *Communis*; et patet ex allatis declarationibus Sac. Congreg. *sub num. 99. &* 100.

Raptus impedimentum est statutum a Tridentino *sess.* 24. 114
de reformat. Matrimonii cap. 6. his verbis: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere Matrimonium; quod, si rapta a raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque Dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decid. mt. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

Raptus dirimens Matrimonium est violenta abductio fe- 115
minæ in ordine ad contrahendum matrimonium; *Est in re* 116
communis. Violentia inducens raptum est, non solum phy- 117
sica, v. g. per violentam manuum injectionem, sed etiam moralis, v. g. per minas, aut gravem metum; *Communis*. Ad hoc, ut inducat impedimentum dirimens, debet talis violentia probabilius esse illata ipsi fœminæ raptæ, nec sufficit, si sit illata solis parentibus, aut tutoribus. Unde si puella volens, & consentiens abducatur, quamvis sint inviti, & reclament parentes, seu tutores, non oritur impedimentum raptus; Sanchez *lib. 7. dist. 13. num. 13.* Coninch. *disp. 41. num. 48.* Perez *disp. 38. sect. 1.* Sporer *tom. 3. part. 4. cap. 13. sect. 2. num. 28.* Reiffenstuel *lib. 4. decret. d. tit. 1. numer. 374.* Pignatell. *tom. 5. consult. 80.* Gobat. *num. 546.* Mastrius *num. 108.* Krimier *num. 514.* Kugler *num. 1633.* Uvez *num. 42.* Aloysius Riccius *resolut. 342. num. 5. part. 4.* Hurtad. *disp. 23. diffic. 3. vers. Secundo*, La Croix *lib. 6. part. 3. numer. 628.* cum Aversa, Lessio, Reginald. Tanner. ab ipso citatis. Et ratio est, quia Tridentinum præcise intendit cavere, ne lædatur libertas matrimonii, quæ utique non læditur, si puella libere consentiens abducatur, quamvis violentiam, seu vim patiantur parentes, vel inviti reclament, cum libertas puellæ nubere volentis non dependeat a voluntate parentum, & validissimum sit matrimonium contra eorum voluntatem ab ipsa contractum, ut decrevit ipsum Concilium Tridentinum *cit. sess. 24. de reformat. Matrimonii cap. 1.* anathematizando contrarium sentientes, ibi: „ Eos San„ cta Synodus anathemate damnat . . . . qui falso affirmant „ matrimonia a filiis familias sine consensu parentum con„ tra-

», tracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere », posse. Tum quia Tridentinum statuit impedimentum raptus cessare, si fœmina rapta sit *separata a raptore, & in loco tuto, ac libero constituta*, sive restituatur parentibus, sive non, & ideo etiam *cap. Cum causam 6. de raptoribus*, Lucius III. statuit, ut sequitur: *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit; licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse.*

120 Non desunt tamen magni nominis Doctores, qui contrarium sustinent, nempe, quod raptus fœminæ consentientis, si sint inviti parentes, dirimat matrimonium; Sic Barbosa *super Concil. sess. 24. de reformat. cap. 6. num. 3.* cum Salzedo, Henriq., Vega, Card. Tusch., Zerola, Petro Ledesma, Rebellio, Guttier., Bonac. ibi citatis, Navar. *lib. 5. cons. 2. numer. 1. de Raptor.*, Molina, Henno, & alii, & consentit Card. de Luca *de Matrim. disc. 5. & ad Trident. discurs. 28.* pro casu, quo non præcesserunt Sponsalia, vel tractatio matrim. ineundi, quia secundum S. Thomam 2. 2. *q. 154. art. 7. o. Quandoque violentia infertur patri, sed non virgini, puta cum ipsa consensit, ut ipsa per violentiam de domo patris abstrahatur, qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus.* Ast ex dictis patet, ut recte advertit La Croix *loc. cit.* & alii, quod S. Thomas ibi vult tantum, tunc quomodocumque puellam rapi parentibus, sed non ideo est raptus dirimens matrimonium, cum non præjudicet puellæ libertati, quam tantum Tridentinum vult ibi salvari, nihil reflectens ad consensum parentum, quibus etiam invitis, & contradicentibus potest validissime matrimonium contrahere ex ipsomet Concilio *cit. sess. 24. cap. 1.* per textum numero antecedenti adductum.

121 Conveniunt tamen omnes, quod, si puella consentiens, & volens abducatur insciis parentibus, vel tutoribus, ita ut neque puellæ ipsi, neque parentibus vis inferatur, licet his adhuc injuria fiat, non sit raptus dirimens, quia raptus, sicut & rapina aliquam violentiam continent, ut ex communi notat Navar. *lib. 1. consil. 3. num. 1. de raptor.* Sanchez *lib. 7. disp. 12. num. 36.* Reiffenstuel *loc. cit. nu. 373.* Layman *lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 13. arg. cap. Cum causam 6. de Raptorib.* Sic etiam omnes conveniunt, quod non sit raptus dirimens matrimonium, quando post tractatum de matrimonio legitime contrahendo, vel post sponsalia jam contracta abducitur puella consentiens de domo patris, seu tutoris, quamvis inviti, & reclamantis, ut expresse respondit Lucius III. *in cap. Cum causam 6. de Raptoribus*, per verba præcisa adducta *sub num. 117. in fine*. Quando puella, quæ rapitur, erat prius raptori desponsata, licet ipsa, proposito mutato, sit invita, adhuc negant oriri impedimentum Barbosa *in cap Cum sam 6. de Raptoribus, & supra Concil. Tridentin. sess. 24. de reformation. cap. 5. num. 6.* Farinac., Henriq., Fr. Emmanuel, Joseph Sesse, Rebell., Lessius, Genuensis, Molfesius ab ipso Barbosa citati, & alii cum Tamburin. *lib. 7. in Decalog. cap. 6. §. 2. numer. 15. avg. cit. cap. Cum causam 6. de raptorib.*, ibi: *Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit, quam cognoverit*. Et ratio est, quia talis puella prius desponsata cogitur ad id, quod facere tenebatur; Quæ sententia tenenda est, præsertim, si sponsa nullam habeat justam causam resiliendi; Secus vero non; Gobat. *cas. 19. num. 554.* Sporer *loc. cit. num. 27.* La Croix *loc. cit. num. 637.* & alii cum Krimer *num. 514.* quia, cum sponsa justam causam habet resiliendi, si invita rapiatur, fit ei vera violentia raptus impedimentum inducens, eo vel maxime, quod Sanchez, Aversa, Escobar, Hurtado, & alii velint simpliciter, & absolute oriri impedimentum ex raptu, quo sponsus rapit propriam sponsam invitam.

122 Raptus factus non causa contrahendi Matrimonium cum rapta, sed solum causa libidinis explendæ non dirimit Matrimonium; Sanchez *lib. 7. disp. 13. num. 4.* Reiffenstuel *loc. cit. numer. 377.* Barbosa *super Tridentin. sess. 24. de reform. cap. 6. n. 2.* Salzed. Fr. Emmanuel, Vega, Lessius, Molfesius, Reginald., Guttier. Hurtad. citati a Barbosa *ibidem*, Sporer, *loc. cit. num. 29.* & alii plures cum Tambur. *loc. cit. num. 11.* Gobat. *loc. cit. num. 542.* & alii cum La Croix *loc. c. n. 631.* ubi ex Gallemart. in declaratione ad eum locum, refert, *a Sacr. Congregatione Concilii decisum fuisse 22. Januarii 1586.*, Raptores ob aliam causam, quam ut in Uxores ducant, non comprehendi a Tridentino illis infligente pœnam Excommunicationis. Et ratio est, quia Concilium eo decreto nihil intendit, nisi libertati Matrimonii providere, adeoque agit de solo raptu, & violenta abductione puellæ ad contrahendum Matrimonium. Sa tamen, Bonacina, & alii cum Platell. *num. 1179.* tenent contrarium.

Raptus dirimit Marimonium, etiamsi fœmina rapta non 123
sit virgo, sed corrupta, vidua, conjugata, inhonesta, vel etiam meretrix; Barbosa *loc. cit. num. 4.* cum Bonacina, Reginald. Sanchez, ibi citatis, Bosco *de impediment. Matrim. disp. 12. sect. 9. conclus. 4.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 375.* La Croix *loc. cit. num. 637.* & alii passim. Et ratio est, quia Concilium *loc. cit.* non attendit ad qualitatem virginis, seu honestæ, sed solum ad libertatem cujuscumque fœminæ respectu Matrimonii, universaliter enim, & indistincte de rapta loquitur, & ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *l. De pretio ff. de Publiciana in rem actione*; & verba generalia generaliter sunt intelligenda; *cap. Quia circa 72. de privileg.* præsertim ubi, ut in præsenti, est eadem ratio; *arg. l. Iideo ff. de legibus*.

Raptus, quo fœmina rapit virum, non dirimit Matrimo- 124
nium; Sporer *loc. cit. num. 30.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 376.* Barbosa *loc. cit. n. 5.* cum Farinac., Sanchez, Pontio, Molfes., Reginald., Petro Ledesma, Bonacina, Riccio, Hurtado *ibi ab ipso citatis*? La Croix *loc. cit. num. 635.* cum Dicastill., Escobar, Gobat., & aliis *ibi a se citatis*; Bosco *loc. cit. conclus. 3. a num. 81.* Herinex *de impedimento Raptus disp. 6. num. 80.* & communior aliorum contra Henriquez, Guttier. Vegam, & alios. Et ratio est, quia Concilium *loc. cit.* loquitur solum de raptore, & non de raptrice, unde tale decretum, utpote odiosum, & pœnale, non est extendendum ad rapticem *arg. cap. Odia 15. cap. Quæ a Jure 28. & c. In pœnis 49. de regul. Juris in 6.*

Raptus non dirimit Matrimonium, si solis importunis pre- 125
cibus fœmina abducatur; dummodo preces tales non sint, ut violentiæ æquiparentur: Barbosa *l. c. n. 7.* Sanchez *lib. 7. disput. 13. num. 11.* Guttierez *de Matrimonio cap. 86. n. 15.* Bonacina *de Matrim. q. 4. punct. 8. num. 5. & 6.* & alii passim. Raptus ut sit impedimentum dirimens, requiritur traductio 126
fœminæ de loco ad locum, si enim quis virginem repertam in domo patris, aut in alia domo non educit de ea domo, sed illam ibi opprimit, aut trahit de uno cubiculo ad aliud, ut ibi illam commodius violet, non incurrit impedimentum raptus; Sanchez *lib. 7. disp. 13. n. 7.* Navarrus *consil. 1. num. unic. sub titulo de Raptoribus*. Barbosa *l. c. n. 8.* Fr. Emmanuel *in Summa tom. 1. cap. 232. n. 2.* Coninch. *de Sacrament. & Censur. tom. 2. disp. 31. num. 48.* Bonacina *l. c. punct. 8. num. 6. & 8.* ubi citat Molinam, Guttier. Cardin. Tuschul. & alios.

Impedimentum raptus inter raptorem, & raptam perseverat 127
etiamsi rapta post raptum libere consentiat, *si adhuc ipsa in potestate raptoris manserit, secus vero si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta illum in virum habere consenserit*; *Communis* textu expresso in Tridentino *c. sess. 24. de reformat. Matrimon. cap. 6.* Ubi insuper declaratur, quod Ra- 128
ptores, & fautores raptus dirimentis Matrimonium sint ipso Jure excommunicati, & sint perpetuo infames, & incapaces omnium Dignitatum, & si Clerici sint, amittant gradum Clericalem; & Raptor sive Matrimonium contrahat cum rapta, sive non, tenetur eam decenter dotare arbitrio Judicis. Vide verba præcisa Concilii *supra n. 114.*

Raptores, & eorum auxiliatores, si fuerint Laici, morte 129
plectuntur: §. *Sin autem per vim Instit. de public. judic. & l. 1. Cod. de raptu Virg.* Et insuper incurrunt Excommunicationem ipso facto; *cap. Raptor, cap. Statutum 27. q. 2. cap. Eos, cap. Raptores cap. De puellis, cap. Nullus 36. q. 2.* & expresse Concil. Trid. *sess. 24. de reformat. cap. 6.* Talis au- 130
tem excommunicatio nemini est reservata; Barbosa *in Tridentin. loc. cit. n. 22.* Panimoll. *Decis. 62. nu. 8.* & multi alii apud ipsos. Si autem sint Clerici, deponuntur, seu suspenduntur 131
ab eorum officiis; Concil. Trid. *loc. cit.* Dictam tamen suspen- 132
sionem non incurrunt ante sententiam Judicis; Barbos. *loc. cit. num. 13.* Panimoll. *loc. citat. num. 9.* & alii plures citati ab ipsis, Urtaya *Institut. crim. lib. 2. tit. 7. num 146.* Vide ipsos ibi, ubi multa habent ad rem.

Impedimentum sublitiæ publicæ honestatis ex Matrimonio 133
rato non consummato fortius est eo quod ex sponsalibus oritur. Benedict. XIV. Const. 89. tom. 1. incip. *Inter omnigenas* §. 15. Ubi Potifex mandat Episcopis & Missionariis Serviæ, quod idcirco ab hujusmodi dispensatione concedenda abstinere debeant, non obstantibus amplis facultatibus sibi concessis. 134

Quo-

135 Quoad jam tradita in hoc *artic. 2 n. 69. ad 80. & num. 103.* de Parocho affectante non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere Matrimonium, advertendum est, quod illa exceptio, *Nisi affectasset non intelligere*, apposita in Decretis ibi allatis intelligenda est de eo casu, ubi Parochus qui, si nec vidit, nec intellexit, ipse sibi in causa fuit, ut non videret, nec intelligeret, propterea quod, vel aures sibi obstruxerit, vel fatuum velaverit, ne audire, & adpicere cogeretur, sicuti colligitur ex Fagnano in *cap. Quoniam num. 26. de Constitution. & in cap. Quæsitum num. 7. & 8. de pœnit. & remiss.* Neque porro æquum est, ut ab arbitrio, factoque Parochi pendeat, libertatem Matrimonii impedire, ut recte docet Benedict. XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 13. cap. 23. nu. 10. & 11.* ubi ad litteram subjungit, ut sequitur.

136 Ex hactenus dictis recte colligitur, prædicta verba: *Nisi affectasset non intelligere*, de eo casu accipienda esse, quo Parochus invitus ad Matrimonii contractum adhibitus, ideo nec videt, nec percipit, quia data opera neque videre voluit, neque percipere, cum tamen & videre, & percipere naturaliter potuisset, eadem ratione, qua testes ad eum ipsum actum adhibiti, & vidisse se, & percepisse fatentur. Celebris fuit anno præterito 1753. causa *Carthaginen. Matrimonii* in Concilii Congregatione agitata, & judicata, in qua agebatur de quodam Matrimonio contracto coram Parocho domi suæ inopinate deprehenso, qui virum quidem aspexerat, ejusque verba perceperat, fœminam vero nec viderat, nec audiverat. Porro, cum ex iis, qui controversiæ Judices sedebant, totidem ex una parte pro Matrimonii validitate, totidem vero ex alia pro illius nullitate opinati fuerint, opportunum Nobis visum est Congregationem ipsam coram Nobis indicere; Jussis prius Theologis aliquot, aliisque Juris Canonici professoribus sententias suas hac de re scriptis exponere, qui sane maxima diligentia, ac labore collatis inter se tum Theologorum, & Canonistarum placitis, tum Decretis ejusdem Congregationis, & actis similium causarum, quæ alias coram ipsa agitatæ fuerunt, & ab ea definitæ, in hoc facile convenerunt, ut ad Matrimonii validitatem, necessarium omnino esset, contrahentes a Parocho videri, eorumque verba mutuum consensum exprimentia ab eodem audiri; eo scilicet principio, præ oculis habito, quod si Parochus Matrimonio interest, tamquam testis Ecclesiæ authorizabilis, nullo modo poterit de Matrimonio contracto fidem facere, ubi nec utrumque viderit conjugem, nec utriusque consensum audierit. Sed cum factum ipsum, de quo agebatur, accurate perpensum fuerit, ejusque circumstantiæ omnes diligenter excussæ, manifesto compertum est; quod si Parochus mulierem non vidit, ejusque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia ipse obfirmato animo eadem videre, & audire noluit, cum eam facile videre, & audire potuisset, quemadmodum bene viderant, rectèque audierant testes ad eum actum adhibiti. Itaque pronunciatum fuit, Nobisque annuentibus sententia prodiit pro Matrimonii validitate. Hæc ille. Vide dictam Causam in nostro tomo 8. in *Carthaginen. Matrimonii* ubi ipsa adducitur sub *die 1. Septembris 1753.* & sub *die 22. Septembr. ejusdem anni 1753.* sub dubio, *An constet de validitate Matrimonii in casu &c.* Et Sacr. Congr. Congreg. *dicta die 22. Septembr. 1753.* Responsit *Affirmative pro validitate Matrimonii, attentis facti circumstantiis in casu, de quo agitur*.

Novæ additiones ex aliena manu.

DE impedimento *impotentiæ*, tum de impedimento *clandestinitatis* aliqua addere abs re haud est.

1 Quod attinet ad impedimentum impotentiæ aliud est, si uterque ipsum fateatur, aliud si una Pars impotentiam alleget, altera eamdem neget.

2 Priori casu non est continuo Matrimonium irritum declarandum. Quando defectus est occultus, tunc Partes cohabi-
3 tent per triennium; *Cap. 5. & 7. de frigid. & maleficiis*. Triennium autem incipit currere non a tempore monitionis per Judicem, sed potius a tempore, quo primus impotentiæ de-
5 fectus fuit observatus, quamvis aliquod tempus arbitrarium ad preces peragendas a Judice statui posse non negaverim per
6 *Cap. 7. de frigid. & maleficiis*. Requiritur præterea jure Canonum, ut cum septima manu Propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ, si Propinqui defuerint, tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuerint; *Zoes. ad tit. decretal. de frigid. & maleficiis. num. 9. Simon. de Impotent. conjugal. cap. 7. thes. 3. num. 4.* Quod si defectus patens sit, triennium haud 7
est observandum, nec juramentum septimæ manus desidera- 8
tur, ita nec ipsorum Conjugum juramentum necessarium est, 9
sed sufficit juramentum Medicorum, vel Matronarum ea si- 10
gna per inspectionem attestantium; *Simon. de Impotent. c. 7. thes. 3. n. 5. & sequent.*

Posteriori casu si Mulier in ipsa statim novitate post men- 11
sem, aut duos proclamaverit ad Episcopum, vel ejus Missum, irritum declarari potest Matrimonium, dummodo præterea accusatio per *justum judicium* probetur; *C. Si quis 53. qu. 1.* 12
Simon. de Impotent. cap. 7. thes. 4. n. 2. & 3. Sin autem post 13
mox dictum tempus ad Episcopum clamaverit ajendo, quod non sit cognita, Maritus interim contrarium affirmet, Marito tanquam Mulieris capiti credendum; *Cap. 1. de frigid. & maleficiis. Simon. de Impotent. cap. 7. thes. 4. num. 4. & seq.* Sed an 14
inspectio decerni debeat, consule *Bohemer. in decretal. lib. 4. tit. 15. §. 24. & plur. sequent.* qui de inspectione fuisse dis-
serit.

De eo hic disquirit Auctor., an Parte impotente contrahente novum Matrimonium, irritum ipsum declarandum sit. Placet simplicius distinguere. Primum Matrimonium, aut fuit irritum declaratum ex nimia membri magnitudine, & fœminæ arctitudine, aut ex frigiditate, aut ex maleficio. Si prius, quum impotentia non sit absoluta, sed respectiva, 15
potest uterque Conjux Matrimonium cum alia Persona contrahere. Quod si ex frigiditate, secundum Matrimonium ir- 16
ritum declarari debet, sin ex maleficio firmum illud perma- 17
net; *Simon. de Impotent. dict. cap. 7. thes. 4. num. 1. & plur. sequent.*

Quod concernit impedimentum *clandestinitatis*, nimium esset de eo pro dignitate differere. Satis sit adnotare aliqua, quæ auctor vel erronee, vel parum probabiliter firmavit.

Male Auctor *num. 61.* ait Cardinalem in suo Titulo, veni- 18
re nomine Parochi, quoad assistentiam Matrimonii. Ex his quæ dicta sunt supra *in not. & addit. ad verb. Cardinalis Articul. III.* patet non habere amplius Cardinalem jurisdictio- 19
nem in Populos & Parochianos. Quocirca non est, cur Matrimoniis assistere amplius valeat.

Nec erat, cur *Auctor num. 71. & plur. seq.* sequendo *Ursa-* 20
jam sustineret, quod affectante Parocho, non audire verba, vel non videre signa attentantium contrahere Matrimonium, & revera illa non audiente, vel hæc non vidente invalidum sit Matrimonium coram ipso contractum. Licet enim, ad- 21
mittamus non satis esse ad implendam formam, quam voluit *Tridentinum Concilium*, materialem illam, & physicam præsentiam Parochi, sed requiri præsentiam moralem cum advertentia actus qui geritur; Distinguendum tamen est in- 22
ter Parochum præsentem, & ex vi naturalis vel accidentalis impotentiæ non audientem verba, aut signa mutui consensus non videntem, & Parochum præsentem quidem, sed nolentem, & studiose, & voluntarie affectantem non audire eadem verba, aut videre signa mutui consensus. Primo enim casu 23
materialis & physica Parochi præsentia non sufficit ad validitatem Matrimonii; Secundo vero casu materialis præsentia satis superque est: sufficitque audivisse, vel vidisse Testes, si Parochus audire, aut videre noluit, quum posset.

Et ratio vehementissima est, quia *Concilium Tridentinum* 24
non requisivit consensum Parochi in contrahendo Matrimonio, neque Matrimoniorum libertatem ita angustare voluit, ut esset in cujusque Parochi potestate illorum celebrationem impedire per suam ultimam voluntatem, & affectatam non intelligentiam, sed præsentiam Parochi, uti publicæ personæ requisivit ad tollendam clandestinitatem actus; ideoque si Parochus præsens est, repugnet licet, simulet non audire, fugiat, increpet, faciat quod lubet, satis est esse præsentem, ut respondit Rota *in Majoricen. Matrimonii 3. Juli 1748. cor. R. P. D. Canilliac.* Et fuit sensus S. Congregationis Concilii interpretis *in Nicien. Matrimonii 27. Martii 1751.*

De Matrimoniis contractis, non servata forma *Concilii Tri-* 25
dentini, inter Hæreticos, vel Hæreticos inter & Catholicos, in Locis Hæreticorum, in quibus fuit promulgatum *Concilium Tridentinum*, de quibus agit *Auctor num. 112., 113.* tum alibi, vide quid decreverit Benedictus XIV. die quarta Novembris 1741. *Juper dubiis respicientibus Matrimonia in Hollandia & Belgio contracta, & contrahenda*.

ARTI-

Articulus III.

Quoad ea, quæ concernunt facultatem dispensandi in impedimentis Matrimonii.

1 PAPA potest dispensare super quovis impedimento impediente, & super impedimentis de Jure Ecclesiastico dirimentibus; *Communis, arg. cap. cap. Proposuit 4. de concessione Præbendæ*, ubi Pontifex de sua potestate loquens sic expresse dicit: *Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possumus supra jus dispensare*. Papa ex præsumpta Dei vo-
2 lantate, urgente aliqua gravi necessitate, dispensare potest super impedimentis de Jure Divino dirimentibus, quando originem trahunt a voluntate humana, & ad Deum referuntur, ut in impedimento Voti solemnis, & hujusmodi; Hostiensis *in cap. Non est 5. de Voto num.* 1. & ibi Abbas *nu.* 5. D. Thomas *in 4. dist.* 38. *q.*1. *art.*4. *quæstiuncula prima in corpore*, & ibi Richardus *art.*9. *q.* 1. *in corpore*, & *ad primum*; Henriquez *lib.* 8. *de Eucharistia cap.* 13. *n.*2. *in comment. litt.* R. Rosignolus *contract.* 15. *de Matrimon.*3. *prænot.* 10. *n.*1. Sanchez *lib.*8. *disp.*6. *n.*2. ubi testatur de communi. Hinc Papa dispensare potest, gravi urgente necessita-
3 te, ut Presbyter, & Religiosus, seu Religiosa contrahat Matrimonium; S. Thomas *in* 3. *dist.*38. *q.*1. *art.*4. *ad* 3. ubi præcise sic dicit: *Si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expostceret, posset convenienter, & in voto continentiæ, & in voto Religionis dispensari, quantumcumque esset solemnizatum; non enim per votum posset homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis posset imminere necessitas, ut posset alicui juste prohiberi, ne continentiam, aut Religionem voveret, & eadem necessitate manente, potest etiam in Voto dispensari jam facto.* S. Antonin. *in* 2. *part. tit.*11. *cap.*2. *§.*9. *&* in 3. *part. tit.* 1. *cap.*15. *§.*3. Medina *de sacror. homin. continentia cap.*21. *cum pluribus sequent.* Tolet. *in Summa lib.*4. *cap.*18. *n.* 5. & plurimis aliis citatis, Fagnan. *lib.*3. *decretal. in cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachor. n.*65. *&* 66. ubi dicit hanc esse sententiam communem Theologorum, ac fere omnium Canonistarum, quam etiam tacite approbarunt varii Summi Pontifices, qui dispensarunt cum Episcopis, Cardinalibus, Religiosis, & Monialibus, ut videre est apud Corrad. *in prax. dispensat. lib.*8. *cap.*10. *num.* 28. & apud ipsum Fagnan. *loc. citat.* & alios.

4 Cœlestinus enim III. dispensavit cum Constantia Filia Rogerii Siciliæ Regis, quæ cum esset Monialis professa Panormi, nupsit Henrico VI. & ex tali conjugio jam quinquagenaria genuit Fridericum Secundum, ut referunt Cajetanus *in* 2. 2. *q.*88. *art.*11. *in princip.* Fagnan. *loc.cit. num. 69.* & alii. Alexander III. dispensavit ad nubendum cum Nicolao Justiniano Sacerdote Monacho in Monasterio S. Nicolai Ordinis S. Benedicti ad instantiam Venetorum Ducis, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto *de thesaur. Religios. lib.* 3. *quæst.*36. *num.*5. & Pineda §.1. *pag.*84. Fagnan. *loc.cit. n.*66. Gregorius XIII. dispensavit cum fratre Cardinalis Jojosæ Gallo Sacerdote professo, & Provinciali Ordinis Capuccinorum, ut referunt Bartholomæus a S. Fausto *loc.cit.quæst.*36. *a n.*8. Fagnan. *loc.cit. num.*66. & alii. Alexander VIII. 14. *Januarii* 1690. cum Francisco Leopoldo Comite Slabata Canonico Passaviensi Subdiacono, ut refert Reiffenstuel *lib.*4. *decretal. tit.*6. *num.* 16. ubi testatur fuisse alias sic dispensatum cum Cæsare Borgia, qui prius erat Cardinalis Diaconus; cum Ramiro Aragonum Rege, qui prius erat Episcopus, & cum pluribus aliis, & Justus Redn. *tom.* 2. *operis Canonico-Politici tit.*8. *fol.*208. refert, quod Juditta fuit Monialis Ratisponensis, & dein trium Regum Conjux, scilicet Bretislai Bohemiæ, Mesicani Poloniæ, & Petri Hungariæ. Et multa alia exempla similium dispensationum refert Ursaya *tom.*4. *part.*2. *disceptat.*5. *per tot.*

5 Papa dispensare potest in Matrimonio rato nondum consummato; *Communis*, teste Romana *dec.*101. *num.*7. *part.*2. *divers. & in una Burgensi dissolut. Matrimon.* 27. *Junii* 1594. *relat. inter impressas post secund. volum. Consil. Farinac. q.*86. *n.*1. *in fin.* ubi sic præcise habet: *Et Domini quod potestatem dissolvendi Matrimonii rati non consummati dixerunt non esse dubitandum, quia hæc est communis opinio Canonistarum, præsertim de consensu conjugum, & ex justa causa, cap. Ex publico, & ibi Glossa verb. Consummatum, de convers. conjug.* Et de facto in Matrimonio rato dispensarunt Gregorius VII. Martinus V. Eugenius IV. & S. Pius V. ut referunt Arlidekin *tom.*2. *part.*129. Delbene *part.*2. *de inquisit. dub.*336. *sect.*66. *num.* 20. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. ut refert Justus Redn. *tom.*1. *Operis Canonico-Politici tit.*3. *sect.*2. *n.*26. *&* 27. *fol.*46. & teste Sanchez *lib.*2. *disput.*4. dictus Gregorius XIII. uno die quatuordecim Matrimonia rata dispensando dissolvit quoad vinculum. Et plurima exempla similia dispensationum refert Ursaya *tom.*2. *part.*1. *discept.*3. *per tot. & tom.* 3. *p.*2. *discept.*21. *per tot.* adducens *num.* 153. Votum Sacræ Congr. Concil. sub die 20. Maji 1719. etiam dissentiente uno ex Conjugibus.

Nequit autem Papa dispensare in Matrimonio Fidelium 6
jam consummato; *Communis* inter Catholicos contra Hæreticos volentes etiam Matrimonium consummatum quoad vinculum solvi posse propter ullius adulterium, aut discessum a vera Religione. Et ratio est, quia, cum Matrimonium Fidelium elevatum sit a Christo in Sacramentum, & significet unionem indissolubilem ipsius Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, expresse ipsemet Christus præcepit *Matt.*19. quod a nulla humana potestate posset dissolvi, ibi: *Quos Deus conjunxit, homo non separet*. Nec valet dicere, quod Ma-
7 trimonium ratum, & consummatum non differant, nisi accidentaliter. Unde, si Papa dispensare potest in rato, possit etiam in consummato. Non valet, inquam, quia dato etiam, & non concesso, quod differant solummodo accidentaliter physice loquendo, differunt tamen substantialiter moraliter ob supervenientiam illius significationis, quæ fundatur in unitate carnis, quæ ante consummationem non aderat; duo enim Conjuges fiunt una caro per copulam conjugalem, *arg. cap. Debitum 5. de bigamis*, ubi dicitur: quod Matrimonium ratum significat solummodo unionem Christi cum anima per gratiam, quæ, quia sæpe in anima solvitur, etiam Matrimonium ratum solvi potest; At Matrimonium consummatum, cum ex *dicto cap. Debitum*, significet indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia, etiam ipsum est indissolubile per quamcumque humanam potestatem, aliter aptum non esset ad illam indissolubilem unionem Christi cum Ecclesia repræsentandam.

Papa proprie, & rigorose loquendo nequit dispensare in 8
illis impedimentis, quæ sunt Juris Divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate; *Est fere communis*. Et ratio est, quia Jus naturale Divinum est supra quamcumque potestatem creatam, etiam Pontificiam; adeoque Pontifex non potest absolute, proprie, & rigorose loquendo super eodem dispensare, quia directe dispensatio tenderet in Jus Divinum naturale, ad quod non extenditur ejus facultas. Sic enim se habet Papa ad legem Dei, sicuti inferior ad legem superioris. Imo minor est proportio Papæ ad Legem Divinam, quam inferioris Prælati ad Legem humanam; *c. Damnamus 1. de Summa Trinitate vers. Quia inter Creatorem, & Creaturam*; sed & in Lege humana inferior nequit dispensare in Lege Superioris; *cap. Inferior 4. dist.*21. *cap. Cum inferior 16. de majorit. & obedient. Clementina Ne Romani 2. de elect.* §.1. ubi expresse habetur, *quod Lex Superioris per inferiorem tolli non potest*; ergo nec Papa dispensare potest in illis impedimentis, quæ sunt Iuris Divini naturalis independentis, quoad originem ab humana voluntate, cum hoc videatur contrarium Sacris Canonibus; *cap. Sunt quidam 6. cap. Contra Statuta 7. cap. Omne 8. caus.*25. *quæst.*1. *cap. Super eo 4. de Usuris, cap. Litteras 13. de restitut. spoliat. cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachor.*

Potest tama Papa Jus Divinum interpretari, & declarare, 9
quod in aliquo casu valde particulari propter aliquas gravissimas circumstantias non obliget, cum scilicet ex Divinæ Legis observantia aut aliquod majus bonum impeditur, aut aliquod grave damnum inde sequitur; cujus exempla sunt *in cap. Licet 23. de testibus, in cap. Quanto 18. de Jurejurando*, Glossa *in cap. Non est 5. de Voto*. Et ratio est, quia, si Pontifex in aliquo simili gravi, & urgente casu non posset Legem Divinam interpretari, & declarare, cum pro interpretatione ad Deum recursus non pateat, non fuisset ipse bonus Paterfamilias (quod nullimode est dicendum) si gregem suum dimisisset sine Pastore, qui in casibus dubiis, & aduis posset Jus Divinum interpretari, & declarare, & sic omnibus suis ovibus pro necessitate consulere; Abbas *in cap. Proposuit 12. de concession. præbend.* Almain. *de potest. Eccles. cap.*13. Turrecremat. *in Summa de Eccles. lib.*2. *cap.*7. *& lib.*3. *cap.*53. *& in cap. Conjunctiones 2. caus. 35. quæst. 3. num.*3.

*num.*3. Covarruv. 4. *décret. 2. part. cap.*6. *§.*9. *num.* 4. Silvester *verb. Papa qu.est.*16. & 17. Navarr. *lib.*4. *consil. in* 2. *edition. tit. de Sponsalibus consil.*39. *num.*16. *& tit. de despons. impub. consil.*4. *n.*16. Sotus *de Justit. & jure lib.*10. *q.*3. *art.*1. Vasquez *in opusc. moral. in tractat. de Benefic. cap.*4. *§.*2. *dub.*1. *n.*122. Suarez *de Eucharistia q.*74. *art.*2. *disp.* 43. *sect.*4. *vers. Tertia sententia*, Cardinalis *in cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachor. §. ultim. num. 6.* Catharinus *lib.*6. *in Cajetanum in quæstione illa: An Pontifex possit dispensare in voto solemni Religiosorum?* Barbosa *rub. ff. sol. Matrimon. 2. part. num.* 104. S. Thomas *in* 2. 2. *quæst.* 54. *art.*6. *& in quodlibet 4. art.*3. *in corpor. & ad primum*, Durandus *in* 4. *dist.*33. *q.*1. *num.*15. Rosignolus *contract. XV. de Matrim. III. præmot. X. num.*15. Reiffenstuel *lib.* 1. *decretal. tit.*2. *num.*454. Fagnan. *lib.*1. *decretal. in cap. Cum pridem 4. de pactis num.*30. & alii passim.

Legati a latere, & Nuncii Apostolici possunt dispensare in
10 sua Provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare Episcopi in sua Diœcesi; ipsi enim reputantur Ordinarii Judices suæ Provinciæ, textu expresso *in cap. Legatos 2. de Officio Legati in* 9. Insuper solent Legatis & Nunciis concedi a Summo Pontifice aliquæ aliæ speciales facultates, & quantum ad præsens dispensandi super impedimentis Matrimonii; *Primo* dispensandi in tertio, & quarto, tam *consanguinitatis*, quam *affinitatis* gradu simplici, & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis Matrimoniis; In contractis vero cum hæreticis conversis etiam in secundo simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum; & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam. *Secundo* dispensandi super impedimento *publicæ honestatis* ex sponsalibus proveniente. *Tertio* dispensandi super impedimento *Criminis*, neutro tamen conjugum machinante, & restituendi Jus petendi debitum amissum. *Quarto* dispensandi in impedimento *Cognationis spiritualis* præter levantem, & levatum in Baptismo. *Quinto*, Nuncii Hispaniæ ex privilegiis S. Pii V. sub die quarta Augusti 1571. & Gregorii XIII. sub die 25. Junii 1576. possunt dispensare cum Judæis in omnibus gradibus Jure Divino non prohibitis, vel conjunctis, vel attinentibus, & aliquando etiam dispensant in impedimentis dirimentibus post Matrimonium contractum, si occulta fuerint; & alii alias ampliores solent a Summo Pontifice pro exigentia temporum, locorum, & personarum obtinere facultates dispensandi, unde quisque stare
12 debet suis obtentis concessionibus, & privilegiis. Omnes tamen ad hoc, ut vi talium privilegiorum, seu facultatum possint valide dispensare in impedimentis Matrimonii, debent omnino observare clausulam, quam Papa similibus dispensandi privilegiis adjicere solet his verbis: *Hæ vero Matrimoniales dispensationes non concedantur, nisi cum clausula dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat; in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse Illas concedi tamquam a Sedis Apostolicæ Delegato. Ad quem effectum, etiam tenor ejusdem facultatis, inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, alias nullæ sint.*

13 Consimiles dispensandi facultates solent obtinere Episcopi Germaniæ, Indiarum, aliique in aliis remotioribus partibus, quas sibi concessas debet quisque attendere, nec excedere, semper tertiam adamussim sibi factæ concessionis tenore, &
14 plene observata supradicta clausula. Episcopi independenter a similibus specialibus concessionibus possunt pro utroque Foro justa ex causa dispensare in duobus impedimentis. Jure Ecclesiastico solummodo impedientibus, scilicet *Sacrato tempore*, & *Veito*, nisi Papa aliquod Matrimonium specialiter
15 vetet; *Communis & certa*. Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impediente impedimento Voti cujuscumque Papæ non reservati, verb. gr. *Castitatis* ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel pœnale, item Voti non nubendi, vel Ordines suscipiendi; *Communis. & certa, arg. Extravag. Etsi Dominicis, de pœnit. & remission.* ubi inter vota reservata Summo Pontifici non comprehenduntur supradicta. Votum enim Castitatis perpetuæ ibi reservatum intelligitur de voto perfecto, & absoluto, & quidem præcise quoad substantiam, non item quoad qualitates, vel circumstantias eorum, quia cum talis reservatio sit præjudiciosa Juri ordinario Episcoporum, tamquam odiosa est stricte interpretanda juxta communissimam Doctorum sententiam; *arg. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.*, ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

Episcopi ordinarie, & regulariter loquendo nequeunt de 16
Jure communi dispensare in ullo impedimento dirimente; *Communis*. Et ratio est clara, quia omnia impedimenta Jure Ecclesiastico dirimentia sunt introducta decreto Summi Pontificis, aut alicujus Concilii Generalis, Episcopi autem uti inferiores Papa, & Generali Concilio nequeunt in eorum lege dispensare; *arg. cap. Inferior 4. dist.*21. *c. Cum inferior 16. de majorit. & obedient. & Clementina Ne Romani 2. de elect.* ubi expresse dicitur: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*. Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ, & 17
urgentis necessitatis possunt Episcopi dispensare pro foro conscientiæ in impedimentis de Jure Ecclesiastico dirimentibus; si concurrant sequentes conditiones. 1. Si impedimentum sit occultum. 2. Si Matrimonium sit publicum. 3. Si sit contractum bona fide, sive cum ignorantia impedimenti. 4. Si adest gravis causa, seu necessitas, v. g. impediendi scandalum, quod certo oriretur in separatione. 5. Si necessitas sit urgens, ita ut non patiatur dilationem, quia conjuges nequeunt abstinere ab usu putati Matrimonii, donec dispensatio a Pontifice, vel Nuncio veniat; Sic tenent communiter Doctores cum Reiffenstuel *lib.*4. *decretal. in Appendice de dispensatione super impedimentis num.* 15. Barbosa *de Offic. & potestat. Episcop. allegat.*35. Sanchez *lib.*2. *de Matrimonio disp.*40. *per tot.* La Croix *lib.*6. *part.* 3. *num.* 835. *arg. cap. Quoniam* 13. *caus.*1. *quæst.*7. *cap. Sicut* 11. *de consecrat. dist.*1. *cap. Omnes* 1. *de Feriis, cap. Concilium 2. de observ. jejunior. cap. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar. & cap. Quod non est* 4. *de Regulis Juris*, ibi: *Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*. In qualibet enim dispositione intelligitur excepta necessitas; *cap. Licet 6. de pœnit. & remissionib.* Fagnan. *lib.*1. *decret. in cap. Nihil* 44. *de electione.*

Imo etiam ante contractum Matrimonium possunt Episcopi 18
dispensare in impedimentis de Jure Ecclesiastico dirimentibus, quando adest urgentissima necessitas salutis animæ, & non est aditus ad Papam, vel ratione moræ in expectatione dispensationis Pontificiæ est periculum incontinentiæ, aut alterius gravis mali spiritualis: *arg. Omnibus cit. juribus*, quia, ut expresse dicitur *in citat. cap. Sicut* 11. *de consecrat. dist.* 1. *Necessitas non habet legem*, & *in cap. Consilium 2. de observ. jejunior.*, ibi: *Cum non subjaceat Legi necessitas*, & tenet ut Reiffenstuel *loc.cit. num.*15. Barbosa *loc.cit.* Sanchez *loc. cit.* Bosco *de Matrim. disp.*12. *sect.*13. *conclus.* 3. Guttierez *q.q. Canon, Li. cap.*23. Cardenas *in* 1. *Crisi. diss.* 97. *n.* 4. *&* in 2. *Crisi diss.*2. *a num.*636. Vasquez, Sala, Præposit. Castropal. Hurtad. Reginald. Pont. Bonacina, Villalob. Basæus, Silvius, Victorellus, Molfesius, Diana, Leander, Homobon. Cornejo, Machado, Candidus, & alii, quos citat, & sequitur la Croix *loc.cit. num.* 838. Et ita declarasse Sixtum V. testatur Pyrrus Corradus *in praxi dispensat. lib.* 3. *cap.* 4. Et ratio est, quia non est præsumendum, nec ullo modo credendum, quod Papa in tali casu necessitatis velit privative quoad Ordinarios sibi reservare cum dispendio boni communis animarum potestatem a Christo Domino in bonum commune ipsarum animarum concessam: Hoc enim non esset consonum fini ejusdem reservationis, qui est ad evitanda scandala, pericula, & peccata, non autem ut eisdem irretiantur, & esset contra suavem, & providam gubernationem Ecclesiæ, quæ potestatem sibi gerere debet, non in destructionem, sed in ædificationem animarum, juxta illud Apostoli 2. *ad Corinth.* 10., ibi: *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non destructionem vestram &c.*

Vicarius Generalis Episcopi, vi Officii sui, sine speciali 19
mandato, nequit dispensare super impedimentis Matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest Episcopus Jure Ordinario; *arg. cap. Quid agendum* 4. *de Procurat. in 6. & cap. In generali concessione* 81. *de Regul. Juris in 6. & leg. Illud ff. de Min.* & tenent Sanchez *lib.*2. *disput.*40. *num.* 12. Vincentius de Justis *lib.*2. *cap.*2. *n.*158. *&* 159. *de dispensationibus*, Puteus *dec.*53. *num.*2. *lib.*3. Loterius *de Re Benefic. lib.*1. *quæst.*28. *n.*123. Bosco *de Matrim. disp.*12. *sect.*13. *conclus.*3. *num.*189. Guttierez *lib.*1. *canonic. qq. cap.* 19. *n.*15. Reiffenstuel *loc. cit. num.*34. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg.*54. *n.*121. post Glossam communiter receptam *in c. Quæ de causa 9. caus.*2. *c.*4. *vers. Quidquid*, ubi ita argumentatur, *Cum enim dispensatio se habeat instar restitutionis in integrum; & restitutio in integrum non delegetur per mandatum generale; arg. leg. Illud ff. de Min.* ergo nec dispensatio. Et ratio est, quia cum dispensatio fit ex arduis, & extraordinariis,

non venit in generali mandato, & in quo ardua, & extraordinaria non comprehenduntur, & patet a simili in dispensatione pro foro interno in suspensionibus, & Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, quæ dispensatio, vi Officii sui, non competit Vicario Generali sine speciali mandato, ac commissione, ex Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6.*, ibi: *Per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum*. Multo minus potest Vicarius Generalis, vi Officii sui, sine speciali mandato, dispensare pro foro externo super illis impedimentis, super quibus Episcopus dispensare potest ex speciali facultate a Papa sibi concessa; *Communis, ac certa*.

21 Episcopus potest Vicario Generali, aut aliis Sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem, quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro; *Communis*; constat enim clare ex clausula, quæ expresse solet apponi in simili privilegio, seu facultate, ibi: *Communicandi*
22 *has facultates in totum, vel in partem*. Et communicare etiam eam facultatem, quam habet Jure ordinario pro foro interno; *Communis*; *arg. cap. Cum Episcopus 7. de Offic. &*
23 *potest. Delegati in 6.* Non sufficit tamen generalis deputatio, seu commissio ad hoc, ut Vicarius Generalis possit dispensare in dictis impedimentis, sed requiritur speciale mandatum, seu specialis delegatio, vel concessio, dicendo v. gr. *Concedo tibi etiam omnem facultatem, quam ego habeo, sive Jure ordinario, sive ex privilegio, aut speciali Papæ concessione dispensandi pro utroque foro in impedimentis Matrimonii*; Sic contra paucos Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi alleg. 54. num. 59.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 40.* Engel. *de Officio Vicarii num. 10.* eoque teste alii communiter; *arg. cap. Quid agendum 4. de Procurat. in 6. & cap. In generali concessione 81.*
24 *de Regul. Juris in 6.* Capitulum, sede vacante, ejusque Vicarius Capitularis valide, & licite potest dispensare pro Foro conscientiæ super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest Episcopus Jure ordinario; *Communis*. Et ratio est, quia Capitulum, sede vacante, succedit Episcopo in omnibus, quæ sunt Jurisdictionis ordinariæ (demptis solis casibus in jure specialiter exceptis) *arg. cap. His, quæ 11. & cap. Olim 14. de*
25 *majorit. & Obedient. cap. Ad abolendam 9. de hæretic. cap. Ecclesiæ Cathedrali 4. de supplend. negligent. Prælator. in 6. c. Cum nullus 3. de temporib. ordinat. in 6.* cum similibus. Non potest tamen dispensare super iis impedimentis, super quibus Episcopus dispensat ex speciali facultate sibi concessa, aut particulari privilegio; *arg. cap. Pastoralis 11. §. Præterea, de Officio Iudic. Ordinarii, & cap. Privilegium 7. de Regul. Juris in 6.*, ibi: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona, & leg. In omnibus ff. de Regul. Juris*, ibi: *In omnibus causis id observatur, ut, ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat*.

Commissarius Bullæ Cruciatæ potest pro foro conscientiæ
26 dispensare in contracto ante Matrimonium impedimento affinitatis ortæ ex copula fornicaria in primo, vel secundo gradu, tam lineæ transversalis, quam rectæ, dummodo concurrant sequentes conditiones, scilicet quod Matrimonium fuerit jam cum dicto impedimento contractum, servata forma Concilii, impedimentum sit occultum, alter conjugum bona fide, & ignarus impedimenti contraxerit, & quod conjux ignorans de nullitate Matrimonii moneatur (tacita causa nullitatis, si videatur expedire ad evitanda scandala) ut sic Matrimonium etiam secrete de novo tales conjuges inter se contrahere possint; *Communis*, patet enim hoc totum ex ipsamet Bulla Cruciatæ, & cum aliis docet Vincentius
27 de Justis *lib. 2. cap. 2. num. 167. de dispensationibus*. Commissarius Cruciatæ potest legitimare prolem susceptam ex Matrimonio hujusmodi post notitiam utriusque Conjugis de impedimento quoad Ordines, & Beneficia tantum; Pontius
28 *lib. 8. cap. 13. num. 8.* de Justis *loc. cit. n. 168.* & alii. Non potest tamen Commissarius legitimare prolem, quæ ex impedimento est illegitima, quando uterque conjux est in mala fide, nisi dispenset etiam in Matrimonio, & Matrimonium cum effectu contrahatur; Sanchez *lib. 8. disp. 6. num. 26.* de Justis *loco cit. num. 171.* & alii passim. Pontifex enim facultatem Commissario concedendo, id facit in gratiam Matri-
29 monii. Commissarius Cruciatæ dispensare potest ab impedimento orto ex affinitate superveniente ad petendum debitum; Sanchez *loc. cit. n. 13.* Pontius *loc. citat. n. 10.* De Justis *loc. cit. n. 169.* & alii communiter.

Omnes Confessarii Regulares Mendicantes vi privilegio- 30
rum possunt dispensare super quovis impedimento voti non reservati; idest super impedimento voti. I. Suscipiendi Ordinem. II. Castitatis non perpetuæ. III. Etiam perpetuæ, sed pœnalis. IV. Conditionati. V. Vel ex metu emissi. VI. Vel urgente necessitate. VII. Non nubendi; Sporer *in 2. præceptum Decal. cap. 3. sect. 3. num. 54.* Sanch. *lib. 4. Moral. cap. 43. n. 2.* Herincx *disp. 4. de voto quæst. 6. n. 65.* & communis aliorum, tam Theologorum, quam Canonistarum, ut testatur, & tenet Reiffenstuel *lib. 3. decr. tit. 34. num. 39. & lib. 4. in Appendice de dispensatione super impedimenvis §. XI. n. 538. & 539.* & patet clare ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, ut Innocentii VIII. Eugenii IV. Martini V. Pauli III. Gregorii XIII. ut videre est in Compendiis Privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, ac aliorum Regularium. Non 31
habent tamen dicti Confessarii Regulares Privilegium dispensandi super omnibus impedimentis, tam dirimentibus, quam impedientibus, super quibus jure ordinario dispensare possunt Episcopi, ut prætendunt aliqui. Et ratio nostra est, quia talis facultas non competit Regularibus, nec ex Jure, ut omnes concedunt, nec ex privilegio, cum nullum allegari possit, prout etiam ipsi Adversarii nullum allegant. Nec valet, dicere, quod, sicuti Confessarii Regulares Mendicantes possunt dispensare super quovis impedimento Voti non reservati, super quo jure ordinario possunt Episcopi, ita etiam possunt dispensare super omnibus impedimentis, tam dirimentibus, quam impedientibus, super quibus dispensare possunt Jure ordinario Episcopi. Non valet, inquam, quia in tantum possunt dispensare super votis, super quibus possunt Jure ordinario Episcopi, in quantum ad hoc habent specialia, & expressa privilegia sibi concessa a variis Summis Pontificibus, ut patet *supra n. 30.* Nullum autem privilegium habent dispensandi super omnibus impedimentis, super quibus possunt Episcopi. Unde Adversariorum opinio non est sequenda, utpote omnino periculosa, & penitus improbabilis, ut recte advertunt Gobat. *in Theologia experimentali tract. 9. n. 721.* Reiffenstuel *lib. 4. decr. in cit. Appendice n. 140. & 141.* Cardenas *in 2. Crisi disp. 2. num. 379.* La Croix *lib. 6. part. 3. n. 892.* & alii passim.

Juxta varios magni nominis Doctores possunt Confessarii 32
Regulares post Matrimonium, sive bona, sive mala fide jam contractum, dispensare pro foro interno super occulto impedimento affinitatis, etiam in primo gradu, & prolem inde susceptam legitimam declarare; Sic expresse docent Richardus, Rossensis Episcopus, ab omnibus etiam Adversariis summe laudatus tamquam Vir celeberrimæ doctrinæ, & Sanctitatis, ab Henrico VIII. Angliæ Rege in odium Fidei Catholicæ occisus, & consequenter Martyr, in suo libello *de causa Matrimonii Regis Angliæ*; Cassanig. *de privileg. Regular. tract. 5. cap. 5. propos. 3.* Veracrux *2. part. Speculi aurei art. 27. vers. Et hoc confirmatur expresse*, Reiffenstuel *lib. 4. decretal. in cit. Appendice num. 542. & sequent.* & alii, & probant ex privilegio, quod dicunt per Bullam fuisse a Leone X. concessum Augustinianis, scilicet, „Quod cum „ his, qui in primo affinitatis gradu scienter, aut ignoran„ ter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque „ in Judicium productum, dispensare valeant, ut de novo „ contrahant, & in eodem contracto Matrimonio rema„ neant, prole etiam legitimata,,. Ita tenor privilegii, uti patet ex Bulla Leonis.

Hoc privilegium in terminis etiam adducit doctissimus Rodriquez noster *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 2. art. 2.* dicens verum esse, *Quod Leo X. Fratribus Augustiniani Ordinis concessit dictum privilegium per totum Orbem Christianum, quemadmodum in ejus Bulla palam continetur*; sunt formalia verba Rodriquez, quæ non protulisset, si Bullam non vidisset, & legisset, Et addit, *Roffensis Episcopi testimonio certe credendum est propter ejus maximam Sanctitatem, siquidem pro Fide Catholica gladiis impiorum occubuit*. Licet postea idem privilegium impugnet, dicens cum aliis non esse in usu. Idipsum privilegium ex Veracrux adducit etiam Quintanadvenas *singularium tract. 9. singular. 1. num. 1.* addens ad finem, *Veracrucio, utpote Augustiniano, in privilegiis sui Ordinis scribenti, Fides adhibenda videtur*. Idem privilegium allegat etiam Sanchez *lib. 8. disp. 9. num. 28.* Pellizarius *in Manuali Regularium lib. 8. cap. 3. num. 343.* Gobat. *in Theologia experimentali tract. 6. num. 719.* Basseus, Bonagratia, & alii communiter.

Nec

Nec (dicunt defensores hujus privilegii) Nec valet asserere, hoc privilegium non esse in usu, quia dato, & non concesso, quod non sit in usu, id provenit ex ignorantia ejusdem privilegii, quali non usu, privilegia minime amittuntur, juxta Innocentium *in c. Accedentibus princ. de privil.* Donat. *tom. 1. tract. 12. quæst. 6. num. 6. arg. leg. His usumfructum, ff. quibus modis ususfructus amittitur*. Nec etiam obstat, addunt ipsi, allegatum privilegium non competere Episcopis. quia constat Regulares pluribus aliis etiam privilegiis gaudere, quibus carent Episcopi, uti bene *loc. citat.* observat Chassaing. Hactenus Reiffenstuel *loc. cit. a num. 542.* qui dein adductis, & solutis aliis Adversariorum objectionibus *sub num. 549.* sic expresse concludit; „Ex quibus omni„ bus, cum aperte constet viros doctrina, & virtute celeberrimos, fideque dignissimos pro certo asserere, & te„ stari sæpe dictum privilegium per Bullam Leonis X. reve„ ra fuisse concessum, rationes vero, & fundamenta Docto„ rum idem privilegium impugnantium solum apparentia, „ non autem efficacia videantur, sufficienter probata vide„ tur... vera existentia quæstionati privilegii.

Ast vero, cum sententia defendens tale privilegium sit con- 33
tra communiorem aliorum, ut fatetur ipsemet Reiffenstuel *loc. cit. n. 342.* & deinde *sub n. 550.* dicit consultum non esse, ut Regulares Mendicantes ordinarie, vel passim illo etiam pro solo conscientiæ foro utantur, sed ad Pœnitentiariam recurrant, dicendum est cum communiori, & veriori sententia, non licere in praxi uti tali privilegio, adeoque non posse Regulares post contractum Matrimonium dispensare pro foro interno super occulto impedimento affinitatis in primo gradu. Sic pluribus adductis probat, & tenet Cardena *in 2. Crisi dissert. 2. a n. 348.* Sanchez *lib. 8. de Matrimon. disp. 6. num. 28.* Gobat. *l. c. tract. 9. num. 725.* La Croix *lib. 6. part. 3. n. 892.* Quintanadvenas, Vega, Henriquez, & alii communiter observantes tale privilegium Leonis X. non reperiri apud illos, qui diligenter collegerunt Mendicantium privilegia, nec ullibi reperiri assertam Bullam similis concessionis.

An autem, quando, & cum quibus possint Regulares, & 34
alii dispensare ad petendum debitum? Vide verb. *Debitum conjugale art. 2. per totum*.

An vero dispensatio sine justa causa sit valida, & licita? 35
Vide verb. *Dispensatio*.

Hic pro complemento est advertendum, quod Regulares 36
in iis, in quibus habent privilegium dispensandi, non possunt uti tali privilegio extra Sacramentum Pœnitentiæ, ut probabilius tenent Rosignolus *contract. XV. de Matrimon. III. prænot. XII. num. 31.* Corduba *in Summa q. 152.* Manuel *in Bulla Cruciatæ §. 8. n. 113. reg. 9.* Ludovicus Lopez *2. part. instruct. ubi de clavibus capit. 9. col. 9.* Vega *tom. 2. summæ c. 129. caus. 34.* Hieronymus Sorbus Capuccinus *in suis adnotationibus ad compendium privilegiorum Minorum, verb. Votum, not. 9.* Ludov. Beja *p. 2. mor. resp. cas. 9.* Sayrus *lib. 6. Clavis c. 11. n. 105. & lib. 5. c. 60. n. 10.* Sanctarellus *de Jubilæo c. 8. dub. 8.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 16. n. 4.* & alii magis communiter. Et ratio deducitur ex eo, quod habetur in privilegio Pauli III. concesso Religiosis Societatis Jesu, ubi dicitur: *Et confessionibus diligenter auditis conceditur facultas absolvendi, nec non & vota commutandi*: ubi per ly *confessionibus diligenter auditis* importatur ablativus absolute positus; ablativus autem absolute positus importat conditionem requisitam; *l. A testatore, ff. de condition. & demonst.* Tum quia hujusmodi facultas non conceditur Regularibus quomodocumque; sed Regularibus Confessariis deputatis, ut constat ex privilegio *in compendio Societatis Jesu, verb. Dispensatio §. 10.* ibi: *Per facultatem Benedictinis concessam a Martino V. possunt nostri Confessores deputati dispensare in votis &c.* ergo præcise in actu Confessionis; aliter superflue exigeret statum, & qualitatem Confessarii, si etiam extra Confessionem posset dispensare. Quamvis enim commutatio, & dispensatio in votis non exigat secundum se Confessionem Sacramentalem, prout tamen sit a Confessario Regulari ex concessione Pontificum, exigit talem Confessionem, cum Regulares non exerceant judicium, nisi in ipsa Confessione.

Contrarium tamen tenent Sanchez *de Matrim. lib. 8. disp.* 37
16. num. 11. Henriquez *lib. 7. de Indulgentiis c. 30. n. 6.* Quintanadvenas *tract. 9. singular. 11.* Ciana *part. 3. tract. 2. resolut. 14.* Gobat *tract. 10. n. 604.* Portell. Aversa, & alii volen-

tes, quod Regulares possint dispensare etiam extra Confessionem. Immo Quintanadvenas *l. c. & n. 604.* dicunt posse Regulares dispensare etiam cum absentibus, & proinde, si Parochus scribat alicui Religioso facultatem habenti, *Peto a R. V. ut dispenset cum* N. N. (tacito proprio nomine) *in debiti petitione*, erit res salva, cum Confessarius reserpserit, *Dispenso*; dummodo subsit causa rationabilis, quæ vix potest deesse. Sic Gobat *loc. cit. num. 604.* (a).

Additio ex Auctore.

Impedimentum dirimens Matrimonium non oritur ex præ- 38
cedenti adulterio, si machinatio absit, & fides futuri Matrimonii; Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 113. incipient. *Redditæ §. 15. & 30.* Vide supra verb. *Adulterium*. Impedi- 39
mentum justitiæ publicæ honestatis ex Matrimonio rato non consummato est fortius eo, quod ex sponsalibus oritur; Idem Constitut. 89. incip. *Alias §. 15.* ubi Pontifex mandat Episcopis, & Missionariis Serviæ, quod idcirco ab hujusmodi dispensatione concedenda abstinere debeant, non obstantibus amplis facultatibus sibi concessis.

Supplementa Auctoris, e III. Editione.

Dispensatio Matrimonialis super tertio, & quarto gradu 40
simplici, non se extendit, nec tollit impedimentum duplicis, tertii, & quarti gradus; Bened. XIV. Constit. *Etsi Matrimonialis §. 1. & 6.* Dispensatio Matrimonialis obtenta super gradu remotiori, reticito proximiori, est valida, modo hic primum gradum nullatenus attingat. Idem *ibidem §. 6.* Hinc validum est Matrimonium contractum ope dispensationis obtentæ super quarto gradu, nulla tertii gradus facta mentione, & antequam litteræ declaratoriæ præscriptæ a S. Pio V. Const. incip. *Sanctissimus*, fuerint obtentæ. Idem *ibid. §. 6.* Et jam declaraverat S. Congr. Concil. in *Lucerin. Nullitatis Matrimonii 28. Martii 1722.* quamvis sine dictis litteris declaratoriis Matrimonium esset illicitum. Idem *ib. §. 6.* Dictæ enim litteræ declaratoriæ super propinquiori gradu requiruntur, ut caveatur scandalum, ne forte aliqui videntes Oratores fuisse dispensatos in gradu remotiori, existiment Matrimonium esse nullum, si per dictas Apostolicas Litteras non sit declaratum non obstare distantiam propinquioris gradus: Unde Ordinarius in foro externo, exequendo litteras dispensationis, non debet dispensare, nisi exhibitis litteris declaratoriis super gradu propinquiori: Quod si post contractum Matrimonium, sciat Oratores (aliquo tamen denuntiante) non expressisse gradum propinquiorem, deberet illos separare, donec dictas litteras declaratorias exibuerint; At vero si ob omissionem expressionis hujusmodi nullum scandalum immineat, nec res deducta sit ad forum externum, valebit Matrimonium sine hujusmodi litteris declaratoriis, quæ deserviunt tantum pro foro externo, & pro scandalo vitando; ut recte docent Pyr. Conrad. in *praxi dispensat. lib. 7. c. 7. c. 19.* & alii passim.

Dispensatio in radice Matrimonii a solo Romano Pontifice 41
& quidem nonnisi ex causis admodum urgentibus conceditur. Idem Pontifex, *ibid. §. 7.* Dispensatio autem in radice Matrimonii intelligitur solum de impedimento ortum habente a jure Ecclesiastico, non autem a jure Divino, aut naturali, & per eam non fit, ut Matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi Matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso Matrimonio contrahendi actu, producti fuerunt. Idem *ib. §. 7.* se referens ad tradita ab ipso in discursu confecto dum in minoribus Secretarii Congr. Conc. munere fungeretur in causa *Trag. Matrim.* proposita *die 13. Junii 1720. 16. Jan. 1723. 28. Aug. ejusdem anni, & tandem resoluta die 18. sequentis Septembris*, uti videri potest *tom. 1. & 2. Thesauri Resolutionum* dictæ Congregationis, ubi dicit, quod quemadmodum Sum. nus Pontifex potest legem Ecclesiasticam irritare, & revocare, non tantum quoad imposterum secuturos effectus ne incurrantur, sed etiam affectus antea productos, juxta Textum *in Clementina quoniam, de Immunit. Eccles.* sic dispensando in radice Matrimonii, idest in origine, seu initio ipsius, & revocando impedimentum dirimens Matrimonium, & simul, & semel abrogando

(a) Absit tamen, ut quis hanc sententiam ad praxim deducat.

legem Ecclesiasticam, quæ dictum statuit impedimentum, facit ut dispensatio retrotrahatur ad originem, sive initium Matrimonii, & sic quod proles quoad omnes effectus legitima sit, & habeatur, & quidem quoad effectus etiam civiles directe in Territoriis suæ temporali jurisdictioni subjectis, juxta ea, quæ ex celebri responso Innocentii Papæ Tertii *in c. Per venerabilem. qui filii sint legitimi*, plane colliguntur, & quoad Territoria alienæ temporalis jurisdictionis saltem indirecte quoad dictos effectus civiles.

42 Dispensatio in radice Matrimonii ab altero obtenta, sub narrativa, quod alter conjux impedimentum ignoret, nulla est, si alter demonstret, se impedimenti conscium fuisse ante petitam, obtentamque dispensationem. Idem *ib.* §. 7. Scientia tamen, aut dissensus post dispensationem superveniens, non attenditur. Idem *ibid.*

Novæ additiones ex aliena manu.

3 UT Episcopus dispensare valeat super impedimentis dirimentibus, Matrimonio jam contracto, tunc quum facile recurri ad Sedem Apostolicam nequit, plura concurrant oportet, quam ea, quæ affert Auctor *num.* 17. I. Scilicet ut Matrimonium contractum sit servata forma *a Concilio Tridentino* præscripta. II. Ut sit *consummatum*, quam conditionem, eamque omnino necessariam omittit *Auctor*. IV. Ut impedimentum sit occultum. V. Ut nequeat sine gravi scandalo fieri separatio; *S. M. Benedictus XIV. de Synod. Dioeces. lib. 6. cap. 12. num. 1. 2. & 3. P. Girald. in not. ad Maschar. Instit. Canonic. lib. 4. tit. 31. tract. ibidem inserto de dispensat. Matrimon. §. 6.*

3 Ceterum si occultum illud impedimentum postea detegatur, & deducatur ad Forum contentiosum, nova, eaque pontificia dispensatione opus est; *Iidem Auctores locis mox citatis.*

2 Matrimonio vero nondum contracto, etiamsi gravis urgeat necessitas, Episcopum haud dispensare posse super impedimentis dirimentibus publicis, quidquid nonnulli sentiant, & cum his fortassis Auctor *num.* 18. qui non limitat suam propositionem ad impedimenta occulta ex mente Sacræ Congregationis universalis Inquisitionis, tum Sacræ Congregationis Concilii Interpretis, probat *S. M. Benedictus XIV. ubi supra*, qui ita concludit: *Sacræ urbis Congregationes, Concilii videlicet, & Supremæ Inquisitionis, non semel proscripserant tamquam falsam, & temerariam propositionem assentem Episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obstat Matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas.*

IMPOTENTIA.

Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art. 2. a num. 29. ad 38.*

IMPUDICITIA.

Vide *Luxuria a num. 70. usque ad finem:*

INCENDIARII.

1 INcendiarius proprie loquendo est, qui dolo malo, ex odio, vel vindicta, vel alicujus commodi, aut lucri consequendi gratia, Civitatem, Oppidum, Pagum, Prædium, Ædes, vel alia bona aliena, ut segetes, acervos fructuum, fœni, lignorum, silvam, & hujusmodi supposito igne incendit, vel ad hoc mandatum, auxilium, vel consilium scienter dat; *Est in re communis, arg. cap. Pessimam 32. caus. 23. quæst. 8. cap. Si quis domum 6. de injuriis, & leg. Qui ædes 9.* 2 *ff. de incendio, & ruina*, cum similibus. Poena incendiarii dolo malo, data opera, ut supra, incendium caussantis de jure Civili habetur statuta, ut sequitur, *in leg. Qui ædes ff. de incendio, & ruina*, ibi: *Qui ædes, acervumve frumenti juxta domum positum combusserit, vinctus, & verberatus igne necari jubetur.* Item *in leg. fin. ff. de incendio, & ruina* sic statuitur: *Qui data opera in Civitate incendium fecerint, si humiliori loco sint, bestiis objici solent, si aliquo gradu id fecerint, capite puniuntur, aut certe in Insulam deportantur*, ubi Glossa *in fine* addit, *ut igne crementur* Item *in leg. Capitalium 28. §. 12. ff. de poenis* ita habetur: *Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias, vel Inprædæ causa incenderunt quid intra oppidum, & plerumque vivi exuruntur, qui vero Casam, aut villam aliquanto levius*; & ut statuit Carolus V. in sua constitutione *art. 125. Incendiarii dolosi* 3 *omnes indistincte debent viui igne comburi.*

Qui autem sine dolo malo, ex sola negligentia, vel imprudentia, cum culpa tamen, sive lata, sive levi, sive levissima, incendium caussavit, non tenetur ad pœnam ordinariam, sed de Jure civili tenetur ad resarciendum damnum illatum, & ad aliam mitiorem pœnam arbitrio Judicis imponendam; *argument. leg. Qui ædes 9. ff. de incendio; & ruina leg. Capitalium 28. §. 12. de pœnis §. Incendiarii, vers. Nam fortuita, juncta Glossa verb. Jactura, leg. 1. ff. de Effract.* Farinac. 4 *in praxi criminal. quæst. 110. num. 10.* Reiffenstuel *lib. 5. decretal. tit. 17. num. 28. & sequent.* Pirhing. *ibid. num. 48.* & alii passim. Ad talem vero restitutionem non tenetur in foro interno ante sententiam Judicis, nisi ex sua culpa lata Theologica graviter peccaminosa sit caussatum incendium, seu damnum; culpa enim Juridica levis, vel levissima non obligat in foro interno ad reparationem damni ante sententiam Judicis; Lugo *disput. 8. de Jure, & Justit. sect. 3. num. 46. sect. 4. numer. 54.* Lessius *lib. 2. cap. 7. num. 44.* Reiffenstuel 5 *loc. cit. num. 3. & tit. 36. num. 43.* & alii communius, & probabilius. Incendium mere fortuitum sine ullius culpa ortum, in nullo foro obligat ad restitutionem, nec ullam pœnam in aliquem inducit; *leg. Si fortuito 11. ff. de incendio, & ruina, leg. Si quis 9. §. 3. ff. locati, & leg. Ex conducto 15. §. 2.* 6 *& 3. ff. eod.*

De Jure Canonico Incendiarii Ecclesiarum, aliorumque locorum Sacrorum, & locorum ipsis ad triginta passus contiguorum, juxta *cap. Definivit 35. caus. 17. quæst. 4.* si dolo malo id faciant, sunt ipso Jure, seu facto, excommunicati; *argument. cap. Canonica 107. caus. 11. quæst. 3. cap. Omnes Ecclesiæ 5. caus. 17. quæst. 4. cap. Si quis 31. quæst. 33. numer. 8.* 7 Tales Incendiarii antequam per Ecclesiæ sententiam sint publice, & nominatim denunciati, possunt absolvi ab Episcopo; 8 Hostiens. *in Summa Rub. de incendariis tit. 17. num. 9.* Silvester, *verb. Incendiarius quæst. 1. nu. 2.* Pirhing. *lib. 5. decretal. tit. 17. nu. 49.* Reiffenstuel *ibid. n. 35.* Postquam autem sunt publice, & nominatim denunciati, a solo Papa possunt absolvi ab ipsa Excommunicatione, textu clarissimo *in cap. Tua nos 19. de sentent. Excomm.*, ibi: *Incendiarii, ex quo sunt* 9 *per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem sunt mittendi.* Incendiarii rerum prophanarum, seu locorum non sacrorum, sicuti & mandantes, & qui auxilium, vel consilium dolo malo eis dederint, incurrunt Excommunicationem, solum sententiæ ferendæ, non 10 autem latæ; aut ipso facto, textu expresso *in cap. Si quis 31. & cap. Pessimam 32. caus. 23. quæst. 8.*

Incendiarii, qui dolo malo id faciunt, nequeunt absolvi, nisi damna caussata resarciant, & jurent se non amplius id facturos, textu expresso *in citat. cap. Pessimam 32. caus. 23.* 11 *quæst. 8.* ubi de incendiario sic statuitur: *Nec absolvatur, nisi prius damno, cui id intulit, secundum facultatem suam, resarcito, jureq; se ulterius ignem non appositurum.* Incendiarii, 12 si impœnitentes decedant, privari debent Ecclesiastica sepultura, textu expresso *in cit. cap. Pessimam*, ibi: *Et si mortuus fuerit Incendiarius, Christianorum careat sepultura.* Si autem ante mortem pœnitentes fuerint ab Excommunicatione absoluti, possunt in loco sacro sepeliri; At si ab ipsis non fuit facta reparatio damnorum ex incendio caussatorum, te- 13 nentur ipsorum hæredes, & ad id compelli possunt, textu clarissimo *in cap. In litteris 5. de Raptoribus, Incendiariis &c.*

Quando nescitur, unde incendium sit exortum, præsumitur exortum culpa inhabitantium, cum ædium incendia plerumque aliqua, si non lata, saltem levi, vel levissima culpa, & negligentia inhabitantium oriantur; *leg. Nam salutem 3.* 14 *§. 1. ff. de Offic. præf. Vigil.*, ibi: *Plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium.* Tamen inhabitantes ad damna inde secuta resarcienda etiam in Foro externo non obligantur, nisi culpa alicujus in specie, & determinate rationabiliter præsumatur; Farinacius *in praxi criminal. quæst. 110. num. 93.* Gailus *Pract. observ. lib. 2. observ. 21. num. 3.* Alexander *consil. 50. num. 9.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 38.* & communis aliorum. Et ratio est, quia Incendium, non probata culpa certi hominis, inter casus fortuitos numeratur; Gailus *loc. cit. arguin. leg. Incendium, Cod. Si certum petatur.* Tum quia non præsumitur dolo alicujus certi factum tale incendium, quia dolus nunquam præsumitur; *leg. Merito 51. ff. Pro socio*, sed claris indiciis probari debet; *leg. Dolum 6. Cod. de dolo malo*, ibi: *Dolum ex indiciis perspicuis probari convenit.* Probatio enim debet esse certa, alias nihil valet, *cap. In præsentia 8. de pro-* 15 *abtionibus.*

Incen-

Incendium dicitur casus fortuitus in eo, qui in agro suo ignem accendit, ut stipulas, vel spinas comburat, ut facilius arare, & serere possit, seu ut agrum impinguet, & fœcundet; & ex post orta tempestate, & ventorum vi ulterius egrediatur, & fundo vicini damnum faciat; Tunc enim is, qui ignem sic in suo agro accendit, non tenetur de tali incendio, & damno, tamquam de casu fortuito, dummodo tamen adhibuerit diligentiam circa tempus, circa locum, & alias circumstantias, ne ignis longius egrederetur; Marian. *in cap. Si quis domos nu. 13. de injur. & damn. dat.* Angelus *de Maleficiis, in verb. Incendiario nu. 9. ad med.* Rubeus *de igne nu. 6.* Farinac. *in tit. de var. & divers. crim. quæst. 110. nu. 140. & 141.* Panimoll. *decis. 55. nu. 19. & 20.* Joseph. Ludovic. *decis. Perusin. 21. nu. 21. part. 1.* Salicet. *consil. crimin. diversor. 31. nu. 2. vers. vel etiam si subita vi lib. 1. in parvis*, Cephal. *consil. 362. nu. 22.* Cepol. *de servit. rustic. prædior. cap. 44.* & alii passim.

16 Incendiarii, quando non sunt Depopulatores agrorum, gaudent Immunitate Ecclesiastica, seu Asyli. Farinac. *de immunitate Eccles. cap. 6. nu. 105. Diana resol. moral. part. 6. tract. 1. de immunit. Eccles. resolut. 16. vers. Sed hæc opinio*; Panimoll. *decis. 79. nu. 27.* Bonacina, & alii passim: Hoc enim crimen non excipitur in Bulla Gregorii XIV. incipient. *Cum alias*, nec in Bulla Benedicti XIII. incipient. *Ex quo*. Quamvis enim hoc crimen sit simile Depopulationi agrorum, tamen, cum non sit idem, sed diversum, illius criminis exceptio firmat regulam in hoc alio casu non excepto, *arg. leg. In iis quæ ff. de legibus*. Unde ipsamet Sacra Congregatio Immunitatis decrevit, ut sequitur: „ Gaudent immunitate mulieres de- „ tentæ in Hospitali dedita opera Incendiariæ ipsius Hospi- „ talis, & ideo una ex eis carcerata in dicto Hospitali, est „ eidem loco restituenda. Et Vicarius mandans, superior „ Hospitalis consulens, ac Birrurarii exequentes carceratio- „ nem, consulant conscientiæ suæ; Sacra Congreg. Immu- „ nit. in Ferrarien. 13. Maji 1692, lib. decret. Grimald. „ pag. 129.

INCENSATIO.

Vide verb. *Thurificatio per tot.*

INCESTUS.

INcestus. Vide *Luxuria a nu. 12. ad 20.* & verb. *Pœna art. 2. a nu. 138. ad 144.*

Additio ex Auctore.

1 Incestuosum Matrimonium quomodo, & quando in radice sanari possit. Et incestuosa proles quomodo legitimetur? Vide *tom. 3.* verb. *Filius.*

INCORRIGIBILIS.

1 REquiritur sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici super Incorrigibilitate Clerici, antequam possit consignari Curiæ Laicæ; *Sacr. Congr. Immunit. in Hyeracen. 26. Augusti 1636. lib. 3. decret. Pauluc. pagina 12.*

2 Ejectus a Religione tamquam incorrigibilis gaudet privilegio Fori juxta decretum editum de ordine S. M. Urbani VIII. de Regularibus Apostatis, & Ejectis; *Sacr. Cong. Imm. in Nolana 11. Maji 1660. lib. decret. Rocci pag. 253.*

3 Conceditur facultas extrahendi incorrigibilem, & induratum in suis iniquitatibus, existentem in loco immuni, & retinendi in carceribus Ecclesiasticis ad correctionem usque ad novum ordinem; *Eadem Sacra Congregat. Immunit. in Sarzanen. 20. Septembris 1667. lib. 1. decret. Altoviti pag. 162.*

4 Datur facultas extrahendi Clericos incorrigibiles, & vitæ scandalosæ, & retinendi in carceribus ad correctionem; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Lycien. 18. Junii 1669. lib. 1. decret. Altoviti pag. 368. in Laureana 2. Martii 1677. lib. 2. decret. Altoviti pag. 1357. in Asculana 31. August. 1677. ibi pag. 1449. in Terracinen. 13. August. 1678. ibi pag. 1627.*

5 Sacerdos vulnerans propriam Concubinam, & dans signa incorrigibilitatis extrahitur cum facultate Sacræ Congregat. & retinetur in carceribus ad correctionem; *Eadem Sacr. Congregat. Immunit. in Bituntina 11. Julii 1676. lib. decret. Altoviti pag. 1276.*

6 Alia Vide verb. *Ejecti per tot.*

INDIA, INDI.

Additio Auctoris e II. Editione.

IN Indiarum Regionibus Hispaniæ Regi subjectis permittitur esus carnium diebus Sabbati per annum; Bened. XIV. tom. 1. Constitut. incip. *Iampridem*. Indos Paraquariæ, & 2 Brasiliæ in servitutem redigere prohibetur: Idem Constit. 36. incipient. *Immensa*. 1

In Indiis Maris Oceani S. Pius V. indulserat, ut animarum cura a Regularibus exerceretur independenter ab Ordinariis. Idem tom. 2. Constitut. 1. incip. *Quamvis ad confirmandum*. Idque a Gregorio XIV. confirmatum fuit; Idem *ibidem*. Sed 4 non constat privilegium executioni demandatum fuisse; Idem *ibid.* Innocentius autem X. illud declaravit procedere in locis in quibus esset defectus Parochorum; Idem *ibid.* 3

In Indiis Regulares ad Curam animarum nonadmittuntur, 5 nisi cum examine, & approbatione Episcoporum; Idem *ibid.* In Indiis tam Orientalibus, quam Occidentalibus servari 6 jubentur Decreta Concilii Tridentini de jurisdictione Episcoporum in omnes animarum Curam exercentes; Idem *ibid.*

INDIGNUS PRO PRÆLATURIS.

Vide verb. *Abbatissa num. 49.* & verb. *Electio art. 4. num. 40. & seq.*

INDULGENTIA.

ARTICULUS I.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt ejus naturam, antiquitatem, & divisionem.

INdulgentiæ nomen, quod a verbo *Indulgeo* derivatur, sumitur duobus præcipue modis. Primo sumitur pro lenitate, seu condescendentia, *ut 1. ad Corinth. 7. Hoc autem dico secundum Indulgentiam, non secundum imperium*. Secundo sumitur pro remissione, *ut Isaiæ cap. 61. Prædicare captivis; Indulgentiam*, quæ verba in Evangelio S. Lucæ *cap. 4.* sic referuntur. *Prædicare captivis remissionem*. Hinc Indulgentia 2 recte describitur quod sit *remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus quoad culpam jam remissis; facta extra Sacramentum ab habente facultatem per applicationem Thesauri Ecclesiastici; Est in re communis*. Dicitur primo *Remissio* 3 *pœnæ temporalis*, quia per Indulgentiam non remittitur culpa, sed pœna tantum temporalis, restans in hac vita, vel in Purgatorio luenda; Unde quando in forma, seu concessione Indulgentiæ dicitur per illam concedi remissionem *peccatorum* accipitur peccatum pro pœna peccati, juxta illud 2. *Machabæor. 12. Ut a peccatis solvantur*, & quando vocatur Indulgentia a *pœna*, & *culpa*. intelligitur, quod per talem Indulgentiam conceditur facultas absolvendi a culpa etiam reservata, ut notant Lezana *tom. 3. verb. Indulgentia*, Raynaldus *in scapulari part. 2. quæst. 5 num. 1.* Gobat. *in Quinario tract. 4 cap. 2. num. 17.* & alii. Secundo dicitur *Debitæ propeccatis actualibus &c.* quia peccatum originale, ejusque poena remittitur per Baptismum. Dicitur 3. *Facta extra Sacramentum ab habente facultatem*, quia concessio Indulgentiarum est actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ (non Ordinis) in foro externo competens Papæ plenarie, & aliis partialiter. Dicitur 4. *Per applicationem Thesauri Ecclesiastici*, ut ostendatur istam remissionem non esse omnino gratuitam, sed habere annexam solutionem pœnæ æquivalentem.

Dari autem in Ecclesia Catholica Thesaurum Ecclesiasti- 4 cum spiritualem, satisfactorium, qui nihil aliud est, quam *maximus quidam, & inexhaurabilis cumulus meritorum, & satisfactionum, quæ e Christo Domino ejusque vivis membris superfuerunt, & in acceptatione, memoriaque Divina servantur, & in utilitatem Ecclesiæ membrorum erogari possunt per legittimam Indulgentiarum concessionem*, tenent omnes Catholici, atque patet, tum ex perpetua traditione, ac sensu Ecclesiæ, tum ex Concilio Tridentino *sess. 25. in decreto de Indulgentiis*, tum ex Extravagant. *Unigenitus, de pœnitentiis, & remissionibus inter communes*, ubi sic expresse

haba-

habetur : „ Unigenitus Dei Filius de ſinu Patris in uterum di-
„ gnatus eſt deſcendere Matris, in qua, & ex qua noſtræ morta-
„ litatis ſubſtantiam divinitati ſuæ, in ſuppoſiti unitate, ineſ-
„ fabili unione conjunxit, id, quod fuit permanens, & quod
„ non erat, aſſumens, ut haberet, unde hominem lapſum re-
„ dimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo Patri. Ubi enim ve-
„ nit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum
„ ſub Lege, natum ex muliere, ut eos, qui ſub Lege erant,
„ redimeret, ut adoptionem reciperent Filiorum; ipſe nam-
„ que factus nobis a Deo Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio, &
„ redemptio, non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum,
„ ſed per proprium Sanguinem introivit ſemel in Sancta,
„ æternam Redemptione inventa. Non enim curruptibilibus au-
„ ro, & argento, ſed ſui ipſius Agni incontaminati, & im-
„ maculati pretioſo Sanguine nos redemit, quem in ara Cru-
„ cis innocens immolatus, non guttam Sanguinis modicam,
„ quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione
„ totius humani generis ſuffeciſſet, ſed copioſe, velut quod-
„ dam profluvium noſcitur effudiſſe; itaut a planta pedis uſque
„ ad verticem capitis, nulla ſanitas inveniretur in ipſo. Quan-
„ tum ergo exinde, ut nec ſupervacua, inanis, aut ſuper-
„ flua, tantæ effuſionis miſeratio redderetur, Theſaurum
„ militanti Eccleſiæ acquiſivit volens ſuis theſaurizare.
„ Filius Pius Pater, ut ſic ſit infinitus Theſaurus hominibus, quo, qui uſi ſint, Dei amicitiæ participes ſunt
„ effecti. Quem quidem Theſaurum, non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per Beatum Petrum
„ Cxli clavigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in Terris Vicarios commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & pro-
„ priis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro
„ partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ,
„ tam generaliter, quam ſpecialiter, (prout cum Deo expe-
„ dire congnoſcerent) vere pœnitentibus, & confeſſi miſe-
„ ricorditer applicandum. Ad cujus quidem Theſauri cumu-
„ lum Beatæ Dei Genetricis, omnium Electorum a primo
„ juſto uſque ad ultimum merita, adminiculum præſtare noſ-
„ cuntur, de cujus conſumptione, ſeu minutione, non eſt
„ aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti (ut
„ prædictum eſt) merita, quam pro eo, quod quanto plu-
„ res ex ejus applicatione trabuntur ad juſtitiam, tanto ma-
„ gis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.

5 Unde, ut vides, Theſaurus Eccleſiæ conſtat in primis ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, quæ, cum ſint valoris infiniti, conſtituunt theſaurum inexhauribilem, & ulterius conſtat ex meritis B.V. Mariæ, & omnium Sanctorum; Quamvis enim ſatisfactiones Chriſti, utpote infinitæ, de ſe ſufficiant, & ſuperabundent ad conſtituendum Eccleſiæ Theſaurum ſufficientem, & ſuperabundantem pro omnibus, congruum tamen fuit, ut ex divina dignatione ad conſtituendum hunc ſpiritualem Eccleſiæ Theſaurum aſſumerentur etiam merita, & ſatisfactiones Sanctorum, ne alioquin eorum merita, & ſatisfactiones quoad vim ſatisfactoriam a Deo irremunerata remaneant, & ut per hoc magis elucefcat perfecta unio Sanctorum cum Chriſto capite ſuo, & in corpore myſtico Eccleſiæ perfecta ſervetur *Communio Sanctorum*. Nam corpus myſticum Eccleſiæ, non ſolum conſtat Chriſto tamquam capite, ſed etiam Sanctis tamquam nobiliſſimis membris, juxta illud Apoſtoli *ad Romanos* 12. *Multi unum corpus ſumus, in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra*.

6 Theſaurus autem hic, cum ſit mere ſpiritualis, non reperitur repoſitus, ſicut alii theſauri in aliquo loco materiali hujus mundi, ſed exiſtit duntaxat in mente, ſeu memoria divina, in quantum ante oculos Dei merita, & ſatisfactiones ſuperabundantes Chriſti, & Sanctorum nondum oblivioni ſunt traditæ, ſed adhuc vivunt, & vigent, donec aliis indigentibus Eccleſiæ membris opportune communicentur, & ſic quantum fieri poteſt, remunerentur.

7 Indulgentiarum uſus non eſt noviter ab Eccleſia inductus, ut prætendunt hæretici, ſed eſt in Eccleſia Catholica antiquiſſimus. Multi enim Sacri Interpretes, & Theologi apud Henricx *de Sacramento Pœnitentiæ diſp.4. quæſt7. n.44.* docent S. Paulum 2. *ad Corinth.* 2. dediſſe inceſtuoſo jam pœnitenti Indulgentias, dum ait: *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti*, & eſſe antiquiſſimum uſum Indulgentiarum in Eccleſia Catholica tradit expreſſe Tridentinum *ſeſſ. 25. in decreto de Indulgentiis*, ubi loquens de facultate conferendi Indulgentias conceſſa a Chriſto Eccleſiæ, docet, quod *antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit*. Et de facto plures antiquiſſimos Summos Pontifices conceſſiſſe Indulgentias referunt ex probatis Auctoribus Bellarminus *lib.1. de Indulgentiis cap.3.* Kilianus Kazenberger *in ſupplemento Theologiæ Patritii Sporer cap. 3. de Indulgentiis num.5.* & alii paſſim.

Indulgentia dividitur in plenariam, & non plenariam ſeu partialem. *Communis*, textu expreſſo in cit. & adducta ſupra *num.4.* Extravagant. *Unigenitus Dei Filius, de pœnitent. & remiſſion.* Indulgentia Plenaria eſt illa, quæ remittit totam pœnam temporalem ex peccatis omnibus quoad culpam jam dimiſſis reſtantem, & debitam. *Eſt in re communis*. Circa hanc 9 Indulgentiam plenariam aliqui diſtinguunt inter Indulgentiam plenam, pleniorem, & pleniſſimam, *arg. Extravag. Antiquorum, de pœnitentiis, & remiſſionibus, inter communes*, in qua dicitur: *Non ſolum plenam, & largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam delictorum*. At vero quoad effectum nullum inter eas apparet diſcrimen, cum non ſolum Indulgentia pleniſſima, ſed etiam plenior, & plena, in rite depoſitis, & confeſſis conferat remiſſionem omnium pœnarum pro peccatis quoad culpam jam remiſſis debitarum, Ita enim docet Modernus Stylus Curiæ Romanæ plurimorum jam annorum uſu, & Sapientum Judicio, & Auctoritate roboratus, nempe quod per Indulgentiam *plenariam* idipſum deſignetur quod per *pleniſſimam*, ita ut quoties datur Indulgentia plenaria, toties cenſeatur dari, & fieri relaxatio, ſeu remiſſio omnium pœnarum, quas quis in Purgatorio luere deberet. Sic teſtantur Sotus *in 4. diſt. 21 quæſt. 2. art. 1.* Suarez *tom. 4. diſp. 50. ſect. 2.* Corduba *quæſt. 11.* Kazenberger *loc. cit. num.7.* Bonacina, Toletus, Lugo, Bellarminus, aliique prope omnes apud Gobat. *tract.4. de Indulgentiis part.2. cap.2 num.* 273. Immo Pontifex *in cit. Extravagant. Antiquorum* per illum loquendi modum nihil aliud intelligere voluit quam concedere *Indulgentiam adeo plenam prout clavium poteſtas ſe extendit*; ſicuti ipſummet Papam interpretatum fuiſſe in Conſiſtorio teſtatur Gloſſa *ibid. Pleniſſimam*.

Poteſt tamen, ſi non quoad effectum, ſaltem quoad ſpecialia privilegia, & annexas facultates, cum Marcantio *tom.3. Tribunalis tract.5. tit.2. quæſt. 3.* Maſtrio *in Theologia moralidiſp.21. num. 21.* Reiffenſt. *in Theologia morali tract. 12. diſt.3. quæſt.2. num.16.* & aliis, ſequens inter dictas Indulgentias notari diſcrimen, ut Indulgentia dicatur *Plena*, quando tota pœna pro peccatis jam remiſſis debita remittitur: *Plenior* quando poteſtas extraordinaria abſolvendi a caſibus reſervatis ſuperadditur. *Pleniſſima* quando ultra hæc, etiam diſpenſationes in votis, & hujuſmodi vinculis conceduntur, prout fieri ſolet in Jubileo, de quo procedit *cit. Extravagans Antiquorum* cum ibi, ut patet, ſit ſermo de Jubilæo Anni Sancti.

Indulgentia conceſſa *inſtar Jubilæi*, *vel per modum Jubilæi*, 11 *vel in forma Jubilæi* nihil aliud importat, quam Indulgentiam plenariam ſine tamen annexa facultate abſolvendi a reſervatis, commutandi vota, & hujuſmodi, quæ alias conceditur in Jubilæo; Unde Indulgentia inſtar Jubilæi, in forma Jubilæi, vel per modum Jubilæi non diſtinguitur ab Indulgentia plenaria, ut pluribus efficacibus rationibus probat Gobat *in ſuo Quinario tract. de Jubilæo cap.7. & tract.4. de Indulgentiis part. 2. cap. 5.* & ſic tenent Suarez *tom.5. in 3. part. diſp. 7. ſect. 5. num. 7.* Viva de Jubilæo *q. 1. art. 1.* Leſſius *in Auctar. verb. Indulgentia, caſu 3.* Kazenberger *l. c. num.2.* La Croix *lib. 6. part. 6. n. 1380.* Navarrus, Diana, Cotonius, & alii. Unde Summi Pontifices ideo aliquam Indulgentiam plenariam vocant inſtar Jubilæi, in forma Jubilæi, vel per modum Jubilæi, ut oſtendant majorem, non effectus, ſed affectus, & cauſæ abundantiam; atque ut in Fidelibus majorem lucrandæ Indulgentiæ curam, majorem que ex ea conſolationem excitent.

* Illud inſuper accedit, a Clemente VIII. aliiſque aliorum Pontificum Decretis abrogatas fuiſſe Indulgentias *in forma Jubilæi* conceſſas. Quare quicunque ſibi facultatem aſſerit Indulgentiam aliquam publicandi in forma Jubilæi, debet omnino exhibere conceſſionis litteras, enuntiatam formulam præſeferentes, ac inſuper oſtendere, datas eas fuiſſe poſt Pontificatum Clementis VIII. & poſt alia Decreta, ejuſmodi gratias abrogantia. Ita egregiè Benedictus XIV. in ſuo Tract. *de Synodo Diœceſana lib.13. cap.18. num.9.* Videantur hac de re P. Theodorus in ſuo Tract. *de Indulgentiis, part. 2. c. 4. §.2.* & P. Minderer in ſuo Tractatu pariter *de Indulgentiis, par.1. confer.4. quæſt.10. num.130.* & in Tractat. *de Jubilæo Confer.1. §. 2. caſu 1.* cum Auctoribus ibidem citatis. *

Indulgentia partialis eſt, illa, quæ remittit ſolum partem 12 pœnæ

pœnæ temporalis peccatis quoad culpam jam remiſſis debi-
13 tæ. *Eſt in re communis*. Indulgentia partialis, alia vocatur *Quarena, Quadragena, Quarantena*, quæ ſignificant Indulgentiam 40. dierum, ideſt remiſſionem tantæ pœnæ, quanta fuiſſet remiſſa ob pœnitentiam quadraginta dierum, olim ab Eccleſia pro certis peccatis in Pœnitentialibus Canonibus ſtatutam: alia vocatur *Septena*, per quam ſignificatur Indulgentiam ſeptem annorum, ſeu remiſſio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet remiſſa ob pœnitentiam ſeptem annorum. Alia vocatur *Carena*, quæ ſecundum multos eſt Indulgentia utramque ſupradictam complectens, ita ut ſit remiſſio tantæ pœnæ, quanta fuiſſet remiſſa ob pœnitentiam quadraginta dierum in pane, & aqua peractam, & per aliam pœnitentiam ſeptem annorum ſubſequentem. Ita Tannerus *tom. 4. diſp. 6. dub. 8. num.99.* Suarez *tom.4. diſp.50. ſect.5. num.14.* Bonac. *diſp.6. quæſt. 1. punct. 2.* Reiffenſtuel *in Theolog. moral. tract. 12. diſt.3. quæſt.2. num.20.* ubi aſſerit ita ſentire alios magis communiter, & ita videtur nomen *Carenæ* accipi *in cap. Accuſaſti 8. de accuſationibus*, ibi: *Quadraginta dies in pane, & aqua (quod carena vocatur) cum ſeptem ſequentibus annis pœnitens*. Alii tamen per *Carenam* intelligunt pœnitentiam agendam ſolum per 40. dies in pane, & aqua, & ideo dicebatur *Carena*, quia adferebat carentiam ciborum, & conſortii humani. Ita Gloſſa *in cit. cap. Accuſaſti*, verb. *Carena*, ubi ſic habet; *Carena vulgare eſt Lombardorum, & dicitur a carentia hominum, quia tales recluduntur ſolitarii per quadraginta dies ad agendum pœnitentiam*. Layman *lib.5. tract.7. cap.3.* La Croix *loc. cit. num.* 1381. Kazenberger *loc. cit. num.7.* & alii.

14 Alia vocatur *Centum dierum*, *Centum annorum*, *mille annorum*, *centum mille annorum*, *biſcentum mille*, *tercentum mille annorum*, & hujuſmodi, per quam non eſt intelligendum, quod totidem dies, vel anni pœnæ luendæ in Purgatorio remittantur, ſeu mora tanti temporis futura in Purgatorio relaxetur, cum non ſit veriſimile, quod Purgatorium duraturum ſit ad biſcentum mille, ſeu tercentum mille annos, pro quibus Indulgentia aliquando conceditur, ſed per ſimilem Indulgentiam debet intelligi, quod per ipſam remittatur tanta pœna, quanta remitteretur virtute illius pœnitentiæ per Canones Pœnitentiales in jure Canonico poſt Decretum Gratiani impreſſos, ſtatutæ, ſi ipſa per tot dies, vel annos in hoc mundo perageretur. Sic Maſtrius *in Theologia moral. diſputat.23. quæſt.2. artic.2.* Gobat. *tract.4. de Indulgentiis part.2. cap.3. num.* 283. Layman *lib.5. tract.7. cap.3.* Reiffenſtuel. *loc. cit. num.19.* La Croix *loc. cit. num.* 381. cum Bellarmin. Suarez & aliis. Kazenberg. *loc. cit. num.10.* ubi teſtatur de communi. * Has tamen Indulgentias ſubleſtæ eſſe fidei ob ſuos millenarios annos affirmat P. Minderer in ſuo Tract. *de Indulg. par.2. conf. 8. num.501.* Sotus *in 4. ſent. diſt.21. qu.2. art.1.* aſſerere non dubitavit, fuiſſe commenta Quæſtorum, Eſtius *in 4. ſent. diſt.20. §.10.* aperte ait, confictas commentitiaſque eſſe, ac nullatenus S. Sedi tribuendas; Ven. Card. Thomaſius *Tom.7. Operum*, incredibiles ac plane improbabiles eſſe concludit. Vide Benedict. XIV. *lib. 13. de Synodo cap. 18. num. 8.* & P. Minderer citatum, *part.1. Conf. 4. quæſt. 4. num. 213. & Confeſſ. 11. num. 80.* *

15 Alia vocatur Indulgentia tertiæ, aut quartæ partis peccatorum, & hæc eſt remiſſio tantæ pœnæ, quanta perſolvi debuiſſet hic, vel in Purgatorio pro tertia, vel quarta parte peccatorum jam remiſſorum, Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.88. num.4.* cum multis ibi citatis, Sporer *loc. citnum.6.* & alii paſſim.

16 Quando cum Indulgentia plenaria reperitur conceſſa etiam alia partialis, tunc debet intelligi, vel quod fuerint diverſi Indulgentiarum Largitores, ita ut unus conceſſerit Indulgentiam plenariam, & alter partialem; aut ſi ſit unus ſolus concedens ſimul utramque Indulgentiam, illos dies, vel annos Indulgentiæ partialis additos Indulgentiæ plenariæ ad hunc finem concedi, ut poſſint per modum Suffragii aliis applicari, quod utrumque docet Suarez *tom. 4. diſp.5. ſect.4. n. 9.* Palaus *part. 3. tract. 24. n. 12. de Jubilæo p. 15. dub. 9.* citans Pinellum, Gobat *tract.4. de Indulgentiis part.2. cap.2. n.*275. Kazenberger *loc. cit. n. 6.* & alii. Vel debet intelligi, quod illa additio Indulgentiæ partialis ad Indulgentiam plenariam fiat ad cautelam, ut ſcilicet ſimus certi cauſam Indulgentiæ eſſe ſufficientem ſaltem ad acquirendam illam partialem, ſi non totalem. Sic Reginald. *lib.7. n.149.* poſt Corduban, & Valentiam, Gobat *loc. cit. n. 9.*

17 Indulgentia, alia eſt perpetua, alia temporalis, alia indefinita. *Perpetua* eſt, quæ expreſſe eſt conceſſa in perpetuum. *Temporalis* eſt, quæ expreſſe eſt conceſſa ad certum tolum, & determinatum tempus; *Indefinita* eſt, quæ indefinite eſt conceſſa: nulla temporis, vel durationis mentione facta; & circa hanc notant, tum Scholaſtici, tum Summiſtæ apud Sporer *loc. cit. n.11.* quod ſit habenda pro perpetua, cum non ſit major ratio, cur Indulgentia indefinita, conceſſa pro tanto tempore intelligenda ſit, & non pro majori, eo vel maxime, quod cum Indulgentia ſit favor, & beneficium, potius ample, quam ſtricte ſit interpretanda; *arg. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Odia reſtringi, favores convenit ampliari*, dummodo tamen non adſit aliqua lex, & Regula Apoſtolica limitans, vel declarans, & terminans Indulgentias hujuſmodi indefinitè conceſſas, quia tunc præſumitur, quod Pontifex indulgentiam concedat juxta conſuetum Curiæ ſtylum, ut rectè advertunt Navarrus, Henriquez, Faber, Maſtrius apud Kazenberg. *loc. cit. n.11.*

Indulgentia inſuper, alia eſt localis, alia realis, & alia per- 18 ſonalis. *Indulgentia localis* eſt, quæ conceditur alicui proloco, ideſt fidelibus aliquam determinatam Eccleſiam, ſeu Capellam viſitantibus, & in ea juxta expreſſa in formula Indulgentiæ orantibus. *Indulgentia realis* eſt, quæ conceditur rebus mobilibus, ut Coronis, Crucibus, Medaliis, & hujuſmodi, ideſt Fidelibus tales res penes ſe devotè habentibus, & opera præſcripta ad indulgentiæ conſecutionem peragentibus. *Indulgentia perſonalis* eſt, quæ independenter a loco, & re, conceditur directè, & immediatè alicui perſonæ, aut individuæ, & particulari, aut communi, & generali, ut toti Religioni, aut Communitati, ut eam lucretur, ubicumque fuerit, vel in articulo mortis, vel quoties tale, aut tale opus peregerit. *Omnes*.

Circa Indulgentiam localem hæc veniunt notanda. 1. Si 19 Eccleſia, ſeu Capella totaliter deſtruatur, & non reædificetur, perit, & ceſſat Indulgentia, quia ipſa non erat conceſſa loco ſimpliciter, ſed Eccleſiæ, ſeu Capellæ. Layman *lib.5. tract.7. cap.3. num.5.* Gobat *tract. 4. de Indulgentiis part. 2. cap.6. n.* 320. Kazenberger *loco cit. n.* 14. & alii paſſim. 2. Si Eccleſia totaliter deſtruatur, ut ibidem in meliorem formam reædificetur, ſeu ut auctoritate Superioris in alium meliorem ſitum transferatur ſub eodem titulo, & Patrono, retinent eadem Indulgentiam. Gloſſa *in Regula 7. Juris in 6.* Innocentius *in cap.2. de novi operis nuntiatione*, Ludovicus Bolognius *in tractatu de Indulgentiis n. 79.* Antoninus *part.1. tit.19. cap.1. §. 2.* Layman *loc. cit.* Kazenberger *loc. cit.* Suarez *tom. 4. in tertia parte diſp.42. ſect.1. n.9. & lib.8. de legibus cap.5. in fine*, Bonacina, & alii citati a Gobat *loc. cit. n.* 320. Et ratio eſt, quia Indulgentia non eſt conceſſa ratione ſitus, & loci, ut ſupponitur, ſed abſolute Eccleſiæ ſub tali ſuo proprio nomine, & titulo adhuc retento, licet in meliorem ſitum translatæ, ſeu in meliorem formam reædificatæ: unde cenſetur adhuc eadem moraliter Eccleſia. 3. Si Eccleſia non totaliter deſtruatur, ſed tantum per partes, & paulatim reædificetur, retinet eamdem Indulgentiam; certum enim eſt ſic manere eamdem moraliter Eccleſiam, adeoque eamdem perſeverare Indulgentiam. *Communis* cum ſupracitatis.

Circa Indulgentiam realem hæc notanda ſunt. 1. Si de- 20 ſtruatur res, in qua erat Indulgentia, perit ipſa Indulgentia. 2. Si Crux, ſeu Imago, cui eſt affixa Indulgentia, ita frangatur, ut non amplius referat ſpeciem Crucis, aut Imaginis, ceſſat Indulgentia; Non ceſſat tamen, ſi quod infractum eſt, maneat, & adhuc referat ſpeciem Crucis, aut Imaginis, aut partes fractæ, ſeu disjunctæ, denuo copulentur, & compaginentur. 3. Si frangatur Chorda, ſeu funiculus Coronæ, cui eſt affixa Indulgentia, non perit ipſa indulgentia, ſicut nec perit, quamvis penitus frangatur Cruciula Coronæ, aut certa circiter pars granorum, pro quibus alia ſubſtituuntur, quia per mutationem Chordæ, ſeu dictorum granorum, aut cruciulæ non cenſetur mutata moraliter Corona. 4. Si frangatur dimidia pars dictæ Coronæ Indulgentia non remanet in parte integra, quia una ſolum dimidia pars non conſtituit Coronam, aliter ſi Corona divideretur in duas dimidias partes, ex una Corona fierent duæ, ambæ gaudentes ſua peculiari indulgentia, quod nequaquam eſt dicendum, cum unica tantum indulgentia ſit conceſſa pro tota Corona, 5. Ut aliquis, ſive moribundus lucretur indulgentias conceſſas Crucibus, Medaliis, Roſariis, Coronis, & hujuſmodi, debet Crucem, Medaliam, Roſarium, Coronam ſecum habere, ſecum portare, penes ſe habere. Non eſt tamen opus manibus tenere rem Indulgentia affe-

affectam. 6. Nemo potest lucrari dictam indulgentiam realem utendo Rosario, seu Medalio alieno, Corona, aut Cruce aliena, & hujusmodi. Sic enim expresse decrevit Alexander VII. *die 6. Februarii* 1657. *anno secundo sui Pontificatus* decreto incip. *Sanctissimus*, relato ad litteram a Gobat *tract. de Indulgentiis part. 2. cap. 37. num. 678.* & Innocentius XIII. *die 5. Junii* 1721. Decret. incip. *Nuper Sacræ*, relato a Kazenberger in *Appendice Alphabetico Bullarum verb. Indulgentiæ*. Ita quoad supradicta communiter Doctores cum Kazenberger *loc. cit. num.* 15. Gobat *tract. 2. de Indulgent. cap. 14. a num.* 387.

Articulus II.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt Auctoritatem eam concedendi, personas, quæ possunt eam concedere, & lucrari, & requisita ad ipsam.

1 Est de Fide dari in Ecclesia Catholica auctoritatem concedendi Indulgentias, seu dispensandi Thesaurum Ecclesiæ; habetur clare ex cit. Extravagant. *Unigenitus, de pœnit. & remissionibus, inter Communis*. Et est definitum in Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 21. de reformat. in Decreto de Indulgentiis*, ibi „ Cum potestas conferendi Indulgentias a „ Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate „ divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa „ uta fuerit: Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum „ Christiano populo maximè salutarem, & Sacrorum Con„ ciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum „ esse docet, & præcepit, eosque anathemate damnat, qui „ aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia „ potestatem esse negant „. Et hæc Catholica veritas evincitur ex verbis Christi *Matthæi 16. Tibi dabo Claves Regni Cœlorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis*, per quæ verba Christus Dominus contulit B. Petro & ejus in Officio successoribus potestatem solvendi vincula peccatorum quantumcumque gravium, quibus correspondet pœna æterna, ergo multo magis pœnarum temporalium ex culpis jam dimissis relictarum per Indulgentias.

2 Summus Pontifex potestate a Christo accepta, adeoque de Jure divino, potest concedere quibusvis Fidelibus Indulgentias, tum plenarias, tum partiales, tum locales, reales, & personales, textu expresso *in cit. Extravagant. Unigenitus*; & patet ex adductis *numer. antecedenti*, & est *Communissima* inter Catholicos cum S. Thoma *in 3. d. 20. qu. 1. art. 4.* S. Bonaventura *art. 2. quæst. 3.* Barbosa *de Offic., & potest. Episc. part. 3. alleg. 88. num. 5.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 4. num. 1.*

3 Kazenberg. *loc. cit. num. 19.* Papa potest concedere tales Indulgentias etiam ante suam consecrationem; Hujusmodi enim potestas est Jurisdictionis, & non Ordinis, *cap. Quod autem, pœnit. & remissionibus*, & tenent communiter Doctores cum Barbosa *loc. cit. num. 6.* Kazenberger *loc. cit. num. 19.* Gobat

4 *tract. 4. de Indulgent. part. 1. cap. 6. num. 54.* Papa solus potest concedere quibusvis Fidelibus, sive vivis, sive defunctis quaslibet Indulgentias. Unde nec Concilium Generale sine Papa, sive hic vivat, sive sit mortuus, habet talem potestatem. Suarez *disp. 55. sect. 1. num. 7.* Bellarm. *lib. 1. cap. 11.* Barbosa *loc. cit. num. 16.* Layman *loc. cit. num. 1.* La Croix *lib. 6. part. 6. num. 1317.* Diana *part. 10. tract. 6. resol. 12.* Kazenberger *loc. cit. num. 19.* ubi testatur de communi. Attamen Corduba *de Indulgentiis quæst. 10. propos. 8.* Henriquez, Navar. & alii apud Barbosam *loc. cit. num. 6.* tenent, quod Concilium Generale, vacante Sede, Jure divino Indulgentias concedere possit.

Inferiores Papa, ut Cardinales, Legati, Nuncii, Patriarchæ,

5 Primates, Archiepiscopi, Episcopi non habent potestatem concedendi Indulgentias Jure divino, sed solum Jure Ecclesiastico, scilicet ex concessione Summi Pontificis. Ita S. Thomas *loc. cit. art. 4. quæst. 3.* Richard. *art. 5. quæst. 3.* Durand, *quæst 5. ad 2.* Suarez *disp. 49. sect. 1. num. 14.* Coninch *disput. 12. dub. 1. conclus. 4.* Silvester *verb. Indulgentia qu. 5.* Augustinus de Ancona *lib. de potest. Eccles. quæst. 29. art. 5.* Layman *loc. cit. num. 1. assertion. 2.* Kazenberger *loc. citat. num. 20.* Bellarmin. *loc. cit.* Barbosa *loc. cit. num. 8.* contra Sotum, Navarrum, Medin. Valent. & quosdam alios, quos citant, & improbant Bonacina *de Sacrament. disp. 6. quæst. 1. punct. 3. num. 1.* Sanctarellus *de Jubilæo Anni Sancti cap. 3. dub. 2. litt. B.* Azorius *Institut. Moral. part. 2. lib. 3. cap. 54. quæst. 2.* Henriquez *in Summ. lib. 7. cap. 31. §. 3.* Lavorius *de Indulgentiis part. 2. cap. 11. num. 45. cum sequent.* & alii.

Supradicti inferiores Papa habent limitatam potestatem 6
concedendi Indulgentias. *Communis* Episcopi enim possunt solum concedere Indulgentiam unius anni in Dedicatione Eccle- 7
siæ, sive ab uno solo Episcopo, vel a pluribus dedicetur, & in Anniversario Dedicationis, & aliis etiam casibus, & rationabilibus causis possunt concedere solum Indulgentiam 40 dierum. *Communis*, textu expresso *in cap. Cum ex eo 14. de poenit. & remissionibus in fin.* ibi: *Decrevimus, ut, dum dicatur Basilica, non extendatur Indulgentia extra annum sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in Anniversario Dedicationis tempore 40. dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat; Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum Litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur*. Tales Indulgentias possunt 8
Episcopi concedere etiam in perpetuum, idest recurrentes omni anno. Lessius *in Aut. verb. Indulgentia casu 1.* La Croix 9
loc. cit. n. 1319. Kazenberger *loc. cit. num. 20.* & alii. Tales Indulgentias possunt concedere Episcopi etiam non consecrati, aut ordinati, dummodo sint electi, & confirmati, quia talis potestas est Jurisdictionis, & non Ordinis. *Communis* cum Barbosa *loc. cit. numer. 7.* Episcopi possunt concedere 10
Indulgentias pro suis tantum subditis, licet extra Diœcesim existentibus, & tantum per modum absolutionis, adeoque solis vivis. Kazenberger *loco citat. num. 20.* La Croix *loc. cit. num. 1320.* Barbosa *loc. cit. num. 23. 24. & 27.* & alii ibi 11
citati. Episcopi possunt concedere Indulgentias etiam pro Religiosis, & locis exemptis; Religiosi enim exempti possunt sicut alii lucrari Indulgentias concessas ab Episcopis, quia inducta in favorem non debet converti in eorum læsionem, & facta in augumentum non debent parere diminutionem; *leg. Quod favere, Cod. de Legibus, leg. Legata inutiliter, ff. de Legatis 1. cap. Quod ob gratiam 61. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*, Barbosa *loc. cit. num. 27.* Bellarmin. *de Indulgent. lib. 1. cap. 11. quæst. 3.* Navarrus *de Indulgent. notabil. 31. num. 12.* Ludovic. Bolognin. *tract. de Indulgentiis num. 93.* Sanctarellus *de Jubilæo Anni Sancti cap. 8. dub. 2.* Paludan. *in 4. dist. 20. part. 4. art. 4.* Reginald. Cochier, Alzed. Lavor. Bonacina apud Barbosam *loc. cit. num. 27.* & alii passim.

Episcopi possunt facultatem concedendi Indulgentias aliis 12
delegare non solum Sacerdotibus, sed etiam Clericis. Barbosa *loc. cit. num. 10.* Bellarmin. *de Indulgentiis lib. 2. cap. 11.* Emmanuel. Sa *verb. Indulgentia num. 16.* Suarez *disp. 55. sect. 6. num. 6.* Reginald. Valentia, Lavorius, Nugnus, Ugolin. Bonacina, Azorius, Alzedo, Torreblanca, citati a Barbosa, ubi *supra num. 10.* Kazenberger *loc. cit. num. 20.* Lugo, Viva cum La Croix *loc. cit. num. 1320.* & alii com- 13
muniter. Hanc tamen potestatem non possunt Episcopi delegare, & concedere Laicis, cum Laici Jure humano removeantur a muneribus Ecclesiasticis, ut post Jacob. de Graff. Suarez & Reginaldum resolvunt Bonacina *de Sacramentis disp. 6. quæst. 1. punct. 3. num. 12.* Lavorius *de Indulgentiis part. 2. cap. 11 num. 49.* Barbosa *loc. cit; num. 11.* Episcopi Ex- 14
communicati, denunciati, seu vitandi non possunt Indulgentias concedere, quia Excommunicati vitandi carent usu Jurisdictionis, & consequenter invalida sunt iplorum acta ad Jurisdictionem pertinentia, *cap. Tanta 18. de excessibus Prælator. cap. Pia conderatione 1. de exceptionibus in 6.* Barbosa 15
loc. cit. num. 12. cum pluribus aliis ibi citatis, Episcopi valide concedunt Indulgentias, quamvis in peccato mortali existant, nec peccant secluso scandalo non prævisо: Peccatum enim mortale præcise non tollit Jurisdictionem. *Communis* cum Barbosa *loc. cit. num. 13.*

Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ possunt in suis 16
Diœcesibus concedere Indulgentias, quas concedere possunt Episcopi in suis, & insuper in tota sua Provincia, textu expresso *in cap. Nostro 15. de pœnit. & remiss.* Et quidem id 17
possunt etiam extra tempus Visitationis; nam *cit. cap. Nostro*, non loquitur de visitatione, ut illud legenti patet. Nec 18
obstat, quod jam tales Indulgentiæ fuerint concessæ a propriis respective Episcopis, nam possunt nihilominus similes conferre Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, ita ut quis simul lucretur Indulgentias et Episcopi, & Archiepiscopi seu Primatis, et Patriarchæ; Suarez *dis. 55. sect. 2. n. 7.* Gobat. *tr. 4. de Indulg. cap. 6. n. 57.* Rosella *n. 397.* Barbosa *loc. cit. num. 16.*

n. 16. & alii. Imo secundum multos Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ possunt concedere Indulgentias 80. dierum, ubi Episcopi possunt solum 40. Barbosa *l. c. n. 16.* Azorius *part. 2. lib. 3. cap. 55. q. 6.* Alzedo *part. 2. cap. 3. num. 23.* Lessius, Henriquez, & alii.

Episcopi, seu Archiepiscopi Coadjutores etiam cum fu-
20 tura successione Indulgentias per se concedere non possunt; *Sacr. Congreg. Rit. 13. Januarii* 1591. Cardin. Petra *t. 3. comment. ad Constit. 16. Alexandri IV. n. 31.* Neque eas concede-
21 dere possunt Episcopi, seu Archiepiscopi Titulares; Cardin. Petra *l. c. n. 32.* & alii passim. Nuncii, & Legati Apostoli-
22 ci possunt subditis suæ Nunciaturæ, & Legationis pro quocunque opere concedere 100. aut plurium dierum Indulgentiam; attamen semper minus, quam annum. Pro Templo autem, seu Capella possunt concedere Indulgentiam 7. annorum, & septem Quadragenarum pro illis, qui confessi, communicaverint, & in eo loco de more oraverint ad intentionem Ecclesiæ. Quamvis enim talis facultas non reperiatur ipsis concessa in Jure communi scripto, ut recte observant Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 55. sect. 3. n. 22.* Gobat. *loc. cit. n. 56.* & alii, tamen a Summo Pontifice inter alias facultates solet etiam ista ipsis concedi, uti patet in facultatibus Nunciaturæ Coloniensi. 1. *Octobris* 1680. ab Innocentio XI. concessis, La Croix *loc. cit. num. 1322.* Kazenberger *loc. cit. n. 20.* & alii.

Cardinales ultra Indulgentias, quas concedere possunt in
23 suis respective Diœcesibus seu Provinciis, si sint Episcopi, seu Archiepiscopi, possunt concedere Indulgentiam centum dierum in Ecclesiis suorum Titulorum, quamvis non sint nec Episcopi, nec Sacerdotes; Lavorius *de Indulgentiis par. 2. cap. 11. num. 15.* Pavin. *de potestate Capituli Sede vacante p. 1. princip. qu. 4. num. 4.* Jacob. de Graff. *in aureis decis. in Append. lib. 2. cap. 2. num. 42.* Barbosa *loc. cit. sub n. 16. & 18.* & alii passim. Summus Pœnitentiarius concedit Indulgentias
24 centum dierum, non quod adsit aliquod Jus, sed ex vivæ vocis oraculo, aut consuetudine, Papa sciente & tolerante. Azorius *loc. c. cap. 55. vers. Sexto quæritur*, Lavorius *loc. c. num. 17.* Navarr. *tract. de indulgen. notab. 31. n. 17.* Barbosa *loc. cit. sub num. 16. in fine*, Imo Summus Pœnitentiarius, audiente, & testante Paludano *in 4. dist. 20. q. 4. art. 2.* semel dixit: *Auctoritate nostra ordinaria damus vobis 100. dies Indulgentiæ*; Sic Gobat. *loc. cit.* Si supradicti Papa inferiores in
25 concedendis Indulgentiis excedant facultatem sibi competentem, quamvis tales Indulgentiæ non valeant, quoad excessum, valent tamen quoad eam partem, quæ numerum præscriptum, seu facultatem eis competentem non excedit, quia est res separabilis, & in separabilibus utile per inutile non vitiatur; *lag. Utile ff. de regulis Juris; leg. 1. §. Trebatius ff. de aqua quotid. & æstiva*. Sic enim resolvunt per textum *in cap. Indulgentiæ 3. de pœnit. & remissionib. in 6.* Glossa *ibid. verb. Certum est*, Aloysius Riccius *in praxi fori Eccles. tit. dec. 117. num. 5. in 1. edit. & resolut. 102. num. 5. in 2. edit.* Navarr. *de indulgent. notabil. 31. num. 16.* Suarez *disp. 55. sect. 3. n. 11.* Bonacina *de Sacram. disp. 6. quæst. 1. punct. 3. num. 3. & 4.* Azorius *loc. cit. cap. 55. q. 6.* Lavorius *l. c. cap. 11. num. 39. & 40.* Reginald. *in praxi fori pœnit. libr. 7. num. 120.* Barbosa *l. c. num. 22.* & apud ipsum Ugolinus, Petrus Sotus, Sanctarellus, Alzed. Torreblanca, Fagnan. *in capitul. Cum ex eo 14. de pœnitent. & remissionib. numer. 15.* & alii passim.

Prælati Episcopo inferiores, quamvis in ceteris habeant
26 potestatem quasi Episcopalem, non possunt tamen Jure ordinario, & proprio concedere Indulgentias, cum id nullibi reperiatur eis concessum; *arg. cap. Accedentibus. 12. de excessibus Prælatorum*, Fagnan. *in dict. cap. Accedentibus a n. 7. usque ad n. 20.* Barbosa *loc. cit. n. 17.* cum communi aliorum.
27 Hinc Jure proprio, & ordinario nequeunt Prælati Regulares, ut Generales, & Provinciales, Indulgentias concedere, neque Regularibus sibi subditis; *argum. cit. cap. Accedentibus*, Suarez *disp. 55. sect. 3. num. 1.* Emman. Rodriq. *qq. Regular. tom. 2. q. 86. art. 1.* Fagnan. *loc. cit. num. 19.* Barbosa *loc. cit. num. 19.* Gobat. *loc. cit. n. 72.* & alii communiter, & sic decrevit *Sacr. Congr. Rit. 27. Septemb. 1659. apud Card. Petram tom. 5, Comment. ad Constitut. 4. Calisti III. num. 102.*
28 Dicitur autem notanter *Jure proprio, & ordinario*, quia dicti Prælati Regulares ex concessione facta Provincialibus de Ordine Minorum a Leone X. & Visitatoribus Societatis Jesu a Gregorio XIII. & aliis Ordinibus ab aliis Summis Pontificibus possunt concedere Indulgentiam plenariam suis Religiosis peracta visitatione Conventus. Nec tales Indulgentias esse revocatas, quamvis aliquin viva tantum voce concessas, respondit, & declaravit Urbanus VIII. ut refert, & tenent La Croix *lib. 1. num. 861.* Kazenberger *loc. cit. num. 21.* Henrinex *part. 4. disp. 4. de Sacrament. Pœnitentiæ q. 6. num. 61.* & tenet praxis communis. Vide infra *art. 4. num. 11.*

Vicarius Generalis de Jure sine speciali commissione non 29
potest Indulgentias concedere; *arg. cit. cap. Accedentibus 12. de excessibus Prælator.* Barbosa *de Offic. & potest. Episc. part. 3. alleg. 54. n. 90. & alleg. 88. sub n. 10.* Gobat. *loc. citat. num. 68.* Borgas *de Irregul. part. 3. tit. de Indulgent. Episcop. & part. 7. cap. fin. nu. 25.* Rebuffus *tit. de forma Vicarii numer. 173.* Sbroz. *lib. 2. quæst. 50. num. 3.* Azor. *lib. 3. cap. 45. q. 13.* Franc. Leo *in thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 10. n. 12. in fine*, Benzon. *de Jubilæo lib. 2. cap. 30. vers. Conveniunt*, Lavorius *de Indulgent. part. 2. c. 11. n. 51.* Fagnan. *in cit. cap. Accedentibus num. 17.* cum pluribus ibi citatis, Card. Petra *t. 3. Comment. ad constitut. 16. Alexandri IV. n. 26.*

Neque Indulgentias concedere potest Capitulum, seu Vi- 30
carius Capitularis, Sede vacante, quia non succedit Episcopo in potestate Jurisdictionis extraordinariæ, saltem in iis, quæ sunt reservata Dignitati Episcopali; *arg. cit. cap. Accedentibus*, Barbosa *cit. allegat. 88. num. 21.* cum pluribus citatis, Fagnan. *loc. cit. num. 17.* cum pluribus aliis ibi adductis, Monacell. *tom. 4. supplement. ad 3. tom. n. 64.* ubi dicit, quod posset Vicarius Capituli accusari, tempore Sedis vacantis ipsum concessisse Indulgentias, quas Episcopus vivens concedere consuevit; nam talem potestatem Vicarium Sedis vacantis non habere constat ex declaratione *Sacræ Congregation. Concilii 13. Novembr. 1688.* quæ dubio proposito respondit: *Vicarius Capitularis se abstineat*, Card. Petra *loc. cit. num. 28.* Vide verb. *Vicarius Capitularis art. 1. n. 13.*

Solus Papa potest concedere Indulgentias pro defunctis ap- 31
plicandas, quia Indulgentiæ applicantur defunctis per modum meræ solutionis, offerendo pretium ex Thesauro Ecclesiæ; solus autem Papa habet Claves Thesauri Ecclesiæ; *Communis* cum Diana *p. 10. tract. 6. resol. 12.* La Croix *lib. 6. part. 2. num. 1348.* Raynaudo *in Heter. Tom. 15, p. 12. sect. 3. punct. 5. n. 15.* Non potest tamen Papa tot, & tantas conce- 32
dere Indulgentias Defunctis applicandas, ut totum Purgatorium evacuet, quia non potest esse rationabilis causa tantæ concessionis; La Croix *l. c. a n. 1318.* Raynaudus *loc. citat. num. 13.* Gobat. *tract. 4. de Indulgent. cap. 7. n. 87.* ubi dicit, quod asserere posse Papam evacuare totum Purgatorium est alienissimum ab opinione, & persuasione fidelium nominatim S. Thomæ *in 4. dist. 45. q. 2. art. 2.*

Ut enim valide concedatur Indulgentia etiam a Papa, re- 33
quiritur ultra legitimam potestatem, etiam justa, et rationabilis causa; *Communis*, cum S. Bonavent. *in 4. dist. 20. p. 2. art. unic. q. 6.* Herinc. Gandavent. *quodlibet 5. q. 15.* Major. *in 4. dist. 20. q. 2.* Cajetan. *de Indulgent. tract. 9. q. 1. & tract. 15. cap. 4. q. 1.* Soto *dist. 21. q. 2. art. 2.* Coninch. *disp. 12. dub. 7.* Corduba *de Indulgent. q. 17.* Navarr. *de Indulgent. notabil. 15. n. 7.* Henriquez *lib. 7. cap. 14.* Suarez *disp. 54.* Kazenberger *loc. cit. num. 22.* Gobat *tract. 4. de Indulgent. p. 1. cap. 7. n. 86.* Reiffenstuel *Theolog. Moral. tract. 12. dict. 2. q. 3. n. 30.* Bellarmin. *lib. 1. de Indulgen. cap. 11.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 4. num. 1.* Fagna. *lib. 5. decret. in cap. Cum ex eo 14. de pœnit. & remiss.* La Croix *l. c. n. 1301. & 1316.* et desumitur ex *cit. Extrav. Unigenitus, de pœnit. & remiss. in „ ter communes*, ubi expresse dicitur: „ Christum Ecclesiæ „ Thesaurum per suos Vicarios reliquisse dispensandum salu„ briter, et propriis et rationabilibus causis „. Et ratio est, quia Papa non est Dominus Thesauri Ecclesiastici, sed solum Dispensator, ex *cit. Extrav. Unigenitus*, „ *ex prima ad „ Corinth. 4.* ibi „ Sic nos existimet homo, ut Ministros „ Christi, et Dispensatores Mysterorum Dei, *et quidem* in „ ædificationem, et non in destructionem „ ex eadem *prima ad Corinth. 10.* Foret autem in destructionem, si absque ulla rationabili causa, et excessive dispensaret, *argum. cap. Cum ex eo 14. de pœnit. et remissionib.* ubi sic expresse habe„ tur: „ Quia per indiscretas, et superfluas Indulgentias, „ quas quidam Ecclesiæ Prælati facere non verentur, et „ Claves Ecclesiæ contemnuntur, et Pœnitentialis satisfa„ ctio enervatur.

Imo causa concedendi Indulgentiam, non solum debet es- 34
se justa, et rationabilis, sed etiam, spectatis omnibus circumstantiis, proportionata, ut quanto major est Indulgentia, tanto major causa requiratur, aliter non valebit Indul-

gentia, nisi secundum proportionem causæ; Albertus Magnus *in 4. dist.* 20. *art.* 17. Cajetan. *de Indulg. tract. 6. qu.* 1. Suarez *disp.* 54. *sect.* 4. *num.* 5. Sotus *disp.* 21. *q.* 2. *art.* 2. Henriquez *lib* 7. *cap.* 14. *num.* 3. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 6. *concluss.* 2. Layman *loc. cit. cap.* 4. *sub num.* 1. Gobat. *loc. cit. num.* 92. Butembau *lib.* 6. *part.* 2. *dub.* 4. *art.* 2. *num.* 2. La Croix *ibid. n.* 1301. & 1316. Tanerus *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 7. *num.* 84. *et seq.* Kazenberger *loc. citat. num.* 22. Mastrius *Theol. moral. disp.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *num.* 40. cum communiori, et probabiliori sententia S. Bonaventuræ, Cajetani, Suarez, Amici, et aliorum passim; *arg. citat. Extravag. Unigenitus, et citat. cap. Cum ex eo* 14. *de pœnit. et remissionib.* Et ratio est, quia, si ad Indulgentiam valide concedendam non requireretur causa proportionata, posset concedi Indulgentia plenaria etiam sanis extra articulum mortis pro sola pronuntiatione nominis *Jesu*, seu *Mariæ*, et hujusmodi, quæ Indulgentia caderet in maximum contemptum Clavium Ecclesiæ, et in enervationem Thesauri Ecclesiastici, ut loquitur textus adductus in fine numeri antecedentis *ex citat. cap. Cum ex eo*. Dicitur
35 notanter *Spectatis omnibus circumstantiis*, quia in aliquibus circumstantiis sufficit una causa pro concedenda Indulgentia, quæ non sufficeret in aliis; sic in circumstantia articuli mortis pro moribundis adscriptis alicui Congregationi, vel habentibus certas Cruces, Coronas, Medalia, et hujusmodi, vel solitis facere aliquod præscriptum pium opus, facilius conceditur Indulgentia pleria ob Sacrosanctorum nominum *Jesu*, *et Mariæ* pronuntiationem, quam alias tempore perfectæ sa-
36 nitatis. Dicitur etiam notanter, quod *aliter non valebit Indulgentia, nisi secundum proportionem causæ*, quia, si fortasse causa non esset sufficiens pro Indulgentia plenaria, erit saltem sufficiens pro non plenaria, si non pro perpetua, saltem pro temporali, si non pro majori quantitate v. gr. pro tercentum mille annis, seu dimidiæ partis peccatorum, saltem pro minori quantitate, v. gr. mille annorum, mille dierum, seu tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, quæ, et obtineri poterit, quia *verba aliquid operari debent*, ut dicitur *in cap. Si Papa* 10. *de privilegiis in 6.* Sic recte Gobat *loc. citat. num.* 95. et alii passim per ea, quæ adduximus *supra num.* 23.

37 Indulgentias lucrari possunt omnes baptizati, rationis capaces, et debitores pœnarum temporalium; *Communissima inter Catholicos*. Imo secundum multos etiam Cathecumeni, tam vivi, quam Defuncti, sunt capaces Indulgentiarum saltem per modum suffragii; Navarrus *de Indulgent. notabil.* 31. *in fine*, Benzonius *lib.* 5. *de Jubilæo cap.* 15. *dub.* 28. *assert.* 6. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 3. Layman *loc. cit. cap.* 6. *num.* 1. Granad. *in* 3. *parte*, teste Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resolut.* 9. Tanerus *tom.* 4. *disp.* 5. *q.* 7. *num.* 93. Lugo *tom.* 6. *disp.* 27. *sect.* 5. *num.* 77. Gobat *tr.* 4. *de Indulgent. cap.* 12. *num.* 145. et alii.

38 Et ratio est, quia Cathecumeni, cum sint per Fidem, et Charitatem Christo uniti, sunt aliquo modo membra Ecclesiæ, adeoque etiam ipsis applicari potest communis Thesaurus satisfactionum, si non per modum absolutionis; & justitiæ, saltem per modum suffragii, & impetrationis. Tum quia Ecclesia etiam pro Cathecumenis offert Missæ Sacrificium, ut
39 observat Gobat. *loc. cit. num.* 145. Alii tamen sentiunt contrarium; Sic Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 53. *sect.* 4. *numer.* 8. cum aliis ibi citatis Kazenberger *loc. citat. num.* 27. Mastrius *disp.* 23. *Theol. Moral. q.* 4. *num.* 55. & alii plures apud Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 37. *num.* 37. Coninch. *disp.* 12. *dub.* 7. *in princip.* & Benzonium *loc. cit.* Et ratio istorum est, quia quamvis Cathecumeni per Fidem sint Christo uniti, tamen, quia talem Fidem nondum solemniter professi sunt in Baptismo, nec per talem Baptismi januam sint adhuc hanc visibilem Ecclesiam ingressi, ideo Ecclesia in eos Jurisdictionem exercere non potest, uti significat Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. *de Sacramen. Pœnitent.* ibi: *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, quia non prius in ipsam per Baptismi Januam fuerit ingressus*. Indulgentiæ autem non prosunt, nisi subditis; *arg. cap. Quod autem* 4. *de pœnit. & remissionibus*.

40 Indulgentias lucrari possunt etiam, qui illas concesserunt; *Communis*, cum S. Thoma *in addit. ad* 3. *part. q.* 27. *art.* 4. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. alleg.* 88. *num.* 28. Et ratio est, quia Indulgentias concedentes non debent esse deteriores conditionis aliis. Nec obstat; quod nemo possit uti Jurisdictione in seipsum, quia hoc verificatur solum in actibus Jurisdictionis contentiosæ, vel coactivæ, non autem in actibus Jurisdictionis voluntariæ, cum Superior cum seipso dispensare possit, si habeat potestatem dispensandi generaliter cum omnibus suis subditis, & a fortiori poterit, ut persona privata lucrari illas Indulgentias, quas, ut persona publica & Superior concessit.

Ad lucrandas Indulgentias requiruntur sequentes conditio- 41
nes I. Ut lucraturus Indulgentiam sit in gratia Dei constitutus eo tempore, quo Indulgentiam consecuturus est, quia reatus pœnæ nunquam aufertur, nisi ablata cupla. 2. Ut sit subditus concedentis, seu, si sit exemptus, existat saltem intra Territorium Jurisdictionis illius, per dicta *superius num.* 11. 3. Ut non sit ligatus Excommunicatione majore, quia hæc privat communione bonorum spiritualium 4. Ut opera præscripta integre perficiat 5. Ut ea perficiat ad intentionem Concedentis Indulgentiam. 6. Ut ea perficiat per seipsum, excepta eleemosyna, quæ etiam per famulum potest fieri a Domino. 7. Ut saltem ultimum opus præscriptum perficiat in statu gratiæ. 8. Ut habeat intentionem saltem habitualem, & interpretativam eas lucrandi.

* Indulgentiæ a Pontifice concessæ iis, qui cum confessio- 42
ne, & communione Ecclesiam aliquam visitant, non exigunt, ut Ecclesia visitetur post confessionem & communionem; sed sufficit, ut si visitetur ante statum gratiæ, dispositio tamen habeatur eadem die confitendi, & communicandi, ut ex pluribus Theologis firmatur a Benedict. XIV. *Institut. Eccles.* 48. §. 10. *

Ut acquiratur Indulgentia, quæ concessa est pro confessis, 43
& Sacra Communione refectis, requiritur confessio actualis, & communio Sacramentalis. Idem Pontifex Constitut. incip. *Inter præcipuos* §. 3. Et solis Missionariis in partibus infidelium commorantibus indultum fuit, ut hujusmodi indulgentias lucrari possint præmisso contritionis actu; Idem *ibid.* §. 6.

Pro lucranda indulgentia non sufficit opera injuncta præsta- 44
re ad quæ alias quis tenetur alio titulo puta justitiæ &c. Idem *ibid.* §. 53.

Indulgentia plenaria in certos dies aliquam Ecclesiam visi- 45
tantibus, aut aliud pium opus peragentibus concessa, semel dumtaxat in die obtineri potest. Idem *ibid.* §. 84.

Ad rem attendendum est novissimum Decretum Sacr. Con- 46
gregat. Indulgentiis præpositæ, emanatum die 19. Maii 1759. tenoris ut sequitur.

Ut Christifideles scire possint, quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis in Sententiarum varietate super intelligentia verborum; *qui vere pœnitentes, confessi, ac sacra Communione refecti Ecclesiam visitaverint*: quæ in Indulgentiarum Brevibus inseri solent, in Congregat. Indulgentiis, facisque Reliquiis propositis discussis die 31. Martii proximi præteriti, nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregat. fuit in voto, Confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi letalis peccati conscii non sunt; nec non præfatam Confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum.

Factaque de iis per infrascriptum ejusdem Sacr. Congregat. Secretarium relatione Sanctissimo D. N. Sanctitas sua, ejusdem Sacr. Congregat. Votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

F. I. Card. Portocarrero Præf.

A. E. Vicecomes S. C. Indulg. Secr.

* Addendum est hoc aliud Decretum ejusd. Sac. Congre- 47
gat. in declarationem præced. emanatum.

CUM S.C. Indulg. & Sacr. Reliquiis præposita die 31. Martii 1759. fuerit in voto Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro indulgentiæ consecutione, peragi omnino debere, etiam ab his, qui sibi letalis peccati conscii non sunt, nec non præfatam confessionem suffragari etiam posse si in vigilia Festivitatis expleatur, Votumque Congregationis S.S.D.D. N. Clemens Pp. XIII. benigne approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19. Maii prædicti anni mandaverit, Quamplures supplices libelli tum Regularium Communitatum, & præsertim Monialium; tum etiam Parochorum & nonnullorum Episcoporum pro suis Diœcesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, imo persæpe incidit, pro sacramentali Confessione sive in Festo, vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem, ut adeo proficuus Indulgentiarum Thesaurus reddatur Fidelibus accommode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suæ, ut opportuno aliquo remedio de Apostolica benignitate providere dignaretur, quibus precibus ad predictam Sacr. Congr. remissis, propositum in ea fuit dubium. -- „ An & quomodo sit consulendum Sanctissimo super præfati Decreti Executione vel declaratione in casu &c. -- *Responsum fuit* -- Consulendum S. S. D. D. N. ut concedere dignetur Indultum Omnibus Christifidelibus, qui frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverant, & nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam Confessionem commissæ sibi conscii sint, ut omnes, & quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actual. Confessione, quæ ceteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi tam Ordin. quam Extraord. aliasque ad instar Jubilæi concessas pro quibus assequendis sicut & alia opera injuncta „ ita & Sacramentalis Confessio tempore *in eorum concessione præscripto peragantur* --. Et facta per me Infrascriptum ejusdem S. C. Secret. de Præmissis omnibus S. S. D. D. N. relatione, Sanctitas Sua piis Bonorum desideriis ac votis satisfacere, & Indulgentiarum gratias iis potissimum, qui pie, sancteque vivendo, donis Divinæ Misericordiæ digniores efficiuntur, elargiri, quam maxime cupiens benigne annuit, & præfatum Indultum in forma suprascripta expediri & publicari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum ex Secretaria Sacræ Congr. Indulgent. die 9. Decembr. 1763.

N. Card. Antonellus Præfectus.
Joseph. de Comitibus S. Congregat. Indulgent. Secret. *

ARTICULUS III.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt ejus effectum, & tempus acquirendi tam pro vivis, quam pro defunctis.

1 EFfectus Indulgentiæ non est remittere peccatum, neque mortale, neque veniale. *Communis*, cum Maldonato *tom.* 1. *de pœnit. quæst. 6. tit. de Indulgent. part.* 1. *quæst.* 1. ubi sic expresse dicit: *uno ore omnes Teologi, nemine excepto, respondent, Indulgentiam non esse remissionem culpæ, sed pœnæ*. Unde quando in forma, seu concessione Indulgentiæ dicitur per illam concedi remissionem *peccatorum*. accipitur peccatum pro pœna peccati, juxta illud 2. *Machabeor.* 12. ibi: *Ut a peccatis solvantur*; & quando vocatur Indulgentia a pœna, & culpa, intelligitur, quod per talem Indulgentiam conceditur facultas absolvendi a culpa etiam reservata, ut fuit dictum *art.* 1. *num.* 3. Effectus Indulgentiæ est remissio pœnæ
3 temporalis ex peccatis quoad culpam dimissis, residuæ, & restantis. *Communis*. Pœna autem temporalis relicta, & restans ex peccatis condonatis luenda ab homine, est duplex; una, ad quam persolvendam homo obligatur ex Sacramentali Pœnitentia a Confessario injuncta; Altera, ad quam persolvendam in hoc mundo, vel Purgatorio est obligatus a Justitia Dei. *Communis*.

4 Unde Indulgentiæ Plenariæ effectus est remittere omnem pœnam debitam in Foro Sacramentali, seu liberare totaliter pœnitentem ab obligatione implendi quamlibet pœnitentiam, etiam medicinalem sibi impositam a Confessario. Sic S. Th. *in 4. dist.* 20. *qu.* 2. *art.* 3. *qu.* 1. S. Bonav. *in leg. 4. dist.* 20. *art.* 1. *quæst.* 2. Gobat *tract. 4. de Indulg. part.* 1. *cap.* 3. *num.* 24. Kazenb. *loc. cit. num.* 40. Lugo *tom. 6. disput.* 27. *sect.* 2. *num.* 22.

5 & ipso teste communis aliorum. Et hanc conclusionem probat Lugo *loc. cit. num.* 23. primo, *ex cap. Cum ex eo* 14. *de pœnit. & remiss.* ubi Innoc. III. dicit *per indiscretas, & superfluas Indulgentias satisfactiones Sacramentales enervari*: ergo ideo quia aufertur obligatio implendi pœnitentias; alioquin, si manet obligatio implendi illas saltem ratione medicinæ, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Secundo probat ex Bonifacio VIII. qui, ut refert Glossa *in Extravag. ant. Antiquorum, de pœnit. & remiss.* nolebat, Confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui Jubilæum anni Sancti lucrabantur, quia nimirum satisfactione alia non indigebant, & Auctor ipsius Glossæ dicit, se id ab ipsomet Pontifice audivisse, ut observat etiam Lugo *loc. cit. num.* 17. Tertio, probat ratione a priori, quia Confessarius imponit pœnitentiam, ut pœnam ad satisfaciendum pro peccato: ergo sublato debito totius pœnæ, prout fit per Indulgentiam plenariam, cessat omnino fundamentum illius obligationis, sicut, si condonaretur a Principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipso cesseret obligatio imposita per sententiam Judicis ad poenam aliquam pro illo delicto subeundam.

Nec valet dicere, quod per lucrationem Indulgentiæ ple- 6
nariæ tollatur quidem obligatio implendi poenitentiam Sacramentalem impositam a Confessario, quatenus est satisfactoria pro peccatis præteritis, non autem quatenus est medicinalis pro præcavendis peccatis futuris. Non valet, inquam, quia licet poenitentia subinde etiam imponatur ut medicina, Confessarius tamen illam imponere non potest, nisi in poenam peccati: sicuti licet Judex procurare debeat quod poena delinquentis sit talis, ut simul sit medicina in futurum, non tamen posset illam poenam imponere etiam ut medicinam, si illa poena fuisset a Principe condonata: ergo si per Indulgentiam plenariam condonatur, & remittitur poenitentia, ut satisfactoria, etiam tolletur ut medicinalis. Nec etiam valet 7
dicere, quod adhuc remaneat obligatio implendi poenitentiam, saltem propter reverentiam Sacramenti, & ejus integritatem, ne maneat Sacramentum imperfectum sine una parte integrante. Non valet, inquam quia Sacramentum Poenitentiæ non exigit pro parte integrali satisfactionem Sacramentalem, nisi ex supposito quod adhuc adsit poena temporalis satisfaciendæ, seu solvenda, cum ad hanc remittendam illa unice injungi debeat a Confessario, adeoque satisfacta, & soluta, seu remissa omni poena temporali restante, non requiritur amplius talis integritas satisfactionis, cum non amplius possit juste exigi satisfactio ab eo, qui jam integre satisfecit, & debitum jam integre solvit, vel remissionem debiti integre consequutus est, ut verificatur in eo, qui lucratus est Indulgentiam plenariam: Unde post lucrationem ipsius, nec reverentia Sacramenti, nec Confessarii præceptum obligabit eum ad poenitentiam adimplendam. Sic optime Lugo *loc. cit. num.* 24. & 27. Kazenberger *loc. cit. num.* 40. et alii.

In praxi tamen tempore Indulgentiæ etiam plenariæ decet, 8
quod Confessarius semper imponat poenitentiam saltem *medicinalem*, et *præservativam*, quando judicat necessariam, eamque Poenitens admittat, quamvis Indulgentiam plenariam certo consequatur, quia hoc necessarium judicat Suar. apud Mastrium *Theol. Moral. disput.* 23. *quæst.* 2. *num.* 29. et alii. Immo tenetur Confessarius injungere *poenitentiam medicinalem*, atque etiam *vindicativam*, seu *satisfactivam*, quando probabiliter credit poenitentem non consequutum esse aut mox non consequuturum esse Indulgentiam plenariam, teneturque poenitens in tali casu illam adimplere; Si autem Confessarius probabiliter credat poenitentem jam consequutum esse, aut mox consequuturum esse Indulgentiam plenariam, potest omnem poenitentiam, in quantum est vindicativa, seu satisfactiva, omittere juxta S. Thomam, S. Bonaventuram, & plurimos Antiquiores, & Recentiores apud Tanerum, Dianam, & Gobat *de jubilæo cap.* 25. ob rationes *num. antecedenti* allatas. Ob reverentiam tamen Sacramenti Poenitentiæ convenit Confessario levem saltem poenitentiam injungere, & poenitenti eam adimplere, quia licet non sit necessaria pro satisfactione poenæ temporalis debitæ, cum supponatur integre remissa per lucrationem Indulgentiæ plenariæ, prodest tamen multum ad meritum, quod pluris faciendum est, quam redemptio poenæ temporalis, ut recte cum aliis advertit Lugo *loc. cit. num.* 31.

Indulgentiæ plenariæ effectus est etiam remittere omnem 9
poenam debitam in Foro Dei, idest omnem poenam relictam ex peccatis dimissis, ad quam persolvendam in hoc mundo, vel in Purgatorio est homo obligatus a justitia Dei. Sic S. Thomas *in 4. disput.* 20. *qu.* 1. *art.* 3. *quæstiuncul.* 1. communiter receptus ab omnibus Recentioribus, ut testatur, & sequitur Gobat *loc. cit. num.* 25. & est jam communis, & certa doctorum sententia ut testatur Lugo *loc. cit. num.* 7. Immo, ipso teste, docet Suarez *disput.* 50. *sect.* 2. *num.* 2. de Fide esse, Papam virtute clavium habere potestatem remittendi poenam illam etiam in Foro Dei; & de facto Sixtus IV. damnavit sequentem Petri Oxomensis propositionem: *Papa non potest indulgere alicui vivo poenam Purgatorii*. Sic refert Kazenberger 10
loc.

*loc. cit. num.*39. Nec valet dicere cum nonnullis antiquis per Indulgentias non relaxari poenam in Foro Dei, sed solum remitti poenitentiam in Foro Sacramentali debitam, idest obligationem implendi poenitentiam a Confessario injunctam. Non valet, inquam, quia, ut optime eos confutant S. Thomas *loc. cit.* Lugo *loc. cit.* Gobat. *loc. cit.* Kazenberger *loc. citat.* & alii passim, sequeretur ex eorum sententia, quod Ecclesia concedendo Indulgentias, potius obesset, quam prodesset Fidelibus, cum sic illos liberaret levibus poenitentiis, & remitteret ad graviores poenas Purgatorii; clarum enim, & manifestum Fidelium gravamen esset, velle per Indulgentiam remitti solum debitum implendi poenitentiam, relinquendo debitum poenæ, cum esset utilius poenitentibus implere poenitentiam ad redimendam poenam ipsa sine dubio graviorem. Unde, cum Tridentinum Concil. *sess.* 25. *cap.*21. *in decreto de Indulgentiis* definiat: *Indulgentiarum usum esse*
11 *populo Christiano maxime salutarem*, patet, eorum sententiam esse falsissimam. Quod hactenus dictum est de effectu Indulgentiæ plenariæ, hoc proportionaliter, & suo modo applicandum est etiam Indulgentiæ partiali. Effectus cujuscum-
12 que Indulgentiæ non est remittere poenam debitam pro peccato veniali nondum remisso; quia poena non potest remitti, nisi prius remissa culpa. Kazenberger *loc. cit. numer.* 8. Gobat *loc. cit. num.* 278. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *cap,* 8. *de Indulgentiis numer.* 2788. Reiffenstuel *Theol moral. tractat.* 12. *dist.* 3. *quæst.* 2. *num.* 12., & 13. & ipso teste communis aliorum.

13 Indulgentiæ possunt a Summo Pontifice concedi, & applicari etiam Defunctis, qui in Purgatorio detinentur. *Communis, ac certa.* Id enim constat ex communi usu, & praxi Ecclesiæ, in qua nihil tam usitatum est, quam applicare Indulgentias pro Defunctis, & tradit Joannes VIII. *in Epistola* 144.
14 & Leo X. in Constitut. incip. *Exurge Domine*, contra Lutherum. Non possunt tamen ipsis Defunctis concedi Indulgentiæ per modum absolutionis habentis annexam solutionem, sicut conceduntur vivis; sed solum per modum suffragii, seu piæ solutionis, & exhibitæ satisfactionis. *Communis* fere omnium Theologorum cum S. Thoma *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3. *quæst.* 2. S. Bonaventura *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 5. Maitrio *Theolog. moral. dispur.* 23. *quæst.* 4. *num.* 57. Kazenberger *loc. cit. num.* 43, Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 12. *dist.* 3. *quæst.* 4. *num.* 41. & 42. Et ratio est, quia Summus Pontifex Christi in terris Vicarius non habet Jurisdictionem in Defunctos, sicuti in Fideles viventes, cum acceperit a Christo potestatem solvendi solum *super terram*, non vero *sub terra*. Qui autem non habet Jurisdictionem in alium tamquam sibi subditum, nequit eidem concedere Indulgentias per modum absolutionis, quia concedere Indulgentias per modum absolutionis est actus Jurisdictionis, adeoque Summus Pontifex nequit Defunctis concedere Indulgentias per modum absolutionis, sed tantum per modum suffragii.

Indulgentia autem per modum absolutionis differt ab Indul-
15 gentia per modum suffragii specialiter per hoc, quod Indulgentia per modum absolutionis conceditur, quando Superior sibi subditum immediate, et directe liberat a poena temporali. Sic Summus Pontifex tamquam Superior, et Minister a Deo constitutus immediate, et directe liberat Fideles vivos tamquam sibi subditos a poenis temporalibus relictis in peccatis jam quoad culpam dimissis, concedendo eis Indulgentiam *per modum absolutionis habentis tamen annexam solutionem*; quia hæc absolutio fit cum aliqua solutione ex Thesauro Ecclesiæ, scilicet applicatione, et exhibitione satisfactionum Christi, et Sanctorum. Indulgentia vero *per modum suffragii* dicitur concedi, quando non immediate, et directe, sed indirecte, et mediate, scilicet mediante actione alterius. Sic Summus Pontifex concedit Indulgentias Defunctis, mediantibus aliquibus piis viventium Fidelium operibus tamquam pretium æquivalens ex Thesauro Ecclesiæ Deo oblatum pro solutione illarum animarum, quibus ex mente Pontificis applicatur. Sic videtur insinuare, aut potius supponere S. Thomas *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 7. *articul.* 3. *quæstiuncul.* 2. ubi dicit Indulgentias concedi defunctis *non directe*, *& principaliter*, *sed tantum secundario*, *& indirecte*; & videtur esse communior Doctorum, quamvis alii aliam explicationem afferant, ut videre est apud Gobat *tract.* 4. *de Indulgent. part.* 2. *a num.* 477, Filliuc *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 104. *& sequent.* Lugonem *tom.* 6. *disput.* 27. *sect.* 5. *a num.* 58.
16 *ad* 73. *inclusive*.

Indulgentiæ pro defunctis rite concessæ, & acquisitæ secundum ordinariam Dei Legem prosunt certo, & infallibiliter illis determinatis animabus ex intentione Summi Pontificis applicantur, ita ut animæ illæ de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii sibi applicato juventur, vel ad totalem remissionem pœnæ, & totalem liberationem e Purgatorio, si Indulgentia est plenaria; vel ad partialem, si Indulgentia est partialis. Navarr. *de Indulgent.*, *& Jubilæo notabil.* 22. Lugo *tom.* 6. *disp.* 47. *sect.* 5. *num.* 59. Roderic. *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.* 97. *art.* 3. Gobat *loco citato num.* 484. Filliuc *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 208. Suarez *tom.* 4. *disp.* 53. *sect.* 4. Sotus *quæst.* 2. *articul.* 3. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 12. *quæst.* 4. *dist.* 5. *numer.* 44. Herincx *disp.* 4. *de Sacramento Pœnit. quæst.* 8. *num.* 66., & apud ipsum Bellarminus, Arriaga, Dicastillus, & alii, Kazenberg. *loc. cit. numer.* 43. ubi cum aliis testatur sic tenere Recentiores communiter, Mastrius *Theolog. moral. disp.* 24. *num.* 47. asserens hanc esse communiorem, & probabilorem sententiam. P. Roa *de Purgatorio cap.* 15, Raynald. *sect.* 3, *punct.* 1. *a num.* 17. *punct.* 5. *a num.* 9. *punct.* 6. *num.* 12. citatus, & secutus probabiliter a La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1330. qui *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 534. dicit quod, si impleantur conditiones requisitæ, effectum liberationis determinatæ animæ esse infallibilem, ut tenent S. Thom. Ledesma, Sotus, Valent. Coninch, Less. Filliuc. Castrop. Diana, Gran. Lugo, Tanner, Mendo *d.* 13. *num.* 96. Arriaga *d.* 15. *sect.* 1., & optime Suarez *d.* 79. *sect.* 10. ubi ostendit S. Augustinum, Chrysostomum, & Cyrillum idem sentire, & dicit quod contrarium tenent S. Bonaventura, Richardus, Durad. Cajetan. Cordub. Bonacin. Layman, Amic. & alii multi.

Ratio autem nostra est, quia Leo X. in Constitut. incip. 17
Exurge Domine contra Lutherum absolute, & æqualiter absque hæsitatione promittit effectum suum illis Indulgentiis, quæ applicantur defunctis ac illis, quas sibi vivi lucrantur; „ dicit enim expresse: „ Omnes, tam vivos, quam Defun„ ctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujusmodi i confe„ cuti fuerint, tanta temporali pœna secundum divinam ju„ stitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta „ conceditur, & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet. Et ita ab „ omnibus teneri, & prædicari debere sub Excommunica„ tionis latæ sententiæ pœna &c. Auctoritate Apostolica „ decernimus „ atque Indulgentiæ rite concessæ, & acqui„ sitæ infallibiliter prosunt illis vivis, qui eas sibi lucrantur, ergo etiam debent prodesse infalliblter illis determinatis defunctis, quibus applicantur. Tum quia Summi Pontifices in Brevibus Altarium privilegiatorum concedere solent, *ut quicumque Sacerdos*, servatis servandis, ac diebus in Brevi „ specificatis „ Missam Defunctorum pro anima cujuscum„ que Fidelium Defunctorum ad præfatum Altare celebra„ bit, anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffra„ gii Indulgentiam consequatur, ita ut Domini nostri &c. „ suffragantibus meritis a Purgatorii pœnis liberetur. Ubi ut vides ex ly *pro anima cujuscumque*, & ly *anima ipsa* videtur promitti liberatio animæ determinatæ a Purgatorio. Tum etiam quia licet Deus, ut recte probat Kazenberger *loc. cit. num.* 44. non teneatur acceptare applicationem Indulgentiarum Defunctis factam ex eo, quasi Papa haberet immediate Jurisdictionem in Defunctos; tamen ex eo tenetur Deus acceptare applicationem Indulgentiarum Defunctis factam a Papa, quia Deus voluit in Ecclesia esse Communionem Sanctorum; quare ex decreto hujus Communionis inter Ecclesiam Triumphantem, Militantem, atque etiam Purgatem tenetur acceptare illas satisfactiones, sive pro vivis, sive pro Defunctis oblatas; & sic si infallibiliter prosunt illis vivis, qui eas sibi lucrantur, etiam infallibiliter debent proprodesse illis determinatis defunctis, quibus applicantur.

Nec valet dicere, quod Deus non acceptet Indulgentias 18
semper pro illis, quibus applicantur, sed pro illis, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali gratia, quia V. G. in vivis fuerunt magis soliciti in acquisitione Indulgentiarum, & oratione pro Defunctis, ut in simili de Missæ Sacrificio, eleemolynis, & orationibus dicit S. Augustinus *lib. de cura pro mortuis cap. ultim.* relatus *in cap. Non æstimemus* 19. *caus.* 13. *quæst.* 2. his verbis: „ Non pro quibus fiunt, omnibus „ prosunt, sed his tantum, pro quibus dum vivunt, coo„ perantur, ut prosint, & in cap. Tempus 23. eadem cau„ & qu. his verbis: Sed hæc eis prosunt, qui cum viverent „ hæc sibi, ut postea possent prodesse meruerunt. Non valet, inquam, quia licet etiam de mente S. Augustini credibile

dibile sit, quod Deus facilius pro illis Defunctis, qui in vita fuerunt magis solliciti pro acquisitione Indulgentiarum, & oratione pro mortuis, acceptet, nedum Missæ Sacrificia, orationes, eleemosynas, jejunia, & alia hujusmodi suffragia, sed etiam Indulgentias generaliter pro Defunctis omnibus applicatas, hoc tamen (secundum Legem Dei ordinariam) non videtur dicendum de Indulgentiis pro aliquo determinato defuncto applicatis, nisi hic ex speciali Dei providentia, & dispositione fuisset merito privandus, ex quo, dum viveret alios defraudasset similibus debitis suffragiis, & Indulgentiis, ut de exemplo Promi numero sequenti referendo.

19 Nec valet objicere quod soleat sæpius pro una & eadem anima in Altari privilegiato sacrificari; & Indulgentia plenaria applicari, quod esset superfluum, si Indulgentia certo, & infallibiliter prodesset pro illa determinata anima, cui applicatur. Non valet, inquam, quia merito pro una, & eadem anima pluresMissæ etiam in Altari privilegiato celebrantur, & plures Indulgentiæ plenariæ applicantur propter varias rationes. Primo, quia non constat, an causa, ob quam Pontifex concessit Indulgentiam plenariam, sit justa, & sufficiens, defectu cujus sufficientis justæ causæ est invalida etiam Indulgentia concessa a Papa, ut ex communi diximus *art.* 2, *numer.* 33. Secundo, quia non constat, an, & quomodo prior Sacerdos celebrans applicuerit suam intentionem, seu an Altare, in quo celebravit, habeat omnia requisita ad esse privilegiatum. Tertio, quia non constat, an, qui plenariam Indulgentiam alicui animæ applicavit, omnes conditiones necessarias impleverit. Quarto, quia ignoratur, an non ob aliquam peculiarem causam velit Deus circa hanc, aut illam animam facere exceptionem a sua generali promissione, scilicet ob rationes omnino peculiares, non permittendo, ut Indulgentia, in actu secundo profit huic certæ animæ, ut habetur in vita Rabani Mauri, ubi narratur rejectio suffragiorum pro demortuo Cœnobii Promo, qui vivus defraudaverat defunctos subsidio eleemosynæ per Abbatem constitutæ, sic refert Raynaudus *tom.* 7. *part.* 2. *quæst.* 5. *fol.* 289. *col.* 1., & 2., & ex ipso Gobat *tr.* 4. *de Indulgent. port.* 2. *cap.* 19, *num.* 458., & *cap.* 22. *num.* 486. Quinto, quia nostra sententia nondum est omnino certa, quamvis sit probabilior, atque communior inter Theologos; Unde merito pro iisdem animabus reiterantur Missæ, Sacrificia, & Indulgentiæ. *Melius enim supererunt ista eis, quibus non obsunt, quam eis deerunt quibus prosunt*, ut docet S. Augustinus relatus *in citato cap. Non æstimemus* 19. *caus.* 13. *quæst.* 2.

20 Quod autem plures animæ remaneant adhuc in pœnis Purgatorii non obstantibus Missarum Sacrificiis, & Indulgentiis plenariis pro ipsis applicatis, & a Deo acceptatis, hoc oritur ex quo ipsæ descenderint in Purgatorium cum peccatis venialibus nondum quo ad culpam dimissis. Unde Indulgentiæ etiam plenariæ nequeunt tollere, seu remittere pœnas a talibus animabus persolvendas, cum pœna non tollatur, seu non remittatur, nisi prius remissa culpa, ex dictis *supra numer.* 12. Culpa autem venialis nequit remitti per Indulgentiam etiam plenariam (hæc enim remittit solam pœnam) sed per satisfactionem propriam usque ad novissimum quadrantem extingui debet in Purgatorio, ut recte docet Scotus *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 1., & omnes sui apud Mastrium *in* 4. *disp.* 4. *quæst.* 9., & Kazenberger *loc. cit. num.* 45.

21 Ut quis lucretur Indulgentias pro defunctis, non requiritur, quod sit in gratia, seu opera requisita adimpleat in statu gratiæ. Navarr. *in Comment. de Anno Jubilæi notab.* 22. *num.* 31. Gnaff. *in Appendic. dec. aur. l.* 2. *tit. de Indulg. cap.* 4. *num.* 21., & 36. Monacell. *tom.* 2. *formula* 6. *num.* 2., Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *numer.* 3789. Raynaud. *sect.* 3. *part.* 5. *num.* 23. Elcob. *tom.* 7. *E.* 5. *cap.* 7. *num.* 45. Herincx *disp.* 4. *de Sacram. Pœnit. quæst.* 11. *num.* 77. Diana *part.* 5, *tract.* 12. *resol.* 38. ubi ex Joanne Præposito, Trullench, Reginaldo, & aliis cum D. Th. ut refert Viva *de Jubilæo q.* 6. *art.* 2. *num.* 6. docet, quod lucrari potest Indulgentiam pro mortuis, etiam qui omnia opera injuncta posuit in statu peccati, quia ratio satisfactionis; seu pretium pœnarum non est illud opus positum in statu peccati, sed Thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum, qui applicatur ab Ecclesia, posito tali opere; Illud autem opus fit nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia, et ita etiam prodest Domino eleemosyna, quam mandat dari per suum Servum quamvis peccatorem. Busemb. *lib.* 6. *part.* 2. *dub.* 4. *art.* 2. *numer.* 10. La Croix *ibidem num.* 1351., & 1410. Reginald. *lib.* 7. *numer.* 195. apud Gobat *tract.* 4. *de Indulg. part.* 2. *cap.* 23. *nu.* 490. *& seq.* Bonacina *indulg. disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 6. *propos.* 1. *num.* 11. cum aliis pluribus ipse sic praecise dicit. Qui vero facit opus ad consequendam Indulgentiam pro defuncto, non est necesse, ut sit in gratia, quamvis existens in peccato mortali non possit suis operibus satisfacere per se, aut pro alio, nihilominus potest Indulgentiam pro defuncto lucrari, si faciat opus præscriptum ad obtinendam Indulgentiam pro defuncto; tunc enim ipse non dicitur satisfacere, sed facere opus, quo posito, Summus Pontifex applicat defuncto Indulgentiam, idest satisfactionem Christi, et Sanctorum; nam Indulgentia habet suum valorem ex opere operato, et non dependet a gratia illius, qui pro defuncto Indulgentiam lucratur. Hæc ipse. Sic etiam tenent Toletus *in Summa lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 5. Gabriel *sup. Canon. Missæ lect.* 57. Portell. *verb. Indulgent. in addit. num.* 25. Suarez, Palao, & alii plures. Lugo tamen *tom.* 6. *disp.* 27. *num.* 75. dicit esse magis 22
commune, et secundum Fidelium sensum, quod requiratur status gratiæ saltem in fine operis; consentiunt Dicastil. *t.* 2. *in* 3. *part. tr.* 9. *disp.* 2. *dub.* 17. et alii, ut testatur Tolet *loc. cit.* quamvis probabiliter teneatur nostram.

Indulgentia concessa pro vivis, non potest etiam defun- 23
ctis applicari, nisi in concessione exprimatur, quia Indulgentia sicuti pendet ab auctoritate, et a voluntate concedentis. Laym. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 7. *num.* 2. Busem. *loc. cit. numer.* 7. La Croix *ibidem*, et communis aliorum. Sic etiam Indulgentia concessa per Papam alicui Capellæ pro defunctis 24
non extenditur ad vivos, adeout qui vivens celebrat, aut ibi celebrari facit pro se Missam, illam non consequitur. Navarr. *concl.* 39. *part.* 2. *de pœnit. & remiss.* Monacell. *formul.* 6. *nu.* 1., alii passim. Indulgentia concessa per Papam, ut 25
quis eam lucrari prout pro se, vel pro defunctis, non potest applicari pro se, et defunctis simul; quia tantum concessa est sub disjunctione, ut quis, vel pro se, vel pro defunctis eam lucretur, non autem ut pro se, et pro defunctis. Quintadven. *dub.* 12. *num.* 4. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *numer.* 1366., et alii passim. Indulgentiæ enim tantum valent, quantum sonant.

Indulgentiæ effectus potest sæpius obtineri, si sæpius 26
opus injunctum peragatur, quando Indulgentia est perpetua, & absque temporis determinatione concessa, v. g. si in concessione Indulgentiæ dicatur: *Quicumque visitaverit talem Ecclesiam, consequatur talem Indulgentiam*, Henricx *disp.* 4. *de Pœnit. quæst.* 11. Kazenberger *loc. cit. num.* 51. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.* 12. *dist.* 3. *quæst.* 5. *numer.* 56. ubi testatur de communi. Secus autem est dicendum, quan- 27
do Indulgentia est concessa pro tempore determinato v.g. pro tali die, nisi adsit speciale privilegium. Sic Suarez, Lugo, Bonacina, & alii apud Kazenberger *loc. cit. num.* 51., & sic indubitanter tenendum esse dicit Reiffenstuel *loc. cit. num.* 57. ob decretum Sacræ Congregat. circa Indulgentias editum, ac per Innocentium XI. *die* 7. *Martii* 1678. approbatum, & inviolabiliter servari jussum, ubi §. *final.* declaratur: *Semel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitationibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri*. Ita fonat decretum.

Uno, & eodem opere nequeunt diversæ, & plures Indul- 28
gentiæ obtineri; nisi forsan illæ essent per modum unius, v.g. habens duas Medalias diversis Indulgentiis affectas, & uni sit annexa Indulgentia quadraginta dierum; & alteri centum dierum obtinenda a recitantibus unum Pater, & Ave, per unicam solam hujusmodi recitationem non lucrabitur utramque Indulgentiam, scilicet, & illam quadraginta dierum, & aliam centum dierum; sed debet duplicare talem recitationem, quia ad utramque illam Indulgentiam requiritur causa propria, et consequenter reiterata, seu duplicata recitatio. Ita Suarez, Præpositus, et alii communius cum Herincx *disp.* 4. *de Pœnit. quæst.* 11. *num.* 8. Kazenberger *loco cit. numer.* 49. Lugo *loc. cit. numer.* 90. Maitrius *loc. cit. numer.* 65. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 54. Dicitur autem notanter; *Nisi* 29
forsan illæ concessæ essent per modum unius, ut cum visitantibus certam Ecclesiam conceduntur v.g. Indulgentiæ omnium Ecclesiarum Urbis, quia tunc, ut ipsamet formula concessionis demonstrat, unica sola visitatione possunt omnes illæ Indulgentiæ obtineri. Kazenberger *loc. cit. num.* 49. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 55., et communis aliorum.

Sic etiam per unicam solam Confessionem, et Commu- 30
nio-

Ordini instar earum concessæ. Ita Nazarius *de Jubilæo notabil. 26. num.* 8. Gobat *loc. cit. num.*675. Kazenberger *loc. citat. n.*65. Et ratio est, quia etsi ejusmodi Indulgentiæ a prioribus dependerint quoad productionem, non tamen pendent quoad conservationem; sicut privilegia uni Academiæ instar alterius Academiæ privilegiorum concessa, non tolluntur sublatis illius alterius privilegiis, ut rectè docet Baldus communiter receptus *in l. Omnia, C. de Episcop. & Cleric.* Immo revocatis Indulgentiis omnibus, quæ alicui Ecclesiæ sunt
4 concessæ, non censentur revocatæ illæ, quas habet unum, alterumve illius Ecclesiæ Altare privilegiatum: Nam non est ratio, cur nomine Ecclesiæ intelligantur in hac odiosa materia etiam Altaria; *argum. cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* ibi; *Odia restringi, favores convenit ampliari.* Ita Gobat *loc. cit. n. 676.* Lezana *vers. Bulla Cruciatæ n.*41. Kazenberger *loc. cit. n.*65.

S. Pius V. Pontifex maximus Constit. incip. *Etsi Dominici,*
5 edita sexto Kalendas Februarii *1567.* revocavit omnes Indulgentias, quæ quæstum continebant. Vide etiam Concilium Tridentinum de hac re *sess. 25. in Decreto de Indulgentiis, & sess. 21. cap. 9. de reformat.*

Paulus V. Summus Pontifex Constit. incip. *Romanus Pon-*
6 *tifex*, edita 23. Maii *1606.* revocavit omnes Indulgentias per suos Prædecessores Summos Pontifices concessas quibuslibet Regularibus cujusvis Ordinis, & alias de novo concessit; quæ Constitutio, ut ab omnibus pæ oculis habeatur, hic ad litteram datur.

PAULUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex *in B. Petri Sede constitutus*, cui inter alia cœlestis Indulgentiarum Thesauri dispensandi cura incumbit, sollicite prospicere debet, ac solerter, ut hujusmodi Indulgentiarum dispensatio, & usus ad Dei gloriam, & animarum salutem præcipuo dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confusio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. I. Proinde cum felic. recor. Clemens Papa VIII. Prædecessor Noster magna cum diligentia, & sollicitudine procuraverit abusus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum *thesauros, tum in medio illos recipiendi irreptos* tollere, & propterea sua quadam Constitutione formam aggregandi, instituendi, & recte administrandi Societates, & Confraternitates præscripserit, *licet morte præventus* hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam, ut cogitaverat, circa Indulgentias a plerisque Romanis Pontificibus Prædecessoribus, Religionibus, & Ordinibus monasticis, & Mendicantibus diversis temporibus concessas aliquid deliberare potuerit;

§. II. Nos, qui nullis nostris meritis, sed *sola* Dei benignitate, ad Summi Apostolatus officium vocati fumus, susceptum a tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, *ubi primum Catholicæ Ecclesiæ* Regimen susc epimus, Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus adhoc opus a dicto Clemente Prædecessore deputatis, de quorum numero tempore ipsius Clementis Prædecessoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus concessas recognoscerent, iisque recognitis rem nobiscum communicarent.

§. III. Cum itaque prefati Cardinales privilegia, concessiones, & gratias prædictis Religionibus, & Ordinibus concessas diligenter inspexerint, & examinaverint, ac eorumdem Ordinum Superiores, & Officiales pluries audierint, ac circa eafdem Indulgentias, varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint, & ex judicio eorum etiam Regularium, & aliquorum ex illis nobis proposuerint, valde expedire pro eorum securitate, & beneficio, ut Indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus adinstar, vel per Communicationem, aut alio modo hactenus concessas annullaremus & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

§. IV. Nos matura super hoc consultatione prahabita, cupientes Personis Regularibus quibuscunque quorum vis Ordinum, tam Monasticorum, quam Mendicantium spirituale solatium, & juvamen afferre, infrascriptas Indulgentias, & gratias, quas personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus, tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. V. Omnibus igitur *Christi fidelibus*, qui canonice, & juxta Ordines cujuslibet Religionis, et Constitutiones Apostolicas Habitum Regularem a legitimis Superioribus, causa profitendi *in illo*, susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere pœnitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, plenariam.

§. VI. Ac cuilibet Novitio, qui poenitens, et confessus, ac Sacra Communione refectus post completum probationis annum Professionem emiserit, etiam plenariam.

§. VII. Nec non cuilibet Religioso intra Claustra sui Monasterii viventi, qui in Festo principali sui Ordinis confessus, & Sacra Communione refectus fuerit, aut Missam recitans, pro Christianorum Principum Concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

§. VIII. In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitens, & confessus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, Nomen Jesu, ore, si potuerit, sin autem corde devote invocaverit, etiam plenariam.

§. IX. Qui vero ad Presbyteratus Ordinem Canonice promotus, & confessus primam Missam celebrabit, nec non etiam iis Religiosis, qui pariter confessi, & Sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam plenariam.

§. X. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia, a negotiis per decem dies alieni, in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium, animos ad devotionem, & spiritum inducentium, lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes Mysteriorum Fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini Nostri Jesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum Jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in die, & nocte orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annalem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint aut Missam celebraverint, toties pro quolibet prædictorum exercitiorum, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. XI. Præterea iidem Religiosi intra Claustra viventes, qui suam Ecclesiam devote visitaverint, & ut præfertur, oraverint, *consequantur* eafdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent.

§. XII. Omnibus item Religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die oraverint, quinque annos, & totidem quadragenas.

§. XIII. Iis vero, qui de suorum Superiorum licentia in *itinere existentes, aut extra Claustra degentes, tamquam* Prædicatores, & Lectores, quinquies eamdem orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante quodlibet *Altare similiter dixerint*, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

§ XIV. Nec non etiam eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ *horæ Orationem* mentalem fecerint, ac Confessi, & Sacra Communione ultima Dominica Mensis hujusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragena.

§. XV. Qui vero contrito corde, & poenitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos, et totidem quadrageneas.

§. XVI. Quotiescumque autem de licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum in ditiones, et terras infidelium, aut hæreticorum ad concionandum aut Catholicos docendum, vel infideles, et hæreticos ipsos ad Fidem Catholicam convertendum, et Ecclesiæ gremium reducendum, missi fuerint, si poenitentes, et confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri se accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. XVII.

§. XVII. *Et insuper*, cum Superior in visitationibus generalibus, orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, iis Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum *in diverso* tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ Regularis augumento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderit, si confessi, & Sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, ut præfertur, concedimus.

§. XVIII. Volumus autem, ut omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis, duntaxat, ut præfertur, concessæ, etiam omnibus Monialibus cujusvis Regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram servantibus, tam Ordinariis locorum; quam etiam Regularibus cujuscunque Ordinis, Regulæ, & Instituti subjectis suffragentur, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. XIX. Ceterum omnes, & singulas Indulgentias quibuscunque Ordinibus, & Institutis, Regularibus hujusmodi etiam mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus, tam vigore privilegiorum, & litterarum Apostolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo, per quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, ac tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum Litterarum præscriptum reducimus, & moderamur.

§. XX. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac eorumdem Ordinum, & Institutorum Regularium, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupatis eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus, & Personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. XXI. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides habeatur *ubique*, quæ præsentibus ipsis originalibus Litteris haberetur.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die *23. Maii 1606. Pontificatus* nostri anno secundo.

8 Per hanc tamen Indulgentiarum revocationem factam a Paulo V. non intelliguntur revocatæ variæ Indulgentiæ, quas adhuc lucrari possunt Regulares, ut recte notant, & pro certo tenent Peyrinus, Lezana, Quintanadvenas, Gobat *tract. 4. de Indulgent. part. 2. cap.*27. Kazenberger *loc. citat. num.*77. *Primo* igitur non sunt revocatæ *Indulgentiæ* promiscuæ Regularibus, & Sæcularibus concessæ, unde adhuc iis frui possunt Regulares omnes. *Secundo*, non sunt revocatæ Indulgentiæ *Regularium locales*, seu Ecclesiis, & Capellis Regularium concessæ, ut declaravit *Sacr. Congreg.*7. *Septembris* 1617. apud Vivam *in Appendice Indulgentiarum §. 1. numer. 6. &* Peyrinum *de privilegiis tract. 5. cap. 9. num.* 82. *Tertio*, non sunt revocatæ Indulgentiæ, quæ impertitæ erant Parentibus, Cognatis, et Servitoribus Religiosorum. Quintanadvenas *in Appendice* suorum singularium *tract. 4. dub. 13. num.*4. Gobat *loc. cit. num.*546. Kazenberger *loc. cit. num.*77. *Quarto*, non sunt revocatæ indulgentiæ concessæ ipsis Religiosis pro animabus Purgatorii, ut v. gr. possint tali die orando, vel sacrificando liberare animam a Purgatorio. Sic idem met Paulus V. testatus est 23. *Februarii* 1609. ut refert Viva *in Appendice Indulgent. §. 1. numer. 6.* cum aliis ibi citatis, Quintanadvenas *loc. cit.* Gobat *loc. cit.* Kazenberger *loc. cit.*

Quinto non sunt revocatæ Indulgentiæ, quas poterant Regulares concedere, tam Regularibus, quam Sæcularibus pro aliquo opere, ut est Indulgentia, quam Regulares Concionatores dare possunt audientibus ipsorum Conciones, aut Indulgentia plenaria, quam Provinciales suis largiuntur in fine visitationis, ex dictis *art. 2. num.*28 *& infra num.*11. Sic Kazenberger *loc. cit. num.*77. Gobat *loc. cit. num.* 545. Quintanadvenas *loc. cit. num.*8. *Sexto*, non sunt revocatæ etiam Indulgentiæ directe concessæ Regularibus, vel agoni zantibus in articulo mortis, vel jam vita functis; Sic probabilissime Lezana, *verb. Indulgent. num.*11 *&* 12. Kazenberger *loc. cit. num.*77. Gobat *loc. cit. num.* 547. Diana *part. 4. tract. 9. resolut.* 21. Pellizarius *tract.* 8. *cap.*5 *num.* 181. referens etiam Peyrinum; & Alphonsum Leonem. Et ratio est, quia, ut dicit Gobat *loc. cit.* Indulgentiæ pro articulo mortis, & defunctis sunt ita favorabiles, ut non censeantur involvi etiam Bullis tametsi universalissime suspendentibus omnes Indulgentias. Immo addit Pellizarius *l. c. n.* 182. cit. a Gobat *l. c. n.*547. & Lazenberger *l. c. n.*77. nec illas esse revocatas, quæ erant quidem directe concessæ Regularibus vivis, & sanis, ita tamen, ut possent applicare defunctis, Religiosis, aut Sæcularibus, hoc enim ipso, quod possint applicari defunctis, gaudent privilegio concessarum immediate defunctis. *Septimo*, non sunt revocatæ Indulgentiæ concessæ nostris Tertiariis substantialia Religionis vota non emittentibus intra, vel extra claustra degentibus, ut declaravit Innocentius XI. *die* 10. *Octobris* 1686. per suum Breve incipiens: *Alias emanavit*. Vide *Rubricas nostri Breviarii Franciscani particulares num.* 173.

Circa deposita in dicta Constitutione Pauli V. notandum 9
est, quod, ubi ipse §. 10. concedit Indulgentiam plenariam omnibus Regularibus obeuntibus spiritualia exercitia per decem dies, Alexander VII. *die* 11. *Junii* 1659. eamdem plenariam Indulgentiam concessit Fratribus Minoribus de corpore Observantiæ dicta spiritualia Exercitia obeuntibus per solos octo dies: quæ Constitutio. ut ab omnibus in promptu habeantur, hic ad litteram datur.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut nobis nuper exponi fecit dilectus Filius Michael Angelus Sambuca Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Minister Generalis, in Capitulo Generali ejusdem Ordinis novissime Toleti celebrato, inter alia decretum fuerit, ut fecessus, & spiritualia mortificationis, & Orationis mentalis Exercitia in omnibus Provinciis Cisinontanæ Familiæ Ordinis prædicti reassumantur, & illis Fratres earumdem Provinciarum aliquoties singulis annis vacent.

Nos, qui probe novimus quantopere conducant Exercitia hujusmodi dirigendis in viam Domini, & confirmandis in illa Christifidelium mentibus, devotionem Fratrum memorati Ordinis, qui de suorum Superiorum licentia operi adeo pio, & salutari vacaverint, Cœlestium Ecclesiæ thesaurum elargitione magis invitare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis prædicti Ordinis Fratribus, tam Clericis, quam Laicis, seu Conversis, qui in Domibus Regularibus Provinciarum prædictarum de suorum Superiorum licentia exercitia prædicta per octidui spatium, quandocunque peregerint, & interea temporis vere pœnitentes, confessi, Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum, suorum Indulgentiam, & Remissionem in Domino concedimus præsentibus in perpetuum valituris. Volumus autem, quod, si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, eadem præsentes nullæ sint eo ipso, quodve earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarii publici, vel Secretarii dicti Ordinis subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, vel Ministri Generalis prædicti Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 11. Junii 1659. Pontificatus nostri anno quinto.

G. Gualterius.

Habetur in Constitutionibus Generalibus Nostri Ordinis fol.374. & in Theatro Regularium Lantuscæ verb. Exercitia Spiritualia.

10 Item notandum est, quod ubi ipse Paulus V. in cit. sua Constit. §. 11. & 12. varias Indulgentias concedit Regularibus omnibus, qui suas respective Ecclesias visitaverint, ac in ipsis oraverint, & ante Altare præscriptas orationes recitaverint; Si dicti Regulares fuerint, aut infirmitate, aut itinere, aut un lecumque vere impediti, ne possint Ecclesiam propriam adire ad recitandas preces injunctas pro consecutione cujuscunque Indulgentiæ, possint illas ubilibet recitare, ut habetur *in compendio privilegiorum verb. Indulgentia §. 2. & in Soc. J. Summario privileg. Sanctæ Justinæ*. Ita doctissimus P. Viva *in Appendice Indulgentiarum §. 1. num. 6.* Kilianus Kazenberger *in cit. supplement. Theologiæ Sacramentalis Patris Sporer cap. 3. sect. 2. de Indulgentiis in specie num.* 83. Et addit Sborgar *tract. 9. cap. 2. num.* 24. Religiosos infirmos posse consequi Indulgentias in suo lecto, si non possint adire Ecclesiam, dummodo satisfaciant operi a pio Confessario ipsis imposito; Ita declaravit ipse *Paulus V. Congregationis S. Mariæ Fulien. die* 14. *Novembris* 1609.

11 Item notandum est, quod, ubi ipse Paulus V. in cit. sua Constitutione §. 17. concedit Indulgentiam plenariam Religiosis, qui orationibus quadraginta horarum a Superioribus in Visitationibus Generalibus ordinatis spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint; & confessi communicaverint, aut celebraverint; hujusmodi Indulgentiam Provinciales Societatis in visitatione largiuntur absque hoc onere (intellige institutione 40. horarum) ut ex Card. de Lugo docet Viva *l. cit. §. 3.* Kazenberger *loc. cit. num.* 83. ex concessione prius Gregorii XIII. deinde Urbani VIII. post revocationem factam a Paulo V. Et talem Indulgentiam plenariam posse etiam Prælatos, & Visitatores aliarum Religionum concedere suis respective Religiosis peracta Visitatione Conventus, ut diximus *supra art. 2. num.* 29. Vid. *ibi*.

12 Item notandum est, quod, non obstante dicta Constitutione Pauli V. possunt Regulares consequi omnes Indulgentias, quas consequi possunt Sæculares. Sic communissima Doctorum cum Kiliano Kazenberger *loc. cit. n.* 83: Reiffenst, *loc. cit. num.* 64. Bonagratia Habensi *in Summul., verb. Indulgentia num.* 221. Peyrin, Lezana, Quintanadven. & aliis Et ratio est, quia Regulares non debent esse deterioris conditionis, quam Sæculares. Tum quia generatim loquendo revocatæ sunt solum illæ Indulgentiæ, quæ concessæ erant directè, & principaliter ipsis Regularibus, & ipsemet Paulus V. solum dicit a se revocari Indulgentias *Quibuscumque Ordinibus, & Institutis Regularibus, & quib. sliber Regularibus personis concessas*; quæ verba, cum sint correctiva Jurium antiquorum, atque odiosa, merito intelliguntur stricte; *arg. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in 6.* maximè quia Pontifex potuisset facilè apponere clausulam *Quomodocumque*; quam, quia non apposuit, censendus est non voluisse subintelligi: *arg. cap. 2. de translat. Episcop.* Sic rectè Gobat *tract. 4. de Indulgent. part. cap. 27. num.* 546. & alii. Indulgentiæ autem
13 ipsis Regularibus concessæ, & a Paulo V. revocatæ non sunt censendæ hodie revalidatæ, ut patet ex sequenti propositione 37. in ordine inter merito damnatas ab Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 166. ibi *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ.*

14 Innocentius XI. Summus Pontifex anno 1678. 7. Martii in decreto quod incipit: *Delatæ sæpius*, plurimas Indulgentias revocavit, & ut falsas, confictas, apocryphasque declaravit unde, ut ab omnibus, quæ sint, percipiatur, datur hic ad litteram ipsummet.

DECRETUM.

15 Delatæ sæpius fuere ad Sac. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam, indulgentiæ quædam confictæ, & omnino falsæ, quæ per diversas Orbis Christiani partes circumferuntur; aliæ vero examinandæ, quæ adhibito studio, inventæ sunt vel Apocryphæ, vel a Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præteriisset; Quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant, Christifideles harum rerum minus peritos fallunt, qui ipe Indulgentiæ remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & in Indice referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ a Joanne II, & Sixto IV. recitantibus Orationem Caritatis Jesu Christi Domini nostri: Precor te pissime Domine &c. ab Urbano II Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Campagnolæ, & S. Victoriæ; ab Eugenio III. revelationi de plaga in humero Jesu Christi, factæ S. Bernardo; ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis; a Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die Festo, a Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ, Laghetti, a Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci, primum in Urbe impressa, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci) recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus Luna subjecta est, a Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum a Clemente VIII. dicentibus Orationem: O magnum mysterium &c. & Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant Montis Ferrati Avenione impressæ, tum aliæ pro Animabus Christifidelium defunctorum impressæ Matriti 20. Julii 1606. a Paulo V. cantantibus hymnum: Te Matrem Dei laudamus, Te Mariam Virginem confitemur &c. vel si die Sabbati intererint, dum is canitur, & Coronis, Rosariis, Imaginibus, & numismatibus, quæ Medalias appellant, ab ea benedictis Federico Cardinali Borromæo supplicante anno 1611, dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: Sia lodato il Santissimo Sagramento: Laus Sanctissimo Sacramento, ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentibus: Ave filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii &c. a Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac Vespere consuetam Antiphonam: Angelus Domini &c. & in fine Deo gratias, & Mariæ: Ac demum aliæ a nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri Jesu Christi prece Magni Ducis Etruriæ.

Talis est Indulgentia sodalitatis S. Nicolai, quia repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica unam liberari animam quolibet die a Purgatorii pœnis affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitatis SS. Sebastiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad columnam Trajani; Tales demum aliæ Crucesignatorum S. Eustorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt & illæ concessæ, ut ajunt Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rhodigii, vel Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todini, die Festo Inventionis Sanctissimæ Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula, vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. V. vel recitantibus Officium S. Francisca Romanæ, aut Antiphonam: O passio magna &c. in memoriam Passionis Jesu, aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut Orationem, quæ impressa cum Imagine S. Annæ circumferri solet Ave gratia plena &c. (quæ Oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod asserunt a Paulo V. probatum fuisse, aut Orationem: Deus qui nobis in Sancta Sydone &c. (excipitur Indulgentia 100. dierum anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, Ave Filia Dei &c. post communionem recitandam, vel alio conspicuo signo venerantibus Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti nomen; Indulgentia rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscripta, quam in Basilica Lateranensi asservari affirmant pro dicentibus orationem illam vere piam, Deus, qui pro Redemptione mundi &c. Tum quæ impressæ fuerunt Papiæ anno 1670. sub hoc titulo, Sommario delle Indulgenze concesse dalla Santità di Nostro Signore Papa Leone X. all' Immagine della Concezione della Gloriosa Vergine Maria, vel Pisauri sub nomine B. Joannæ anno 1618. evulgatæ, vel Barlettæ, seu Baruli a recitantibus quasdam non sane malas orationes, lucrandæ, vel Parmæ visitantibus per Quadragesimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci, vel Pistorii, & Vastallæ a recitantibus orationem, Ave Sanctissima Maria, Mater Dei, Regina Cœli &c. & aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ sive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat, vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel Mensuræ Altitudinis Jesu Christi Domini Nostri, vel Imagini, aut mensuræ vulneris Lateri ejus inflicti, vel orationi, ut ajunt, in sepulcro Domini Nostri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ Revelationi factæ SS. Birgittæ, Mechtildi, & Elisabeth, vel Beatæ Joannæ de Cruce, & concessæ, ut asserunt, granis quæ aliquod ex tribus granis tetigerint, extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ San. Francisci.

Omnes vero, & singulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim esse confictas, & plane fallas declarat, partim Apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christifidelibus proponi vetat, foliaque, & libros, ubi sic proponuntur, seu afferuntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ: Nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris, & legitimis taciteque probatis haberi.

Ac demum omnes Indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1587. Coronis, Rosariis, granis, seu calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris, vel ante Breve Pauli V. quod incip. Romanus Pontifex &c. editum 23. Maii anno 1606. Personis Regularibus quantumcumque Religionum, & Ordinum etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium: *Quæcumque &c.* & 68. Pauli V. incipientem *Quæ salubriter &c.* habitas per aggregationem, vel aliam Communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordines, Congregatione, Societate etiam Jesu, Capitulo, vel Cœtu quocunque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, et individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, et momenti pariter declarat.

Porro Summaria Indulgentiarum pro Congregationib. Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Augustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentia vero Stationum Urbis, quæ a Romanis Pontificibus singulari quodam Beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantum stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolate servari jussit. Datum Romæ die 7. Martii 1678.

16 In quo Decreto, ut vides, circa finem, §. *Indulgentias vero stationum Urbis*. cum Innocentius XI. varia disposuerit quoad acquisitionem Indulgentiarum stationum Urbis, et Paulus V. in citata Constit. incip. *Romanus Pontifex* §. 11. concesserit, quod eas lucrari possint Regulares qui suam respective Ecclesiam devote visitaverint, & ibi, ut præfertur, oraverint, hic juvat adducere, & assignare dies ipsos stationum in Missali Romano descriptos, & Indulgentias, quæ in iisdem acquiri possunt, prout reperiuntur in libro Regulæ Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Romæ edito a R. P. Angelo Auda a Lantusca Ordinis nostri Seraphici, & approbato a Reverendissimo P. Hyacintho Libello Ordinis Prædicatorum sacri Palat. Apost. Magistro anno 1665. 11. Martii; qui liber postea fuit etiam Mediolani, Viennæ in Austria, & novissimè anno 1697. Frisingæ denuo approbatus, & ea ex ipso, ordine, ut sequitur, refert Kazenberger *loc. citat. num.* 81.

IN JANUARIO.

In Circumcisione Domini, Statio ad S. Mariam Trans-Tiberim: Indulgentia plenaria, & 25000. annorum.

In Epiphania Domini, Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, & 18000. annorum, & totidem Quadragenarum.

IN FEBRUARIO.

Dominica Septuagesimæ, Statio ad S. Laurentium extra muros, & Indulgentia plenaria.

Dominica Sexagesimæ, Statio ad S. Paulum, & Indulgentia plenaria, & 10000. annorum, et totidem Quadragen.

Dominica Quinquagesimæ, Statio ad S. Petrum, & Indulgentia plenaria, et 28000. annorum cum totidem Quadrag. et remissione tertiæ partis peccatorum.

IN QUADRAGESIMA.

Feria 4. Cinerum, Statio ad S. Sabinam, & Indulgentia plenaria cum 3000. annis, & totidem Quadragenis.

Feria 5. post Cineres, Statio ad S. Gregorium, & Indulgentia 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad SS. Joannem, & Paulum, & Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato post Cineres, Statio ad S. Tryphonem, & Indulgentia 1000. annorum, & plenaria.

Dominica 1. Quadragesimæ. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria cum 18000. annis, & liberatione animæ e Purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad Vincula, & 10000. ann. Indulgentiarum, uti etiam indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anastasiam, & Indulgentia 28000. annorum cum totidem Quadragenis; & liberatio animæ e Purgatorio.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, & Indulgentia 28000. annorum, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium in Paneperna, & Indulgentia 1000. annorum, uti etiam plenaria.

Feria 6. Statio ad SS. duodecim Apostolos, & Indulgentia 12000. annor. uti etiam plenaria.

Sabbato. Statio ad S. Petrum, & Indulgentia 18000. annor. & totidem Quadragenarum, & plenaria.

Dominica 2. Quadragesimæ. Statio ad S. Mariam Majorem, & Indulgentia 18000. annorum, & totidem Quadragenarum.

Feria 2. Statio ad S. Clementem, & Indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Balbinam, & 10000. anni Indulgentiarum.

Feria 4. Statio ad S. Cæciliam, & Indulgentia 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad S. Mariam Trans-Tiberim, & Indulgentia 25000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Vitalem, & Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato. Statio ad SS. Marcellinum, et Petrum, et Indulgentia plenaria, item 10000. annor. et liberatio animæ e Purgatorio.

Dominica 3. Quadragesimæ. Statio ad S. Laurentium extra muros, et Indulgentia 19000. annorum, et 43. Quadragenarum, et liberatio animæ e Purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Marcum, et Indulgentia plenaria, ac 10000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Pudentianam, et Indulgentia plenaria, et 1000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. Xystum, et Indulgentia plenaria, et 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad SS. Cosmam, et Damianum, et Indulgentia 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Laurentium in Lucina, et Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato. Statio ad S. Susannam, et Indulgentia 13000. annorum.

Dominica 4. Quadragesimæ. Statio ad S. Crucem in Jerusalem, et Indulgentia plenaria, et liberatio animæ e Purgatorio.

Feria 2. Statio ad SS. quatuor Coronatos, et Indulgentia 10000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Laurentium in Damaſo, et Indulgentia 10000. annorum, et remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 4. Statio ad S. Paulum, et Indulgentia plenaria, ac 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad SS. Silveſtrum, et Martinum, et Indulgentia 10000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Euſebium, et Indulgentia 10000. annorum.

Sabbato. Statio ad S. Nicolaum in Carcere, et Indulgentia plenaria.

Dominica Paſſionis. Statio ad S. Petrum, et Indulgentia 18000. annorum, et totidem Quadragenarum, et remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 2. Statio ad S. Ghryſogonum, et Indulgentia 10000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Cyriacum, et Indulgentia 10000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. Marcellum, et Indulgentia 10000. annorum.

Feria 5. Statio ad S. Appollinarem, & Indulgentia 10000.

Feria 6. Statio ad S. Stephanum in Cœlio Monte, et liberatio animæ e Purgatorio.

Sabbato. Statio ad S. Joannem ante Portam Latinam, et Indulgentia 13000. annorum, et liberatio animæ e Purgatorio.

Dominica Palmarum. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria cum 25000. annis & totidem Quadragenis, ac liberatio animæ e Purgatorio.

Feria 2. Statio ad S. Praxedem, & Indulgentia plenaria, et 15000 annorum.

Feria 3. Statio ad S. Priſcam, & Indulgentia plenaria, et 18000. annorum.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria, et 28000. annorum.

In Cœna Domini. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria 11000. annorum, 38. Quadragenorum, et liberatio animæ e Purgatorio.

In Paraſceve. Statio ad S. Crucem in Jeruſalem, & Indulgentia plenaria.

Sabbato Sancto. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria, item 11000. annorum, 45. Quadragenarum, & liberatio animæ e Purgatorio.

Dominica Reſurrectionis. Statio ad S. Mariam Majorem, & Indulgentia plenaria, & 280000. annor., & totidem Quadragenarum.

Feria 2. Statio ad S. Petrum, & Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Feria 3. Statio ad S. Paulum, & Indulgentia plenaria, item 20000. annor. & 28. Quadragenarum.

Feria 4. Statio ad S. Laurentium extra muros, & Indulgentia 280000. annorum, totidem Quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 5. Statio ad SS. 12. Apoſtolos, & Indulgentia plenaria, & 25000. annorum.

Feria 6. Statio ad S. Mariam ad Martyres, & Indulgentia 15000. annorum.

Sabbato in Albis. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria, item 15000. annorum, et liberatio animæ e Purgatorio.

Dominica in Albis. Statio ad S. Pancratium, & Indulgentia plenaria, & 15000. annorum.

IN APRILI.

Die 25. *in Feſto S. Marci Evangeliſtæ*. Statio ad Petrum, & Indulgentia plenaria, item 15000. annorum, & totidem Quadragenarum.

IN MAJO.

Feria 2. *Rogationum*. Statio ad S. Mariam Majorem, & Indulgentia 6048. annor. et totidem Quadragenarum, et remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 3. *Rogationum*. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria.

Feria 4. *Rogationum*. Statio ad S. Petrum, & Indulgentia plenaria.

In Aſcenſione Domini. Statio ad S. Petrum, & Indulgentia plenaria, & 28000. annor.

IN JUNIO.

Sabbato in Vigilia Pentecoſtes. Statio ad S. Joannem in Laterano, & Indulgentia plenaria, & liberatio animæ a Purgatorio.

Dominica Penteçoſtes. Statio ad S. Petrum, & Indulgentia plenaria.

Feria 2. Statio ad S. Petrum ad Vincula, & Indulgentia plenaria.

Feria 3. Statio ad S. Anaſtaſiam, & Indulgentia 18000. annorum & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 4. Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia 6000. annor. et totidem Quadragenarum.

Feria 5. Statio ad S. Laurentium extra muros, et Indulgentia 28000. annorum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum, & liberatio animæ e Purgatorio.

Feria 6. Statio ad SS. 12. Apoſtolos, et Indulgentia multorum annorum.

Sabbato ante Feſtum SS. Trinitatis, Statio ad S. Petrum, & Indulgentia 6040. annorum, totidem quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

IN SEPTEMBRI.

Feria 4. *quatuor temporum Septembris*, Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria, item 2400. annorum, et totidem Quadragenarum.

Feria 6. *quatuor temporum Septembris*. Statio ad SS. 12. Apoſtolos, et Indulgentia plenaria, & 28000. annorum.

Sabbato quatuor temporum Septembris. Statio ad S. Petrum, & Indulgentia 28000. annorum, et remiſſio tertiæ partis peccatorum.

IN DECEMBRI.

Dominica prima Adventus. Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria, item 28000. annorum, et totidem Quadragenarum, & remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Dominica 2 *Adventus*. Statio ad S. Crucem in Jeruſalem, et Indulgentia plenaria, et 200. annor.

Dominica 3. *Adventus*. Statio ad S. Petrum, et Indulgentia plenaria, et 28000. annor.

Feria 4. *quatuor temporum Adventus*. Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria, item 28000. annorum, totidem Quadragenarum, et remiſſio tertiæ partis peccatorum.

Feria 6. *quatuor temporum Adventus*. Statio ad SS. 12. Apoſtolos, et Indulgentia plenaria et 10000. annor.

Sabbato quatuor temporum Adventus. Statio ad S. Petrum, Indulgentia plenaria, et 28000. annor.

Dominica 4. *Adventus*. Statio ad SS. 12. Apoſtolos, et Indulgentia plenaria.

In Vigilia Nativitatis Domini. Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria, item 28000. annor., et totidem Quadragenarum.

In Nativitate Domini ad primam Miſſam in nocte. Statio ad S. Mariam Majorem ad Præſepe, et Indulgentia plenaria, item 20000. annor. et totidem Quadragenarum.

Ad 2. *Miſſam in Aurora*. Statio ad S. Anaſtaſiam, et Indulgentia plenaria, item 28000. annor. et totidem Quadragenarum.

Ad 3. *Miſſam in die Nativitatis Domini*: Statio ad S. Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria.

In Feſto S. Stephani Proto-Martyris. Statio ad S. Stephanum in Cœlio Monte, et Indulgentia plenaria, item 8000. annor., et totidem Quadragenarum.

In Feſto S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ, Statio ad Sanctam Mariam Majorem, et Indulgentia plenaria, item 50000.

50000. annorum, et liberatio animæ e Purgatorio.

In Feſto SS. Innocentium. Statio ad S. Paulum, et Indulgentia plenaria, item 15000. annorum, et totidem Quadragenarum.

* Has Indulgentias merito ſuſpectas habet P. Minderer *in Tract. de Indulg. P. 2 Confer. 4. q.8. num. 211. & ſeqq.* cum ſæpe præter plenarias tot millia annorum addantur, quod eſt contra rationem Indulgentiæ plenariæ, et contra diſciplinam Eccleſiæ in concedendis Indulgentiis. Præterquam quod ſimiles multorum millium annorum conceſſiones inter apocryphas reponit Benedictus XIV. ut ſupra demoſtratum eſt *art. 1. num. 14.* *

18 Indulgentiæ Stationum nequeunt applicari defunctis, niſi ab habentibus Bullam Cruciatæ. Item niſi Indulgentiæ Stationum expreſſe ſint conceſſæ pro defunctis, ut eſt liberatio animæ e Purgatorio Gobat. *tract. 4. de Indulgent. part. 2. c. 8. num.* 346. Kazenberger *loc. citat. n.* 82. et alii.

19 Indulgentiæ autem Stationum ſunt eæ, quæ conceduntur viſitationibus certas quaſdam Romanas Stationes, ideſt Romanas Eccleſias, quæ ſint inſtar Stationum, ſeu præſidiorum, excubiarumque ſpiritualium, ut declarat partim Emmanuel Rodriq. *q.86. art.1.* partim Cardinalis Toletus *lib.6. cap.28.* ubi ſic loquitur: *Ut intelligas Stationum originem, adverte ex Tertulliano cap.29. Apol. ex tempore perſecutionis ſolere Chriſtianos noctu convenire in Baſilicas Martyrum, tum ad laudes Dei, tum ad negotia circa Religionem tractanda, tum ad corrigendos Fratres, qui non bene ambulabant. Poſtea perſecutione ceſſante Fideles remittebantur, & negligentes erant in Stationibus continuandis; Propterea Gregorius Magnus ad attrahendas animas Fidelium, ne vacarent a Divinis laudibus, adjunxit magnas indulgentias viſitantibus loca, ſeu Stationes: nam nomen Stationis ſignificat locum, in quo frequenter convenire ſolet ad negotia tractanda.* Ita Toletus, ex quo ſicut etiam ex Rodriquez colliges, Auctorem Stationum fuiſſe S. Gregorium Magnum, ut ex ipſis referunt etiam Gobat *tract. 4. part. 2. de Indulgent. cap. 8. num.* 337. Kazenberger *loc. cit. numer. 79.* et alii.

20 Afferuntur varia Decreta noviſſime emanata, & in Bullario ClementisXI. relata, in quibus multa de Indulgentiis ſtatuuntur, & declarantur, & aliqua ut falſa, & apocrypha prohibentur, & iterdicuntur.

DECRETUM,

21 *De Indulgentiis, quas geſtantes Scapulare Conceptionis B. V. Immaculatæ, & Cincturati S. Auguſtini, & Sanctæ Monicæ conſequi poſſunt.*

PRæcipuas inter Curas, quibus Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita fedulo incumbit, ea eſt, ut Indulgentias, quæ a nonnullis interdum temere evulgantur, mature expendat, & quas, aut revocatas, aut falſas, aut apocriphas eſſe deprehenderit, ne Fideles illarum aſſequendarum ſpe decipiatur, palam deregat, atque prohibebat.

Cum itaque Sacræ Congregationi delatum fuerit in libello quodam Veronæ impreſſo anno 1711. cui titulus: *Breve notizia del Santo Abitino, che ſi diſpenſa da Padri Teatini ad onore dell' Immacolata Concezione di Maria Vergine in virtù d' un Breve Apoſtolico di Clemente X. confermato con altro del Regnante Sommo Pontefice in data delli 12. Maggio 1710. Con le indulgenze proprie, e dell' aggregazione alla loro Religione &c.* Plurimas Indulgentias falſo contineri, veluti a Summis Pontificibus conceſſas, aut quoquomodo communicatas geſtantibus Scapulare parvum cærulei coloris, quod vocant Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Immaculatæ; Ideo re mature perpenſa die 22. Februarii 1712. declaravit, nullas alias Indulgentias pro geſtatione prædicti Scapularis acquiri, niſi illas, quas Sanctiſſimus Dominus Noſter Litteris in forma Brevis deſuper editis die 12. Maji anno 1710. clementer conceſſit his verbis: *Omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, quibus Scapularia benedicta hujuſmodi, ut præfertur, in poſterum diſtribuentur, die, quo illa primum ſuſceperint, ſi vere poenitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam; Necnon eiſdem in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi etiam vere poenitentes, & confeſſi, ac Sac. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen Jeſu, ore ſi potuerint, ſin minus, corde devote invocaverint, itidem plenariam; Ac ipſis pariter vere poenitentibus, & confeſſis, ac eadem Sac. Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis dictæ Congregationis, vel Capellam, ſive Oratorium die Feſto ejuſdem Conceptionis B. M. V. Immaculatæ a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum &c. preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper prædictis Chriſtifidelibus, etiam vere poenitentibus, & confeſſis, ac Sac. Communione refectis Eccleſiam, vel Capellam, ſeu Oratorium hujuſmodi in aliis ejuſdem B. M. V. Feſtis diebus, ut præfertur, viſitantibus, ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, ſeptem annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus &c.*

Cumque pariter Sacræ Congregationi innotuerit, in alio libello Bononiæ impreſſo anno 1707. qui inſcribitur: *Sacro Diario delle grazie, e Indulgenze conceſſe alla Compagnia della Cintura detta di S. Agoſtino, e di S. Monica &c.* multas pro Cincturatis referri Indulgentias, quarum aliquæ, aut revocatæ, aut falſæ omnino ſunt; Ideo Sacra eadem Congregatio prædicta die 22. Februari 1712. ſimiliter declaravit, Cincturatos nullas alias Indulgentias pro geſtatione Cincturæ lucrari poſſe, niſi illas; quæ expreſſe continentur in Brevi ſan. mem. Clemente X. deſuper edito, quod incipit: *Ex injuncto Nobis cælitus*, Dato die 27. Martii 1675.

Et ut omnis in poſterum erroris, ac deceptionis occaſio auferatur, diſtricte prohibuit, ne aliæ Indulgentiæ voce, aut ſcripto publicentur pro geſtatione ſupramemorati parvi Scapularis, aut prædictæ Cincturæ, præter eas, quæ in ſupradictis Brevibus Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. & ſan. mem. Clementis X. reſpective continentur. Ac inſuper recenſitos Libellos, alterum Veronæ, alterum Bononiæ impreſſum, proſcribendos cenſuit ſub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis.

Quibus per me Secretarium Sanctiſſimo Domino Noſtro relatis, Sanctitas Sua ſententiam Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus ſervari juſſit.

Datum die 24. Februarii 1712.

Fr. Thomas Maria Card. S. Clementis.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secret.

Die, menſe, & anno quibus ſupra ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Joan. Baptiſtam de Capellis Apoſt. Curſ.

Ludovicus de Capellis Pro Mag. Curſ.

DECRETUM,

22 *Quo tria Summaria aſſertarum Indulgentiarum Confraternitatibus S. Rocchi conceſſarum proſcribuntur, eaſdemque Confraternitates non aliis Indulgentiis gaudere poſſe declaratur, niſi illis, quæ a San. mem. Paulo V. in Brevi dato 3. Novembris 1606. conceſſæ reperiuntur.*

CUM tria nuper Indulgentiarum Summaria Sac. Congreg. Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ delata fuerint, in quibus quam plurimæ Indulgentiæ, aut falſæ, aut apocryphæ, aut nonnullis Romanis Pontificibus ſignanter vero a fel. record. Paulo V. Brevi dato 3. Novembris Anni 1606. expreſſe revocatæ continentur, & quod longe deterius eſt, multæ etiam facultates, & conceſſiones, & nonnulla itidem privilegia, aut pariter revocata, aut omnino conficta, non ſine magno Fidelium ſcandalo, & animarum periculo temere evulgantur: Sacra eadem Congregatio, quæ fideli, ac prudenti cœleſtis Indulgentiarum Theſauri diſpenſationi præeſt, die 12. Menſis Martii labentis anni, re mature perpenſa, declaravit Confraternitates S. Rocchi, in quibuſvis locis exiſtentes, & Archi-Confraternitati de Urbe aggregatas, nullis aliis Indulgentiis, conceſſionibus, & privilegiis uti, & frui poſſe, niſi illis, quæ in ſupradicto Brevi San. mem. Pauli V. continentur, & quæ in aggregationibus

ab eadem Archi-Confraternitate expediri solitis de verbo ad verbum referuntur. Prædicta autem Summaria, quorum unum ita inscribitur: *Sommario delle Indulgenze concesse da' Sommi Pontefici alla Venerabile Compagnia di S. Rocco d'Ancona aggregata &c. In Ancona nella Stamperia Camerale* 1661. Alterum vero: *Sommario del celeste Tesoro dell' Indulgenze, doni, grazie, facoltà, e privilegj concessi per molti Romani Pontefici, ed ultimamente confermati, ed ampliati dalla Santità di Nostro Signore Gregorio per la Divina Provvidenza Papa XIV. alla Ven. Compagnia, ed Ospedale di S. Rocco di Roma, da potersi concedere dalli Commissarj deputati a questo Sant' Offizio della publicazione di tante divine grazie a ciaschedun Fedel Cristiano, che vorrà entrare nella S. Confraternita di S. Rocco di Roma. In Roma appresso Paolo Blado Stampatore Camerale* 1591. Tertium denique; *Sommario del celeste Tesoro dell' Indulgenze, doni, grazie, facoltà, e privilegj concessi &c. a ciaschedun Fedel Christiano, che vorrà entrare nella Santa Confraternità di San Rocco di Roma, e comunicare alla Confraternità del medesimo S. Rocco, e Sebastiano nella Chiesa della B. V. M. di Loreto nella Città di Roveredo: In Roma, ed in Roveredo per Giuseppe Antonio Gojo* 1712. sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis proscribenda esse censuit, atque insuper districte prohibuit, ne aliæ Indulgentiæ, Concessiones, aut privilegia supradictis Confraternitatibus S. Rocchi voce, aut scripto evulgentur, nisi ea, quæ in sæpe memorato Brevi Pauli V. concessa reperiuntur; Quam Sacræ Congregationis sententiam per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatam, Sanctitas Sua probavit, & executioni mandari jussit. Datum die 14. Martii 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

Die, Mense, & Anno quibus supra supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Franciscum Bartholotum Apostol. Cursor.

Ludovicus Cappellus Mag. Curs.

DECRETUM,

23 *Quo bina Summaria Indulgentiarum, ut apocrypha proscribuntur, eorumque usus interdicitur.*

SAcra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita die 13. mensis Julii anni 1714. mature perpensis duobus Indulgentiarum Summariis, quorum unum ita inscribitur: *Sommario dell' Indulgenze, grazie, e doni concesse da molti Romani Pontefici, e nuovamente confermate dalla Santità di Nostro Signore Papa Clemente XI. alla Venerabile Chiesa, e Ospitale di S. Maria di Monferrato di Catalogna, ed alli Confratri, e Consorore d'essa Madre Vergine. In Palermo presso Francesco Ciche* 1714. Alterum vero: *Sommario dell' Indulgenze concesse da diversi Romani Pontefici, ed ultimamente ampliate, e confermate da Nostro Signore Clemente XI. alli Fratelli, e Sorelle del Sacro Reale, e Militare Ordine, così dell' Osservanza, come delli Scalzi di Nostra Signora della Redenzione de' Schiavi Cristiani fra gl' Infedeli. In Roma nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica. In Messina nella Stamperia di Amico, ed in Palermo per Felice Marino* 1710. Dictorum Summariorum usum interdixit, illaque prohibenda esse censuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Quibus Sanctissimo Domino Nostro die 18. ejusdem mensis Julii per me Secretarium relatis, Sanctitas sua Sententiam Sacræ Congreg. approbavit, & executioni mandari jussit. Dat. die 19. Julii Anni 1714.

L. Card. Picus Præfectus.
Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Die 19. Julii 1714. *Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolor. Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Remolatium Apost. Curs.*

Sebastianus Vasellus Mag. Curs.

DECRETUM,

Quoad Indulgentias Rosariis, seu Coronis S. Birgittæ 24 *a Summis Pontificibus concessas. Indulgentiæ Rosariis, seu Coronis, quas S. Birgittæ vocant, a Summis Pontificibus concessæ.*

LEO Decimus Pontifex Maximus per Litteras suas incipientes: *Ex Clementi*, Datas Idibus Julii 1515. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui per, & super Rosaria, seu Coronas S. Birgittæ devote oraverint, pro qualibet Oratione Dominica centum dies, & totidem pro salutatione Angelica, & pro quolibet Symbolo, si dixerint, vel recitaverint etiam centum dies Indulgentiarum; nec non pro quolibet Psalterio (idest Rosario, aut Corona quindecim Decadum B. Mariæ virginis) super illis integre per eosdem Christifideles, per se ipsos, aut cum Socio, vel familiari, qui eamdem Indulgentiam consequatur, dicto, vel recitato septem annos, & totidem Quadragenas.

Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. Pontifex Maximus in suo Brevi, quod incipit: *De salute Gregis Dominici*, Dato 22. Septembris 1714. concedit omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus Confessis, & Sacra Communione refectis, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum Coronam S. Birgittæ, dummodo sit saltem quinque decadum, recitaverint, semel in anno, die per unumquemque Christifidelem eligenda plenariam Indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eamdem plenariam Indulgentiam applicandi animabus in Purgatorio existentibus.

Ad lucrandum hujusmodi Indulgentias requiritur, ut Coronæ a P.P. Superioribus Monasteriorum, seu ab aliis Religiosis Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu S. Birgittæ ad id specialiter deputatis benedicantur.

DECRETUM,

SAcra Congregatio Indulgentiis & S. Reliquiis præposita die 26. Novembris 1714. censuit permitti posse impressionem præsentis Summarii Indulgentiarum concessarum Coronis, quas vocant S. Birgittæ, addita declaratione, quod omnes aliæ Indulgentiæ, quæ in præsenti Summario expresse non continentur, sunt aut apocryphæ, aut nullæ, aut a Sanctissimo Domino Nostro Clemente XI. revocatæ per supradictum Breve datum die 22. Septembris 1714.

Prohibet insuper eadem Sacra Congr. ne hujusmodi Coronæ vendantur, aut alteri commodentur, & si secus fiat, declarat supradictas Indulgentias cessare, & nullius esse roboris, vel momenti. Datum die 4. Decembris 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

DECRETUM.

Quo Summarium Indulgentiarum Regularibus Ordinis 25 *Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nonnullas continens Indulgentias ad quæstum damnatur, & prohibetur.*

QUamvis Indulgentiæ omnes pro porrigentibus manus adjutrices non semel ab Apostolica Sede, signanter vero a S. Pio V. *Constit.* 30. quæ incipit: *Et si Dominici Gregis*, dat. 6. Idus Februarii anno 1567. revocatæ fuerint, Quæstoresquæ damnati; nonnulli tamen interdum docentes ea, quæ non oportet, Indulgentias ad quæstum evulgare præsumunt. Quapropter Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita, huic malo occurrere cupiens, Summarium quoddam, cui titulus: *Breve Sommario delle principali grazie, ed Indulgenze concesse alli Religiosi dell' Ordine della Santissima Trinità della Redenzione delli Schiavi, delle quali godono tutti quelli, che portano il Scapulario, ovvero Abitino, e visiteranno le Chiese, o Capelle di detr'*

detr' Ordine &c. impressum Neapoli apud Hyacinthum Pittante anno 1703. ubi nonnullæ Indulgentiæ ad quæstum continentur, die 28. Januarii labentis anni 1716. sub pœnis in Indice Librorum prohibitorum contentis, damnandum censuit, insimul declarando Confraternitates a Superioribus Ordinis S. Trinitatis Redemptionis Captivorum institutas, nullis aliis Indulgentiis gaudere, nisi illis, quæ expresse continentur in earum Summario, alias, nempe die 31. Januarii anni 1675. ab eadem Sacra Congregatione recognito, atque approbato, & deinde Romæ Typis R. C. Apostolicæ impresso an. 1682. Quibus Sanctissimo Domino Nostro per me Secretarium relatis, Sanctitas Sua Sententiam Sacræ Congr. probavit, & executioni mandari jussit. Datum die 11. Martii 1716.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Die, Mense, & anno, quibus supra supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Jo. Baptistam de Capellis SS. D. N. PP. Cursorem.

Bartholomæus de Camillis Mag. Curs.

DECRETUM.

26 *Quo declaratur, necessariam esse delationem Scapularii ad lucrandas Indulgentias concessas Sodalibus Confraternitatum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum.*

IN Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita habita die 28. Aprilis labentis anni 1716. relatis precibus P. Joannis a S. Francisco Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniæ humiliter postulantis declarari, an Sodales Confraternitatum sui Ordinis loco Scapularii, quod plerique gestare solent; exiguum panni albi fruitulum, cui parvula Crux rubri, & Cærulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferentes, lucrari valeant Indulgentias concessas iis, qui Scapularium deferunt; Eminentissimi Patres declararunt, non lucrari. Datum die 29. Aprilis 1716.

L. Cardinalis Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

DECRETUM.

27 *Quo declaratur Indulgentiam, pro Feriis sextis Mensis Martii dari solitam, comprehendi sub clausula* Volumus autem &c. *quæ in Brevibus Apostolicis apponi consuevit.*

NE contra veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem, Indulgentiam numero nimis aucto, Ecclesiastica disciplina enervetur, sæpius in Brevibus apponi consuevit clausula illa: *Volumus autem, ut si alias Christifidelibus dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus, alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint.* Cum autem alias pro ejusdem clausulæ explicatione supplicatum fuerit; Sac. Congr. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita declaravit, „ ea nullatenus comprehendi Altaria privilegiata pro „ defunctis, neque Indulgentias, aut certo Personarum ge„ neri concessas, ut Confraternitatibus, Regularibus, & Ca„ pitulo, aut certum pium opus in ipsa Ecclesia peragenti„ bus, ut Litanias, aliaque hujusmodi recitantibus, ac iis, „ qui Christiana Doctrina eruduntur, vel alios eruduni, & „ qui Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti expositioni cum „ Oratione quadraginta horarum interfunt, neque statio„ num Urbis, & septem Altarium Indulgentias adinstar se„ ptem Altarium Basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum „ quæ pro unica vice conceduntur. Cetertum si alia Indul„ gentia sive plenaria, sive non plenaria in perpetuum, „ vel ad tempus, non ab eodem, tum ab alio Romano Pon„ tifice generatim Christifidelibus Ecclesiam, vel aliquod „ ejus altare seu Capellam visitantibus eodem die, vel di„ verso concessa fuerit, de qua non fiat in litteris Aposto„ licis mentio, has litteras ob dictam clausulam esse prorsus „ irritas, ac nullas. Ut expresse habetur in decreto ab eadem Sacra Congregatione desuper edito die 23. Junii anni 1676. quod attulimus verb. *Altare Privilegiatum*, numer. 7. Postea tamen eidem Sacræ Congr. delatum fuit, non paucos esse, qui prædictum Decretum non recte intelligentes, sibi suadent, quod si in aliqua Ecclesia jam concessæ reperiantur Indulgentiæ, quæ pro Feriis sextis mensis Martii dari solent, & postea in eadem Ecclesia alia Indulgentia concedatur cum appositione in Brevi supramemoratæ clausulæ *Volumus autem &c.* Indulgentia, quæ postremo loco data est, valida sit. Quapropter, ut omnis in posterum erroris occasio auferatur eadem Sacra Congregatio habita die 18. Aprilis anni 1716. declaravit, Indulgentiam ultimo loco ita concessa ob sæpe dictam clausulam *Volumus autem &c.* Litteris Apostolicis insertam, esse nullam. Datum die 11. Septembris 1716.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

* Cum vero ex frequenti Concessione Indulgentiarum pro ipsis Feriis sextis Martii seu Quadragesimæ frequens pariter sequatur nullitas reliquorum Brevium, quæ de stylo cum restrictivis postea expediuntur; idcirco Eadem Sacra Congregatio, re maturius perpensa ad tollendas quascumque dubietates ac Brevium nullitates, quibus Christi Fideles quandoque decipi possent, die 9. Februarii 1745. censuit, hujusmodi indulgentias Feriarum sextarum Mensis Martii seu Quadragesimæ excipiendas esse, ita ut alias quaslibet impedire nequeant, ac propterea præfato Elencho indulgentiarum exceptarum die 23. Junii 1676. ab eadem Sacra Congregatione edito, addendas esse. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13. ejusdem Mensis Sanctissimo Domino Relatione, Sanctitas sua Votum S. Congregationis approbando benigne annuit.

R. C. Card. de Hieronymis Præfectus.

A. M. Erba Proton. Apost. Secr.

Ita Carolus Maria Perusinus *in Chronolog. Seraph. tom. 3. par. 2. ad Capitul. General. 83. f. 471.* Sicut ergo Indulgentiæ Stationum Urbis, septem Altarium &c. non invalidant alias Indulgentias, sive ante, sive post illas, impetratas, sic nec Indulgentiæ Feriarum sextarum Mensis Martii; quia per præfatum Decretum prioribus æquiparatæ sunt, & in eorum Elenchum repositæ. Vid. Minderer *part. 2. Confer. 4. numer. 243.*

DECRETUM. 28

Quo Summarium quoddam Indulgentiarum Regularibus Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Christianorum concessarum, ut continens quamplurimas falsas Indulgentias prohibetur, ejusque usus interdicitur.

DEcet Sacram Congregat. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositam, Indulgetias, aut revocatas, aut falsas, & apocryphas detegere, atque prohibere, ut quæ veræ sunt, a Fidelibus dignoscantur, & circumspecte prospicere, ut omnis in re tam Sacra turpis quæstus prorsus eliminetur.

Mature itaque perpenso Summario quodam Indulgentiarum, quod inscribitur: *Breve Sommario delle principali grazie, e Indulgenze concesse alli Religiosi dell' Ordine della Santissima Trinità della Redenzione de' Schiavi Cristiani, delle quali godono tutti quelli, che portano il Scapulario, ovvero Abi-*

Abitino, e visiteranno le Chiese, o Capelle di detto ordine, le quali Indulgenze sono state approvate da' Sommi Pontefici, e di nuovo dalla fel. mem. di Papa Innocenzio XII. come si vede nella Bolla spedita l' anno 1693. Et incipit: *Saranno privi di guadagnare le predette Indulgenze*, impresso Neapoli anno 1716. in quo Summario, nedum quamplurimæ Indulgentiæ fallæ continentur, verum etiam contra Apostolica Decreta pro earumdem Indulgentiarum assecutione pecuniæ solutio præscribitur. Sacra eadem Congregatio die 20. Decembris anni 1718. dicti Summarii Neapolis, ut supra, impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illudque prohibuit sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Insuper declarando, nullis aliis Indulgentiis frui posse Confraternitates erectas, seu in posterum erigendas sub titulo Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nisi illis, quæ habentur in Summario alias Romæ impresso, & ab eadem Sacra Congregatione approbato die 31. Januar. 1675.

Quibus per Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis approbavit.

Datum die 22. Decembris 1718.

J. D. C. Parraccianus,

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

29

DECRETUM.

Quo duo Summaria Typis impressa, ut continentia nonnullas Indulgentias falsas, apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas prohibeantur, eorumque usus interdicitur.

CUM Sacra Congreg. Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita, re mature perpensa deprehenderit, nonnullas Indulgentias fallas, apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas contineri in Libello impresso per Carolum Josephum Altorinum anno 1712. Papiæ & Laudis Pompejæ, cui titulus: *Compendio della Regola del Terz' Ordine de' Penitenti del Serafico Padre San Francesco confermata da Papa Niccolò IV. nuovamente per comodità de Terziarj, e Terziarie, che oggidì si trovano sotto la protezione del medesimo Santo Padre ristampato ad istanza delli Fratelli, e Sorelle di dett' Ordine, eretto nell' insigne Chiesa di San Francesco di questa Città di Lodi con l' aggionta d' una breve notizia delle Indulgenze, favori, e privilegj più conspicui concessi da' Sommi Pontefici a quest' Ordine*, & in quodam Summario Indulgentiarum edito Ulyssipone anno 1681. Typis Antonii Græsbeech de Melo, quod inscribitur: „ Summario de Thesau„ ro celestial das Indulgencias, gracias, faculdades, & pri„ vilegios concedidos per muytos Romanos Pontifices ao „ Sagrado, & Apostolico Hospital de Santo Spirito em „ Saxia de Cidade de Roma, confirmadas ora nuovamen„ te pelo Sanctissimo Papa Gregor. XIII. nosso Senhoras, „ quaes se concedem pelos Commissarios, Collectores De„ putados por este Sancto Officio a todos e cada hum dos „ Fieis Christaos, que quizerem entrarna Sanctissima Con„ fraria da Casa, & Hospital de nossa Senhora da Victoria „ desta Citade de Lisbona. Eadem Sacra Congregatio die 29. Januarii anni 1720. censuit, libellum supra enunciatum, prædictumque Summarium prohiberi, illorumque usum interdici debere sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis. Quam Sac. Congregationis sententiam per me Secretarium Sanctissimo D. N. relatam Sanctitas Sua approbavit die 31. ejusdem mensis.

Datum 14. Ferbruar. 1720.

J. D. C. Parraccianus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

DECRETUM

Quo statuitur, ut pro aggregationibus Archiconfraternitatibus Almæ Urbis, seu potius pro illarum expensis, nihil ultra unum scutum aureum recipi valeat.

AD tollendos nonnullos abusus, qui in expediendis Litteris patentibus Aggregationum Archiconfraternitatibus Almæ Urbis retro actis temporibus irrepserant, Sacra Congregatio Indulgentiarum Decreto edito die 6. Martii 1608. approbante San. mem. Paulo V. statuit, atque decrevit, ut pro expeditione prædictarum Litterarum aggregationum, sed potius pro expensis desuper faciendis, nempe pro pergamena, scriptura, sigillo, capsulis, cordulis, cera, Secretarii, Notarique labore, vel mercede, aliisque omnibus quibuscumque nihil omnino ultra scutum unum aureum pro singula aggregatione, institutione, vel confirmatione, quovis prætextu, aut colore, etiam meræ eleemosynæ exigi, aut recipi valeat, sub pœna ipso facto incurrenda nullitatis aggregationis, omniumque Indulgentiarum, & spiritualium gratiarum in aggregationibus contentarum, cum privatione etiam facultatis aggregandi, & privatione pariter Officiorum, & inhabilitate ad eadem Officia in posterum obtinenda pro Ministris, Superioribus, Officialibus, aliisque contra prædictum Decretum facere præsumentibus, quæ a nullo alio, nisi a Romano Pontifice pro tempore existente remitti valeat, aliisque etiam sub gravioribus pœnis arbitrio ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis imponendis. Ne autem longo temporis decursu prædicti Decreti oblivio induci, ac denuo abusus irrepere possint, Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præposita, habita die 9. Apr. 1720. decrevit, atque mandavit singulis Ordinibus, Religionibus, Institutis, & Archiconfraternitatibus, eorumque Superioribus, Ministris, atque Officialibus quocumque nomine nuncupatis, ut pro expediendis litteris parentibus aggregationum, seu potius pro illarum expensis quibuscunque nihil ultra unum scutum aureum sub quovis prætextu, aut quæsito colore, etiam a sponte dantibus, aut titulo eleemosynæ recipere audeant, aut recipi permittant sub iisdem pœnis contentis in supra memorato Decreto edito die 6. Martii 1608. ne Confraternitates aggregandæ sumptibus nimium graventur, & ut omnes intelligant, cælestes Ecclesiæ Thesauros non quæstus, aut alicujus lucri causa, sed ad pietatem Fidelium excitandam ex Apostolicæ Sedis benignitate aperiri. Quibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Clementi XI. relatis, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari jussit.

Datum die 10. Apr. 1720.

J. D. C. Parraccianus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

Die, Mense, & Anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Josephum Badialem Apost. Curs.

Jo. Triphellius Mag. Curs.

Ut omnis tollatur occasio evulgandi Indulgentias falsas, seu apocryphas, debent Episcopi, antequam eas permittant, diligentissime, & accuratissime examinare, cum ad ipsos privative spectet recognitio Brevium Indulgentiarum, quæ de novo per Papam conceduntur. Nec aliquis sine eorum licentia, vel auctoritate poterit illa Brevia, seu illas Indulgentias publicare, non obstante quacumque exemptione, & prætensa consuetudine in contrarium, etiamsi pro Regularium Ecclesiis concedantur, ut *Sacra Congreg. Concil. cap. 9. sess. 21. de reformat. decisum fuit* apud Monacell. *tom. 2. tit. 16. formul. 6. num. 8. & in una Sancti Severini* 30. *Maii* 1699. *& 4. Februarii* 1702. apud Petram *tom. 5. comment. ad Constit. 4. Calisti III. num. 96.* & ita declaravit quoque *Sacra Congr. Immunitatis in Firmana* 12. *Julii* 1703. *lib. 3. decret. Vallem. pag. 494.* his verbis: *Quoad consuetudinem assertam immemorabilem in Civitate Firmi, & aliorum in Piceno publicandi per Magistratum Laicum Brevia Indulgentiarum absque licentia, seu participatione Tribunalis Ecclesiastici, Sac. Congreg. de-*

decernit, Ministros Laicos, quoad præteritum non esse amplius molestandos, sed quoad futurum non licere sine licentia Ordinariorum, & omnino abstineant. Sic apud D. Petrum Andr. Riccium *in sua Synopsi decretor. Sacr. Congreg. Immun. verb. Indulgentiæ*, quod Decretum citat etiam Monacell. *loc. cit. numer.* 8.

ARTICULUS V.

Indulgentia quoad ea, quæ concernunt Indulgentias concessas Tribus SS. Ordinibus S. P. N. Francisci, eorumque Ecclesiis, Benefactoribus, & Confraternitati Chordigerorum.

LEO X. Summus Pontifex concessit omnibus Fratribus 1
Minoribus Regularis Observantiæ, ac Monialibus Sanctæ Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noster cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri ad intentionem Pontificis, & aliud Pater, & Ave Maria, & Gloria Patri pro Indulgentias concedente, lucrentur Indulgentias omnes, tam plenarias, quam non plenarias concessas Ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, & Portiunculæ quacumque ora diei, vel noctis prædicta 6. Pater noster, Ave Maria, & Gloria Patri recitaverint; Ita Casarubios *in Compendio nostrorum privilegiorum verb. Indulgentiæ Stationum* §. 15. P. Rodriquez *in nova Collatione Bullarii fol.* 318. *num.* 24. Lantusca *in libro Regulæ Tertii Ordinis S. P. N. Francisci Romæ edito, & approbato a Reverendissimo P. Hyacintho Libello Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magistro anno* 1665. 11. *Martii*, kanzenberger *loc. cit. num.* 88. Viva *in Appendice Indulgentiarum* §. 3. ubi testatur hoc etiam haberi *in compendio privilegiorum Societatis* §. 13. & alii plures.

Istæ Indulgentiæ non fuerunt revocatæ a Paulo V. quia 2
Paulus V. non revocavit Indulgentias Regularium Ecclesiis concessas, seu locales, sed solum personales, ut Sacr. Congreg. declaravit 7. *Septembris* 1607. apud Vivam *in Appendice Indulgentiarum* §. 1. *num.* 6. Nec revocavit Indulgentias pro animabus Purgatorii Regularibus concessas, ut idemmet Pontifex 23. *Februar.* 1906. testatus est, sicut ex Gobat. Peliz. Quintanadv. & Diana refert Viva *in cit. Appendice n.* 6. Nec etiam revocavit pro Regularibus Indulgentias concessas pro omnibus Christifidelibus indiscriminatim, ut pro certo tenent Doctores communiter cum Gobat *tract.* 4. *de Indulgent. part.* 2. *cap.* 27. kazenberger *loc. cit. num.* 77. Viva *in cit. Appendice Indulgentiarum num.* 6. cum Peyrino, Lezana, Quintanadven. & aliis. Unde cum prædictæ stationum Indulgentiæ non fuerit primitus concessæ Personis Regularibus, sed certis Ecclesiis, & locis & indiscriminatim pro omnibus Christifidelibus, & ipsarum multæ fuerint concessæ etiam pro animabus Purgatorii, sequitur, quod tales Indulgentiæ non fuerint revocatæ, & adhuc possint eas lucrari Regulares privilegiati; Siquidem in hoc casu Summus Pontifex solum dispensavit in modo lucrandi prædictas Indulgentias, videlicet, ut prædictæ personæ absque eo quod se Hierosolymam, Romam, Compostellam, & Portiunculam conferrent, ibidem personaliter Ecclesias, seu loca visitarent, præfatas Indulgentias lucrari possint visitando proprias Ecclesias, & ibi recitando prædicta 6. Pater noster, Ave Maria, & Gloria Patri, sicut Romæ etiam Sæculares lucrantur Indulgentias visitantes Ecclesias stationum. Hinc cum hujusmodi concessio non sit revera Indulgentia, eo quod solum spectet ad modum lucrandi Indulgentias; ideo in revocatione illa Indulgentiarum facta a Paulo V. non intelligitur revocatum hoc Indultum, atque adeo tales Indulgentiæ possunt adhuc obtineri a Regularibus privilegiariis; Lantusca *loc. cit.* kazenberger *loc. cit. num.* 88. Fr. Joannes a Conceptione *cap.* 6. P. Antonius Natalis *in cœlestibus Aurifodinis cap.* 6. *num.* 43. Rodriquez *tit.* 2. *quæst.* 84. *art.* 7. Viva *in citat. Appendice Indulgent.* §. 1. *sub numer.* 6. *&* §. 13. *verb. Leo X.* & alii passim.

Hoc authentice cofirmatur *ex Rubricis particularibus nos-* 3
tri Breviarii Franciscani novissimi confirmatis ab Innoc. XII. quæ *num.* 88. sic habent; *Circa Stationem Sanctissimi Sacramenti ex sex Pater noster, & Ave Maria cum totidem Gloria Patri & c. coalescentem quotidie, & præsertim die Sabbathi observandum est statutum Julii II. cap.* 5. *sic decernens; In omnibus etiam Conventibus statim post Ave Maria, Fratres omnes ad Ecclesiam vadant, & ante Sanctissimum Sacramentum dicant brachiis extensis sex Pater noster, & totidem Ave Maria, & Gloria Patri, ultimum pro eodem Sanctissimo D. N. Papa pro lucranda Indulgentia plenaria, & num.* 89. *cui statuto consonat omnino aliud hujus tenoris: Et quia Indulgentiæ Stationis Sanctissimi Sacramenti revocatæ non sunt, (ipsius recitatio quotidiana omnibus tam Fratribus, quam Monialibus, & Tertiariis Sæcularibus enixe commendatur) quod adest insertum, & specifice confirmatum in Brevi, cujus initium:* Debitum Pastoralis *a Sanctissimo Domino nostro Innocentio XI. die* 19. *Maii* 1694. *benigne concesso:* Hucusque Rubricæ nostri Franciscani Breviar. *n.* 88. *&* 89.

Unde ista Indulgentia obtinuit nomenclaturam stationis San- 4
ctissimi Sacramenti, quia acquiritur recitando prædicta sex Pater noster, Ave Maria, & Gloria Patri ante Venerabile Altaris Sacramentum juxta adductas Rubricas, & primam concessionem Leonis X. apud Casarubios, *in Compendio privilegiorum verb. Indulgentiæ Stationum num.* 11. ibi: *Coram Sacramento Altaris*, & juxta concessionem Pauli V. ab Urbano VIII. confirmatam apud Hieronymum Rodriquez *in Compendio resolut.* 47. Quintanadven. *in Appendice tract.* 4. *dub.* 2. *num.* 7. Antonium a Spiritu Sancto *num.* 22. Antonium Natalem *loc. cit. cap.* 9. Vivam *in cit. Append. Indulg.* §. 3. *vers. Leo X.* & alios passim.

Potest tamen adhuc secundum plurimos non spernendos 5
Doctores acquiri talis cumulus Indulgentiarum a Regularibus privilegiariis, etiamsi prædicta sex Pater noster, Ave Maria, & Gloria Patri recitent extra Ecclesiam in propriis Cellis, & in quocumque alio loco, quacumque hora diei, vel noctis, ut concessit Leo X. apud Casarubios *loc. cit. n.* 15. ibi: „ Idem Leo concessit omnibus Fratribus Minoribus Re„ gularis Observantiæ, ac Monialibus S. Claræ, & Tertii Ordinis, quod dicendo quinquies Pater noster cum Ave Maria, & in fine cujuslibet Gloria Patri, & pro Sanctitate sua „ unum Pater noster cum Ave Maria, similiter cum Gloria „ Patri, lucrentur Stationes, Indulgentias, & remissiones „ tam Urbis, quam etiam Portiunculæ, sive Hierusalem, „ ac S. Jacobi in Compostella, & quod quacumque hora „ diei, vel noctis, & quocumque in loco dicant, scilicet „ Choro, Ecclesia, Claustro, Oratorio, ac Cella, lucren„ tur illas.“ Et quod tales indulgentias lucrentur quotidie Regulares privilegiarii, ubicumque recitent dictas Orationes, referunt de novo id concessisse etiam Paulum III. Summum Pontificem Rodriquez *tom.* 2. *quæst.* 84. *art.* 7. & ex ipso Viva *loc. cit.* §. 1. *num.* 6. *&* §. 3. *vers. Leo X.* & hoc tenent plurimi alii, & passim scribentes in Regula tertii Ordinis plurimis in locis, etiam de recenti impressa dicentes, quod, qui recitant supradictas Orationes ante Sanctissimum Altaris Sacramentum lucrantur Indulgentias supradictarum Stationum ex tribus concessionibus, scilicet Leonis X. Pauli III. & Urbani VIII. Qui vero illas recitant in aliis locis, lucrantur tales Indulgentias ex duabus concessionibus, scilicet Leonis X. & Pauli III. Nec ad ipsas Indulgentias lucrandas re- 6
quiritur modo, ut prædicta sex Pater noster, Ave Maria, & Gloria Patri recitentur brachiis extensis, ut ex multis notat kilianus kazenberger *loc. cit. n.* 90.

Quot autem, & quam maximæ sint Indulgentiæ Stationum 7
Urbis, habes *supra articulo antecedenti num.* 17. & P. Antonius Natalis *in suo Purgatorio cap.* 9. relatus, & secutus a Viva *in cit. Appendice Indulgentiarum* §. 1. *num.* 8. dicit: Indulgentias plenarias Romæ variis Ecclesiis concessas, esse quotidie ad minimum octo & triginta, easque per modum Suffragii applicabiles pro defunctis: Ac præterea extraordinarias esse singulis mensibus plurimas alias, nempe Mense Januarii 63. Februari. 41. Martii 55. April. 24. Maii 44. Jun. 22. Jul. 52. Aug. 145. Sept. 58. Octobr. 3. Novembris 59. Decemb. 103. Non plenariæ vero sunt innumerabiles, æque pariter per modum suffragii pro defunctis applicabiles; & P. Natalis *loc. cit.* recenset plurimas quotidianas, & quas solum recenset, ascendunt ad bis centum, ac ter mille nongentos tres annos, ac centum septuaginta millia sexcentum Quadragenarum, & undecies habetur remissio tertiæ partis peccatorum, sic ex ipso Viva *loc. cit. num.* 8.

Indulgentiæ Terræ Sanctæ, tum plenariæ, tum non ple- 8
nariæ recensentur *in Familiari Regularium a P. F. Josepha Neapoli edito Neapoli* 1706. ubi *fol.* 319. tenore sequenti reperiuntur. ..

Indulgentiæ Plenariæ Terræ Sanctæ.

„ In Ecclesia S. Sepulchri, ubi Dominus Noster Jesus Chri-
„ stus triduo jacuit, est Indulgentia liberationis unius animæ
„ a pœna, & culpa.
„ In loco, ubi fuit inventa Crux Dominica una cum Cla-
„ vis, quibus in illa fuit confixus, est Indulgentia plena-
„ ria.
„ In Domo Pilati, ubi Dominus noster fuit flagellatus, &
„ spinis coronatus, ac morti adjudicatus, est Indulgentia
„ plenaria.
„ In Domo Herodis, ubi Christus fuit illusus, & veste
„ alba indutus, est Indulgentia plenaria.
„ In Ecclesia S. Annæ, ubi nata est B. Virgo Maria, In-
„ dulgentia plenaria.
„ In Templo, ubi ead. B. Virgo fuit præsentata, & po-
„ stea desponsata, est Indulg. plenaria.
„ In Porta, quæ denominatur aurea, per quam Chri-
„ stus ingressus est Dominica Palmarum, Indulgentia ple-
„ naria.
„ In Ecclesia, ubi est Sepulchrum B. Virg. in quo aliquan-
„ diu jacuit, Indulg. plenar.
„ In Ecclesia, quæ est in loco, ex quo Christus ascendit
„ visibiliter in Cœlum, Indulg. plenar.
„ In Ecclesia, ubi antiquitus fuit Domus habitationis B.
„ Virg., Indulg. plenar.
„ In Ecclesia ubi justa Præsepe natus est Salvator Mundi
„ Indulg. plenar.
„ In Cœnaculo, ubi fuit institutum Sacramentum Alta-
„ ris &c. Indulg. plenar.
„ In Monte Calvario, ubi Christus crucifixus est, Ind.
„ plenaria.
„ In Bethania, ubi est Sepulchrum Lazari, a quo fuit re-
„ suscitatus per Christum, Indulg. plenar.
„ In Monte, seu Deserto, in quo Christus jejunavit qua-
„ draginta diebus, Indulg. plenar.
„ Apud fluvium Jordanis in loco, ubi Christus baptizatus
„ est, Indulg. plenar.
„ In Nazareth in loco, ubi fuit salutata ab Angelo B.V.
„ Indulg. plenar.
„ In Ecclesia, ubi fuit Domus S. Elisabeth, & ubi natus
„ est S. Joannes Baptista, Indulg. plenar.
„ In loco, ubi Christus parvulus natus, & pannis mundis
„ involutus est, Indulg. plenar.
„ In Altari, ubi Christus fuit circumcisus, Indulgentia
„ plenaria.
„ In Monte Thabor, ubi Christus trasfiguratus est, Indul.
„ plenaria.
„ Infra Ecclesiam Montis Sion ubi sunt Sepulchra Regum
„ Juda, & aliquorum Prophetarum, Indulg. plenar.

Ultra supradictas plenarias Indulgentias, sunt multæ aliæ Indulg. Annorum, & Quadragenarum in diversis locis Terræ Sanctæ, & primo in Hierusalem.

„ In introitu Civitatis Hierusalem consequuntur peregri-
„ ni, qui ingrediuntur per portam Civitatis, quadraginta
„ annos, & totidem quadragenas remissionis.
„ In Horto, ubi Dominus post Resurrectionem apparuit
„ Magdalenæ in specie Hortulani, sunt sexcenti anni, & to-
„ tid. Quadragenæ remis.
„ In loco, ubi idem Dominus apparuit post Resurrectio-
„ nem suæ Matri, sunt septem anni, & totidem Quadra-
„ genæ.
„ Ubi fuit super vestem Christi missa sors, sunt septem
„ anni, & totidem Quadragenæ.
„ In Domo Annæ, ubi fuit alaphizatus Christus, sunt se-
„ ptem anni, & totidem quadragenæ.
„ Item in loco, ubi angariaverunt Simonem Cirenæum ut
„ portaret Crucem Christi, sunt septem anni, & septem
„ Quadragenæ.
„ In quodam loco, ubi Dominus Jesus prædicabat, sunt
„ septem anni, & tot Quadragenæ.
„ In Cœnaculo, ubi Dominus lavit pedes Discipulorum suo-
„ rum, sunt septem anni, & tot quadragenæ.
„ Ibidem in loco, ubi post Resurrectionem intravit Januis
„ clausis; & apparuit Apostolis, sunt etiam septem anni,
„ & totidem quadragenæ Indulgentiarum.
„ In via, ubi apparuit Dominus tribus Mariis redeunti-
bus a Sepulchro, sunt septem anni, & septem quadragenæ.
„ In loco, ubi Dominus conversus ad mulieres lamentan-
„ tes super eum dixit: *nolite flere super me*, sunt septem an-
„ ni, & septem quadragenæ.
„ In loco, ubi dicitur spasmus B. Virginis, ubi videns
„ Christum bajulant em Crucem cecidit velut mortua, sunt
„ etiam septem anni, & totidem quadragenæ.
„ Itidem in loco, ubi sunt duæ petræ albæ, super quas
„ sedit Christus lassatus ex pondere Crucis, sunt septem an-
„ ni, & septem quadragenæ.
„ In Torrente Cedron, ubi erat lignum, ex quo facta
„ fuit Crux, sunt septem anni, & septem quadragenæ.
„ In Horto, ubi oravit tribus vicibus, & sudavit sangui-
„ nem, sunt septem anni, & totidem quadragenæ.
„ In loco, ubi Dominus illuminavit cæcum, sunt septem
„ anni, & totidem Quadragenæ.
„ In Domo Simeonis, qui accipiens Christum in ulnas
„ dixit: *Nunc dimittis servum tuum &c.* sunt septem anni,
„ & septem quadragenæ.
„ In Agro empto ex pretio Sanguinis Christi, qui dicitur
„ Aceldama, sunt septem anni, & septem quadragenæ. Alias
„ triginta anni, & totidem quadragenæ.
„ In Ecclesia, quæ fuit domus, in qua habitavit B. Vir-
„ go post Ascensionem Christi, sunt septem anni, & septem
„ quadragenæ.
„ In Capella, ubi S. Joannes Evangelista celebravit Mis-
„ sam B. Virgini post Ascensionem Filii sui, sunt septem
„ anni, & totidem quadragenæ.
„ In Oratorio, ubi B. Virgo faciebat orationem, sunt se-
„ ptem anni, & septem quadragenæ.
„ Item in loco, qui appellatur palma B. Virginis, sunt 40.
„ anni, & 40. quadragenæ.
„ Item in loco, ubi Judæi voluerunt arguere Christum
„ propter sua opera, sunt septem anni, & septem quadra-
„ genæ.
„ Juxta lapidem quemdam, ubi fertur, quod Dominus
„ sanavit multos infirmos, sunt septem anni, & totidem
„ quadragenæ.
„ In specu subterranea, ubi Petrus post trinam negatio-
„ nem fecit pœnitentiam, sunt Indulgentiæ quadraginta anno-
„ rum, & totidem quadragenarum.
„ In Turri David, quæ fertur se inclinasse Christo ab ea
„ descendenti, sunt decem anni, & totidem quadragenæ.
„ In loco, ubi decollatus est Jacob Zebedæus, sunt 30.
„ anni, & totidem quadragenæ.

Secundo apud civitatem Bethleem sunt sequentes.

„ In domo, ubi tres Magi Otientales invenerunt, & ado-
„ raverunt Christum puerum, sunt septem anni, & toti-
„ dem Quadragenæ remissionis.
„ In loco, ubi disparuit eis Stella, quam viderant in Orien-
„ te, sunt septem anni, & septem Quadragenæ.
„ In quadam Capella, ubi sunt Sepulchra SS. Innocentium,
„ sunt etiam septem anni, & septem Quadragenæ.
„ Item in quadam Ecclesia intitulata B. Virgini, ubi Ange-
„ li ei apparuerunt, & insinuaverunt viam Ægypti, ut il-
„ luc fugeret cum puero suo Jesu, sunt septem anni, &
„ septem Quadragenæ.
„ In loco, ubi Angeli apparuerunt Pastoribus, & cecine-
„ runt: *Gloria in Excelsis Deo*: sunt septem anni, & toti-
„ dem Quadragenæ.

Tertio apud Bethaniam sunt istæ paucæ.

„ In Domo Simonis Pharisæi, ubi Christus pepercit Mag-
„ dalenæ sua peccata, sunt septem anni, & septem Qua-
„ dragenæ.
„ In domo, ubi ante sex dies Paschæ fecerunt ei Cœnam,
„ & Magdalena attulit alabastrum unguenti, & cetera, sunt
„ septem anni, & totidem Quadragenæ.
„ In Domo S. Marthæ sunt septem anni, & totidem Qua-
„ dragenæ.
„ In Domo Magdalenæ totidem.

Quar-

Quarto in Monte Oliveti, & circumcirca reperiuntur sequentes.

„ Apud Bethphage, ubi Dominus ascendit super asinam in
„ die Palmarum, sunt quindecim anni, & totidem Qua-
„ dragenæ.
„ In via, seu loco, ubi Dominus videns Civitatem Hieru-
„ salem flevit super eam, sunt septem anni, & septem Qua-
„ dragenæ.
„ In loco, ubi Angelus præsentavit Virgini Palmam
„ ante suam mortem, sunt septem anni, & septem Qua-
„ dragenæ.
„ Ibidem in Viculo Bethphage, ubi Apostoli composue-
„ runt Symbolum, sunt septem anni, & septem Quadra-
„ genæ.
„ Item in loco, ubi Dominus docuit Apostolos orare,
„ & composuit Pater noster, sunt septem anni, & septem
„ Quadragenæ.

Quinto in Vallibus Josaphat, & Siloe, habentur infrascriptæ.

„ In loco, ubi Dominus fuit captus, & ligatus in
„ nocte passionis, sunt septem anni, & totidem Quadra-
„ genæ.
„ In loco, ubi S. Stephanus fuit lapidatus, sunt septem
„ anni, & totidem Quadragenæ.
„ In loco, ubi fuit sepultus idem S. Stephanus a Gamalie-
„ le, sunt totidem anni, & Quadragenæ.
„ In loco, ubi Dominus in nocte passionis dimisit octo
„ discipulos, & assumpsit tres, scilicet Petrum &c. sunt
„ etiam septem anni, & totidem Quadragenæ.
„ In Valle Siloe dicitur esse quidam fons, in quo B. Virgo
„ lavabat pannos pueri Jesu, quando cum eo existente par-
„ vulo ascendebat in Hierusalem ad Templum, & ibi sunt
„ septem anni, & septem Quadragenæ.
„ In natatoria Siloe, quo misit Christus cæcum, ut lava-
„ retur, & illuminaretur, sunt septem anni, & totidem
„ Quadragenæ.

Sexto apud Civitatem Nazareth sunt hæ.

„ In Domo S. Joachim Patris B. Virginis, ubi est quod-
„ dam Monasterium, sunt septem anni, & totidem Qua-
„ dragenæ.
„ Juxta fontem, ex quo fertur, quod Jesus Dominus no-
„ ster, cum esset parvulus, deferebat aquam Matri suæ,
„ sunt septem anni, & totidem Quadragenæ.
„ Item in Domo, ubi dicitur fuisse Schola, in qua B. Vir-
„ go didicit litteras, sunt septem anni, & totidem Qua-
„ dragenæ.
„ In Domo, ubi nati sunt Jacobus major, & Joannes
„ Evangelista, sunt decem anni, & triginta Quadragenæ.

Septimo in Montanis Judææ sunt istæ.

„ In Domo Zachariæ Patris Joannis Baptistæ, ubi B. Virgo
„ salutavit Elisabeth, sunt septem anni, & septem Qua-
„ dragenæ.
„ Item ibidem, ubi dixit Zacharias: *Joannes est nomen*
„ *ejus*, & composuit Canticum *Benedictus*, sunt septem anni,
„ & septem Quadragenæ.
„ In eisdem Montanis ultra fluvium Jordanis est quoddam
„ Monasterium, ubi est quædam pars Crucis Christi, &
„ sunt etiam septem anni, totidemque Quadragenæ Indul-
„ gentiæ.
„ Ibidem est aliud Monasterium S. Joannis Baptistæ, ubi
„ septem anni, & totidem Quadragenæ.
„ In deserto, ubi S. Joannes fecit pœnitentiam, sunt septem
„ anni, & totidem Quadragenæ remissionis.

Octavo apud Vallem Hebron, sunt sequentes.

„ In Campo Damasceno, ubi ex limo terræ formavit
„ Deus primum hominem, dicuntur esse decem anni, &
„ quindecim Quadragenæ Indulgentiæ.
„ In loco, ubi sepultus est Adam primus homo, sunt
„ septem anni, & totidem Quadragenæ.
„ In eadem Valle in spelunca, ubi sepulti sunt Abraham,
„ Isaac, & Jacob, sunt septem anni, & septem Quadra-
„ genæ.
„ Ubi dicitur nata fuisse arbor Crucis, sunt viginti anni
„ & totidem Quadragenæ.
„ In Monte, quo *Diabolus tentans* Christum, duxit eum
„ in locum excelsum &c. sunt septem anni, & septem
„ Quadragenæ.

Nono apud Galilæam.

„ In loco Galilææ, ubi Dominus complens promissum
„ suum apparuit Apostolis, sunt septem anni, & septem
„ Quadragenæ.

D. Defendens Brusatus Vic. Gen.

Omnes supradictæ Indulgentiæ non plenariæ cum aliis 9
non plenariis Compostellæ, & Portiunculæ pluries eodem
die obtineri possunt, si pluries iteratur recitatio dictarum
Orationum, scilicet sex Pater noster, Ave Maria, & Glo-
ria Patri &c. Idemque dicendum est de supradictis plenariis
cum aliis plenariis Compostellæ, & Portiunculæ quatenus
pro Defunctis applicabiles. Et ratio est, quia Decretum In-
nocentii XI. incip. *Delatæ sæpius* adductum *supra art. ante-*
cedenti num. 15. quo sancitur, neminem lucrari posse pluries
eodem die plenariam Indulgentiam, cum non exprimat In-
dulgentias pro Defunctis applicabiles, non videtur eas com-
prehendere; nam sicut in concessione alicujus Indulgentiæ
non intelligitur, quod ea sit pro Defunctis applicabilis, nisi
exprimatur, ut communiter docent Doctores cum Levana
verb. Indulgentia num. 24. Suarez *disp.* 52. *sect.* 1. Viva *loc. cit.*
§. 1. *sub num.* 8. Molfes. & aliis ex D. Thoma *in* 3. *dist.* 45.
quæst. 3. *art.* 3. *quæstiuncul.* 2. ita a fortiori in revocatione In-
dulgentiarum non intelliguntur illæ revocatæ pro Defunctis,
nisi etiam exprimatur, ut patet ex revocatione facta a Pau-
lo V. in citat. Constitut. incipient. *Romanus Pontifex*, ubi,
ex quo non expresse se revocare etiam Indulgentias De-
functis applicabiles, ipsemet *sub die* 23. *Februarii* 1609.
ut diximus *supra num.* 2. testatus est, *non revocasse illas*
Indulgentias, quæ pro Defunctis poterant a Regularibus
applicari.

Fratres, & Sorores de Ordine Minorum, & consequenter 10
Tertiarii, & Chordigeri recitando coronam B. Mariæ Vir-
ginis ex 72. Ave Maria & 7. Pater noster, cum adhuc uno
Pater, & Ave pro Summo Pontifice, lucrantur Indulgen-
tiam plenariam sibi in primis concessam a Leone X. quam
Paulus V. post generalem Indulgentiarum Regularibus con-
cessarum revocationem, de novo concessit 8. *Junii* 1608. ad
instantiam P. Ludovici a S. Joanne Evangelista Commissario
Generali Ultramontanæ Familiæ Minorum de Observantia,
ut referunt Lantusch. *in Theatr. Regular. verb. Indulgentia*
num. 3. Kazenberger *loc. cit. num.* 91. Portell. Sbovar, Sanig.
Peyrin. Rodriquez, Bordon. Quintanadven. & alii passim;
& demum confirmavit Innocentius XI. Quod certum esse pa-
tet ex Rubricis particularibus nostri Breviarii Franciscani
novissimi confirmatis ab Innocentio XII. quæ *num.* 90. ita
habent: *Sabbatho præsertim, & singulis aliis hebdomadæ*
diebus privatim recitanda est a Nostratibus ex devotione Co-
rona Beatæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ approbata a San.
mem. Leone X. in Brevi: Exponi nobis *die* 14. *Septembr.* 1517.
concesso, & per aliud ejusdem Pontificis Breve quod incipit:
Dum præexcelsa, *die* 19. *Junii* 1515. *ea Indulgentia decora-*
ta, quam Paulus V. post generalem Indulgentiarum revoca-
tionem benigne innovavit, & recol. mem. Innocentius XI.
per suas etiam in forma Brevis Litteras similiter incipientes:
Exponi nobis, *Die* 15. *Maji* 1688. *firmam esse voluit, atque*
sancivit.

Item Fratres Minores, & alii Regulares ex concessione 11
Julii II. & Leonis X. quoties recitant Coronam D. N. Jesu
Christi ex triginta tribus Pater, & totidem Ave Maria in
honorem annorum, quibus inter mortales vixit Christus Do-
minus, aut septem Psalmos Pœnitentiales, aut Graduales,
aut Officium Defunctorum lucrantur Indulgentiam Plena-
riam pro Animabus Purgatorii. Et Leo X. pariter pro hac

Coro-

Corona concessit Minoribus Plenariam Indulgentiam sibi ipsis applicandam; quam tamen Paulus V. revocavit. Sed Peyrinus, Rodriquez, Bordon. *quæst.2. num.18.* & Quintanadv. *in Append. ad Jubil. tom.4. dub.4. num.7.* cum Viva *Appendix Indulgentiarum passim acquisibilium §. 3.* asserunt illam Minoribus ab eodem Paulo V. restitutam esse. Unde ab omnibus privilegiatis Regularibus obtineri poterit. Et hanc Plenariam Indulgentiam ægroti, & Senes decrepiti obtinent, si pro ea recitent unum Psalmum, vel Hymnum Beatæ Virginis, vel Domini nostri ex concessione Leonis X. apud Castrub. *in Compend. Privileg. vel Indulgentiæ Plenariæ quoad Fratres; num.13.* Et sic tenent supracitati Doctores, & alii plures. Imo Portel. & Resighinus in templo Salomonis apud P. Antonium Natalem cap.9. testantur illam omnibus Christifidelibus concessisse eundem Paulum V. ut constat ex authenticis Romæ impressis anno 1609. Sic expresse sapientissimus. P. Viva *loc. cit.*

Fratres Minores, Clarissæ, & Tertiarii possunt applicare
12 per modum suffragii omnes Indulgentias, & opera meritoria animabus Purgatorii *ex concessione Gregorii XV. per suum*
13 *Breve sub die* 10. *Novembris* 1622. Sacerdotes Fratrum Minorum ex concessione Leonis X. celebrando tres Missas in Altari sibi assignato a suis Superioribus liberant animam suorum parentum in primo, secundo, & tertio gradu a pœnis Purgatorii, sicuti si celebrarent super Altare S. Gregorii, & S. Sebastiani Romæ; Sic refert Peyrin. *in Constit.8. Pauli V. num.6. pag.252.* & alii. Fratres Minores Sacerdotes ex con-
14 cessione Innocentii VIII. celebrando diebus Dominicis, & in solemnitatibus D. N. Jesu Christi, & B. V. Mariæ, & illi, qui non sunt Sacerdotes, quoties communicaverint, lucrantur Indulgentiam plenariam pro defunctis, sed non pro seipsis, cum fuerit revocata a Paulo V. sic refert Peyrin. *in cit. Constit.8. §.9. num.3. pag.252.* & alii. Fratres Minores, alii-
15 que Regulares ex concessione Clementis VIII. in casu mortis alicujus ipsorum, aut Patris, aut Matris, aut alicujus habentis Filiantiam, seu Suffragia, aut soliti in domo sua hospitare Fratres, possunt unica Missa per modum suffragii ipsum liberare a pœnis Purgatorii; Sic refert Peyrinus *in Constit. 6. Clementis VIII. num.2. pag.234.* & alii.
16 Fratres Minores Regularis Observantiæ docentes Doctrinam Christianam, & eisdem in hoc pio opere cooperantes, lucrantur eximias Indulgentias concessas ab Innocentio XI. 30. *Maji* 1680. Constitutione incip. *Pietatis*, quę, ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pietatis, ac Christianæ Charitatis opera ubique locorum cum divini cultus incremento, exerceri cupientes, Christifideles quoscumque præsertim sub suavi Religionis jugo, Altissimo famulantes, & ut ad illa exercenda promptiores reddantur Indulgentiis, & peccatorum remissionibus invitamus, prout ad Christianam Religionem propagandam, & animarum salutem procurandam conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque (*sicut accepimus*) dilecti Filii, Fratres Ordinis Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum, inter pia, quæ exercent, opera, etiam adultos, & pueros quoscumque per universum Christianum Orbem Catholicæ Fidei rudimenta, & Christianas virtutes omnes recte doceant. Nos pro nostri Pastoralis Officii munere, hoc pium, Christianæque Reipublicæ necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenire, ac multo uberiores post ea quo proventuros speramus, confovere volentes, ut eorumdem Fratrum devotio ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apostol. ejus auctoritate confisi, supplicationibus etiam Dilecti Filii Francisci Diaz a S. Bonaventura Commissarii Generalis Curiæ pro Ultramontana Familia dicti Ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Omnibus, & singulis dicti Ordinis Fratribus, & aliis universis Christifidelibus, ubivis locorum existentibus, ac cum iisdem Fratribus ad infrascripta cooperantibus, qui de Superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum pueros, & adultos quoscumque Doctrinam Christianam juxta Decreta Concil. Trident. docere, vel eidem (dum docetur) interesse consueverint, si vero pœnitentes, ac confessi SS. Eucharistiæ Sacramento die Festo (ab iisdem Ordinariis, in Ecclesiis, in quibus Doctrina Christiana docetur, semel in anno) designando, refecti fuerint, Plenariam: nec non ipsis (qui vere similiter pœnitentes, & confessi, SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut id facere non valentes, animo contrito Nomen Jesu, saltem corde in mortis articulo devote invocaverint) similiter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea illis, qui pariter vere pœnitentes, & confessi, semel quolibet mense SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, septem annos, & tot Quadragenas: Qui vero in causa fuerint, ut pueri, famuli, aut quævis aliæ personæ Doctrinam Christianam frequentent, & qui diebus Stationum Almæ Urbis nostræ, hanc Doctrinam in Ecclesiis, aut Oratoriis de Ordinariorum licentia docuerint, ac etiam illi, qui ad eamdem discendam accesserint easdem Indulgentias consequantur, quas consequuntur, & consequi possent, si Ecclesias Stationum ejusdem Urbis personaliter visitarent: Easdem etiam Indulgentias Visitatores Scholarum Doctrinæ hujusmodi (qui ex commisso sibi officio visitabunt illas Scholas, quas illo die visitare poterunt) consequantur, si peccata sua confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint. Insuper iis, qui diebus feriatis Doctrinam Christianam, aut publice, aut privatim explanaverint, centum dies: nec non omnibus, & singulis præceptoribus, qui diebus Festis Discipulos suos ad Doctrinam Christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos; Et qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem Doctrinam explicaverint, aut Collationes fecerint (licet illo die non intervenerint) in aliqua Schola discendi causa, septem annos: Omnibus, & singulis Patribus, & Matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis, & familiaribus utriusque sexus Doctrinam Christianam similiter explicaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies: Item iis, qui per Civitates, Terras, & alia loca viros, mulieres, aut pueros ad discendam eandem Doctrinam Christianam ducendi causa convocando circumierint, septem Annos, Ac etiam, qui extra Civitatem ad illam docendam per Castra, & Villas exeunt, decem Annos: Omnibus etiam Christifidelibus (qui per mediam horam Doctrinæ prædictæ, aut discendi, aut docendi causa studuerint, aut eidem interfuerint) centum dies; Iisdem etiam, qui Doctrinam prædictam docere solent, si infirmos visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies de injunctis iis, seu alias quomodolibet per eos debitis poenitentiis, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris: non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceteriscque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut (si aliquæ aliæ Indulgentiæ prædictis Fratribus præmissa agentibus a Nobis, vel Prædecessoribus nostris ad tempus nondum elapsum, vel perpetuo duraturæ concessæ fuerint) præsentes nullæ sint; Utque earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici, vel Secretarii Generalis dicti Ordinis subscriptis, & Sigillo Ministri Generalis ejusdem Ordinis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris 30. Maji 1686. Pontificatus nostri anno decimo.

Fratres Minores, Moniales, Tertiarii, aliique Confratres, 17
& Consorores quarumcumque Confraternitatum, & Societatum in eorum Ecclesiis canonice erectarum, & erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi Mentali vacaverint, pro qualibet vice lucrantur Indulgentiam centum dierum, & si saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & confessi communicaverint pro quolibet mense, lucrantur Indulgentiam plenariam etiam per modum suffragii defunctis applicabilem; sic concessit Innocent. XII. *die 24. Decembris* 1690. Constit. incip. *Ad ea*, quæ habetur in Rubricis particularibus Breviarii nostri Francisani novissimi *num.117. & 118.* ut infra.

INNO-

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad ea, per quæ animarum Christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, & eorumdem Christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, cœlestium munerum elargitione libenter fovemus, & incitamus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus quoque Dilecti Filii Francisci Diaz a S. Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Definitoris Generalis, necnon Missionum pro Familia Ultramontana dicti Ordinis Procuratoris nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, ac aliis utriusque sexus Personis, Ordinum & Congregationum Obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis ejusdem Ordinis nunc, & pro tempore subjectis, ac etiam Christifidelibus Confratribus, & Consororibus quarumlibet Confraternitatum, & Societatum, sive sub Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, sive sub alio quolibet titulo, seu invocatione, tam hactenus in eorumdem Fratrum, & Monialium Ecclesiis canonice erectarum, quam in posterum canonice pariter erigendarum, qui per quadrantem horæ Orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; Qui per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensem dabunt operam, & vere pœnitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, ac pro Christi morum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint; Plenariam semel quolibet mense suorum peccatorum omnium Indulgentiam, & remissionem, quam per modum Suffragii animabus Christifidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, Apostolica Auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus.

18 Fratres Minores de Observantia missi a suis Superioribus de Ordinariorum locorum licentia ad exercendas Missiones; & omnes utriusque sexus fideles ipsorum Missionibus interessentes possunt consequi Apostolicam Benedictionem, & Indulgentiam plenariam, ut concessit Innocentius XI. *die* 12. *Martii* 1688. per suum speciale Breve, quod hic ad litteram datur.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspectu-
„ ris salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cœle-
„ stium munerum thesauros, quorum dispensatores esse Nos
„ voluit Altissimus, libenter iis impartimur, quo pro sua
„ in Deum, & proximos charitate, & Christianæ Religionis
„ zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligi-
„ mus. Quo in genere cum Fratres Minores Ordinis S. Fran-
„ cisci de Observantia nuncupatos habeamus, eosque im-
„ primis, quos dilecti Filii eorumdem Fratrum Superiores
„ ob hanc causam hoc ipso, & consequentibus annis in diver-
„ sas Christianæ Reipublicæ Provincias mittere constitue-
„ rint: Nos sane eorumdem Fratrum pietatem, ac operam,
„ eorumque, ad quos illi mittendi erunt, Religionem, &
„ Devotionem spiritualibus gratiis confovere, atque auge-
„ re cupientes, eorumque Superiorum precibus Nobis su-
„ per hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illorum de-
„ liberationem, quantum cum Domino possumus promove-
„ re volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Bea-
„ torum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confi-
„ si, omnibus, & singulis Fratribus de Observantia dicti
„ Ordinis ad Missiones in quibusvis locis de Ordinariorum
„ licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi
„ tamen non erunt Missionarii Congregationis de Propagan-
„ da Fide) & aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos
„ ipsi mittendi accesserint, nostram, & Apostolicam bene-
„ dictionem per præsentes impartimur; Nec non iisdem vere
„ poenitentibus, & confessis, & Sacra Communione refe-
„ ctis, qui pro S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione, Principum
„ Christianorum unione, infidelium conversione, hæresum
„ extirpatione, prout unicuique suggerit devotio, pias ad
„ Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum
„ suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in
„ Domino, auctoritate Apostolica tenore præsentium pro
„ unica vice dumtaxat pro unaquaque Missione de Ordinario-
„ rum locorum licentia respective facienda concedimus, &
„ elargimur.

„ Hortantes Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates,
„ Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Prælatos, Rectores, ac verbi Dei Prædicatores, ut in suis quis-
„ que Ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, præsentes
„ Litteras, ac omnia in eis contenta publicent, & publicari
„ faciant, ac omnem iisdem Religiosis favorem, & auxi-
„ lium in præmissis præstent, præsentibus ad septennium
„ tantum valituris. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ
„ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.
„ Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem sub annu-
„ lo Piscatoris die decima secunda Martii 1688. Pontificatus
„ nostri anno duodecimo „.

I. F. Albanus.

Moniales Ordinis S. Claræ, aliæque subjectæ Ordini nostro Seraphico, & Generali nostro Ministro, fruuntur ipsę, & earum Ecclesiæ omnibus Indulgentiis nobis, & nostris Ecclesiis concessis: sic declaravit, & concessit Innocentius XI. 19
die 5. Septembris 1686. & approbavit Innocentius XII. anno *1695.* decimo septimo Kalendas Januarii Constitut. incip. *Sua nobis*, ut habetur in Rubricis particularibus nostri Breviarii Francisani novissimi *a num.* 182. Imo nedum Moniales Ordini, & Superiori nostro Generali subjectæ, sed etiam illæ 20
quæ sunt sub immediata jurisdictione Episcoporum, gaudent omnibus Indulgentiis, & privilegiis nobis concessis, sicut generatim omnes Moniales a cura Regularium suorum Ordinum ad immediatam jurisdictionem Episcoporum translatæ, aut transferendæ, fruuntur iisdem privilegiis, ac Indulgentiis, quibus ante ejusmodi translationem fruebantur, ut non semel declaravit Sacra Congregatio Indulgentiis, & S. Reliquiis præposita, & signanter novissime sequenti Decreto a Sanctissimo approbato.

DECRETUM.

Quo declaratur, Monasteria Monialium a cura Regularium suorum Ordinum ad immediatam jurisdictionem Episcoporum translata, aut transferenda iisdem privilegiis, ac Indulgentiis frui debere, quibus ante ejusmodi translationem fruebantur.

„ Licet ab hac Sacra Congregat. Indulgentiis, & S. Reli-
„ quiis præposita non semel declaratum fuerit, nonnulla
„ Sanctimonialium Monasteria, quæ antea sub gubernio Fra-
„ trum sui Ordinis degebant, per hoc quod Episcopo loci sub-
„ jecta deinde fuerint, privilegia, & Indulgentias, quibus
„ antea fruebantur, nullatenus amisisse. Tamen, cum sæ-
„ pius alia etiam Monasteria, quæ simili modo sub imme-
„ diatam Episcoporum jurisdictionem translata sunt, idem
„ ab Apostolica Sede declarari humiliter postulaverint, ut
„ nulla in posterum dubitandi ratio superesset. Eadem Sacra
„ Congregat. re mature discussa die 20. Aprilis 1711. decla-
„ ravit; Monasteria omnia Sanctimonialium, quæ a cura &
„ gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam juris-
„ dictionem Episcoporum translata sunt, & in posterum
„ transferri aliqua ratione contigerit, non ideo privilegia, &
„ Indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amis-
„ sura fore, sed eodem modo cunctis prædictis privilegiis, &
„ Indulgentiis uti, & frui debere, ac si sub gubernio Fra-
„ trum suorum Ordinum actu existerent. Quam Sacræ Con-
„ gregationis sententiam Sanctissimus Dominus Noster die
„ 22. ejusdem Mensis approbavit.
Datum Romæ die 14. Maji 1714.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Ad

Ad rem addendum est sequens ejusdem *Sacr. Congregationis Indulgentiarum* decretum.

Viennen. in Austria.

PER Decreto della Sagra Congregazione dell' Indulgenze e Reliquie 20. Aprile 1711. li Monasterj di Monache, passate, e che passeranno sotto la giurisdizione degli Ordinarj godono l' istesse Indulgenze de' suoi respettivi. Ordini; e per altro Decreto de' 3. Decembre 1736. li Monasterj delle Monache Elisabettine godono l'istesse Indulgenze: ed il dì 23. Settembre 1741. il Papa, audito prius voto ejusdem S. C. il giorno 11. dell' istesso mese, dichiarò, & quatenus opus sit, concessit, Ecclesias Monialium Clarissarum gaudere Indulgentia Portiunculæ nuncupata die 2. Augusti per tutti i Fedeli, nel modo, che godono le Chiese di tutti gli Ordini di San Francesco: e finalmente 18. Maggio 1744. dichiarò, che tutte le Monache soggette agli Ordinarj godono le Indulgenze de' suoi respettivi Ordini, di cui recitano l' Officio, e professano l' Istituto. Et his non obstantibus, per parte delle Monache del terz' Ordine di San Francesco della Congregazione delle Elisabettine della Città di Vienna in Austria fu proposto il seguente dubbio: *An Indulgentiæ generaliter concessæ Ecclesiis Fratrum pariter & Monialium tum in diebus festivis Sanctorum Ordinis, tum in aliis hujusmodi solemnitatibus cunctæ & singulæ æque lucrari queant a Christifidelibus visitantibus Ecclesias Monialium, quæ Ordinariorum gubernio & jurisdictioni subsunt.* Et Sacra eadem Congregat. die 19. Augusti 1747. ad formam alterius Decreti diei 23. Februarii 1673. respondit, ac declaravit, *Gaudere*. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacr. Congregat. Secretarium die 26. ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum Sacræ Congregationis benigne approbavit. — Fr. J. Card. Portocarrero. — A. M. Erba Prot. Apost. Secr. — Cum vero pro parte Monialium Elisabethinarum præfatarum dubitatum fuerit: An ipsæ, earumque Ecclesiæ in præinserto favorabili Decreto comprehendantur, ex eo quod licet consueta vota substantialia Instituti & Ordinis S. Francisci profiteantur, attamen non divinum vigore proallegati Decreti 18. Maii 1744. sed B. M. V. Officium tantummodo recitant. Et eadem Sacr. Congregatio die 5. Febr. 1748. ejusmodi præposito dubio rescribendum censuit: *Consulendum Sanctissimo pro benigna declaratione*. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacr. Congregat. Secretarium die 2. Mensis Martii prædicti anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas sua votum Sacræ Congregat. approbando benigne annuit, ac ejusmodi declarationem, seu concessionem quibuscumque etiam reliquis Monialibus Instituti & Ordinis S. Francisci Assistinatis, earumque Ecclesiis suffragari voluit.

Fr. J. Card. Portocarrero Præfectus.

A. M. Erba Proton. Apost. Secret.

Die, mense, & anno, quibus supra, suprædictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ Innocentianæ, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, ut moris est, per me Josephum Batialem Apost. Curs.

Sebastianus Vasellus Mag. Curs.

21 Fratres, & Sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci, qui emissis tribus substantialibus Religionis votis collegialiter vivunt, gaudent omnibus Indulgentiis, quibus gaudent Fratres Minores primi Ordinis, & Moniales S. Claræ, ac ceteri alii Regulares, cum veri Religiosi, & Religiosæ existant; *Com-*
22 *munis, & certa*. Et si prædicti Tertiarii, & Tertiariæ subdantur nostro Seraphico Ordini, & nostro Superiori Generali, gaudent ipsi, & eorum Ecclesiæ omnibus Indulgentiis, quibus gaudemus nos Franciscani, & gaudent nostræ Ecclesiæ ex cit. concessione facta ab Innocentio XI. & approbata ab Innocentio XII. in dict. Constitutione incip. *Sua no-*
23 *bis*. Prædicti autem nostri Tertiarii, & Tertiariæ in propriis domibus sæcularibus habitantes gaudent in primis omnibus Indulgentiis Regularibus in communi concessis ex concessione Gregorii XV. Constit. incip. *Injuncti nobis*, edita 1621.
24 tertio Nonas Junii apud Lantuscam *in Regula Tertiariorum*. Secundo ex concessione Leonis X. Pauli V. Innocentii XI. & XII. gaudent omnibus Indulgentiis nostro Ordini Seraphico largitis, modo nostræ directioni subdantur, ut patet ex verbis Innocentii XI. & XII. in citat. Constitut. incip. *Sua nobis*, quæ cum plurima contineat ad rem facientia, hic ad literam datur.

Bulla Innocentii fel. recor. Papæ XII. executionem litterarum Apostolicarum, & communicationem privilegiorum, & Indulgentiarum etiam plenariarum inter Ecclesias, Loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & Personas utriusque sexus Obedientiæ, vel directioni Ministri Generalis de Observantia, & in specie Indulgentias Viæ Crucis, & Montis Calvarii concernens, Anno 1695. 17. Kalendas Januarii edita; & ad Archiepiscopum Valentinum actualem Inquisitorem Generalem, & Nuntium Hispaniarum directa.

INNOCENTIUS EPISCOPUS &c.

Salutem &c.

„ SUA nobis dilectus Filius Fr. Franciscus Diaz a S. Bonaventura Sacrarum Congregationum Indicis, Rituum, & super Disciplina, seu Reformatione Regularium Consultor, ac Missionariorum diversarum Provinciarum Ord. FF. Minorum Sancti Francisci Familiæ Ultramontanæ Procurator petitione monstravit, quod alias ad ipsius instantiam a fel. recor. Innocentio Papa XI. Prædecessore nostro Litteræ in forma Brevis sub die 5. Septembris de Anno Domini 1686. emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio privilegiorum, & Indulgentiarum etiam plenariarum, usque tunc non revocatarum inter Ecclesias, Loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & Personas utriusque sexus Obedientiæ, vel directioni Ministri Generalis Ordin. Fratrum Minorum Sancti Francisci subjectas a pluribus Romanis Pontificibus, ipsius Innocentii, et nostris etiam Prædecessoribus eisdem per diversa privilegia concessa, a qua communicatione, prout iteratis vicibus a Sede Apostolica extitit declaratum, resultare dignoscitur, quod, quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Ecclesia, aut una Confraternitas, seu quævis Congregatio, Ordove aliquarum e dictis personis aliqua Indulgentia, sive plenaria, sive non, applicabili per modum suffragii, vel non applicabili pro animabus Purgatorii, ad favorem earumdem tantum Personarum, vel omnium simul Christifidelium concessa, minime tamen revocata, qui in eo Loco, Altari, vel Ecclesia Confraternitatum in diebus in concessione expressis perfecerint, quod per eamdem concessionem fuerit præscriptum, in omni Loco, Altari, vel Ecclesia Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, et Personarum præfatarum, eadem Indulgentia ab omnibus respective acquiratur, qui iisdem diebus, eadem ibi emiserint diligentias in concessione taxatas. Verum sicut eadem petitio subjungebat prætendentibus nonnullis scrupulosis, quod in præfata communicatione generali comprehensa non veniant Loca, & Ecclesiæ Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis, existentium extra Jerusalem, ad tollendam de medio quæcumque dubia, fuit Nobis pro parte præfati Ordinis humiliter supplicatum, quatenus non esset exclusa præmemorata loca, et Ecclesiæ Terræ Sanctæ, et multo minus aliarum partium Orientis a communicatione mutua, et reciproca, quæ includitur in ea generalitate amplissima, sub qua loquuntur privilegia, et Constitutiones Pontificiæ præfatæ ad hoc, ut Indulgentiæ sæpe dictæ eisdem concessæ, et usque modo non revocatæ, obtineri valeant sine ullo dubio in aliis Ecclesiis, Altaribus, et locis piis, ac devotis spectantibus ad Personas præmemoratæ obedientiæ, vel directioni subjectas, stante quod Sanctæ Sedis mens fuit semper hæc omnia loca reddere æqualiter condecorata, et a fidelibus venerata, ob meritum æquale, uniforme, vel æquivalens, quod jam dictæ Personæ in Dei, et Sanctæ Ecclesiæ servitio peragunt de continuo, declarare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos vero præfatam Declarationem commissimus Congregationi dilectorum Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quæ sub die 16. mensis Julii currentis anni, perpensis prædictis Litteris dicti Innocentii XI. Prædecessoris nostri declaravit, prædicta Loca, et Ecclesias Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis extra Hierusalem esse comprehensa, sive comprehensas in dictis

„ dictis privilegiis, Indultis, et Indulgentiis, et deinde sub „ die 27. ejusdem mensis sententiam prædictæ Congregatio„ nis approbavimus, ut in decreto dictæ Congregationis de„ super edito latius continetur.

„ Sed quia adhuc post prædictum Decretum dubitabant „ nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit, stabilire, „ quod pia loca Viæ Crucis, seu Calvariæ ad recolendam, „ seu meditandam Christi Passionem a præmemoratis Perso„ nis, seu Ordinibus adinstar Stationum Calvarii Montis ju„ xta diversa etiam privilegia S. Sedis erecta, comprehensa „ sint in præfata mutua communicatione, eadem Congrega„ tio sub die mensis Novembris mox elapsi declaravit, etiam „ præfata pia loca comprehendi in sæpe dictis Litteris Inno„ centii XI. prædecessoris nostri, ac proinde frui, & gaude„ re posse Indulgentiis, & Privilegiis in eisdem Litteris con„ tentis, & expressis, ac nos sententiam præmemoratæ Con„ gregationis sub die 15. ejusdem mensis Novembris pariter „ benigne approbavimus, sicuti in Decreto præfatæ Con„ gregationis desuper similiter emanato plenius continetur. „ Cum autem sicut dicta petitio etiam subjungebat, idem ex„ ponens pro majori, tam præfatorum Missionariorum, quam „ ceterarum Personarum præmemoratarum quiete, cupiat, „ ut Litteræ prætatæ, ac declarationes, & Decreta a memo„ rata Congregatione cum nostra approbatione desuper ema„ nata, suum ubique sortiantur effectum, non obstante for„ san sinistra interpretatione nonnullorum Religiosorum alio„ rum Ordinum mendicantium in illis partibus commoran„ tium adversariorum, quod facere nequit absque speciali „ nostro rescripto, ideo ne Litteræ, & declarationes, ac „ Decreta hujusmodi suo debito careant effectu, Nobis hu„ militer supplicari fecit, exponens prædictus, ut ei in præ„ missis opportune providere de simili benignitate Apostoli„ ca dignaremur. Nos igitur statum, merita causæ, & causarum hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, „ ipsumque exponentem a quibusvis Excommunicationis, „ suspensionis, & interdicti, aliisque Censuris, & pœnis „ Ecclesiasticis a Jure, vel ab homine, quavis occasione „ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effe„ ctum præsentium tantum consequendum, harum serie ab„ solventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus „ inclinati, Discretioni vestræ, attento, sicut dictus expo„ nens asserit, quod agitur inter exemptos, per Apostolica „ scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus ve„ strum, vocatis dictis adversariis, & aliis, qui fuerint evo„ candi, ad executionem memoratarum Litterarum, ac de„ clarationum, nec non Decretorum hujusmodi, juxta illo„ rum formam, & tenorem, prout de jure, & dummodo „ judicium super præmissis alibi cæptum non sit, auctorita„ te nostra, procedatis, procedique mandetis; & faciatis. „ Nos enim vobis, & cuilibet vestrum etiam per Edictum „ publicum, constito de non tuto accessu, quos, quibus, „ quoties, ubi, quando opus fuerit, citandi illis, & qui„ bus videbitur, sub sententiis, Censuris, & pœnis inhiben„ di, contradictores in illas incidisse, servatis forma Conci„ lii Tridentini, declarandi, aggravandi, reaggravandi, & „ interdicendi, auxiliumque brachii sæcularis ad hoc, si „ opus fuerit, invocandi, nec non alia in præmissis necessa„ ria, & opportuna faciendi, exercendi, exequendi plenam, „ & liberam, Apostolica auctoritate, tenore præsentium „ concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis, ac „ Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceteris„ que contrariis quibuscumque.

„ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incar„ nationis Dominicæ 1695. decimo septimo kalendas Janua„ rii, Pontificatus nostri Anno quinto.

Hæc Bulla videri potest in Breviario nostro Francisçano in Rubricis particularibus num. 182. & sequent.

Insuper Paulus V. Constitut. incip. *Cum certa*, Data Romæ apud S. Petrum die 11. Martii 1607. concessit etiam sequentes Indulgentias Tertiariis directe, & specifice etiam in propriis domibus viventibus.

25 I. Die, quo recipiunt Habitum, vel chordam benedictam a Superiore Ordinis in memoriam S. Francisci, si contriti, & confessi Eucharistiam sumpserint, Indulgentiam plenariam lucrantur.

II. Eodem modo in Festo primario Ordinis lucrantur Indulgentiam plenariam.

III. In articulo mortis invocato Nomine Jesu, plenariam.

IV. Qui assistunt, & sequuntur Processionem chordæ omni mense fieri solitam, lucrantur Indulgentiam 3. annorum, & totidem Quadragenarum. Si autem confessi communicaverint, plenariam.

V. Qui confessi, & Sancta Communione refecti visitaverint Ecclesias Fratrum Minorum in Festis S. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Ludovici, S. Bernardini, S. Bonaventuræ, S. Claræ, lucrantur Indulgentias septem annorum, & totidem Quadragenarum, præter Indulgentias plenarias a Sixto V. concessas.

VI. Qui assistunt Officio B. M. V. dum legitur in Oratorio, lucrantur Indulgentias 100. dierum.

VII. Qui comitantur Sanctissimum Sacramentum, dum portatur ad infirmos, lucrantur Indulgentiam quinque Annorum, & totidem Quadragenarum.

VIII. Qui comitantur sepulturam mortuorum, dant eleemosynam pauperi, conciliant pacem inter inimicos, toties, quoties pro quolibet istorum operum impetrant Indulgentias 100. dierum.

IX. Conceditur, quod Fratres prædicti, & Sorores possint has gratias spirituales consequi, & illas applicare animabus Purgatorii per modum suffragii.

Ita Kilianus Kazenberger *in Supplem. Theolog. Sacramental. Patritii Sporer cap. 3. quæst. 2. §. 7. num. 106.* Engelbertus Pauch *in tertia Seraphica Vinea cap. 25. num. 112.* citans etiam P. Angelum Lantuscam *fol. 86. in Idiomate Italico*.

Fratres, & Sorores Tertii Ordinis S. P. N. Francisci de 26
pœnitentia semel in mense lucrantur Indulgentias 560. dierum, dum conveniunt ad Congregationem mensruam & ibidem audiunt legi suam Regulam, vel ejusdem explicationem. Ita concessit Clemens V. 8. Maii 1305. Constitutione incip. *Cum illuminatum*, quæ hic ad literam subnectitur.

CLEMENS EPISCOPUS &c.

Dilectis in Christo Filiis, & Filiabus, Fratribus, & Sororibus Venerabilis Tertii Ordinis de pœnitentia salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM illuminatum sit cor nostrum, & illustratum Spiritu Sancto, cum affectu devoto, & pietate concedendi liberaliter, & donandi cum prompta manu, beneficia Locis piis, & devotis Personis, specialiter dilectis Fratribus, & Sororibus Venerabilis Tertii Ordinis Sancti Francisci, in omni parte Terrarum, ubi degunt, in quali Ordine certo reperiuntur multa beneficia pro salute animarum. In respectum tanti Ordinis totum mundum illuminantis, ad dicti Venerabilis Ordinis majorem exaltationem, & honorem, virtute præsentium Litterarum manifestum sit omnibus Fratribus, & Sororibus dicti Ordinis, quod omni vice, quando conveniunt insimul saltem quo ad majorem numerum, in uno deputato loco, & ibidem legitur dicta regula, vel de ista Regula fiat memoria, vel mentio etiam peregrinis, & extraneis, qui non sunt de ista Regula, considerando illorum merita: Concedimus ex jugi Fonte Divinæ gratiæ 560. dierum Indulgentias pro singulis, una vice, in mense quando lecta erit ista Regula. Datum Burdigalæ in Francia die 8. Mensis Maii 1305. Pontificatus nostri anno secundo.

Hoc Breve videri potest apud P. Lantusca Idiomate Italico fol. 34. de Reg. 3. Ordinis, & apud P. Engelbertum Pauck in 3. Seraphica vinea cap. 16. num. 71. 27

Tertiarii utriusque sexus intra, vel extra Claustra moram trahentes, qui tria vota substantialia Religionis non emittunt, frui queunt Indulgentiis relatis in Constitutione: *Dum præexcelsa*, a Leone X. die 19. Junii 1515. promulgata per eumdem Pontificem in Brevi *Dudum*, die 10. Decembris 1519. ad eosdem extensis; idemque dicendum de aliis similibus, ex Decreto præmemoratæ Congregationis Reliquiis, & Indulgentiis præpositæ, quo declaravit Personas substantialia Religionis vota non emittentes sive intra, sive extra Claustra degentes, minime comprehendi in revocatione generali Indulgentiarum a Paulo V. die 23. Maii 1606. in Brevi *Romanus Pontifex*, præscripta. Quam declarationem per Breve *Alias*, incipiens, Apostolico robore munivit sanmem. Innocentius XI. die 20. Octobris 1686. Ita habetur *in*

Rubri-

Rubricis particularibus nostri novissimi Breviarii Franciscani
28 *num.*173. Tertiarii nostri etiam in sæculo degentes, & nostræ directioni subjecti possunt uti nostro Franciscano Breviario; Id enim præscribunt Rubricæ particulares nostri novissimi Franciscani Breviarii *sub n.*1. 2. 4. 21. *&* 22. Vide verb. *Officium Divinum art.*3. *n.*17. *& seq.*

29 Chordigeri eximiis Indulgentiis fruuntur, prout apparet in Constitutione Sixti V. incip. *Divinis caritatis*, & in Const. Paul. V. incip. *Nuper Archiconfraternitati Chordigerorum*, quæ habetur ad litteram verb. *Confraternitas art.*1. *num.*20., *&* 21. Præterea Chordigeri ex concessione Gregorii XV. in
30 Brevi incipient. *Pias Christi* 10. *Novembris* 1622. lucrari possunt etiam illas Indulgentias, quas Paulus V. concessit omnibus Regularibus 23. Maii 1606. Constit. incip. *Romanus Pontifex*, adducta *supra art.*4. *numer.*7. Insuper Chordigeri
31 lucrari possunt omnes Indulgentias Fratribus Minoribus directe, & in specie concessas, & non revocatas (non item alias eis per extensionem, vel communicationem quomodovis competentes.) Ita Clemens VIII. Constit. incip. *Quæcumque a Sede* 1604. 7. *Decembris* telte Lantusca *in Teatro*
32 *Regul. verb. Confraternitas num.*4., *&* 5. Unde Chordigeri lucrari possunt Indulgentias *Stationis Sanctissimi Sacramenti*, Indulgentias *Coronæ B. Mariæ Virginis*, Indulgentias *Coronæ Domini Nostri Jesu Christi*, Indulgentias *Orationis Mentalis*, Indulgentias *Doctrinæ Christianæ*, Ita Engelbertus Pauch *in tertia Seraphica Vinea cap.*21. *num.* 93. Kazenberger *loc. cit.*
33 *num.*113., & alii passim. Ulterius Chordigeri gaudent in articulo mortis *privilegio Absolutionis Generalis* ex concessione Clementis VIII. Constit. incipient. *Quæcumque a Sede*, Pauli V. Constitut. incip. *Cum certas*, & Gregorii XV. Constit. incip. *Injuncti nobis*; Item *communicatione meritorum nostri Ordinis*; Kazenbergez *loc. cit. numer.* 113., & alii communiter.

34 Hinc quantum ad Indulgentias Confratrum Chordæ S. P. N. Francisci, & Fratrum Tertii Ordinis de Pœnitentia edita fuit ab Innocentio XI. 15. *Maii* 1688. sequens Constitutio.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Venerabilis Frater, & Dilecti Filii salutem, & Apostolicam Benedictionem.

EXponi nobis nuper fecit Dilectus Filius Frater Franciscus Diaz a S. Bonaventura in Romana Curia pro Familia Ultramontana obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis totius Ordinis FF. Minor. subjecta, Commissarius Generalis, quod alias ad favorem dilectorum Filiorum utriusque sexus Confratrum Chordæ Sancti Francisci, & Fratrum Tertii Ordinis de Poenitent. emanarunt a diversis Pontificibus Prædecessoribus nostris Litteræ in forma Brevis expeditæ, Primo a fel. rec. Paulo Papa V. *sub die* 25. *Septembris* 1607. *incipientes Verbo*: Nuper &c. Secundo a piæ mem. Gregorio XV. 26. Junii 1622. *incipientes Verbo*: Alias &c., & continentes tenorem aliarum bon. memor. Sixti V. etiam Prædecessoris nostri. Tertio, *ab eodem Papa Gregorio XV.* 10. Novembris 1622. *incipientes*: Pias Christi &c. Quarto, a piæ mem. Alexandro Papa VII. *pariter Prædecessore nostro* 28. *Junii*, *ac postmodum* 5. *Septembris* 1666. *quibus inter alia communicantur inter ipsos sexus utriusque Tertiarios*, & Confratres, seu cum ipsis Tertiariis, ac Confratribus Religiosis diversorum Ordinum, & conceduntur, seu confirmantur diversa Privilegia, statuta, concessiones, & Indulgentiæ, illæ præcipue pro recitatione Coronæ B. Mariæ Virginis a dicto Paulo V. 8. Junii 1608. Et pro Statione Sanctissimi Sacramenti: Et exercitio Viæ Crucis, etiam a Nobis, præviis supradictis Litteris, sub dictis diebus 28. Junii & 5. Septembris impartitæ, & innovatæ; immo etiam Decreta (a Congregatione Indulgentiis & Reliquiis præposita) sub diebus 14. Januarii, & 15. Julii 1681. formata. Et licet a nemine Litterarum, Privilegiorum, Statutorum, Concessionum hujusmodi, & Indulgentiarum executio impediri valeat (etiam non obstantibus quibuscumque conditionibus, vel oblocutionibus Superiorum quorumvis Ordinum, maxime in Angelo-Politana, & Mexicana Diœcesibus) nihilominus idem exponens pro interesse, & indemnitate dicti Ordinis Minorum cujus directioni præfati Fratres, & Tertiarii sunt subjecti, & ad quem vigore præfatæ nostræ Confirmationis, directe concessiones extenduntur, ne Litteræ, Privilegia, Statuta, Concessiones, & Indulgentiæ præfatæ debito fruantur effectu, Nobis humiliter supplicari fecit, ut ei in præmissis opportune de benignitate Apostolica dignaremur providere. Nos igitur statum, & merita causæ, & causarum, Litterarum, Privilegiorum, Statutorum, Concessionum, & Indulgentiarum hujusmodi tenores, præsentibus pro expressis habentes, ipsumque exponentem, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis (a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis) si quibus, quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestræ, attento, quod sicut dictus exponens asserit, agitur inter exemptos, per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos, vel duo, vel unus vestrum, vocatis ad id (qui fuerint evocandi) ad dictarum Litterarum, Privilegiorum, Statutorum, Concessionum, & Indulgentiarum hujusmodi executionem, juxta illarum, seu illorum seriem, & tenorem, prout de Jure, auctoritate nostra procedatis. Nos enim vobis, & cuilibet vestrum, quoties, & quot fuerit opus citandi, illisque, & quibus videbitur, sub sententiis, censuris, & pœnis inhibendi, ac inobedientes in illas incidisse, servata forma Concil. Trid. declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, ceteraque in præmissis necessaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi Apostolica Auctoritate, plenam, & liberam (tenore præsentium) concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis Constitutionibus, & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris 15. Maii 1688. Pontificatus nostri anno decimo tertio.

Superscriptio erat.

Ven. Fr. Episc. Angelo-Politano, & Dilectis Filiis Nostro, & Sedis Apost. Nuncio in Regnis Hispaniarum residenti, ac Scholastico Ecclesiæ Salmantic. & eorum cuilibet.

Hæc Bulla videri potest ap. B. Engelbert. Pauck in 3. *Seraphica Viena cap.* 19. *num.*80., *& apud Kazenberger in Append. Alphabetica verb. Indulgentiæ Confratrum Chordæ S. Francisci, & Fratrum Tertii Ordinis de Poenit.*

* Hic tamen opportune notandum occurrit, quod novissime Benedictus XIV. Constit. 41. *tom.III. Bullarium* incip. *Ad Romanum Pontificem* Indulgentias concessas Fratribus, & Sororibus Tertii Ordinis Sæcularis de Pœnitentia S. Francisci, sive collegialiter viventibus, sive in domibus privatis, reformavit, & cæteris omnibus revocatis alias denovo concessit, quas sigillitatim *ibidem* enumerat. Sunt autem ejusmodi.

Indulgentia plenaria confessis, & Sacra Eucharistia refectis ea die, qua in ordinem ingrediuntur.

Item plenaria confessis, & communione refectis die festo S. Francisci, 4. Octob. S. Claræ, Sancti Titularis Ecclesiæ Oratorii, vel Cappellæ ejusdem Tertii Ordinis, die Dedicationis S. Mariæ Angelorum de Portiuncula, dummodo Ecclesiam ipsam visitaverint, & de more oraverint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis constitutis confessis, et communione refectis, et ore, vel si non potuerint ore, saltem corde nomen Jesu invocantibus.

Visitantibus Ecclesiam Tertii Ordinis, seu Oratorium, sive Cappellam diebus Stationum in Missali Romano descriptis, ibique orantibus de more, indulgentiæ illæ conceduntur, quas prædictis diebus visitantes Ecclesias Urbis, & extra eam, consequuntur.

Confessis, & Sacra Communione refectis in festo stigmatum S. Francisci, S. Ludovici Gallarum Regis, S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ, itemque S. Elisabeth Hungariæ Reginæ, S. Margaritæ de Cortona, atque in duodecim aliis anni feriatis, vel Dominicis diebus ad libitum, eligendis, & a Superioribus Ordinis approbandi, & visitantibus ac orantibus, ut supra, qualibet earum dierum, septem annorum, & totidem quadragenarum indulgentiæ.

Itidem centum dies indulgentiarum lucrantur toties quoties interfuerint Missis, aut Divinis Officiis in Ecclesia, ut supra, celebrandis, seu Congregationibus publicis, vel privatis ejusdem Tertii Ordinis ubivis faciendis; cum pauperes hospitio susceperint, pacem composuerint, vel procuraverint, corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, aut Processiones de licentia Ordinarii faciendas, SS. Eucharistiæ Sacramentum tam in Processionibus, quam cum ad infirmos defertur, vel saltem si sint impediti ad signum campanæ Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, sive pro Ecclesiæ necessitatibus, sive pro defunctis fratribus, & sororibus recitaverint.

Item si peccantem ad Pœnitentiam redegerint; Doctrinam Christianam rudes docuerint. Tandem quoties opus aliud pietatis, vel caritatis exercuerint.

Ad rem liceat adhuc adnotare sequentia.

Indulgentiæ pro Fratribus Tertii Ordinis S. Francisci de S. Paula conceduntur a Pontifice ad instar fere Indulgentiarum pro illis, qui Tertium Ordinem S. Francisci de Assisio profitentur, excepto quod Indulgentiam plenariam consequuntur in festo S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, & in Festo Omnium Sanctorum, si visitaverint Ecclesiam aliquam Ordinis, si ibi sit, & in defectu, unam aliquam Civitatis, vel loci, ubi degunt. Ceteræ Indulgentiæ eædem omnino sunt ac superiores pro Tertiariis S. Francisci Assisiensis. Quoad Chordigeros S. Francisci de Paula cingulum tantummodo benedictum ab aliquo Fratre ejus Ordinis, vel ab alio deputato a Superioribus ejusdem Ordinis deferentes, die, qua cingulum assumunt confessi, & Sacra Communione refecti plenariam Indulgentiam consequuntur, sicut & plenariam in Festo S. Francisci de Paula, visitantes, ut supra; ac denique plenariam in articulo mortis, eo modo quo Tertiarii S. Francisci Assisiensis. Quotidianam etiam Indulgentiam centum dierum consequuntur, si in honorem Domini Nostri Jesu Christi, & SS. Apostolorum preces effuderint. Denique Chordigeri illi, sicut, & Tertiarii, pro quolibet bono opere sexaginta dierum Indulgentiam consequuntur, in quo differunt a Tertiariis S. Francisci Assisiensis, qui centum dies lucrantur. Easdem omnes Indulgentias applicare pro defunctis possunt. Ita ex Bulla pro Indulgentiis Tertiariorum S. Francisci de Paula, incip. *Inexhausti*, Bullar. *t.*3. *n.*56. *

35 Benefactores nostri Seraphici Ordinis maximas Indulgentias consequuntur. Clemens enim VII. imprimis in Constitut. incip. *Dum consideramus* 16. *Aprilis* 1526. apud Kazenberger *in supplemento Theolog. Sacrament. Patritii Sporer cap.*2. *quæst.*2. §.8. *num.*107. apud Matthæucci, *in Officiali Curiæ Regularis cap.* 31. reperienda, sic loquitur: *Dum consideramus assiduos labores, & vigilias, quas dilecti Filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Monasteriorum Fratrum Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ, & Monialium S. Claræ, Conceptionis, Annuntiationis Ordinum, & Sororum tertiæ Regulæ S. Francisci sustinere non cessant, merito nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus, idcirco uni Syndico, & Procuratoribus hujusmodi, cum illius uxore, & liberis, præsenti, & futuro, singulæ Domui, & Monasterio prædictis pro tempore servientibus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, ipsi, & eorum quilibet, omnibus, & singulis Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Observantiæ prædictorum utuntur, potiuntur, & gaudent, seu uti, potiri, & gaudere possint, & valeant, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus.*

36 *Alexander VI.* concessit, ut Medici ordinarii Fratrum Minorum, & Sororum S. Claræ habeant eadem privilegia, & gratias, quibus gaudent Syndici, & Procuratores prædictorum Fratrum. *Martinus IV.* concessit tam Procuratoribus, quam Advocatis, qui in Curiis Ecclesiasticis, & civilibus, seu Sæcularibus, laboraverint pro defensione Ordinis Fratrum Minorum, Ecclesiarumque ejusdem Ordinis, singulis annis Indulgentiam centum dierum. Idem *Martinus IV.* concessit cunctis Fidelibus, qui manus adjutrices porrexerint ad construendas Ecclesias, vel Monasteria Ordinis Fratrum Minorum, ac omnibus qui sepulturam elegerint in Cœmeteriis, ac Claustris præfatorum Fratrum, Indulgentiam quadraginta annorum. *Nicolaus IV.* concessit omnibus porrigentibus manus adjutrices pro fabricis Monasteriorum Fratrum Minorum 40. annos Indulgentiæ. *Innocentius IV.* 40. die. *Nicolaus IV.* totidem. *Clemens IV.* centum dies, & sunt in summa 180. dies. *Alexander IV.* concessit omnibus recipientibus Fratres Minores viatores in domibus suis, & ministrantibus eis alimenta, & solventibus Naulä, seu passalia, ac alia pietatis obsequia dictis Fratribus exhibentibus, Indulgentiam 40. annorum. *Innocentius VIII.* concessit, ut Procuratores Fratrum Minorum, eorumque substituti, liberi, parentes, fratres, sorores, & uxores possint promereri Indulgentias Stationum, & alias Fratribus concessas, dicendo in Ecclesiis Fratrum prædictorum quinque Pater noster, & totidem Ave Maria pro felici statu Romanæ Ecclesiæ. *Julius II.* concessit, seu declaravit, quod verba in privilegiis Fratrum Minorum contenta, scilicet quod visitantes suas Ecclesias, & manus porrigentes adjutrices consequantur Indulgentias tales, vel tales, referantur etiam ad facientes eleemosynas de pane, ac aliis pro eorum victu, & vestitu, & domorum suarum reparatione necessariis.

Porrigentibus manus adjutrices ad fabricam Ecclesiarum 37
Fratrum Minorum juxta possibilitatem suam concessa est in articulo mortis, remissio omnium peccatorum. Item concessi sunt centum viginti anni pro qualibet re, quolibetque beneficio, quæ locis, vel Monasteriis Fratrum Minorum largiuntur. Ultra hoc propter communicationem privilegiorum Fratrum Prædicatorum sunt concessi amplius 79. anni, & in summa sunt ducenti anni uno minus. Ita apud Casarubios *in Compendio nostrorum privilegiorum, aliorumque Mendicantium verb. Indulgentia quoad sæculares* §. 4. Insuper consequuntur propter communicationem privilegiorum omnes alias Indulgentias concessas benefactoribus quorumcunque aliorum Regularium.

Clemens IV. concessit morientibus cum Habitu Fratrum 38
Minorum, & qui cum eo elegerint sepeliri, remissionem tertiæ partis omnium suorum peccatorum. Idem concessit Nicolaus III. Idem Urbanus V. Alexander VI. extendit eamdem Indulgentiam ad mulieres suscipientes ante mortem, vel post mortem Habitum S. Claræ. Leo autem X. confirmavit, & de novo concessit easdem Indulgentias, & insuper concessit Indulgentiam plenariam omnibus morientibus, & sepeliri eligentibus in dicto Habitu, & in Habitu Sororum Tertiæ Regulæ S. P. N. Francisci sub obedientia ejusdem Ordinis degentium, & declaravit sufficere Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. Ita apud Casarubios *loc. cit. §. 6.* Kazenberger *loc. cit. num.*109. Ad lucrandas tamen has Indulgentias necesse est recipere talem Habitum 39
a Guardianis, seu aliis Prælatis Superioribus, vel ab aliis ad id destinatis. Sixtus IV. Constitut. incip. *Sacri* Unde prædictum Habitum dare non potest subditus, neque Confessarius Monialium, neque quivis alius, nisi id sibi a Prælato fuerit concessum. Kerckhove *in statuta generalia nostra cap.*4. §.3. *& seq.* Kazenberger *loc. cit. num.* 109. Petentes autem, & 40
suscipientes dictum nostrum Habitum possunt quidem dare nobis eleemosynam pro ipso Habitu Religioso, non tamen pro ipsa Indulgentia consequenda, alias hæc esset revocata per S. Pium V. qui in Constit. incip. *Etsi Dominici, sexto kalendas Februarii* 1567. revocavit omnes Indulgentias, ratione quarum datur aliqua eleemosyna. Kazenberger *loc. citat.* Kerckhove *loc. cit.* Rodriquez *art.* 10. *tom.*2. *qq. Regul.q.*76. Lantusca *Theatr. Regular. verb. Habitus numer.* 5., & alii passim.

Habitum Fratrum Minorum, sicut, & aliorum Mendican- 41
tium osculantes lucrantur quinque annos, & totidem Quadragenas de injunctis Pœnitentiis ex concessione Jo: XXIII. facta Ordini Prædicatorum, & consequenter omnibus aliis Mendicantibus ratione communicationis Privilegiorum. Casarubios *loc. cit. §. 6. num.*9. Kerckhove *loc. cit. num.* 8. Kazenberger *loc. cit. num.*109. Lantusca *loc. cit. numer.* 10. Rodriq. *loc. cit. quæst.* 77. *art.* 14. Portell. *verb. Habitus in addition. numer.* 4., & alii communiter * Vide tamen infr. *num.*48. * Quam indulgentiam lucrari possunt iidemmet Re- 42
gulares, quia conceditur omnibus Christifidelibus Habitum osculantibus, inter quos non debent esse deterioris conditionis ipsi Regulares. *Communis.* Urbanus VIII. concessit, ut Generales, & Provinciales totius Ordinis Minorum pos- 43
sint communicare Suffragia, Indulgentias, Orationes, & Bona spiritualia Benefactoribus Ordinis. Casarubios *loc. citat. §.4. num.6.* & communis aliorum, & sic tenet praxis quotidiana.

Omnes nostræ Ecclesiæ, ac Monialium nostri Instituti qua- 44
dent indulgentiis plenariis perpetuis concessis pro omnibus Christifidelibus a primis Vesperis usque ad occasum Solis Festis diebus sequentibus, scilicet.

Die 16. Januarii pro Festo SS. Berardi, & Sociorum Prot. Ordinis Minorum ex concessione Benedicti XIV. 18. *Octobris* 1741.

Die 5. Februar. pro Festo Ss. Baptistæ, & Socior. Mart. ex concessione Clementis XII. 13. *Julii* 1739.

Die 22. Februar. pro festo s. Margaritæ de Cortona concessa a Bened. XIII. 26. *Julii* 1728.

Die 9. Martii pro festo s. Catharinæ Virginis de Bononia concessa a Clemente XI. die 21. *Martii* 1714.

Die 13. Maii pro festo s. Petri Regalati concessa a Bened. XIV. 23. *Augusti* 1746.

Die 17. Maii pro festo s. Paschalis Baylon concessa ab Alexandro VIII. 7. *Septembris* 1690.

Die 20. Maii pro festo s. Bernardini Senensis concessa a Sixo V. 28. *Sept.* 1585.

Die 13. Junii pro festo s. Antonii de Padua concessa a Sixto V. 28. *Septembris* 1585.

Die 19. Junii pro festo s. Michelinæ Tert. Ord. ex concessione Clementis XII. 27. *Septembris* 1737.

Die 9. Julii pro festo BB. Nicolai, & Sociorum Mart. ex concessione Bened. XII. 6. *Decemb.* 1728.

Die 14. Julii pro festo s. Bonaventuræ concessa a Sixto V. 28. *Septembris* 1585.

Die 24. Julii pro festo s. Francisci Solani concessa a Benedicto XIII. 14. *Augusti* 1727.

Die 2. Aug. pro festo Portiunculæ concessa immediate a Christo Domino, ut declaravit Benedictus XII. apud Casarubios *loco cit. verb. Indulgentia quoad Sæculares* §. 1. *num.* 13. de qua plura infra.

Die 12. Aug. pro festo s. Claræ Virginis concessa a Sixto V. 82. *Septembris* 1585.

Die 19. Augusti pro festo s. Ludovici Episcopi Tolosani concessa a Sixto V. 28. *Septembris* 1585.

Die 25. Augusti pro festo s. Ludovici Regis ex novissima concessione Benedicti XIV. 17. *Maii* 1755. Vide infra *numer.* 80.

Die 4. Septembris pro festo Translationis S. Rosæ Viterbiensis Virginis concessa a Clemente XI. 14. *Jan.* 1701.

Die 17. Sept. pro festo Sacrorum Stigmatum S.P.N. Francisci, ex concessione Clementis XII. *Aug.* 1731.

Die 4. Oct. pro festo S.P.N. Francisci concessa a Sixto V. 28. *Septembris* 1585.

Die 13. Octob. pro festo Ss. Danielis, & Socior. Mart. ex concessione Clementis XII. 13. *Junii* 1739.

Die 19. Octobr. pro festo s. Petri de Alcantara concessa a Clemente IX. 2. *Octobris* 1669.

Die 23. Octobris pro festo s. Joannis a Capistrano concessa ab Alexandro VIII. 5. *Decembris* 1690.

Die 12. Novembris pro festo s. Didaci Confessoris concessa a Clemente VIII. 26. *Martii* 1598.

Die 19. Novemb. pro festo s. Elisab. Reginæ Hungariæ ex novissima concessione Benedicti XIV. 17. *Maii* 1755.

Die 27. Novemb. pro festo Omnium Sanctorum Ordinis, ex novissima concessione Clementis XIII. An. 1765. Vide infra *num.* 81.

Die 28. Novembris pro festo s. Jacobi de Marchia concessa a Benedicto XIII. 14. *Augusti* 1727.

Die 8. Dec. pro festo Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ concessa a Benedicto XIII. 12. *Decembris* 1729.

Pro Festo B. Ludovicæ de Albertonibus 31. Januarii gaudent Nostræ Ecclesiæ Indulgentia Plenaria concessa ad annos 14. a Clemente XI. 22. *Decembris* 1714., & solet renovari, & reconcedi post ipsos elapsos ad alios 14. annos, uti novissime fuit renovata, & reconcessa ad alios 14. annos a Benedicto XIV. 27. *Novembris* 1744.

45 Omnes Fideles assistentes Divinis Officiis in nostris, & aliis Ecclesiis in Festo, & Octava Corporis Christi lucrantur sequentes Indulgentias; scilicet pro Missa 400. dies, pro Matutino 400. dies, pro qualibet Vespera 400. dies, pro qualibet hora parva 160. dies; Et in quibuslibet infra octavam diebus pro singulis Matutinalium, Missarum & Vesperarum 200. dies, ac pro reliquis horis 80. dies. Item sequentibus Processiones, & Missas devote celebrantibus, tam in Festo, quam in aliis Octavæ diebus pro pace, ac tranquillitate Ecclesiæ, ac Sacramentum in Festo hujusmodi lumentibus, conceduntur ducenti dies Indulgentiæ. Sic ex concessione Urbani IV., Martini V., Eugenii IV., aliorumque Pontificum, refert Casarubios *in Compendio privilegiorum*, *verb. Indulgentiæ quoad Sæculares* §. *Septimo numer.* 2. ut videri potest quoad hoc Bulla Eugenii IV. incip. *Excellentissimum*, Bulla Urbani IV. incip. *Transiturus*, Bulla Martini V. incip. *Ineffabile Sacramentum*.

Sixtus IV. Const. incip. *Cum præexcelsa*, supradictas Indulgentias concessas pro Festo Corporis Christi, concessit etiam pro Festo, & Octava Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ in nostris Ecclesiis. Ita *Rubricæ particulares nostri Breviarii Francisceni num.* 51.

Clemens VIII. Constitut. incip. *Sacratissimi Nominis* easdem indulgentias concessit pro festo dulcissimi, & Sacratissimi Nominis Jesu, dummodo assistentes Divinis Officiis dicant 5. Pater, & Ave pro felici statu Romani Pontificis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ adversus Mahumeticam, & Lutheranam perfidiam, ac universali Principum, & aliorum Fidelium pace. Ita *Rubricæ citatæ n.* 53.

Bonifacius IX. 1390. pro festo Visitationis Beatissimæ Virginis Mariæ concessit easdem indulgentias, quæ sunt concessæ pro festo Sanctissimi Corporis Christi Domini Nostri.

Callistus III. 1457. pro Festo Transfigurationis D. N. J. C. concessit assistentibus Divinis Officiis in nostris Ecclesiis easdem indulgentias, quæ sunt concessæ pro Festo Corporis Christi. Ita apud Kazenberger *loc. cit. cap.* 3. *quæst.* 2. §. 3. *num.* 94.

Alexander IV. concessit visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum causa devotionis qualibet hora diei 40. dies. *Innocentius IV.* concessit similiter 40. dies. *Clemens IV.* concessit centum dies. *Nicolaus III.* centum dies. *Urbanus V.* centum dies. *Nicolaus IV.* concessit Indulgentiam unius anni, & quadraginta dierum. *Alexander IV.* concessit omnibus venientibus ad horas Canonicas in Ecclesiis Fratrum Minorum, infra annum singulis diebus, vel ad audiendam Missam, vel Concionem, Indulgentiam centum dierum pro quolibet vice.

Alexander IV. Nicolaus III. Innocentius IV., & Benedictus XI. concesserunt a Feria 4. Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis inclusive visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum semel in die causa devotionis de Indulgentia annos universim 122., & dies 576. visitantibus autem quando prædicatur feria 2. 4. & 6. add tur Indulgentia annorum 6., & dierum 26. Urbanus vero IV. concessit omnibus visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum in Quadragesima Indulgentiam quadraginta annorum. Ita ex Casarubios, Kazenberger *loc. cit. num.* 95.

Visitantes Ecclesias Fratrum Minorum in Festivitatibus Domini Nostri, & Dominæ Nostræ, B. Joannis Baptistæ, Apostolorum, B. Francisci, omniumque Sanctorum dicti Ordinis ex concessione diversorum Summorum Pontificum lucrantur pro qualibet prædictarum Festivitatum indulgentiam mille tercentorum quadraginta annorum, quadringentarumque quadraginta, & sex Quadragenarum, atque triginta, & unius diei, ut summarie notat Casarubios *in compen- privilegiorum*, *verb. Indulgentiæ quoad Sæculares* §. 1. *numer.* 19. *litt. C.* ubi addit, quod in alia summa extracta, ex libro intitulato *Firmamenta trium Ordinum* habetur subsequenti modo: Summa Indulgentiarum Festivitatum Domini 47
Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctissimæ Matris, ac etiam S. P. N. Francisci, & Sanctorum Ordinis ascendit annos quingentos quadraginta & octo, & dies ducentos sexaginta.

Sæculares facientes celebrari Missas, & alia Divina Offi- 48
cia in Ecclesiis Fratrum Minorum lucrantur mille dies Indulgentiarum. Ita Emmanuel Rodriquez *quæst.* 95. apud Sanig. *de Sacramentis dist.* 13. *quæst.* 3. *num.* 8. Kazenberger *loc. cit. numer.* 108. Audientes Concionem Fratrum Minorum, aliorumque Regularium privilegiatorum lucrantur Indulgentiam quindecim annorum, ex concessione Gregorii IX. apud Kazenb. *loc. cit. num.* 95. Et si talem concionem in Ecclesiis Regularium audiant feria 2. 4., & 6. Quadragesimæ lucrantur indulgentiam centum triginta octo annorum ex concessione Alexandri, & Nicolai III. Innocentii, & Alexandri IV. et Benedicti XI. apud Vivam *in Appendice Indulgentiarum* §. *ultim.* * De indulgentiis concessis osculantibus habitum Regularium (*Vide super num.* 41.) et eorumdem Regularium Concionem audientibus dubitare non leviter videtur P. Minderer *part.* 1. *Confer.* 3. *Collig.* 4. *numer.* 351., *& part.* 2. *Confer.* 8. *Collig.* 15. *num.* 501. * Tales Concionatores Regulares, ut ex Casarub. Miranda, et Diana tradit Gobat, *tract.* 4. *de Indulgent. cap.* 28. *num.* 561. etiam quando concionantur extra Templum sui Ordinis, possunt pro singulis concionibus

nibus impertiri suis auditoribus indulgentias 18. annorum, et 222. dierum, dummodo expresse addant, se id facere nomine Pontificis.

49 Indulgentia Portiunculæ Assistatensis est immediate a Christo Domino concessa. Ita Benedictus XII. apud Casarubios verb. *Indulgentiæ quoad Sæculares* §. 1. *num.* 13. Gobat *part.* 2. *de Indulgent. cap.* 9. March. *in portiuncula Theologica, & historica*, Matthæucci *Officialis Curiæ cap.* 26. *numer.* 5. Kazenberger *loc. cit. numer.* 97. et alii passim. Per hanc in-
50 dulgentiam *Portiunculæ*, uti pulcre docet undequaque Sapientissimus Card. Bellarminus *lib.* 2. *de Indulgent. cap.* 20. et ex ipso Kazenberger *loc. cit. num.* 98. tria Fidei, et Ecclesiæ Catholicæ dogmata confirmantur: Primum scilicet *de Indulgentiarum existentia*, Secundum *de Romani Pontificis auctoritate*, quia Christus Dominus præcepit S. P. N. Francisco, ut ejus Vicarium adiret, et ab eo suo nomine hanc indulgentiam postularet, et Tertium *de Confessionis auricularis necessitate*, quia ad eam lucrandam requiritur Confessio peccatorum Sacerdoti facta, quod totum patet ex *Breviario Francisceno lection.* 5. *ad diem* 2. *Augusti*, ubi legitur; quod cum quadam nocte Seraphicus P. N. Franciscus oraret in habitaculo suo dictæ Ecclesiæ Portiunculæ proximo, et ei significatum esset Divinitus in ipsa Ecclesia esse Dominum Jesum, ejusque Sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine Angelorum, et statim summa cum Religione delubrum ingressus cum primum ineffabilem illam Filii Dei Majestatem, et Gloriam aspexisset, ante conspectum ejus procubuisset, eumque maxima, qua potuit, animi submissione, ac pietate adorasset, sicut sequitur, est ei Christus locutus, ibi: *Quem Dominus benignissime appellans admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, supplex petiit, ut omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam, & indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum Confessionem Sacerdoti fecissent. Respondit Dominus id sibi placere, præcepitque illi, ut ejus Vicarium adiret, & ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet.*

51 Indulgentia plenaria concessa primitus pro ipsa sola Ecclesia Portiunculæ a primis Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad Vesperas sequentis diei, extenditur in perpetuum ad omnes Ecclesias Ordinis ubique existentes pro secunda die Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, dummodo lucraturi fuerint confessi, et Sac. Communione refecti, ut apparet in sequenti Bulla Gregorii XV.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementi ejus Majestate sperantium, tunc præcipue benigne favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis in secunda die mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam inpressis, & sigillo alicujus Notarii publici subscriptis, ac manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. Cardin. S. Susannæ.

Talis Indulgentia in omnibus Ecclesiis Religionis Seraphi- 52
cæ pro secunda die Augusti potest applicari etiam pro Defunctis, & adducitur Bulla Innocentii XI. id concedentis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias fel. record. Gregor. Papa XV. Prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, etiam reformatorum nuncupatorum, ubique existentium die 2. mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout, in ipsius Gregorii Prædecessoris Litteris desuper in habitaculo sui dictæ Ecclesiæ Portiunculæ proximo, et ei significatum esset Divinitus in ipsa Ecclesia esse Dominum Jesum, ejusque Sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine Angelorum, et statim summa cum Religione delubrum ingressus cum primum ineffabilem illam Filii Dei Majestatem, et Gloriam aspexisset, ante conspectum ejus procubuisset, eumque maxima, qua potuit, animi submissione, ac pietate adorasset, sicut sequitur, est ei Christus locutus, ibi: Quem Dominus benignissime appellans admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, supplex petiit, ut omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam, & indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum Confessionem Sacerdoti fecissent. Respondit Dominus id sibi placere, præcepitque illi, ut ejus Vicarium adiret, & ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet.

Indulgentia plenaria concessa primitus pro ipsa sola Ecclesia Portiunculæ a primis Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad Vesperas sequentis diei, extenditur in perpetuum ad omnes Ecclesias Ordinis ubique existentes pro secunda die Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, dummodo lucraturi fuerint confessi, et Sac. Communione refecti, ut apparet in sequenti Bulla Gregorii XV.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementi ejus Majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias Ordinis Fratrum S. Francisci de Observantia, etiam Reformatorum, ubique existentes aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis in secunda die mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod præsentium transumptis etiam inpressis, & sigillo alicujus Notarii publici subscriptis, ac manu alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Julii 1622. Pontificatus nostri anno secundo.

S. Cardin. S. Susannæ.

Talis Indulgentia in omnibus Ecclesiis Religionis Seraphicæ pro secunda die Augusti potest applicari etiam pro Defunctis, & adducitur Bulla Innocentii XI. id concedentis.

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias fel. record. Gregor. Papa XV. Prædecessor noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, etiam reformatorum nuncupatorum, ubique existentium die 2. mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, annis singulis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & alias prout, in ipsius Gregorii Prædecessoris Litteris desuper in habitaculo sui dictæ Ecclesiæ Portiunculæ proximo, et ei significatum esset Divinitus in ipsa Ecclesia esse Dominum Jesum, ejusque Sanctissimam Matrem cum ingenti multitudine Angelorum, et statim summa cum Religione delubrum ingressus cum primum ineffabilem illam Filii Dei Majestatem, et Gloriam aspexisset, ante conspectum ejus procubuisset, eumque maxima, qua potuit, animi submissione, ac pietate adorasset, sicut sequitur, est ei Christus locutus, ibi: Quem Dominus benignissime appellans admonuit, ut ab eo aliquod beneficium pro salute hominum peteret. At ille adjutus patrocinio Matris, cujus opem imploraverat, supplex petiit, ut omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam, & indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum Confessionem Sacerdoti fecissent. Respondit Dominus id sibi placere, præcepitque illi, ut ejus Vicarium adiret, & ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet.

Indulgentia plenaria concessa primitus pro ipsa sola Ecclesia Portiunculæ a primis Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad Vesperas sequentis diei, extenditur in perpetuum ad omnes Ecclesias Ordinis ubique existentes pro secunda die Augusti a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi, dummodo lucraturi fuerint confessi, et Sac. Communione refecti, ut apparet in sequenti Bulla Gregorii XV.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad futuram rei memoriam.

*Splendor paternæ gloriæ, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota Fidelium de clementi ejus Majestate sperantium, tunc præcipue benigne

cipum concordia; hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 18. Augusti 1695. Pontificatus nostri anno quinto.

J. F. Card. Albanus.

54 Eamdem Indulgentiam plenariam perpetuam, & quotidianam concessit visitantibus Ecclesiam S. P. N. Francisci Conventualium d. Civitatis Assisii idem Innocentius XII. sub die 18. Augusti 1695. Constit. incip. *Commissæ nobis*,

55 Talis Indulgentia plenaria pro die 2. Augusti non suspenditur per annum Sanctum in Ecclesia S. Mariæ Angelorum prope Assisium, ut declararunt Innocentius X. 5. Julii 1650. Clemens X. 12. Novembris 1664. & Innocentius XII. 21. Augusti 1699. in Brevi, ut sequitur,

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum ob Sacri Jubilæi celebrationem a Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime venturi anni inchoandam, & usque ad finem ejusdem anni duraturam, omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis locis piis sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium Regularibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, quomodolibet concessas, de Apostolicæ potestatis plenitudine suspenderimus, ac suspensas esse declaraverimus, easque, eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere decreverimus, prout in nostris sub plumbo desuper expeditis Litteris, quarum tenorem præsentibus pro expressis habere volumus, plenius continetur: Nos cupientes, ut Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, prope, & extra muros Civitatis Assisien. congruis frequentetur honoribus, ad eamque Christifideles lubentius accedant, quo exinde spiritualibus gratiis se uberius refectos conspexerint, tenore præsentium declaramus mentis, & intentionis nostræ minime fuisse, nec esse sub præfata Indulgentiarum suspensione, Indulgentiam utriusque sexus Christifidelibus, prædictam Ecclesiam die secunda mensis Augusti, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi visitantibus, & requisita pro eadem Indulgentia consequenda, peragentibus concessam, comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehensum esse, in verbo Romani Pontificis attestamur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Augusti 1699., Similem Declarationem jam fecerant alii Pontifices, & signanter Clemens VIII. & Urbanus VIII. & novissime fecit Benedictus XIII.

56 In aliis vero Ecclesiis, & locis Ordinis suspenditur anno Sancto pro vivis, minime pro Defunctis; Felix Potestas *tom. 1. part. 2. num. 3766.* Per Jubilæum enim anni Sancti non suspenduntur Indulgentiæ pro constitutis in articulo mortis, & pro Defunctis, ut declararunt Gregorius XIII. Clem. VIII. Urbanus VIII. Innocentius XI. teste ipso Felice Potestate *loc. citat. numer. 3825.* & tenet Busembau *libr. 6. tractat. 4. cap. 1. dub. 4. §. 2. respons. 2. n. 1.* & alii passim, & sic servat praxis,

57 Indulgentia Portiunculæ pro secunda die Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi potest obtineri, seu acquiri *toties quoties* a Christifidelibus aliqua Ecclesia Ordinis S. P. N. Francisci visitatur, & ibidem ad mentem Pontificis oratur, nempe semel pro seipsis, & aliis vicibus pro animabus Purgatorii; Ita Engelbertus Pauck *in tertia Seraphica Vinea cap. 28. n. 136.* Hermannus Born. *in suo Seraphico Firmamento secunda die Augusti*, Kazenberger *loco cit. n. 101.* & alii passim id clare colligentes, tum ex communi praxi ubique, & etiam Romæ observata nedum a simplicibus, sed etiam a Viris doctis, & Primatibus, tum ex sequenti responsione, & declaratione Sacræ Congregationis Concilii.

Cum enim in vim Decreti sub Innocent. XI. editi 7. Martii 1678. & adducti supra *art. 4. n. 15.* ubi disponitur: *Semel autem duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri*, dubitaretur, an Indulgentiam præfatam lucrarentur Fideles toties, quoties Ecclesiam visitarent? pro declaratione dubii fuerunt preces Sacræ Cardinalium Congregationi exhibitæ, ut infra.

Episcopus Labacensis a parte Imperii Orator de votis E. E. V. V. humiliter exponit, quod non obstante Decreto Innocentii XI. de Apocryphis Indulgentiis sub die 7. Martii 1678. quo declaravit semel duntaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam lucri fieri, pergunt Fratres Ordinis S. Francisci Reformatorum de Provincia Carniolæ Populo persuadere Indulgentiam pro die secunda Augusti de Portiuncula nuncupatam eorum Ecclesiam visitantibus concessam toties, quoties eadem die lucrifieri posse.

Cum autem hujusmodi abusus ad Summum Pontificem ab Ordinaris deferri jubeat Sacr. Congreg. Concilii Tridentini sess. 25. de reform. cap. 21. in Decreto de indulgentiis.

Idcirco Orator quærit, & declarari petit, an præfata Indulgentia de Portiuncula nuncupata etiam comprehendatur sub Decreto, & Declaratione San. mem. Innocentii XI. supradicta? pro qua gratia &c.

Die 17. Julii 1700. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, audita relatione Procuratoris Generalis, & Ministri Provincialis, censuit servandum esse solitum (apud impressorem Cameralem). Et sic sæpius respondit eadem Sacr. Congreg. Concil. & novissime *in una Ordinis Sancti Francisci 4. Decembris 1723.*

Omnes Christifideles obeuntes Viam Crucis a nostris Fra- 58
tribus erectam, sive in locis ad nos spectantibus, sive in aliis non subjectis, nec dependentibus ab Ordine nostro, possunt quotidie, modo sint in gratia, & obeundo Viam Crucis devote recolant Passionem, ac mortem Christi, lucrari easdem Indulgentias, quas Hierosolymis obeuntes Viam Crucis lucrantur, quæ Indulgentiæ sunt assignatæ *supra n. 8.* Sic ultra concessionem, & declarationem factam ab Innocentio XI. 5. Septembr. 1686. & ab Innocentio XII. decimo septimo Kalendas Januar. 1695. Const. incip. *Sua nobis*, adducta supra *sub n. 24.* concesserunt, & declararunt novissime Benedictus XIII. 1726. quinto Nonas Mart. Const. incip. *Inter plurima*, & Clem. XII. die 16. Januar. 1731. Const. incip. *Exponi nobis*. Quæ constitutiones, cum sint ad hanc rem scitu dignissimæ, & apprime necessariæ, hic ad litteram dantur cum admonitionibus ab Eminentiss. Præfecto Sac. Congregationis Indulgentiarum datis de mandato Sanctissimi, & Litteris Encyclicis a Superiore Generali hujus nostræ Cismontanæ Familiæ ad omnes Conventus transmissis, & in earum respective Archivis de suo mandato servatis.

Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri 59
Benedicti XIII. Pontificis Maximi

CONSTITUTIO.

In qua pium exercitium Viæ Crucis peragentes apud Fratres Minores de Observantia nuncupatos, Indulgentiarum omnium, quas Summi Pontifices Stationibus Terræ Sanctæ concesserunt, participes efficiuntur, ipsæque Indulgentiæ approbantur, & confirmantur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

I. Inter plurima, & maxima signa immensæ erga nos Dei benignitatis ubique occurrentia, summam, & admirabilem ejus in humanum genus charitatem declarat æterni ejusdem Filii Jesu Christi passionis inexplicabile Sacramentum

tum, quo erepti sumus e faucibus tenebrarum. Hinc Romani Pontifices Antecessores Nostri eamdem Passionem memoria recolentibus Apostolicas Indulgentias, & gratias donare consueverunt, quas ad pios Christifideles in Dominicæ Passionis contemplatione sese exercentes a Nobis extendi, & confirmari, ut Christiana Religio in hominum cordibus augeatur, plurimum in Domino expedire putamus.

II. Ea propter Dilectus Filius Frater Josephus Maria ab Ebora Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Beati Francisci, qui de Observantia nuncupantur, petitionem nuper exhibendam Nobis curavit, qua continebatur, Fratres ejusdem Ordinis pium exercitium Viæ Crucis appellatum, quo tota Dominicæ Passionis series dictis tabulis, ubi commode fieri posset, expressa, inque plures Stationes distributa, eo modo, quo Peregrini Civitatis S. Hierusalem loca ipsa, ubi Christus passus est recolentes, & frequentantes invisunt, contemplanda proponeretur, in varias Christianorum Provincias magno animarum fructu intulisse, ac piæ recordationis Antecessorem nostrum Innocentium Papam XII. hujusmodi exercitium largitione cælestium munerum promovisse per Litteras Apostolicas in forma Brevis sub annulo Piscatoris incipientes *Ad ea, per quæ*, Romæ datas apud S. Mariam Majorem die 24. Decembris anno MDCXCII. Pontificatus 2. ubi inter alia, omnibus, & singulis Fratribus, & Monialibus, atque aliis utriusque sexus personis Ordinum, & Congregationum, Obedientiæ, seu directioni Ministri Generalis Fratrum Minorum de Observantia subjectis, Christique fidelibus Confratribus, & Consororibus quarumcumque Confraternitatum, & Societatum, sive sub titulo Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, sive sub alia qualibet invocatione in eorumdem Fratrum, & Monialium Ecclesiis Canonice erectarum, sive erigendarum, Orationi Mentali, quæ dicitur Viæ Crucis exercitium, quo, ratione suæ Regulæ, & Constitutionum quotidie tenentur, operam dantibus, pro qualibet vice dierum centum, per duos quadrantes vero continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, perque totum mensem orationi, & exercitio hujusmodi vacantibus, dummodo vere pœnitentes, & peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpsissent, proque Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces fudissent, semel quolibet mense plenariam peccatorum Indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii animabus Christifidelium Deo, in Charitate conjunctis ex hac vita migrantibus, applicare possent, Apostolica Auctoritate perpetuis futuris temporibus misericorditer concessit.

III. Postmodum dictus Innocentius antecessor per alias Apostolicas Litteras incipientes: *Sua nobis*, sub plumbo Romæ datas apud S. Mariam Majorem septimo Kalendas Januarias Anno Dominicæ Incarnationis MDCXCV. Pontificatus 5. inter alia Decretum Venerabilium fratrum suor. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 12. Novembris anni MDCXCV. per se die 15. ejusdem mensis approbatum declaraverat, pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii ad recolendam, & meditandam Christi Passionem a prædictis Fratribus, & Monialibus, aliisque Personis adinstar Stationum Calvarii Montis erecta, atque instituta, in privilegiorum, atque Indulgentiarum plenariarum, nondum revocatarum generali, mutua, & reciproca communicatione per Apostolicam Sedem concessa, & Litteris piæ memoriæ antecessoris nostri Innocentii Papæ XI. in forma Brevis sub die 5. Septembris anni Incarnationis Dominicæ MDCLXXXVI. comprehendi, ideoque frui, & gaudere Indulgentiis in iisdem Litteris Innocentii Papæ XI. expressis, quæ omnia sub sententiis, Censuris, & pœnis in Contradictores infligendis, executioni tradi, & publicari mandavit, ut in utriusque Litteris ejusdem Innocentii Papæ XII. plenius continetur.

IV. Cum autem, sicut eadem petitio Fratris Josephi ab Ebora subjungebat, prædictum exercitium Viæ Crucis in omnibus ferme Ecclesiis Ordinis fratrum Minorum de Observantia diebus Festis tam pio operi adsignatis, religiose peragatur, quam plurimis Christifidelibus Ministro Generali nequaquam subjectis extra Ordinem quoque illuc accedentibus idcirco iidem fratres, ut tam Sanctum exercitium pro animarum salute ulterius propagetur, Indulgentias, & Privilegia, etiam per viam Communionis, ut præfertur, concessa, & utriusque Innocentii antecessorum nostrorum Litteras supe-rius memoratas, atque alias, si quæ sunt, idem exercitium respicientes, Decretumque a Venerabilibus fratribus S. R. E. Cardinalibus olim confectum, ac postmodum Apostolica auctoritate confirmatum, prævia ejus declaratione, ad tollendas omnes ambiguitates super ejus interpretatione forsan exortas, per Nos, & Sedem Apostolicam probari, & confirmari cupiant, eaidemque Indulgentias, & Privilegia ad quoscumque Christifideles, & etiam dicto Ministro Generali nullo modo subjectos extendi, & ampliari enixe deposcant.

V. Hinc ad dicti fratris Josephi Mariæ preces, præmissis omnibus opportune providere cupientes, Nos, qui omnem operam libenter impendimus, ut omnes Dominicæ Passionis memoriam sæpe animo repetant, & salutarem illius fructum percipiant, eumdem Josephum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ipsum a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Indulgentias etiam pro animabus in Christi Charitate defunctorum applicabiles, & privilegia etiam per viam communicationis concessa in Litteris utriusque Papæ Innocentii, inque Decreto Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium expressa, & declarata, ac quibuscumque aliis Litteris Apostolicis idem exercitium Viæ Crucis respicientibus, ad tollendam omnem ambiguitatem, alienamque interpretationem inde quomodocumque ortam, aut forsse orituram, ut fideles per exercitationem bonorum operum, Sacrosanctos Ecclesiæ Thesauros absque ulla animi hæsitatione adipiscantur, declaramus, fratres, Moniales, ac Personas superius memoratas, exercitium Viæ Crucis hujusmodi peragentes, de Privilegiis, & Indulgentiis, etiam plenariis, sub generali, mutua, & reciproca communicatione per Sedem Apostolicam, concessis, vere communicare, & participes fieri, propterea que frui, & gaudere Indulgentiis, ac privilegiis, quæ Romani Pontifices locis Sanctis, ac illorum Stationibus intra, & extra Hierusalem largiti fuerunt, perinde ac si exercitium prædictum ibidem peragerent: atque ita ab omnibus asseri, & censeri debere volumus; Ideoque ea omnia hactenus recensita, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo confirmamus, approbamus, & innovamus, ac perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur iisdem adjicimus, omnesque, & singulos tam Juris, quam facti defectus, si qui in eis quomodolibet intervenerint, supplemus.

VI. Insuper ne a participatione bonorum spiritualium, quæ ab exercitio Viæ Crucis provenire speramus, ullus arceatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Indulgentias etiam animabus in Christi Charitate defunctorum applicabiles, & privilegia superius expressa, etiam per viam communicationis Indulgentiarum, quæ locis Sanctis intra, & extra Hierusalem concessæ fuerunt, aut alias quomodolibet, fratribus, Monialibus, ac Personis jam dictis, quæ per Nos approbantur, & confirmantur, ad quoscumque Christifideles utriusque sexus Ministro Generali nullo modo subjectos, qui exercitium Viæ Crucis, & alia Christianæ pietatis opera eisdem modo, & forma, quæ a fratribus, & personis prædictis peraguntur, pie, ac devote penes fratres dicti Ordinis privative quoad alios quoscumque peragent, & implebunt, perpetuo extendimus, & ampliamus.

VII. Decernentes, præsentes Litteras nostras, inque eis contenta quæcumque de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostræ, aut quocumque alio defectu notari impugnari, invalidari, ad terminos Juris reduci, aut contra illas quodcumque Juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per Nos, vel Successores nostros Romanos Pontifices, aut Sedem Apostolicam pro tempore factis, comprehendi non posse, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo semper concessas, ac perpetuo validas, & efficaces exittere, suosque plenarios effectus fortiri: & obtinere debere, sicque, & non aliter, per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Audito-

ditores, ac S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios judicari, & definiri debere: & quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, pię memoriæ Pauli Papæ V. similiter prædecessoris nostri nonnullarum Indulgentiarum revocatione, sive moderatione, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Indulgentiis non concedendis adinstar dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo sexto, quinto Nonas Martii, Pontificatus nostri Anno tertio.

Sanctissimi Domini Nostri Domini

CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ XII.

DECLARATIO.

Quod Viæ Crucis erectæ, & erigendæ in Ecclesiis, ac locis non subjectis, nec dependentibus ab Ordine Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia fruantur Privilegiis, & Indulgentiis, quibus gaudent institutæ in Ecclesiis, & locis ejusdem Ordinis.

CLEMENS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Bernardus Monterde Procurator Generalis Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo, quam Dilecti etiam filii moderni Ministri Generalis dicti Ordinis nomine, quod, cum antiqua vigeret, ac etiamnum vigeat in Ordine hujusmodi consuetudo erigendi, & instituendi per illius fratres, in vim facultatis sibi alias a Sede Apostolica concessæ, pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii nuncupata, ad instar Stationum Montis Calvarii, nedum in ejusdem Ordinis, sed etiam in aliis Ecclesiis, ac Locis ab eo minime dependentibus; isque mos in universis Regnis Hispaniarum, ac plurimis Italiæ Regionibus semper ante hac retentus fuerit, & adhuc de præsenti servetur: Licetque dudum felic. record. Innocentius Papa XII. Prædecessor noster ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, Commissarii Generalis pro Ultramontana Familia dicti Ordinis, præfata loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris quoque nostri, Litteris in simili forma Brevis die 5. Septembris 1686. super confirmatione diversarum Indulgentiarum, & Privilegiorum ipsius Ordinis, editis comprehendi, ac proinde frui, & gaudere posse Indulgentiis, & Privilegiis, in Litteris hujusmodi concessis, & expressis declarasset per suas itidem in forma Brevis die 5. Decembris 1696. desuper expeditas litteras, idque absque limitatione, ac restrictione dictorum locorum Viæ Crucis, seu Calvarii ad Ecclesias, & loca Ordinis præfati factum fuisset; Nihilominus aliqui existimantes, facultatem illa erigendi, & instituendi, ad Ecclesias, & loca Ordinis prædicti, Indulgentias vero, & Privilegia ejusmodi ad personas Obedientiæ, ac directioni pro tempore existentis Ministri Generalis eiusdem Ordinis subjectas, respective limitata, & restricta esse, a piæ memoriæ Benedicto Papa XIII. etiam Prædecessore nostro, Indulgentias, & Privilegia præfata ad quoscunque utriusque sexus Christifideles dicto Ministro Generali non subjectos, qui tamen ejusmodi loca pia viæ Crucis, seu Calvarii penes Fratres supradicti Ordinis, privative quoad alios quoslibet visitarent, ibique memoriam Dominicæ Passionis devote recolerent, aliaque injuncta opera peragerent, extendi, & ampliari obtinuerunt, prout in ipsius Benedicti Prædecessoris litteris sub plumbo Anno Incarnationis millesimo septingentesimo vigesimo sexto, quinto Nonas Martii, Pontificatus sui anno tertio emanatis uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus non minus ratione sui Officii Procuratoris Generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti moderni Ministri Generalis ad enatam occasione præmissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, prædicta loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii per eosdem Fratres, etiam in Ecclesiis, & locis, quæ non sint dicti Ordinis, erecta, & erigenda, eisdem Indulgentiis, & Privilegiis gaudere per Nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto Prædecessore postquam Litteræ suæ præfatæ prodierant ad supplicationem Dilectæ in Christo Filiæ nobilis Mulieris Violantis a Bavaria, Principissæ Etruriæ Viduæ Fratribus Recessus S. Francisci ad Montem Florentinum, & Conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti Ordinis, in vim cujusdam Rescripti die decima Novembris 1729. ejus jussu editi, concessum fuisse memoratur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Bernardi votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque a quibusvis excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon utriusque Innocentii, & Benedicti Prædecessorum Litterarum præfatarum tenores, et alia quæcumque, etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod prædicta loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii, in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus, et aliis itidem piis locis ipsi Ministro Generali non subjectis nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, et in posterum erigenda, eisdem Indulgentiis, ac Privilegiis fruantur, & gaudeant, quibus fruuntur, & gaudent erecta in Ecclesiis, et locis Ordinis præfati Auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, et declaramus, ac quatenus opus sit, de novo concedimus, et indulgemus; ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda, modus et forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis, et locis Ordinis prædicti hactenus fieri consueverunt, et accedat licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, Superiorum Ecclesiæ Monasterii, Hospitalis, et loci pii, ubi de his pro tempore erigendis agi contigerit. Decernentes pariter, easdem præsentes Litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis adinstar, et aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibite, vel ostense. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Constitutio SS. D. N. Clementis Papæ XII. qua declaratur, quod Viæ Crucis erectæ & erigendæ in Ecclesiis ac locis non subjectis, nec dependentibus ab Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, fruantur privilegiis & indulgentiis, quibus gaudent institutæ in Ecclesiis, ac locis ejusdem Ordinis, inserta est in altero Brevi Benedicti XIV. quod hic afferetur ad litteram.

Bre-

Breve Benedicti XIV. quo confirmatur pium Exercitium Viæ Crucis erigendum a Fratribus tam Observant. quam Reformat. Ministro Generali Ordinis S. Francisci subjectis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CUM tanta sit passionis Crucis, & mortis Domini Nostri Jesu Christi vis, ut nullum reperiatur tam efficax remedium ad curandum conscientiæ vulnera, quibus infirmitas humana quotidie per peccatum sauciatur, nec non ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, quam Passionis, Crucis, Mortis, atque Vulnerum ejusdem Redemptoris Nostris sedula meditatio; Ut Christifideles in hac nobis totius causa beatitudinis occupati quotidie se se alacrius exercerent, nec Catholicæ Ecclesiæ Patres, nec Romani Pontifices Prædecessores Nostri unquam desiterunt, quin assiduis monitis, exhortationibusque, & profusis cælestium thesaurorum elargitionibus persuaderent, allicerent, ac locupletarent. Sane fel. record. Clemens PP. XII. Prædecessor Noster, non solum cetera ad recolendam potissimum tantorum Passionis, Crucis, & Mortis Dominicæ mysteriorum memoriam, alias ab iisdem Prædecessoribus concessa, & impertita Indulgentiarum ac peccatorum relaxationum, remissionumque munera, quæ & ipse confirmavit, ac de novo elargitus fuit, verum etiam viam, rationemque in Via Crucis, seu Calvarii, ut dicitur pie peragenda traditam aliis Apostolicæ suæ Providentiæ regulis ordinavit, dispositque, prout clarius intelligi tur ex ipsis Clementis Prædecessoris in simili forma Brevis litteris tenoris sequentis, videlicet. Clemens PP. XII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Bernardus Monterde Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observatia nuncupatorum, tam suo, quam dilecti etiam Filii moderni Ministri Generalis dicti Ordinis nomine, quod cum antiqua vigeret, ac etiam nunc vigeat in Ordine hujusmodi consuetudo erigendi, & instituendi per illius Fratres, in vim facultatis sibi alias a Sede Apostolica concessæ, Pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii nuncupata, ad instar Stationum Montis Calvarii, nedum in ejusdem Ordinis, sed etiam in aliis Ecclesiis, ac Locis ab eo minime dependentibus, isque mos in universis Regnis Hispaniarum, ac plurimis Italiæ Regionibus semper ante hac retentus fuerit, & adhuc de præsenti servetur: Licetque dudum fel. recor. Innoc. Papa XII. Prædecessor Noster ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, Commissarii Generalis pro Ultramontana Familia dicti Ordinis, præfata Loca Pia Viæ Crucis, seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innoc. Papæ XI. Prædecessoris quoque Nostri, Litteris in simili forma Brevis die 5. Sept. 1687. super confirmatione diversarum Indulgentiarum, & Privilegiorum ipsius Ordinis editis comprehendi, ac proinde frui, & gaudere posse Indulgentiis, & Privilegiis in Litteris hujusmodi concessis, & expressis declarasset per suas itidem in forma Brevis die 6. Dec. 1696. desuper expeditas, Litteras, idque absque limitatione, ac restrictione dictorum locorum Viæ Crucis, seu Calvarii ad Ecclesias, & loca Ordinis præfati factum fuisset, nihilom inus aliqui existimantes facultatem illa erigendi, & instituendi, ad Ecclesias, & loca Ordinis prædicti, Indulgentias vero, & privilegia ejusmodi ad personas obedientiæ, ac directioni pro tempore existentis Ministri Generalis ejusdem Ordinis subjectas respective limitata, & restricta esse, a piæ mem. Bened. Papa XIII. etiam Prædecessore Nostro Indulgentias, & Privilegia præfata ad quoscumque utriusque sexus Christifideles dicto Ministro Generali non subjectos, qui tamen ejusmodi loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii penes Fratres supradicti Ordinis privative quoad alios quoslibet visitarent, ibique memoriam Dominicæ Passionis devote recolerent, aliaque injuncta Opera peragerent, extendi, & ampliari obtinuerunt prout in ipsius prædicti Prædecessoris Litteris sub plumbo Anno Incarnationis 1726. 5. nonas Martii Pontificatus sui Anno tertio emanatis uberius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ipse Bernardus, non minus ratione sui Officii Procuratoris Generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti moderni Ministri Generalis ad emanatam occasione præmissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, prædicta loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii per eosdem Fratres, etiam in Ecclesiis, & locis, quæ non sint dicti Ordinis erecta, & erigenda, eisdem Indulgentiis, & Privilegiis gaudere per Nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto Prædecessore, postquam Litteræ suæ præfatæ prodierant ad supplicationem dilectæ in Christo Filiæ Nobilis Mulieris Violantis a Bavaria Principissæ Etruriæ Viduæ Fratribus Recessus Sancti Francisci ad Montem Florentinum, & Conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti Ordinis in vim cujusdam Rescripti die 10. Novembris 1729. ejus jussu editi, concessum fuisse memoratur: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Bernardi votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes; eumque, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non utriusque Innocentii, & Benedicti Prædecessorum Litterarum præfatarum tenore, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod prædicta loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis itidem piis locis ipsi Ministro Generali non subjectis, nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, & in posterum erigenda, eisdem Indulgentiis, ac Privilegiis fruantur, & gaudeant, quibus fruuntur, & gaudent erecta in Ecclesiis, & in locis Ordinis præfati, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus; ac quatenus opus sit, & de novo concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut quoad illa sic deinceps erigenda, modus, & forma serventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis, & locis Ordinis prædicti hactenus fieri consueverunt, & accedat licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, & Superiorum Ecclesiæ Monasterii, Hospitalis, & loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit. Decernentes pariter eisdem præsentes Litteras firmas, validas, efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1741. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Quoniam autem Dilectus Filius Leonardus a Portu Mauritio, ejusdem Ordinis Minor. Reform. nuncupator. Frater, expresse Professus, Nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum præinsertas Litteras Clementis Prædecessoris præfati, & in eis contenta quæcumque quo firmius subsistant, & serventur exactius, confirmare, verum etiam nonnulla, ut infra declarare, & præscribere de benignitate, & auctoritate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Leonardum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejusdem Leonardi Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati præinsertas Clementis Prædecessoris Litteras, & in eis contenta quæcumque auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, nec non earundem præinsertarum Litterarum tenorem, formam, & dispositio-

ſtionem ſine ulla interpretatione, & reſtrictione omnino in poſterum ſervari mandamus. Præterea cuicumque Parocho, ut prævia proprii Ordinarii, ſeu Antiſtitis in ſcriptis obtinenda licentia, ſub directione cujuslibet Fratris ejuſdem Ordin. Min. ſive Obſervantium, ſive Reformatorum, ſive Recollectorum, vel ad excipiendas Sacramentales Chriſtifidelium Confeſſiones approbati, vel Prædicatoris Verbi Dei de quocumque Conventu, ſive proximo, ſive remoto, ad Parochi arbitrium, de ſuorum tamen Superiorum conſenſu, ac permiſſu erigendi Viam Crucis, ſeu Calvarii, ut præmittitur, ſive in propria Parochiali Eccleſia, ſive alibi in ejuſdem Parochialis Eccleſiæ diſtrictu erigendi facultatem tribuimus, & impertimur. Volumus autem, ut Via Crucis, ſeu Calvarii hujuſmodi in iis Civitatibus, Oppidis, & Locis ubi ab ipſis Fratribus Ordinis præfati in ſuis reſpective Eccleſiis, ſive alibi jam erecta reperitur, de novo minime erigatur, niſi ubi, licet alia in Civitate, Oppido, & Loco quolibet Via Crucis, & Calvarii hujuſmodi erecta fuerit, ea tamen eſt itineris longitudo, vel viæ aſperitas, ut Chriſtifideles non ſine graviſſimo incommodo, aut nullo pacto illuc ad eandem viam Crucis, ſeu Calvarii peragendam accedere valeant. Quo caſu Locorum Ordinarii, quorum arbitrio, ac prudentiæ præmiſſa omnia ordinandi, ac præſcribendi relinquimus, ordinent, & præſcribant. Decernentes pariter eaſdem præſentes Litteras, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium præmiſſorum quomodolibet facientibus, atque iis omnibus, & ſingulis, quæ idem Clemens Prædeceſſor voluit non obſtare. Volumus autem &c. ut &c.

Datum Romæ ut ſupra die 30. Auguſti 1741. Pontificatus Noſtri Anno II. D. Card. Paſſioneus.

62 Avvertimenti ordinati a ben regolare il divoto Eſercizio della Via Crucis dati in luce per ordine di Clem. XII. e rinovati dalla Santità di N. Sig. Papa Bened. XIV. con alcune addizioni neceſſarie per maggior ſtabilimento di sì ſanta divozione.

AVendo la San. mem. di Clemente XII. alle ſuppliche del Procurator Generale dell' Ordine de' Frati Minori di S. Franceſco detti dell'Oſſervanza, tanto a nome ſuo, come del Miniſtro Generale dello ſteſſo Ordine ampliata l' Indulgenza della Via Crucis con ſuo Breve in data delli 16. Gennajo 1731. dal quale reſtano anche tolti alcuni dubbj, che erano inſorti dopo il Breve di Benedetto XIII. ſuo Predeceſſore; ſi degnò il ſuddetto Sommo Pontefice moſſo dal paterno ſuo zelo per la ſalute dell'Anime di ordinare al Cardinal Preſetto della Sacra Congregazione dell' Indulgenze, che nel tempo ſteſſo ſi foſſero ſtabilite quelle regole, ed avvertimenti, che aveſſero potuto contribuire, acciocchè un sì Santo, e profittevole Eſercizio, in cui deve meditarſi quell' atroce Paſſione, che il noſtro Redentore s'umiliò a ſoffrire ob nimiam Charitatem, qua nos dilexit, ſi faccia da' Fedeli con quella divozione, e raccoglimento, che è neceſſario a conſeguire quell' effetto, che abbondantemente ſuol derivarne, conforme puntualmente ſi eſeguì. Eſſendoſi poi degnata la Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIV. con un ſuo Breve in data dei 30. Agoſto dell'anno 1741. non ſolo di ordinare che s'oſſervi ſenza limitazione alcuna tutto il preſcritto dal ſuo Anteceſſore, ma di altresì ampliare la di lui conceſſione; ha giudicato molto eſpediente, che ſi rinnovino tutti gli Avvertimenti, e Regole ſuddette; affinchè in avvenire con ſiniſtre interpretazioni non ſi pregiudichi al fine per cui ſono ſtate ſtabilite, e reſti dilucidato tutto ciò, che ordina nell' accennato ſuo Breve, e meglio ſi riconoſca la ſua mente piiſſima in promovere queſta ſanta Divozione, Quindi è, che tutti quei, che dovranno erigere la Via Crucis, come tutti gli altri, che vorranno approfittarſi di sì Santo Eſercizio, dovranno onninamente conformarſi agli avvertimenti, che ſieguono.

I. Che eſſendo ſtata conceduta la facoltà di erigere le Vie Crucis alli Religioſi ſoggetti al Miniſtro Generale de' Frati Minori, sì Oſſervanti, che Riformati privative quoad alios quoscumque, non è lecito ad altri di erigerle, ed erigendoſi non godono le Indulgenze.

II. Che non poſſano eſſere erette, ſe non da' Superiori locali dell'Ordine ſuddetto, o di loro commiſſione da un'altro Religioſo dello ſteſſo Ordine, il quale però ſia o Predicatore, o almeno Confeſſore approvato.

III. Che devono erigerſi nella forma conſueta, e ſin'ora praticata nell'Ordine ſuddetto, cioè che ſiano quattordici Stazioni, e che le Croci, o Cappellette rappreſentino i Miſterj della Paſſione. In quei luoghi poi, ne' quali ſi voleſſe erigere fuori della Chieſa, come ſi uſa in molti Conventi del detto Ordine, ſi procuri ſempre di terminare, o di cominciare dalla Chieſa, o luogo Sagro con avvertire onninamente, che le Cappellette ſiano chiuſe con cancelli da non potervi entrare, nè perſone, nè gli animali, e che tanto eſſe, quanto le Croci ſiano collocate in luoghi non ſoggetti ad irriverenze, ed in caſo, che in progreſſo di tempo i luoghi, ne' quali foſſero ſtate erette, diveniſſero indecenti, debbano i Superiori ſoſpenderle, ſopra di che s'incaricano ſtrettamente le loro coſcienze.

IV. Che nella ſteſſa Chieſa, o luogo pio, quando ſia capace, ſarà bene erigere per maggior comodo del Popolo due Vie Crucis, una delle quali ſerva per gli uomini, e l'altra per le Donne; e quando una ſi pianti fuora di Chieſa, ſe ne erigga ſempre un'altra nella Chieſa, qual'ora queſta ſia di tal capacità, che baſti per non far confuſione, acciò in tempo di pioggia, o d'altro impedimento ſi poſſa, non oſtante, praticar così Santo Eſercizio.

V. Che queſta pratica ſia uniforme in tutti i luoghi ſenza alterare punto quella, che s'è oſſervato ſin' ora ne' Conventi dell' Ordine, cioè, o proceſſionalmente da tutto il Popolo ſotto la direzione d'uno, o più Sacerdoti, ovvero privatamente da ogn'uno. Quando ſi faccia la Via Crucis, nel primo modo, ſi diſponga la Proceſſione in maniera, che gli Uomini vadino ſeparati dalle Donne, cioè quelli prima, e queſte dopo, con uno, o più Sacerdoti intermedj, e ad ogni Stazione un Chierico, o Sacerdote legga ad alta voce la conſiderazione corriſpondente ad ogni Miſtero, e Stazione, e dopo recitato un Pater, & Ave, e fatto un' atto di Contrizione, ſi tiri innanzi cantandoſi tra una Stazione, e l'altra il Stabat Mater, *o altra Orazione, avvertendo tutti di contenerſi con ſomma modeſtia, ſilenzio, e raccoglimento, mentre l' eſperienza dimoſtra, che queſto Santo Eſercizio praticato con pietà e divozione introduce a poco a poco ne' Fedeli d' ogni condizione l'uſo del meditare, e la riforma de' coſtumi.*

VI. Che praticandoſi privatamente, non è neceſſario recitare ſei Pater, & Ave ad ogni Stazione, come alcuni ſuppongono, ma baſta meditare benchè brevemente la paſſione del Signore, che è l'opera ingionta per far acquiſto delle Sante Indulgenze, ed alle perſone ſemplici baſterà il penſare in qualche modo, conforme alla loro capacità, alla ſuddetta Paſſione; Benchè ſi eſortino tutti, ſenza però obbligargli a recitare un Pater, *ed* Ave, *ad ogni Croce, e far un' Atto di Contrizione, conforme all'uſo introdotto.*

VII. Che eſſendo eretta la via Crucis nella Chieſa, per quel tempo delli Offizj Divini, e della Santa Meſſa, e quando in Chieſa vi ſia tal concorſo di Popolo, che poſſa cagionare tumulto, e diſturbo, ſi aſtenghino di praticarla, tanto maggiormente, che non eſſendovi impedimento, ſi devono viſitare ad una ad una tutte le Stazioni.

VIII. Che dovendoſi erigere la Via Crucis in qualche Monaſtero di Monache, o Conſervatorio non è neceſſario entrare nella Clauſura, ma baſta, che un Religioſo del medeſimo Ordine d'età matura, e qualificato, come s'è detto nel terzo avvertimento, con licenza dell'Ordinario benedica le Croci alle grate, e faccia una breve iſtruzione alle Monache, ed altre, che ſi trovaſſero in tal Monaſtero, o Conſervatorio circa il modo, con il quale è neceſſario di viſitare le Croci per participare dell'Indulgenze, e riportarne profitto per l'anime.

IX. Chè non ſi pubblichi da' Pulpiti nè in altra forma, e molto meno ſi ſcriva nelle Cappellette, o Stazioni un numero certo, e determinato dell'Indulgenze, che ſi acquiſtano; poichè ſi è riconoſciuto in più occaſioni, che o per inavvertenza, ed equivoco, o per traſporto di divozione, ſi altera, o ſi confonde la verità dell'Indulgenze; E però baſti il dire, che chiunque s'impiegherà a meditar la paſſione del Signore in queſto Santo Eſercizio, acquiſterà per conceſſione de' Sommi Pontefici le ſteſſe Indulgenze, che acquiſterebbe, ſe viſitaſſe perſonalmente le Stazioni della Via Crucis di Geruſalemme.

X. Per

X. Per ultimo, deſiderando la Santità di Noſtro Signore felicemente Regnante, che ſempre più ſi dilati queſto Santo Eſercizio a profitto di tutto il Mondo Cattolico, eſorta tutti i Parrochi di qualſivoglia Terra, o Citta, benchè in qualche Terra vi ſi trovaſſe più di una Parrocchia, ad arricchire i loro Popoli con sì gran Teſoro, introducendo nelle loro Cure, o nel diſtretto delle medeſime sì profittevole divozione, ſenza riguardo alla maggiore, o minore diſtanza da una Via Crucis all'altra; purchè l'Erezione ſi faccia da un Frate Minore, ſoggetto al Miniſtro Generale dell'Oſſervanza, dotato dalle ſopracennate qualità, acciò iſtruiti i Popoli del gran bene, che contiene la Via Crucis, l'abbraccino con maggior fervore, e rieſca più fruttuoſo all'Anime loro. Quindi è che nel ſuddetto Breve concede l'arbitrio al Parroco di eleggerſi quel Religioſo, che giudicherà più idoneo, acciò con licenza del ſuo Superiore locale benedica le Croci, ed aſſiſta all'Erezione, che dovrà farſi in quella Cura, o altro luogo Pio. Si eccettuano però quei luoghi, ove ſi trovano i Conventi dei Fratri Minori ſuddetti, non dovendoſi in tal caſo erigere la Via Crucis in altre Chieſe non ſoggette al medeſimo Ordine. Se pure detti Conventi non foſſero ſituati in tanta lontonanza dalla Terra, o Città, ovvero foſſe la ſtrada sì malagevole, che ſenza grave incomodo, da giudicarſi dall'Ordinario, non poteſſe frequentarſi dal popolo il Santo Eſercizio; atteſochè in tal contingenza rimette Noſtro Signore all'arbitrio de' Veſcovi il decidere, ſe ſi poſſa erigere in altra Chieſa non ſoggetta all'Ordine ſuddetto, purchè l'erezione ſi faccia ſempre nella forma ſopraccennata, ed in queſto modo reſta dilucidata la clauſula del ſuo Breve: Volumus autem &c. *acciò da alcuni non veniſſe ſiniſtramente interpretato. Anzi accadendo ſimili dubbj, affinchè con continui ricorſi non s'inquietino i miniſtri della Sagra Congregazione, ne rimette agli Ordinarj la deciſione.*

Die 10. Maii 1742.

Ex audientia Sanctiſſimi: Sanctiſſimus annuit, nempe pro facultate addendi declarationem: de qua in precibus, ſimulque imprimendi una cum aliis monitis alias impreſsis.

L. Card. Pico Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

A. M. Erba Proton. Apoſt. Secr.

Porro præfata Monita ad rite peragendum prium Exercitium *Viæ Crucis* juſſu Clem. XII. exarata, ſtatim ſuis communicaverat P. Commiſſarius Ordinis, ut ſequitur.

F. CRESCENTIO KRISPER,

Dell'Ordine de' Frati Minori della più ſtretta Oſſervanza Lettor Emerito, Scrittore dell'Ordine, e in queſta Ciſmontana Famiglia Commiſſario Generale, e Servo.

Alli Molto Diletti in Chriſto Padri, e Frati, Superiori, e Sudditi della Famiglia medeſima ſalute, e pace nel Signore.

IL paterno zelo, e ſollecita Vigilanza, con cui Noſtro Signore Clemente XII. porge al Mondo Cattolico prove „ ben chiare dell'animo ſuo continuamente applicato ai ſpi„ rituali vantaggi del Popolo Criſtiano, avendolo portato ul„ timamente alla riſoluzione di facilitare ai Fedeli la ſtrada „ d'eſercitarſi nella contemplazione dei dolori, e morte del „ Noſtro Redentore, con permettere, che poſſa erigerſi „ anche nelle Chieſe fuori del noſtr' Ordine la Via Crucis „ con quello ſteſſo Teſoro d'Indulgenze, ch'era alle ſole „ erette nelle noſtre Chieſe ampiamente conceſſo, ed eſſen„ done a Noi per ſomma benignità della Santità Sua, recata „ la notizia, ſtimiamo incombenza del noſtro Offizio il traſ„ metterla alle P. P. V. V. accompagnata dall' avviſo d'al„ cune circoſtanze, che debbano inviolabilmente oſſervarſi, „ appartenenti al modo, con cui nelle Chieſe, o luoghi „ fuori dell'Ordine potrà la ſuddetta Via Crucis fondarſi. „ Poſta dunque ſu tal particolare la volontà della Santità „ Sua, dichiarata con Breve Apoſtolico ſotto il dì 30. Gen„ najo dell'anno corrente e ſucceſſivamente, eſſendoſi de„ gnata d' aſcoltare le ſuppliche del P. Reverendiſs. Giu„ ſeppe Maria d' Evora Commiſs. Gen. di Curia per la „ chiarezza d'alcuni dubbj inſorti ſu queſta materia, ne ri„ ſultò quella particolare eſpreſſione del ſuo benigniſſimo „ ſentimento, che vedeſi ordinata per varj punti nel foglio „ ſtampato ſotto il Titolo: Avvertimenti neceſſarj per re„ golare il divoto Eſercizio della Via Crucis, che anneſſo „ a queſta noſtra Circolare vi ſi traſmette. Ciò non oſtante, „ venuti poi fuori altri dubbj di non picciola rilevanza, e „ vedendoſi che laſciati ſenza il convenevole ſcioglimento, „ potevano turbare la divozione dei Popoli, ſtimò bene il „ ſuddetto P. Reverendiſs. Commiſs. di Curia umiliare ai „ piedi della Santità Sua nuove ſuppliche premuroſe, affin„ chè ſi degnaſſe venire ad una preciſa, ed individuale di„ chiarazione della ſua mente intorno al modo, o circoſtan„ ze, che poſſono occorrere nella ſuddetta erezione della „ Via Crucis, delle quali umiliſſime preghiere avendo la „ Santità Sua aſcoltato con egual Bontà il contenuto, ad og„ getto di mantenere lontani anche i ſoſpetti di confuſione, „ e diſturbi, che da queſte nuove fondazioni naſcer poteſ„ ſero, per mezzo d'un ſuo Reſcritto ſotto il dì 3. Maggio „ 1731. venne ad una particolariſſima eſpreſſione della ſua „ volontà ſecondo il tenore dei punti che ſieguono.

Primo. „Che i Superiori Generali faccino pubblicare a „ tutte le Provincie, e Conventi con loro Lettera Circolare „ la Iſtruzione con li avvertimenti ſuddetti del Sig. Card. „ Prefetto dell'Indulgenze, perchè ſia tutti nota la mente „ di Sua Santità.

Secondo. „Che invigilino, ed avvertano li Superiori locali „ a non eſſere tanto facili nell'erigere in ogni luogo queſta „ Divozione, ma cauta, e prudentemente, affinchè la „ moltiplicità non ne rechi confuſione, e diſprezzo.

Terzo. „Che dove ſono Conventi dell'Ordine, eſſendo „ picciole le Città, e luoghi, non poſſano erigerne altre „ fuori dei medeſimi Conventi, e nelle Città grandi ſi re„ golino ſecondo una diſcreta diſtanza, e ſeguendo il bi„ ſogno di Controverſia ſpetti al Superiore Generale il „ determinarla.

Quarto. Nei Luoghi, dove non ſono noſtri Conventi, il „ Convento più vicino, ed il ſuo Superior locale abbia la „ facoltà ſolamente per l'erezione, e quando vi ſiano due „ egualmente vicini, il più antico, e ſe di antichità ambi „ eguali, l'Oſſervante preceda il Riformato, e così riſpet„ tivamente con i Scalzi per togliere in queſta guiſa ogni diſ„ ſenſione trai Fratelli del medeſimo Inſtituto.

Quinto. „Che in tutti i dubbj, i quali per ſimile mate„ ria poſſono naſcere, ſi ricorra ai Superiori Generali per la „ deciſione, e determinazione ſotto la pena ad arbitrio dei „ medeſimi.

„ Eſſendo poi la volontà di noſtro Signore che i Superiori „ locali non ſiino sì facili ad erigere in ogni luogo queſta di„ vozione, e che in tutti i dubbj ſi ricorra ai Superiori Ge„ nerali, come appare dal ſecondo, ed ultimo punto de' „ ſopraddetti, reſtando per altro fermo il terzo, cioè, che „ eſſendo picciole le Città, e Luoghi, non poſſano erigerne „ altre fuori de' noſtri Conventi, ſtimiamo eſſere aſſai a pro„ poſito il preſcrivere una Regola più eſatta, e ſtimiamo „ eſſere aſſai d'utile prevenire quelle dubbiezze e diſordini, „ che potrebbono accadere in ordine alle Città grandi, e „ principali. Ritrovandoſi adunque per ordinario in queſte „ principali Città più Conventi dell'Ordine, ſieno Oſſer„ vanti, o Riformati, o Scalzi, ſarà bene, che per evi„ tare la confuſione, e diſprezzo, potendo baſtare le ſole „ erette nelle noſtre Chieſe, non ſe ne permettano altre fuo„ ri di queſte. Quando però accadere doveſſe nelle ſuddet„ te Città per calde iſtanze de' Fedeli qualche nuova ere„ zione della Via Crucis fuori de' noſtri Conventi, vogliamo, „ non v'ha dubbio, che ſi regoli l'affare ſecondo la già det„ ta diſcreta diſtanza; ma determiamo nel tempo ſteſſo, che „ il corſo, e termine della medeſima ſia bene ponderato da' „ Superiori locali, che dovranno avviſarne il Superiore „ Generale, ed aſcoltare da queſto la riſoluzione, ſe la di„ ſtanza da' noſtri Conventi ſia tale da poterſi prudentemente „ concedere la richieſta fondazione.

„ Aſſiſtendo poi una ſpecial ragione per l'interiore de' Mo„ naſterj di Monache, ſieno o in Città, & in altri Luoghi, „ dovrà ſervarſi tal Regola, che ſe i Monaſterj ſon ſogget„ ti all'Ordine, dovranno farne la richieſta a' Superiori ri„ ſpettivamente, ed aſpettar da queſti la ſuddetta fonda„ zione, giuſta il metodo preſcritto nelli avvertimenti dell' „ Eminentiſſimo Cardinale Prefetto. Se poi foſſero eſenti „ dalla noſtra Giuriſdizione, ad oggetto di troncare quelle „ conteſe, che potrebbono naſcere trai Conventi vicini, „ dovranno recarne a Noi l'avviſo per deputare un Religio-

„ so, che stimeremo più a proposito per esemplarità di co-
„ stume: siccome abbiamo di già cominciato a praticare con
„ soddisfazione di quei Monasterj, che ne han fatta la
„ richiesta.

„ Ed affinchè specialmente i PP. Superiori locali non pos-
„ sano allegare scusa, o ignoranza nei casi, che potreb-
„ bono accadere, vogliamo, che in ogni Convento si tenga
„ copia, non solo dei suddetti avvertimenti, ed instruzio-
„ ni dell'Eminentissimo Signor Cardinale Prefetto stese nel
„ foglio annesso, ma ancora di questa nostra Circolare, e
„ particolarmente dei punti nella medesima espressi, che
„ portano una dichiarazione più speciale della mente, e vo-
„ lontà di Nostro Signore, per la felicità, e salute del quale
„ in corrispondenza delle particolari obbligazioni, che gli
„ professa il nostro Ordine, dovrà ciascuna delle P.P. e R.R.
„ V.V. impiegare calde preghiere all'Altissimo; Siccome
„ per il nostro Reverendissimo Ministro Generale, e per
„ Noi finalmente, che salutandole di cuore diamo a tutti
„ la nostra Serafica Benedizione.

„Data in Roma in questo Nostro Convento di S. Maria d'Araceli il dì 26. Maggio 1731.

Affezionatissimo Servo nel Signore.

Fr. Crescentio Krisper Commissario Generale Loco del ✠ Sigillo,

D'Ordine di S. P. Reverendiss.

F. Gaetano Segr. Generale.

63 Assignantur, & enumerantur Indulgentiæ, quas Innocentius XI. ad instantiam P. Marini Sormani Ministri Generalis totius Ordinis Seraphici Minorum S. P. N. Francisci concessit in perpetuum per Breve, quod incipit: *Unigeniti Dei Filii*, datum 28. *Januarii* 1688. Crucibus, Coronis, & Rosariis, quæ tetigerunt loca Terræ Sanctæ, & Sacras Reliquias ibi existentes, revocando, & annullando omnes alias Indulgentias, quæ dicuntur esse concessæ ab aliis Summis Pontificibus, supradictis Crucibus, Coronis, & Rosariis.

Quicumque igitur habebit Sacram aliquam Crucem, & Rosarium, aut Coronam, quæ tetigit loca Sancta, & Sacras Reliquias Terræ Sanctæ, lucrabitur Indulgentias sequentes, operando sicut sequitur, Videlicet,

Qui consuevit dicere semel ad minus in Septimana Coronam Domini, aut Dominæ, aut Rosarium, vel tertiam eius partem, aut Officium, vel Divinum, vel parvum Dominæ, vel de mortuis, aut Septem Psalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut docere Doctrinam Christianam, vel invitare carceratos, vel infirmos alicujus Hospitalis, vel subvenire pauperibus, vel Missam audire, vel quando Sacerdos est, illam legere, si vere pœnitens, & confessus apud Confessarium approbatum ab Ordinario communicaverit in quolibet infrascriptorum dierum, scilicet Natalis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, in Festis Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis Domini; In Festis Purificationis, *Annuntiationis*, *Assumptionis*, & Nativitate S. Joannis Baptistæ, in Festis SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Matthiæ, & omnium Sanctorum, & devote oraverit Deum pro extirpatione Hæresum; & Schismatum, pro augmento Fidei Catholicæ, pro pace, & concordia Principum Christianorum, & pro aliis necessitatibus Sanctæ Ecclesiæ, in ipso die acquirit remissionem omnium suorum peccatorum, & Indulgentiam plenariam.

Qui faciet illas ipsas res in aliis Festis Domini, aut Beatissimæ Virginis in unoquoque dictorum dierum, consequetur septem annos, & totidem Quadragenas de Indulgentia; & faciendo eadem in unaquaque Dominica, aut in alio Festo anni, lucrabitur quinque annos, & totidem Quadragenas, faciendo in alio die anni, acquiret centum dies de Indulgentia.

Quicunque in articulo mortis devote recomendabit Deo animam suam, invocando nomen Jesu, ore, aut, si non potest, corde, vere pœnitens, confessus & comunicatus, aut, si non potest, ad minus contritus consequetur remissionem omnium suorum peccatorum, & Indulgentiam plenariam.

Qui faciet antiquam Orationem præparatoriam ante celebrationem Missæ, aut Communionem, aut ante recitationem Officii Domini, vel Beatæ Virginis consequetur semper quinquaginta dies de Indulgentia.

Qui visitabit carceratos, aut infirmos in Hospitali adjuvando eos aliquo opere pio, aut in Ecclesia docebit Doctrinam Christianam, vel domi tradet eam propriis filiis, parentibus, servis, semper lucratur ducentos dies de Indulgentia.

Qui consueverit semel ad minus in septimana dicere Coronam, aut Rosarium, aut Officium nostræ Dominæ, aut de mortuis, aut Vesperas, aut unum Nocturnum ad minus cum Laudibus, aut septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & precibus, lucratur in illo die, quo id dicet, centum dies, ultra Indulgentias concessas a S. Pio V.

Qui ad sonum Campanæ alicujus Ecclesiæ, mane, aut sero, aut medio die recitabit solitas preces *Angelus Domini* &c. aut, si id non sciat, *unum Pater*, *& unum Ave Maria &c.* aut pariter dum sonat signum pro mortuis dicet Psalmum *De profundis &c.* aut *unum Pater*, *& unum Ave Maria &c.* si non sciat illum Psalmum, consequetur centum dies de Indulgentia.

Qui in die Veneris devote meditabitur Passionem, & mortem Jesu Christi Domini Nostri, & dicet *tre Pater noster*, *& Ave Maria*, in illo die lucratur centum dies de Indulgentia.

Qui vere pœnitens de suis peccatis cum firmo proposito se emendandi faciet examen conscientiæ, & recitabit *ter Pater noster*, *& Ave Maria*, aut in honorem Sanctissimæ Trinitatis similiter dicit *ter Pater*, *& Ave Maria*, aut in memoriam quinque vulnerum Jesu Christi *quinque Pater noster*, *& Ave Maria*, lucratur centum dies de Indulgentia.

Qui orabit devote pro fidelibus agonizantibus, vel dicet *unum Pater noster* ad minus, *& Ave Maria* pro ipsis, consequetur in illo die quinquaginta dies de Indulgentia.

Omnes supradictas Indulgentias potest quis lucrari pro se in supradictis diebus, aut eas applicare per modum suffragii animabus Purgatorii.

J. Fr. Albani Secr.

Hoc Decretum Romæ, & alibi fuit impressum idiomate Italico.

Indulgentiæ Coronarum, & Crucem Hierosolymitanarum, aut Caravacensium declarantur. 64

Decretum Sacræ Congregationis Indulgentiis, & S. Reliquiis præpositæ.

Sub INNOCENTIO PAPA XIII.

NUper Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ relatum fuit, passim evulgari Summarium quoddam Indulgentiarum germanico idiomate conscriptum, quod latine versum incipit: *Indulgentiæ, quæ concessæ fuerunt a san. mem. Papa Sixto V., Paulo V., Urbano VIII., Innocentio X., Alexandro VII., Clemente IX. super Coronis, Crucibus factis Hierosolymis, & Bethleem, denuo confirmatæ a Summis Pontificibus Clemente X., & Innocentio XI die 11. Junii anni 1670. Impressum Augustæ a Joanne Michaele Labhart Anno 1720.*

Cum autem in dicto Summario nonnullas Indulgentias falsas aut apocryphas, aut ab Apostolica Sede revocatas continere deprehensum fuerit, ideo, ne Fideles decipiantur, eadem Sacra Congregat. habita die 11. Mart. 1721. prædicti Summarii Augustæ impressi, vel denuo ubicumque imprimendi usum interdixit, illud prohibuit sub pœnis in indice librorum prohibitorum contentis, declarando gestantes Cruces, & Coronas, quæ loca Terræ Sanctæ & Sacras Reliquias ibi existentes tetigere, illas dumtaxat Indulgentias lucrari posse, quas sa. mem. Innocentius XI. Litteris in forma Brevis emanatis die 28. Januarii anni 1688. prædicta gestantibus, & pia opera in eodem Brevi præscripta devote peragentibus concessit. Insuper cum eidem Sacræ Congregationi pariter delatum fuerit, nonnullos turpis lucri cupidos, non sine magno Fidelium scandalo, prædictas Cruces, & Coronas publice vendere, aut mercibus commutare ausu temerario non erubescere: Ideo stricte prohibuit, ne in posterum, aut publice, aut secreto vendantur, aut quomodocumque commutentur; addita etiam declaratione, quod non transeat Personam illorum, quibus prima vice distribuuntur, & quod neque commodari, aut precario dari possint, & quod aliqua re ex prædictis deperdita pro ea subrogari altera non valeat: Quod, si secus fiat, prædictæ Cruces, & Coronæ careant Indulgentiis jam concessis. Cum etiam Sacræ Congregationi Indulgentiarum innotuerit, evulgatum fuisse alterum Summarium

marium Indulgentiarum germanico pariter Idiomate conscriptum absque loco editionis, & nomine Impressoris, cujus initium latine redditum est: *Indulgentiæ, quæ Crucibus Caravacensibus concessæ fuerint a Romanis Pontificibus Pio V. Gregorio XV. & Clemente X. denuo confirmatæ ab Innocentio XII.* Et incipit.: *Pro Amatorum*, in quo multæ Indulgentiæ penitus confictæ, apocryphæ, & falsæ deprehensæ fuerunt, eadem Sacra Congregatio dicti Summarii impressionem, & usum sub iisdem pœnis in indice librorum prohibitorum contentis interdixit. Quibus omnibus per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Innocentio XIII. relatis die quarta mensis Junii, Sanctitas Sua sententiam Sacræ Congregationis approbavit, & in omnibus executioni mandari jussit. Datum Romæ die quinta ejusdem mensis anni 1721.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

65 Omnes Personæ trium Ordinum S. P. N. Francisci possunt semel in vita, & in mortis articulo ex concessione Sixti IV. plenarie absolvi per idoneum Confessarium de licentia suorum Superiorum eligendum, ab omnibus suis peccatis, & plenariam suorum peccatorum remissionem consequi; Et hoc etiamsi ante factam eorumdem Ordinum Professionem eos decedere contigerit. Casarubios *in Compendio privilegiorum nostrorum, & aliarum, verb. Absolutio extraordinaria quoad Fratres, num. 5. & 6.* Et quod Indulgentiam plenariam in articulo mortis habetur etiam ex concessione Pauli V. facta omnibus Regularibus Constitut. incip. *Romanus Pontifex* §. 8. relata supra *art. 4. num. 7.* Et pro absolvendis sic constitutis in articulo mortis potest adhiberi hæc formula.

Confiteor Deo, &c. Misereatur, &c.
Indulgentiam, &c.

Dominus Noster Jesus Christus, per merita suæ Sacratissimæ Passionis te absolvat, & Gratiam suam tibi infundat. Et ego auctoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commissa, & tibi concessa, absolvo te ab omni vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris (Suspensionis) & Interdicti, si quod forte incurristi, & dispenso tecum in omni Irregularitate si quam contraxisti, & restituo te unioni, & participationi Fidelium, necnon Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Item eadem auctoritate Ego absolvo te ab omni transgressione Votorum, & Regulæ tui Ordinis, & Statutorum Papalium, Generalium, Provincialium, Custodialium, Localium, & Synodalium quorumcumque. Item eadem auctoritate Ego te ab omni Divino Officio male persoluto, Horis indebite transpositis, vel omissis. Item eadem auctoritate Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum, & Proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquisti, & ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis; concedens tibi remissionem, & Indulgentiarum plenariam peccatorum tuorum confessorum, & etiam cunctorum, de quibus non recordaris, aut oblitus fuisti in quantum Claves Ecclesiæ se extendunt. Item eadem auctoritate Ego absolvo te a penis Purgatorii, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruisti, restituendo te illi innocentiæ, in qua eras quando baptizatus fuisti. In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & ✠ Spiritus Sancti. Amen. Quod si hac vice non decesseris, reservo tibi hanc Gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

Hæc forma absolvendi excerpta est ex Manipulo Fratrum Minorum Sancti P. Francisci sexta parte Parisiis impresso anno 1582. et reimpresso Mediolani in Typographia Joan. Petri Cardi.

66 Item ex concessione Leonis X. possunt consequi eamdem Plenariam absolutionem, & Indulgentiam, ac insuper Papalem Benedictionem quater in anno diebus, quibus maluerint. Casarubios *loc. cit. num. 7. & seq.* Et traditur formula pro tali Absolutione, & Benedictione.

Confiteor Deo &c. Misereatur &c.
Indulgentiam &c.

„ Dominus noster Jesus Christus per merita suæ Sacra-
„ tissimæ Passionis vos absolvat, & Gratiam suam vobis
„ infundat. Et Ego auctoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum Ordini nostro, ac vobis concessa, & mihi in hac parte commissa absolvo vos ab omni vinculo Excommunicationis majoris vel minoris (Suspensionis) & Interdicti, si quod forte incurristis, & restituo vos unioni, & participationi Fidelium, necnon Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Votorum, & Regulæ, Constitutionum, Ordinationum, & Admonitionum Majorum nostrorum, ab omnibus pœnitentiis oblitis seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris, quibus contra Deum, & Proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis; Concedens vobis remissionem, & Indulgentiam Plenariam omnium peccatorum vestrorum confessorum, & etiam cunctorum, de quibus non recordamini, aut obliti fuisti, in quantum Claves Ecclesiæ se extendunt, & restituo vos illi innocentiæ in qua eratis quando baptizati fuistis, & quomodo Sanctitas Domini nostri N. Papæ faceret, si ipsimet in Confessione peccata vestra auscultaret; Ac eadem auctoritate Apostolica Benedictionem Papalem vobis impertior.

In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

„ Injungitur deinde aliqua Pœnitentia.

„ Ite in pace, & Gratia Dei, & orate pro me.

Item ex concessione ejusdem Leonis X. possunt consequi 67
Plenariam Absolutionem, & Indulgentiam in omnibus Solemnitatibus, seu Festis Domini Sabaoth, et Beatæ Mariæ Virginis, Omniumque Sanctorum, et Apostolorum Petri, et Pauli, ac Sancti Patris Francisci, et Sanctæ Claræ, et per totam majorem hebdomadam. Casarubios *loc. cit. num. 8. & seq.* Ac insuper in Festo Sanctæ Catharinæ Virginis, et 68
Martyris. Casarubios *loc. cit. num. 10.* Et traditur formula pro tali Absolutione Plenaria.

Confiteor Deo &c. Misereatur &c.
Indulgentiam &c.

Dominus Noster Jesus Christus per merita suæ Sacratissimæ Passionis vos absolvat, & gratiam suam vobis infundat. Et auctoritate ipsius, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli & Summorum Pontificum Ordini nostro, ac vobis concessa, & mihi in hac parte commissa, absolvo vos ab omni vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris (Suspensionis) & Interdicti, si quod forte incurristis, & restituo vos unioni, & participationi Fidelium, necnon Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Item eadem auctoritate absolvo vos ab omni transgressione Votorum, & Regulæ, Constitutionum, Ordinationum, & Admonitionum Majorum nostrorum, ab omnibus Pœnitentiis oblitis, seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris, quibus contra Deum, & Proximum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquistis; Concedens vobis remissionem, & Indulgentiam Plenariam omnium peccatorum vestrorum confessorum, & etiam cunctorum de quibus non recordamini, aut obliti fuistis, in quantum Claves Ecclesiæ se extendunt; & restituo vos illi innocentiæ, in qua eratis, quando baptizati fuistis.

In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Injungitur deinde aliqua Pœnitentia.

Ite in pace, & Gratia Dei, & orate pro me.

Advertendum tamen est, ut notat ipse Casarubios *loc cit.* 69
quod supradictæ Absolutiones Plenariæ, & Indulgentiæ debent consequi de consensu suorum Prælatorum, & Confessores electi, & ad id deputati debent eis aliquam salutarem Pœnitentiam injungere. Ac insuper est advertendum, quod nunc licet subsistat Indultum quantum ab Absolutionem Plenariam, & Benedictionem Papalem, videtur tamen revocatum quantum ad consecutionem Indulgentiæ Plenariæ pro seipsis, per cit. Constitutionem Pauli V. incipient: *Romanus Pontifex*. Ad quod facit etiam Propositio 37. in ordine inter merito damnatas ab Alexand. VII. die 18. Martii 1666. ibi: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ*, contra asserentes dictas revocatas Indulgentias hodie esse revalidatas; Et solum videtur non esse revocatum tale Indultum quantum ad consecutionem Indulgentiæ Plenariæ pro Animabus Purgatorii, quia, ut tradit clarissimus, & eruditissimus Pater Viva *in Apendice Indul-*

gentiarum §. 1. sub num. 6. vers. Illud. certum est, Paulus V. non revocavit Indulgentias pro Animabus Purgatorii Regularibus concessas, ut idem Pontifex 23. Februarii 1609. testatus est apud Gobat, Pellizar. Quintanadv. *dub. 2. num. 1.* & Dianam *part. 4. tract. 4. resol. 20.* Tum quia Fratres Minores, Clarissæ, et Tertiarii possunt applicare per modum suffragii omnes Indulgentias, et opera meritoria Animabus Purgatorii, ex concessione Gregorii XV. per suum Breve, sub die 10. Novembris 1622. Et Leo X. jam die 3. Februarii 1517. concesserat ipsis Fratribus Minoribus, ut omnes omnino Indulgentias usque ad id tempus concessas per modum suffragii applicare possent, ut habetur etiam *in Compendio Privilegiorum Societatis Jesu §. 7.* uti testatur dictus Sapientissimus Pater Viva *loc. cit. §. 3. vers. Plurimæ aliæ*, ubi subjungit, quod idem concesserit Sixtus V. Chordigeris S. P. Nostri Francisci, in Constitut. incip. *Divinæ caritatis 7. Maii 1586.* Vide *supra n. 12. & art. 2. n. 28. & art. 4. sub n. 8. & 11.* et verb. *Prælatus Regularis a num. 67. ad 69.* ubi multa, ad rem.

70 Omnes Personas utriusque sexus trium Ordinum S. P. N. Francisci in Claustris degentes Reverendissimo Patri Ministro Generali totius Ordinis immediate subjectæ possunt semel in die lucrari Indulgentiam per modum suffragii, et liberationem animæ cujuscumque Christifidelibus a pœnis Purgatorii recitando tertiam partem Rosarii cum quinque Pater, et Ave, ac totidem Gloria Patri &c. juxta mentem Sanctitatis suæ ante Altare SS. Sacramenti vel (si fuerint rationabiliter impeditæ) quocumque in loco ante aliquam Crucifixi, vel Deiparæ imaginem. Sic concessit novissime Benedictus XIII. ut patet ex sequenti Rescripto Romæ die 21. Decembris anni 1729. mihi, dum Ministrum Provinciæ hujus Observantis Provinciæ Sancti Didaci, licet immerito, agerem, transisso a Reverendissimo Patre Josepho Maria ab Ebora, tunc Commissario Generali Curiæ, et anno 1733. Ex Generali Totius Ordinis, et Regis Portugalliæ Ministro.

Rev. Adm. P. M. Observ.

Cum alias fel. rec. Paulus PP. Tertius indulserit, ut qui Fratres Laici hujus Aracælitani Conventus semel in die pro anima cujuscumque Christifidelis in Purgatorio detenta recitarent unam Coronam Beatæ Mariæ Virginis ad Capellam, seu Altare privilegiatum S. Helenæ in hoc Templo Aracælitano existens adinstar Sacerdotum in eodem Altari celebrantium pro eadem anima Indulgentiam per modum suffragii, & a Purgatorii pœnis liberationem obtinerent: novissime supplicatum fuit Sanctissimo Domino N. Benedicto XIII. et ab ipso impetratum, ut eodem privilegio frui possint ii pariter Sacerdotes, qui Ad Altare SS. Sacramenti tertiam partem Rosarii cum quinque Pater, et Ave, ac totidem Gloria Patri recitabunt. Ceterum cum ejusmodi concessio ad solos Fratres hujus Almi Conventus arctari videretur, cumque de thesauro hujus Indulgentiæ, seu Privilegii Fratres omnes ubique Terrarum participare vehementissime cuperem, supplicem libellum porrexi Sanctitati Suæ, quatenus super hac re mentem suam declarare, dictumque Privilegium extendere dignaretur *ad omnes omnino personas utriusque sexus trium Ordinum Sancti P. N. Francisci in Claustris degentes, & Reverendissimo P. Ministro Generali totius Ordinis immediate subjectas*, quæ tertiam partem Rosarii, ut præfertur, ac præterea quinque Pater, & Ave, cum totidem Gloria Patri juxta mentem Sanctitatis Suæ ante aram, in qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asservatur, vel (si fuerint rationabiliter impeditæ) quocumque in loco ante aliquam Crucifixi, vel Deiparæ imaginem recitarent, cui quidem supplicationi Sanctissimus Pater pro sua erga Ordinem Seraphicum, ejusque Alumnos Clementissima voluntate per Rescriptum Eminentissimi Domini Nicolai Mariæ Cardinalis Lercari a Secretis Status Sanctitatis Suæ sub die nona Decembris hujus Anni millesimi septingentesimi vigesimi noni etiam annuere dignatus est. Hanc proinde concessionem redigi curabo in seriem Indulgentiarum Ordinis, de quibus a Sancta Sede specialis Bulla in proximo emanabit: verumtamen omittere non potui, quin eam acturum indicarem Paternitati Tuæ adm. Reverendæ, ut religiosissima pietas, quæ in Provincia tibi subdita maxime floret, singularem hunc dignationis Apostolicæ fructum statim percipiat, & animabus in Purgatorio lugentibus tam insigne suffragium nullatenus retardetur; eamdemque solicitudinem meam Paternitati Tuæ adm. Rev. animi ad Officia paratissimi testem exhibeo.

Romæ ex *Aracæli* 21. Decemb. 1729.
Paternitatis Tuæ Adm. Rev.

Promptissimus ex animo Servus
Fr. Joseph. Maria ab Ebora
Commissarius Generalis Curiæ.

Omnes tres Ordines a S. P. N. Francisco instituti ultra supra recensitas, & alias Indulgentias sibi specialiter a Sede Apostolica concessas, gaudent etiam Indulgentiis aliis Regularibus concessis ex communicatione cum ipsis sibi concessa a variis Summis Pontificibus, scilicet Sixto IV. Julio II. Leone X. & expresse a Clemente VII. die 30. Maii 1525. Constit. incip. *Cum fructus uberes*, quæ Bulla fuit confirmata a Paulo IV. S. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & aliis, specialiter a Clemente VIII. die 20. Decembris 1595. Constitut. incip. *Ratio Pastoralis Officii*, & novissime a Benedicto XIII. die 10. Decembris 1725. Constitut. incip. *Paterna Sedis Apostolicæ*, in qua referuntur plures alii Summi Pontifices, qui similes ei fecerunt concessiones, & ab eodem Bened. XIII. quinto Nonas Aprilis 1727. Constitut. incip. *Summæ decet* ubi plurimæ aliorum Summiorum Pontificum referuntur Constitutiones similes gratias, & Indulgentias eis concedentes. 71

Ceteri etiam alii Regulares gaudent, nedum Indulgentiis sibi a variis Summis Pontificibus specialiter concessis, ut videre est in suis respective Privilegiorum Compendiis, sed, etiam per viam Communicationis gaudent Indulgentiis nostrorum trium Ordinum Seraphici Patris Francisci, & quorumcumque aliorum, ut patet apud Casarubios *in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium verb. Communicatio Privilegiorum*, & in aliis respective aliorum Compendiis, & sic Certa, & Communissima tum Canonistarum, tum Theologorum. 72

Communicatio autem Indulgentiarum inter Regulares sic debet intelligi. Primo, quod Indulgentias omnes concessas Ecclesiis unius ex OrdinIbus Regularibus lucrari potest in Ecclesia sui Ordinis quivis alius Regularis, nisi obstet aliqua specialissima ratio. Non tamen potest idcirco quilibet Sæcularis easdem lucrifacere in qualibet Ecclesia alterius Ordinis. Sic desumitur ex declaratione facta a Leone X. in Constitut. incip. *Dudum per Nos*, ubi, cum dixisset *illos plus sapere*, *quam oporter*, qui ex eo, quod Indulgentiæ Templis unius Ordinis Mendicantium impertitæ, essent communicatæ Templis aliorum Ordinum Mendicantium, inferebant, Sæculares posse in Ecclesiis Prædicatorum, Minorum &c. obtinere Indulgentiam, quam prædecessores ejus elargiti erant visitantibus Ecclesiam B. Mariæ Virginis de Populo de Urbe ad Augustinianos Eremitas spectantem: *Attendentes*, inquit „ *quod Indulgentia, intuitu Religionis concessa, ad Sæculares extendi non debet volentes mentem Prædecessorum nostrorum, & nostram declarare, volumus, & auctoritate Apostolica declaramus, quod universi, & singuli dictorum Ordinum Fratres, & Moniales &c. prædictis Indulgentiis gaudeant, perinde ac si ipsi dictam Domum B. Mariæ de Populo personaliter visitarent; quodque vigore prædictarum Litterarum sæculares Indulgentiis hujusmodi gaudere non possint.* Sic Gobat, *tract. 4. de Indulgent. part. 2. cap. 27. num. 555.* Quintanadvenas *in Appendice ad sua singularia tract. 4. dub. 14.*

Hæc tamen Indulgentiarum communicatio non debet extendi ad Indulgentias concessas pro singularibus Festivitatibus hujus, aut illius Ordinis; unde licet Indulgentia Portiunculæ sit extensa ad omnes Ecclesias trium Ordinum S. P. N. Francisci, non tamen censetur extensa ad Ecclesias aliorum Ordinum. Gobat *loc. cit. num. 550.* ubi dicit sic ex Casarubio notari *in compendio privilegiorum suæ undequaque dignissimæ Societatis verb. Indulgentiæ §. 12.* Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 33. §. 3. num. 61.* Kazenberger *loc. cit. n. 85.* Quintanadvenas *loc. cit. dub. 3.* Peyrin. Lezana, & alii. Quapropter Lezana *verb. Indulgentia num. 8.* censet prædictum Communicationis privilegium intelligendum esse solum de Indulgentiis, quæ in genere concessæ sunt Ecclesiis Regularium, non autem de illis, quæ specialiter pro aliqua Ecclesia in particulari datæ sunt. Sic etiam Kazenberger *loc. cit. numer. 85.* Gobat *loc. cit. n. 1550.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 62* ubi dicit, idipsum asserendum esse de privilegiis, quæ concessa fuerunt ob aliquam specialem rationem, ut quando Indulgentia concessa est uni loco speciali, quia ibi est Imago v. gr. Virginis Mariæ 74

riæ cum magna veneratione fidelium, nam hæc est specialis ratio illius loci, qua alia loca carent. Idem pariter asserendum de Altaribus privilegiatis ob specialem rationem talis Altaris. Idem etiam dicendum de Indulgentiis in honorem alicujus Sancti concessis Ecclesiis, per tot, vel tot annos, nam hæ non communicantur aliis Regularibus. Antonius de Spiritu Sancto *in director. Regular. tract. 1. disput. 1. sect. 3 num. 4.* Donatus *part. 1. tom. 1. tract. 7. quæst. 14, & 15.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 16.* Kazenberger *loc. cit. num. 85,* & ipso teste, alii communiter; *arg. cap. Cum Capella 16. de privilegiis*, ubi dicitur, quod concessum uni Ecclesiæ, vel Provinciæ, seu loco, nequit trahi ad aliam Ecclesiam, seu Provinciam, vel locum.

75 Secundo prædictum communicationis privilegium intelligendum est, quod omnes Indulgentiæ concessæ immediatè, & directè Religiosis, vel eorum oblatis, Parentibus, Cognatis, Procuratoribus, Benefactoribus, Servatoribus, & similibus personis ad aliquem Ordinem spectantibus, intelligantur concessæ etiam omnibus aliis similibus Religiosis, & personis ad alios Ordines spectantibus. Sic declaravit, & concessit Julius II. die 1. Junii 1509. Prædicatoribus, & Fratribus Minoribus per sequentem Constitutionem.

Venerabilibus Fratribus Salamantino, Pacen. & Corduben. Episcopis, & eorum Cuilibet.

JULIUS PAPA II.

Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam Benedictionem.

ALias ad supplicationem Carissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Regis &c. & infra, quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum, & Indultorum præfatorum Communicatione, tam universaliter per Prædecessores nostros toti Ordini Minorum, quam etiam per Nos particulariter prædictorum Regnorum Fratribus facta, ea, quæ ad Absolutionem, Generalem, seu Magistrum Ordinis Prædicatorum spectant, ad Ministrum, vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad Priores Conventuales, idest Prælatos singularum Domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios similiter spectent ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea, quæ ad Priores, seu Vicarios, vel Sub-Priores Vicarios, idest Prælatos, qui medii sunt, quocumque nomine censeantur, et vocentur inter dictum Generalem, seu Magistrum Ordinis, & Priores Conventuales, eorumque Vicarios simili modo spectent ad Ministros, & Vicarios Provinciales, ac Custodes, qui etiam medii sunt inter Ministrum, & Vicarium Generalem, et Guardianos, eorumque Vicarios similiter pertineant, et sicut de potestate Prælatorum, scilicet de Prælatis ad Prælatos dictum est, ita de Congregationibus unius ad Congregationem alterius Ordinis, et de Fratribus privatis, idest sine Prælatura ad Fratres privatos, & de Festivitatibus ad Festivitates, in his casibus, in quibus, Congregationibus, vel Fratribus privatis, aut Festivitatibus unius Ordinis aliquid conceditur, Congregationibus, Fratribus privatis, aut Festivitatibus alterius Ordinis, nunc, & pro tempore respective concessa intelligantur. Ita quod ea, quæ in honore Sanctorum Dominici, Petri Martyris, Thomæ de Aquino, Catharinæ de Senis Fratribus, vel locis Prædicatorum sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus præfatis, eorumque locis in Festivitatibus Sanctorum Francisci, Antonii, Ludovici, Bernardini, Bonaventuræ, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui apud Marochium Martyrii Coronam adepti sunt, S. Glaræ & in aliis festivitatibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in majori numero, quam Festa ipsorum Fratrum Prædicatorum, sint, & intelligantur concessa ad tollendam quamcumque hæsitationem, & inde forte ortum scrupulum, auctoritate, & tenore præfatis declaramus.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die prima Junii 1509. Pontificatus nostri anno sexto.

76 Unde ut vides, hæc privilegiorum, & Indulgentiarum communicatio non debet esse identica materialis, sed analoga formalis, hoc est, similis, & fere eadem secundum quamdam proportionem, & status decentiam; Ita ut, totum id, quod est concessum Generali Prædicatorum pro suo Ordine, censeatur etiam concessum Generali Minorum pro suo, & quibuslibet aliis Generalibus pro suis respective Ordinibus; & totum id, quod est concessum Provincialibus Prædicatorum pro suis Provinciis, censeatur concessum Provincialibus Minorum, & aliorum Regularium pro suis respective Provinciis; & totum id, quod est concessum Priori Prædicatorum pro suo Prioratu, censeatur concessum Guardiano Minorum pro suo Guardianatu, & Superiori locali cujuslibet alterius Religionis pro suo locali Superioratu; & totum id, quod est concessum Religiosis subditis in, & pro suo Ordine Prædicatorum, censeatur concessum Religiosis subditis in, & pro suo Ordine Minorum, & sic de omnibus aliis. Et ita pariter est discurrendum de Festivitatibus ad Festivitates, & de Indulgentiis ad Indulgentias. Ita ut Festivitates sint respective pares *in honore*, & Dignitate in quolibet Ordine, & quemadmodum Laicus visitans nostras Ecclesias tempore Festivitatum nostrorum Sanctorum consequitur Indulgentiam nostris Ecclesiis concessam pro tali, vel tali Festivitate nostri alicujus Sancti; ita a pari Laicus visitans Ecclesias aliorum Regularium tempore Festivitatum suorum respective Sanctorum consequatur Indulgentiam concessam pro tali, vel tali Festivitate sui alicujus respective Sancti. Sic etiam, sicuti Novitius suscipiens habitum nostræ Religionis multa consequitur beneficia, & Indulgentias lucratur; Ita quilibet Novitius suscipiens habitum cujuscumque alterius Ordinis, vel Religionis; & sic proportionaliter est discurrendum de aliis Indulgentiis, cum in generali communicatione veniant solum illæ, quæ sunt communes, & in genere Ordinibus Regularibus concessæ, non autem illæ, quæ sunt propriæ, & specificæ, nec eæ, quæ raro conceduntur, & quæ quis verisimiliter interrogatus, non esset in specie concessurus; *arg. cap. In generali 81. de regul. Iuris in 6. cap. Cum Capella 16. de privilegiis*, & *cap. Si propter, X. de Rescriptis in 6.* Et sit tenent Donatus *in praxi rerum Regular. tom. 1. part. 1. tract. 7. quæst. 14. & 15.* cum multis ibi citatis. Matthæucci *Officialis Curiæ cap. 26. numer. 17.* Kazenberger *loc. cit. n. 85.* Reiffenstuel *lib. 5. decret. tit. 33. §. 3. num. 61. & 62.* Lezana *loc. cit. numer. 8.* Quintanadvenas *in Appendice ad sua singularia, tract. 4. dub. 9.* Gobat *loc. citat. num. 550.* Habsensis *Summul. qq. Select. verb. Privilegium num. 412.* & alii passim; & sic servat praxis; qua in dies videmus Sæculares pro lucrandis Indulgentiis in aliquibus Sanctorum Regularium Festivitatibus concessis, pergere ad illas Regularium Ecclesias, pro quibus Indulgentiæ sunt specifice concessæ, & non ad Ecclesias aliorum Regularium: Aliter enim Ecclesiis, quibus expresse Indulgentiæ conceduntur, minueretur devotio, & ipsæ vilescerent Indulgentiæ, ut notant Peyrinus, Lezana, Matthæucci, & alii.

Fratribus Minoribus de Observantia vacantibus Exercitiis spiritualibus per octiduum concessa est Indulgentia Plenaria ab Alexandro VII. Constit. incip. *Cum sicut*. Vide *supra art. 4. num. 9.* 77

Affertur novissimum Privilegium pro Missis celebratis pro Animabus Fratrum & Monialium Ordinis Minorum. 78

BREVE

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM, sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum Nobis super exponi fecit, per Constitutiones Ordinis hujusmodi auctoritate Apostolica confirmatas in cujuscumque Presbyteri, vel Clerici, aut Laici de Observantia supradicta, quam Reformatorum, Excalceatorum, Recollectorum, & Tertiariorum, ac Monalium Monasteriorum Ordinis, & Reformationum hujusmodi sub jurisdictione, cura, regimine, & gubernio dilecti etiam filii Ministri Generalis totius Ordinis hujusmodi existentium obitus, vel alio diebus aliquas Missas unusquisque Frater dictorum Ordinis, & Reformationum in sacro Presbyteratus Ordine constitutus celebrare debeat, ideoque Procurator Generalis Missas hujusmodi cœlestium munerum, quorum dispensationem fidei nostræ credidit Altissimus, elargitione a Nobis condecorari plurimum desideret. Nos piis ejusdem

Pro-

Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibuvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium, dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, & quandocumque Sacerdos aliquis Ordinis, & Reformationum prædictarum, Missam, vel in die obitus præfatorum Presbyterorum, ac Clericorum, & Laicorum, necnon etiam Monialium Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, ac Reformationum hujusmodi sub regimine, & gubernio præfati Ministri Generalis existentium, ac quoad Moniales in earum respective Ecclesiis Sacerdos quoque quilibet Sæcularis, vel alterius Ordinis Regularis, vel in alio die ad quodcumque Altare Ecclesiarum dictorum Ordinis, & Reformationum tam hactenus erectarum, quam in posterum erigendarum, pro illorum, & illarum Anima, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Missa hujusmodi animæ, pro qua celebrabitur, perinde suffragetur, ac si ad Altare privilegiatum celebrata fuisset, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

Non obstante, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula, de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum, transumptis etiam impressis, manu, & sigillo Procuratoris Generalis Ordinis prædicti pro tempore existentis munitis, eadem prorsus fides ubique Locorum adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIV. Martii MDCCXLI. Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. Card. Passionеus.

Fr. Joannes Jacobus de Valico Procurator Generalis Ordinis.

Romæ, ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ MDCCLXI.

79 Indulgentia plenaria perpetua in Festo Sacrorum stigmatum S. P. N. Francisci pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam tam Fratrum, quam Monialium nostro Ministro Generali immediate subjectarum devote visitaverint; ibique pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, concessa est a Clemente XII. die 30. Augusti 1734. Constitut. incip. *Cælestium munerum.*

Rescriptum san. mem. Benedicti XIV. quo visitantibus
80 Ecclesias Fratrum Minor. diebus festis S. Ludovici Regis Franc. & S. Elisabeth Reginæ Hung. plenaria Indulgentia, conceditur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

INjunctæ Nobis Divinitus Apostolicæ Servitutis ratio postulat, ut Cælestium munerum thesauros dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum ad id augendam in terris Sanctorum cum Christo in Cœlis regnantium venerationem, excitan[illegible]que, & fovendam erga illos Fidelium devotionem & animarum salutem procurandam speramus in Domino profuturum. Supplicationibus itaque dilecti Filii Caroli Mariæ a Perusio Commissarii Generalis Curiæ Ord. Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupator. nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum dicti Ord. tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus in S. Ludovici Francorum Regis, ac S. Elisabeth Reginæ Hungariæ natæ Festis diebus a primis Vesp. usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac S. M. Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, Plenariam; Monialibus vero supradicti Ordin. sub cura, regimine, & administratione Fratrum præfatorum existentibus, & aliis in eorum quolibet Monasterio nunc, & pro tempore degentibus vere pariter pœnitentibus, & confessis ac Sacra Commun. refectis, quæ suam respective Ecclesiam in suprad. diebus visitaverint, & ut præfertur, ut supra oraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Maii 1755. Pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Breve alterum SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. Quo plura 81
Rescripta Sanctitatis Suæ in favorem Ordinis Minorum S. P. Francisci confirmantur.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam,

CŒlestium munerum thesauros, quorum dispensationem tenuitati nostræ credi lit Altissimus, liberationi manu elargiri non dubitamus ad levamen, & solatium animarum Christifidelium, quæ ex hac vita migrantes in caritate Deo conjunctæ in Purgatorio detinentur, ut quantocius ad sempiternam beatæ felicitatis stationem in Cœlis perducantur. Sane Nobis alias humiliter oblati fuerunt supplices libelli tenorum sequentium; ac primus quidem.

Beatissime Pater.

Frater Raphael a Lugagnano Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Minister Generalis ad pedes S. V. humillime provolutus exponit, qualiter san. mem. Benedict. XIII. sub die 14. Decembris 1725. dignatus fuit omnia Altaria privilegiata quotidiana variis Ecclesiis dicti Ordinis in perpetuum jam concessa approbare, & confirmare; Iis ejusdem Ordinis Ecclesiis, quæ tali privilegio quotidiano in perpetuum non gaudebant, concessit illud, sed proportionate ad Missarum numerum, quæ in eis celebrantur: Pro quatuor Feriis iis, in quibus viginti; pro tribus, in quibus quindecim, & sic gradatim. Cum autem, Beatissime Pater, comprobaverit experientia, hoc minime sufficere ad satisfaciendum Populorum devotioni, & ex alia parte variæ quotidiæ insurgant difficultates ex eo, quod non semper idem Missarum numerus in dictis Ecclesiis celebretur, nec celebrari valeat; Ideo enixe S. V. supplicat Orator, ut prævia revocatione privilegii Altarium pro determinatis hebdomadæ feriis, ut supra, per San. mem. Benedictum XIII. concessi, dignetur cuilibet Ecclesiæ Fratrum Oratoris jurisdictioni subjectæ Altari privilegiato quotidiano perpetuo non decoratæ unum concedere ab Ordinariis locorum semel designandum, & hoc per rescriptum, seu aliter, ut S. V. benevisum fuerit, ut Deus &c.

Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papæ XIV.

Pro Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci.

Rescriptum Sanctissimi.

Ex audientia Sanctissimi die 17. Decem. 1748. Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita, pro Missis tamen, quæ a Fratribus Minorum S. Francisci in Altaribus per Ordinarios respective designandis celebrabuntur, & voluit etiam gra-

gratiam hujusmodi per hoc præsens rescriptum perinde valere, ac si per Apostolicas Litteras in forma Brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset.

Joseph Levizzani Secretarius.

Alter vero.

Beatissime Pater.

Frater Carolus Maria Perusinus Commissarius Generalis Curiæ Ordinis Minorum de Observantia Orator obsequentissimus ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provolutus, omni cum animi demissione exponit, qualiter san. mem. Benedicti XIII. sub die 24. Aprilis anni 1725. indulsit omnibus Fratribus infirmis, senibus, & imbecillibus Ordinis Minorum Capuccinorum, qui propterea semper in valetudinario diversantur, in ejusque Oratorio Sacrum faciunt, suasque ad Deum preces effundunt, ut in eodem Oratorio, seu Sacello lucrari possint singulas Indulgentias, quæ in posterum a Summis Pontificibus suis pro tempore successoribus Ecclesiis totius Ordinis concederentur. Hinc Orator humillimus summa fretus S. V. caritate, & clementia, qua Ordinem suum prosequitur, supplicat, ut eamdem gratiam impertiri dignetur Fratribus, & Monialibus Jurisdictioni Ministri Generalis totius Ordinis Minorum subjectis, qui, aut quæ senes, infirmi, aut imbecilles in valetudinario diversantur, nec Ecclesiam adeunt, sed in interno Oratorio, aut Sacello preces suas ad Deum effundere solent, quoad indulgentias hactenus concessas, & in posterum a Summis Pontiacibus concedendas Ecclesis ejusdem Ordinis: Pro qua gratia.

Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papæ XIV.

Pro Fratre Carolo Maria Perusino Comissario Generali Curiæ Ordinis Minorum de Observantia.

Ex Audientia Sanctissimi die 11. Septembris 1755.

Sanctissimus petitis annuendo pro gratia benigne concessit, ut Fratres, ac Moniales Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjecti, qui ex introscriptis causis senectutis, infirmitatis, ac imbecillitatis in valetudinariis diversantur, visitato Oratorio, aut Sacello in eodem valetudinario existente Indulgentias, de quibus in precibus, lucrari possint, & valeant, ac si Ecclesias ejusdem Ordinis visitarent; reliquis expletis juxta præscriptum explendis.

F. C. Boschi Secretarius.

Tertius tandem.

Beatissime Pater.

Frater Carolus Maria Perusinus Commissarius Generalis Curiæ Ordinis Minorum de observantia ad pedes S. V. humillime provolutus exponit, qualiter cum P. Raphael a Lugagnano præteritus Minister Generalis Ordinis S. V. supplicaverit pro Altari privilegiato quotidiano perpetuo in qualibet Ecclesia Fratrum ejus jurisdictioni subjecta, S. V. clementer pro gratia indulsit, prodiitque rescriptum.

Ex Audientia Sanctissimi die 17. Decembr. 1748.

Sanctissimus benigne annuit pro gratia juxta petita pro Missis tamen, quæ a Fratribus minoribus Sancti Francisci in Altaribus per Ordinarios respective designandis celebrabuntur; Et voluit etiam gratiam hujusmodi per hoc præsens rescriptum perinde valere, ac si per Apostolicas Litteras in forma Brevis solitis omnibus munitis clausulis, expedita fuisset.

Joseph Levizzani Secretarius.

Nunc vero Orator obsequentissimus, cum non videat in eodem indulto comprehensas quoque Ecclesias Sanctimonialium ejusdem ministri Generalis jurisdictioni subjectas, & aliunde sciat orta esse hac de re dubia inter fratres, omni cum animi demissione supplicat, ut sua paterna clementia dignetur S. V. declarare etiam antedictas Monialium Ecclesias in relato Indulto esse comprehensas. Cum porro Fratres senes, infirmi, aut imbecilles ejusdem Ministri Generalis jurisdictioni subjecti hac gratia gaudere non possint, ut qui semper in valetudinario diversantur, in ejusque Oratorio Sacrum dumtaxat faciunt; hinc idem Orator omni cum animi demissione supplicat S. V. ut dignetur declarare Altare privilegiatum quotidianum perpetuum illud memorati Oratorii, seu Sacelli Valetudinarii pro iisdem tantum fratribus. Pro quibus gratiis &c.

Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papæ XIV.

Pro Fratre Carolo Maria Perusino Commissar. Generali Curiæ Ordinis Minorum de Observantia.

Ex Audientia Sanctissimi die 22. Septembris 1755.

Sanctissimus, petitis benigne annuendo, gratiam Altaris privilegiati, de qua in precibus, etiam ad Ecclesias Monialium Ministro Generali Ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjectarum benigne extendit, pro Missis tamen prædictis in Ecclesiis a Fratribus ejusdem Ordinis Minorum celebrandis, forma enunciati rescripti Sanctitatis suæ in reliquis observata; Idemque Privilegium Altaribus in Oratoriis valetudinariorum respective existent. pro Religiosis senibus, infirmis, atque imbecillibus inibi celebrantibus clementissime juxta petita concessit.

F. C. Boschi Secretarius.

Quoniam autem memoratus dilectus Filius Carolus Maria Perusinus Commissarius Generalis Ordinis Minorum de Observantia Nobis nuper humillime supplicari fecit, ut hujusmodi præinsertos supplices libellos, & præinserta nostra rescripta, quo firmius in perpetuum subsistant, & serventur exactius, per Apostolicas in forma Brevis Litteras confirmare de benignitate Apostolica dignaremur: Ea propter Nos, qui ipsum Carolum Mariam Perusinum Commissarius Generalem plurimi facimus, & inclytum Fratrum Minorum de Observantia Sancti Francisci Institutum novis Apostolicæ benignitatis, potestatisque testimoniis amplius decorare cupimus, tenore præsentium Apostolica auctoritate confirmamus, & quatenus opus sit, omnia, & singula in eisdem rescriptis contenta, & concessa, iterum concedimus, & perpetuo Apostolicæ firmitatis robore munimus.

Decernentes easdem præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, &c.

Volumus autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 21. Januar. 1756. Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

Alterum Rescriptum Novissimum ejusdem Pontificis, quo 82
plenaria Indulgentia conceditur iisdem Ordinis Minorum Fratribus, & Monialibus, infrascripta pia exercitia peragentibus, ut sequitur.

Alla Santità di Nostro Signore Papa.

BENEDETTO XIV.

Per Fr. Clemente di Palermo Ministro Generale de' Minori.

Beatissimo Padre.

FRa Clemente di Palermo Ministro Generale dell' Ordine de' Minori prostrato umilmente al bacio de' Vostri San-

Santissimi piedi esponè, come da molti Religiosi del suo Ordine viene continuamente, e con premurose istanze richiesto della Facoltà di visitare i Luoghi Santi di Roma, di Loreto, del Monte d' Alverna, d' Assisi, e di Varallo, di maniera che non accordandosi loro la ricercata licenza per impedire il vagare de' Frati, o per altri giusti motivi; replicano essi le istanze, interponendovi anco degli impegni, e riducendo spesse volte il Superiore in angustie. Desiderando pertanto l' Oratore impedire per quanto può simili inconvenienti con qualche compenso, per cui e guadagnassero per una parte i Tesori delle Sagre Indulgenze annesse alla visita de' riferiti Santuarj; nè si discostassero per l' altra da' Conventi di loro Collocazione; Supplica devotamente la Somma Clemenza di Vostra Santità della Grazia, che tutti i Religiosi dell' uno, e dell' altro sesso, soggetti alla sua Ubbidienza potessero fare acquisto delle suddette Indulgenze con qualche divoto Pellegrinaggio pe' respettivi Chiostri, e successiva Visita delle proprie Chiese, cioè: Per le Sette Chiese di Roma girando pel Chiostro sette volte, e visitando in fine il SS. Sagramento: Pel Santuario di Loreto con tre giri pel Chiostro, ed una visita all' Altare, o Immagine della Beatissima Vergine: Con simili tre giri, e visita all' Altare, o Immagine del SS. Crocifisso pel Sagro monte di Varallo; E finalmente con tre consimili giri, e visita all' Altare, o Immagine del P. San Francesco per li Santuarj d' Assisi, e dell' Alverna; pregando sempre in detti giri, o Pellegrinaggi, e respettive Sagre Visite per l' Esaltazione della S. Madre Chiesa, estirpazione dell' Eresie, Conservazione del Sommo Pontefice, e per la Pace, e Concordia de' Prencipi Cristiani. Che della Grazia &c.

Ex Audientia Sanctissimi die 28. Aprilis 1758.

Sanctissimus attentis expositis Ministri Generalis Oratoris precibus annuendo, omnibus, & singulis Religiosis, Viris, atque Mulieribus Ordinis Minorum Sancti Francisci, eidem Ministro Generali subjectis, unumquodque ex introscriptis piis Exercitiis devote peragentibus, semel in anno, eo nimirum respective die, quo præmissa Sacramentali Confessione, sumptaque Sanctissima Eucharistia, & pias ad Deum preces, ut in Supplici libello enunciatur, fundendo, hujusmodi exercitium peregerint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, in forma Ecclesiæ consueta, benigne concessit.

Loco ✻ Sigilli.
J. C. Boschi Secret.

83 * Rescriptum novissimum Clementis XIII. quo Indulgentia plenaria conceditur visitantibus aliquam Ecclesiam Fratrum Minorum RR. die 27. Novembris, qua Festum omnium Sanctorum ejusdem Ordinis celebratur.

Ex Audientia SS. die 16. Sept. 1765.

Ad humillimas preces F. Francisci Antonii a Feltria Vice-Procuratoris Generalis Min. Observ. Reform. S. Francisci: SS. D. N. Clemens Pp. XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, Confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam prædicti Ordinis die vigesima septima Novembris, in qua Omnium Sanctorum ejusdem Ordinis Festum celebratur, a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique, juxta mentem Sanctitatis suæ pie oraverint, Indulgentiam plenariam benigne concessit.

Voluitque Sanctitas sua hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione.

Datum Romæ ex Secretaria Sacr. Congreg. Indulgentiarum, die, & anno præfatæ Audientiæ.

N. Card. Antonellus.

Loco ✻ Sigilli.

S. Borgia Sac. Cong. Indulg. Secr.

ARTICULUS VI.

Indulgentia quo ad ea, quæ concernunt varias Indulgentias concessas omnibus Christifidelibus.

ALios, salutantes dicendo suo vulgari, seu latino sermone 1
Laudetur Jesus Christus; & respondentes *In sæcula*, vel *Amen*, aut *Semper*, lucrantur quinquaginta dies Indulgentiæ. Sixtus V. Constitutione incipiente *Reddituri*; Et insuper lucrantur alios centum dies ex concessione Bened. XIII. *die* 12. *Januarii* 1728. Nominantes reverenter Nomen Jesu, 2
vel nomen *Mariæ*, lucrantur vigintiquinque dies. Sixt. V. 3
ibidem. Habentes talem piam consuetudinem sic salutandi, & respondendi, vel nominandi idem nomen *Jesu*, si in articulo mortis ora, vel corde (si ore non potuerint) idem nomen invocaverint, lucrantur Indulgentiam plenariam. Sixtus V. *ibidem*. Recitantes Litanias ejusdem Sanctissimi Nominis lucrantur tercentos dies Indulgentiæ. Sixtus V. *ibidem*. 4
Recitantes autem Litanias Beatissimæ Virginis Mariæ lucrantur ducentos dies Indulgentiæ. Sixtus V. *ibidem*, Prædicatores, qui inter prædicandum monuerint Auditores ad hunc 5
modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi nomen *Jesu*, *& Mariæ*, & quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, lucrantur easdem Indulgentias. Sixtus V. in cit. Constit. incip. *Reddituri*. Et sic expresse quoad omnia supradicta habetur ibi: *Quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri, nisi Nomen Jesu, idcirco omnibus, & singulis Christifidelibus, qui hoc modo salutaverint alios nempe suo vulgari, seu latino sermone: Laudentur Jesus Christus, & his qui sic respondentes in Sæcula, vel Amen, aut Semper, utique tam salutantibus, quam respondentibus quinquaginta, ubicumque id factum fuerit: Qui autem nomen Jesu nominaverint reverenter, vel Nomen Mariæ, vigintiquinque dies; Qui vero in mortis articulo, ore, vel corde (si ore non potuerint) idem nomen invocaverint, dummodo ante habuerint consuetudinem sic salutandi, vel nominandi idem nomen Jesu, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem: quique Litanias ejusdem SS. Nominis recitaverint, trecentos: Qui Litanias ejusdem B. Virginis Mariæ, ducentos; nec non prædicatoribus verbi Dei, qui inter prædicandum ad hunc modum salutandi, invocandi, vel recitandi, seu nominandi Nomen Jesu, & Mariæ auditores monuerint, & quicumque hanc salutationis formam usui esse curaverint, easdem Indulgentias, ac peccatorum remissiones consequantur, auctoritate, & tenore præmissis concedimus, & largimur. Volumus autem, ut prædictæ Litaniæ Nominis Jesu, & B. Mariæ juxta morem, & consuetudinem in Romana Curia, & domo Beatissimæ Mariæ Virginis usitatum recitentur.*

Missæ Sacrificium devote audientes, aut celebrantes lucrantur triginta mille, & octocentos annos Indulgentiæ applicabilis per modum suffragii animabus Purgatorii, triginta mille ex concessione Innocent. IV. Octocentos ex concessione Urbani IV. Martini V. Sixti IV. & Eugenii IV. quorum quilibet concessit pro omni Missa ducentos annos. Sic apud Lantuscam *in Octavario exercitiorum spiritualium fol.* 61. Romæ impresso anno 1660. cum approbatione, & facultate Reverendiss. P. M. Sacr. Palat. Apostolici. 6

Quinquies *Pater*, *& Ave* recitantes in honorem Passionis Christi Domini, & B. Virginis amaritudinum lucrantur decem mille annos Indulgentiæ ex concessione Leonis X. omnibus Fidelibus facta ad instantiam Fratrum Minorum. Sic apud Doctissimum P. Dominicum Viva *in Appendice Indulgentiarum §. ultim.* Kazenberger. *loc. cit. num.* 128. Carafubium *in compendio privileg. verb. Indulgentiæ quo ad sæculares*, & alios. 7

Recitantes tertiam Rosarii partem lucrantur quinque annos, & totidem Quadragenas Indulgentiæ ex concessione Sixti IV. apud Navarr. *de oration. miscellan.* 1. Gobat *tract. 4. de Indulgent. part. 2. cap.* 31. Kazenberger *loc. cit. nu.* 128. Viva *loc. cit. §. ultim.* Et insuper adinstar recitantium Coronam S. Birgittæ lucrantur centum dies Indulgentiæ pro qualibet Oratione Dominica, & centum pro qualibet Salutatione Angelica; & si quotidie per integrum annum recitaverint, 8

rint, semel in anno, die per unumquemque eligenda, confessi, ac Sacra Communione refecti, & orantes pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione consequuntur Indulgentiam plenariam, etiam applicabilem Animabus in Purgatorio existentibus; Rosaria tamen debent esse juxta solitum benedicta a PP. Ordinis Prædicatorum. Sic novissime concessit, ac declaravit Benedictus XIII. ut habetur ex Decreto Sac. Cong. Indulgent. & SS. Reliq. præpositæ. Dat. die 13. Apr. 1726. & signat.

L. Card. Picus Præfectus.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secr.

Nota tamen, eos, qui recitando Rosarium omissa consueta XV. mysteriorum meditatione, alia meditantur, Indulgent. Rosar. non gaudere, ut patet ex sequenti Sacr. Congr. Indulgentiarum declaratione.

Cum Sacræ Congregat. Indulgent., Sacrisque Reliquiis præpositæ P. Procurator Generalis Ordinis Prædicatorum supplices preces porrexerit pro declaratione dubii: An qui Sanctissimum Rosarium B. M. V. recitant omissa consueta meditatione mysteriorum humanæ reparationis, & illorum vice mortem, aut cetera novissima, vel alia pia ac religiosa meditantur, Indulgentias a Summis Pontificibus concessas pro recitatione Rosar. lucrentur? S. Congregatio die 6. Augusti MDCCXXVI. respondit: *Non lucrari*; quam Sacræ Congregationis declarationem per me Secretarium SS. Dom. Nostro relatam, Sanctitas sua benigne approbavit. Datum die 12. Augusti MDCCXXVI.

L. Card. Picus Præfectus

Loco ✻ Sigilli.

Raphael Cosmus de Hieronymis Secret.

Excipiuntur tamen rudes & imperiti, qui sola devota recitatione Rosarii indulgentias prædictas lucrari possunt; ut declaravit idem Benedictus XIII. in Constitut. incip. *Pretiosus*, §. 4. ibi: *Ad consolationem personarum vero rudiorum, ac divinis meditandis mysteriis in præfato S. Rosario comprehensis minus idonearum, præterea declarantes eas devota ac pia ejusdem Rosarii recitatione prædictas indulgentias, juxta* posterius hoc decretum *mysteria illa meditantibus solummodo concessas, etiam lucrari posse: tametsi plane volumus, ut iisdem reparationis nostræ mysteriis Sacratissimis meditandis juxta Rosarii institutum assuescant.*

Nota, quod *posterius hoc decretum* indicatum a Benedicto XIII. est illud ipsum Sacr. Congregationis hic immediate adductum. Et hic recolendæ memoriæ Benedictus XIII. ex Neapoleone Ursino precibus S. P. Dominici vitæ restituto, est oriundus; *ex Bullario Ordinis Prædicatorum tom. 1. pag. 9. Constitut. XI. num.* 1. & vinculo cognationis S. Thomæ de Aquino conjunctus; *ex eod. Bullario tom. 2. pag.* 162. *Constitut. XI. num.* 4.

Recitantes quindecim *Pater*, & *Ave* pro iis, qui in mortali degunt, consequuntur tertiam partem remissionis peccatorum, idque toties, quoties recitaverint. Viva *loc. cit. ex compendio pr ivileg. Societatis*, *verb. Indulgentiæ §.* 22. 9

Recitantes *Ave Maria* lucrantur triginta dies Indulgentiæ ex concessione Joannis XXII. ac totidem alios ex concessione Urbani IV. Recitantes *Salve Regina* lucrantur quadraginta dies. Caput inclinantes ad veneranda Nomina *Jesu*, & *Mariæ* lucrantur viginti dies. Caput inclinantes ad *Gloria Patri* lucrantur triginta dies. Genuflectentes coram SS. Sacramento lucrantur biscentum dies: Oculantes Sanctam Crucem lucrantur 40. dies ex concessione ejusdem Joannis XXII. & unum annum ex concessione Clementis IV. Sic Viva *loc. cit. §. ult.* Kazenberger *loc. cit. num.* 129. & alii Recitantes, seu dicentes *Benedicta sit sancta, & Immaculata Conceptio B. Virginis Mariæ* lucrantur Indulgentiam centum annorum ex concessione Gregorii XV. anno 1621. Viva *loc. cit. §. ult.* & novissime confirmata a Clemente XII. mense *Novembris* anno 1731.* De authenticitate Indulgentiarum a *num.* 6. usque huc descriptarum vide prius P. Minderer *Part. 2. Confer. 8. num.* 501. cui major fides in hac materia, quam P. Viva citato a nostro Auctore, adhibenda est. * 10

Ferrar. Biblioth. Tom. IV.

Sacerdotes ante celebrationem Sacri recitantes *Ego volo celebrare Missam &c.* lucrantur Indulgentiam quinquaginta dierum ex concessione Gregorii XIII. Sacerdotes legentes Missam, prius quam pergant ad Altare ad celebrandum, lucrantur Indulgentiam 40. dierum ex concessione Joannis XXII. Recitantes in fine Horarum Canonicarum, ad quas tenentur, Orationem a S. Bonaventura Doctore nostro Seraphico compositam, videlicet *Sacrosanctæ, & individuæ Trinitati, cum Pater*, & *Ave* consequuntur remissionem culparum in recitatione ex humana fragilitate contractarum, ex concessione Leonis X. 11

Ex concessione Clementis VIII. consequuntur remissionem 12
omnium commissorum, seu omissorum in Missa, nec non 2300. annorum Indulgentiam Sacerdotes omnes recitantes sequentem Orationem:

Obsecro te Dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defendar, vulnera tua sint mihi cibus, potusque, quibus pascar, inebrier, atque delecter, aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna: in his sit mihi refectio, exultatio, sanitas, & dulcedo cordis mei. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Joannes XXII. concessit Sacerdotibus devote post Missam orationem sequentem recitantibus veniam pœnæ debitæ mill. peccatis letalibus, nec non genuflexis Indulgent. annorum 10000.

Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me, Sanguis Christi inebria me, Aqua lateris Christi munda me, sudor Christi vivifica me, Passio Christi conforta me, oh bone Jesu exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari a te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, jube me venire ad te, & pone me juxta te, ut cum Sanctis Angelis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

* Vide tamen P. Minderer *loc. citat.* * 13

Comitantes Sacrum Viaticum cum lumine accenso, quando defertur ad infirmos, lucrantur Indulgentiam septem annorum, & totidem Quadragenarum. Comitantes sine lumine lucrantur Indulgentiam quinque annorum, & totidem Quadragenarum. Legitime impediti lumen, seu facem per alios ea occasione deferendam mittentes lucrantur Indulgentiam trium annorum, & totidem Quadragenarum. Sic concessit Innocentius XII. *die* 5. *Januarii* 1695. Constitution. incip. *Debitum Pastoralis Officii* confirmando, & ampliando concessionem jam factam ab Innocentio XI. *die* 1. *Octobris* 1688. Insuper legitime impediti, qui personaliter comitari nequiverint Sacrum Viaticum, recitando semel *Pater noster*, & *Ave Maria* ad mentem Pontificis, lucrantur Indulgentiam centum dierum ex concessione Pauli V. *sub die* 3. *Novembris* 1606. confirmata a Clemente X. *vivæ vocis oraculo* per viam Sacræ Congregationis Indulgentiarum *die* 23. *April.* 1676.

Intervenientes Orationi 40. horarum per spatium unius horæ lucrantur Indulgentiam trium annorum. Intervenientes processioni factæ, sive in initio, sive in fine dictæ Orationis, si fuerit in Cathedrali, lucrantur Indulgentiam decem annorum, & si in aliis Ecclesiis Indulgentiam quinque annorum. Consueti dictis piis exercitiis semel in anno die præscripta ab Episcopo confessi, & Sacra Communione refecti lucrantur Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium suorum peccatorum; sic concessit Gregorius XIII. *die* 5. *Aprilis* 1580. Constitut. incip. *Quam uberes*. 14

Qui ad pulsum, seu sonum Campanæ in signum elevationis Sanctissimi Sacramenti in Missa Conventuali, aut Parochiali genuflexi oraverint, sive domi, sive Ruri, sive in viis, aut ubicumque id fecerint, pro qualibet vice lucrantur Indulgentiam unius anni. Illi vero, qui ad hunc finem, seu respectum ad Ecclesiam perrexerint, & ibi in dicto tempore Sanctissimum Sacramentum adoraverint, lucrantur pro qualibet vice Indulgentiam duorum annorum. Qui diebus festivis vere pœnitentes confessi fuerint, ac Sacra Communione refecti, pro qualibet vice lucrantur Indulgentiam quinque annorum. Soliti communicare semel in mense, & in solemnitatibus Domini Nostri Jesu Christi, B. V. M. omnium Apostolorum, & S. Joannis Baptistæ, pro qualibet vice lucrantur Indulgentiam decem annorum. Et semel in anno in Festo principaliori Civitatis, seu loci confessi, & Sacra Communione refecti, lucrantur Indulgentiam plenariam. Sic concessit Gregorius XIII. *die* 10. *Aprilis* 1580. Constitut. incipit. *Ad excitandum*. 15

16 In Regnis Regi Hiſpaniarum ſubjectis quicumque die commemorationis defunctorum celebrat, animam liberare poteſt a pœnis Purgatorii ex conceſſione Innocentii XI. 30. *Septembris 1679.* Qui communicant, ubi ſingulis menſibus fit communio Generalis a Patribus Societatis, lucrantur Indulgentiam plenariam pro defunctis applicabilem, dummodo in ea Eccleſia ad mentem Pontificis vocaliter oraverint. Urbanus VIII. illam conceſſit in Bulla incip. *Ad augendum* 10. Maii 1634. per quindecim annos, & decimoquinto quoque anno renovatur. Viva *in Appendice Indulgentiarum* §. 2.

18 Recitantes flexis genibus Veſpere ad pulſum Campanæ *Angelus Domini. Ecce ancilla Domini. Verbum caro &c.* cum tribus *Ave Maria &c.* lucrantur Indulgentiam plenariam ex conceſſione Adriani VI. ut refertur communiter cum Pellizar. *tract.* 10. *cap.* 9. *numer.* 41. Gobat, Eſcobar, Rodriquez, Lezana, Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 24. Viva *loco cit.* §. 2. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1370. Illa autem, quæ declarata eſt Apocrypha ab Innocentio XI. die 7. Martii 1678. Decreto incip. *Delatæ ſæpius*, eſt ſolum Indulgentia Clementis X. adſcripta recitantibus mane, vel meridie, aut Veſpere *Angelus Domini, cum Deo gratias, & Mariæ* ut notant Viva *loco cit.* §. 2. La Croix *loco cit.* 1370. & alii.

19 Noviſſime autem die 14. Aprilis 1724. Benedictus XIII. conceſſit omnibus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, ſeu veſpere ad pulſum campanæ recitaverint flexis genibus *Angelus Domini, Ecce Ancilla Domini, Verbum Caro* cum tribus *Ave Maria*, & oraverint ad mentem Pontificis, Indulgentiam plenariam in uno die cujuslibet menſis per unumquemque Chriſti fidelem ad ſui libitum eligendo. In reliquis vero anni diebus quoties id egerint, Indulgentiam centum dierum, ut apparet in ſequenti Brevi.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ INjunctæ Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis ratio poſtulat, ut cæleſtium munerum theſauros diſpenſationi noſtræ a Domino creditos fideliter erogemus, cum„ id ad augendam in Terris Beatiſſimæ, atque Auguſtiſſimæ Cœli Reginæ Virgini Deiparæ Mariæ Patronæ, & „ Advocatæ noſtræ venerationem, excitandamque, & con„ fovendam erga illam fidelium devotionem, ac ad anima„ rum ſalutem ſperamus in Domino profuturum, Itaque „ de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & „ Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; Omnibus, & „ ſingulis Chriſtifidelibus vere pœnitentibus, & confeſſis, „ ac Sacra Communione refectis, qui mane, aut meridie, „ ſeu Veſpere ad pulſum Campanæ: *Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum Verbum tuum: Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis: cum tribus Ave„ Maria*, flexis genibus devote recitaverint, & pro Chri„ ſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, „ ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum„ preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet menſis „ duntaxat per unumquemque Chriſtifidelem ad ſui libitum „ eligendo, lucrifaciendam omnium peccatorum ſuorum „ Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino „ concedimus. In reliquis vero anni diebus iiſdem Chriſti„ fidelibus vere contritis, quoties id egerint, centum dies de „ injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis poenitentiis in „ forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpe„ tuis futuris temporibus valituris: Volumus autem, ut ea„ rumdem præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exem„ plis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſub„ ſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate con„ ſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique habeatur, quæ „ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub An„ nulo Piſcatoris die 14. Septembris 1724. Pontificatus noſtri „ Anno primo. Et hæ duæ Indulgentiæ neque Anno Sancto „ remanent ſuſpenſæ, ut declaravit idem Benedictus XIII. „ die 10. Januarii 1725.

F. Cardinalis Oliverius.

Circa quam Indulgentiam ex poſt die 5. Decembr. 1727. emanatum eſt ſequens Indultum pro Regularibus, & aliis in Religioſis domibus commorantibus.

INDULTUM,

Quo conceditur, ut Regulares, aliique in Religioſis Domibus commorantes, ſi conſuetas preces Angelus Domini &c. ad ſonitum Campanæ recitare non poſſint, nihilominus Indulgentias alias conceſſas lucrari valeant, dummodo eaſdem preces recitent flexis genibus ſtatim, ac opus ad Regularem obſervantiam ſpectans expleverint.

„ Litteris in forma Brevis emanatis die 14. Septembris „ 1724. Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus Papa XIII. „ omnibus utriuſque Sexus Chriſtifidelibus ad ſonitum Cam„ panæ conſuetas preces *Angelus Domini nunciavit Mariæ*, „ *& concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat* „ *mihi ſecundum Verbum tuum: Et verbum caro factum eſt*, „ *& habitavit in nobis*, & ter ſalutationem Angelicam flexis „ genibus recitantibus ſemel in menſe die ab unoquoque eli„ gendo, ſi confeſſi, & Sacra Communione refecti fuerint, „ & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſim Ex„ tirpatione, & Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione oraverint, Plenariam Indulgentiam conceſſit. Reliquis vero „ diebus prædictas preces, ut ſupra recitantibus Indulgen„ tiam centum dierum.

„ Quia vero Sanctitati Suæ expoſitum fuit, quod ſæpe „ Regulares, aliique in Religioſis Domibus commorantes, & „ tempore, quo mane, meridie, aut veſpere Campanæ „ pulſantur, quibuſdam actionibus ad Regularem obſervan„ tiam ſpectantibus detinentur, & ideo eaſdem preces reci„ tare tunc temporis minime poſſunt, ac inſimul præfatorum „ nomine humillime ſupplicatum fuit, ut ex Apoſtolicæ Se„ dis diſpenſatione prædictas preces alio tempore recitando „ eaſdem Indulgentias lucrari valeant.

„ Quapropter Sanctiſſimus Dominus Noſter audito voto „ Sacræ Congregationis Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis „ præpoſitæ, benigne indulſit, ut Regulares omnes, alii„ que in Religioſis Domibus commorantes, ſi dum ut ſupra „ Campanæ pulſantur, aliquod opus exercent, quod ad „ Regularem obſervantiam pertineat, nihilominus ſupra„ memoratas Indulgentias acquirere poſſint, dummodo ſtatim „ ac opus prædictum expletum fuerit, preces ſupramemo„ ratas flexis genibus devote recitent.

Datum die 5. Decembris 1727.

L. Card. Picus Præfectus.
Loco ✠ Sigilli.

Raphael Coſmus de Hieronymis Secretarius.
Romæ Typis Rev. Cameræ Apoſtolicæ 1727.

Et noviſſime a Benedicto XIV. facta eſt pro omnibus ſequens ſpecialis declaratio, & diſpoſitio.

NOTIFICAZIONE.

F. Gio. Antonio del titolo de' SS. Silveſtro, e Martino a' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni, della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale &c.

20 *LA Santità di Noſtro Signore ſempre intenta a dar eccitamento, e ſtimolo a' Fedeli di ricorrere al Signore per ottenerne le ſue celeſti Benedizioni, volendo togliere la deformità, che s' incontra fra queſti nelle publiche preghiere, quali ſi fanno al ſuono della Campana la mattina, il mezzo giorno, e alla ſera, allor quando ſi recita la ſolita Orazione dell' Angelus Domini &c. e con eſſa trè volte l' Ave Maria &c. conferma in primo luogo le Indulgenze già concedute dalla San. mem. di Benedetto XIII. cioè l' Indulgenza Plenaria, e remiſſione di tutti li peccati univerſalmente, ed in perpetuo a quelli, che veramente pentiti, confeſſati, e comunicati in un giorno di ciaſchedun Meſe a loro elezione, reciteranno, come ſopra, la mentovata Orazione, e negli altri giorni dell' anno l' Indulgenza di cento giorni per ciaſcheduna recita, parimente in perpetuo, ed inerendo alla diſpoſizione della Rubrica comanda, che detta Orazione dal Veſpero di ciaſchedun Sabbato a tutta la Domenica ſeguente ſi reciti in piedi.* Co-

Comanda inoltre, che durante il tempo Paſquale, quale termina alli primi Veſperi della Domenica della SS. Trinità in vece della medeſima Orazione ſi reciti in piedi l' Antifona: Regina Cæli &c. col ſuo Verſetto, ed Orazione corriſpondente: Deus, qui per Reſurrectionem &c. per la recita della quale Antifona concede anche benignamente la Santità Sua l' iſteſſe Indulgenze, come ſopra, eſortando premuroſamente tutti li Fedeli a non trascurarne l' acquiſto.

Quelli poi, che non ſapranno a mente la ſuddetta Antifona, acquiſteranno le medeſime Indulgenze, recitando, come ſopra, l' Orazione dell' Angelus Domini &c.

Dat. in Roma dalla noſtra ſolita Reſidenza li 20. Aprile 1742.

F. C. A. Card. Vicario.

Gaſparo Arciprete Ori Segret.

21 Recitantes flexis genibus ſub horam noctis ad pulſum Campanæ *Pſalmum De profundis*, vel ſemel *Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam* cum Verſiculo *Requiem æternam* in ſuffragium Animarum Purgatorii, quo die id egerint, lucrantur Indulgentiam centum dierum; & qui per annum præmiſſa peregerint, in uno die cujuslibet anni per unumquemque Chriſtifidelem ad ſui libitum eligendo, confeſſi, & Sacr. Communione refecti lucrantur Indulgentiam plenariam ex noviſſima ſequenti conceſſione Clementis XII.

INDULGENTIÆ.

Pro recitantibus ſub horam noctis ad pulſum Campanæ Pſalmum De profundis, vel ſemel Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam cum Verſiculo Requiem æternam &c.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ CÆleſtes Eccleſiæ theſauros, quorum diſpenſationem „ Nobis commiſit Deus ad Chriſtifidelium pietatem fo„ vendam, atque augendam, & animarum ſalutem promo„ vendam libenter erogamus; itaque de Omnipotentis Dei „ miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum „ ejus auctoritate confiſi, Omnibus, & ſingulis utriuſque „ ſexus Chriſtifidelibus, qui ſub horam noctis ad pulſum „ Campanæ Pſalmum De profundis, vel ſemel Orationem „ Dominicam, & ſalutationem Angelicam cum Verſiculo „ Requiem æternam &c. in ſuffragium Animarum Chriſtifi„ delium defunctorum flexis genibus devote recitaverint, „ quo die id egerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias „ quomolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta „ relaxamus: Inſuper eiſdem Chriſtifidelibus vere poeni„ tentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, „ qui per annum præmiſſa peregerint, ac pro Chriſtianorum „ Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ „ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effude„ rint, plenariam in uno die cujuslibet anni duntaxat per „ unumquemque Chriſtifidelem ad ſui libitum eligendo lu„ crifaciendam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, „ & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & „ elargimur. Præſentibus, perpetuis futuris temporibus „ valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium „ Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis ma„ nu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, et Sigillo Perſonæ „ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem pror„ ſus fides ubique Locorum habeatur, quæ haberetur ipſis „ præſentibus, ſi forent exhibitæ, et oſtenſæ.

„ Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub An„ nulo Piſcatoris die 14. Auguſti 1736. Pontificatus Noſtri „ anno ſeptimo.

Signat. F. Card. Oliverius,

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apoſt. 1736.

Et iſtæ Indulgentiæ poſſunt acquiri, ſive prædictæ orationes recitentur ante, ſive poſt horam noctis juxta cujuſque

loci conſuetudinem, ut declaravit idem Clemens XII. die 12. Decembris.

An autem Indultum conceſſum a Benedicto XIII. allatum 22
ſupra num. 20. pro Regularibus, et aliis in Religioſis domibus commorantibus, quod ſcilicet poſſint ipſi ſupradictam recitationem ſalutationis Angelicæ differre poſt terminatos actus Religioſæ Communitatis, ſi dum in ipſis reperiuntur, contingat hora, et ſonitus campanæ pro tali recitatione, extendi, et applicari poſſit etiam pro conſimili dilatione recitationis Pſalmi *De profundis*; Videtur de benigna interpretatione mentis Pontificiæ dicendum quod ſic; quia adeſt eadem ratio, ne videlicet interrumpantur, et perturbentur pii, ac devoti actus Religioſæ Communitatis; Ubi autem eadem eſt ratio, eadem etiam debet eſſe Legis ſeu Juris diſpoſitio; *L. Ideo 27. ff. de Legibus, L. Illud 32. ff. ad Leg. Aquil. cap. Inter corporalia 2. de translatione Epiſc.* Cum ratio Legis ſit anima Legis; *L. Cum ratio 1. ff. de bonis damnator.* Et in ſimilibus idem judicium habendum eſt, cap. *In cauſis 19. de ſentent. & re judicat.* Gloſſa *in conſimilibus in cap. Majores §. Verum, de Baptiſmo*, et Gloſſ. *in ſimilibus in Extravag. Sacroſanctæ Joann. XXII.* Ac de ſimilibus ad ſimilia in jure propter identitatem rationis recte procedit argumentum; *L. cum quidem 27. & ibi addit. marg. C. de adminiſtrat. Tutor.* Tum quia privilegia, et beneficia Principum ſunt interpretanda latiſſime; *cap. Cum olim ibi, de verb. Significat. cap. Quia circa 24. de privilegiis, cap. Odia 15. de Regul. juris in 6. L. Beneficium 3. ff. de conſtitut. Princip.* cum ſimilibus.

Habentes Coronas, Roſaria, Cruces, Imagines, ſeu 23
Numiſmata ex auro, argento, alioque metallo confecta, vulgo medaglie nuncupata cum Indulgentiis ordinariis, quas poſtremi Pontifices Innocent. XI. Alexander VIII. Innocentius XII. Clemens XI. & Benedictus XIII. pro Canonizatione Sanctorum conceſſere, dummodo ſemel in hebdomada recitent Coronam Chriſti Domini, vel Beatiſſimæ Virginis, aut tertiam Roſarii partem, aut Officium divinum, vel parvum Beatæ Virginis, vel Defunctorum, vel ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, aut Graduales, aut ſemel in hebdomada conſueverint rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus Hoſpitalis Ægrotos viſitare, aut pauperibus ſubvenire, aut Miſſam audire, vel ſi Sacerdos ſit, celebrare, Indulgentiam plenariam Defunctis applicabilem conſequuntur quoties confeſſi communicant in primariis anni Feſtis, & aliis in Pontificia conceſſione enumeratis, & inſuper certa opera facientes conſequuntur varias Indulgentias partiales defunctis pariter applicabiles; & demum in articulo mortis invocato SS. Jeſu Nomine, Plenariam Indulgentiam obtinebunt. Hinc pro exemplo adducitur tenor talium ſpecialium Indulgentiarum a Benedicto XIII. pro octo Sanctis modo Canonizatis conceſſarum.

I. Quicumque conſuevit recitare ſaltem ſemel in hebdomada Coronam Domini, vel Beatiſſimæ Virginis, aut Roſarium, vel ejus tertiam partem, aut Officium vel Divinum, vel parvum Beatæ Virginis, vel Defunctorum, aut Septem Pſalmos Pœnitentiales, vel Graduales, aut rudimenta Fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicujus Domus Hoſpitalis Ægrotos viſitare, aut pauperibus ſubvenire, aut Miſſam audire, vel, ſi Sacerdos ſit, celebrare, ſi vere pœnitens, & Sacerdoti per Ordinarium approbato confeſſus, Euchariſtiæ Sacramentum acceperit in quolibet ex diebus infraſcriptis, nimirum Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, & Corporis Chriſti, & die Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Beatiſſimæ Virginis, tum Feſto Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Philippi, & Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Judæ, Mathiæ, Joſephi Sponſi B. M. Virginis, & octo Sanctorum modo Canonizatorum Turribii Mogrobeſii Archiepiſcopi Limani, Jacobi de Marchia Confeſſoris, Agnetis de Monte Politiano Virginis Peregrini Latioſi, Joannis de Cruce, Franciſci Solani, Aloyſii Gonzagæ, & Stanislai Koſtkæ Confeſſorum, ac in Feſto Omnium Sanctorum, pialque ad Deum preces effuderit pro Hæreſum extirpatione, Fidei Catholicæ propagatione, pace, & Chriſtianorum Principum concordia, ceteriſque Sanctæ Matris Eccleſiæ neceſſitatibus, plenariam ſuorum peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem conſequetur.

II. Quiſquis in Vigilia cujuslibet iſtorum Octo Sanctorum jejunaverit, & confeſſus in ipſius Feſto Sanctiſſimum Euchariſtiæ

ristiæ Sacramentum sumpserit, oraveritque Deum ut supra, toties Indulgentiam Plenariam consequatur.

III. Quisquis vere pœnitens peccata commissa emendare firmiter proposuerit, & eadem die visitaverit septem Ecclesias quaslibet, & ubi tot Ecclesiæ non reperiantur, quotquot ibi sunt; & si una tantum sit Ecclesia, omnia ipsius Altaria, & pro hæresum extirpatione, ut supra, pie oraverit, semel in anno fruatur Indulgentiis concessis septem Urbis Ecclesias visitantibus.

IV. Quicunque devote cogitaverit de aliquo Sanctissimæ Passionis Domini Nostri Jesu Christi Mysterio, & in ejusdem Passionis honorem septies terram humiliter deosculatus fuerit, eo die lucretur Indulgentias concessas ascendentibus Romæ per Scalam Sanctam: hoc autem semel tantum in singulis annis.

V. Quisquis peccata sua vere detestabitur cum firmo proposito non peccandi de cetero, vel ad imitationem prædictorum octo Sanctorum, actum aliquem virtutis exercebit, toties lucretur Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum.

VI. Quisquis leget, aut legi audiverit aliquod libri caput de vita eorumdem octo Sanctorum, aut inviset eorum Altare, aut eorum Imaginem venerabitur, & oraverit pro felici statu Sanctæ Matris Ecclesiæ, peccatorumque conversione, singulis vicibus percipiat Indulgentiam centum dierum.

VII. Eamdem pariter Indulgentiam centum dierum lucretur, qui aliquid pauperibus tribuet, vel eosdem instruet, aut per alios instrui curabit in iis, quæ pertinent ad fidem, bonosque mores.

VIII. Quisquis se exercuerit in devotione erga Sanctissimum Sacramentum Altaris, aut B. M. Virginis, meditando illud Mysterium, & beneficia nobis inde provenientia, aut compatiendo Doloribus, quos Beatissima Virgo propter Filii sui Passionem, & mortem sensit, aut Sanctissimum Altaris Sacramentum alio modo venerando, & Deum precando pro necessitatibus Ecclesiæ, qualibet vice Indulgentiam centum dierum similiter consequatur.

IX. Qui ad pulsum Campanæ alicujus Ecclesiæ, mane, aut meridie, aut vespere consuetas preces Angelus Domini &c. devote recitaverit; vel si eas ignoret, semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, vel dato signo orandi pro Defunctis Psalmum De profundis, aut si hunc nesciat, unum Pater, & Ave, ut supra, devote recitaverit, eamdem centum dierum Indulgentiam consequatur.

X. Quilibet in Urbe commorans, vel ab ea ultra viginti milliaria non absens, si legitime impeditus non intererit benedictioni, qua Romanus Pontifex in Festo Paschatis, & Ascensionis solemniter benedicere consuevit, confessus autem Sacrosancta Communione reficiatur, & pias ad Deum preces pro hæresum extirpatione effuderit, Indulgentiis fruatur, quibus præsentes fruuntur; Qui vero longius absunt ab Urbe, si hæc adimpleverint, etiamsi legitime non sint impediti, easdem Indulgentias consequentur.

XI. Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendaverit, & Sanctissimum nomen Jesu invocaverit, ore si potuerit, sin minus, saltem corde, confessus, & Sacra Communione refectus, si potuerit, alioquin saltem contritus, remissionem omnium suorum peccatorum, & plenariam Indulgentiam consequetur.

XII. Omnes supradictæ Indulgentiæ Fidelibus Defunctis applicari possunt per modum suffragii; ad illas autem consequendas sufficit habere Coronam, vel Rosarium, vel Numisma vulgo Medalliam ut supra benedictam, exercendo præscripta opera, quamvis alias facienda essent ex alia obligatione: hujusmodi vero Coronæ, Rosaria, vel medalliæ, postquam fuerint alicui personæ appropriatæ, non possunt alteri concedi.

* Cum tamen in hoc ex præscripto SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. variatio aliqua inducta sit, propterea formam, & summarium Indulgentiarum juxta ejusdem Pontificis dispositionem a S. C. reformatum hic subjungere operæ pretium existimamus.

Forma dell' Indulgenze, che la Santità di N. S. Papa Benedetto XIV. concede alle Corone, Rosarj, Croci, ed Immagini d' oro, o d' argento, o d' altro metallo, dette volgarmente Medaglie.

CHi farà solito dire, una volta almeno la Settimana, la Corona del Signore, e della Madonna, o il Rosario, o la sua terza parte, o l' Offizio Divino, o picciolo della Madonna, o de' Morti, ovvero i sette Salmi Penitenziali, o Graduali, ovvero avrà per usanza d' insegnare la Dottrina Cristiana, o visitare i Carcerati, o gl' Infermi di qualche Ospedale, o di sovvenire i poveri, o d' intervenire alla Messa, o dirla essendo Sacerdote, se veramente pentito, e confessatosi da Confessore approvato dall' Ordinario, si comunicherà in qualsivoglia degl' infrascritti giorni, cioè Natale del Signore, Epifania, Resurrezione, Ascensione, Pentecoste, Festa della Santissima Trinità, e Corpus Domini, Festa della Purificazione, Annunciazione, Assunzione, e Natività della Beatissima Vergine, Natività di S. Gio: Battista, Festa de' Santi Apostoli Pietro, e Paolo, Andrea, Giacomo, Giovanni, Tommaso, Filippo, Giacomo, Bartolommeo, Matteo, Simone, e Giuda, Mattia, di S. Giuseppe Sposo della Beatissima Vergine, e tutti i Santi, e divotamente pregherà Dio per l' estirpazione dell' Eresie, e degli Scismi, per l' aumento della Fede Cattolica, per la Pace, e Concordia de' Principi Cristiani, e per altri bisogni di Santa Chiesa, in esso giorno acquisti la remissione di tutti i suoi peccati, e l' Indulgenza Plenaria.

Chi farà l' istesse cose nell' altre Feste del Signore, o della Beatissima Vergine, in ciascheduno di detti giorni conseguirà sett' anni, ed altrettante quarantene d' Indulgenza, e facendo le medesime in qualunque Domenica, o in altra festa dell' anno guadagnerà cinque anni, ed altrettante quarantene, facendole in altro giorno dell' anno acquisterà cento giorni d' Indulgenza.

Chiunque in articulo di morte raccomanderà divotamente a Dio l'Anima sua invocando il Nome di Gesù con la bocca, o non potendo, col cuore, essendo veramente pentito, e come sopra confessato, e comunicato, o non potendo, contrito almeno, conseguirà la remissione di tutti i suoi peccati, e l' Indulgenza Plenaria.

Chi farà qualunque sorte di Orazione preparatoria innanzi di celebrare la Messa, o comunicarsi, o di recitar l' Offizio del Signore, o della Beata Vergine, conseguirà ogni volta cinquanta giorni d' Indulgenza.

Chi visiterà i Carcerati, o gl' Infermi degli Ospedali, ajutandoli con qualche opera pia, ovvero in Chiesa insegnerà la Dottrina Cristiana, o in Casa a' proprj Figliuoli, Parenti, o Servitori, ogni volta guadagni ducento giorni d' Indulgenza.

Chi farà solito una volta almeno la settimana dir la Corona, o il Rosario, o l' Officio della Madonna, o de' Morti, o i Vesperi, ed un Notturno almeno con le Laudi, o sette Salmi Penitenziali, con le Litanie, e sue preci, guadagni in quel giorno, che ciò dirà, cento giorni d' Indulgenza concessa da S. Pio Quinto.

Chi al suono della Campana di qualche Chiesa la mattina, la sera, o il mezzo giorno reciterà le solite preci, *Angelus Domini &c.* o ciò non sapendo, un *Pater noster*, ed un *Ave Maria*, o parimente sonando il segno per li Morti dirà il *Salmo De profundis*, o un *Pater Noster*, ed un *Ave Maria*, se non saprà quel Salmo, conseguisca cento giorni d' Indulgenza.

Chi nel giorno di Venerdì penserà divotamente alla Passione, e Morte di Gesù Cristo Signor Nostro, e dirà trè volte il *Pater Noster*, e l' *Ave Maria* in quel giorno, guadagni cento giorni d' Indulgenza.

Chi veramente pentito de' suoi peccati con proposito fermo di emendarsene, farà l' esame della coscienza, e reciterà con divozione trè volte il *Pater Noster*, e l' *Ave Maria*, ovvero in onore della Santissima Trinità, ovvero in memoria delle cinque Piaghe di Gesù Cristo cinque volte il *Pater Noster*, e l' *Ave Maria*, guadagni cento giorni d' Indulgenza.

Chi pregherà divotamente per li Fedeli, che sono in transito, o dirà un *Pater Noster* almeno, ed un *Ave Maria* per essi, conseguischi in quel dì cinquanta giorni d' Indulgenza.

Chiunque averà un Crocefisso, Croce, o altra Sagra Immagine benedetta in camera, o altro luogo decente della casa, dove starà, ed adempirà le cose sopradette, facendo però l' Orazioni prescritte innanzi a detto Crocefisso, Croce, o Immagine, conseguisca respettivamente le medesime Indulgenze.

Tutte l' Indulgenze dette di sopra può ciascuno guadagnare per sè ne' giorni sudetti, o applicarle per modo di suffragio all' Anime del Purgatorio.

Sua Santità però non vuole, che le Immagini siano di carta, ma d' oro, ò d' altro metallo, e che le Immagini de' Santi siano de' Canonizati, o altri descritti nel Martirologio Romano.

Comanda Sua Santità, che nella distribuzione, ed uso di queste Medaglie, Corone &c. si osservi il Decreto della felice memoria di Alessandro VII. stampato sotto li 6. Febraro 1657. cioè che le Medaglie, Corone &c. benedette con le sopradette Indulgenze, non passino la persona di quegli, a' quali saranno concedute, o a quali da questi saranno distribuite per la prima volta, e che non possano prestarsi ad altri, o darsi precariamente, altrimenti perdono l' Indulgenza, che hanno, e perdendosene una, non se ne possa sostituire in suo luogo un altra, non ostante qualunque concessione, o privilegio in contrario.

Antonio Maria Erba Protonotario Apostolico, e Segretario.

Sommario dell' Indulgenze concesse alli Rosarj, o Corone dette di S. Brigida benedette dalli Superiori de' Monasterj, o da altri Sacerdoti dell' Ordine del SS. Salvatore, o sia della medesima S. Brigida a ciò deputati.

LA Santità di Nostro Signore Benedetto Papa XIV. alli Rosarj, o siano Corone dette di S. Brigida benedette da' Superiori de' Monasterj, o da altri Sacerdoti dell' Ordine del Santissimo Salvatore, o sia della medesima S. Brigida a ciò deputati, oltre alle Indulgenze infrascritte già concesse dalla Santa Memoria di Leone X. e di Clemente XI. riconosciute, ed approvate a' 4. Settembre 1714. dalla Sagra Congregazione delle Indulgenze, e Sac. Reliquie, di nuovo per suo Breve de' 15. Gennaro 1743. ne aggiunge altre, come infrasegue.

Primo: Chiunque a suo arbitrio dirà il Rosario, o sia Corona di S. Brigida, guadagnerà l' Indulgenza di cento giorni per ogni *Pater noster*, cento giorni per ogni *Ave Maria*, e cento giorni per ogni *Credo*, che reciterà. Leone X. a' 10. Luglio 1515.

Secondo: Chi reciterà detto Rosario, o Corona di quindeci decine, oltre alle predette Indulgenze di cento giorni, acquisterà di più l' Indulgenza di sette anni, e sette quarantene. Idem Leo loc. cit.

Terzo: Chi reciterà il medesimo Rosario, o Corona con altra, o altre Persone, tutte, ed ogn' una di esse conseguiranno le medesime Indulgenze, come se ogn' uno dicesse detta Corona da se solo. Id. Leo loc. cit.

Quarto: Tutte le suddette Indulgenze può chiascheduno guadagnarle per se, oppure applicarle in suffragio delle Anime del Purgatorio. Benedetto XIV. a' 10. Marzo 1742.

Quinto. Chi reciterà detta Corona almeno di cinque decine ogni giorno per un anno intiero, e veramente pentito, e confessatosi, un giorno a sua elezione si comunicherà, e pregherà Dio per la concordia fra Principi Cristiani, per l' estirpazione dell' Eresie, e per l'esaltazione di S. Madre Chiesa, conseguirà l' Indulgenza Plenaria di tutti li suoi peccati con facoltà di applicarla alle Anime de' Fedeli defonti. Clemente XI. a' 22. Settembre 1714.

Sesto: Chi farà solito recitare detta Corona almeno di cinque decine una volta almeno la Settimana, e confessatosi, e comunicatosi nella Festa di S. Brigida visiterà la propria Chiesa Parocchiale, o altra Chiesa, ed in essa pregherà Dio, come sopra, acquisterà l' Indulgenza Plenaria di tutti li suoi peccati. Benedetto XIV. a' 15. Gennaro 1743.

Settimo: Chiunque nell' Articulo di Morte raccomandando la sua Anima a Dio, e confessatosi, e comunicatosi, o se ciò fare non potrà per qualche impedimento, almeno contrito dirà GESU' col Cuore, non potendo colla Bocca, guadagnerà l' Indulgenza Plenaria di tutti li suoi peccati. Idem Bened. loc. cit.

Ottavo: Chi farà solito recitare detta Corona ogni giorno per un Mese continuo, e confessatosi, e comunicatosi in un giorno a sua elezione dentro detto Mese visiterà una Chiesa, ed in essa pregherà Dio, come sopra, acquisterà l' Indulgenza Plenaria di tutti li suoi peccati. Id. Bened. l. c.

Nono: Chi portando con se detta Corona, pregherà genuflesso al segno della Campana per qualunque Agonizante, qualvolta ciò farà, guadagnerà l' Indulgenza di quaranta giorni. Id. Bened. loc. cit.

Decimo: Chi avendo presso di se detta Corona, e pentito de' suoi peccati farà l' esame di sua Coscienza, e dirà trè volte il *Pater Noster*, e trè volte l' *Ave Maria*, conseguirà l' Indulgenza di venti giorni. Id. Bened. l. c.

Undecimo: Chi tenendo con se la medesima Corona, sentirà in qualunque giorno tanto festivo, che feriato la Santa Messa; o interverrà a sentire la parola di Dio: o accompagnerà il SS. Viatico, quando si porta a qualche Infermo: o ridurrà qualche traviato alla via della salute: o farà qualunque altra Opera Pia in onore di Nostro Signore GESU' CRISTO, o della Beatissima Vergine MARIA, o di S. Brigida, e reciterà trè volte il *Pater Noster*, e trè volte l' *Ave Maria*, acquisterà l' Indulgenza di cento giorni. Id. Bened. l. c.

Duodecimo: Tutte le suddette Indulgenze può ogn' uno guadagnarle per se, oppure applicarle per modo di suffragio alle Anime del Purgatorio. Id. Bened. l. c.

Per guadagnare tutte, ed ogn' una delle Indulgenze sopra espresse, devono li Rosarj, o Corone sopradette essere prima benedette da' predetti Padri dell' Ordine del Santissimo Salvatore, o sia di S. Brigida, altrimenti non godono d' alcuna Indulgenza.

La Sagra Congregazione delle Indulgenze, e Sagre Reliquie rinovando il Decreto del dì 26. Novembre 1714. proibisce a chiunque si sia di poter vendere, o dare in prestito, o in pegno ad altri le suddette Corone, o Rosarj, in quanto, che sono benedetti, altrimenti dichiara essere privi dell' Indulgenze già concesse; E che perdendosene alcuna, non se ne possa surrogare un' altra in cambio di quella, se prima non è stata benedetta da' predetti Padri.

Eadem Sacra Congregatio suprascriptum Indulgentiarum Summarium, annuente ad relationem per me infrascriptum Secretarium factum Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV. sub die 9. Februarii 1743. quocumque Idiomate in quibuslibet Locis Catholicis imprimi posse censuit.

A Card. S. Clementis,
Loco ✠ Sigilli.

A. M. Erba Proton. Apost. Secret. *

Visitantes septem principales Ecclesias Urbis Romæ, nempe Sancti Joannis Lateranensis, Sancti Petri, Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Laurentii, Sanctorum Fabiani, & Sebastiani, Sanctæ Crucis in Hierusalem, lucrantur maximas indulgentias; quæ dantur ad litteram, prout referuntur ab Alphonso de Casarubios, & Hieronymo a Sorbo in *Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium, verb. Indulgentiæ Septem Ecclesiarum*.

Prima Ecclesia Urbis est Sacrosancta Lateranensis Ecclesia, quæ ab antiquo dicebatur Basilica Salvatoris, nunc autem communiter vocatur Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis, quæ ab Imperatore Constantino, in latere sui proprii Palatii ædificata, & a Sancto Sylvestro Papa, in honorem Sanctissimi Salvatoris Nostri Domini Jesu Christi, & Sanctorum Joannis Baptistæ, & Joannis Evangelistæ dedicata fuit; in qua fertur, quod scilicet Silvester, & Gregorius Summi Pontifices, qui eam successive consecraverunt, devote visitantibus concesserunt tot Indulgentias, quot eas nemo, nisi solus Deus enumerare potest.

Nota primo, quod in hac Ecclesia, juxta Rubricas Missalis novi Pii V. jussu instituti, sunt Stationes Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum, Feria quinta Majoris Hebdomadæ, in Sabbato Sancto, & in Albis, Vigil. Pent. in die Sancti Joannis ante Portam Latinam, & est Indulgentia plenaria, & liberatio unius Animæ a Purgatorio; Et a die Sancti Bernardini, quæ est 20. mensis Maii usque ad primum diem Augusti, die quolibet est Indulgentia plenaria.

No-

Nota etiam, quod in hac Ecclesia Sancti Joannis Lateranen. habetur quædam tabula antiqua, in qua continentur sequentia, quæ bonus quidam Pater nostri Ordinis tempore, Capituli Generalissimi, anno 1516. ab illa extraxit.

Primo ad Altare majus sunt Indulgentiæ 48. annorum, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

Item Constantinus Imperator postquam mundatus fuit a lepra per sacri baptismatis susceptionem, dixit Beato Silvestro, Pater ecce domum meam in Ecclesiam ordinavi, infunde in eam tuam largam benedictionem pro venientibus ad eam. Et ait ad eum Beatus Silvester, Dominus Jesus Christus, qui te mundavit a lepra, & purificavit te fonte perenni, per suam misericordiam mundet, & purificet omnes huc venientes sine peccato mortali, & auctoritate Petri, & Pauli, & nostra sit eis remissio omnium peccatorum quocumque tempore anni.

Item Sanctus Gregorius Papa, qui hanc Ecclesiam consecravit, post destructionem ejus factam per Hæreticos, confirmavit Indulgentiam positam per B. Silvestrum Papam antedictum.

Item Papa Bonifacius dixit; Indulgentiæ Ecclesiæ Lateranensis numerari non possunt, nisi a solo Deo, & ego omnes illas confirmo.

Item in Festo Salvatoris, cujus imago visibiliter apparuit omni populo Romano miraculose, scilicet, quando Sanctus Silvester consecravit dictam Ecclesiam primo ubi fuerat populus Romanus congregatus, tunc prædicta Imago apparuit visibiliter omni Populo de Urbe, quæ imago remansit in pariete, nec comburi potuit, cum Ecclesia bis combusta fuerit, est remissio omnium peccatorum.

Item Papa Bonifacius dixit: Si quis ad Sedem nostram Lateranen. causa devotionis, Orationis, peregrinationis accesserit, ab omni sorde peccati sit mundatus totus.

Item in Ecclesia prædicta, in Capella Sancti Joannis Baptistæ, in quam mulieres non intrant, ibidem ad fontes est remissio omnium peccatorum.

Item in Capella Sancti Laurentii, in quam similiter mulieres non intrant, quæ dicitur Sancta Sanctorum, est remissio omnium peccatorum.

Item si scirent homines indulgentias Ecclesiæ Lateranensis, dicerent, tot, & tantæ sunt, quod non oportet nos ire ad Sanctum Sepulcrum ultra Mare. * Nota, quod indulgentiæ, prout descriptæ leguntur in veteri marmorea Tabula Ecclesiæ Lateranensis, de qua hic supra mentio facta est, declaratæ fuerunt apocryphæ anno 1657., & 1678. a Congregationibus S. Officii, & Indulgentiarum, ut constat ex earumdem Decretis apud P. Gobat *tract.4. de Indulg. nu.*703. *&* 709., & apud Rigantium *in Regul.54. Cancellar. num.* 57. Vide Ss. D. N. Bened. XIV. *de Synodo lib.13. cap.18. numer.* 3., & P. Minderer *Parte I. Confer. II. num.*806. Itaque in materia Indulgentiarum Ecclesiæ Lateranensis recedendum non est a Constit. 45. prælaudati Pontificis, quæ incipit: *Assiduæ solicitudinis, tom.3. ejus Bullarii.*

Secunda Ecclesia principalis est ad Sanctum Petrum, ubi nunc est Sancta Sedes Apostolica, & Palatium Sanctissimi Domini Nostri Papæ, in qua sunt omni die sexmille, & 48. anni, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum. Et in hac Ecclesia sunt Stationes in die Epiphaniæ, in Dominica prima, & secunda Quadragesimæ, in Sabbato post primam Dominicam Quadragesimæ, Feria secunda Paschæ in die Ascensionis, in die Pentecostes, in Sabbato post Pentecostes in omnibus Sabbatis quatuor Temporum, in Dominica prima Adventus, & in tertia, & in quarta, & in die Nativitatis Domini.

Item in eadem Ecclesia fuisse dicuntur centum, & novem Altaria, quæ nunc pro magna parte sunt remota, & in melius sub pauciori numero redacta, sive ordinata, & pro quolibet 18. anni Indulgentiæ dati sunt: Et inter alia sunt septem Altaria principalia, quæ in gyrum cancellis copreis vallata sunt, olim deauratis, in quibus per totum annum integrum sunt Stationes. Attamen in diebus Festivitatum, tam illorum, quam aliorum Altarium sunt in eis Stationes, ac infinitæ aliæ indulgentiæ.

Item quandocumque est Festum Sanctorum Petri, & Pauli, vel Vocationis dictorum Altarium, seu etiam Festum Nativitatis Dominicæ, Paschæ, seu Omnium Sanctorum, aliudque Festum duplex, duplicantur omnes prædictæ indulgentiæ.

Item in Festo Annunciationis Beatæ Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiæ.

Item a prædicto festo usque ad Kalendas Augusti sunt ibi duodecim anni Indulgentiarum, & totidem Quadragenæ, & remissio tertiæ partis peccatorum.

Item quicunque ascendit gradus Sancti Petri devote, huic conceduntur pro quolibet gradu septem anni indulgentiarum per Alexandrum VI.

Tertia Ecclesia est ad Sanctum Paulum, in qua sunt omni die sex mille, & 48. anni indulgentiarum, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Et in hac Ecclesia sunt Stationes Dominica quarta Quadragesimæ, Feria tertia Paschæ, Dominica in Sexagesima, in die Ss. Innocentium, & Conversionis Sancti Pauli.

Item in Conversione Sancti Pauli sunt ibi centum anni indulgentiæ, & totidem Quadragenæ, & plenaria omnium peccatorum remissio.

Item in festo Ss. Innocentium, quorum multa corpora requiescunt ibi, sunt ibidem 48. anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ ab antiquo: modo vero est indulgentia plenaria.

Item in Dedicatione ejusdem, quæ est in Octava S. Martini, sunt ibi mille anni Indulgentiæ, & totidem quadragenæ, & remissio omnium peccatorum.

Item, si quis intraverit dictam Ecclesiam omnibus Dominicis, habet tantas Indulgentias, ac si iret ad Sanctum Sepulcrum Hierosolymis, ac ad Sanctum Jacobum Gallitiæ. Ac visitans septem Altaria hujus Ecclesiæ tot lucrabitur indulgentias, quot, si visitasset septem Altaria S. Petri.

Quarta Ecclesia est ad Sanctam Mariam Majorem, in qua sunt omni die sex mille, & 48. anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ, & remissio tertiæ partis omnium peccatorum. In hac Ecclesia sunt Stationes in omnibus quartis feriis quatuor Temporum; Feria quarta Majoris hebdomadæ, in die Paschæ, Dominica prima Adventus, in Vigilia, & die Nativitatis, in die Circumcisionis.

Item in Vigilia Ascensionis Domini, in qua celebratur Festum Corporis Sancti Hieronymi ibidem quiescentis, ad Altare ipsius est remissio tertiæ partis omnium peccatorum concessa a Pio Papa II. & Indulgentia plenaria.

Item in omnibus Festivitatibus Beatæ Mariæ sunt ibi mille anni indulgentiæ, & plenaria peccatorum remissio.

Item a Festo Assumptionis Virginis usque ad ejus Nativitatem sunt ibi duodecim millia annorum Indulgentiæ ultra prædictas quotidianas indulgentias.

Nota tamen, quod quarta Ecclesia ab antiquo semper fuit Sancti Laurentii; sed tempore Alexandri VI. Sancta Maria tempore Jubilæi fuit assignata pro quarta numero, & aliæ tres non visitabantur ex debito, sed ex devotione tantummodo; ad parcendum laboribus Peregrinorum, & Romanorum.

Quinta Ecclesia est ad Sanctum Laurentium extra muros, in qua sunt omni die 7048. anni indulgentiæ, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum. Item sex mille anni indulgentiæ. In hac Ecclesia sunt Stationes Dominica Septuagesimæ, Dominica tertia Quadragesima Feria quarta infra Octavam Paschæ, & Feria quinta post Pentecosten.

Item in Festivitatibus Sanctorum Stephani, & Laurentii, quorum corpora ibidem requiescunt, et per Octavas eorum, et in singulis Stationibus ejusdem Ecclesiæ sunt centum anni indulgentiæ, et remissio tertiæ partis omnium peccatorum concessi ab antiquo. Sed Callistus III. concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictam Ecclesiam devote visitantibus in singulis Festivitatibus, et Stationibus ejusdem Ecclesiæ plenariam remissionem omnium peccatorum.

Item, si quis intraverit dictam Ecclesiam per annum omni quarta Feria liberat unam Animam a Purgatorio.

Item intrans per Januam Australem ejusdem Templi, de una Cruce ad aliam, contritus, et confessus habet remissionem omnium peccatorum.

Sexta Ecclesia est ad Sanctos Fabianum, et Sebastianum extra muros, in qua sunt omni die 6048. anni Indulgentiæ, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis peccatorum. Et in die S. Sebastiani, & in omnibus Dominicis mensis Maii Indulgentia plenaria.

Item in eadem Ecclesia sunt quotidie mille anni Indulgentiæ dati a Pelagio Papa.

Item in eadem Ecclesia ad Catacumbas, ibi prope majus Altare sunt tot, & tantæ Indulgentiæ, quot, & quantæ sunt in Ecclesiis Apostolorum Petri, & Pauli, quia ibi prius corpora eorum jacuerunt abscondita longo tempore in puteo quodam, super quem est unum Altare. Item Silvester, Gregorius, Honorius, Pelagius, Nicolaus, & Jo: Summi Pontifices concesserunt quilibet eorum mille annos Indulgentiæ quocumque tempore anni devote visitantibus dictam Ecclesiam.

Item ibidem in Cœmeterio Callisti est plenaria remissio omnium peccatorum secundum quosdam.

In hac Ecclesia subtus terram est Cœmeterium Callisti Papæ: Quod quisque ingrediens contritus, & confessus Indulgentiam plenariam consequetur ob merita 74000. Martyrum, & 46. Summorum Pontificum ibi sepultorum, quorum fuerunt 18. Martyres.

Septima Ecclesia est ad Sanctam Crucem in Hierusalem, in qua sunt omni die 6948. anni Indulgentiæ, & totidem quadragenæ, ac remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

In hac Ecclesia sunt Stationes Dominica quarta Quadragesimæ; 6. Feria Majoris hebdomadæ, Dominica secunda Adventus. In diebus Inventionis, & Exaltationis S. Crucis, & in eorum Octavis, & in omnibus supradictis diebus est Indulgentia Plenaria.

Item omni die Dominica sunt in eadem Ecclesia tercenti anni Indulgentiæ, & totidem quadragenæ, ac etiam remissio tertiæ partis omnium peccatorum.

Item in Dedicatione ejusdem, quæ celebratur in Vigilia S. Benedicti Abbatis in Mense Martio, est ibi plenaria remissio omnium peccatorum.

Similiter in Inventione Tituli Sanctæ Crucis, quod ibi in sublimi muro inventum est tempore Alexandri VI. vigesima sexta Januarii, & etiam quotidie in Capella Sanctæ Helenæ, in quam mulieres non intrant, nisi semel in anno, est Indulgentia plenaria. Item per omnes dies anni est Indulgentia Plenaria.

* Aliquas harum septem Ecclesiarum, sicuti etiam Stationum Indulgentias suspectas esse credit cum Passerino *qu. 12. num.* 135. P. Minderer *part.1. Confer. 4. numer. 271., & part. 2. Conf. 4. numer. 214.*, & hoc vel ob millenarios annos, vel quia persæpe præter plenarias partiales quædam addantur, & non plenariæ, contra rationem indulgentiæ, & contra disciplinam Ecclesiæ. *

Hinc ab uberiorem notitiam juvat adducere motivum unde sumpsit initium visitatio dictarum septem Romanarum Ecclesiarum. Cum enim Pontifices in Oriente ad Fidei puritatem custodiendam quatuor Patriarchatus instituissent, videlicet 1. Alexandrinum, 2. Antiochenum, 3. Hierosolymitanum, 4. Constantinopolitanorum quatuor Eccl. Romæ pro his quatuor Patriarchis designarunt, nempe pro primo Ecclesiam D. Pauli, pro secundo S. Mariæ Majoris, pro tertio S. Laurentii, pro quarto D. Petri, ut si forte Patriarchæ Conciliorum, vel aliorum negotiorum causâ Romam ventitarent, sua in Ecclesia decenter degerent; Ecclesia vero S. Joannis Lateranensis addicta erat supremo Urbis, & Orbis Patriarchæ, videlicet Vicario Christi Domini, quia quatenus Romanus Episcopus est, suam ibi Cathedralem habet; unde ad mille annos ibidem Pontifices diversati sunt. Summa itaque Romanis veneratione habitæ fuerunt hujusmodi quinque Patriarchales Ecclesiæ, ipsæque continenter magna pietate, ac frequentia invisebantur. Quia vero in earum visitatione opus erat per duas alias celeberrimas transire, scilicet per Ecclesiam Ss. Fabiani, & Sebastiani, ubi est Cœmeterium innumerorum Martyrum, & per Ecclesiam S. Crucis, ubi valde magnum Crucis Domini frustum sancte colitur; idcirco septem istæ Ecclesiæ una omnes visitari consueverunt. Hinc, ut ad tantum pietatis opus Fideles excitarentur, supradictæ, aliæque innumerabiles Indulgentiæ fuerunt a Romanis Pontificibus dictis Ecclesiis concessæ. Sic ex Sanctarello *cap.16. de Jubilæo* refert Sapientissimus Pater Viva *de Jubilæo q. 4. art. 2. numer. 2., & 3.* Advertendum tamen est, quod Stationum ordo pro dictis Ecclesiis nunc observandus est, ut in Missali novo, & assignatus ut supra *art.4. sub num.* 17. Vide *ibi* per tot. dictorum *num.* 17.

26 Visitantes duodecim vicibus pro quolibet anno per Ordinarium specificatis septem Altaria ab eodem Ordinario designata in aliqua Ecclesia habente indultum Apostolicum (quod solet concedi ad septennium) lucrantur pro qualibet vice id egerint, omnes, & singulas indulgentias, quas lucrarentur, si personaliter visitarent septem Altaria sita, & ad id designata in Basilica Principis Apostolorum de Urbe. Sic patet ex formula Brevis, seu Indulti a Sede Apostolica soliti concedi, & pro sua benignitate jam concessi pro visitantibus septem Altaria sita, & designata in hac nostra Ecclesia S. Bernardini Civitatis Alexandriæ, prout explicat Breve, seu indultum Apostolicum in Archivo hujus Conventus asservatum.

Ex concessione Bonifacii VIII. confirmata a Benedicto 27
XIII. uti legitur in quodam marmore posito in Ecclesia S. Joannis Lateranensis Romæ, consequuntur octoginta annos Indulgentiæ omnes recitantes sequentem Orationem.

Domine Jesu Christe Pater dulcissime rogo te, ut amore illius gaudii, quod dilecta Mater tua habuit, quando apparuisti ei in illa Sacratissima nocte Paschæ, et per illud gaudium, quando te vidit glorificatum Divinitatis claritate, quatenus me illumines donis Spiritus Sancti; ut tuam voluntatem adimplere valeam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis etc.

Qui vere pœnitentes, et confessi matutinali officio Festi 28
Corporis Christi interfuerint, aut illud recitant, lucrantur 100. dies indulgentiæ. Item 100. pro primis, et 100. pro secundis Vesperis. Item 100. qui celebrant Missam, aut eidem assistunt. Qui vero Primę, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Completorii Officiis interfuerint, pro qualibet ipsarum Horarum 40. dies. Illi autem, qui per octavam illius Festi Matutinalibus, Vespertinis, Missæ, ac prædictarum Horarum Officiis interfuerint 100. dies singulis ipsius octavæ diebus, ex concessione Urbani IV. Const. incip. *Transiturus*, qui anno 1262. festum Ss. Corporis Christi celebrandum instituit. Martinus vero V. anno 1429. Constit. incip. *Ineffabile*, supradictas indulgentias ampliavit, ideſt 200. dies pro Missa, 200. pro Matutino, 100. pro utrisque Vesperis festi, et pro qualibet hora privata 50. dies. Infra octavam autem pro singulis Matutinis, et Missis, et Vesperis 100. dies, ac pro Horis privatis 40. dies. Tandem Eugenius IV. anno 1433. Constitut. incip. *Excellentissimum* relatas Martini V. indulgentia duplicavit tam pro festo, quam pro octava; in summa omnibus inclusis, dictæ indulgentiæ pro Matutino, Missa, et utrisque Vesperis festi sunt 400. dies pro unaquaque actione: Pro qualibet horarum privatarum 160. dies: Et in quibuslibet octavæ diebus pro singulis Matutinis, Vesperis, et Missis 200. dies, ac pro reliquis horis 80. dies; Et pro interessentibus Processionibus 200. Vide Campendium Privilegior. Fratrum Minorum, et aliorum verb. *Indulgentiæ quoad sæculares §. septimo, post numer. 2. vers. Istæ Indulgentiæ*. Cherubini, Wadingum suis respective locis, et annis.

Easdemmet indulgentias lucrantur interessentes Officiis, et Missis festi, et totius Octavæ Conceptionis Immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis, et respective recitantes, ac celebrantes ex concessione Sixti IV. anno 1476. Constit. incipient. *Cum præexcelsa*.

Item easdem indulgentias lucrantur dicentes 5. Pater, et Ave, ac simul assistentes Officio, et Missæ festi Ss. Nominis Jesu, et respective recitantes, ac celebrantes ex concessione Clementis VII. anno 1530. Constitut. incipient. *Salvatoris*.

Item easdem indulgentias lucrantur interessentes Officio, et Missæ festi Transfigurationis D.N.J.C., et respective recitantes, et celebrantes ex concessione Callisti III. anno 1457.

Assistentes Matutino, Missæ, et Vesperis Visitationis B. M. V. lucrantur 100. dies indulgent. ceteris autem horis 40. et sic respective recitantes, et celebrantes, ex concessione Bonifacii IX. anno 1390.

Quoad indulgentias attendenda est Constitutio Benedicti 29
XIII. incip. *Salvatoris*, edita 28. Aprilis 1725. in qua conceditur Christifidelibus omnibus facultas applicandi indulgentias, Anno Jubilæi durante, suspensas, per modum suffragii Animabus Defunctorum.

Alia ad rem. Vide verb. *Jubilæum*. 30

Additio ex Auctore.

Indulgentiæ per visum a Domino acceptæ non admit- 31
tuntur sub fide referentis. Benedict. XIV. tom.1. Constit. 32
141. incip. *Solicitudini* §. 40. indulgentia centum dierum 32
conceditur recitantibus genibus flexis singulis feriis sextis quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem

nem Angelicam, ad sonum Campanæ hora tertia post meridiem, in memoriam Passionis, et Agoniæ Domini Nostri Jesu Christi. Idem Constitut. 9. incip. *Ad Passionis*, ubi injungit, & in virtute S. Obedientiæ mandat ob id Parochis,
33 Rectoribus, aliisque quocumque nomine appellatis Superioribus, ut Campanam unjuscujusque Ecclesiæ hujusmodi pulsari faciant tali hora.

Indulgentiæ concessæ visitantibus Ecclesias Urbis per octavam Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli ab eodem Pon-
34 tifice Constitut. 83. incip. *Admirabilis*, referuntur in tom. 2. *ad verb. Cappella*. Vide *ibi*. Indulgentia plenaria conceditur pro Ecclesia Patriarchali Maronitarum quater in anno, & pro aliis Cathedralibus ejusdem Nationis bis in anno. Idem Constitut. 79. incip. *Nuper* §. 11.

Indulgentiarum communicatio inter Confratres B. M. V.
35 de Monte Carmelo, & Tertiarios Capuccinorum S. Francisci revocatur. Idem Constitut. 94. incip. *Romanus Pontifex*.

Indulgentia centum dierum concedi potest a Cardinali Ma-
37 *jori Pœnitentiario omnibus Christifidelibus*, qui se pœnitentiali virga tangendos, pie, reverenterque in tribus Urbis Basilicis ipsi submiserint, Idem Constitut. 95. incip. *Pastor bonus*.

Indulgentiæ visitantibus Ecclesiam concessæ acquiri pos-
38 sunt, absque eo quod Sanctissimum Sacramentum expositum sit, Idem tom. 2. Constitut. 5. incip. *Accepimus in Civitate*.

Indulgentiæ Orationem mentalem docentibus, & pera-
39 gentibus de novo conceduntur; Idem *Constitut.* 23. incip. *Quemadmodum*;

Indulgentia plenaria Orationem mentalem quotidie per
40 mensem per duos quadrantes, vel saltem per quadrantem horæ peragentibus, ac confessis, & sacra Communione refectis conceditur; Idem *ibidem* Vide *tom. 5. verb. Oratio sub num. 32.* ubi affertur dicta Constitutio.

Indulgentia plenaria in articulo mortis applicari conceditur auctoritate Apostolica ab Episcopis, & Ordinariis infe-
41 rioribus, etiam per alios subdelegatos. Idem Constitut. 34.
42 incip. *Pia Mater*. Ad eam acquirendam, injungitur specialiter ægris moribundis acceptatio mortis in spiritu resignationis. Idem *ibidem* Vide *tom. 5. verb. moribundus, sub numer.* 38.

Indulgentia plenaria conceditur per omnes Ecclesiasticæ
43 Ditionis Diœceses iis, qui confessi, & Sacra Communione refecti, Sanctissimum Sacramentum expositum visitaverint diebus bacchanalibus. Idem Constitut. 45. incip. *Inter cætera*.

* Præfatam Indulgentiam ad omnes Ecclesias Catholici
44 Orbis pro triduo expositionis SS. Sacramenti in hebdomada sive Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, vel in singulis prædictis hebdomadis, vel in sola feria V. infra hebdomadam Sexagesimæ nuperrime extendit Clemens XIII. ut patet ex sequenti declaratione Sac. Congreg. Indulgentiar. videlicet:

Cum alias San. memoriæ Benedictus XIV. ad frequentes Episcoporum Pontificiæ Ditionis querelas gravioribus abusibus, qui Bacchanalium tempore irrepserant, opportunoque remedio occurrere concupierit, perspexeritque in aliquibus Ecclesiis salutari consilio institutam esse Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti Expositionem per tres dies sive in hebdomada Septuagesimæ, sive in altera Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ ante diem Cinerum, ad hoc præcipue ne Fideles tempore tentationis a via Domini recederent, & in prædictis Ecclesiis pie orantes Divina impetrarent auxilia, universis utriusque Sexus Christi Fidelibus confessis, & sacra communione refectis, qui easdem Ecclesias, in quibus Venerabilis expositio sive in uno, sive in singulis prædictis Triduis fieret, devote visitarent, Indulgentiam Plenariam misericorditer concessit & indulsit. Hinc SS. D. D. N. Clemens Divina Providentia Papa XIII. sedulo recogitans præfatam Augustissimi Sacramenti Expositionem plurimum hisce diebus profuisse ac deinceps fore profuturam, eamdem Plenariam Indulgentiam, ad quascumque Catholici Orbis Ecclesias ubicumque Locorum existentes, ubi Venerabilis Expositio sive in Hebdomada Septuagesimæ, sive Sexagesimæ, aut Quinquagesimæ, sive in singulis prædictis Hebdomadis per tres dies, atque etiam si tantummodo in feria quinta infra Hebdomadam Sexagesimæ peragatur, ex uberi Pontificiæ caritatis fonte benignissime extendit.

Datum Romæ ex Secretaria Sac. Congregat. Indulgentiarum die 23. Julii 1765.

Docentes rudes homines publice vel privatim Orationis 45
mentalis regulam, & modum, itemque qui publice docentes auscultaverint, dummodo vere pœnitentes ac sacra Communione refecti, toties quoties lucrantur septem annos & totidem quadrageneas de vera Indulgentia. Item si assidue eo 46
convenerint, semel in mense, vere pœnitentes, & sacra communione refecti, oranteque pro more in indulgentiis consueto, indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicandam, lucrantur; quam pariter ita obtinent ii, qui toto mense, unico saltem horæ quadrante singulis diebus orationi mentali dant operam, dummodo vere pœnitentes, & confessi, Eucharistiam sumpserint, & orent pro concordia &c. Concedente hæc omnia Pontifice in Bulla incip. *Quemadmodum*. Bull. *tom. 2. n. 23*, Vide verb. *Oratio n. 32.*

Indulgentias in forma Jubilæi concessas abrogavit Cle- 47
mens VIII. aliique Pontifices; quare si forte agatur de aliqua ejusdem tenoris indulgentia, videndum erit, num post hæc decreta concessa fuerit, ut ex Tractatu de Indulgentiis P. Theodori *part. 2. cap. 4. §. 2.*

Clemens XII. in suo Brevi dato *die 4. Augusti 1736.* In- 48
dulgentiam plenariam die ad libitum quotannis eligenda, concessit iis, qui anno integro ad pulsum campanæ sub horam noctis recitaverint psal. *De profundis*, vel semel Orationem dominicam, & salutationem Angelicam, cum versiculo *Requiem* in suffragium defunctorum; dummodo ea die confessi, et communione refecti preces pias effuderint pro consueto more. Singulis vero diebus toties quoties eandem orationem ad signum campanæ recitantes centum indulgentiæ dies consequuntur. *Institut. Eccles. 61. §. 5.*

Operæ pretium est hic addere etiam Indulgentias concessas 49
per Decretum S. C. pie et devote atq. ex corde recitantibus actus virtutum Theologicarum Fidei, Spei, et Caritatis, ut constat ex sequenti Notificatione.

Animadvertens SS. D. N. Benedictus Pp. XIV. quam utiles, quinimo necessarii sint ad æternam Salutem Theologicarum virtutum Actus, Fidei videlicet, Spei, et Caritatis, ut omnes utriusque sexus Christifideles ad illorum exercitium excitaret, audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, Indulgentias pro iisdem actibus a fan. mem. Benedicto XIII. die 15. Januarii Anni 1728. concessas, benigne confirmavit, Plenariam nimirum cum facultate eam Fidelium defunctorum Animabus applicandi, semel in mense lucrandam ab iis, qui quotidie per mensem præfatos Actus pie devote, & ex corde peregerint, die nempe ab unoquoque eligenda, in qua vere pœnitentes, confessi ac Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, ut decet, oraverint; nec non aliam similiter Plenariam, in mortis articulo. Ut autem commissas sibi oves ad frequentiorem hujusmodi Actuum usum alliceret Sanctitas Sua, Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum, cum eadem applicationis facultate, quæ juxta ejusdem sui Prædecessoris concessionem semel tantum in die consequi poterat, ad quamlibet antedictorum actuum piam &c. ut supra recitationem, clementer extendit.

Declaravit insuper Sanctitas Sua, præfatas omnes Indulgentias addictas minimè esse certis, determinatisque verbis: propterea que unumquemque uti posse in recitatione dictorum actuum qualibet formula, dummodo in ea singularum virtutum Theologicarum specialia motiva exprimantur.

Datum die 28. Januarii Anno 1756.

Fr. J. Card. Portocarrero Præf.

A. E. Vicecomes Sac. Cong. Indulg. Secr. *

An Superiores cujuscumque Ordinis, sive instituti, cæ- 50
terique habentes facultatem communicandi privilegia etc. possint privilegia, et indulgentias ampliare, et limitare pro sui arbitrio in aggregationibus? *Sac. Cong. Indulgentiarum die 5. Februarii 1748. in resp. ad primum dubium* respondit *Negativè*. Vide verb. *Altare privilegiatum* sub n. 29.

An Indulgentiæ concessæ Ecclesiis alicujus Ordinis, Con- 51
gregationis, vel Instituti, censeri debeant concessæ etiam Ecclesiis tam parochialibus, quam non parochialibus ab ejusmodi Ordine &c. dependentibus, sive a Monachis, aut Fratribus, vel Religiosis respective administrari solitis? *Sacr. Congr. Indulg. &c. die 30. Julii 1748.* respondit *Negative*. Vide

Vide decretum præfatæ Congregationis desuper editum verb. *Altare privilegiatum* sub num. 29. 2. loco.

52 Ejusdem *Sac. Congr. Indulgentiar.* decreta, quorum primo omnibus Ecclesiis Parochialibus Orbis Christiani Altare Privilegiatum quotidianum conceditur; altero vero Missæ omnes, quæ in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum ubicumque, & a quocumque Sacerdote celebrantur, indulgentiis donantur perinde ac si ad Altare privilegiatum celebrarentur; vide dict. verb. *Altare privilegiatum* sub num. 33. et 34.

Quoad Indulgentiam *art. 5. num. 62. in fine*, observandum
53 est novissimum Breve, ut sequitur.

BREVE di PAPA BENEDETTO XIV.

In Confermazione del S. Esercizio della Via Crucis da erigersi da Religiosi, si Osservanti, che Riformati soggetti al Ministro Generale dell'Ordine Serafico.

Ad futuram rei memoriam.

CUm tanta sit passionis, Crucis, & Mortis Domini Nostri Jesu Christi vis, ut nullum reperiatur tam efficax remedium ad curandum Conscientiæ vulnera, quibus infirmitas humana quotidie per peccatum sauciatur, necnon ad purgandam mentis aciem, divinoque amore inflammandam, quam Passionis, Crucis, Mortis, atque Vulnerum ejusdem Redemptoris Nostri sedula meditatio; ut Christifideles in hac nobis totius causa Beatitudinis occupati quotidie se se alacrius exercerent, nec Catholicæ Ecclesiæ Patres, nec Romani Pontifices Prædecessores Nostri umquam destiterunt, quin assiduis monitis, exhortationibusque, & profusis Cælestium thesaurorum elargitionibus persuaderent, allicerent, ac locupletarent. Sane felic. record. Clemens PP. XII. Prædecessor Noster, non solum cetera ad recolendam potissimum tantorum Passionis, Crucis, & Mortis, Dominica mysteriorum memoriam, alias ab iisdem Prædecessoribus concessa, et impertita Indulgentiarum, ac peccatorum relaxationum, remissionumque munera, quæ & ipse confirmavit, ac de novo elargitus fuit, verum etiam viam, rationemque in Via Crucis, seu Calvarii, ut dicitur, pie peragenda traditam aliis Apostolicæ suæ Providentiæ regulis ordinavit disposuitque, prout clarius intelligitur ex ipsis Clementis Prædecessoris in simili forma Brevis litteris tenoris sequentis, videlicet.

Clemens Papa XII. *Ad futuram rei memoriam.*

Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Bernardus Monterde Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, tam suo, quam dilecti etiam Filii moderni Ministri Generalis dicti Ordinis nomine, quod cum antiqua vigeret, ac etiam nunc vigeat in Ordine hujusmodi consuetudo erigendi, & instituendi per illius Fratres, in vim facultatis sibi alias a Sede Apostolica concessæ, Pia loca Viæ Crucis, seu Calvarii nuncupata, ad instar Stationum Montis Calvarii, nedum in ejusdem Ordinis, sed etiam in aliis Ecclesiis, ac Locis ab eo minime dependentibus; isque mos in universis Regnis Hispaniarum, ac plurimis Italiæ Regionibus semper antehac retentus fuerit, et adhuc de præsenti servetur: Licetque dudum fel. record. Innocentius Papa XII. Prædecessor Noster ad preces tunc in humanis agentis Francisci Diaz, dum viveret, Commissarii Generalis pro Ultramontana Familia dicti Ordinis, præfata Loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii sub quibusdam rec. mem. Innocentii Papæ XI. Prædecessoris quoque Nostri, Litteris in simili forma Brevis die 5. Septembris 1636 super confirmatione diversarum Indulgentiarum, & Privilegiorum ipsius Ordinis editis comprehendi, ac proinde frui, & gaudere posse indulgentiis, & Privilegiis in Litteris hujusmodi concessis, & expressis, declarasset per suas itidem in forma Brevis die quinta Decembris 1696. desuper expeditas Litteras, idque absque limitatione, ac restrictione dictorum locorum Viæ Crucis, seu Calvarii ad Ecclesias, & loca Ordinis præfati factum fuisset; nihilominus aliqui existimantes facultatem illa erigendi, & instituendi, ad Ecclesias, & loca Ordinis prædicti, Indulgentias vero, & Privilegia ejusmodi ad personas obedientiæ, ac directioni pro tempore existentis Ministri Generalis ejusdem Ordinis subjectas respective limitata, & restricta esse, a piæ memoriæ Benedict. Papa XIII. etiam Prædecessore Nostro indulgentias, & Privilegia præfata ad quoscumque utriusque sexus Christifideles dicto Ministro Generali non subjectos, qui tamen ejusmodi loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii penes Fratres supradicti Ordinis privative quoad alios quoslibet visitarent, ibique memoriam Dominicæ Passionis devote recolerent, aliaque injuncta Opera peragerent, extendi, & ampliari obtinuerunt, prout in ipsius Benedicti Prædecessoris Litteris sub plumbo Anno Incarnationis millesimo septingentesimo vigesimo sexto, quinto nonas Martii, Pontificatus sui Anno tertio emanatis uberius continentur.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipse Bernardus, non minus ratione sui Officii Procuratoris Generalis hujusmodi, quam de expresso mandato dicti moderni Ministri Generalis ad enatam occasione præmissorum confusionem tollendam, remque in statum pristinum restituendam, prædicta loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii per eosdem Fratres, etiam in Ecclesiis, & locis, quæ non sint dicti Ordinis, erecta, & erigenda, eisdem Indulgentiis, & Privilegiis gaudere per Nos declarari summopere desideret, quemadmodum ab ipso Benedicto Prædecessore; postquam Litteræ suæ præfatæ prodierant ad supplicationem dilectæ in Christo Filiæ Nobilis Mulieris Violantis a Bavaria Principissæ Etruriæ Viduæ Fratribus Recessus Sancti Francisci ad Montem Florentinum, & Conventus de Ambrosiana nuncupat. dicti Ordinis in vim cujusdam Rescripti die 10. Novemb. 1729. ejus jussu editi, concessum fuisse memoratur: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Bernardi votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, eumque, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, nec non utriusque Innocentii, & Benedicti Prædecessorum Litterarum præfatarum tenores, & alia quæcumque etiam specificam, & individuam mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & specificatis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, quod prædicta loca pia Viæ Crucis, seu Calvarii in Ecclesiis, Oratoriis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis itidem piis locis ipsi Ministro Generali non subjectis, nec ab eo dependentibus, per Fratres dicti Ordinis nunc erecta, & in posterum erigenda, eisdem Indulgentiis, ac Privilegiis fruantur, & gaudeant, quibus fruuntur, & gaudent erecta in Ecclesiis, & in locis Ordinis præfati, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus, & declaramus, ac quatenus opus sit, & de novo concedimus, & indulgemus; ita tamen, ut quo ad illa sic deinceps erigenda, modus, & forma ferventur, quibus ejusmodi erectiones in Ecclesiis, & locis Ordinis prædicti hactenus fieri consueverunt, & accedat licentia Ordinarii loci, ac consensus Parochi, & Superiorum Ecclesiæ, Monasterii, Hospitalis, & loci pii, ubi de eis pro tempore erigendis agi contigerit. Decernentes pariter, easdem præsentes Litteras firmas, validas, efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari. Sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostra, et Cancellariæ Apostolicæ regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, et aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 16. Januarii 1731. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Quoniam autem Dilectus Filius Leonardus a Portu Mauri- 54
tio, ejusdem Ordinis Minorum Reformatorum nuncupatorum Frater, expresse Professus, Nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum præinsertas Litteras Clementis Prædecessо-

ceſſoris præſati, et in eis contenta quæcumque quo firmius ſubſiſtant, et ſerventur exactius, confirmare, verum etiam nonnulla, ut infra, declarare, et præſcribere de benignitate, et auctoritate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſum Leonardum ſpecialibus favoribus, et gratiis proſequi volentes, et a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, et interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum preſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, et abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejuſdem Leonardi Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertas Clementis Prædeceſſoris Litteras, et in eis contenta quæcumque auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, et confirmamus, illiſque Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, nec non earumdem præinſertarum Litterarum tenorem, formam, et diſpoſitionem ſine ulla interpretatione, et reſtrictione omnino in poſterum ſervari mandamus. Præterea cuicumque Parocho, ut prævia proprii Ordinarii, ſeu Antiſtitis in ſcriptis obtinenda licentia, ſub directione cujuslibet Fratris ejuſdem Ordinis Minorum, ſive Obſervantium, ſive Reformatorum, ſive Recollectorum, vel ad excipiendas Sacramentales Chriſtifidelium Confeſſiones approbati, vel Prædicatoris Verbi Dei de quocumque Conventu, ſive proximo, ſive remoto, ad Parochi arbitrium de ſuorum tamen Superiorum conſenſu, ac permiſſu erigendi Viam Crucis, ſeu Calvarii, ut præmittitur, ſive in propria Parochiali Eccleſia, ſive alibi in ejuſdem Parochialis Eccleſiæ diſtrictu erigendi facultatem tribuimus, & impertimur. Volumus autem, ut Via Crucis, ſeu Calvarii hujuſmodi in iis Civitatibus, Oppidis, & Locis, ubi ab ipſis Fratribus Ordinis præfati in ſuis reſpective Eccleſiis, ſive alibi jam erecta reperitur, de novo minime erigatur, niſi ubi, licet alia in Civitate, Oppido, & Loco quolibet Via Crucis, & Calvarii hujuſmodi erecta fuerit, ea tamen eſt itineris longitudo, vel viæ aſperitas ut Chriſtifideles non ſine graviſſimo incommodo, aut nullo pacto illuc ad eandem Viam Crucis, ſeu Calvarii peragendam accedere valeant. Quo caſu locorum Ordinarii, quorum arbitrio, ac prudentiæ præmiſſa omnia ordinandi, ac præſcribendi relinquimus, ordinent, & præſcribant. Decernentes pariter eaſdem præſentes Litteras, firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quiſcumque in contrarium præmiſſorum quomodolibet facientibus, atque iis omnibus, & ſingulis, quæ idem Clemens Prædeceſſor voluit non obſtare. Volumus autem, &c. ut &c.

Datum Romæ ut ſupra die 30. Auguſti 1741. Pontificatus Noſtri Anno II.

D. Card. Paſſioneus.

55 Avvertimenti Ordinati a ben regolare il Divoto Eſercizio della Via Crucis dati in luce per ordine di Papa Clemente XII., e rinovati dalla Santità di Noſtro Sigore Papa Benedetto XIV.

Con alcune addizioni neceſſarie per maggior ſtabilimento di sì ſanta Divozione.

AVendo la Santa Memoria di Clemente XII. alle ſuppliche del Procurator Generale dell' Ordine de' Frati Minori detti dell' Oſſervanza, tanto a nome ſuo, come del Miniſtro Generale dello ſteſſo Ordine, ampliata la Via Crucis con ſuo Breve in data 16. Gennajo 1731., dal quale reſtano anche tolti alcuni dubbj, che erano inſorti dopo il Breve di Benedetto XIII ſuo Predeceſſore; ſi degnò il ſudetto Sommo Pontefice moſſo dal paterno ſuo zelo per la ſalute dell' Anime di ordinare al Cardinal Prefetto della Sacra Congregazione dell' Indulgenze, che nel tempo ſteſſo ſi foſſero ſtabilite quelle Regole, ed avvertimenti, che aveſſero potuto contribuire, acciocchè un sì ſanto e profittevole Eſercizio, in cui deve meditarſi quell' atroce Paſſione, che il noſtro Redentore s' umiliò a ſoffrire *ob nimiam charitatem, qua dilexit nos*, ſi faccia da' Fedeli con quella divozione, e raccoglimento, ch' è neceſſario a conſeguire quell' effetto, che abbondantemente ſuol derivarne, conforme puntualmente ſi eſeguì. Eſſendoſi poi degnata la Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIV. con un ſuo Breve in data dei 30. Agoſto dell' anno 1741., non ſolo di ordinare che s' oſſervi ſenza limitazione alcuna tutto il preſcritto dal ſuo Anteceſſore, ma di altresì ampliare la di lui conceſſione; ha giudicato molto eſpediente, che ſi rinovino tutti gli Avvertimenti, e Regole ſudette; affinchè in avvenire con ſiniſtre interpretazioni non ſi pregiudichi al fine per cui ſono ſtate ſtabilite, e reſti dilucidato tutto ciò, che ordina nell' accennato ſuo Breve, e meglio ſi conoſca la ſua mente piiſſima in promovere queſta ſanta Divozione. Quindi è, che tutti quei, che dovranno erigere la Via Crucis, come tutti gli altri, che vorranno approfittarſi di sì Santo Eſercizio, dovranno onninamente conformarſi agli avvertimenti, che ſeguono.

I. Che eſſendo ſtata conceduta la facoltà di erigere le Vie Crucis a' Religioſi ſoggetti al Miniſtro Generale de' Frati Minori sì Oſſervanti, che Riformati *privative quoad alios quoſcumque*, non è lecito ad altri di erigere, ed erigendoſi non godono le Indulgenze.

II. Che non poſſono eſſer erette ſe non da' Superiori locali dell' Ordine ſuddetto, o di loro commiſſione da un' altro Religioſo dello ſteſſo Ordine, il quale però ſia Predicatore, o almeno Confeſſore approvato.

III. Che devono erigerſi nella forma conſueta, e ſinora praticata nell' Ordine ſuddetto, cioè, che ſieno quattordici Stazioni, che le Croci, o Cappellette rappreſentino i Miſteri della Paſſione. In quei luoghi poi, ne' quali ſi voleſſe erigere fuori della Chieſa, come ſi uſa in molti Conventi del detto Ordine, ſi procuri ſempre di terminare, o di cominciare dalla Chieſa, o luogo Sacro, con avvertire onninamente, che le Cappelette ſieno chiuſe con cancelli da non potervi entrare, nè perſone, nè gli animali, e che tanto eſſe quanto le Croci ſieno collocate in luoghi non ſoggetti ad irriverenze, ed in caſo che in progreſſo di tempo i luoghi, ne' quali foſſero ſtate erette, diveniſſero indecenti, debbano i Superiori ſoſpenderle, ſopra di che s' incaricano ſtrettamente le loro coſcienze.

IV. Che nella ſteſſa Chieſa, o luogo Pio, quando ſia capace, ſarà bene erigere per maggior comodo del popolo due Vie Crucis, una delle quali ſerva per gli Uomini, e l' altra per le Donne, e quando una ſi pianti fuori di Chieſa, ſe ne' erigga ſempre un' altra nella Chieſa, qualora queſta ſia di tal capacità, che baſti per non fare confuſione, acciò in tempo di pioggia, o di altro impedimento ſi poſſa non oſtante praticare sì Santo Eſercizio.

V. Che queſta pratica ſia uniforme in tutti i luoghi ſenz' alterare punto quella che s' è oſſervata finora ne' Conventi dell' Ordine, cioè o proceſſionalmente da tutto il popolo ſotto la direzione d' uno o più Sacerdoti, ovvero privatamente da ognuno. Quando ſi faccia la Via Crucis nel primo modo ſi diſponga la Proceſſione in maniera, che gli Uomini vadano ſeparati dalle donne, cioe quelli prima, e queſte dopo con uno, o più Sacerdoti intermedij, e ad ogni Stazione un Chierico, o Sacerdote legga ad alta voce la conſiderazione corriſpondente a ogni Miſterio, e Stazione, e dopo recitato un *Pater*, ed *Ave*, e fatto un' Atto di contrizione, ſi tiri innanzi, cantandoſi tra una Stazione, e l' altra il *Stabat Mater*, o altra Orazione, avvertendo tutti di contenerſi con ſomma modeſtia, ſilenzio, e raccoglimento; mentre l'eſperienza dimoſtra, che queſto Santo Eſercizio praticato con pietà, e divozione introduce a poco a poco ne' Fedeli d'ogni condizione l' uſo del meditare, e la riforma de' coſtumi.

VI. Che praticandoſi privatamente non è neceſſario recitare ſei *Pater*, ed *Ave*, ad ogni Stazione, come alcuni ſuppongono, ma baſti meditare, benchè brevemente, la Paſſione del Signore, che è l' opera ingiunta per far acquiſto delle Sante Indulgenze, ed alle perſone ſemplici baſterà il penſare in qualche modo, conforme alla loro capacità, alla ſuddetta Paſſione; Benchè ſi eſortino tutti, ſenza però obbligargli, a recitare un *Pater*, ed *Ave*, ad ogni Croce, e far un' Atto di Contrizione, conforme all' uſo introdotto.

VII. Ch' eſſendo eretta la Via Crucis nella Chieſa, per quel tempo degli Uffizj Divini, e della Santa Meſſa, e quando in Chieſa ſia tal concorſo di Popolo, che poſſa cagionar tumulto, e diſturbo, ſi aſtengano di praticarla, tanto maggiormente, che non eſſendovi impedimento ſi devono viſitare ad una ad una tutte le ſtazioni.

VIII. Che dovendoſi erigere la Via Crucis in qualche Monaſtero di Monache, o Conſervatorio, non è neceſſario entrare nella Clauſura, ma baſta che un Religioſo del medeſimo Ordine di età matura, e qualificato, come ſi è detto nel ſecondo Avvertimento, con licenza dell'Ordinario, benedica le Croci alle Grate, e faccia una breve iſtruzione alle Monache, ed altre, che ſi trovaſſero in tal Monaſtero, o Conſervatorio circa il modo, col quale è neceſſario di viſitare le Croci per partecipare delle Indulgenze, e riportarne profitto per le Anime.

IX. Che non ſi pubblichi dai Pulpiti, nè in altra forma, e molto meno ſi ſcriva nelle Cappellette, o Stazioni, un numero certo, e determinato delle Indulgenze, che ſi acquiſtano, poichè ſi è riconoſciuto in più occaſioni, che, o per inavvertenza, ed equivoco, o per traſporto di devozione ſi altera, o ſi confonde la verità delle Indulgenze; e perciò baſti il dire, che chiunque s' impiegherà a meditare la Paſſione del Signore in queſto ſanto Eſercizio, acquiſterà per conceſſione de' Sommi Pontefici, le ſteſſe Indulgenze, che acquiſterebbe ſe viſitaſſe perſonalmente la Stazione della Via Crucis di Geruſalemme.

X. Per ultimo, deſiderando la Santità ſua, che ſempre più ſi dilati queſto Santo Eſercizio a profitto di tutto il Mondo Cattolico, eſorta tutt' i Parochi di qualſivoglia Terra, o Città, benchè in qualche Terra vi ſi trovaſſe più di una Parrochia, ad arricchire i loro Popoli con sì gran Teſoro. Introducendo nelle loro Cure, o nel diſtretto delle medeſime sì profittevole divozione, ſenza riguardo alla maggiore, o minore diſtanza da una Via Crucis all'altra; purchè l' Erezione ſi faccia da un Frate Minore, ſoggetto al Miniſtro Generale dell'Oſſervanza, dotato delle ſopraccennate qualità, acciò iſtruiti i Popoli del gran bene, che contiene la Via Crucis, l' abbraccino con maggior fervore, e rieſca più fruttuoſa all'Anime loro. Quindi è, che nel ſuddetto Breve concede l'arbitrio al Paroco di eleggerſi quel Religioſo, che giudicherà più idoneo, acciò con licenza del ſuo Superiore locale benedica le Croci, ed aſſiſta all'Erezione, che dovrà farſi in quella Cura, o altro luogo Pio. Si eccettuano però quei luoghi, ove ſi trovano i Conventi de' Frati Minori ſuddetti, non dovendoſi in tal caſo erigere la Via Crucis in altre Chieſe non ſoggette al medeſimo Ordine. Se pure detti Conventi non foſſero ſituati in tanta lontananza dalla Terra, o Città, ovvero foſſe la ſtrada sì malagevole, che ſenza grave incommodo, da giudicarſi dall'Ordinario, non poteſſe frequentarſi dal popolo il Santo Eſercizio; atteſochè in tal contingenza rimette Noſtro Signore all' arbitrio de' Veſcovi il decidere, ſe ſi poſſa erigere in altra Chieſa non ſoggetta all'Ordine ſuddetto, purchè l'erezione ſi faccia ſempre nella forma ſopraccennata, ed in queſto modo reſta dilucidata la Clauſula del ſuo Breve; *Volumus autem &c.* acciò da alcuni non veniſſe ſiniſtramente interpretato. Anzi accadendo ſimili dubbj, affinchè con continui Ricorſi non s' inquietino i Miniſtri della Sagra Congregazione, ne rimette agli Ordinarj la deciſione.

Die 10. Maii 1741.

Ex audientia Sanctiſſimi: Sanctiſſimus annuit, nempe pro facultate addendi declarationem, de qua in precibus, ſimulque imprimendi una cum aliis monitis alias impreſſis.

L. Card. Pico Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.
A. M. Erba Proton. Apoſt. Secretar.

56 Hic ad complementum de Indulgentiis juvat adducere ſequentem Tabulam traditam in *Cæremoniali Seraphico impreſſo Mediolani anno 1744. typis Donati Griſolfi par. 3. cap. 19.* ibidem.

Tavola de' Crepuſcoli della ſera, durante i quali, (come nota il Calendario Romano) durano le Indulgenze, concedute in ſino al tramontar del Sole.

1 Gennajo: Ora una, e un quarto, all'Orologio della Campana.
25 Febbrajo. Ora una.
1 Aprile. Ora una, e un quarto.
1 Maggio. Ora una, e mezza.
1 Giugno. Ora una, e trè quarti.
13 Luglio. Ora una, e mezza.
26 Agoſto. Ora una, e un quarto.
17 Settembre. Ora una.
1 Novembre. Ora una, e un quarto.

APPENDIX,

Sive novus de Indulgentia

ARTICULUS.

SI propriis in locis additæ fuiſſent juxta monitum Cenſorum adnotationes, omittere hunc articulum potuiſſem; ſed cum, me abſente, typis jam conſignata fuerint, quæ Auctor de Indulgentiis diſputat, ſine debitis animadverſionibus, quibus notatæ a Cenſoribus propoſitiones indicarentur, exponerentur, vel confutarentur, & cum nonnullæ quoque deſiderentur ad perfectam declarationem Eccleſiaſticæ circa Indulgentias diſciplinæ, novum hunc addere articulum operæ pretium fuit; In quo articulo paucis explicatur, quid Indulgentia, ſit, & quinam in antiqua Eccleſia ejuſdem fuerit uſus, quæque variandæ diſciplinæ cauſa; ac Ferrarianæ illæ opiniones, quæ minus tutæ, vel falſæ viſæ ſint, refelluntur; Et nonnulla decreta recenſentur.

I. Indulgentiæ itaque nomine intelligimus *remiſſionem pœnæ temporalis, quæ remiſſa jam culpa luenda foret in foro interno coram Deo valida, facta extra Sacramentum per applicationem theſauri Eccleſiæ, ab eo qui poteſtate præditus ſit.* Definitio quatuor complectitur partes Indulgentiæ eſſentiales; Primo enim indicat remiſſa culpa ſupereſſe poſſe, ac ſolere pœnam, peccato, ita exigentibus divinæ juſtitiæ legibus, debitam, atque in præſenti, vel in futuro ſæculo luendam: Secundo remiſſionem hanc valere etiam coram Deo, ita ut quam Eccleſia modo condecenti condonare velit, pœnam, Deus non amplius exigat. Tertio ait per applicationem theſauri Eccleſiæ hanc fieri remiſſionem; Theſaurus vero Eccleſiæ bona ſpiritualia ſunt, quorum diſtributio Eccleſiæ concredita eſt. Bona hæc ſunt merita Chriſti Domini, & Sanctorum omnium, atque Fidelium. Sanctorum autem merita in Eccleſiæ theſauro collocantur, non ut quidpiam addatur meritis Chriſti Domini, quæ infinita ſunt, & quidquid meriti eſt in Sanctis gratia ex illis prodeunte efficiunt; ſed ut pateat Sanctorum Communio in Eccleſia, quæ eſt Corpus Myſticum Chriſti Jeſu, & ipſe ejuſdem caput, quod perficit membra ſua, quibus veluti inſtrumentis utitur communicando illis Spiritum, & omnem ſalutarem motum per gratiam ſuam. In hac definitione non determinatur modus, quo theſauri applicatio fieri debeat; quo ſit, ut ad Indulgentiæ ſubſtantiam ſufficiat aliquo modo fieri hanc applicationem, vel ex parte ſaltem præcipua theſauri, quæ in Chriſti meritis ſita eſt, non enim neceſſario requiritur, ut ſimul fiat ob merita Sanctorum, ut poſt Bellarm: notavit Amort, quam vis laudabiliter ita fiat, ac primis quoque Eccleſiæ temporibus in Indulgentiis non tantum meritorum Chriſti, ſed etiam Sanctorum habita ratio fuerit. Quarto tandem deſignatur applicationem hanc ab eo fieri oportere, cui regendæ Eccleſiæ, ligandi, & ſolvendi, atque clavium poteſtas conceſſa fuit. Huic enim bonorum Eccleſiæ adminiſtratio concredita fuit.

II. Diſputare Theologi ſolent, concurrant ne merita dicta ad Indulgentias per modum impetrationis, an ſolutionis? Sed levis momenti eſt hujuſmodi quæſtio, atque utroque concurrere modo probabilius videtur. De priori modo nulla controverſia eſt; quod vero ſecundo modo concurrant, facile patet. Nam Juſti non pro ſe tantum, ſed pro aliis ſatisfacere valent quantum ad debitum pœnæ temporalis; immo & mereri de congruo poſſunt peccatoribus pœnitentiæ donum. Hæc autem Juſti non præſtant, niſi in virtutem meritorum Chriſti, cujus ſpiritu aguntur tamquam membra viva. Etenim Auguſtino teſte lib. contra Parmen. *Hic eſt unus verusque Mediator noſter, & advocatus, pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus aliquando quidem per membra Corporis ſui, quæ pro ſe invicem ſollicita ſunt.*

III. Orthodoxa fides docet, ut optime auctor oſtendit, in Eccleſia poteſtatem eſſe concedendi indulgentias, earumque

que usum salutarem fidelibus esse. Nam Ecclesiæ ligandi, & solvendi, remittendi peccata, & clavium potestas concessa est, & quæ ipsa remittit, vel solvit in terris, remissa, & soluta habentur in Cælis, ut ex dictis constat. Ex iis vero Patres omnes colligunt collatam Apostolis, eorumque successoribus potestatem injungendi pœnitentibus satisfactorias pœnitentias, & relaxandi: Patrum testimonia obvia sunt. Usus vero Indulgentiarum ex perpetua, & constanti traditione comprobatus rem ulterius confirmat. Paulus enim 2. *ad Cor.* 2. erga incestuosum Corinthium hac usus est Indulgentia, *ne*, inquit, *abundantiori tristitia absorberetur*. Quæ verba Chrysost. hom. 11. in 2. ad Corint. ita exponit, *Ex ea re docemur, quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem habitumque pœnitentium oportet moderari disciplinam*. Indulgentias præterea secundo Ecclesiæ sæculo probavit Tertull. antequam ad Montanistas transisset, in lib. quem scripsit *ad Martyres cap.* 1. S. Cyprianus pluries scribit ad Martyrum preces Ecclesiam in more habuisse remittere pœnas pœnitentibus. Usus præterea Indulgentiarum in antiqua Ecclesia, constat etiam ex relaxatione pœnitentiæ, quæ fiebat ab Episcopis in Cœna Domini iis, qui per Sacramentalem absolutionem initio quadragesimæ a Presbyteris absoluti fuissent, ut pluribus ostendit Amort dist. prælim. de Indulgent. §. 11.

IV. Ex antiquo Ecclesiæ usu constat hanc relaxationem pœnæ canonicæ validam fuisse etiam coram Deo. Primo, quia Episcopi in relaxatione pœnæ canonicæ utuntur deprecatoria formula simili illi, qua absolutionem sacramentalem concedebant, & in utraque absolutionem petebant a peccatis in remedium animæ, ut videre est in antiquo Ordine Romano. Secundo, quia tempore Sancti Cypriani Fideles putabant se liberari a Numinis vindicta & ira Dei, si Martyrum intercessione obtinuissent relaxationem pœnæ canonicæ, ut legere est in Cypriani Epistolis. Tertio quia Tertull. lib. de Pudicitia cap. ult. testatur, hanc fuisse universalem Ecclesiæ persuasionem, ut meritis ac satisfactionibus Martyrum peccata remitterentur, sive pœnæ peccatis debitæ. Idem præterea constat ex Epist. Cleri Romani ad Cyprianum, & ex S. Ambrosio lib. de Pœnit. ubi ait, *Tota Ecclesia suscipit onus peccatoris, cui compatiendum & fletu, & oratione, & dolore, est, & quasi fermento ejus se totam conspergat, ut per universos ea, quæ superflua sunt in aliquo pœnitentiam agente viritim misericordiæ aut compassionis velut collativa quadam admixtione purgentur*. Ex eodem de pœnitentia lib. 2. cap. 3. habemus, fieri consuevisse remissionem pœnæ canonicæ in primitiva Ecclesia ob intercessionem, & merita Sanctorum; Et ex Tertulliano lib. de Pœnit. cap. 9. aliisque.

V. Indulgentiæ remittunt pœnam temporalem sive injunctam, sive injungendam. Audiatur S. Thomas in supplem. quæst. 25. art. 1. *Quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum a reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundum Dei judicium meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam obligatur etiam ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est*, ut quod in terra remitteret, in Cœlo remitteretur: *unde remissio, quæ fit quantum ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret, quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatoris, absolvendo a poenitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum quod valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad Judicium Dei, ad remissionem, & absolutionem, sive sit injuncta, sive non*. Ita Theologi omnes, & quidem Jure meritoque; nam potestas Ecclesiæ collata Matthæi XVI. absoluta est, & nulla limitatione circumscripta: neque in Traditione fundamentum est ullum, quo restringere cogamur hanc potestatem ad pœnas in Sacramento injunctas, vel per Canones constitutas. Et quamvis aliquando hæc reperiantur concessæ formula Indulgentiæ de pœnis injunctis, communiter tamen absque hac formula concessæ reperiuntur a Bonifacio VIII. in Extrav. *Antiquorum*, a Clem. VI. in Extrav. *Unigenitus*, a Sixto IV. in Extrav. *Quemadmodum*, & ab aliis Summis Pontificibus, qui plenissimas Indulgentias concedant, hoc est, quantum se extendit eorum potestas. In hypotesi quod concedantur Indulgentiæ sub hac formula de injunctis, Cardinalis Bellarm. cap. 7. lib. 1. de Indulg., negat illas extendi ad pœnas injungendas; sed Suarez, & alii bene multi affirmant.

VI. De Indulgentiarum origine, & variatione hæc Mabillonius scribit Indulgentiarum triplex quasi gradus considerari potest, unus tempore Apostolorum, qualis fuit relaxatio ab excommunicatione incesto illi Corinthio inflicta per Apostolum Paulum. Secundus tempore Martyrum, cum ad eorum preces publica quiousdam pœnitentia remittebatur. Tertius sub defectum pœnitentiæ publicæ, quæ sæculo 9. non parum minui cœpit. Ab eo tempore datæ sunt ad remissionem pœnæ peccatis impositæ, aut debitæ quædam Indulgentiæ aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per ea tempora pœnitentiæ publicæ usus, sed ea redimi vel Missis, aliisque suffragiis, vel eleemolynis, vel sacris peregrinationibus, aut piis operibus poterat. Patribus Concilii Cloveshovisensis anno 747. visa est nova pœnitentiæ per eleemolynas redemptio *nova adinventio, periculosa consuetudo*; Sed paulatim hæc redemptio prævaluit. Postea vero compendiosior visa est Indulgentiarum via. Illæ mortuis primum concessæ videntur. Nam Joannes Papa VIII. Indulgentiam his, qui in bello contra Paganos an. 858. occubuerunt, vel in futurum occumberent, concessit, eamdemque gratiam petiere Bajoariæ Episcopi pro Arnulpho Imperatore mortuo, a Joanne IX., cujus animam ipsius potestate absolvi postularunt. At vivis Salomon Constantiensis Episcopus in Cœna Domini Indulgentiam dedisse perhibetur apud Ekkehardum, idest, absolutionem, quæ in Cœna Domini quotannis ab Episcopo impertiri solebat. Sed alia est indulgentiarum notio; cum peccatorum pœna vel partim, vel omnino remittitur, unde plenariæ Indulgentiæ, aut definiti temporis dicuntur. Si fides scholasticis habenda foret, concessæ hac ratione Indulgentiæ fuere a Sergio II., qui Indulgentiam trium annorum. & trium quadragenarum omnibus visitantibus Ecclesiam SS. Silvestri, & Martini in Montibus concessit se traditur, a Gregorio Magno, quem septem annos de Indulgentia concessisse perhibent in stationibus Romæ ab ipso constitutis, imo & a S. Silvestro. Sed hi etsi maximi Theologi habeantur, tamen infelices passim sese ostentant historicos, & fidem hac in re non merentur, ut optime ostendunt Mabillonius *in Præf. ad Sæculum 2. Benedictinum*, Papebrochius *in Conatu Chronologico historico dissertat.* 17. aliique eruditissimi viri; qui luculenter ostendunt Indulgentiarum usum, qua ratione hodie in Ecclesia conceduntur, undecimo sæculo antiquiorem non esse.

VII. Certo constat, Alexandrum II. an. 1070. peracta Lucensis Ecclesiæ dedicatione statuisse, *ut olto dierum spatio dedicationis memoria peragretur, concessa indulgentia pœnitentiæ*, ut habetur in Codice MS. ejusdem Ecclesiæ in Vaticana Bibliotheca asservato. Sed deest ibi specificatio ipsius Indulgentiæ, quæ tamen habetur in quadam Honorii II. Bulla, in qua iis, qui intra novem dies ad celebritatem convenissent consecrationis Ecclesiæ Casamarii, *de illius pietate confisi, qui est peccatorum remissio, de injunctis pœnitentiis annus unus misericorditer relaxatur. Hæc tunc erat Indulgentia maxima*, inquit Papebrochius, *postea cœperunt alii ad annorum numerum ampliorem addere etiam quadragenas*. Circa hæc eadem tempora concedi cœperunt Indulgentiæ Basilicæ Vaticanæ, quas recenset Nicolaus IV. in Bulla relata ab Onuphrio Panvinio in libello de septem Ecclesiis Urbis, per hæc verba: *Sicut ad nos tam ex scriptis antiquis in Basilica ipsa repertis, quam ex Seniorum Canonicorum ejusdem Basilicæ relatione pervenit, Prædecessores nostri omnibus vere pœnitentibus, & confessis ad eandem Ecclesiam venientibus reverenter videlicet in Nativitate Domini . . . . septem annorum, & septem quadragenarum, & ab octava Pentecostes hinc ad festum B. Petri . . . . die quolibet trium annorum, & trium quadragenarum . . . . a principio Quadragesimæ usque ad festum Paschæ quolibet die, necnon in festivitatibus B. Mariæ unius anni, & quadraginta dierum remissiones suorum peccaminum concesserunt*. Has Nicolaus Pontifex ratas habuit, & deinceps confirmavere, atque auxerunt Bonifacius VIII., Clemens VI., Urbanus VI., Nicolaus V., & alii Summi Pontifices, ut inquit idem Panvinius. Circa finem undecimi sæculi occurrunt quoque Indulgentiæ concessæ proficiscentibus ad bellum sacrum, aut certe ad illud contribuentibus. En Canon. 2. Concilii Claromontani Urbani II. auctoritate celebrati: *Quicumque pro sola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione ad liberandam Ecclesiam Dei Hierusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur*. Vide Catalogum harum Indulgentiarum apud Amort *de Indulg. part. 2. pag. 46. & seq.* Habes itaque Indulgentiarum originem, varietatem, atque initium illarum, quæ nunc ampliores etiam conceduntur.

VIII. Inquirendum modo est, *An disciplina Ecclesiæ circa usum Indulgentiarum subierit variationem quoad substantiam?* Responsionem transcribendam duxi ex P. Eusebio Amort, qui ait, Ecclesiam in collatione Indulgentiarum retinuisse semper eundem spiritum, & disciplinam quoad usum, invariatam quoad substantiam. mansisse. Idque comprobat ex comparatione veterum, recentiumque Indulgentiarum, quo recensemus ordine.

1. *Antiquitus relaxatio pœnæ fiebat, quando fideles pœnitentes admittebantur ad Sacram Communionem. Nunc etiam ordinaria Indulgentia connectitur cum Sacra Communione, quia ordinarie ad lucrandam Indulgentiam requiritur Communio.*

2. *Antiquitus in articulo mortis fere omnes habebant plenariam Indulgentiam, quia omnes admittebantur ad Sacram Communionem, sicque* ad Dominum dimittebantur, *licet pro foro externo dein, si reconvaluissent, debuerint supplere opera pœnitentiæ. Nunc etiam omnes fideles in articulo mortis, si voluerint uti gratiis Apostolicis per aggregationem in Confraternitates, habent similiter plenariam Indulgentiam.*

3. *Antiquitus Indulgentiæ non poterant conferri, nisi ab Episcopis; nunquam autem a Presbyteris, nisi haberent Concessionem ab Episcopo. Nunc etiam plenariæ non applicantur, nisi ex Commissione Summi Episcopi; v. g. dum Indulgentiam in articulo mortis, vel alias per specialem formulam pœnitenti applicant; qui mos jam a multis seculis invaluit.*

4. *Antiquitus omnibus ad omne opus bonum apertus stabat thesaurus Ecclesiæ ex communione justorum omnium non restricta a Pastoribus Ecclesiæ, & specialiter impensa per preces, ac vota Antistitum. Nunc etiam ad omne opus bonum in Confraternitatibus apertus stat thesaurus Ecclesiæ per applicationem specialem alicujus Indulgentiæ.*

5. *Antiquitus offerebantur ab Ecclesia pro penitentibus, ac aliis specialiter participantibus de thesauro Ecclesiæ justorum intercessiones & opera. Idem nunc per Prælatos fit, qui concedunt Indulgentiam, ut Deo offerant de thesauro Ecclesiæ.*

6. *Antiquitus Episcopi habebant potestatem relaxandi partem pœnitentiæ, non totam. Nunc etiam jam a multis seculis non habent potestatem Indulgentiam concedendi excedentem* 40. *vel* 100. *dies.*

7. *Antiquitus requirebantur opera ardua ad obtinendam Indulgentiam. Nunc etiam Pontifices, ut in decursu probabitur, jam sæpius declararunt, se nolle applicare plenum fructum Indulgentiarum, nisi iis, qui se per opera pœnitentiæ congrue dispposuerint, ac dignos reddiderint.*

8. *Antiquitus modum Indulgentiarum, ac relaxationum ex tacito consensu Summi Pastoris regulabat frequenter communis sensus, & consuetudo Ecclesiæ; & quando oriebatur dubium, aut fiebat excessus in rigore, aut laxitate, apponebant limites Summi Antistites Ecclesiæ. Sic enim Zephirinus indulsit primus mœchis veniam, ut testatur Tertullianus; & Nicolaus primus præscripsit modum relaxationum pœnitentialium Episcopis Germaniæ, ut patet ex ejus Epistola, quam, dum lustravem Bibliothecas Bavariæ, reperi in Manuscripto Codice Sæculi duodecimi in Canonia ad S. Nicolaum Passavii, estque hactenus inedita.*

9. *Antiquitus ex toto Orbe concurrebatur ad Sepulcrum BB. Apostolorum Petri, & Pauli, ut ostendit P. Gretserus l. 2. de Peregrinationibus Cap. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Omnes gentes eo confluebant, ut obtinerent Patrocinium Principis Apostolorum, ut testatur S. Chrysostomus, S. Augustinus, Fortunatus, S. Gregorius, &c. Confluebant præcipue, ut obtinerent relaxationes pœnæ Canonicæ, ut testatur Concilium Cabillonense anno 815. & postmodum Selegustadiense. Nunc autem dum plerisque ob alium statum politicum regnorum, & divisionem linguarum post Romanæ linguæ interitum non amplius datur tam facilis accessus Romam, Summus Pastor præstat absentibus, quod præsentes requirere non possint beneficium, & ut in suis Bullis communiter exprimit*, confisus de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli orationibus *cuivis pro modo suæ congruæ dispositionis relaxat facinora.*

10. *Antiquitus relaxabantur v. g. septem anni, vel integra quadragesima, & sensus erat, quod peccatum, cui talis pœnitentia debebat injungi, foret ab omni pœna liberum. Nunc similiter relaxantur v. g. septem anni, vel 40. dies, seu quod idem est Carena, aut quadragesima. Sensus autem est, ut mihi videtur, quod peccatum, cui talis pœnitentia secundum Canones deberet injungi, sit ab omni pœna liberum; vel ut alii videtur, quod tantumdem pœnæ in purgatorio luendæ, quantum talis pœnitentiæ neglectui responderet, relaxetur. In quo iterum nulla est differentia, cum antiquitus indulgentiæ pariter valuerint coram Deo.*

Objicies primo. Manifestum, est quod per copiosas Indulgentias nervus disciplinæ Ecclesiasticæ, & rigor satisfactionum pro peccatis sit penitus enervatus. Antiquitus enim non conferebantur, nisi post laboriosam, & longam pœnitentiam; nunc dantur pro levissimis operibus, & creberrime. Ergo per has Indulgentias introducta est enormis mutatio in Ecclesia. Respondeo, antiquitus pro iis hominibus, qui pro peccatis occultis non voluerunt ultro subire publicam pœnitentiam, ad quod non obligabantur, ut P. Francolinus l. 2. de Pœnit. ostendit, tot, immo plures fuisse Indulgentias plenarias, quam nunc; quia omnes isti pœnitentes statim absolvebantur, & si volebant, statim admittebantur ad communionem; nec illis imponebatur ille antiquus ordo longus pœnitendi, nisi consilii causa, quia alias non essent promerituri largitatem Indulgentiæ, ac plenitudinem remissionis, quod ipsum per modum dispositionis etiam in modernis Indulgentiis requiritur, prout in hoc opere probabitur. Quod vero attinet rigorem illum pœnitentiarum veterum pro peccatis publicis dico, neque in hoc mutatum esse spiritum Ecclesiæ, quia Ecclesia illum rigorem non assumpsit, ut convenientem statui Ecclesiæ perfecto, sed ut necessarium statui imperfecto, adeoque illum usurpavit ut abjiciendum, non ut retinendum. Hanc meam assertionem probo ex doctrina D. Cypriani, omnium Patrum rigorosissimi, qui dum reddita pace Ecclesiæ rigorem suum plurimum temperavit, ut de hac sua moderatione tanquam de inconstantia fuit reprehensus, hanc reddidit rationem, quod rigor fuit Ecclesiæ utilior tempore persecutionum ad conservandam honestatem Ecclesiæ coram Gentibus ubique commixtis; sed benignitas tempore pacis sit utilior in plures. Idipsum contingere in moderna benignitate postmodum ostendam; interim D. Cyprianum audiamus. Ep. 52. sic habet: *Quoniam de meo actu motus videris, mea apud te persona, & causa purganda est, ne me aliquis existimet a proposito meo leviter recessisse, & cum Evangelicum rigorem primo & inter initia defenderim, postea videar animum meum a Disciplina, & censura priore flexisse, ut his, qui Libellis conscientiam suam maculaverint, & nefanda sacrificia commiserint, laxandam pacem putaverim; quod utrumque non sine librata diu, & ponderata ratione a me factum est. Nam cum prælium gloriosi certaminis in persecutione ferveret, toto hortatu & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ, & lapsorum mentes animandæ, ut poenitentiæ viam non solum sequerentur, sed & ad Martyrii gloriam provocarentur . . . Sed perfectione sopita temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis lapsis denegaretur, nec plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia clauderetur, secuti seculum gentiliter viverent, nec tamen censura Evangelica solveretur. Ac si minus sufficiens Episcoporum in Africa* (idipsum nobiscum statuentium) *numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium* (Papam), *qui & ipse cum plurimis Corepiscopis habito Concilio in eandem nobiscum sententiam pari gravitate, & salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse nunc fuit scribere, ut scias, me nihil leviter egisse, sed nemini ex lapsis communicasse, quando erat* (occasio) *ut lapsus coronam acciperet; postea tamen sicut medendi vulneris utilitas exigebat, necessitati temporum succubuisse, & saluti multorum providendum putasse.* Hucusque D. Cyprianus, qui proin ostendit, in moderando rigore regulam esse necessitatem temporum, utilitatem multitudinis, & Romani Pontificis declarationem.

Videamus ergo nunc, quomodo Romani Pontifices antiquitus utendo rigore Canonum, & nunc adhibendo eam moderationem, ut pœnitentiæ severioris modum relinquant communiter cujusvis arbitrio, semper respexerint ad necessitatem temporum, & utilitatem plurimorum. 1. Antiquitus Christiani vivebant permixti cum Gentilibus, qui majorem concipiebant reverentiam erga Ecclesiam, si viderent, vitia tam severe elui. Itaque ad conciliandam hanc venerationem, & conversionem gentilium congruum erat uti tali remedio; & utilitas paucorum fidelium debebat cedere publicæ honestati Ecclesiæ. 2. Natura Christianorum plurimorum recenter ex gentilismo conversorum in populi magna parte erat adhuc nimis barbara, & vitiis dedita, ut posset mille exem-

exemplis per decem prima sæcula demonstrari ; talis autem natura timore, ut servilis, durius tractari debuit, quia ut Sapiens ait: *Disciplina Servo. 3.* Illis temporibus plurima scelera non coercebantur legibus civilibus, maxime fornicatio, mollities, sodomia, perjuria extrajudicialia, blasphemiæ, & universim omnes transgressiones legum Ecclesiæ ; cum ergo Ecclesia tunc non habuerit aliud medium expurgandi Ecclesiam ab his vicibus, nisi forum pœnitentiale, debuit in isto adhibere rigorem Canonum. Principes Christiani cum viderint Ecclesiam satis punire talia scelera, judicia hæc Ecclesiæ reliquerunt usque ad sæculum undecimum, nec multum curarunt in foro externo illa crimina punire. Nunc autem cum omnia illa crimina severe puniantur per leges Principum, poterat Ecclesia agere mitius, quia non amplius erat periculum, ne publice talia scelera invalescerent. 4. Antiquitus non dabantur tot subsidia promovendi sanctitatem in populo, prout nunc dantur ; multiplicabantur scelera, & non erat efficax remedium resistendi torrenti, ne prorsus inundaret omnia, nisi timor canonum pœnitentialium; nunc autem multiplicantur Clerici, Ecclesiæ, Parochiæ, Catecheses, Conciones, Scholæ, Libri pii, exempla Sanctorum ac Piorum, Leges Juris Ecclesiastici, Religiosi Ordines, Monasteria, quæ omnia multum sæcis ex hoc mundo exhauriunt, juventutem Christianam partim bonis moribus imbuendo, partim a Mundo extrahendo, partim in exemplum suorum propinquorum constituendo. Itaque rigore tanto amplius opus non est eo tempore, quo plus inferret damni, quam lucri. 5. Antiquitus non erant introductæ in populum tot piæ consuetudines, & devotiones publicæ, quæ, dum fideles perpetuo occupant, ac distrahunt, potenter a malis occupationibus avocant. Tales sunt festivitates frequentes, Confessiones, comprecationes, peregrinationes, Confraternitates &c. Itaque sicut virga e domo ejicitur, liberis jam adultis, & ad sanam rationem compositis, ita antiqua disciplina non est retinenda ab Ecclesia in optimo statu constituta; neque per hoc mutatur spiritus Ecclesiæ quia sicut anima una remanet in corpore humano pro diversitate ætatis, ac senii valde diverso, ita in Ecclesia datur quædam una, ac immortalis anima legum omnium, intentio videlicet legislatoris semper respicientis ad bonum commune, ad necessitatem temporum, & ad utilitatem plurimorum.

Objicies 2. Romani Pontifices nunc habent eum modum tendendi in suis indulgentiis, quasi possent satisfactiones Sanctorum dispensare, cui vellent, quod antiquitus non præsumpserunt, sed contenti fuerunt solis satisfactionibus Christi. 2. Iidem nunc potestatem suam etiam extendunt ad Purgatorium. 3. Ii nunc soli pro toto Mundo dispensant Indulgentias, quod antiquitus non legitur.

Respondeo ad 1. Satisfactiones Sanctorum Indulgentiis esse accidentales, potuerunt ergo omitti vel addi in applicatione Indulgentiarum, quamvis eas ob ipsam convenientiam intrinsecam etiam antiquitus ordinarie adhibitas fuisse, jam supra ostensum sit. Cum ergo versemur in re accidentali, mutatio quoad substantiam fieri non potuit. Quod vero hæ satisfactiones Sanctorum Indulgentiis sint accidentales, testatur Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 4. his verbis: *Non est quidem opus, ut adjungantur passiones Sanctorum passionibus Christi, quasi hæ per se non sufficiant ; sed adjunguntur tamen, quia æquum est, ut illæ passiones non sint inanes ; quomodo autem concurrant in hac applicatione satisfactiones Christi cum passionibus Sanctorum, idest, an applicetur una pars satisfactionis ex passionibus Christi, pars alia ex passionibus Sanctorum? An vero integra satisfactio accipiatur semper ex passionibus Christi, & superaddantur ad cumulum satisfactionis passiones Sanctorum, non videtur nimis curiose investigandum. Ita Bellarminus.*

Ad 2. *dico*, Indulgentias pro defunctis esse solemnes deprecationes pro defunctis in quibus Summus Pontifex nomine totius Ecclesiæ pro defunctis Deo offert Sanctorum, & justorum opera ; prout ostenditur in decursu operis. Cum ergo semper Ecclesia oraverit pro defunctis, ut ostendunt Polemici, & Baronius ad annum 34. a n. 314. nihil in hoc innovarunt per Indulgentias Summi Pontifices, sed per eas solum invitant fideles ad secum comprecandum pro defunctis, & ut ad hoc facilius excitentur, promittit Papa, se interpositurum simul pro tali anima deprecationem Ecclesiæ, & oblaturum Deo pro illa anima Sanctorum opera.

Ad 3. *respondeo*, etiam antiquitus relaxationes tantum fuisse factas ex tacito vel expresso consensu Summi Pontificis. Quod relaxatio pro mœchis habeat originem a Zephirino Papa, testatur Tertullianus ; quod lapsis in Idololatriam facta sit communio, & relaxatio, factum est ex *consensu* expresso Cornelii Papæ, ut testatur D. Cyprianus Epist. 52. supra relata. Et modum relaxationum etiam pro homicidis præscripsit Episcopis Germaniæ Nicolaus primus, ut testatur ejus Epistola, hactenus inedita. Denique quod antiquitus factum est ex generali consuetudine Ecclesiæ, haud dubie vim suam habet ex consensu tacito legislatoris. Quod si ergo in similibus taciti, & expressi eadem est vis, sequitur, etiam antiquitus omnes Indulgentias per consensum tacitum summi Pastoris Ecclesiæ subsistisse. Rectius autem, & clarius ea dependentia posmodum exprimi coepit per modernam indulgentiarum formam, quia solius Universalis Episcopi potestas se extendit ad omnes fideles, vi cujus tacite ipsi omnes voluntates, intentiones, & dispositiones subjiciuntur. Quod si Pater potest disponere de voluntate uxoris, & liberorum quoad vota ; Princeps de voluntate subditorum, quoad contractus, & testamenta ; Superior Communitatis quoad communicationem, & participationem bonorum operum de voluntate subditorum : cur non conveniens fuerit, ut etiam voluntates fidelium, ac intentiones tacite subordinentur voluntati Papæ, ejusque dispositioni relinquant opera satisfactoria ad expiationem propriorum criminum ob largitatem Numinis redundantia ? Si autem hæc subordinatio voluntatum ad voluntatem Christi in terris Vicarii est Ecclesiæ congenita ac essentialis ob ipsum Ordinem Hierarchicum, nihil novationis contingere potuit, dum Princeps fidelium eam voluntatem a suorum dependentium actuali dispositione circa satisfactiones justorum superfluas, & ad Deum oblatione piorum operum manifestius exposuit.

IX. Vera Indulgentiarum idea juxta sensum, & spiritum Ecclesiæ hæc est. Cum nos peccatores impares simus ad satisfaciendum divinæ justitiæ pro debitis per peccata contractis, partem vero istius debiti per opera nostra laboriosa solvere valeamus, clementissima Mater Ecclesia thesaurum nobis aperit meritorum Christi, B. Virginis, & Sanctorum, ac per hujus thesauri *applicationem*, id supplet, quod ob infirmitatem, & imbecillitatem reddere non possumus. Itaque indulgentiæ in infirmitatis nostræ supplementum conceduntur. Quamobrem *nos non liberant ab ea solvendi debiti* parte, quam solvere valeamus, sed supplent id quod attenta imbecillitate nostra reddere non valemus. Duo ergo hic attente ponderanda sunt, *ut gravissimi Doctores monent.* Primum Indulgentias valde salutares, & utiles esse ; quod solvunt eam debiti partem, quam per temporariam pœnam in hac vita vix possumus, *in altera vero gravissimis purgatorii* pœnis solvere deberemus. Deinde Indulgentias hac ratione concessas, & usurpatas, non enervare Ecclesiæ disciplinam, nec fovere pœnitentium ignaviam ; sed imbecillitatem nostram erigere, atque juvare, & spiritum inflammare nostrum, ut alacrius & celerius, id quod possumus, reddamus, supplendo id quod pro infirmitate reddere non valemus. Audiatur Cardinalis Cajetanus, qui adversus Lutherum Ecclesiæ de Indulgentia disciplinam exposuit, & propugnavit, ac regulas fidelibus exhibuit : In *tract. de Indulg. quæst.* 2. hæc habet : *Sunt* (pœnitentes) *duplicis ordinis. Quidam solliciti ad satisfaciendum per se ipsos pro peccatis suis : quidam negligentes satisfacere per seipsos. Primi, condignas pœnitentias vel petunt a Confessoribus sibi imponi, parati eas implere ; vel sponte illas assumunt, dum continuo studeant per sua sancta opera satisfacere, jejunando, orando, eleemosynas dando &c. Secundi vero levissimam pœnitentiam aut rogant, aut læti suscipiunt, & cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo ; & hi sunt, quibus Indulgentiæ non prosunt judicio meo. Nullus enim, indignus aliena satisfactione pro pœna sibi debita, consequitur veraciter fructum Indulgentiæ. Sed quilibet negligens satisfacere per seipsum, est indignus aliena satisfactione pro pœna propriis peccatis debita. Ergo nullus negligens satisfacere per seipsum acquirit fructum Indulgentiæ. Præterea in qualibet bene ordinata Republica, quantumcumque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi thesaurum in Cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere* (quod possent) *indigni censerentur adjutorio thesauri. Ex eo enim quod possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine : & nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam aliorum exemplo ad similem negligentiam provocarentur. Legis autem est facere, non negligentes, sed virtuosos.*

Cum

Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, æquum non est, ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes pro dignis habeat ; enim esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt ergo Indulgentiæ negligentibus satisfacere per seipsos quoniam indigni sunt &c. Parati autem ad satisfaciendum per seipsos satisfacere ; sed illi soli, quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata, quod non retardat opus nisi impedita. Consule etiam Benigni *Bossuet. Institutionem pro Indulgentiis comparandis* : Doctissimus Episcopus animadvertens in Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 11. definiri, plenam illam & integram peccatorum omnium remissionem, quam per Baptismum consequitur, per sacramentum pœnitentiæ obtineri non posse, *Sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia* ; ita concreditam sibi plebem alloquitur : *Audite, filii, Ecclesiæ Matris vestræ verba. Illa vobis proponit* magnos fletus, magnosque labores, baptismum laboriosum : *Illa vos edocet*, divinam justitiam id exigere. *Hic Ecclesiæ rigor a suo spiritu oritur, qui numquam extinguetur. Nec illa unquam cessabit bellum indicere laxitati. Quid refert cum Concilio mollitiem detestari Hæreticorum, qui sanctos satisfactionis rigores rejecerunt : si nos in similem languorem incidamus, & id reipsa contemnamus, quod verbis confitemur?* Et postquam ostendit Concilium docere divinam quoque clementiam decere, ut peccata post baptismum commissa sine pœna satisfactoria non remittantur, ac pœnam hujusmodi a novis patrandis peccatis nos coercere, similesque Christo nos efficere, ideoque confessarios convenientes pœnitentias imponere oportere, satis apte concludit, Ecclesiam aperire thesaurum sibi concreditum, sive indulgentias concedere, ut suppleat inopiam nostram & integrum pœnarum debitum hac præsertim ætate nostra, in qua vix umquam pœnitentiæ criminum pravitate æquales aut a confessariis imponuntur, aut sponte suscipiuntur a nobis, sive ob vitæ brevitatem, sive ob spiritus languorem, diminutumque charitatis fervorem. Et sane, quis in animum inducat suum, Ecclesiam, dum concrediti sibi thesauri divitias nobis effundit, velle aut socordiæ nostræ inservire, aut peccandi liberius ansam præbere, liberando homines a pœnis satisfactoriis, quibus a peccatis coercentur, quibus passionum impetum cohibent, quibusque in charitate illa exercentur, per quam Deo satisfacere, eique placere studeant ?

X. Quæ cum ita se habeant, quis æquo animo ferat Lucii Ferraris opiniones, quas recenset, & probat *art.* 3. *nu.* 4. & sequentibus ? *Quis non videat injuria* feniculum conqueri de nimio Romanorum censorum rigore, qui probatas a Venetis censoribus opiniones laxitatis notant ? Scribit enim sub *nu.* 4. *Indulgentia plenaria liberat ab obligatione implendi quamlibet pœnitentiam etiam medicinalem, sibi impositam a Confessario* ; ac sequentibus *num.* 4. id argumentis ostendere conatur, in *num.* vero 6. ex Glossa asserit Bonifacium VIII. *Noluisse Confessarios imponere aliquam pœnitentiam iis, qui lucrarentur Jubilæum, & num.* 8. decere quidem, at non debere Confessarium pœnitentiam imponere ; ac dictis similia habet *num.* 10. Quæ enim superiori in numero exposita sunt, non solum medicinales, sed etiam satisfactorias pœnitentias injungendas esse probant iis quoque, quibus Indulgentiæ concedantur, licet satisfactoria mitior esse possit, dum eam suppleant opera injuncta ; sed hac quoque in re cauti sacerdotes esse debent, ne contra Ecclesiæ mentem agant. Videri poterit Eusseb. Amort. *part.* 2. *sect.* 4. ubi ex Patribus, Conciliis, Summis Pontif., ac gravissimis Theologis etiam satisfactoriæ pœnitentiæ obligationem ostendit : At Lucius noster a medicinali quoque pœnitentia homines absolvit, quæ imponenda est cum grave periculum peculiare relapsus jure naturæ auferendum est. Sed ad rem veniamus. Pœnitens est, qui detestatur peccata, qui a peccato abstinere proponit, qui tactus vero cordis dolore a peccato & creaturis aversus, & conversus ad Deum esse incipit ; hic vero medicinalem pœnam necessariam eidem esse, ut in proposito stet, ut in conversione perseveret, quis dicat hunc indulgentiæ virtute, a medicinali hac subeunda pœnitentia liberari ? Indulgentia vere pœnitentibus conceditur ; at vere pœnitens non est, qui implere nolit pœnitentiam, qua propositum firmetur, quaque foveatur, perficiaturque conversio ; ut consideranti liquet. Rursus quodcumque peccatum lætale malignas in anima qualitates relinquit etiam post sacramentalem absolutionem. Ergo peccatores omnes medicinali indigent pœnitentia, qua ab hujusmodi morbo curentur pro criminum, & status diversitate. Nec iis favet antiquorum auctoritas, qui injungendam pœnitentiam negant, dum fit indulgentia concessa ; nam illi de pœnitentia loquuntur, quam Confessarii ex præscripto Canonum pœnitentialium injungere debebant, cujus loco opera injuncta adimplenda erant. Sed sufficiet in hujus rei comprobationem ea in medium afferre, quæ Cardinal. Denhoff Episcopus Cæsenatensis scripsit.

XI. Is itaque in instructione ad Populum, cavete vobis, inquit, ab abusu, quem nonnulli facerdotes invehunt, qui tempore jubilæi, aut occasione plenariæ indulgentiæ, gravissimorum criminum reis levissimas satisfactione decernunt, hoc nimirum obtentu, quod ejusmodi indulgentiæ, si opera in concessionibus Summorum Pontific. assignata accurate persolvantur, simul cum culpa pœnam etiam penitus aboleant. Hæc enim agendi ratio advertatur menti Sanctæ Ecclesiæ ; quæ quidem cupit filiis suis opem ferre, ut pœnæ debitum exsolvant ; cui solvendo impares sunt, nonnulli quidem virium inopia, alii vero vitæ termino prohibiti ; quare complures non adimplent pœnitentiam delictis suis convenientem sed eximere non vult ab obligatione legis divinæ, quæ idoneos pœnitentiæ fructus facere jubet. Neque desides reddere, aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ tantopere in sacris Scripturis, & a Sanctis Patribus commendata sunt, sedulo exercendis. Ideo Conc. Triden. tradit, nusquam esse in Ecclesia semitam tutiorem, qua liceat evadere supplicia, quæ Deus peccantibus minatur, quam ut crebro quis in hujusmodi operibus pœnitentiæ agendis occupetur, idque cum vero & sincero doloris affectu. *Neque vero fecurior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Deo pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent, session. XIV. Cap. VIII.*

Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant Summi Pontifices in suis indulgentiarum litteris, quibus eas impartiri se *vere pœnitentibus* ajunt : his verbis significantes sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi propositum deinceps non relabendi, & voluntatem Deo apposite satisfaciendi. Quum lapsus ad hunc modum animo est comparatus, & suis partibus sedulo defungitur, ut divinam justitiam placare queat, Ecclesia velut pia Mater in auxilium accurrit, ut indulgentiæ beneficio, quod restat debiti, solvat : vel plene, si plena est ; vel in tantum, quantum illa confert. Hinc usuvenit, ut plena indulgentia non omnibus, qui exuto peccandi affectu, præscriptas conditiones adamussim præstiterunt, ex asse cedat in plenam solutionem : quia non omnium eadem est debitorum ratio ; neque eodem omnes studio pro viribus egerunt, ut ea diminuerentur : quarum rerum beneficii dispensator semper rationem habere censendus est. Ita docet S. Bonaventura : *Indulgentiæ*, inquit, *quantum est ex potestate dantis, tantum valent, quantum promittunt. Non tamen cuilibet valent tantum, nec æqualiter omnibus ; sed secundum existimationem ejus, quam habuit, vel habere debuit qui indulgentiam fecit : quam non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde præsupponere, quod dona & miserationes S. Spiritus donentur cum æquo libramine. In* IV. *sentent. dist.* XX. *quæst.* VI. *sub finem.*

Idem colligitur ex constitutionibus quibusdam Summorum Pontificum, ubi expresse pronuntiant hanc sibi esse intentionem. Liquet in decreto Bonifac. VIII. quod incipit *Antiquorum, Extrav. de pœnit. & remissione*, ubi promulgando indulgentiam jubilæi universalis : *Unusquisque tamen plus merebitur*, ait, *& indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & devotius frequentabit.* Et in statuto Innocent. IV. edito in primo Conc. Lugdunensi, quo plenam concedit indulgentiam iis, qui sumptus conferent in bellum sacrum, aitque, unumquemque lucrifacturum *juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum.* His autem satis indicant plenæ indulgentiæ quemque fieri participem tum secundum modum operum pœnitentiæ, quæ fecerit, tum secundum piæ devotionis fervorem : atque ea ratione imminui debitum satisfactionis.

Cardinalis Baronius, vir sane magnus, & qui Ecclesiæ de indulgentiis sententiam apprime noverat, postquam indulgentiam a Gregor. VII. concessam Episcopo Lincolniensi, ea lege, ne opera pœnitentiæ negligantur secundum cujusque facultatem, suis Annalibus ad A. MLXXIII. N. LXXI. inservisset, ait, sanctum Pontificem hanc legem, seu conditionem adjecisse ; *ut appareat Sedis Apostolicæ indulgentias illis communicari, qui, quantum suppetunt vires, bene operari*

rari non prætermittunt; non autem ignavis, otiosis, ac negligentiæ torpescentibus. Ejusdem sententiæ fuit Cardinalis Cajetanus, qui citata formula jam memorata, *vere pœnitentibus*, qua Pontifices Romani uti solent, ait, *indulgentias non consequi pœnitentes negligentes, sed pœnitentes sollicitos, qui soli sunt vere pœnitentes.* Deinde explicat hujus doctrinæ utilitates; ad cujus normam, ut observat, *solvuntur omnes quæstiones, tam de nimis largo Dei foro, quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte, quam de admiratione sapientum, & obloquutionibus detrahentium: & excitantur fideles ad pœnitentiæ opera. Nec aliquid adimitur efficaciæ indulgentiarum; sicut nil adimitur efficaciæ Sacramentorum, ex hoc quod oportet accedentes ad illa esse bene dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia, ab illius fructu juxta hunc dicendi modum excluduntur. Tract. x. de suscipientibus indulgentias quæst. I.*

Ecclesia hodiedum indulgentiæ munera dispensat eadem, qua olim, mentis intentione. Nam in Jubilæo commendat opera ad satisfaciendum idonea, puta jejunia, eleemosynas, preces, & Ecclesiarum visitationes. *In reliquis autem plenis* Indulgentiis jubet, ut prætitis è præscripto operibus, pœnitentiæ Sacramentum adeatur. Ita credentibus modum suggerit, quo Indulgentiæ donum sibi comparent, sive ad supplendam satisfactionem dudum inchoatam, sive ad eluendum pœnitentiæ neglectum; nempe faciendo opera pœnitentiæ, quæ in Bullis Pontificiis designantur, & vehementi dolore peccata sua detestando. Igitur quum hæc opinio videatur menti Ecclesiæ magis consentanea, concludimus cum S. Bonaventura *in IV. sent. dist. XV. part. I. art. I. quæst. III. Ideo sanum consilium est, quod homo semper pœniteat.*

Idem placuit S. Thomæ: idque omnino nobis in cathedra confessionis amplectendum est, & sequendum: *Consulendum est*, inquit, *eis, qui indulgentiam consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis abstineant; ut autem ex his remedium consequantur, quamvis a debitis pœnæ essent immunes, & præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant. In IV. sent. XX. quæst. I. art. 3. quæstiuncula I. ad 4.* Cardinalis Bellarmini doctrina dogmati Doctoris Angelici plane accinit; *Omnino*, ait vir colendissimus, *sic accipiunt prudentes Christiani Pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere. Lib. I. de indul. cap. XII.*

XII. Dicent vero; Indulgentiæ plenariæ sunt; ergo omnem plane temporalem poenam remittunt. Nulla ergo a Confessariis imponenda poenitentia satisfactoria, aut medicinalis, ac nulla in poenitente obligatio esse debet hanc subeundi poenitentiam, dum plenaria ei concessa sit indulgentia. At jam diximus, plenariam vocari indulgentiam, quatenus plene, & integre supplet id, quod ad integram satisfactionem deficit. Ergo plenaria non excludendo, sed includendo opera satisfactoria, qua ratione, supra ostendimus. Præterea, plenaria Indulgentia juxta mentem concedentis, & dispositiones suscipientis attendenda est. Dum vero Summi Pontifices plenariam Indulgentiam concedunt, eam vere poenitentibus largiuntur. Numquid vere poenitentes dici possunt, qui injunctam a Confessariis satisfactoriam poenitentiam adimplere obtentu Indulgentiæ recusent? Quid vero si poenitentia medicinalis sit, sive ordinata ad illos animi morbos averruncandos, qui proclives homines ad peccandum faciant? Neque enim vere poenitens haberi potest, qui paratus non sit medicinam illam spiritualem usurpare, quæ ad firmandum de non peccando propositum necessaria est. Plenaria præterea est ex parte suscipientis Indulgentia, quando is tanto devotionis fervore, tanto charitatis affectu, & tantis pietatis operibus se disponit, ut ei omnis remittatur poena; at hæ dispositiones in eo qui non suscipiat onus satisfactoriæ poenitentiæ a Confessario injunctum omnino desiderantur. Tenetur ergo poenitens etiam Jubilæi tempore has poenitentias adimplere; & Confessarius imponere eas debet veluti opera ad Sacramentum poenitentiæ complendum ordinata. Fallitur ergo Lucius noster, dum ait in praxi decere tantum, *quod Confessarius istas imponat*, cum imponere revera debeat, etiam attenta Bonifac. VIII. Bulla, *in qua Jubilæi Indulgentia solis vere poenitentibus* promittitur, atque conceditur. Ad Glossam quod attinet, quæ asserit noluisse Bonifacium, ut Confessarii aliquam poenitentiam injungerent, dicere primum possumus, id adversari ipsius Bonifacii Bullæ, ut superius innuimus; Deinde exponi mens Bonifacii poterit de poenitentiis per Canones injunctis, non vero de medicinali, & satisfactoria a Confessario injungenda ad animi morbos medendos. Atque hæc de Indulgentiæ effectu sufficiant.

XIII. Venio nunc ad Indulgentias, quæ pro Defunctis applicantur. *P. Lucius Ferraris num. 16.* ait; *Indulgentiæ pro Defunctis prosunt certo, & infallibiliter illis determinatis animabus, quibus ex intentione Summi Pontificis applicantur, secundum ordinariam Dei legem &c.* Audiatur hac de re Passerinus, cujus doctrinam probat Clarissimus Ensebius Amort. Examinans, *an Indulgentiæ pro Defunctis habeant effectum infallibiliter?* Sic respondet. Prima sententia id negans habet tres rationes. Primo, quia inferior non potest aliquem infallibiliter liberare a poena inflicta per superiorem, etiam compensando, & dando æquivalens, nisi superior se speciali-ter obligaverit ad acceptandam compensationem. Quod vero Deus promiserit, ac se obligaverit ad acceptandam compensationem pro Defunctis, non constat. Secundo, quia sententia judicis post mortem transit ex conditionata in absolutam, unde non remanet locus satisfactionis per compensationem, quæ innititur justitiæ, sed solum, quæ innititur divinæ misericordiæ. Tertio, quia ob hanc causam etiam privata suffragia non habent infallibilem effectum, dum fiunt pro Defunctis, sed solum ex libera acceptatione divinæ misericordiæ. Hanc sententiam tenuerunt *Richardus 4. d. 15. qu. 203. Durand. quæst. 4. num. 12. Cajetan. I. tract. 16. quæst. 5. Cordub. a. 6. quæst. 13. & 15. Canus l. 12. de loc. cap. 13. ad 9. Domin. Sotus 4. d. 19. p. 2. art. 4. Petrus Sotus l. 3. de Indulg. Henriq. l. 7. cap. 7. Laym. lib. 5. tr. 7. cap. 7. Bonac. d. 6. qu. I. p. 6. Lezana v. Indulg. num. 5. Amicus t. 8. d. 20. s. 8. nu. 176.* & eandem rationabilem vocat *Bellarminus l. I. c. 14.* Re bene perpensa apparet, primam (hanc) sententiam esse veriorem, quia non constat de speciali promissione Dei, qua se obligaverit ad acceptandam compensationem, quam Pontifex in favorem animarum Purgatorii facit dando Indulgentiam per modum suffragii. Notare hic juvat, Indulgentias non concedi mortuis per modum judicii, & absolutionis; quia Ecclesia exercere judicium nequit in illos, qui suæ jurisdictioni non subjacent, ut sunt mortui. Istis itaque conceduntur *per modum suffragii.* Nomine autem suffragii Theologi intelligunt subsidium ecclesiasticum, quod conferri potest aut merendo per opera, aut impetrando per orationes, aut satisfaciendo per tolerantiam adversitatum; ut communiter Auctores explicant.

XIV. Plura alia fuere a Censoribus notata, quæ nos paucis indicabimus. Primo, quod Lucius *num. 32. art. 3.* asserit a Summis Pontificibus non exigi Confessionem, & Communionem veluti opus directe injunctum pro acquirenda Indulgentia. Id non placet, quia dum Pontifex Confessionem, & Communionem exigit, has inter præcipua opera recenset, quæ ab iis præstanda sint, qui Indulgentias lucrari velint. Secundo, quia eodem in numero paulo infra docet, sufficere indictam a Pontifice Confessionem, quæ etiam ante octo dies peracta fuerit. At id celebrioribus Theologis improbatum est, & a Sac. Indulg. Congregatione definitum fuit, Confessionem saltem in vigilia fieri debere illius diei, in quo acquirenda sit Indulgentia; ut ex decreto infra referendo. Tertio, quod dicat non requiri Confessionem peccatorum venialium, nisi id expresse in concessione Indulgentiæ declaretur. Saniores vero Theologi etiam tunc Confessionem faciendam esse docent, non solum quia tutius id est, sed etiam quia consentaneum est praxi fidelium, & eodem indicando decreto definitum est. Quarto non placet dum asserit Indulgentias ad septennium concessas complecti septem annos utiles, ita ut occurrente anno Jubilæi intermedio, in quo illa Indulgentia cesset, protrahi debeat ad octavum usque. Nam id arbitrarie prorsus asseritur, atque in gratiæ concessione satis perspicue exprimi videtur, ut nova, expleto septennio, supplicatio fiat. Quinto non adeo facile permittendum Censores putant, quod affirmat Lucius de Indulgentiis tempore Quadragesimæ concessis, *quæ incipiant ab hora, in qua Vesperæ celebrari solent*; nam ut animadvertit Amort *quæst. 55.* quando conceditur Indulgentia plenaria a primis Vesperis, usque ad occasum solis in die festo, incipiunt Indulgentiæ ea hora, qua in loco aut in vicinia solent inchoari primæ Vesperæ, ac deficiunt ea hora, qua ibi locorum sol subire solet horizontem. Quamobrem primæ Vesperæ intelligendæ sunt juxta morem loci, aut viciniæ. Non itaque videtur attendendus peculiaris Quadragesimæ ritus.

Sed quidquid sit de hoc, *quando conceditur Indulgentia plenaria pro aliquo die festo, aut feriali, non exprimendo primas*

mas Vesperas, videtur saltem circa Indulgentias a ducentis annis concedi solitas, eam incipere a medio noctis, & durare usque ad medium noctis, non a primis Vesperis. Ratio est, quia illud discrimen, quod in nonnullis Bullis Indulgentiarum initium statuatur, a primis Vesperis, in aliis autem Bullis id non exprimatur, minime conferi debet otiosum, & vacuum ratione, adeoque cum hujusmodi Bullæ destinato consilio quoad determinandum Indulgentiarum initium diversæ sint, etiam operantur earundem initium diversum; & cum stylo ecclesiastico per analogiam cum aliis rebus Ecclesiasticis, puta festis, Horis Canonicis, Missis, Jejuniis conforme sit tempus a medio noctis usque ad medium sequentis, pronum est, etiam Pontificem ad hoc tempus quoad Indulgentias respexisse. Sexto denique circa ea, quæ Lucius habet *num. 8. art. 4.* de revocatione Indulgentiarum facta per Paulum V., docti Censores monendos esse Lectores censuerunt, ut attente legant Pauli V. Constitutionem incipientem *Romanus Pontifex*, ex qua facile intelligent, quæ revocatæ fuerint, quæque confirmatæ pro Regularibus, a Summo Pontifice, Indulgentiæ. Constitutio refertur n. 7. ejusdem 4. articuli.

XV. Addimus hic decreta nonnulla a Lucio prætermissa. Circa Communicationem privilegii altaris attendendum est sequens Sacr. Congreg. Indulgentiarum responsum ad generale dubium tertio loco eidem discutiendum propositum 5. Februar. 1748. & 2. Martii ejusdem anni a Bened. XIV. approbatum.

Tertio An privilegium altaris sit Communicabile? Ad tertium negative.

Alterum ejusdem Sacræ Congregationis decretum 19. Maii 1759. ut sequitur.

Ut Christifideles scire possint quid sibi tenendum foret præacquirendis Indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum: qui vere poenitentes, Confessi, ac Sacra Communione refecti Ecclesiam visitaverint; *quæ in Indulgentiarum Brevibus inseri solent, in Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositа discussis die 31. Martii proximi præteriti nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in voto, Confessionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; necnon præfatam Confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia Festivitatis. Quod autem ad Ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante, sive post aliorum piorum Operum implementum.*

Factaque de iis per me infrascriptum, ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro; Sanctitas Sua ejusdem Sacræ Congregationis votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Denique Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS PAPA XIII. prævio voto Sacræ Congregationis Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpositæ, indulsit die 19. Maii 1759., omnibus Ecclesiis Parochialibus Orbis Christiani Altare Privilegiatum quotidianum ad septennium; quo expleto Eadem Sanctitas sua præcipit omnibus Episcopis, Abbatibus, & Sede vacante, Vicariis Capitularibus, ut supplicent pro unaquaque suarum Diœcesium Parœcia pro confirmatione ejusdem Privilegii ad aliud septennium; idque fieri jubet sub unico tantum Brevi, atque vult hoc unicum Breve suffragari omnibus uniuscujusque Diœcesis Ecclesiis Parochialibus. Ne autem Parochi expensis graventur, vetat omnibus tum Episcoporum, quum Abbatum Officialibus, sub pœna nullitatis præfati Privilegii, ne quidquam penitus exigant a Parochis, sive pro ipsis certiorandis, sive in expediendis Litteris pro designatione Altaris Privilegiati in eorum Parœciis.

APPENDIX ALTERA

De Indulgentiis.

In hac Novissima editione addita.

Multa sane congessit Lucius Ferraris, titulo *de Indulentiis*, ex Casuistarum placitis deprompta, Doctrinæ, Disciplinæque Ecclesiæ minime consentanea, quibus Romanus Theologus in altera editione sapientissime occurrit, Appendice addita ad calcem ejusdem tituli. Enimvero perpendenti mihi ea in Appendice nonnulla adhuc desiderari, quæ verum Ecclesiæ spiritum in indulgentiis conferendis, atque dispositiones, ad eas lucrandas necessarias, accuratius explicenti, hinc me de Publico bene mereri nullatenus ambigendum putavi, si altera Appendice ea supplenda assumerem, quæ in prima adhuc desiderari videntur. Qua in re nihil me facturum aliud propono, nisi Opusculum in Urbe editum an. 1760., cui titulus: *De Indulgentiis Et requisitis præsertim ad eas recipiendas Dispositionibus, & Catholicæ Ecclesiæ Doctrinæ in conferendis, & recipiendis iisdem illustratio*, veluti in epitomen redigere.

§. 1. Indulgentia, prout hoc loco sumitur, nihil aliud est, nisi relaxatio, aut moderatio extra Sacramentum ab Ecclesia facta pœnæ temporalis, quam divina justitia exigitæ peccatoribus poenitentibus, quibus jam remissa fuere peccata, & poena sempiterna, quæ iis debebatur. Hinc Ecclesia, sive supremi Ecclesiæ Pastores tunc *Indulgentiam* concedere dicuntur, cum juxta facultatem sibi a Domino traditam eas poenas temporarias remittunt, quæ, ex divinæ justitiæ Decreto, pœnitenti luendæ supersunt, culpa jam deleta. Quanta porro sit poena temporaria, quæ peccato jam remisso respondeat, licet nobis exploratum minime sit; illud tamen pro certo tenendum, gravem admodum esse; eamque peccati gravitati proportionatam. Hoc sensu ac spiritu ducta vetus Ecclesia *Pœnitentiales Canones* constituit, in hoc omnes consentientes, quod poenas gravissimas a poenitente subeundas præscriberent quorum Canonum etiam nunc habenda ratio est, cum S. Carolus Borromeus aliique præstantissimi Episcopi, ipseque Summus Pont. Inn. XII. eos edendos, vulgandosque curarint ad Confessariorum, & poenitentium directionem.

Ex his Canonibus, quos omni prorsus ex parte nunquam abolevit Ecclesia, *Indulgentiarum*, quas confert, veluti forma profecta est, ut ex ipsa constat Ecclesiæ praxi, & disciplina in Indulgentiis elargiendis. Sicut enim juxta Canones pro qualitate peccati injungebatur poenitentia vel quadragesta dierum, vel unius, vel duorum, vel quinque, vel septem, aut plurium annorum, vel etiam totius vitæ; sic etiam varia ad hunc modum constituta sunt Indulgentiarum genera, quæ poenitentiæ tempus vel contrahebant, vel ab ea penitus absolvebant. Nam alia *quadragena* est, sive ut alii vocant *Carena*, alia *septena*, atque ita de ceteris partialibus, alia demum totalis, aut *plenaria*. Ex qua Ecclesiæ praxi, & disciplina in Indulgentiis concedendis illud colligere debemus, sanctissimas illas poenitentiæ regulas nunquam fuisse abrogatas, nec pristinum suum omnem amisisse vigorem.

At vero, quamquam juxta tenorem aut statuta *Canonum pœnitentialium* ab Ecclesia confectorum concederentur olim, & nunc etiam concedantur indulgentiæ; absit, ut cogitemus, eas valere dumtaxat *in foro Ecclesiæ*, adeout non absolvat a poenis, quas Justitia divina a peccatoribus exigit sive in præsenti, sive in futuro sæculo. Hanc sententiam refutavit S. Thom. *q. 25. Supplem. art. 1.*, eaque proscripta fuit a Leone X., qui sequentem damnavit Lutheri articulum: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Justitiam divinam.* Hinc cum laudato Angelico Doctore dicimus, quod Indulgentiæ *valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad Judicium Dei ad remissionem pœnæ residuæ &c.*

§. 2. His de germana indulgentiæ notione prælibatis, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam de præsenti controversia præmittere lubet, in iis, quæ Sacrosancta Tridentina Synodus tum de satisfactione Deo a peccatore exhibenda, cujus quædam relaxatio indulgentia est, tum de Indulgentiis ipsis definivit. Et ut a priore ordiamur, agit de Satisfactione Sacrum Concilium *sess.* præsertim. 14. ub c. 2. decernit in primis, quod *ad eam novitatem, & integritatem, quam per Baptis-*

mum acquirimus per Sacramentũ Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, ac laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus. Tum vero *cap.* 3. inter Pœnitentiæ partes *Satisfactionem* collocat.

Uberius tandem de hac tertia Poenitentiæ parte disserens *cap.*8. hæc inter alia statuit: *Divinam Clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, veluti injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in deteriora labamur.* Quod Sancta Synodus confirmare pergit tum ex eo, quod hæc poenitentiæ opera *securior via sit ad amovendam imminentem a Domino pœnam*: tum ex conformitate, quam oportet habere cum Christo, *qui pro peccatis nostris satisfecit.* Admonet deinde Sacerdotes *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, SALUTARES, ET CONVENIENTES SATISFACTIONES INJUNGERE, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, ALIENORUM PECCATORUM PARTICIPES efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam injungunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam, & castigationem, &c.*

Ex his porro Sacri Concilii Decretis plura colligere pronum est, quæ certa, firma, & inconcussa esse debent apud Catholicos omnes: atque illud in primis, satisfactionem unam esse ex tribus Sacramenti Pœnitentiæ partibus, saltem quoad animi præparationem, necessariam omnino ad redintegrandam amicitiam cum Deo offenso, & reparandam injuriam ipsi per peccatum illatam.

2. Satisfactionis hujusmodi necessitatem ex ipso divino jure desumi. Hoc enim nitidissime constat ex verbis Concilii illis: *divina id exigente justitia.*

3. Satisfactionem hanc necessariam omnino esse, nedum *ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum vindictam, & castigationem*: atque adeo proportione aliqua respondere debere numero, & qualitati criminum.

4. Denique non esse in arbitrio ministrorum Ecclesiæ poenas hasce satisfactorias ad libitum remittere, vel recuperare: sed ad eas pro qualitate injungendas obstringi divino præcepto. Non enim id concilium solummodo consulit, sed expresse præcipit, sive potius coligit ex jure divino: *debent ergo Sacerdotes Domini &c.*

Hæc omnia certissima sunt, atque extra disputationis aleam posita. Verum ad decretum alterum concilii proferendum, quod indulgentias spectat, gressum faciamus.

Decretum hoc habetur sessione 25. cap. ultimo, ubi Concilium ita loquitur: „ *Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit .... sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, ac sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, ac præcipit .... In his tamen concedendis moderationem juxta veterem, ac probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt &c. emendatos, & correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit &c. omnino abolendos esse, Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut alunde provenerunt &c., mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ collgat &c. ut ad Synodum Pontificem deferantur, cujus auctoritate, & prudentia, quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur; ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fideliter dispensetur.* „

Sancta igitur Ecclesia ab ipso Christo Domino potestatem accepit conferendi indulgentias.

2. Definit sacrosancta Synodus, indulgentiarum usum utilem esse populo christiano, maximeque salutarem. Hinc certi fideles esse debent firmiterque confidere, quod, modo debitis cum dispositionibus indulgentiam recipiant, profutura sibi sit, nedum in facie Ecclesiæ, sed etiam coram Deo.

3. Concilium præcavere studet abusus, qui in concedendis indulgentiis, ac etiam recipiendis irrepere facile possunt: atque adeo in earum dispensatione moderationem adhiberi cupit, *juxta veterem, ac probatam Ecclesiæ consuetudinem, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.* Hæc est disciplina *pœnitentiæ*, sive *satisfactionis* pro commissis delictis, quam *enervari* Concilium timet nimia indulgentias conferendi facilitate, nimiaque, quam rudiores sæpe concipiunt fiduciam obtinendæ salutis via hac faciliore, atque suaviore. Cum autem duplex quæstio excitari possit, quarum altera *Indulgentias* spectat ex parte conferentis, altera, ex parte suscipientis, idcirco de priore in antecessum disseramus oportet.

§. 3. Illud ergo pro certo statuendum tamquam *Ecclesiæ doctrinam*, ad Indulgentiæ valorem, præter auctoritatem in Conferente, requiri piam, ac justam conferendi causam. Addo justam, & rationabilem causam esse non posse, nisi proportionata quadantenus sit Indulgentiæ, quæ confertur. Rationabilem autem causam semper adesse præsumendum est, nisi aliud nimirum evidenter constet.

Primam assertionis partem, quæ in confesso est apud omnes, iisdem ferme momentis confirmo, quæ proferunt Cardinalis Bellarminus, Pater Gabriel Antoine, aliique. „ „ *Primum hoc est, quoniam* (inquit Bellarminus *lib.* 1. *de* „ *Indulgentiis cap.*12.) *pœna expianda est jure divino. Non* „ *potest autem summus Pontifex sine justa causa dispensare* „ *in iis, quæ aliquo modo pertinent ad jus divinum: quoniam* „ *minister Dei est, non Dominus.* „ Quam rationem proponit insignis alter, ac primarius summi Pontificis in Concilio Tridentino Theologus Petrus de Soto lectione 2. de Indulgentiis, quæstione 3.) *ut opus injunctum sit ita de se satisfactorium ut per se plane compenset, & tollat debitum pœnæ. Nam tunc nulla fieret remissio per Indulgentias, & sic Indulgentiæ forent prorsus inutiles.*

His animadversis, prima nostræ, & communis sententiæ probatio desumitur ex Cardinali Cajetano capite 8. Tractatu de indulg. cujus de indulgentiis doctrina Raynaldus ad annum 1517., & seq. ubique proponit tamquam *doctrinam Ecclesiæ catholicæ* „ *Dispensatio*, inquit, *Thesauri cœlestis* „ *credita Petro, ejusque successoribus, imitari debet, dispensationem factam ab ipso Christo. Constat autem, quod* „ *Christus eumdem thesaurum dispensat commensurate, juxta* „ *concurrentes conditiones causarum mediarum ..... ergo* „ *ipsius vicario commensuratam quoque applicationem dicti* „ *thesauri creditam esse rationabile est.* „

Altera probatio hæc est ab eodem Eminentissimo Auctore paucis hisce verbis proposita: *quia*, inquit *constat Prælatos omnes Ecclesiæ non nisi Ministros, & Dispensatores esse. Tota igitur eorum potestas supra thesaurum Ecclesiæ infra limites dispensativæ potentiæ claudituꝛ.*

Atque hinc 3. alia probatio subnascitur. Nam juxta Doctores omnes ad Indulgentiæ valorem in conferente requiritur justa, & rationabilis causa. Justa autem, & rationabilis ea reapse vocari nequit, quæ nullam habet cum effectu proportionem: planeque pervertunt vocabulorum vim qui justam causam requirentes, pro quocumque etiam levissimo opere indulgentias quaslibet valide concedi posse contendunt.

Probatio 4. congrua nititur paritate: eodem nempe modo loqui par est de dispensatione Indulgentiarum, ac votorum. At juxta communiorem sententiam dispensatio in votis facta sine gravi causa, quæ gratior Deo sit, quam voti ipsius adimpletio, judicatur invalida. Igitur hoc ipsum de Indulgentiarum dispensatione sentiendum.

Tandem in Concilio Lateranensi 4. plures indulgentiæ repudiatæ fuere veluti *indiscretæ, & superfluæ*, adeoque inutiles. Cur autem indiscretæ, & superfluæ dictæ sunt? Num quia nullum pium finem earum concessione Prelati apposuerint? Quis hoc sibi persuaserit? Dicendum igitur illud est, causam quidem piam aliquam extitisse, sed non proportionatam indulgentiis distributis.

§. 4. Gravior modo, eaque summi momenti controversia adcurate discutienda succedit de dispositionibus requisitis *ex parte recipientis Indulgentias*, ut effectum, pro quo conferuntur, obtineant, solvantque a pœnarum temporalium debito culpa jam dimissa. In hoc plures graves Theologi conveniunt, ut infra clarius fiet, quod præter statum gratiæ, & executionem operis injuncti, quod exiguum nunc esse solet, dum Indulgentiæ præsertim generales conferuntur, requiratur, etiam ex parte suscipientis tamquam conditio prorsus necessaria saltem ad plenam earum assecutionem, sincerum & efficax propositum, ac solicitudo satisfaciendi juxta vires Deo pro peccatis, serendique fructus dignos pœnitentiæ, facultati, ac infirmitati cujusque accommodatos: adeout ex proportione hujusce sollicitudinis, ac devotionis etiam, pietatis, & charitatis fervore, quibus pœnitentiæ opera peraguntur, major, minorve percipiatur Indulgentiæ fructus, sive remissio temporalium pœnarum divinæ justitiæ debitarum. Hæc est paucis exposita verbis hac de quæstione sententia, quam tam veteres omnes tradunt, tum plerique recentiorum, qui rem hanc adcuratius discussere, secundum ea principia, quibus dirimendæ sunt Theologicæ controversiæ, & quam esse contendo *Catholicæ Ecclesiæ doctrinam*: Quod nemo arroganter a me dictum existimet: idem quippe longe ante jam asseruit Cardinalis Baronius, cujus alibi opportunius referuntur verba. Interim vero audire non pigeat Eminentissimum alium Purpuratum.

Is est Cardinalis Denhoffius, qui in sua celebratissima Instructione Pastorali *de Poenitentia* tot in Linguis conversa, & Sedis Apostolicæ authoritate probata, ita scribit in rem nostram: „ *Mens Ecclesiæ in dispensandis Indulgentiis, hæc* „ *quidem est, nempe filiis suis beneficio indulgentiæ opem* „ *ferre, ut pœnæ debitum exolvant, cui solvendo impares* „ *sunt ... Sed eximere non vult ab obligatione Legis divi-* „ *næ, quæ idoneos pœnitentiæ fructus facere jubet, neque* „ *desides reddere, aut tardiores in operibus satisfactionis, quæ* „ *tantopere & in Sacris Scripturis, & a Sanctis Patribus com-* „ *mendata sunt, sedulo exercendis. Ideo Concilium Tridenti-* „ *num tradit, nusquam esse in Ecclesia, femitam tutiorem ...* „ *quam ut crebro quis in hujusmodi operibus pœnitentiæ agen-* „ *dis occupetur ... Hanc Ecclesiæ mentem multoties indicant* „ *Summi Pontifices in suis Indulgentiarum Litteris, quibus eas* „ *impertiri se vere pœnitentibus ajunt, his verbis significantes* „ *sinceram omnium delictorum detestationem, firmum animi* „ *propositum deinceps non relabendi, & voluntatem Deo ap-* „ *posite satisfaciendi. Quum lapsus ad hunc modum animo* „ *est comparatus, & suis partibus sedulo defungitur .... Ec-* „ *clesia, veluti pia mater in auxilium occurrit, ut Indulgen-* „ *tiæ beneficio quod restat debiti, solvat .... Hinc usuvenit;* „ *ut pena Indulgentia non omnibus, qui exuto peccandi affectu,* „ *præscriptas conditiones adamussim præstiterunt, ex asse ce-* „ *dat in plenam solutionem* „. Quod subinde roborat authoritate S. Bonaventuræ; ac Summorum Pontificum Bonifacii VIII., & Innoc. IV. *Quibus*, subdit, *satis indicant plenæ Indulgentiæ consecutionem quemque fieri participem, tum secundum modum operum Poenitentiæ, quæ fecerit, tum secundum piæ devotionis fervorem.*

Ex iis facile quisque colligere valet, in quo sita sit Indulgentiarum utilitas.

§ 5. Ab ea discutienda sententia omnino abstinere statui, quæ in hoc est posita, quod major, minorve percipiatur indulgentiæ fructus juxta actualis charitatis Dei, fervoris pietatis ac devotionis, quibus perficiuntur opera injuncta in indulgentiarum largitionibus; quamque defendunt Adrianus VI. Cardinalis Pallavicinus *l.*2. *Cap.*3. *Hist. Concil. Trid.*, S. Bonavent. Richardus, Gabriel, major, Gerson, Innocentius ac Felinus, omnes a Pallavicino citati, quibus adde Cajetanum, Natalem Alexandrum, aliosque complures. Hic dumtaxat vindicare ac comprobare sententiam nostram aggrediar sub iis terminis, quibus frequentius a sanis Teologis defenditur: requiri videlicet *ex parte subjecti* ad indulgentias lucrandas, præter statum gratiæ, propositum sincerum & efficax satisfaciendi Deo pro peccatis: propositum, inquam, *sincerum, & efficax*, quod nempe in actus convenientes prodeat juxta vires; ac facultatem subjecti, aliasque, quæ occurrere possunt, ac solent, circumstantias.

Hanc sententiam, quam *ut Ecclesiæ Catholicæ doctrinam* propugno, probo imprimis argumento ex Scripturis ducto, quod ita proponit Antoine *cap.*14. *de Indulgentiis*. „ *Extat di-* „ *vinum præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ, hoc* „ *est opera pia, & pœnalia, quæ satisfacere valeant pro pec-* „ *catis, ut explicat Concilium Tridentinum, a quo præcepto* „ *Ecclesia dispensare non potest.... Et idem Concilium sess.*14. „ *docet, generaliter pœnitentiam Christiani lapsi præter con-* „ *tritionem, & confessionem necessario continere satisfactio-* „ *nem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spi-* „ *ritualis vitæ exercitia, &c.*„ Ista ille.

Hoc argumentum sic proponere præstat. Jure divino in Sacris Libris asserto constitutum est, ut pœnitenti, reatu culpæ remisso, reatus pœnæ temporalis remaneat luendæ sive in hac vita, sive in alia, juxta ejusdem gravitatem, & meritum. Hæc propositio ita certa est, ut si quis eam inficietur, jam inter heterodoxos recensendus videatur, quæ confirmare placet sententia S. Caroli, qui in sua Confess. Instructione ita ait: *Sacræ Litteræ ab iis, qui poenitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos poenitentiæ faciant, atque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu.* Hæc igitur major propositio certissima est. Ad minorem venio: Sed quod divino jure constitutum, firmum, & constans sit oportet, nec ab authoritate Ecclesiæ solvi potest ulla indulgentiarum largitione, siquidem nulla gaudet Ecclesia potestate supra jus divinum, quod declarare quidem valet, nullatenus vero solvere, vel abrogare. Igitur peccator per Indulgentias non eximitur ab hac obligatione satisfaciendi Deo operibus hisce poenalibus.

Confirmatur, magisque urgetur hoc argumentum. Certum apud omnes est, Ecclesiam Thesaurum meritorum Christi, & Sanctorum dispensare non posse contra ejus voluntatem. Ejus porro voluntas esse noscitur, *ut dignos poenitentiæ fructus* faciamus, & quidem *dignos*, hoc est juxta criminum qualitatem, & numerum. *Fructus autem poenitentiæ* quinam præsertim sunt? Aut in quo consistent, nisi in congruis poenalis satisfactionis operibus ex quibus etiam poenitentia nomen sumpsit? Ita exponunt hunc textum, similesque alios sancti Ecclesiæ Patres, & præ reliquis S. Th. *quod l.* 3. *q.* 12. *art.*2. Unde inferendum est, indulgentias ab Ecclesias collatas non extinguere debitum a peccatoribus contractum faciendi fructus dignos poenitentiæ, prout suppetunt vires, neque eas lucrari, qui id præstandi sincero carent, & efficaci proposito.

§. 6. Si consulamus Ecclesiæ praxim, atque disciplinam ad Apostolos usque perductam clare deprehendimus, in ea semper usum uguisse congruas exigendi a peccatoribus pro suorum qualitate delictorum satisfactiones conjunctas cum Indulgentiis. Atque ut ab Apostolis ipsis ordiamur.

Primum Indulgentiarum exemplum præbet Apostolus, qui ex auctoritate sibi a Christo collata, remissionem quidem poenæ flagitioso Corinthio clementer indulsit, & indulgendam edixit; sed nonnisi post diutinam delicti sui poenitentiam, ut ex textu evidenter eruitur, *& ne abundantiori tristitia absorbeatur*, ut inquit Apostolus.

Crescente Ecclesia Christiana, celebres canones, qui *poenitentiales* dicuntur, confecti sunt Ecclesiæ spiritum nobis exhi-

exhibentes in imponendis pro quolibet peccato graviſſimis poenis, quas tamen moderari ſolebant Epiſcopi, (quod perinde erat ac indulgentiam tribuere) ſed nonniſi ob juſtas ac rationabiles cauſas, & poenitentium fervore in iis ſubeundis, aliiſque circumſtantiis adeurate perpenſis. Atque hæc, ut advertit S. Cyprianus *lib. de Lapſis*, generatim tunc temporis erat Eccleſiæ praxis, & diſciplina, ut Epiſcopi prius probarent Lapsorum poenitentiam, lacrymas, jejunia &c. ac tum demum absolutionem a peccatis ſimul & indulgentiam impertirent, Si precem (verba ſunt S. Epiſcopi) „ *toto corde faciat, ſi veris poenitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis, & continuis precibus inflectat . . . roganti poteſt clementer ignoſcere*„ (Epiſcopus:) *poteſt acceptum referre &c.*

At audire præſtat Eccleſiam Romanam, ut omnibus liqueat, quam ſemper hæc omnium Eccleſiarum mater tenax fuerit primævæ diſciplinæ. Hæc conſulta a S. Cypriano, reſpoſuit. „ *Quid in pace tam aptum, aut in bellis perfecutionis tam neceſſarium*, quam debitam ſeveritatem divini vigoris *tenere? Quam qui remiſerit, inſtabili rerum curſu erret, neceſſe eſt* . . . . Abſit ab Eccleſia Romana *vigorem ſuum tam prophana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis reverſa fidei majeſtate diſſolvere, ne properata nimis remedia, utique non profutura, præſtentur & nova per miſericordiam falſam veteribus vulnera imprimantur. Ubi enim poterit indulgentiæ medicina procedere, ſi medicus interrupta poenitentia indulget periculis? Hoc non eſt curare, ſed occidere* . . . . *Pulſent fores* (pœnitentes,) *adeant ad limina Eccleſiæ, caſtrorum cæleſtium excubent portas, reſumant precum ſuarum tubam.*„

Verum alios afferamus hujuſce traditionis teſtes. Euſebius *lib. 6. Hiſt. cap. 48.* refert, poſt Decii perſecutionem plura coacta fuiſſe Concilia, omneſque Epiſcopos in hanc convenifſe ſententiam, indulgendum quidem eſſe, ſed nonniſi iis, *quorum poenitentiam ſatisfactioni proximam conſpexerint.*

Longa ultraquam par eſt mea evaderet oratio, ſi canones omnes a Conciliis præſcriptos recenſere vellem. Unum vel alterum Lectorum oculis ſiſto, Concilium Nicænum 1. *c.* 12. de Indulgentia impertienda re lapſis ita loquitur: *Quicumque metu, lacrymis, patientia, & bonorum operum ſtudio converſionem opere oſtendunt, hi definitum tempus auditionis implentes, merito orationibus communicabunt: poſtmodum vero licebit. Epiſcopo humanius aliquid de iis cogitare*, quod perinde erat ac indulgentiam elargiri.

Œcumenici Concilii ſtatuto morem geſſit Synodus Aurelianenſis 2. decernens pœnes Epiſcopum facultatem eſſe moderandi poenitentiam injunctam, ſi poenitentes *ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam videret.* Innocentius I. qui ſub initium ſæculi V. Petri ſedem obtinebat, praxim Eccleſiæ Romanæ in Indulgentiis conferendis exhibet, aſſerens hanc non eſſe a Sacerdote conferendam niſi *cum viderit congruam ſatisfactionem.* Eadem diſciplina vigebat in Affrica, ut conſtat ex can. 75., e 76. Concilij Carthaginenſis an. 424. celebrati.

Ne ſim prolixior, paucis perſtringam aliqua, quæ ſequioribus ſæculis hac de re conſtituta fuere. S. Baſilius in epiſt. ad Amphilochium teſtatur, ſe Indulgentias concedere iis tantum, *qui vitam miſericordia dignam oſtendunt, qui poenitentiæ fructus monſtrant.* Concilium Aurelianenſe an. 541. præſcribit Epiſcopis, ut indulgeant cum poenitentibus, *cum eos viderint dignam poenitentiam agere.* Nicolaus I. an. 860. rigidam poenitentiam magno peccatori injunctam mitigandum edicit, *ſi ejus converſionem, & lacrymarum fontem floridis actionibus, & optimis operibus pullulare* conſtiterit. Concilium Saleguſtadienſe an. 1022. cap. 18. quia multi confiſi Indulgentiis, quæ Romam petentibus concedebantur, poenitentiam agere recuſabant, aperte eos monuit, *talem Indulgentiam illis non prodeſſe, niſi prius juxta modum delicti ſui datam ſibi poenitentiam adimpleviſſent.*

Verum quid pluribus opus eſt? Cum ex eccleſiaſtica hiſtoria compertiſſimum ſit per decem ſæcula non niſi Indulgentias partiales conceſſas fuiſſe; poſtmodum vero plenarias elargitas non niſi pro operibus quam maximè arduis, ex gr. pro bellis gerendis in longiſſimis Regionibus? Quare mirum eſſe non debet Sanctum Thomam docuiſſe aliam tunc temporis requiſitam non fuiſſe ab illis poenitentibus ſatisfactionem: quoniam, quæ aſſumebant ipſi, laborioſiſſima opera, cedere utique poterant in locum ſatisfactionis.

Colligamus itaque ex his omnibus, traditionem Eccleſiæ de Indulgentiis cum ſatisfactione pro peccatis congrua neceſſario conjungendis.

§. 7. Ut liquido conſtet, eumdem, quem hactenus oſtendimus, immobilem in Eccleſia catholica ſemper permanſiſſe ſpiritum, nullo alio aptiore uti poſſumus argumento, quam quod ex ipſa deducitur omnium Eccleſiarum capite, Eccleſia nimirum Romana, quæ nullum nobis de ſententia ſua relinquit ambigendi locum. Quare teſtimonia referam nonnullorum Summorum Pontificum, quæ in rem noſtram potiora videntque.

I. Teſtimonium ſumitur ex reſcripto Sancti Gregorij VII. Epiſcopo Lincolnienſi Indulgentiam pro peccatis ſuis petenti dato. *abſolutionem*, inquit, *peccatorum tuorum, auctoritate Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus; Si tamen bonis operibus inhærendo commiſſos exceſſus plangendo, quantum volueris, corporis tui habitaculum Dei mundum templum exhibueris.* In quem textum peculiari digna conſideratione ſunt, quæ ſubdit Baronius ad annum 1073. inquiens: *ut appareat, Sedis Apoſtolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantum ſuppetunt vires, bene op erari, non prætermittunt.*

Gemina docent Urbanus II. & Gelaſius item II. Primus enim Indulgentiam conceſſit an. 1094. Plenariam *Cruceſignatis* pergentibus ad Terræ ſanctæ liberationem: ſed tamen præſcripſit *ut illud iter* laborioſiſſimum *pro poenitentia ſuſciperent.* Alter vero an. 1115. eamdem confirmans indulgentiam adjecit. *Quoniam vos ipſos & veſtra extremis periculis objeciſtis.*

Innoc. III. in Concilio Lateranenſi decretum edidit, quo poteſtas coercebatur Epiſcoporum in indulgentiis conferendis. Rationes aſſignantur, quod nempe *per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias & claves Eccleſiæ contemnuntur, & poenitentialis ſatisfactio enervatur.* Mens proinde Summi Pontificis fuit, ut *poenitentialis ſatisfactio*, quæ laborioſis admodum operibus tunc etiam peragi conſueveverat, nullo pacto per indulgentias relaxaretur.

Bonifacius VIII. in Bulla pro indictione Jubilæi hæc habet: *Unuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas ipſas amplius, & devotius frequentabit.*

Eadem veritas comprobatur ex formulis, quas adhibere ſolent Summi Pontifices in concedendis Indulgentiis. His etenim, aliiſque plerumque utuntur ſimilibus verbis, ut fideles *redimant ſua peccata operibus poenitentiæ: ut jejuniis, orationibus, ac eleemoſynis iram Dei placent.* Id patet ex Bullis S. Pii V. Sixti V. Clementis VIII. Urbani VIII. & Alexandri VIII. Quod ulterius exprimunt per illam particulam *vere poenitentibus*, quæ nedum hominem contritum indicant, verum etiam, illum, qui ſatisfacere ſatagit pro commiſſis delictis, ut optime oſtendit Cardinalis Denoffius in laudata ſua paſtorali Inſtructione.

Quod etiam magis magiſque conſtat ex conditione appoſita in Bullis Jubilæi, nimirum *injuncta pro modo culpæ poenitentia ſalutari.* Quæ ſane Summorum Pontificum mentem clare aperteque oſtendunt, ſcilicet Indulgentias plenarias minime lucrari, qui pœnitentiam culpæ commenſuratam pro viribus non implent.

Verum præ ceteris omnibus ſplendidiſſima ſunt tot hujuſce rei teſtimonia a duobus edita Summis Pontificibus. Primus eſt Innoc. XII., qui pro Jubilæo inſtante an. 1700. hanc de argumento noſtro Inſtructionem edendam curavit. En ejus verba ſeria animi conſideratione penſanda. „ *Proponatur fidelibus utilitas, quam ex magna hac indulgentia conſequuntur* . . . , modo divinæ gratiæ condigna ſatisfactione cooperetur. *Doceatur populus, quod licet Sacramento poenitentiæ culpa & æterna poena remittatur; nihilominus, poſt remiſſionem delictorum, debitum temporalis poenæ, adeoque* grave onus ſatisfactionis *remaneret*, quod copioſis eleemoſynis, rigoroſis jejuniis, ac difficilibus operibus poenitentiæ. *ut tempore veterum fervidorum Chriſtianorum factum eſſe liquet ex* Canonibus poenitentialibus, *aut horrendis poenis Purgatorii ſolvi deberet. Cum vero talia ſufferre humanæ infirmitati nimis grave foret; ideo Vicarius Chriſti tales ſatisfactiones per indulgentias* minuit „.

At plane decretorium eſt, quod ſuppeditat, teſtimonium Bened. XIV. in ſuis Litteris *de præparatione ad annum Jubilæi* 1750. in quibus verſus finem prolixum ſermonem habet de Indulgentiis, quem, ne tædio Lectores affi ciam, in pauciora redigam. „ *Illud vero* (verba ejus ſunt) *tum nobis, tum aliis, qui noſtro loquentur nomine, curæ erit, ut clauſulæ illius, quam Bullæ noſtræ inſervimus*, fidelibus vere pœnitentibus &c. *vis & ſignificatio probe intelligatur. Illud idem re, atque exemplis demonſtrabimus, quam futilis, atque inanis, ſit illorum ſententia, qui a Catholica communione extorres* perperam aſſerunt, indulgentiarum uſu poenitentiam imminui, aut etiam de medio tolli. Hinc mentionem faciens de Inſtructione a ſe edita in Archiepiſcopatu Bononienſi: „ In hac, inquit, Inſtructione univerſum Diœceſis noſtræ populum monuimus, & hortati ſumus, ut occaſione Indulgentiæ Plenariæ, quam Prædeceſſor noſter Clem. XII. promulgaverat, injunctis operibus *alia pietatis opera ſuperadderent, ac dignos poenitentis fructus facerent*, aureo illo Ven. Card. Bellarmini documento ex T. 2. *Controverſ. l. 5. cap.* 12. *Sic accipiunt prudentes Chriſtiani Pontificias indulgentias, ut ſimul etiam ſtudeant dignos poenitentiæ fructus ferre, & pro ſuis peccatis Deo ſatisfacere.* Sed & illud adjecimus, quod Cardinalis Pallavicinus *in hiſtor. Concil. Trid. l. 4. cap.* 12. *n.* 6. adnotavit, *falſam nimirum eſſe illorum ſententiam, qui rentur, Chriſtianos propter indulgentiarum uſum deſides fieri, atque a ſatisfactione, quæ Deo criminum noſtrorum vindici præſtanda eſt, avocari* . . . . *Hæc omnia iis affinia ſunt quæ & nos ſupra inculcavimus, monentes, ut præter opera, quæ præcipiuntur, alia Chriſti fideles exerceant pia opera, quæ ſpiritui ac votis Eccleſiæ conſona ſunt &c.*„

§. 8. Adductis jam Summorum Pontificum diſertiſſimis teſtimoniis, ſuperfluum videri poteſt alios adjungere. Nihilominus non abs re futurum arbitror, ſi curſim ſaltem nomina potius, quam teſtimonium nonnullorum recitem Clariſſimorum in Eccleſia Virorum, aliis omiſſis.

Floruit Sæc. XV. Cardinalis Cuſanus. Hic, dum per Germaniam Sedis Apoſtolicæ Legati fungeretur officio, Synodum in Belgio Provincialem coegit anno 1445., ubi inter alia declarandum curavit, *idcirco dari Indulgentias, ut Eccleſia de Theſauro* (Chriſti) *ſuppleat, quod homo pro digna ſatisfactione ſentit ſibi deeſſe, quia multis obnoxius criminibus, dignam agere pœnitentiam vix poſſet, eo quod pro uno peccato mortali jam ſeptennis pœnitentia agi deberet.*

Quod idem ſenſerit Cajetanus nullus ambigit, qui etiam videtur in nimium rigorem delapſus. At certe legitimam de Indulgentiis ſententiam ſecutus eſt S. Carolus, qui *pœnitentiales antiquos Canones edidit*; & in anno Jubilæi 1575., quid agere debucrant Romam petentes ad illud lucrandum, præſcripſit his verbis: „ Non id vobis ſatis videri debet, quod „ Urbem Romanam, ac Eccleſias, & Reliquias Sanctorum „ viſendas adieritis: ſed huic quoque *veſtram, & perfectam „ poenitentiam* adjungere debetis „.

Suffragantur ſententiæ noſtræ Theologi Concilii Tridentini quorum ſcripta ſuperſunt. Suffragantur Cardinales Baronius, Bellarminus, ac Denhoffius jam laudati, Stephanus Cardinalis le Camus, vir non minus vitæ ſanctimonia, quam doctrina conſpicuus: Benzonius Epiſcopus Lauretanus, Franciſcus Cajetanus Incontri Archiepiſcopus Florentinus, Joannes Bragadenus Patriarcha Venetiarum. His accedit tota Gallicana Eccleſia, cujus Epiſcopi doctrinam noſtram veluti unice certam, ac tutam tradiderunt, quorum agmen ducit Magnus, & nunquam ſatis laudandus Jacobus Benignus Boſſuetius Epiſcopus Meldenſis in ſua Inſtructione *de Indulgentiis*. Quis omnibus iſtis præferre audebit aliquos Caſuiſtas diverſimode opinantes? Adde Theologos alicujus nominis noſtræ ſententiæ ſubſcribere, ex quibus ſupra ſexaginta recenſet *Amor* in ſuo *de Indulgentiis* Tractatu.

§. 9. Præſtat hic adtexere rationes aliquas, quarum prima ſit: Mens Eccleſiæ eſt, ne per Indulgentias diſciplina eccleſiaſtica pœnitentiæ relaxaretur: At poſito quod ad Indulgentiam lucrandam non requiratur ſaltem deſiderium efficax Deo ſatisfaciendi per opera pœnalia, jam pro quibuslibet peccatis *leviores*, atque etiam *leviſſimæ* injungi valerent pœnitentiæ, vel *nullæ* etiam, ut Caſuiſtarum nonnulli contendunt, dummodo pœnitentes Indulgentias ſe recepturos promitterent.

Huic affinis eſt altera ratio, ſcilicet, quod ſi hæc foret Indulgentiarum vis, ut etiam iis, qui ſincero carent propoſito ſatisfaciendi Deo, pœnam omnem remitterent, foveretur hominum negligentia, iique, tametſi ingentibus peccatorum debitis prægravati, deſidiores fierent in agenda pœnitentia, quam ſane non eſſe Eccleſiæ mentem, nemo non videt.

Tertiam rationem ita proponit Cajetanus. „ Nullus indignus aliena ſatisfactione pro pœna ſibi debita conſequitur „ veraciter fructum indulgentiæ. Sed quilibet negligens ſatisfacere per ſeipſum eſt indignus aliena ſatisfactione pro „ poena ſibi debita: ergo nullus negligens ſatisfacere per „ ſeipſum acquirit fructum indulgentiæ „.

Quarta ratio ab eodem Cajetano verbis hiſce proponitur: „ In qualibet bene ordinata Republica, quantumcumque rationabilis adeſſet quandoque cauſa diſpenſandi communem theſaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes „ tamen ſolvere indigni cenſerentur adjutorio Theſauri. . . . „ Cum igitur Eccleſia ſit a Deo ordinata; æquum non eſt, „ ut ſpiritualis diſpenſatione Theſauri negligentes ſatisfacere „ pro dignis habeat „.

Quinta ratio, quæ præcedentem amplius confirmat, hæc eſt: Sancti Eccleſiæ Patres in ea ſemper perſuaſione fuerunt, noluiſſe Chriſtum Dominum applicari ab Eccleſia fructum paſſionis ſuæ peccatoribus poſt Baptiſmum lapſis ſine propria ipſorum ſatisfactione. Igitur Eccleſia non habet poteſtatem per Indulgentias ſic applicandi fructum paſſionis Chriſti, ut ceſſet ſtudium ac ſollicitudo ſatisfaciendi juxta uniuſcujuſque vires.

Tandem, ut alias miſſas faciam rationes, argumentum ſubjicio, quod mihi ſemper viſum eſt ad perſuadendum omnibus aptiſſimum: videlicet, quod veritas, quam defendimus, quædam ſit velut inſita fidelium mentibus, atque inſculpta ſententia; ſiquidem quid cauſæ eſt, cur veri pœnitentes, intime ſentiant ſe debitores pro peccatis ſuis divinæ juſtitiæ, atque ex hoc intimo ſenſu promoveantur ad exercenda impigre poenitentiæ opera, quamquam bene noverint apertum eſſe in Eccleſia Theſaurum meritorum Chriſti, & Indulgentias lucrari ſtudeant?

Nonne perſuaſum eſt omnibus, graviſſimis obnoxios eſſe Purgatoriis poenis eos, qui non peracta poenitentia deceſſerunt e vita, licet pie obierint, & plures Indulgentias in mortis articulo ſuſceperint: unde ſacrificiis, orationibus, eleemoſynis ſolari ſatagimus? Cur tantopere Aſcetæ in libris, Confeſſarii in Sede ſua, Sacri Oratores & ſuggeſtibus hortantur, imponunt, detonant faciendos eſſe pœnitentiæ fructus, niſi ex peritiore quadam perſuaſione, Indulgentias ex benignitate Eccleſiæ collatas prodeſſe quidem plurimum, ſed nonniſi ex poſita conditione, quod pœnitentes, quantum ſuppetunt vires, Deo propriis operibus ſatisfacere ſtudeant?

§. 10. Ex tradita doctrina varia derivantur Corollaria. Primum, ut verbis utar Antoine: „ Ex dictis ſequitur, ad „ lucrandas Indulgentias requiri has conditiones ex parte „ recipientis. 1. ut ſit ſubditus concedentis . . . 2. ut immunis ſit ab excommunicatione majore . . . 3. ut ſit in ſtatu „ gratiæ (ſaltem dum ultimum opus injunctum perficitur) . . . 4. ut opus omne injunctum ſaltem moraliter totum, & integre impleatur . . . Quibus omnibus merito „ additur a multis propoſitum ſatisfaciendi Deo per opera „ bona ſatisfactoria &c.„.

Corollarium ſecundum. Liquido conſtat, falſam eſſe quorumdam opinationem, qui cenſent nullum percipi fructum ex Indulgentia puta plenaria, ſi tota & integre non recipiatur. Nam, ut alia plura omittam, Bonif. VIII. in Bulla Jubilæi aperte teſtatur, quod *unuſquiſque plus merebitur, & Indulgentiam efficacius conſequetur, qui Baſilicas amplius, & frequentius frequentaverit*; Quod clarius exprimit Innoc. IV. in cap. *quod autem, de pœnitent.*, nec non S. Th. *ſuppl.* qu. 25. art. 2. ad 3. & S. Bonavent. *in 4. diſt. 20. qu. ult.*

Corollarium tertium. Ad percipiendum integrum fructum Indulgentiæ plenariæ animus ſuſcipientis liber eſſe debet ab omni affectu cujuſcumque vel levioris peccati: alioquin non integre, ſed partialiter dumtaxat Indulgentiam conſequetur, ſi tamen aliæ conditiones non deſint. Ratio evidens eſt: quia in omnium ſententia relaxatio poenæ ſupponit culpam remiſſam; hæc nunquam remittitur, niſi animus ab ea ſit averſus.

Corollarium quartum. Conſequitur etiam ex dictis, nihil, vel parum prodeſſe Indulgentiam iis, qui cum vitam omnem tranſigant in vitiis & peccatis, Sacramento poenitentiæ recepto ſibi perſuadent, ſe ab omni poena reddere immunes, mediis quibuſdam precatiunculis, quas recitare non omittunt pro conſequenda aliqua Indulgentia; & interim nullum ſtudium impendunt, ut juxta vires ſuas Deo ſatisfaciant laborioſis operibus a vere poenitentibus requiſitis.

Corollarium quintum. Chriſtiani omnes, iique præſertim, qui

qui plura commisere gravia flagitia, solliciti esse debent in conjungenda poenitentia cum Indulgentiis, quatenus utroque medio divinæ justitiæ securius satisfaciant. Hoc est aureum illud Bellarmini documentum: nempe *utilius quidem est, ac tutius pro se satisfacere, quam Indulgentias quærere: sed utroque utilius est illud facere, & istud non omittere.*

INFAMIA, INFAMIS.

1 INfamia est privatio, seu diminutio bonæ famæ; Est *in re communis*; Seu, ut loquuntur Juristæ, *Infamia est læsæ dignitatis status legibus, & moribus reprobatus*. Sicuti e contra per ipsos Juristas, *Fama est illæsæ Dignitatis status legibus, & moribus comprobatus, leg. 5. §. 1. ff. de variis, & extraordin. cognit.*

2 Infamia est duplex, *Infamia Juris*, & *Infamia Facti*. Infamia *Juris*, quæ etiam *Legalis* dicitur, est, quæ ipso Jure, seu lege infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Infamia vero *Facti* est, quę oritur ex evidentia commissi alicujus delicti infamantis, seu vulgata opinione de tali commisso delicto, propter quod delinquentis bona existimatio apud probos, & honestos viros læditur, licet ab ipso Jure expresse non notetur aliqua infamia, nec per sententiam irrogetur, *argum. leg. neque famosis 2. C. de Dignit.*

3 Infamia Juris dupliciter contrahitur, scilicet ipso Jure, & Facto, & per sententiam Judicis; *Communis*. Infamiam Juris ipso Jure, & *Facto* de Jure Civili contrahunt sequentes. *Primo*, qui sive viri, sive fœminæ, quæstuaria prostitutione lenocinium exercent, *leg. Athletas 4. §. Ait Prætor ff. de his, qui notantur Infamia; leg. Palam 42. §. Lenocinium ff. de Ritu nuptiarum. Secundo*, qui quæstus causa, seu pretio accepto etiam cum homine ad privatum certamen descenduut; *l. Quod ait 2. §. 1. ff. De his, qui notantur infamia. Tertio*. Qui ex simili quæstu, seu pretio accepto Hystriones, ac turpes ludos agunt; *cit. l. Quod ait §. ultim. de his, qui notantur infamia. Quarto*. Qui operam suam ad pugnandum cum bestiis locant: *leg. 1. §. Item Senatus consulto ff. de postulando. Quinto*. Qui, vel quæ eodem tempore sponsalia, vel Matrimonium contrahunt cum duabus, vel duobus; *l. 1. & l. Quid ergo 13. ff. de his, qui notantur infamia. Sexto*. Qui crimen perjurii promissorii committunt; *l. Si quis major 41. C. de Transact. Septimo*. Usurarii manifesti, & usuras usurarum exigentes; *leg. Improbum 20. C. Ex quibus causis infamia irrogetur. Octavo*. Hæretici; *Authent. Gazaros Cod. de Hæreticis. Nono*. Mulieres intra annum Viduitatis ad secundas nuptias transeuntes; *l. 1. C. de secundis nuptiis*: Aſt hæc infamia fuit sublata a Jure Canonico *in cap. ultimo de secundis nuptiis. Decimo*. Milites ignominiose exauctorati ob crimen commissum; *leg. 1. & 2. ff. de his, qui notantur infamia.*

6 Infamiam Juris ipso *Jure*, & *Facto* contrahunt de Jure Canonico ultra numero antecedenti specificatos, etiam illi, qui tales expresse declarantur *in cap. Infames 17. caus. 9. quæst. 1.* ibi: *Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua causa notantur infamia, idest omnes, qui Christianæ Legis normam abjiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt; similiter Fures, & Sacrilegos, et omnes capitalibus criminibus irretitos, & Sepulcrorum quoque violatores, & Apostolorum, seu successorum eorum, reliquorumque Patrum statuta libenter violantes, & omnes, qui adversus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur, similiter Incestuosos, Homicidas, perjuros, raptores, maleficos, venenficos, adulteros, & de bellis publicis fugientes, & qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, & qui fratres calumniantur, & accusant, & non probant, vel qui contra innocentes Principum animos ad iracundiam provocant, & omnes anathematizatos, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, & omnes, quos Ecclesiasticæ, vel sæculi Leges infames pronunciant*. Et a Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reformat. Matrimon.* declarantur infames mulierum raptores, iisque consilium, vel auxilium præbentes, *& sess. 25. cap. 19. de reformat.* declarantur infames etiam in duellum descendentes, eorumque Patrini.

7 Insuper Jure Canonico ii omnes censentur *infames*, qui tales censentur Jure Civili, nisi aliquam infamiam Jure Civili introductam, Canones ipeciatim sustulerint; *Communis* textu expresso *in cap. Omnes 2. caus. 6. quæst. 1.* ubi sic præcise habetur: *Omnes vero Infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames appellant, & cap. Infames 17. eod. caus. & quæst.* ibi: *Infames esse eas personas dicimus.... & omnes, quos Ecclesiasticæ Leges, vel sæculi infames pronunciant*. Dicitur autem notanter: *Nisi aliquam infamiam Jure Civili introductam, Canones speciatim sustulerint*. Quia de facto infamia Jure Civili *leg. 1. Cod. de secundis nuptiis* decreta mulieribus intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeuntibus fuit sublata *in cap. ultim. de secundis nuptiis*. 8

Infamiam Juris *per sententiam Judicis* contrahunt sequentes. 9
Primo. Omnes accusati, & condemnati de publico delicto, ideſt de tali delicto, cujus accusatio cuilibet de populo est permissa, ut crimen proditionis, falsi, adulterii, homicidii; §. 1. *Institut. de publicis judiciis, & leg. Infamem ff. eodem Secundo*. Omnes accusati, & condemnati etiam de aliquibus delictis privatis, ut crimen rapinæ, furti, expilatæ hæreditatis, injuriarum, doli mali, quia licet ista censeantur crimina privata, tamen per sententiam Judicis condemnatoriam irrogant infamiam, *cit. leg. Infamem, l. Decuriones 5. leg. Furti 8. leg. Si expilasse 12. Cod. Ex quibus causis irrogetur infamia. Tertio*. Omnes illi, qui de dolo malo, vel calumnia, aut prævaricatione in publico judicio condemnati sunt; *leg. Athletas §. Calumniator, & §. Prævaricator ff. de his, qui notantur Infamia; leg. Fustibus 6. Cod. Ex quibus causis infamia irrogatur*. Ad hoc tamen ut tales condemnati dicantur infames, requiritur quod sententia condemnatoria non sit suspensa per appellationem, sed jam transierit in rem judicatam, quia sicuti interposita appellatio suspendit sententiam, ita etiam infamiam ex tali sententia oriundam, ut notant Molina *de justitia, & jure disput. 9. num. 4.* Silvest. *verb. Infamia num. 12.* Reiffenstuel *lib. 5. decretal. tit. 37. numer. 58.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. sub num. 1.* *verb. Requiritur autem*, & deducitur *ex leg. Furti 6. §. 1. ff.* 11 *de his, qui infamia notantur*. Infames in universum, sive *infamia juris*, sive *infamia Facti*, summatim a Doctoribus referuntur, ut infra, scilicet Apostatæ a Fide, sive hæretici, fautores, defensoresque hæreticorum, & eis credentes, & faventes, Schismatici, Simoniaci, Sacrilegi, Sodomitę, Lenones, publici usurarii, duas Uxores habentes, ad bestias pugnantes, duellantes, Milites ignominiose exauctorati ob commissum crimen, Homicidæ, malefici, venefici, militiæ desertores, facultates Ecclesiæ auferentes, contra parentes se armantes, fratres calumniantes, & accusantes, & calumniam, seu accusationem non probantes, animos Principum contra innocentes moventes, Fures, raptores, adulteri, Incestuosi, perjuri, falsarii, proditores, blasphemi sive maledici, sortilegi, seu qui ad sortilegos Divinosque concurrunt, raptum mulierum perpetrantes, falsum testimonium dicentes, anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia expulsi, ducentes uxores viles, & abjectas, vel meretrices, vel rejectas, & repudiatas, vel Joculatrices, Saltatrices, Scenicas, Ancillas, Concubinas. Denique infames sunt arte m aliquam vilem abjectam, vel ignominiosam profitentes, & publice exercentes, vel officio vili fungentes, quales sunt mimi, Scenici, Cynedi, Hystriones, Joculatores, Ludentes in scenis, buffones, Aleatores publici, Carnifices, Lictores, Macellarii, Tabernarii, Cauponarii, Aurigæ, & alii his similes. Item Tutor, vel Curator, qui pupillam sibi, vel filio Matrimonio junxit; Item Presbyteri condemnati ad Triremes, postquam actu remigarunt; *Sacr. Congregat. S. Officii 4. Junii 1635.* Secus si non remigassent, apud Monacell. *part. 3. §. XV. de irregularitate num. 161.* Vide Barbos. *de offic. & potest. Episcopi part. 2. allegat. 43.* 12

Infames tam infamia *juris*, quam *Facti*, sunt Irregulares, & Ordines Ecclesiasticos suscipere prohibentur; *cap. Qui aliquo crimine 4. dist. 51. cap. Infames 17. caus. 6. quæst. 1. cap. Omnipotens 4. de accusationibus, cap. Accusatum 4. de Simonia*, Reiffenstuel *lib. 5. decretal. tit. 37. num. 59.* Navarr. *cap. 27. num. 204.* Barbosa *loc. cit. num. 29.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 4. num. 8.* & alii passim.

Infames tam *Juris*, quam *Facti* excluduntur a dignitatibus, 13
& honoribus præsertim Ecclesiasticis, textu expresso *in cap. Infamibus 87. de Regulis Juris in 6.* ibi: *Infamibus portæ non pateant dignitatum, & leg. Infamia Cod. de Decurionibus, l. Neque famosis 2. Cod. de Dignitatibus*. Et ratio est, quia Dignitates, & reliqua Beneficia Ecclesiastica nonnisi ab illis administrari debent, qui probatæ sunt vitæ, & integræ æstimationis; *cap. Inter dilectos 10. de excessibus Prælator.* Barbosa *loc. cit. num. 19.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 60.* Layman *loc. cit. num. 5.* Covarruvias, Abbas, Garcias, & alii passim cum Rota recentior. *part. 19. tom. 2. decis. 501. nu. 3.*

Infa-

14 Infames tam Juris, quam Facti, excluduntur ab actibus legitimis, & publicis muneribus ac officiis, v.g. Judicis, Assessoris, Advocati, Accusatoris, Testis, & hujusmodi; *cap. Infamis persona 1. cap. Infames 2. caus. 3. quæst. 7. cap. Licet 23. & cap. Testimonium 54. de Testibus, leg. Testimonium 3. §. 1. ff. eodem*, Reiffenstuel *loc. cit. num. 61.* Layman *loc. cit. num. 7.* Silvester *verb. Infamia quæst. 8.* & alii communiter.

15 Electio facta de persona infami, seu collatio Beneficii sive Secularis, sive Regularis, facta infami infamia Juris latæ sententiæ est ipso Jure irrita; Layman *loc. citat. numer. 6.* Passerin. *de elect. cap. 25. numer. 595.* La Croix *lib. 4. numer. 787.*, & alii communiter. Sic etiam si quis infamis eligatur, seu provideatur post sententiam declaratoriam criminis, cui annexa est infamia ipso Jure, electio, seu provisio est ipso Jure nulla, nec toleratur, sed omni effectu caret; 16
Passerin. *loc. cit.* La Croix *loc. cit.* Leurenius *quæst. 340.*, *& sequent.*, & communis aliorum. Si autem infamia sit tantum 17
Facti, quamvis sic infamis non debeat eligi, nec provideri ex communi Doctorum sententia, ejus tamen electio, seu provisio non videtur ipso Jure irrita, sed irritanda, quando sufficienter constabit de facto criminoso, seu de delicto, & interim sic electus, vel provisus Beneficium in foro conscientiæ retinere potest, si per vitæ emendationem infamiam, & consequenter Irregularitatem amovere, seu abolere velit. Cum enim talis criminosus, nec a Jure, nec ab homine condemnatus sit, non videtur illi tanta obligatio imponenda, si se ad Beneficium habilem reddere velit; Garcias *de Benefic. part. 7. cap. 8. num. 47.* La Croix *loc. cit. numer. 787.* cum aliis, Layman *loc. cit. num. 6.* ubi tamen dicit, quod in foro externo debet Judex talem electionem, vel collationem, perinde cassare, ac si in principio irrita fuisset. Multi tamen, ut Abbas Joannes Selva, Navarrus, Molina, Avila apud Layman *loc. cit. num. 6.*, & alii volunt, absolutę 18
electionem, seu provisionem factam de infami *infamia Facti* esse ipso Jure nullam.

Ob delictum occultum nulla contrahitur infamia neque Juris, neque Facti, cum nedum ad infamiam Facti, sed etiam 19
ad infamiam Juris requiratur, quod adsit fama publica, & quod delictum sit publicum, & quod infamia sit bonæ famæ, seu æstimationis apud alios diminutio, quæ utique non sequitur, ubi crimen est occultum; *argum, cap. Ex tenore 4.*, *& cap. ult. de temporibus Ordination.*, & sic tenent Glossa *in cap. Inquisitionis, de accusationibus*, Abbas *in citat. cap. Ex tenore numer. 4.* Covarruv. *lib. 3. variarum resol. cap. 3. num. 3.* Navarr. *cap. 27. num. 248.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. num. 56.* Henriquez *lib. 13. cap. 38.*, *& lib. 14. cap. 5. numer. 1.* Avila *part. 7. disp. 3. dub. 7. conclus. 1.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 26. num. 1.* Reiffenstuel *loc. cit. numer. 57.*, & alii passim tradentes hanc regulam ex *cit. cap. ultim. de temporibus Ordinationum*, nempe quod *Per nullum crimen occultum, excepto homicidio* (adde ut violationem Censurę Ecclesiasticæ) *irregularitas contrahitur*. Imo varii volunt infamiam 20
non incurri, quando delictum propter quod ipsa infamia eo ipso irrogatur, est occultum, nisi accedat sententia declaratoria; Sic Bursat. *cons. 14. numer. 18. cum sequent. lib. 1.* Azorius *Instit. moral. part. 1. lib. 8. cap. 13. quæst. 7. vers. Sed verius*, Sanchez *in præcepta Decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 26. num. 1.* Farinac. *de hæresi quæst. 188. numer. 56.*, & alii contra Babosam *loc. citat. num. 18.* S. Antoninum *part. 3. tit. 28. cap. 5.* Silvestrum, & alios.

Infamia ipso Jure, vel per Judicis sententiam contracta, 21
non tollitur per pœnitentiam, sed per dispensationem Principis, cujus auctoritate infamia decreta fuit. Cum enim infamia habeat rationem pœnæ sententialis, quæ a legitimo Principe illata est, sequitur non posse tolli, nisi ab eodem Principe, aut ab alio, qui ab ipso privilegium habeat, nam ejusdem jurisdictionis est ligare, & absolvere; *Communis* cum Layman *loc. cit. num. 10.* Suarez *disp. 48. sect. 2.* La Croix *lib. 7. num. 516.*

Infamia *Facti* licet orta sit ex crimine enormi, & digno 22
depositione, penitus tollitur per factum contrarium, ideſt per publicam, & constantem vitæ emendationem saltem per triennium; sublata autem infamia, consequenter etiam cessat omnis inhabilitas, tum Civilis; tum Canonica; Colligitur *ex cap. Testimonium 54. de Testibus, & attestat. ex cap. Nunquam 4. dist. 56.* ubi ex verbis S. Chrysostomi sic dicitur: *Ad meliora conversum nequaquam prior vita commaculta*; ex *cap. Si duo 4. caus. 35. quæst. 6.*, ibi: *Se . . . noverint segregatos, atque infames effectos, donec ab Incesti facinore desinant*. Et ratio conclusionis est, quia ex *cap. Cum cessante 60. de appellat. Cessante causa cessat effectus*, & *ex cap. Omnis res 1. de Regulis Juris in 6. Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Et sic tenet communis Doctorum cum Layman *loc. citat. numer. 10.* La Croix *lib. 7. num. 517.*

Solus Summus Pontifex dispensat in infamia *Juris*, ac in- 23
regularitate, quæ ab ipsa procedit; *Communis* cum Barbos. *loc. cit. num. 30.* Layman *loc. cit. num. 3.* Fagnan. *lib. 5. decretal. in cap. Vergentis 10. de hæreticis num. 38.* Episcopus autem dispensare potest solum in infamia *Facti*, qualis est, quæ 24
nascitur ex crimine aliquo notorio; Barbosa *loc. cit. num. 31.* Navarr. *in Manuali cap. 27. numer. 204.* Miranda *in Manual. Prælator. tom. 2. quæst. 8. artic. 5. conclus. 1.* Joann. a Cruce *de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 17. conclus. 2.* Fr. Sigismund. a Bononia *de electione. dub. 87. num. 6.*, & alii. Imo 25
volunt alii, Episcopum, aut Prælatum neque posse cum Subdito beneficiando dispensare in infamia *Facti*, sed solum in effectibus, quos causat infamia; nam, dicunt ipsi, infamia *Facti*, quandiu non purgatur, est impedimentum quasi de Jure naturæ excludens a beneficio; Passerin. *de electione. cap. 25. num. 540.* La Croix *lib. 4. num. 788.*

Alios infamare quale sit peccatum, & quam obligationem 26
inducat? Et an aliquando liceat? Vide *verb. Detractio art. 1. & art. 2. per tot.*

Se ipsum infamare quale sit peccatum? Vide verb. *Detra-* 27
ctio art. 1. num. 58., *& 59.*

Novissimæ additiones ex alienâ manu.

1 DIvisio infamiæ in infamiam Juris, & in infamiam Facti, quam tradit Auctor *num. 3.* nonnullis displicet; Vide *Donell. Comment. Jur. Civil. lib. 18. cap. 6. litt. I.* Sed eam 2
probat *Osual. Hilliger. in suo Donell. Enucleat. loc. mox citat.*, *& Freher. de Infam. lib. 3. cap. 22. qui num. 18.* hanc Regulam tradit: *Quidquid bonis moribus adversum, & gravium virorum incorrupto judicio dedecens existimatur, facti infamiam gignit*.

Recte vero notat *Stryk. in Usu modern. Pandectar. lib. 3. tit. 2. §. 1.* quod sive de Infamia Juris, sive de Infamia Facti agatur, ad mores Provinciarum præcipue recurrendum sit, & exinde infamia sit dijudicanda; Idque quia quod olim infamiam irrogabat, contraria lege, vel consuetudine ab infa- 4
miæ macula liberari potuit. De Carnificibus, Lictoribus, 5
Prodeuntibus in scænam, infra annum luctus nubentibus, Tutoribus Pupillas ducentibus, & aliis id genus, an hodiernis moribus pro infamibus habendi sint, vide apud laudatum 6
Auctorem loco mox allegato. E numero vero infamium tollendi sunt Aurigæ, quos nescio cur Auctor numer. 11. in- 7
fames reputavit.

De effectibus infamiæ consule *Freher. dict. lib. 3. de In-* 8
fam. cap. 24., *& sequent. utrobique per tot.* Nota vero quod effectus illi Filios non sequuntur *Carpzov. part. 3. decis. 298.* 9
num. 14. Mev. part. 5. decis. 117. num. 7. De causis vero infamiæ Juris *vide Donell. Comment. Jur. Civil. lib. 18. cap. 7.*, 10
& 8. tum, & maxime ibidem *Osuald. Hilliger.* qui hanc ma- 11
teriam accuratissime tractavit, & una docet, quando tollatur infamia.

An causa non poena hodie infamet, expendit *Stryk. in* 12
Usu Modern. Pandectar. lib. 3. tit. 2. §. 13.

Non omittendum, quod observat *Mornac. ad leg. 13. §. 7.* 13
ff. de his, qui notantur Infamia, hodie ob pœnam graviorem alicui irrogatam famam condemnati non conservari. At 14
non video, quare gravatus in uno, in altero non debeat sublevari, & beneficio *dict. leg. 13.* in conservanda fama gaudere. 15

Nec est præterenundum, receptum in praxi esse, ut scilicet Judici liceat condemnato de delicto famoso famam reservare dictata pœna; At praxim hanc improbat *Stryk. in Usu Moderno Pandectar. lib. 3. tit. 2. §. 14.*

INFERNUS.

1 INferni, seu Inferorum quatuor sunt loca, sive sinus, juxta qualitatem pœnarum, quas animæ defunctorum in illis sustinent, nempe Limbus Sanctorum Patrum veteris Testamenti, Limbus, sive locus parvulorum in peccato originali

nali decedentium, Purgatorium, & locus damnatorum, qui Infernus communiter dicitur; Sic communis Theologorum sententia, teste Bellarmino *tom.2. lib.2. de Purgatorio cap.6. vers. Octava est communis Scholasticorum.* Bexerlink *in Theatro vitæ humanæ verb. Infernus*.

2 Horum quatuor Inferorum loca, seu quatuor inferni partes rationabiliter desumuntur ex quatuor pœnarum generibus, quia omnia illa quatuor loca sunt pœnalia, & omnis pœna, aut est tantum damni, aut etiam sensûs, & rursus aut æterna, aut temporalis. Pro pœna igitur solius damni temporali erat Limbus SS. Patrum, qui nunc vacuus remanet. Pro pœna solius damni æterna est Limbus puerorum. Pro pœna damni, & sensûs temporali est Purgatorium. Pro pœna damni, & sensûs æterna est Infernus; Bellarm. *loc. cit.* & alii passim.

3 Quod Limbus Sanctorum Patrum veteris Testamenti fuerit subterraneus, seu in Inferno, constat ex *Genesi 37. nu.25.* ubi Jacob, audita morte filii sui Joseph, *Descendam*, dixit, *ad filium meum lugens in Infernum*, quem tamen sciebat esse in Limbo. Item ex Apostolo ad *Ephes. 4.* habetur, quod Christus *descendit ad inferiores partes terræ*, & ex Symbolo, quod *descendit ad inferos*; constat autem, quod ivit ad sinum Abrahæ, unde liberaret animas Sanctorum Patrum, adeoque talis Limbus est in inferioribus partibus terræ.

4 Quod Limbus puerorum sine Baptismo decedentium sit subterraneus, seu in Inferno, habetur ex Concilio Florentino *sess. ultim.* ubi definitur, eos, qui cum solo originali moriuntur, mox in Inferno descendere; Et tradunt communiter Doctores.

5 Quod Purgatorium sit in inferioribus terræ partibus, seu in Inferno, deducitur ex Apostol. *ad Philippenses 2.* ubi habetur, quod *in nomine Jesu omne genuflectatur, Cœlestium, Terrestium, & Infernorum*, quæ ultima verba solummodo de animabus Purgatorii intelligi possunt, cum nequeant intelligi de animabus in Inferno damnatis, quæ nedum non flectunt genua Christo (a), sed potius illum continuo blasphemant, juxta illud *Psalm.73. numer. 23. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper*. Item ex illo *Psam.113. Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes, qui descendunt in Infernum*, ubi colligitur adesse aliquas animas in inferioribus terræ partibus, quæ Deum laudant, quæ cum non possint esse animæ æternaliter damnatæ in Inferno, debent necessario esse animæ temporaliter puniendæ in Purgatorio. Item aliis Sacræ Scripturæ textibus omissis, ex illis verbis, quæ in Sacrificio Missæ pro Defunctis dicuntur: *Libera, Domine, animas fidelium Defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu*, quæ verba intelligentur solum de animabus Purgatorii, cum in Inferno nulla sit redemptio. Vide verb. *Purgatorium*.

6 Quod Infernus proprie dictus sit in inferioribus terræ partibus, nemo est, qui dubitet; Imo per omnes est locus infimus inferorum. Et de hoc est sermo in præsenti, & de hoc intelliguntur omnes illæ comminationes Sacræ Scripturæ, & parabolæ Evangelicæ de Servo infideli, & pigro, de Zizaniis &c. *Matth.13.* Et in hunc descenderunt Chore, Dathan, & Abiron, qui ut habetur *Numer. cap.16. versu 33. descenderunt vivi in infernum operti humo* & in hoc sepultus est dives ille, de quo *Lucæ 16.* dicitur: *Mortuus est dives, & sepultus est in inferno*.

7 Inferorum locus, & ignis ejus creatus est in prima die, in qua Deus creavit Mundum; Abulensis *tom.7. in Matthæum cap. 25. quæst. 708. in principio*, Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ verb. infernus litt. I.* Tirinus *in Genesim cap. 1. num. 1.*, & alii passim contra Ludovicum Molinam existimantem, tertia die creatum fuisse Infernum, eo quod illa die terra ornata fuisset, in cujus centro Infernus est. Et ratio nostræ conclusionis est, quia Deus in prima die creavit Angelos, & Angeli ut habentes actus celerrimos, statim ut creati sunt, peccaverunt, & statim damnati sunt ad ignem Inferni, adeoque dicendum est, in prima die creatum fuisse Infernum.

In Inferno adest verus, & proprie dictus ignis, quo damnati cruciantur; Sic communis Theologorum sententia, teste 8
Tirino *in Judith. cap. 16. numer. 21.* Mastrio *Theol. moral. disput.26. num.5.* contra Calvinum, & alios Hæreticos. Et hoc deducitur expresse ex pluribus Sacræ Scripturæ locis, in quibus de tali igne fit frequentissima mentio, & signanter *Matth. cap. 2. num.10. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, & num. 12. Paleas comburet igni inextinguibili, cap.13. num.42. Mittent eos in caminum ignis, cap.25. num.41. Discedite a me maledicti in ignem æternum, Marc. cap.9. num.42. In gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, Lucæ cap.16. num. 24. Crucior in hac flamma*, Apocalyp. *cap. 14. num. 10.* *Cruciabitur igne, & sulphure, cap. 20. numer.9. Missus est in stagnum ignis, cap. 21. num.8. Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure*, Deuteronom. *32. num.22. Ignis succensus est*, Judith *cap. 26. numer.21. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*, Ecclesiastici *cap. 7. num.19. Vindicta carnis impii ignis, & vermis*, Isaiæ *cap. 33. numer.14. Quis poterit habitare cum igne devorante, cum ardoribus sempiternis? Psal.10. num.7. Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum, Psam.20. num.10. Pones eos ut clibanum ignis, Psalm.139. numer.11. Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos*.

Ignis Inferni est corporeus, & ejusdem speciei cum hoc 9
nostro elementari: Scotus *in 4. dist.44. q.2.* & 3. S. Bonaventura *ibidem part. 2. quæst. 3.* Mastrius *Theol. moral. disp. 26. num.6.*, & alii passim: Nulla enim est necessitas illum ponendi diversum, & citata loca Scripturæ sunt adeo clara, ut nonnisi de vero corporeo igne ejusdem speciei cum nostro elementari interpretari possint, alioquin Scriptura verbo valde æquivoco usa fuisset, & in significatione nobis incognita; Nec obstat, quod ignis infernalis pabulo non indigeat, nec sublimiorem petat locum, sicut hic noster, quia, & in propria sphæra secundum Philosophos ignis alimento non indiget; & facillimum est Divinæ Virtuti in infimo loco eum cohibere ad damnatorum cruciatum, absque eo quod sicut ignis noster suapte natura sublimiorem petat locum.

Spiritus damnatorum ab igne infernali torquentur per mo- 10
dum alligationis, & detentionis localis ut in carcere, ac per alligationem, & detentionem objectivam, *idest* cruciantur ab igne non actione physica, sed intentionali per tristitiam, quam causat; Sic Scotus, & Scotistæ *in 4. dist. 44. quæst.2.* & etiam Nominales ibidem, & sequuntur recentiores passim; Amicus *disp. 22. sect.4.* Aversa *quæst. 64. sect.1.* Joannes de S. Thoma *quæst.64. disp.24. art.3.* Nazarius, & alii citati, & secuti Mastrio *citat. disp. 26. numer. 18.*, *& in secundo sententiarum disp. 3. quæst. 6. art. 3. numer. 527.* ubi ex Suarez testatur, hanc fuisse etiam opinionem S. Thomæ, & Thomistarum *part.1. quæst.64. art.4.*, *& 4. contra Gentes cap.90.* dicitque expresse, quod sententia in Scholis verior, & communior tam apud veteres, quam Recentiores docet, Dæmones, & Spiritus damnatorum esse igni alligatos, ita ut ab eo se liberare non possint, & ex hac alligatione cognita, & nolita, admodum tristari, & torqueri, quam alligationem ad ignem explicant, vel per modum carceris illos detinentis in certo loco, ne pro illorum libito ubique vagari possint, vel per modum objecti determinantis illos ad continuam sui considerationem, ne expedite pro suo arbitrio valeant ad alia objecta cogitanda converti.

Probatur igitur ex Sacra Scriptura, quod pœna ab igne 11
inferni spiritibus damnatorum illata, sit pœna alligationis, & detentionis: Fere enim semper Scriptura explicat illam ignis pœnam per dictum modum alligationis, & detentionis, & patet ex *Apocalyps. 20. Et apprehendit Angelus Draconem, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit in Abyssum*, ubi, ut vides, cruciatus Dæmonum in Inferno explicantur per vincula, & alligationem, ac deten-

(a) *Et infernorum*, inquit D. Augustinus Calmet interpretaturus allatum ab Auctore ex Epistola ad Philippenses testimonium, *Mortuorum ipsorumque Dæmonum ac damnatorum . . . . . qui ejus nomen, nunc quidem proscindunt, sed suprema judicii die illud uti Deum Judicemque agnoscere atque adorare cogentur*. Hæc porro interpretatio authoritati innititur S. Joannis Chrisl. Theodoreti, Ellii, Menochii, Zanchii, Tirini, aliorumque. Hinc patet Dæmones damnatosque: Sin minus sponte saltem coacte genua flectere in nomine Jesu.

detentionem. *Et 2. Petri 2. Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed recedentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*; Et in Epistola Catholica S. Judæ Apostoli dicitur: *Angelos vero, qui non servaverunt suum Principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Et *Isaiæ 24. Et congregabuntur in congregatione unius fasci in lacum, & claudentur ibi in carcere*. Et *Threnorum 3. In tenebrosis collocavit me sicut mortuos sempiternos, ut non egrediar, aggravavit compedem meum*. Et hoc idem indicat petitio illa, qua *Lucæ 8. Dæmones Christum rogabant, ne illis imperaret, ut in Abyssum irent*, ne scilicet ibi carceris, seu alligationis, & detentionis pœna punirentur, ut Patres colligunt ex
12 illi verbis *Matthæi 18. Quid nobis, & tibi Jesu Fili Dei venisti huc ante tempus torquere nos?*

Probatur etiam auctoritate Sanctorum Patrum. Sanctus enim Gregorius Papa *lib. 4. Dialogor. cap. 29.* interrogatus: *Quomodo rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?* Sic respondit: *Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur?* Deinde cujusmodi sit ea pœna declarat: *Teneri autem spiritum per ignem dicimus, ut tormento ignis videndo, atque sentiendo puniatur; Ignem namque eo ipso patitur, quod videt, & quia cremari se aspicit, crematur, sicque fit, dum res corporea incorpoream exurit, tum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur*. Item Sanctus Augustinus *21. de Civitate Dei cap. 10.* ait: *Cur non dicamus, quamvis miris, verisque tamen modis spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Nam si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei etiam nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc potuerunt corporum suorum vinculis perpetuo alligari . . . . Adhærebunt ergo, etiamsi eis nulla sint corpora, spiritus Dæmonum; imo spiritus Dæmonum licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi*; & consimiliter loquuntur varii alii S. Patres,
13 qui brevitatis gratia omittuntur.

Quomodo autem dicta pœna ab igne corporeo spiritibus inferatur? Demonstrat Scotus *in 4. dist.44. quæst. 2. numer.5.* ubi dicit, quod *dolor est passio consequens apprehensionem sensitivam, & in appetitu sensitivo, tristitia autem est proprie in appetitu intellectivo, aut in voluntate, & consequens apprehensionem eventus alicujus objecti noliti*. Deinde *numer.7.* dicit, quod ignis Inferni est objectum disconveniens Dæmonibus, idque dupliciter. Primo ut detinens spiritum definitive. Secundo ut immutans objective, & utroque modo cruciat Dæmones. Primo quidem, quia nolunt detineri ab igne, cui ex lege Dei se alligatos agnoscunt tamquam perpetuo carceri, ac instrumento Divinæ justitiæ. Unde illa nolita alligatio, ac violenta detentio infert magnam tristitiam, & afflictionem damnatis spiritibus, qui ob innatum libertatis amorem summe tristantur, quod sibi impeditam videant potentiam motivam, ne possint pro libito ubilibet vagari: *Si* enim brutum animal intellectu, ac libertate carens, & solum sensum, & appetitum habens, dum se catena ligatum tum videt, adeo vehementer affligitur, & torquetur, mul-
14 to magis dicta alligatio, & detentio affliget, & torquebit nobilissimos illos spiritus.

Unde *ibidem numer. 9.* subjungit Scotus, quod Diabolus *summe tristatur; Non enim tantum odit detentionem activam Dei, & suam passivam a Deo, sed etiam odit detentionem formalem perpetuam ab illo igne, & per consequens de illa detentione formali tristatur; Cum autem tristari sit formaliter cruciari, sequitur, quod ignis, ut formaliter detinens Diabolum, etiam aliquatenus effective ipsum cruciet*. Nec refert, quod *ipsum non detineat effective; Inde namque non sequitur, quod non possit ipsum etiam effective cruciare, quia ut detinens formaliter est objectum nolitum, & apprehensum*
15 *ut disconveniens, Objectum autem nolitum effective infert tristitiam*.

Ostenso igitur ex Scoto, quod ignis Inferni cruciet spiritus damnatos eos detinendo *definitive*, ostenditur, quod etiam eos cruciet ipsos immutando *objective*. *Primo namque*, inquit Doctor *ibidem num.11. intellectus Angeli determinatur perpetuo ad intense considerandum ignem in ratione objecti; Secundo apprehendit istam determinationem*, ideli necessitatem *ad talem considerationem; Tertio odit, & sicut prius istud odium oritur ex affectione commodi, ex quo vult quodcumque objectum, prout sibi delectabile fuerit, considerare nunc hoc, & nunc illud, & promovetur ex superbia, ex*

qua vult uti intellectiva sua secundum imperium voluntatis propriæ, & consumamtur ex invidia propter quam odit determinari a Deo ad aliquam considerationem unicam; Quarto sequitur apprehensio non tantum nuda istius considerationis sicut in secundo, sed apprehensio certa de eventu istius considerationis intensæ, & perpetuæ; Quinto ex hoc sequitur tristitia.

Et hæc secunda pœna, nempe detentio objectiva, quate- 16
nus intellectus ita perpetuo detinetur in intensa consideratione illius ignis vindicis in ratione objecti, ut nullatenus considerare possit alia objecta, est multo gravior, & acerbior, quam prima, nempe alligatio, seu detentio localis sui ab igne: Ignis enim, dicit Scotus *ibidem num.13.* objective detinens intellectum Angeli, magis effective ipsum cruciat, quam quatenus tantum affligit Dæmonem effective quatenus est objectum nolitum; Ut vero ipsum detinet objective, causat effective primam apprehensionem, ad quam determinatur intellectus, quæ est nolita, & ita hæc ultima detentio habet quasi duplicem actionem in intellectum Doemonis; prior vero habet tantum simplicem, & unicam.

Probatur signanter, quod ignis Inferni non cruciet spiritus 17
damnatos actione physica, quia ignis ille est corporeus, & ejusdem speciei cum hoc nostro elementari, ut patet ex dictis *supra num.9.* adeoque naturaliter saltem non potest agere in substantias pure spirituales, quales sunt Doemones, & animæ separatæ; Nec facile dictu est, quod per potentiam obedientialem res materialis, & corporea possit elevari ad producendum physice accidens spirituale; Et dato etiam, quod hoc sit possibile, non est dicendum, quod Deus velit facere continuum, & æternum miraculum, ut elevet virtutem illius ignis corporei ad afficiendum physice Dæmones, & animas damnatas: Inconveniens enim esset Deum non posse punire Doemones, & damnatos sine continuo, & æterno miraculo; Unde concludendum est, quod dictus ignis illos cruciet, & affligat, non actione physica, sed intentionali.

Et hoc probatur, quia ponendo, quod spiritus damnati 18
crucientur ab igne inferni actione intentionali per tristitiam, quam causat, facilius, explicatur, quomodo sine miraculo illo talis elevationis Doemones torqueantur vere per ignem, scilicet quatenus cognoscendo se detineri ab illo igne velut carcere, nec posse ab illo eripi, nec unquam avertere cogitationem suam ab illo sic tormentoso, quia summe nolito objecto, utpote summe opposito suæ potentiæ motivæ, & intellectivæ a tali alligatione locali, & detentione objectiva, ut summe eis displicita, summam, & intensissimam concipiunt tristitiam. Hic autem modus torquendi est intentionalis, & moralis, cum causet tristitiam, quæ est passio spiritualis in intellectu, & voluntate, adeoque ignis Inferni cruciat illos damnatos spiritus poena intentionali. Et hæc tristitia, ac spiritualis cruciatus, quem ignis causat in mente illorum damnatorum spirituum per dictam duplicem alligationem, ac detentionem localem, & objectivam, est illa incorporea flamma, ac invisibilis ardor, quem S. Gregorius *cit. supra num.12.* ajebat, res incorporeas trahere ab igne corporeo, & materiali: *Res corporea incorpoream exurit, dum ex igne visibili ardor, ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur*. Unde hæc poena dicitur poena sensus, non quia per actus sensuum, vel potentiam sensitivam sustineatur, sed quia causam, & originem habet ab aliquo sensibili corpore, quod causa est hujus poenæ; Quod in præsenti ignem esse, habetur ex Scripturis, & Patribus allegatis *supra num.11. & 12.* ac aliis similibus.

Quamvis in Inferno præter poenam ignis, alias sensus 19
poenas ponat Sacra Scriptura, scilicet poenam vermis, & poenam fletus, & dentium stridorem, & frigiditatem nimiam, tenebras, foetorem sulphuris, spirituum procellas &c. ut patet ex pluribus ipsius textibus, ut *Psalm. 50. n.7. Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum. Psalm.58. num.15. Famem patientur ut canes*. Job. *cap.15. num.21. Sonitus terroris semper in auribus impii, & cap.24. numer.19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius. Isaiæ cap.3. num.24. Erit pro suavi odore foetor. Isaiæ cap. 34. num.3. De cadaveribus eorum ascendet foetor. Ezechiel. cap.32. num.6. Irrigabo terram foetore. Judith. cap. 16. num.21. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & sentiant. Deuteronom. cap.32. num.35. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum. Jeremiæ cap.23.*

numer. 16. Cibabo illos absynthio. Apocalyps. cap. 18. num. 9. Plangent, cum viderint fumum incendii ejus. Matthæi cap. 2. num. 18. Ploratus, & ululatus, & cap. 8. num. 12. Filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Marci 9. numer. 43. 45., & 47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, cum pluribus similibus. Nemo tamen in hac vita scire potest distincte, determinate, & adæquate quænam, & quot sint damnatorum pœnæ, nisi a Deo revelante eas percipiat, ut teste Mastrio *in Theolog. moral. disp. 26. art. 1. num. 9.* docet communis Patrum, & Theologorum sententia cum S. Augustino *lib. de triplici habitaculo cap. 1.* ubi de pœnis Inferni loquens ait: *Mala autem Inferni dicere, vel cogitare ut sunt, nemo potest, pejora quippe sunt valde, quam cogitantur.* Et infra subdit: Locus Inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. Et paulo inferius tandem subjungit, quod in Inferno nihil invenitur, quod desideratur, nihil videtur, nihil sentitur, nisi quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat; & concludit, quod omne malum abundat in carcere diaboli, & nullum bonum; & consimiliter loquuntur passim alii Sancti Patres, & Theologi; Et in Evangelio ipso *Lucæ 16. num. 28.* vocatur Infernus *locus tormentorum*, ubi Ugo Cardinalis habet: *Bene dicit locum tormentorum, ubi omnia genera tormentorum sunt congregata.*

20 Homines damnati in Inferno post Judicium universale etiam quoad corpora sunt igne cruciandi; Est de Fide, & communis Doctorum, & habetur aperte ex *Matth. 25. n. 41. Discedite a me maledicti in ignem æternum*, & ex aliis consi-
21 milibus Scripturis. Unde licet non sit improbabile, quod damnati post Judicium actione tantum intentionali ab igne sint cruciandi; Absolute tamen tenendum est, esse tunc cruciandos ab igne, non solum actione intentionali, sed etiam actione reali idest ignis post Judicium cruciabit homines corpore, & anima præditos, non solum actione intentionali, idest per dolorem in appetitu sensitivo causatum, sed etiam actione reali revera corpus comburente, quamvis non corrumpente. Hic enim dicendi modus conformior est Sanctorum dictis, & ipsius Sacræ Scripturæ ubique dicentis damnato: igne Inferni esse cruciandos: ignis autem non cruciat nisi actione reali, & executive damnatorum corpora calefaciendo, & ignefaciendo, & dolorem intensum juxta peccatorum gravitatem, & quantitatem causando; Mastrius *loco cit. num. 25.* cum Sancto Bonaventura, & aliis ibi allegatis.

22 Nec valet objicere, quod sic homines damnati post Judicium magis torquerentur, quam Dæmones, nam homines præter pœnam illam intentionalem tristitiæ in anima ex alligatione locali, & detentione objectiva sentirent etiam diras, & physicas pœnas, quas non sentirent Dæmones. Non valet, inquam, quia novit Deus sic attemperare pœnas animæ cum corporeis, ut ambæ simul commensurentur peccatis tam Dæmonum, quam hominum.

23 Post diem Judicii pœna, & tristitia essentialis damnatorum non augebitur, quamvis augeatur dolor propter passionem, & tormenta corporum, & pœna accidentalis ex multitudine damnatorum: Sicut enim post diem judicii universalis, & corporum resurrectionem non augebitur in Beatis gloria essentialis, sed solum gloria accidentalis, ita in damnatis non augebitur pœna, & tristitia essentialis, sed solum pœna accidentalis; Mastrius *loc. cit. num. 27.* & alii passim.

24 Tam pœna damni, quam pœna sensus in damnatis erit inæqualis juxta inæqualitatem demeritorum. Sicut enim Beati inæqualem habent beatitudinem juxta meritorum inæqualitatem, ita damnati quoque inæqualem debent habere pœnam sive damni, sive sensus, juxta inæqualitatem demeritorum, juxta illud Apostoli *ad Romanos cap. 2. num. 6. Reddet unicuique juxta opera ejus.* Et *Apocalyps. cap. 18. n. 7. Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum; & ibidem cap. 22. num. 12. Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua.* Et *Deuteronomii cap. 25. num. 3. Pro mensura peccati erit & plagarum modus.* Scotus *in 4. dist. 44. q. 2. & dist. 50. qu. 6.* Mastrius *loc. cit. a num. 33. ad 36.* & alii passim.

25 Deus in Inferno in punitione damnatorum exercet misericordiam parcentem, & mitigantem, seu partialem, non vero liberantem, seu totalem; Sic expresse Scotus *in 4. dist. 46. quæst. 4. in fine* Mastrius *loc. cit. a numer. 51. ad 55.* quod etiam docuerunt ibidem S. Thomas, & S. Bonaventura; & prima pars colligitur ex illo *Psalm. 76. Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Et ex illo *Psalm. 142. In misericordia tua disperdes omnes inimicos tuos.* Et ex illo *Habacuch. 3. Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis*; Secunda autem pars colligitur ex illo *Jacobi 2. Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam*, & ex aliis similibus. Unde Scotus *loc. cit.* ad conciliandos Scripturæ textus, qui quantum ad hoc videntur sibi contrarii, & demonstrandum quomodo misericordia in punitione damnatorum concurrat cum justitia, duplicem in Deo misericordiam distinguit; Unam totaliter a miseria liberantem, qua Deus utitur, cum in hac vita electos liberat a servitute diaboli, vel ab omni alio malo tam spirituali, quam corporali, sive imminente, sive præsente defendit; Alteram parcentem, vel mitigantem, seu partialem, qua Deus utitur, vel in hac vita, vel in alia vita, sed tamen citra condignum demeriti, condonando scilicet aliquam partem pœnæ, licet non totam juxta demerita; Unde prima dicitur misericordia totalis, quia omne prorsus malum aufert; Secunda vero partialis, quia solam partem tollit malorum. Et sic illud *Jacobi 2. Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecit misericordiam*, loquitur de misericordia liberante, & totali, non autem de parcente, & partiali.

Peccatum veniale, sive in hac vita dimissum quoad cul- 26
pam, sive non, licet mortali conjunctum, in Inferno punitur sola pœna temporali, sicuti pariter pœna peccati mortalis hic remissi, sed non in hac vita soluta persolvitur, ac terminum habet in Inferno; Sic Scotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. & dist. 15. qu. 1.* quem sequuntur Scotistæ omnes, & Nominales, & alii plurimi apud Mastrium *lib. 2. sentent. disp. 6. de peccatis quæst. 8.* Vide verb. *Peccatum num. 78. & 79.*

Quisnam sit verus sensus illius Catholici axiomatis, quod 27
in Inferno nulla est redemptio? Vide verb. *Peccatum num. 80.*

Anima Christi ad omnia loca Inferni descendit. Colligi- 28
tur ex illo *Ecclesiastici cap. 24. num. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes*, & S. Augustinus *Epist. 99.* dicit Christum descendisse ad loca Inferni, ubi erant dolores, & tormenta, & S. Fulgentius *lib. 3. ad Trasimundum cap. 30.* dicit Christum descendisse usque ad Infernum, ubi solebant peccatorum animæ torqueri. Et S. Cyrillus Hierosolymitan. *Catech. 4.* S. Ambrosius *in libro de Mysterio Paschæ*, S. Eusebius Emissenus *in Oratione de Pascha*, & alii Patres, dum describunt terrorem gehennæ, ac Dæmonum in descensu Christi, aperte indicant Christum præsentiam suam illis manifestasse; Sic cum aliis Bellarmin. *t. 1. de Controversiis Fidei lib. 4. de Anima Christi cap. 16. litt. A. & B.* ubi ait, quod non videtur satisfacere id, quod dicit S. Thomas *3. part. quæst. 52. art. 2.* nempe quod Christus per realem præsentiam solum descendit ad Limbum Patrum, per effectum autem ad omnia loca Inferni, nam, dicit ipse Bellarminus, hoc modo possumus cum Durando dicere ad nullum locum Christum descendisse aliter quam per effectum, cum Scriptura non distinguat loca.

Christo non fuit aliqua pœna esse in Inferno: Anima enim 29
Christi, dum fuit in Inferno, fuit quidem in loco pœnæ, sed sine pœna; S. Bonaventura *in 3. dist. 22. quæst. 4.* cujus loquendi modus, teste Bellarmino *loc. citat. litt. D.* videtur magis conformis SS. Patribus.

Descensus Christi, ad Inferos contulit Animabus justorum 30
duo maxima bona; nempe Beatitudinem essentialem, & eductionem in Cœlum: Beatitudinem enim essentialem continuo illis præstitit juxta illud *Ecclesiastici cap. 24. num. 45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ. . . . illuminabo omnes sperantes in Domino.* Et illud *Lucæ 23. Hodie mecum eris in Paradiso*, quod Origenes *homil. 15. in Genesim* asserit, dictum fuisse non solum Latroni, sed etiam omnibus justis, qui in Inferno, seu in Limbo Sanctorum Patrum erant, & Tirinus *in cit. cap. 23. Luc. num. 43.* claram Dei visionem intuitu mortis Christi, statim ac expiravit concessam fuisse omnibus in Limbo; Eductionem autem in Cœlum præstitit illis die suæ Ascensionis juxta illud: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem.*

Christus ad inferos descendens nullum de Purgatorio secum 31
duxit, nisi talis tunc pœnam totam purgatoriam, quam erat subiturus, solverit; Tostatus *Paradoxo 5. cap. 118.* S. Thomas *3. part. quæst. 52. art. 8.* ubi docet Animas Purgatorii non esse liberatas simpliciter ex descensu Christi ad Inferos, Bellarm.

Bellarm. *loc. cit. exp. 16.* & alii contra alios: Non enim tunc liberavit Christus nisi illos, qui habuerunt talem dispositionem, qualem habent, qui nunc liberantur.

Et tanto minus Christus ad Inferos descendens liberavit
32 Animas æternaliter damnatas in Inferno, quia in Inferno nulla est redemptio; *Sic Doctores communiter.* Nec liberavit
33 Animas infantium, qui decesserant cum peccato originali; Pueri enim in Limbo manentes semper ibidem manebunt; Tostatus *Paradoxo 5. cap. 126.* Bellarmin. *loc. cit. cap. 16.* & alii. Vide verb. *Peccatum num. 66. & 67.*

Aliæque Animæ damnatæ interdum cruciantur in aliqui-
34 bus locis extra Infernum per Divinam specialem ordinationem ad exemplum, & correctionem vivorum; Tostatus *de statu Animarum concluf. 4.* S. Gregorius *in 4. Dialogorum*, & aliis plures; & patet de variis apparitionibus, & revelationibus relatis apud Beyerlinck *in Theatro Vitæ humanæ verb. Infernus*, & apud multos alios.

Ora Inferni non sunt montes Ætna, Vulcanus, nec Vesu-
35 vius, & similes; Tostatus *Paradoxo 5. cap. 10.* & alii. Ani-
36 mæ enim damnatæ portantur ad Infernum a Dæmonibus; Tostatus *tom. 7. in Matth. cap. 25. quæst. 779.* & alii. Et in die
37 Judicii descendent in Infernum per miraculum absque terræ aperitione; Tostatus *Paradoxo 5. cap. 187.* & alii.

An Trajanus Imperator gentilis, aliique Pagani, & pec-
38 catores fuerint precibus aliquorum Sanctorum liberati ab Inferno? Variant Doctores: Sanctus enim Joannes Damascenus *Oratione de mortuis* dicit, Orationibus Sanctæ Teclæ liberatum fuisse de Inferno Animam Falconillæ cujusdam fœminæ paganæ, & orationibus Sancti Gregorii Papæ Animam Trajani Imperatoris; quod de Anima Trajani Imperatoris refert, & ad longum probat Abulensis *in libro 4. Regum quæst. 57.* Alphonsus Ciaconus *in Apologia historiæ Trojani*, & alii plures. Et in vita Sancti Nicolai de Tolentino legitur ejus precibus liberatam fuisse de Inferno animam sui Consobrini Sanctus Gregorius *lib. 1. Dialogorum cap. 12.* scribit, a Sancto Severo excitatum fuisse quemdam virum pessimum, qui a Dæmonibus in Infernum deducebatur. Egesippus *l. 3. cap. 2.* refert B. Petrum excitasse affinem quemdam Cæsaris Æthnicum a morte; S. Ambrosius *serm. 90.* & Maximus *serm. 2. de Sancta Agnete* scribit ab ea excitatum filium Præfecti, qui in peccato mortali obierat. Evodius *lib. 1. de miraculis S. Stephani* dicit puerulum mortuum ante Baptismum ad Reliquias S. Stephani fuisse excitatum; & de multis aliis Gentilibus, & Paganis eductis de Inferno per Apostolos, & Viros Sanctos novi Testamenti refert, & probat Abulensis *loc. cit.* dicens multos ex illis, qui erant per sententiam definitivam damnati in Inferno eductos ab ipso fuisse per Apostolos, & Viros Sanctos revocando animas eorum ad corpora, ut ibi pœnitentiam agerent, & salvarentur.

39 Melchior Canus autem *lib. 11. de locis cap. 2.* absolute improbat historiam de Trajano Imperatore ut confictam, Dominicus a Soto *in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2.* & alii plures ut incredibilem tenent hanc Trajani historiam, in quorum sententiam se magis propendere fatetur eruditissimus Bellarminus *tom. 2. de controversiis lib. 2. cap. 8. de Purgatorio*, variis rationibus probans librum illum referentem hanc Trajani historiam non esse Damasceni. (a)

40 At dato etiam, quod historia Trajani, & aliæ referentes alios Gentiles, & peccatores fuisse per Apostolos, & alios Sanctos de Inferno eductos, essent veræ; adhuc dicendum esset, nec Trajanum, nec alios Gentiles, & peccatores fuisse damnatos absolutè, & per sententiam definitivam ad Infernum, sed cum mererentur pœnas æternas, fuisse suspensam eorum absolutam, & definitivam æternalem sententiam propter prævisas Sancti Gregorii, & respectivè aliorum Sanctorum preces, & interim per sententiam Interlocutoriam fuisse punitos in Inferno secundum præsentia eorum demerita. Mec immediatè ex Inferno Cœlum transisse, sed prius fuisse suscitatos, & tunc Gentiles baptizatos, & peccatores confessos pœnitentiam in hac vita egisse, & sic salvatos fuisse; Ita communis sententia, & solutio S. Thomæ, Durandi, Ricardi, & aliorum *in 4. dist. 45. art. 2.* & sequitur Bellarmin. *loc. cit. cap. 8. vers. Respondeo, & vers. Ad quid respondebit?* ac alii.

(a) Vide Dissertationem Primam Natalis ab Alexandro in historiam Ecclesiasticam 11. Sæculi, Tom. 3. pag. 313. & seqq.

APPENDIX,

Sive novus de Inferno

ARTICULUS.

I. INfernus Græcè *Adis*, Hebraicè *Scheol*, subterraneum terræ locum, sive infra terram positum designat. Negari non potest quin hac voce designatum quandoque fuerit in Scriptura sepulchrum; Doctissimus Calmet Patres, ac nonnullos interpretes sequutus, Geneseos 37. v. 35. Jacobum Inferni nomine sepulchrum designasse opinatur per hæc verba: *descendam lugens in infernum*, scilicet dolore confectus ingemiscens ad sepulchrum properabo; eademque ratione exponit locum num. 16. v. 30. expressum, quo Core, Dathan, & Abiron terræ hiatu viventes sepulti, in infernum absorpti dicuntur: atque hoc sensu vita functi hominis corpus in infernum, sive subtus terram positum, dicitur. Nos vero inferni nomine locum tantum designamus, in quem animæ a corpore separatæ deveniant. Inter omnes convenit infernum locum tormentorum exprimere in quem damnatorum animæ detrudantur: hoc enim sensu sumitur Isaiæ 14. 9. Ezechielis 31. 15. Job. 26. 5. Lucæ 16. 23. atque alibi passim, tum in Scripturis, tum apud Sanctos Patres. Significat etiam locum quemlibet animarum, quæ nondum in Cælo empyreo æterna Beatitudine perfruantur, qua in acceptione sumitur Psalm. 29. 4. Act. 2. v. 27., & alibi passim apud Ecclesiasticos Scriptores, ubi descensus animæ Christi ad inferos, vel locus ille indicatur, in quo animæ Sanctorum Christi adventum oppetientes detinebantur.

II. Fuere male feriati homines, qui opinati sunt Judæos olim pœnas tantum, & præmia temporalia agnovisse, pro justorum pravorumque hominum merito: Et inter hos alii a Græcis, alii vero ab Ægyptiis, & Persis mutuasse Judæos putant Inferni, & Paradisi Dogmata. Sed quis hæc delirantium somnia non irrideat? Nam longe ante Hesiodum, & Homeram Græcorum antiquissimos, Isaias, Jeremias, Salomon, Psalmista, Job, atque Moses scripserunt; ut est omnibus eruditis exploratum. At apud hos omnes mentio occurrit Inferni, loci nempe suppliciorum, quibus improbi in alia vita cruciantur. Videatur hac de re August. Calmet supplem. ad diction. Bibli. verbo *Infernus*, ubi textus omnes recensentur, quibus in libris veteris Testamenti alterius vitæ suppliciorum, sive Inferni mentio aliqua occurrit; ex quibus perspicuum fit, apud Judæos viguisse semper dogma de præmiis suppliciisque vitæ futuræ, atque hujusmodi persuasionem non ex Ægyptiis; & Persis, sed ab antiquis Patriarchis accepisse, a quibus & vitam, & Religionem habuerunt: Nec putes hanc de alterius vitæ suppliciis doctrinam per solam traditionem, qua facta Adamo primum, deinde aliis quoque Patriarchis revelatio propagata in Hebræa gente fuit, ad Mosem usque pervenisse: Nam ipsum quoque rationis lumen, dum demonstrat, Universum, & creaturas rationales Supremi Numinis providentiam regere, & gubernare, ostendit etiam superesse in alia vita bonis præmia, improbis vero hominibus supplicia. Guillelmus Parisiensis par. 1. de Universo cap. 55. satis aptam congruentiam affert rationis lumini consentaneam, quæ admittendum esse finaliter determinatum suppliciorum locum; *Cum Universum*, inquit, *veluti domus quædam sit Creatoris, qui est Dominus omnium sæculorum. & Rex, ac Rector Universi, necesse est, ut domus ejus confecta sit totaliter partium suarum, & opportuna sufficientia congruentium officinarum. Tu vero non dubitas, quoniam necessarius sit carcer in omni regali palatio, atque habitatione, præsertim ubi tanta multitudo latronum, & justitiandorum. Amplius: nulla est Civitas ordinata, cui bonus Rex præsideat, & bono Magistratu regatur, quæ non habeat locum exercendæ justitiæ. Cum igitur certum sit, & omnium Philosophorum consensione firmatum, Universum, seu Mundum Civitatem esse Dei altissimi, in qua Cives sunt homines, & Angeli, hoc est omnes, & universæ substantiæ spirituales. . . . . necesse est hanc Civitatem, quæ Deo altissimo Rectore regitur, locum habere universalem, communem, & appropriatum exercendæ divinæ justitiæ.* Atque hinc facile patet, communem omnium cujuscumque ætatis Populorum persuasionem de futuro miserrimo impiorum statu post hanc mortalem vitam, deque quodam suppliciorum loco, in quo impii sint cruciandi, a traditione originem trahere, a primis

parentibus ad omnes homines traducta, quæ deinceps semper conservata fuit interiori quadam naturæ vi, quæ per rectam rationem suggerit, supereſſe in alia vita impiis hominibus ſupplicia, ac paratum ipſis eſſe a Supremo Mundi Rectore ſuppliciorum locum. De conſenſu omnium gentium cujuſque ætatis circa dogma de ſuppliciis ab impiis in alia vita ſubeundis, plures hacætate noſtra ſcripſerunt Auctores; ſed unum legere ſat erit Joannem Vincentium Patuzzi Ordin. Prædicat. qui lib. 1. de futuro impiorum ſtatu hujuſmodi argumentum luculenter pertractat.

III. Non defuerunt tamen impii, atque hæretici homines, qui vel omnino alterius vitæ ſupplicia de medio ſuſtulerint, vel circa ea turpiſſime erraverint. Athei omnes, ac Materialiſtæ cum Dei providentia, & animi immortalitate, Infernum dari negant. Ex hæreticis Seleuciani, & Hermiani circa finem quarti ſæculi Mundum iſtum Infernum eſſe aſſerebant, & nullum aliud ſupereſſe. De iis locutus eſt Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 32. dum dixit, *Inferos in hac vita explicari, nec eſſe poſt mortem*. In eadem deinceps hæreſi fuit Almaricus, qui poſuit unumquemque habere in ſe, vel Paradiſum ſi habeat cognitionem Dei, vel Infernum ſi habeat conſcientiam peccati lethalis; atque etiam Hermannus Riſſuich Batavus, qui nullum poſt hanc vitam eſſe Infernum aſſeruit. Horum vero impietatem, atque errores refellunt luculentiſſima argumenta ex Dei providentia deducta; Sacrarum Litterarum auctoritas; atque omnium cujuſque ætatis gentium conſenſus. Videatur ſupra citatus Patuzzi.

IV. Inter omnes Catholicos convenit, Inferni nomine ſicut & Empyrei determinatum quemdam locum deſignari, atque unanimi conſenſu oppoſitam huic ſententiam deteſtantur, quam Lutherani commenti ſunt ex eorum ſecta, quos Ubiquiſtas, aut Ubiquetarios nominant. Pertendunt iſti, juxta Bellarminum, Fevardentium, Gretſerum, & ipſum Bezam Calvinianum, Damnatorum locum, ſive Infernum ubique eſſe, ſive diffuſum per Univerſum Mundum, non uni vel alteri, imo neque pluribus locis cotractatum. Quod ſi revera docuerunt, jam horum ſententia exſibilanda potius, quam refutanda eſt. Si enim ubique eſt Infernus, neceſſario ſequitur, nedum Damnatos, ſed & Beatos cum Chriſto regnantes, non modo cacodæmones, ſed etiam bonos Angelos, cunctoſque homines in terrra degentes, in Inferno eſſe: quod nemo non rideat. At qui ſibi perſuadeat tam monſtruoſam opinationem cuipiam in mentem venire potuiſſe? Malim igitur ego ita ipſorum mentem exponere, ut Infernum ubique eſſe aſſeruerint, non quaſi locus omnis Damnatorum locus ſit; ſed quod nullum Deus puniendis improbis locum certum deſtinaverit: verum arbitratu ſuo modo hunc, modo illum ad hujuſmodi officium deligat. Quam ſententiam etiam aliqui alii præter Ubiquetarios, amplexati ſunt. Hæc tamen opinio ſic etiam temperata falſa eſt, & aliena a fide Catholicæ Eccleſiæ, quæ docet, ſemperque docuit, unum eſſe certum, definitumque locum a Deo ad punitionem reproborum, ſive Doemonum, ſive hominum deputatum. Nititur Eccleſiæ fides clariſſimis ſacrarum litterarum documentis, & perpetua Sanctorum Patrum, & fidelium traditione. Conſtat hæc in primis ex hiſtoria, ſive Parabola de Lazaro, & divite Epulone. Nam Dives, dum in Inferno inter horribiles flammas cruciaretur, elevaſſe dicitur oculos ſuos, ut videret Abrahamum, tanquam ex loco profundiore in altiorem reſpiciens: Abrahamus vero ipſum alloquens, præter alia, repoſuit: *in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, ut qui hinc volunt tranſire ad vos, non poſſint, neque inde huc tranſmeare*. Ac deinde Dives idem orans inducitur pro fratribus ſuis, *ne & ipſi*, inquit, *veniant in hunc locum tormentorum*. Cæcus ſit oportet, qui non videat in hoc textu, exerto veluti digito commonſtrari locum certum, & peculiarem, illumque damnatis omnibus communem. Nam & a ſinu Abrahæ aperte diſtinguitur, & inter utrumque *magnum chaos* interjectum eſſe perhibetur, *& tormentorum locus* diſtincte nominatur, & nedum pro infelici Divite, ſed & pro fratribus ejus, cæteriſque omnibus, qui ipſius veſtigia ſecuti fuerint, deputatum. Id quoque conſtat tam ex eo quod corporeo igne impii ſint cruciandi, ut a Lucio quoque noſtro demonſtratum eſt; Tum etiam ex eo, quod peculiaribus nominibus locus hujuſmodi in Scripturis deſignetur, quæ determinatum locum indicant; nam Lucæ 8. verſ. 31. & Apocalypſeos 20. locus damnatorum vocatur *Abyſſus*: Pſal. 29. verſ. 3. & Iſaiæ 14. verſ. 15. vocatur *Lacus*: atque alibi paſſim dicitur *Stagnum ignis*, *Gehenna &c.* Quæ quidem nomina determinatum locum exprimunt. Illis accedit Patrum omnium, omniumque Theologorum, qui Patribus ſucceſſere, conſenſus; quo fit, ut manifeſta Scripturæ oracula perpetua, atque conſtanti Eccleſiæ traditione ad certum quemdam indicandum ſuppliciorum locum ex hoc etiam capite determinentur. Dubitari ergo non poteſt, quin ut Sanctis hominibus Cœlum Empyreum, ita Impiis certus ſuppliciorum locus præparatus ſit, qui Inferni nomine deſignetur.

V. Etſi certo conſtat determinatum eſſe locum ſuppliciorum, in quo improbi pœnas alterius vitæ ſubire debeant; tamen nil certi Eccleſiæ judicio conſtitutum eſt circa Univerſi ſitum in quo conſtitutus ſit. Quamobrem Angelicus Doctor opuſculo 10. art. 31. quærens an locus Inferni ſit in centro, vel circa centrum terræ, reſpondet: *Ad hoc dicendum videtur, quod locus Inferni ſit infra terram, unde Auguſtinus in lib. retract. dicit*: De inferis magis dicere debuiſſem, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere, cur ſub terris eſſe dicantur: *Ubi tamen ſit Infernus, an circa centrum terræ, vel circa ſuperficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, & ſuperfluum eſt de talibus ſollicitari aſſerendo, vel improbando*. Id ex eo quoque patet, quod variæ circa hujuſmodi locum circumferantur opiniones. Quidam enim hujuſmodi carcerem extra hunc Mundum ſitum exiſtimarunt, iis moti Evangelii verbis *Ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium*: Hinc Chryſoſtomus hom. 31. in Epiſt. ad Rom. de gehenna differens ait: *Sed quonam in loco erit? Extra Mundum hunc totum, ut ego puto. Quemadmodum enim Regum carceres, & metalla procul poſita ſunt, ita extra Mundum hunc erit gehenna*. Ii ergo, qui cum Chryſoſtomo ſentiebant, Infernum locum Cælo Empyreo oppoſitum conſtituerunt, ac etiam inferiorem ad Empyreum ipſum comparatum; quamobrem Infernus diceretur; ſed extra terrarum Orbis poſitum in incognito loco. Alii putant in quadam telluris ſuperficie ſitum eſſe Infernum: fingunt enim regionem quamdam circa polum arcticum inſtar magnæ Inſulæ intemperatiſſimam, moleſtiſſimam, horribiliſſimam, & deformiſſimam, quæ Infernus dicatur, ſive locus excruciandis impiis deſtinatus. Alii opinati ſunt, impiorum carcerem in hoc aere caliginoſo ſitum eſſe, quibus adhærere videtur Gregorius Niſſenus in diſputat. de Anima, & Reſurrectione. Hæc autem opinio ex expoſitione hujus Paulini textus originem duxit: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem; ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus Mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in Cœleſtibus*, ad Epheſ. 6. verſ. 12. Atque ii omnes, quos nominavimus, Inferni nomine non locum ſubtus terram poſitum, ſed infra Cœlum Empyreum conſtitutum appellaverunt. Communis vero hac ætate noſtra opinio eſt, carcerem Inferni in terræ viſceribus ſive in ipſius centro ſitum eſſe, quæ enim prope terræ ſuperficiem ſitum aſſerit opinio, univerſim rejicitur. Moventur Theologi ad hanc amplectendam opinionem, tum quod hæc aptius exponat Inferni vocabulum, ac Scripturis reliquis conformior videatur; tum quod pluribus Patribus probata ſit; tum demum quia telluris centrum Cœlo Empyreo oppoſitum. Nova prorſus contra omnium Sæculorum, ac Gentium fidem excogitata opinio fuit de ſede Inferni paucis ab hinc annis a quodam Anglo Scriptore, qui Infernum in ſole collocandum duxit, ea fortaſſe de cauſa, quod perpetuus ibi ſit ignis, & quod ſol juxta hujus auctoris opinionem Univerſi ſit centrum. Opinio hæc vel ipſa novitate refellitur, eamque confutandam ſuſcepit clariſſimus Patuzzi ſuperius a nobis laudatus, ſed nondum egregium opus hac de re ab ipſo præparatum publicam lucem aſpexit.

VI. Venio nunc ad quatuor illa Inferorum loca expendenda, quæ Lucius noſter num. 1. deſignat. Conſtituit ipſe infra tellurem Limbum, ſive locum SS. Patrum veteris teſtamenti, Limbum, ſive locum parvulorum in peccato originali decedentium, Purgatorium, & locum damnatorum, ſive Infernum: loca autem hujuſmodi ita diſtinxit, ut deſignaret varios carceres pro varietate pœnarum, quas homines in futura vita ſubire debeant. At hæc diſtinctio locorum, etſi multorum Theologorum ſuffragio comprobata eſt; tamen non adeo facile admittenda videtur; cum a Scholaſticis excogitata fuerit, quin in Scripturis, & apud antiquos Patres vel leve fundamentum habuerint tot aſtruendi veluti omnino diſtinctas Inferorum Sedes. Ad Scripturas enim quod attinet, ſatis conſtat Inferorum nomine locum deſignare, in quo Animæ degant, quæ nondum in Regno Cæleſti beatitudine pertruantur, ſed quatuor illos Carceres nullibi indicant. Nec unum reperire eſt ex antiquis Patribus, qui de hac diſtinctione locorum meminerit. Quamobrem non ea confidentia exponenda videtur, ac lectoribus proponenda diſtinctio illa de quatuor Inferorum partibus, qua Lucius noſter eam ex Auctore *Theatri vitæ humanæ* deſcripſit, & inculcavit. Sed rem clarius exponemus expendendo ſingulas Inferorum partes.

VII. Incipiam a Limbo SS. Patrum veteris Teſtamenti Locus, in quo animæ SS. Patriarcharum ante Chriſti adventum verſarentur, in illa parabola indicatur Evangelii, in qua anima divitis in Inferno, anima vero Lazari in ſinu Abrahæ poſita deſcribitur Lucæ 26. v. 22. & 23. Evangeliſum vero, magnum chaos interpoſitum innuit, locum inter ſuppliciorum divitis, & Abrahami ſinum, in quem per manus Angelorum delatas animas fuiſſe narrat. At Abrahami ſinum in viſceribus terræ poſitum non aſſerit. Accedit etiam, Patres pleroſque SS. Patriarcharum animas in deliciis poſitas aſſeruiſſe, quod vel ex indicata parabola eruitur. Imo S. Auguſtinus pluries aſſerere viſus eſt etiam ſuperna beatitudine animas illas fuiſſe donatas. At locus deliciarum, in quem animæ per manus Angelorum deferrentur, componi non poteſt cum carcere in terræ viſceribus poſito. Non nego Inferorum nomine fuiſſe quandoque etiam Abrahæ ſinum deſignatum; ſed reponere poſſem, tunc nimis late fuiſſe Inferorum vocem uſurpatam: pro omni ſcilicet loco, in quo defunctorum animæ verſarentur nondum ad Cæleſtem patriam delatæ; Imo Auguſtinus contendit nunquam Inferni vocem in Scriptura accipi in bonam partem. En Auguſtini verba: *Quamquam illud me nondum inveniſſe confiteor, inferos appellatos, ubi juſtorum animæ acquieſcunt. De Geneſi ad lit. lib. 12. cap. 33. Proinde ut dixi, nondum inveni, & adhuc quæro; nec mihi occurrit, inferos alicubi in bono potuiſſe Scripturam dumtaxat Canonicam*. Ibidem, *Non facile alicubi Scripturarum Inferorum nomen poſitum invenitur in bono. Epiſt. 57. Præſertim quia nec ipſos quidem Inferos uſpiam Scripturarum locis in bono appellatos potui reperire. Quod ſi nunquam in divinis auctoritatibus legitur, non utique ſinus illi Abrahæ, i. e. ſecreta cujuſdam quietis habitatio aliqua pars inferorum fuiſſe credenda eſt. Quamquam in his ipſis tanti Magiſtri verbis, ubi ait dixiſſe Abraham: Inter vos, & nos chaos magnum firmatum eſt, ſatis, ut opinor, appareat, non eſſe quandam partem, & quaſi membrum inferorum tantæ illius felicitatis ſinum*. Epiſt. 99. Fatemur tamen Auguſtinum lib. 20. de Civit. Dei cap. 15. aſſerere non abſurde credi Animas SS. Patriarcharum apud Inferos fuiſſe, locis tamen a ſuppliciis impiorum remotiſſimis, donec eos inde Sanguis Chriſti ad ea loca deſcenſus erueret; at ſuperius expoſitam opinionem probare ipſe videtur: quo fit, ut attenta Patrum auctoritate incertum ſit, num Abrahæ ſinus in terræ viſceribus fuerit. Ut vero clarius appareat certo conſtitui non poſſe in terræ viſceribus conclave illud, in quo animæ SS. Patriarcharum verſarentur, hujus opinionis originem, & hiſtoriam paucis recenſebimus. Veterum Græcorum opinio fuit, omnes mortuorum animas ad cendyn ſive Infernum mittendas fore; Infernum vero in duas diſtinguebant cellulas, alteram bonorum, & virtuoſorum, alteram malorum, atque improborum, quarum primam Latini Poeta appellaverunt Elyſium, alteram vero Tartara. Ab antiquis Græcis ad Judæos paulo ante Salvatoris noſtri tempora propagata hæc eadem opinio fuit, præſertim apud Phariſæos, ut videre eſt apud Joſephum Hebræum lib. 18. cap. 2. Antiquitatum Judaic. Patres nonnulli putantes vocem *Adis* eamdem retinere in Scripturis ac apud auctores Græcos habeat ſignificationem, doctrinam illam de publici apud Inferos loco ſuſceperunt, ac veluti hypotheſim adhibuere in propriis exponendis de futuro animarum ſtatu opinionibus. Juſtinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, aliique antiqui Patres, qui Sanctorum beatitudinem ad finem uſque Mundi differendam opinabantur, hanc de duplici apud Inferos loco uſurpavere hypotheſim, ut ſedem deſignarent animarum Sanctorum cum corporum reſurrectione Cæleſtem beatitudinem expectantium. S. Hieronymus, aliique Patres, qui Chriſti animam ad Inferos deſcendiſſe crediderunt, ut diſrupto antiquo carcere, animas SS. Patriarcharum in Coeleſtem patriam perduceret; eamdem hypotheſim ſecuti, ſinum Abrahæ in Inferis conſtituerunt, ac hos deinceps imitati ſunt Scholaſtici Limbum SS. Patrum in Inferis adſtruentes. Sed Eccleſiæ judicio nil certi definitum habemus, atque intacta fide Abrahae ſinus alibi quoque ſtabiliri poteſt extra Coelum Empyreum; qui tamen locus ea ratione Inferorum nomine deſignari potuit, qua locum indicaret illis excipiendis defunctorum animabus deſtinatum, quæ exſpectarent retributionem, atque æternam beatitudinem. Animadvertendum quoque eſt, antiquis Eccleſiæ Patribus, quorum plerique Antipodas dari negaverunt, longe diverſam fuiſſe Telluris noſtræ notionem ab ea, quam in præſentia habemus; non enim ſphæricæ figuræ ac planetarum inſtar in aere ſuſpenſam tellurem exiſtimaverunt, ſed altiſſimis, ac immenſis ferme radicibus in Univerſi centro immobilem ſtabilitam credidere; qua de cauſa facilius ipſis fuit varias illas ſedes in ejuſdem viſceribus imaginari, atque ante dictam hypotheſim ſine ullo examine amplecti; Quod ſane non adeo facile feciſſent, ſi terra ejuſque figura ita ipſis perſpecta fuiſſet, quemadmodum cognita nobis eſt. Accedit etiam, ex deſcenſu animæ Chriſti ad Inferos generalem inferri non poſſe Patrum confeſſionem in adſtruendo Abrahae ſinu in terræ viſceribus: Alii enim deſcendiſſe ad Inferos Chriſti animam putarunt, *ut legem mortuorum ſervaret*, ita Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Gelaſius; ne *nos Inferos adiremus*, ut colligere eſt ex Tertulliano *lib. de anima cap. 51* & ex Auguſtino *in Pſal. 85*. Alii, ut iis qui in Inferno erant prædicaret, ut Hermia, Origenes &c. Alii præterea ut ſinum devicta morte, ac debellato Satana triumphum omnibus manifeſtaret; alii denique alios deſignavere hujuſmodi deſcenſus fines; atque omnes fere conveniunt Chriſti animam poſt ipſius mortem præſentia ſua omnibus ſeſe exhibuiſſe animabus, in quocumque illæ loco degerent, iis nempe, quæ in ſinu Abrahae erant, ut eas gloriæ ſuæ participes efficeret, reliquis vero, alios ob fines. Ex quibus facile intelligere quiſque poterit, ne quidem ex hoc capite erui quidpiam certi poſſe, de ſitu, in quo Abrahami ſinus conſtitutus eſſet.

VIII. Venio nunc ad Limbum puerorum, quem Lucius noſter cum communiori Scholaſticorum opinione alteram Inferni partem conſtituit a Purgatorio, & loco Damnatorum omnino diverſam. Diſtincti hujuſce ſubterranei carceris a loco Damnatorum, nullum veſtigium adeſt in Scripturis, nec mentio ulla apud Patres occurrit, ſed Scholaſtici a 12 ſæculo nulla prævia revelatione ducti, illum confinxere, ut locum infra tellurem deſignarent iis præparatum, qui ſolam damni poenam ſustinere debeant. Novitas ipſa ſuſpectam hanc opinionem facit. At argumenta ſuppetunt, quæ, meo judicio, etiam falſam luculenter oſtendunt. Sat eſſet ad id probandum unum Florentinum Concilium, ad quod Auctor noſter provocavit: nam loco ab ipſo laudato Concilii Patres definiere, *cum peccato mortali, aut cum ſolo Originali decedentes, mox in Infernum deſcendere, diſpari tamen poena puniendos*. Hic vero Inferni vocabulum, Damnatorum, qui ſub poteſtate Doemonis ſunt, locum indicat. Ubi ergo eſt ex Florentinorum Patrum ſententia Limbus puerorum? Rurſus parvuli ſine baptiſmo decedentes Adamitica culpa infecti ſunt; ideoque cum Adamo incurrerunt *cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli*, ut definitum eſt a *Concilio Tridentino ſeſſ. 5. de peccato Originali*. Hac de cauſa Eccleſia in collatione baptiſmi exorciſmos adhibere ſolet, ut hujuſmodi cæremonia declaret parvulos eripi per Baptiſmum a poteſtate Dæmonum; & ad Chriſtum transferri, ut ajebat Auguſtinus *lib. 3.* operis imperfecti contra Julianum: ubi ita concludit *cap. 20. Si non eruitur parvulus* (per baptiſmum) *de poteſtate tenebrarum, & illic remanet, quid minaris in igne æterno cum Diabolo futurum?* Et *lib. 1. de pecc. merit. & remiſſ. cap. 34*, fingens parvulum a ſe baptizari, inquit: *Quid in parvulo agit exorciſmus meus, ſi in familia Diaboli non tenetur?* In eadem fuere ſententia plures Summi Pontifices, ſcilicet S. Coeleſtinus in *Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 12.* Zoſimus *Epiſt. 157*, apud S. Auguſtinum & S. Gregorius Magnus *lib. 26.* Moralium *cap. 20.*, ac Patres Concilii Carthaginenſis anno 418. celebrati, qui parvulos nondum baptizatos *participes fore Diaboli* definierunt; & Concilium denique 15. Epiſcoporum in Sardiniam, a Thraſamundo Rege Vandalorum Ariano relegatorum, qui rogati a Petro Diacono, nonnullisque Monachis Romæ commorantibus, ut brevem veluti fidei profeſſionem adverſus errores illius temporis, ad eos mitterent, in lib. inſcripto *de Incarnat. & gratia, de peccato originali cap. 27.* hæc ſcripſerunt: *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non ſolum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui ſive in uteris matrum, ſive cum de ma-*

tribus nati sine Sacramento sanctis Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, de hoc sæculo transeunt, Ignis Æterni sempiterno supplicio puniendos, quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt. Habes ergo explicatum per Ecclesiæ definitionem doctrinam, quæ tradit parvulos non baptizatos sub Dæmonis potestate esse, ac tandiu in Dæmonis familia manere, quoad usque per baptismum ex ipsius imperio eripiantur. At qui sub Dæmonis potestate sunt constituti, atque ad ipsius familiam pertinent, carcere, cui Dæmon præsit, manere debent, ut consideranti patet. Et cum aliunde Patrum, quos antea citavimus, auctoritates adsint, quæ perspicue docent parvulos istos in *loco suppliciorum, æternorum cruciatuum, tormentorum gehennæ, & ignis æterni* futuros esse Limbum puerorum. Patribus, quos citavimus, addimus S. Prosperum carmine de ingratis, S. Avitum Viennensem in Gallia Episcopum, qui in carm. ad Fuscinam Sororem, *gehennæ* destinatum ait parvulum per baptismum non regeneratum; S. Prudentium Episcopum Tricassinum, qui ejusdem *gehennæ* meminit, S. Isidorum *lib. 2. differ. Spirit. n. 26.* qui hos in *æterno igne* futuros asserit; S. Gregorium Magnum, qui *lib. 9.* Moralium *c. 12. ad tormenta* perventuros scribit; & S. Anselmum, qui *lib. de Concept. Virg. & peccato Originali cap. 22. in Inferno* futuros parvulos non baptizatos asserit. Quæ quidem sententiæ satis perspicue ostendunt, ante 12. sæculum non solum incognitum, sed universum quoque improbatum fuisse hunc puerorum *Limbum*. Dicet vero Ferraris, solam pœnam damni hujusmodi parvulis deberi, ideoque locum iis designandum fore, in quo hanc tantum pœnam luant. At Norisius, & omnes fere Augustiniani Theologi, Florentius Corius, & Poncius e Franciscanis, Doctissimus Petavius ex Jesuitis, ac alii bene multi illustres Theologi, tum ex supra adductis Patrum sententiis, tum etiam ex eo, quod in Scriptura homines peccato Originali infecti vasa *iræ, & vindictæ* nominentur; & quod in extremo Judicii die ad sinistram Judicis futuri sint, ideoque mittendi in *ignem æternum*, argumentati sunt hujusmodi parvulos pœnam quoque sensus subituros esse. Sed hac missa Controversia, de qua alibi fortasse differemus, ad præsens quod adtinet, certum, exploratumque videtur, hos parvulos, qui sub potestate sunt Dæmonis, ac de ipsius familia, in illa futuros esse Inferni Regione, cui Rector tenebrarum præest; ubi, sicut pro varietate peccatorum dispares improbi homines sustinent pœnas; ita parvuli pœnas luent peccato originali debitas, quæcumque hæ futuræ sint.

IX. Ad Purgatorium quod adtinet, Orthodoxa fides docet, animas sine Originali, & mortali peccato decedentes in futura vita Purgatorio igne tandiu esse, quoad usque a peccatorum reliquiis expurgatæ fuerint, ac perfecte satisfecerint. Sed num Purgatorii locus sit ab Inferno omnino separatus, *nihil decernit. Patres vero ignem* Purgatorium ab igne Inferni neutiquam distinguunt; ac Theologi Patrum auctoritate ducti, generatim asserunt, *eodem igne quo cruciantur damnati, electos purgari.* Ex quo appareat non adeo diversum esse locum, ut asserere visus est Lucius. At de iis satis.

X. Nunc de igne Inferni paucis disserendum est. Et si nullum Ecclesiæ decretum adest, quod *definitivum* vocant, de vero ac reali Inferni igne; tamen universæ Ecclesiæ consensus satis superque ostendit quid sit cuique tenendum. Hinc ab omnibus Theologis statim rejecta, & explosa fuit Ambrosii Catharini sententia, qui ignis vocabulum allegorice intellexit, ac designari ea voce voluit in Scriptura summam aliquam pœnam, aut cruciatus omnes a reprobis perferendos. Quam quidem sententiam alii *hæreticam*, alii *hæresi proximam* universim autem saltem *erroneam*, ac admodum *temerariam* appellant. Ex Heterodoxis, qui Inferorum ignem tropice explicandum esse censuerunt, primo loco recensetur Origenes, qui teste S. Hieronymo in Epist. ad Avitum, in sola conscientia peccatorum Inferorum supplicia posuit. Non defuere tamen, qui Origenem ab hujusmodi errore vindicare conati sint, præsertim S. Phamphilus Martyr in apologia pro eodem scripta, in qua loca nonnulla, ex Origine deprompta affert, quæ indicare videntur externam quoque intolerabilem damnatorum pœnam. Sed quidquid sit de Origene, illud pro comperto est, sequiore ævo, plures Origenis discipulos ansam arripuisse ex iis, quæ ille in *Periarchon* scripserat, promovendi sententiam de igne metaphorico. Hanc eamdem sententiam docuit deinde Calvinus, ac postea Calvini discipuli Theodorus Beza, Lambertus Danæus, Junius, Filenus, & Reinoldus. At nemo confidentius hanc sententiam proposuit, quam nuperus Theologus Berolinensis, quem laudat, ac sequitur Franciscus Roches Pastor Genevensis *Epist. 37.* Is enim postquam asseruit, verum, ac proprie dictura non esse ignem in Sac. litteris ad puniendos impios denunciatum, subjicit, *jam diu consensisse homines, aut Theologos, Scripturæ verba de hoc igne prolata in sensu metaphorico accipienda esse, adeo ut ignis ille ferme extinctus fuerit.* Sed quis hæretici hominis impudentiam non videat? Ignis semper meminit Scriptura, ut omnes fatentur. Ignem hunc materialem esse non solum Christiani omnes, sed etiam Judæi, & Mahometani docuere semper, & docent; qui vero metaphorice hunc interpretari voluere, statim ac singularem hanc explicaverunt opinionem, fuere ab universo Ecclesiæ cœtu reprehensi, atque damnati; constat id ex Originianis antiquis Ecclesiæ sæculis hanc ob causam universim improbatis: constat ex Calvino, ejusque Discipulis, quos vel ipsi Novatores hanc ob rem irriserunt, & confutarunt. Constat denique ex censuris Ambrosii Catharini opinioni a Theologis adjectis. Qui omnia argumentorum genera ad rem hanc pertinentia videre cupiat, legat *lib. 2.* Vincentii Patuzzi de futuro impiorum statu, qui *cap. 13.* Patrum auctoritates, quæ contra apponi solent, erudite exponit, ac sequentibus capitibus omnia Adversariorum sophismata luculenter dissolvit, & explicat.

XI. Hic tamen neutiquam prætermittenda duximus argumenta ab humana ratione petita, quæ ab Adversariis opponuntur, cum aptissimis, quas Patuzzi affert, responsionibus. Ad quatuor itaque capita hæc revocantur. Primo, inquiunt, explicari non potest cujus naturæ sit ignis ille, qui Damnatos torquere asseritur, aut in qua materia subsistat. Secundo, quo pacto corporeus ignis in animas agat, ac substantias immateriales. Tertio, si in corpora operatur, eaque comburit, cur ipsa non dissolvat, ac consumat. Quarto demum, quomodo non omnes reprobos æqualiter cruciet, cum æqualiter omnes afficiat, ac naturaliter operetur. Hæc illi quidem ingenti verborum strepitu opponunt, ac exaggerant. Sed pessimæ causæ argumentum est decertare armis ab imbecilli ratione humana depromptis adversus dogmata, quæ solidissimis Sacrarum litterarum Divinæque traditionis fundamentis nituntur. Quid enim? Tametsi explicare minime possem peculiarem illius ignis naturam, aut actionem in immateriales substantias, aut alias difficultates solvere, quæ ex eodem soboleſcunt, nunquid idcirco negandus foret hujusmodi ignis nulla divinæ auctoritatis clare, distincteque loquentis habita ratione? aut ad tropos, & figuras confugiendum, cum literalis sensus lucidissime se prodit, nec citra summam violentiam ad metaphoricum detorqueri valet? Si ita res est, nulla jam erit ex catholicæ fidei veritatibus, quæ pari jure negari non possit, aut ad figuratum sensum referri. Nulla siquidem est, quæ difficultatibus plurimis, iisque non raro gravissimis non obvolvatur. Quæ tamen a me dicta esse nemo putet, ac si nullus ad propositas difficultates solvendas mihi pateret aditus, cum eædem prorsus sint, quas tum Sancti Patres, tum Theologi, & Scripturarum interpretes sibi pluries objecerunt, ac diluerunt. Ex quibus hic aliqua curtim delibo.

1. Ad illud itaque, quod primo loco objectum est, dico, Gehennalem ignem ejusdem esse naturæ cum nostro vulgari, solumque quibusdam proprietatibus, aut qualitatibus differre: nimirum, ut ex sacris litteris, & Ecclesiæ Patribus liquido constat, quod non indigeat fomentis, ut conservetur, quod inextinguibilis sit, quod non luceat, luce saltem clara, & perspicua, quod non corpora tantum, sed spiritus etiam corporis expertes affligat, quæ omnia diversitatem naturæ non arguunt, nec exigunt. Quod si de ejusdem materia scisciteris, respondeo eam certo definiri haud quaquam posse: neque tamen exinde quidpiam contra ejus extantiam elici valet, cum Deus ex quacumque, quæ sibi magis placuerit, materia fornacem illam accendere potuerit, atque accensam perpetuo conservare. Quidam tamen non improbabiliter censent, materiam illius ignis saltem præcipuam esse sulphurem; idque colligunt ex nonnullis Apocalypseos locis. Nam *cap. 19.* legitur: *vivi missi sunt hi duo viri in stagnum ignis ardentis sulphure.* Et *cap. 20. Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris:* & rursus *cap. 21.* de impiis omnibus dicitur: *pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.* In iis quippe locis de futuræ vitæ suppliciis ser-

sermonem fieri certum est. Cum igitur diserte asseratur ignem illum ardere sulphure, jure colligi posse videtur, materiam ejusdem, saltem præcipuam esse sulphuream. Sed de hoc satis: non enim tanti est hæc objectio, ut fusiorem responsionem mereatur.

2. Ad illud quoque, quod secundo loco objectum est, haud difficile est respondere. Paucis rem totam dirimi posse mihi videtur, si dixerimus, Gehennæ ignem torquere spiritus *modo* quodam *inenarrabili*, ut inquit Lactantius, sed plane haud absimili modo, quo vulgaris ignis agit in animam spiritualem, dum corpori conjuncta est. Scimus enim certissime, immaterialem animam uniri corpori, vitam ipsi communicare, suppliciis corpori inflictis offici &c. licet modum, quo hæc contingant, plane ignoremus. Igitur modus etiam, quo animæ a corpore sejunctæ, vel spiritus incorporei igne inferni corporeo afficiantur, poterit esse ineffabilis, ac nobis impervius, quin tamen illum merito inficiari possimus. Hinc Joannes Clericus sub nomine Petri Alethini, licet de veritate ignis materialis dubitanter loquatur; fatetur tamen hocce argumento nemine am illum abnuendum induci debere, eodem ductus exemplo animæ nostræ in hoc corpore existentis. Sic enim scribit in notis ad *cap. 5. lib. 3.* P. Petavii de Angelis: *Non negaverim, ignem fore corporeum, eo quod spiritus illo sint torquendi. Hoc enim intellectu difficilius non est, quamvis aliter sentiat Petavius, quam intelligere, qui motus corporis nostri mentem nostram incopoream, qualis vulgo statuitur, afficiant. Scio dicturum qui hæc legerit, mentem esse cum corpore in unam personam conjunctam, ideoque corporis motibus necessario percelli. De re ipsa hic philosophari nolo; Sed quemadmodum mentes immateriales Deus ita cum corporibus conjunxit, ut motibus eorum afficerentur; sic in loco pœnarum novis legibus naturis rerum impositis efficere posset, ut spiritus igne conspicuo urerentur:* Hoc animæ nostræ exemplum late etiam prosequitur inter alios Auctor Reflexionum *in histor. Judgorum tom. 3. pag. 326.*

Sed neque Sanctus ipse Augustinus illud prætermisit *in lib. 21. de Civit. Dei cap. 10.* ubi quæstionem hanc proponit, inquiens: *Hic occurrit quærere, si non erit ignis incorporalis, sicut est animi dolor, sed corporalis tactu noxius, ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit etiam pœna spirituum malignorum? Idem quippe ignis erit, supplicio scilicet hominum attributus, & Dæmonum, dicente Christo: discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Et in medium prolata sententia tum eorum, qui dœmonibus aerea quædam corpora tribuebant, tum aliorum, qui eos omnis materiæ expertes faciebant, subdit juxta horum decretum: *non est de hac re laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, & nunc potuerunt inclusi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* Cæterum modi plurimi a Theologis nostratibus assignari solent ad explicandam actionem ignis corporei in substantias spirituales, qui legi possunt apud Petavium *lib. 3.* de Angel. Suaresium item de Angel., Sotum, & Estium *in 4. sentent. dist. 50.* & alios; neque enim necessarium judico huc eos derivare.

3. Argumentum tertio loco positum accuratissime expendit idem S. Augustinus disputans adversus Gentiles, qui illud in primis opponebant; in eoque refellendo magnam partem insumit *lib. 21. de Civitate Dei.* Quæ fusius disserit ille, in brevem summam redacta hæc sunt. *Cap. 2.* ostendit, *Corpora in ustione ignis esse posse perpetua*, idque declarat exemplo aliquorum animalium, quæ in mediis ignibus vivere perhibentur. Hinc *cap. 3.* probat *consequens non esse, ut corporeum, dolorem necessario sequatur carnis interitus. Id quidem verum est*, docet, *de corpore in hoc corruptibili statu posito; quoniam sic est anima connexa huic corpori, ut summis doloribus cedat, atque discedat; quoniam & ipsa compago membrorum, atque vitalium sic infirma est, ut eam vim, quæ magnum, vel summum dolorem facit, non valeat sustinere. Tunc autem tali corpori anima, & eo connectetur modo, ut illud vinculum, sicut nulla temporis longitudine solvitur, ita nullo dolore rumpatur. Proinde etiamsi caro nunc nulla est, quæ sensum doloris perpeti possit, mortemque non possit, erit tamen tunc talis caro, qualis nunc non est; sicut talis erit tunc & mors, qualis nunc non est.* Tum *cap. 4.* id pluribus exemplis naturalibus confirmat. Et *cap. 5.* decernit, quod tametsi modum ignoremus, quo ignis corpora sine eorum consumptione comburat, non ideo hoc in dubium vocandum esse, quandoquidem multa sunt in rebus naturalibus certissima, de quibus tamen reddi ratio nulla potest, sive rationem & modum ignoramus unde consistere valeant; quorum nonnulla profert. Et soluta *cap. 6.* quadam objectiuncula, quam inde Gentiles conficere poterant, *cap. 7. & 8.* concludit, omnipotentiam Dei, *qui fecit Mundum in cælo, in terra, in aere, in aquis innumerabilibus miraculis plenum, cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio majus, & excellentius etiam ipse mundus miraculum, posse facere ut & resurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora Damnatorum.* Hæc Augustinus.

Mihi vero rem hanc consideranti difficultatis propositæ solutionem facillime explicari, ac pene oculis subjici videtur, si id ponamus, in quo jam Philosophi omnes, aut ferme omnes consentiunt, calorem scilicet, aut ardorem vehementi, concitatoque partium corporis motu constare, vel produci, ipsumque ignem corpora calefacere, ac amburere, cum in ea imprimit hujusmodi motum vehementem, & concitatum (vibrationis, aut vertiginis, vel expansionis sit, parum curo). Quod igitur pleraque corpora ita agitata tandem consumantur, id causæ habet, quod ex eo motu vehementi separentur invicem, ac diflentur exiguæ primum, aliæque deinde reliquæ partes, quæ corpora ipsa componunt. Quare si nullas partes dissolvi, aut a corpore separari contigerit, calidum illum, ignitumve interflammas consistet citra ullum interitum, aut consumptionem; quemadmodum etiam naturaliter hoc accidere in quibusdam corporibus experientia deprehendimus. Manifestum est enim, aurum v. g. in ardenti fornace vexatum, liquatumque insigniter calescere, quin tamen absumatur, aut quidpiam primævi ponderis amittat; quia videlicet per agitationem, & motum nihil a tota mole sejungitur, aut evaporatur. Quod ergo naturaliter contingit in auro, intelligi potest ac debet divina virtute futurum in humanis corporibus, ut nova nimirum in ipsis lege constituta, tartarei ignis actione vehementissime concutiantur, & agitentur fibræ eorum, ac partes, quin tamen separentur, aut ipsarum textura dissolvatur.

Id evidentius apparet in sistemate causarum occasionalium, quod multis philosophis plurimum arridet; juxta quod rem ita declarat quidam ex Anglia Scriptor agens de pari argumento, seu de corporibus per miraculum in igne sine læsione persistentibus; *Ex hujus legis* (secundæ nempe ab ipso positæ circa motum) *suspensione corpus humanum, rubus, vel aliquid quodvis inflammabile corpus, etiamsi ardentissimo igne undique cingantur, poterunt tamen non comburi, aut in cineres reduci: aut si forte flammas, uti Rubus, capiant, coacervatis in vorticem flammis, poterunt non consumi. Ignis enim particulæ non comburunt ex innata ulla virtute, aut insito impetu, ut supra vidimus; Sed quia supremus motus Auctor voluit, ut ex occasione hujus impetus ipse dissolvat, seu comburat projecta in ignem corpora, velle quoque poterit, ut eadem non dissolvantur, etiamsi rapidissimis igneorum scintillarum cohortibus vorticoso impetu irruentibus impetantur;* Ac subinde ostendit etiam quomodo per divinam voluntatem in æternum aliquis vivere valeat, inquiens; *possunt enim omnes corporis partes in eodem situ semper retineri: possunt quoque omnes elementares particulæ a dissolutione cohiberi. Sanguis & alii humores etiamsi perenni, & intestino motu intra se agitentur, impediri possunt, quominus vapescant, seu quominus principia ipsorum diffringantur, aut eorumdem abradantur anguli, quominus eædem particulæ per habitum corporis non exhalent, & reparatione non egeant. Brevi, tota quanta nunc est corporis materia cum eadem figura, situ, numero, fabrica, & usu partium in statu, in quo nunc est, in perpetuum conservari potest, ac proinde corporis vita in æternum perdurare poterit.*

4. Ad postremum tandem argumentum ita respondet S. Gregorius Magnus; *Sicut in hoc Mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt; quia alius plus æstuat, atque alius minus; ita illic in uno igne non unus est modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut & ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.*

Verum hæc responsio moralem potius sive meritoriam, quam physicam causam declarat, cur non una eademque vi, & impressione Damnatos omnes Inferni ignis excruciet. Quare aptius, ut mihi videtur, dicendum, ignem illum corporeum,

reum, aut juxta plures causam esse mere occasionalem, aut juxta alios instrumentariam divinæ Justitiæ vindicis, ac tanquam Dei instrumentum vim & actionem suam in Damnatos imprimere; atque adeo a causa Principe assumi posse ad majus, minusve tormentum inferendum. Deus enim, qui demeritorum inæqualitatem perfecte cognoscit, ita ignem illum movet, & applicat, ut acrius in alios, in alios autem mitius operetur. Quod nemini mirum videri debet, cum & inter nos conspicua sit hujusce diversæ actionis experientia. Videmus enim a voluntate unum, idemq. instrumentum adhibentis sæpe pendere, quod majorem, minoremve ictum imprimat, aut percussionem. De pœnarum æternitate agemus alio in loco.

XII. Cum in Scripturis celebris sit sententia de inferorum portis, paucis hic explicamus, quid nomine Portæ Inferorum veniat. Rex Ezechias in suo Cantico depingens statum, quo redactus esset in angustia morbi sui, ita rem totam explicat; *Ego dixi in dimidio dierum meorum; vadam ad portas Inferi*. Jesus Christus *Matth.* 16. 18. Ecclesiæ suæ spondet; *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*. Qua phrasi idem facile innuitur, ac in *Psalm.* 9. 15. illud; *Qui exaltas me de portis mortis*, & *Psalm.* 106. 18. *Appropinquaverunt usque ad portas mortis*, & *Sap.* 16. 13. *Deducis ad portas mortis*. Mortem, sepulchrum, Infernos exhibebant Hebræi ceu regionem, quo ex universo Orbe homines novam alteram vitam acturi, confluerent. Deprompsimus alibi ideam, qua illi tenebantur, de sede veterum Gigantum, qui Reipublicæ speciem quandam sub terram componebant. Pares recurrunt phrases apud Prophanos, e paribus fere opinionibus acceptæ. Achilles apud Homerum Iliad 11. 9. profitetur odio habere se tanquam portas mortis illum, qui ore aliud, aliud corde præfert.

Instruitur Infernus juxta Mahometanos septem portis, singulis vero illis suum est peculiare supplicium. Prior aditus ille est, ubi Mutulmani rei commissi criminis pœnas dabunt; secundus Christianis torquendis destinatur; tertius Judæis; quartus Sabiis; quintus Magis, vel Guerbis cultoribus ignis; sextus Paganis & Idololatris; septimus, qui profundissimus & abyssus, locus est Hypocritarum, exteriorem tantum personam Religionis simulantium. Alii nomine septem illarum portarum designata credunt septem peccata capitalia, alii septem potissima membra hominis, quæ sunt ad peccatum instrumenta.

Habes itaque juxta superiorem expositionem, idem esse *portas inferi* adversus aliquem prævalere non posse, ac interitui, destructioni, & morti obnoxium illum non esse, cum allegoria ista nomine portæ *mortis*, & *inferi* veluti ingressum designari videatur animæ in locum mortuorum, ac ejusdem ex hac vita transitum. Ex quo intelliges, quam apte Christus Dominus eadem usus sit allegoria in citato Matthæi capite, ut innueret Ecclesiam suam supra Petrum fundatam perpetuam, ac indefectibilem esse. Hac attenta allegoria Patres per inferi portas errores, hæreses, & hæresiarchas intellexere, per quos spiritus nequitiæ Ecclesiam Christi dilacerare, atque destruere conatur. Hinc S. Epiphan. in Ancor. num. 9. *Portæ inferi*, inquit, *sunt hæreses*, & *Hæresiarchæ*; & in Epistola Encyclica Octavæ Generalis Synodi post relata verba *Portæ inferi non prævalebunt*, hæc habentur; *Multoties alias inferi portas apertas contra Ecclesiam, & devorare eam tentantes obstruxit, contrivit, atque destruxit, hæreticas videlicet opiniones, & iniqua conamina, quæ in præteritis generationibus per sua tempora sunt exorta, sed nihilominus & instantibus temporibus Inferno proprium os aperiente, & dilatante protector factus est Christus &c.*

INFIRMITAS, INFIRMUS.

1 INfirmitas, quæ impedit egredi domo ad negotia magni momenti, excusat ab obligatione audiendi Missam; *Communis* cum Suarez, Castropalao, Sanchez, Dicastillo, Gobat, & La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 678. Imo Sanchez, Dicastill. Gobat. cum La Croix *loc. cit. num.* 678. dicunt, quod quamvis Infirmitas non impediat exire ad aliqua negotia, ad quæ Infirmus valde afficitur, adhuc excusat ab auditione Missæ, si alias adsit periculum subeundi gravis incommodi. Non enim tenetur Infirmus statim adire Missam, si hanc adiens cum repugnantia naturæ, alterari possit, & pati grave in-
3 commodum. An autem in hoc, vel illo casu valetudinis censeatur incommodum sufficienter grave ad excusandum ab auditione Sacri, stari potest judicio Medici, vel Superioris, vel Parochi, vel etiam proprio, si Infirmus ipse sit ita prudens, ut possit per se ferre judicium; Sanchez, Dicastill. Bonac. Gobat. cum La Croix *loc. cit. nu.* 679. & alii passim.

Infirmitas gravis, ob quam Infirmus nequit recitare Divi- 4
num Officium sine læsione suæ valetudinis, vel sine incommodo gravi, vel incremento morbi, excusat a recitatione totali; *Communis argum. cap. Clericus* 2. *dist.* 91. Non excu- 5
sat tamen Infirmitas levis, ut parvus dolor capitis, stomachi, vel pectoris, & interdum etiam levis febris tertiana, aut quartana, cum talis dolor, aut febris non soleat tota die vehementer affligere, ita ut non vacet tempus ad Divinum Officium recitandum; Navarr. *tom.* 4. *de orat. cap.* 11. *num.* 7. & *in Manuali cap.* 25. *nu.* 100. Sotus *lib.* 10. *de justitia quæst.* 5. *art.* 3. Layman *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. Donatus *tom.* 4. *prax. rerum Regul. quæst.* 51. *nu.* 1. Tabiena, Armilla, & omnes Summistæ *in verb.* Horæ *Canonicæ*, Busemb. Filiucc. & aliis citatis Bonacina *de Horis disput.* 1. *quæst.* 6. *part.* 1. 6
Infirmitas impediens Infirmum ad recitandum V. G. solum Matutinum, non excusat ipsum a recitatione aliarum Horarum, quas recitare potest sine læsione suæ valetudinis; Est jam communis propter sequentem propositionem 54. in ordine inter merito damnatas ab Innocentio XI. *die* 2. *Marti* 1679. ibi: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*.

In dubio an infirmitas sit gravis, aut levis, & an Infirmus, 7
seu convalescens possit sine gravi nocumento recitare totum Officium, aut partem, standum est judicio Medici, vel Superioris, aut in horum defectu alterius viri prudentis; Silvester, Sotus, Sanchez, Donatus *loc. cit. num.* 2. aliique cum Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 115. La Croix *lib.* 4. *num.* 1225. qui insuper cum Gobat addit, posse Infirmum stare etiam judicio proprio, si sit ita prudens, ut per se possit de talibus ferre judicium. Si autem nec supradicti, nec Infir- 8
mus ipse possint solvere dubium; sed adhuc illud permaneat, tunc non tenetur Infirmus tale Officium recitare, quia non tenetur se periculo gravis damni, & nocumenti exponere; Donatus *loc. cit. num.* 3. Bonacina *loc. cit. num.* 5. Castropal. *tract.* 7. *d.* 2. *part.* 6. *num.* 10. La Croix *loc. cit. num.* 1225. Neusser, Stoz, & alii plures. Nec valet cum aliis dicere, 9
quod in tali dubio teneatur Infirmus Officium recitare, ex quo præceptum recitandi sit in possessione, quia id non obstat ob adjunctum periculum gravis nocumenti, ad quod pia Mater Ecclesia non videtur obligare, quia in ejusmodi dubiis vix attingi potest punctum, & status obligationis, unde nescrupulis aperiatur via, ex quo talis Infirmus non possit in tali dubio, & perplexitate se expedire, cum sit æque periculum nocendi valetudini, quod illicitum est, quam transgrediendi præceptum recitandi Officium, in tali casu consuetudo legem interpretatur, ut sic dubitans censeatur liber; Sic citati Doctores, & alii.

Regulares Infirmi, quando non possunt, nec sciunt se de- 10
terminare an licite possint totum, vel partem Officii Divini omittere, satisfaciunt præcepto dicendo Psalmos, Hymnos, Pater noster, Ave Maria, vel alia judicio Prælati, seu Præsidentis loci, aut Conventus assignanda; Sic concessit Leo X. Minoribus apud Castarubios *in compendio Privilegiorum verb. Infirmi Fratres num.* 6. Et ex concessione Martini V. & Eugenii IV. facta Fratribus S. Hieronymi, Regulares Infirmi, Senes, Valetudinarii, aut alias invalidi satisfaciunt præcepto Divini Officii recitando aliquos Psalmos, vel id, quod Superiores, vel sui Confessores assignaverint; Castarubios *l. cit. num.* 11. & 12.

Regulares Infirmi ex concessione facta Minoribus de Ob- 11
servantia a Martino V. Eugenio IV. Callisto III. Pio II. ac Sixto IV. consequuntur Indulgentiam plenariam in articulo mortis. Castarubios *loc. cit. n.* 1. Regulares Infirmi in suis Infir- 12
mariis, Cellis, & etiam lectulis (quando commode aliter dicere non possunt) possunt promereri Indulgentias Stationum, & alias concessas in suis Ecclesiis dicendo quinquies Pater noster, & Ave Maria pro intentione, & proposito illius Indulgentiæ; Sic concessit Innocent. VIII. apud Castarubios *loc. cit. num.* 3. Regulares Infirmi, ac Senes in decrepita 13
ætate constituti possunt lucrari Indulgentias concessas dicentibus Coronas D. N. Jesu Christi, & Matris suæ, dicendo unum Psalmum; aut Hymnum B. Virginis, aut Domini Nostri; Sic concessit Leo X. apud Castarub. *loc. cit. num.* 5.

Infirmi omnes, qui ex recitatione Divini Officii verisimi- 14
liter credunt, aliquem dolorem capitis, aut aliquam crudi-

tatem stomachi, vel virium lassitudinem, aut etiam febrim tardius remissuram, excusantur a præcepto illud recitandi, quia hujusmodi damna, quæ in corporibus sanis sunt levia, in ægrotis sunt gravia; Ita Sanchez *in consil. lib.* 5. *cap.* 2. *d.* 45. *num.* 4. Stoz. *lib.* 1. *numer.* 402. Tamburin. *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 5. §. 8. *a num.* 13. La Croix *lib.* 4. *num.* 1224. Gobat, Pellizar. & alii, *arg. cap. Clericus* 2. *dist.* 61. ubi pro legitima causa non recitandi, habetur inæqualitas corporis, quæ non
15 sonat morbum gravem. Imo supradicti Doctores, & alii cum Pellizar. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *num.* 116. dicunt, quod tales Infirmi non teneantur adhuc ad recitationem Divini Officii, quamvis bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis causa legant, quia confabulationes, ac lectiones illæ afferunt ægris recreationem, nec morbus ingravescit, sed potius levatur. Recitatio vero
16 Divini Officii e contra est res seria, & ex sua natura caput gravat, ac molestiam affert. Item dum tales Infirmi convalescunt, & adhuc vires sunt imbecilles, possunt ad aliquos dies differre recitationem, & aliquando etiam prius incipere celebrare, quam recitare Divinum Officium; Gobat. *in experient. tr.* 4. *num.* 715. Stoz *loco cit. num.* 402. La Croix *loco cit. num.* 1214. Sanchez, & Tamburin. *loc. cit.* & alii plures (a).

17 Qui ob Infirmitatem non possunt Horas recitare debito tempore, possunt autem commode sine nocumento valetudinis recitare alio tempore ante, vel post, v. g. si post pran- dium laborant Quartana, mane autem sint liberi, aut e contra, non excusantur a præcepto; Sic Castropal. *tract.* 7. *d.* 2. *part.* 5. *num.* 6. 16. Stoz *loc. cit. num.* 409. Tamburin. *lib.* 1. *c.* 3. §. 7. *verb. Horæ Canonicæ num.* 20. La Croix *loc. cit. num.* 1226. Pellizarius *loc. cit.* & alii. Et ratio est, quia quod recitentur Horæ hoc, vel illo tempore est circumstantia accidentalis tantum, obligatio autem recitandi totum Officium incipit a media nocte; & durat per singulas partes diei naturalis usque
18 ad alteram mediam noctem. Henriquez autem, Canus, Caramuel, & alii volunt eos non teneri anticipare, vel postea supplere Horas respondentes illi tempori, quo ægrotant, quia obligatio anticipandi, vel supplendi videtur tunc tantum esse, quando impedimentum est ex nostra libertate, non autem quando est ex necessitate, uti ex infirmitate, & hanc sententiam dicunt esse probabilem Diana *part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 43. Sanchez *loc. cit. d.* 43. *num.* 7. Gobat. *loc. cit. numer.* 711. Sporer *in Theolog. Sacramental. num.* 172. & alii (b).

19 Si infirmus sit communicandus, & desit Stola, vel Alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis, quia quamvis ista spectent ad reverentiam Sacramento debitam, non est tamen positiva irreverentia, sed tantum omissio majoris reverentiæ, & necessitas hominis, propterquam instituta sunt Sacramenta, videtur excusare; necessitas enim non habet legem, *cap. Sicut* 11. *de consecrat. dist.* 1. *cap. Omnes* 1. *de Feriis cap. Concilium* 2. *de observat. jejunior. cap. Consuluisti* 3. *de celebrat. Missar.* & quod non est licitum in lege necessitas facit licitum; *cap. Quod non est* 4. *de Regul. Juris in* 5. & sic
20 expresse tenet La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 335. & alii. Infirmus, si commode jejunus expectare non possit, communicare potest non jejunus (c); *Communis* cum La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 612. Aversa *q.* 8. *sect.* 9. §. 6. Gobat, Tamburin. Dicastill. & aliis.

* Inter quos non est omnino prætermittendus P. Benjamin Elbel *par.* 3. *Conf.* 14. *num.* 90. ubi casum in hoc proposito valde singularem resolvit. *

21 Infirmus tenetur ex præcepto Divino Eucharistiam sumere per modum Viatici, quando est in periculo mortis constitu-

tus, & hoc etiamsi non sit jejunus. Vide *verb. Eucharistia num.* 35. Qui mane ante periculum communicavit ex devo- 23
tione, si superveniat periculum, an teneatur eodem die per modum Viatici communicare? Vide *verbo Eucharistia n.* 36. In eadem infirmitate, etsi non teneatur, potest tamen ægro- 24
tus post septem, vel octo dies repetere Viaticum non jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, & periculum mortis recurrat. Vide *ibid. num.* 37. Quando morbus, & pericu- 25
lum diu protrahitur post 7. vel 8. dies, potest iterum dari communio non jejuno. Vide *ibid. num.* 38. Viaticum dari debet infirmis in periculo etiam in die Parasceves. Vide 26
ibid. num. 59. Si infirmus ob tussim, vel ob aliam causam facilime non possit Viaticum, non debet ad illum deferri SS. Eu- 27
charistia devotionis causa. Vide *ibid. num.* 50.

Pro consecrando Viatico dando infirmo non est licitum Sacerdoti non jejuno celebrare; S. Antoninus, Suarez, Azo- 28
rius, Jordanus, aliique plurimi cum Dicastill. *dist.* 9. *n.* 545. La Croix *lib.* 6. *part.* 1. *num.* 611. Quamvis enim Sacerdos teneatur celebrare jejunus solum de præcepto Ecclesiastico, & infirmus teneatur in periculo mortis sumere Viaticum de præcepto Divino, tamen præceptum Divinum non obligat, nisi quando observari potest cum debita reverentia, principalibus ritibus, & quasi substantialibus cæremoniis ab Ecclesia præscriptis, ut recte observant Suarez, Fagnan, Diana, Amicus, Lugo, Tamburin. Dicastill. Platell, apud La Croix *l. cit. num.* 611. Tum quia in ipso casu defectu Hostiæ consecratæ infirmus excusatur a tali præcepto sumendi Viaticum ob impotentiam, quia impossibilium nulla est obligatio; *l. Impossibilium ff. de Regul. Juris, & cap. Nemo potest* 6. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari*. Aliqui 29
tamen, ut Major. Zanard. Zambranus, Philiarch, & alii tenent oppositum; & horum sententiam Suarez, Filiuccius, Lugo, Dicastill. Layman, & alii vocant probabilem saltem in casu, quo infirmus aliud Sacramentum non possit suscipere

Infirmi non tenentur ad jejunium; *Communis*. Vide *verb.* 30
Jejunium articulo secundo. Infirmi non tenentur ad jejunium, 31
sicuti non tenentur ad recitationem Horarum, & ad audiendum Sacrum quamvis propria culpa inciderint in infirmitatem, *arg. cap. Infirmitas* 13. *de poenitentiis, & remission.* Et ratio est, quia, etsi tales propria culpa sint impotentes; hæc tamen impotentia, & hoc impedimentum ad observantiam jejunii, & hujusmodi, nec a Jure, nec ab homine, sed ab ipso Deo illatum est, ut innuit textus *in cap. Percussio* 2. *caus.* 7. *quæst.* 1. ibi: *Cum percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc judicium ignoratur, & ideo non debet a nobis addi flagellatis afflictio*. Fra- 32
tres Minores non potentes jejunare bono modo propter infirmitatem, vel debilitatem, non tenentur, ut eis concessit Sixtus IV. apud Castarub. in *Compendio Privilegiorum verb. Infirmi Fratres num.* 2.

Episcopi infirmi, an, & quando dispensentur a residentia? 33
Vide *verb. Episcopus art.* 3.

Canonici infirmi, an, & quando lucrentur distributiones? 34
Vid. *verb. Distributiones quotidianæ*.

Parochi infirmi, an, & quando censeantur dispensati a 45
residentia? Vide *verb. Parochus*.

Infirmus peccat, quando spretis Medicorum consiliis, & 36
remediis, pro libitu suo sibi remedia procurat, seu remedia ordinaria recusat; Busemb. la Croix *lib.* 2. *num.* 201. & *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 769. & 775. cum aliis ibi citatis; Tunc enim vitæ suæ non consulit, quantum potest, & debet. In casu tamen, quo aliquis infirmus diu, & graviter ægrotaret, & a Medicis tamquam incurabilis esset derelictus, non peccaret

 sumen-

(a) Quæ hic circa onus recitandi divinum Officium afferuntur, nimis laxa videntur. Consulat igitur Lector hoc loco P. Antoine, aliosque Saniores Moralistas.

(b) Multa pronuntiat Lucius Ferraris a num. 14. ad n. 18. obligationem infirmorum recitandi divinum officium spectantia, quæ, meo quidem judicio; a laxitate excusari nullatenus possunt. Quod autem majus negotium facesset illud est quod Diana, aliisque casuistis ducibus, veluti probabile venditatur, nimirum illos, qui aliqua infirmitate præpediti officium recitare nequeunt debitis horis, non teneri anticipare, vel supplere horas tempori respondentes, quo fuerunt infirmitate detenti. Hujus asserti absurditas per se constat. Certum etenim est matutinis recitandis nocturnum tempus esse assignatum: pone te Sacerdotem privatum numquam nocturno tempore assurgentem, ut matutinum persolvas, nocte præterita aliquo laboraße incommodo, a quo sole illucescente, perfecte convaluisti: Posita Ferraris sententia, teneberis quidem horas diurnas persolvere, quia nullo laboras valetudinis impedimento; minime vero nocturnas ob morbum, a quo jam convaluisti, quamquam si nullum pertulisses incommodum, diem expectasses ad matutinum recitandum. Imo nec prævenire teneberis & si prævideas morbum superventurum, quamquam assuetus sis canonicas horas anticipare, puta; matutinum recitare vespere antecedenti, diurnas horas de mane, &c. Quid in hac re absurdius?

(c) Sed per modum Viatici.

sumendo aliquod remedium periculosum, quia non tenetur homo se servare cum tantis doloribus, unde non censetur tunc, nisi indirecte morti suæ cooperari; Henno *tom.1. tract. de conscientia disp.3. quæst. ultim. concl.3.resol.4.* & alii passim.

37 (a) Infirmus etiam periculosus ad mortem nequit licite omne remedium, aut medicamentum respuere: Quisquis enim tenetur vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis opitulari; Henno *loc.cit.* Busemb. & la Croix *loc. cit.* Diana, & alii passim. Vide *verb. Moribundus n.1. & 2.*

Novæ additiones ex aliena manu.

1 INfirmitatem inter legitima impedimenta recensuimus *in Addit. ad Verb. Impediens*. At quia non raro accidit, ut homines nonnullis ex causis infirmitates simulent, ne modo
2 in Judicio comparere necesse habeant, hinc est quod infirmitates evidentibus probationibus probari debent, & simulatæ infirmitates a veris infirmitatibus sunt distinguendæ.
3 Infirmitatis probatio ordinaria fit per litteras, & testimonium Medicorum, *Paul. Zachias in Quæstionib. Medic. Legalib. lib.2. tit.2. quæst.1. n.3.* Quinimo in causa levi probari potest infirmitas attestatione unius Medici, *Stryk. Juridic. Dissert. Vol.5. Disput.3. cap.3. num.* 54.
5 Recepta quoque est probatio infirmitatis per Testes ad minus duos, *Damhouder. in prax. criminal. cap.15. num.6. Farinac. de Testib. quæst. 63. in princip.*
6 Controversia vero non levis est, An Infirmitas aliis deficientibus probationibus, per juramentum probari possit? Affirmant *Mascard. de Probat. conclus.*884. *fere per tot. Carpzov. Jurisprudent. Forens. part.1. constit.19. definit.* 11. *Zanger. de Exception. part.2. cap.9. num.12. Mindan. de Process.*
7 *lib.2. cap.19.*
At non aliter hæc sententia admittenda est, quam si agatur de Persona non suspecta de perjurio. Fides enim juramenti dependet a Fide Viri; *Adi Stryk. Juridic. dissertat. Vol.5. disput.3. cap.3. num.57.*

INGRESSUS.

Additio ex Auctore.

1 INgressus Ecclesiæ denegari nequit mulieribus menstruatis; Benedictus XIV. tom. 1. Constitut. 107. incip. *Omnium*
2 *sollicitudinum* §.3. 14. & 39. Ingressus Mulierum in Monasteria Virorum sub gravissimis poenis prohibetur; Idem Con-
3 stitut.39. incip. *Regularis Disciplinæ*. In Casibus exceptis V. G. favore Mulierum nobilium jus Patronatus habentium,
4 quomodo permittatur? Idem *ibid.* §. 8. Facultates permittendi hujusmodi ingressus, revocantur, & annullantur; Idem
5 *ibid.* §.4. & 5. Vide tom.2. *verb. Clausura.* Ingressus in clausuram Monialium est omnibus sub gravissimis poenis interdictus; Vide *dict. tom. verb. Clausura, & tom. 5. verb. Moniales art.3. num.99.* ubi affertur ad id Pontificia Constitutio.

INIMICUS;

Vide *Odium*, *Virtus* vers. *Charitas*.

INJURIA.

Vide verb. *Conservatores num.4.* & verb. *Poena art.2. num.*145. 146.

INQUISITIONIS S. OFFICIUM, INQUISITORES.

1 INquisitionis Tribunal fuit primo erectum sub Innocent.III. occasione hæresis Albigensium, rem eidem Innocentio proponente S. Dominico præclarissimi Ordinis Prædicatorum Patriarcha tunc Oxomensi Canonico, cui primo hæc delegata Inquisitoris jurisdictio commissa fuit; Paramus *de orig. Inquisitionis lib.2. tit.1. cap.1. numer.* 13. Castill. *in histor. Ordinis Prædicatorum cap.17.* Fernand. *in concertat. Prædic. pag.* 16. Lucius Marinus Siculus *in histor. Hispan.* Card. Petra *tom.3. commentar. in Constit.16. Innocent.IV. num.* 8. & alii passim.

Inquisitionis munus, seu Officium fuit commissum a Gre- 2
gorio IX. solis Patribus Ordinis Prædicatorum, ut patet ex litteris datis anno 1231. eorum Priori in Lombardia, quæ litteræ extant *tom.9. Conciliorum column.* 335. & ex aliis Inquisitoribus ejusdem Ordinis ab eodem Gregorio contra Albigenses missis, ut videri potest apud Leandr. *de viris ill ustrib. lib.2. &* Bzovium *ad annum* 1235. *a num.* 4. Deinde Inno- 3
cent.IV. tale Inquisitionis Officium commisit etiam Fratribus Minoribus, ut patet ex ejus Constitutione incipient. *Quia tunc*, & refert Cardin. Petra *loc. cit. num.9.* & alii. Et aliquando fuit commissum etiam Patribus Minimis S. Francisci de Paula: Clemens enim VII. delegavit Inquisitorem in Regno Portugalliæ P. Didacum de Silva dicti Ordinis Minimorum, ut narratur *in* Constitutione 8. Pauli III. incipient. *Illius* §.1. ut refert Card. Petra *loc.cit. num.9.*

Superiores Prædicatorum, & Minorum olim habebant 4
facultatem eligendi Inquisitores, ut patet ex Constitutione 16. Alexandri IV. incipient. *Quod super*, & ex Constitutione 21. ejusdem Alexandri incipient. *Catholicæ*, & notant Eymeric. *part.3. director. quæst.3.* & ibi Pegna *comment.*52. §. *Regularier*, Azorius *part.1. lib.8. cap.18. quæst.5.* Sanctarell. *de hæresi cap.40. dub.1. num.6.* Delbene *part.2. dub.t.* 195. *sect.* 8. 5
num.2. Card. Petra *loc.cit. num.* 32. Hodie tamen adempta exat hæc facultas dictis Superioribus Regularibus, & Inquisitores Regulares eliguntur a Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis, & a Sede Apostolica approbantur, exceptis solummodo Inquisitoribus Hispaniæ, qui immediate ab Inquisitore Generali eliguntur, ut notant Salell. *lib.1. cap. 2. Regul.*10. & 11. Carena *part.1. tit.3. num.5. & tit.5. §.3. n.*11. Sousa *in aphor. Inquis. lib.1. cap.1. numer.6.* Delbene *loc. cit. sect.8. num.2.* Castropal. *Oper. moral. part.1. tract. 4. disp.8. punct.* 12. §. 2. *num.2.* Card. Petra *loc. cit. num.* 34. & alii passim.

Congregatio Cardinalium Sanctissimæ Inquisitionis erecta 6
fuit a Paulo III. Constit.34. incipient. *Licet*, & denuo restituta a Sixto V. Constit. 74. incipient. *Immensa*. Facultas hujus supremæ, & universalis Inquisitionis est supra omnes Civitates, & loca Christianitatis etiam ultra montes; Paulus III. in cit. Constit. *Licet*. Hæc suprema Cardinalium Gene- 7
ralium Inquisitorum Congregatio contra quoscumque procedit, appellationes ab aliis Inquisitoribus audit, Inquisitores ubivis locorum deputat, & alios, qui interesse debent, & inservire in actu degradationis; Paul. III. *ibid.* Hæc Car- 8
dinalium Generalium Inquisitorum Congregatio præcipere potest degradationem reorum Clericorum, qui damnandi sunt, & uti potest brachio sæculari; Paul. III. *ibid.* Potest 9
privare beneficiis &c. impedientes suum Officium, & aliis inhabilitatibus afficere. Paul. III. *ibid.* Omnia ab hac suprema universalis Inquisitionis Congregatione decreta firma 10
sunt, & observari debent; Paul. III. *ibid.* Potest procedere 11
contra Episcopos, & etiam contra Cardinales hæreticos; Pius IV. Constit.67. incip. *Romanus*, Quod a majori parte 12
Cardinalium hujus Congregationis fuerit concludum, ab omnibus factum esse censetur; Pius IV. Constitut.79. incipient. *Cum nos*, S. Pius V. Constitut. 23. incipient. *Cum felicis*. Si 13
duo tantum Cardinales sint in Congregatione, quod ipsi decernunt, est ratum; S. Pius V. Constit.23. incipient. *Cum felicis*. Cum hæc Cardinalium Generalium Inquisitorum Con- 14
gregatio scribit, aut præcipit aliquid Ordinariis, Vicariis, Inquisitoribus &c. isti statim debent rescribere, & injuncta exequi; Clemens VIII. Constit. 76. incipient. *Sanctissimus*.

Inquisitionis Officium impediens, testes in causis Fidei, 15
aut denuntiantes offendens, carceratos extrahens, capi reos prohibens occultans, adjuvans, consulens, vel similia in favorem reorum faciens, est reus læsæ Majestatis, omni dominio privatus, ut hæreticus tractandus, infamis ipse, & filii ejus, poenis hæreticorum subjacet, & Curiæ Sæculari est tradendus; S. Pius V. Constitut. 82. incipient. *Si de protegendis*.

Inquisitores possunt procedere in causis Fidei contra quas- 16
cunque personas cujuslvis gradus, Conditionis, vel Dignitatis, contra Magistratus, Communitates &c. Etiamsi habeant privilegium Sedis Apostolicæ, ut contra eos non procedatur; *cap. Ut Officium, de hæreticis in 6.* Urbanus IV. Constit.2. incipient. *Licet* §.16. In causis Fidei procedere 17
possunt etiam contra quoscumque exemptos; Alexander IV. Con-

(a) Hæc tamen opinio non est satis tuta.

Constitut. 22. incipient. *Ne commissæ*, Clemens VII. Constitut. incipient. *Cum sicut*. Paulus III. Const. 30. incip. *In Apostolici*, Pius IV. Const. 51. incip. *Pastoralis*, Paulus V. Const. 26. incip. *Romanus*, ubi revocat facultates Superioribus quorumcumque Ordinum concessas cognoscendi causas suorum Subditorum ad Officium Sanctæ Inquisitionis quomodolibet pertinentes. In causis Fidei possunt Inquisitores pro-
18 cedere etiam contra suolimet Superiores ejusdem Ordinis; Cochier. *de Jurisd. ordinar. in exemptos part. 2. qu.45. n.* 58. Sousa *in aphorism. Inquis. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Card. Petra *tom.3. Comment. in Constit.23. Alexand. IV. num.* 15. & alii passim. An autem Inquisitores procedere possint etiam con-
19 tra Generales Religionum, non conveniunt Doctores: multi enim, quos sequitur Diana *part.4. tract. 8. resol.23.* Peyrin. *in privileg. Minor. tom.2. Constit.9. Pauli V.* §. 1. *n.* 2. Bordon. *in Tribunal. cap.27. n.27.* & alii tenent non posse Inquisitores procedere contra Generales Religionum, sed debere prius certiorare Supremam Cardin. Inquisitionem, *arg. cap. Inquisitores, de hæreticis in 6.* & Concil. Tridentin. *cap.*11. *sess.25. de Regularibus*, ubi quamvis submittat jurisdictioni, visitationi, & correctioni Ordinariorum omnes Parochiales Ecclesias Regulares, excipit tamen eas in Monasteriis, & locis, ubi Generales, seu Capita Ordinum Sedem ordinariam, & principalem habent, ibi: *Exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent*, & in contingentia facti sic declarasse Sacr. Congreg. Concilii pro Ecclesia S. Hippolyti de Faventia, quæ est Sedes ordinaria, & principalis Generalis Camaldulensis, testatur Fagnan. *lib. 3. decretal. in cap. Nullus Episcopus 3. de Parochis n.* 41. & ipsum sequitur Monacell. *tom.1. tit.5. formul.1. n.*18. *& tit. 6. form.* 20. *n.*14. ubi affert decretum Sac. Congr. Conc. in *Lauden. Jurisdictionis* 1. *Decemb.*1691. in qua plene articulo discusso, & partibus informantibus fuit resolutum, Bullam Gregorii XV. incipient. *Inscrutabili*, non derogasse privilegio *cap.*11. *sess.25. de Regul.* favore Generalium Ordinum concesso, & alii passim. Aliqui autem his non obstantibus censent posse Inquisitores procedere etiam contra Generales Religionum, dicentes hanc exemptionem, seu exceptionem, Generalium, non constare de Jure, cum *cit. cap. Inquisitores*, loquatur solummodo de Episcopis, ut advertit Freita *in addition. ad Rodric. Acugnade Confessor. sollic.q.*12. *num.*20. & priorem opinionem procedere posse inspecta solummodo quadam æquitate, & decentia, ut ait Carena *part.1. tit.5. §.9. n.*73. & sequitur Card. Petra *loc. cit. n.* 16.

20 Inquisitores Regulares in iis, quæ ad munus Inquisitionis pertinent, non sunt subjecti suis Regularibus Superioribus, nec eis tenentur obedire, ut de Inquisitoribus Prædicatorum, & Minorum expresse statuit Alexander IV. Const.
21 23. incip. *Catholicæ*. In iis autem, quæ pertinent ad statum Religiosum, & observantiam Regularem, sunt subjecti suis Superioribus Regularibus, & eis tenentur obedire, ut ex cit. Const. Alexandri IV. incip. *Catholicæ* docent Eymeric. *in Directorio part.3. q.*11. *&* 12. ubi Pegna *Comment.* 60. *&* 61. Sanctarell. *de hæresi cap.*40. *dub.*1. *num.* 7. Decianus *l.5. tract. Crimin. cap.*22. *n.* 33. Royas *de hæreticis par.* 2. *n.*418. Mascovius *de Majestat. milit. Eccles. lib.* 1. *par.* 1. *cap.* 11. Carena *de Offic. Inquis. par.*1. *tit.*5. §.8. *num.* 69. Salellas *de Mater. Tribun. Fid. lib.*1. *cap.*2. *Regula* 11. *n.*13. Card. Pe-
22 tra *loc. cit. num.*4. Unde si extra Officium deliquerint, certum est de Juris rigore puniri posse a suis Prælatis Regularibus; Eymeric. *loc. cit. q.* 12. *n.* 1. Locat. *in Judicial. verb. Inquisit. n.*40. Sanctarell. *cit. dub.* 1. *n.* 7. Zanardus *in director. p.*2. *cap.*6. *q.*43. Rodriquez *qq. regul. t.* 2. *q.* 81. *art.*5. Card. Petra *l. c. n.*7. & alii. Ast tamen, quia eisdem Superioribus Regularibus vetita sunt ea, ex quibus directe vel in directe sui subditi Inquisitores in eorum officio impediuntur; Idcirco, dum isti extra officium delinquunt, poterunt quippe eorum Superiores omni casu informationes capere, eosque monere, & reprehendere, cum ex his nullum eis impedimentum in suo munere exercendo oriatur; Dum autem poena est infligenda, ad eam de venire non debent, si inde Inquisitores quodammodo a suo Officio impediantur, & tunc informationes transmittere Supremæ Cardinalium Inquisitioni, ejusque mandata expectare debent, ut post Farinac. *de hæresi qu.*186. *n.*132. tenent Castropal. *tom.1. oper. moral. tract. 4. disp.*8. *punct.*12. §.2. *num.*23. Diana *part.* 4. *tract.*8. *resolut.*53. Carena *de offic. Inquisit. part.*1. *tit.*5. §. 8. *numer.* 72. Card. Petra *loc. cit. num.*8. & alii.

Inquisitores non possunt procedere contra Episcopos, ne- 23
que e contra, nisi habeant in commissis a Papa specialiter; sed occurrente casu suspicionis, vel accusationis, vel denunciationis contra ipsos, debet significari Summo Pontifici; *cap. Inquisitores, de hæreticis in 6.* & *Extravag. de hæreticis*, *cap. Cum Matthæus*. Inquisitores non possunt ex- 24
communicare Episcopos, nec e contra; *cap. Statuta* 20. *de hæreticis in 6.* Inquisitores non possunt procedere contra Le- 25
gatos, vel Nuncios Papæ, sed occurrente casu, aut suspicione hæresis contra eos, debent id Papæ significare *cap. Inquisitores, & cit. cap. Cum Matthæus*. Neque possunt ex- 26
communicare Officiales Papæ, vel contra eos procedere; *cit. cap. Inquisitores, & cit. cap. Cum Matthæus*. Inquisito- 27
res non possunt se intromittere in aliis causis, quam in delictis contra Fidem; *Clement. de hæreticis cap. Multorum* 1. §. *Propter*. Inquisitores non possunt in Judiciis admittere 28
Laicos Judices ad judicandum sub pœna (etiam Inquisitoribus) excommunicationis Papalis ipso facto; Julius III. Constit, 11. incip. *Licet a diversis*. Inquisitores non possunt ex- 29
torquere a reis pecuniam modo illicito sub pœna excommunicationis Papalis ipso facto, a qua non possunt absolvi, donec satisfaciant; *Clement. de hæreticis c. Nolentes* 2. Unde 30
pro actis S. Officii, & processibus nihil possunt facere solvi, nec sibi, nec aliis Officialibus, sed omnia gratis debent facere expediri; Clemens VIII. Constitut. 76. incipient, *Sanctissimus*.

Inquisitores possunt creare, & assumere in Notarios Cle- 31
ricos etiam in Sacris; Urban. IV. Constit. 2. incip. *Licet* §.8. Et quoivis sive Sæculares, sive Clericos, sive Regulares; Pius IV. Constit. 36. incip. *Pastoralis*, *cap. Ut Officium* §. *Verum de hæreticis in 6.* In sententiis ferendis possunt assumere 32
quoslibet peritos; Urban. IV. Const.2. incip. *Licet* §.10. *cap. Ut commissi, de hæretic. in 6.* & hi tenentur obedire. *cit. cap. Ut commissi*. Possunt constringere Magistratus omnes etiam 33
Sæculares, ut observare faciant statuta contra hæreticos facta, sive contra fautores, ac receptatores, & cogere possunt eos ad jurandum de tali observantia. Quod si nolint jurare, fiunt infames, ac suspecti in Fide, & Officio privandi sunt; *cap. Ut officium* §. *Compescendi, de hæreticis in 6.* Pos- 34
sunt cogere omnes Magistratus, & Judices ad exequendum 35
suas sententias, & isti debent sub pœna excommunicationis obedire; Innoc. VIII. Const. 10. incip. *Dilectus*. Possunt omnes Magistratus compellere, & alios ad dandum eis scri- 36
pturas pertinentes ad S. Officium; Alexand. IV. Const. 18. incip. *Cupientes*. In causis hæresis uti possunt brachio sæcu- 37
lari, *cap. Ut Officium* §. *Compescendi, de hæreticis in 6.* Inquisitoribus in causis Fidei tenentur obedire omnes Domini temporales, & si aliquem illi carcerari faciunt, isti tenentur fideliter custodire, & si illi sententiant, isti tenentur indilate obedire, non obstante appellatione rei; *cap. Ut Inquisitionis, de hæreticis in 6.*

Inquisitores possunt procedere contra delinquentes in sua 38
Provincia, etiamsi alio se transtulerint; Alexander IV. Const. 18. incip. *Cupientes*. Possunt procedere in causis hæresis, 39
quas etiam Episcopi cæperunt cognoscere; Urban. IV. Constit. 2. incip. *Licet* §. 3. Possunt procedere etiam irrequisitis 40
Diœcesanis; Alexander IV. Constit.9. incip. *Ad capiendum*. Inquisitor cum Episcopo, & sine eo, & e contra, potest ci- 41
tare in causis hæresis; *Clementina de hæreticis cap. Multorum* 1. §. *Propter*. Inquisitor, & Episcopus possunt conjunctim, 42
& divisim procedere in causis hæresis, sed communiter sententiant, & si non conveniunt, referunt ad Papam *cap. Per hoc, de hæreticis in 6.* Debent communicare processus, quan- 43
do divisim procedunt; *Extrav. de hæreticis cap. Ex eo*. Inqui- 44
sitor sine Episcopo non potest carcerare duro, vel arcto carcere, qui datur ad pœnam; *Clementin. de hæreticis cap. Multorum* 1. §. *Propter*. Inquisitor sine Episcopo, vel Vicario 45
non potest dare tormenta, nec sententiare; si vero intra 46
octo dies non possit Inquisitor habere copiam Episcopi, vel Vicarii ejus, & e contra, potest alteruter a se solo id facere, postquam se requisierint; *cit. Clementina cap. Multorum* 1. §. *Propter*, Urbanus IV. Const 2. incip. *Licet* §. 5. Potest 47
tamen Episcopus, aut Vicarius Inquisitori, & hic illis committere suas vices in dictis casibus, si nolint adesse, alias irritum est, quod fit; *cit. Clement. Multorum*. Vacante vero Sede Episcopali loco Episcopi requirendus est Officialis Capituli, seu Vicarius Capitularis eodem modo, quo supra, alias nulla est sententia, *cit. Clementina Multorum*. Inquisi- 48
tor cum Episcopi, vel Vicarii consensu potest privare hæ-

reticum Officio, & Beneficio, & privatum declarare, excepto si Episcopus contulit Beneficium hæretico scienter, quia tunc sine eo sententiat, *cap. Ut commissi, de hæreticis*
49 *in 6.* Inquisitor non tenetur reddere rationem Episcopo de expensis factis in causis hæresis; *Extravagant. de hæreticis cap. Ex eo.*

50 Inquisitores procedere possunt in omnibus contra fidem, ut circa hæreticos, fautores, receptatores, & suspectos de fide; *Clementina de hæreticis cap. Multorum* 1. §. *Propter.*

51 Possunt procedere contra impedientes suum Officium, contra non juvantes, si requirantur, etiamsi sit Communitas, Princeps, Magistratus &c. *cap. Statutum 9. de hæreticis in 6.*

52 Inquisitores procedunt contra Saracenos, vel alios, qui facti Christiani redeunt ad sectam; Gregor. XI. Const. 2. in-
53 cipient. *Admodum.* Item contra Saracenos, qui Christia-
54 nos ad sectam suam trahunt; Gregorius XI. *ibidem.* Item contra omnes maleficos, & sortilegos, qui malum aliquod
55 procurant; Innoc. VIII. Const. 1. incip. *Summis.* Item contra Astrologos judiciarios, & alios Magos, Sortilegos, Divinatores, & hujusmodi; Sixtus V. Const. 17. incip. *Coeli,*
56 *& Terræ Creator.* Inquisitores procedunt contra maleficos, & Sortilegos cum Diabolo pactum facientes, a Fideque apostatando alios lædentes; Gregorius XV. Const. 46. incipient.
57 *Omnipotentes.* Item procedunt contra Astrologos, qui de statu Reipublicæ Christianæ vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut ejus consanguineorum judicia facere, necnon contra eos, qui illos desuper consulere præsumpserint cum innovatione dictæ Constitutionis Sixti V. Urb. VIII.
58 Const. incip. *Inscrutabilis.* Item contra impedientes Neophytos, ne Fidem complectantur; Paul. III. Const. 32. in-
59 cip. *Cupientes* §. 8. Item contra hæreticos judicialiter confessos, & obstinatos, etiam illorum Diœcesanis irrequisitis;
60 Alexander IV. Const. 9. incip. *Ad capiendum.* Item contra hæreticos, eorumque fautores se negotio Inquisitionis opponentes; Innoc. IV. Const. 16. incip. *Quia.*

61 Inquisitores procedunt contra prædicantes doctrinam scandalosam, vel Fidei contrariam etiam Regulares; Paul. III.
62 Const. 30. incip. *In Apostolici.* Item contra omnes etiam Regulares audentes in publicis Concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; *Sac. Cong. Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis in Palatio Apostolico coram Paulo V. sub die 31. Augusti* 1617. Quod postea ad audentes asserere idem in sermonibus, & scriptis privatis extendit *Ead. Sacr. Congr. coram Gregorio XV. sub die 24. Maji* 1622.

63 Item contra eos, qui utuntur Litaniis novis non approbatis ab Ecclesia, vel Sacra Congregatione Rituum; Clem.
64 VIII. Const. 22. incip. *Sanctissimus.* Item contra non ordinatos ad Presbyteratum Missam celebrantes, vel Pœnitentiæ Sacramentum ministrantes; Gregor. XIII. Const. 21. incip. *Officii nostri*, Clemens VIII. Const. 81. incip. *Et si alias*, Ur-
65 banus VIII. Const. 79. incip. *Apostolatus.* Item contra Sacerdotes, qui mulieres pœnitentes in actu Confessionis ad actus inhonestos sollicitant; Pius IV. Const. 31. incip. *Cum sicut*; Gregor. XV. Const. 34. incip. *Universi*, hoc extendit ad Sacerdotes sollicitantes quascumque personas ad inhonesta sive inter se, sive cum aliis perpetranda quomodolibet
66 in actu Confessionis Sacramentalis, vel antea, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu Confessionis &c. Item contra Confessarios negligentes monere pœnitentes, ut denuncient sollicitantes, aut docentes eos non teneri; Gregor. XV. in d. Const. *Universi* §. 7.

67 Inquisitores procedunt contra testes falsum in causis Fidei deponentes, eosque Curiæ sæculari tradere possunt. Leo X.
68 Const. 29. incip. *Intelleximus.* Item procedunt contra Christianos ad Judæorum Ritus transeuntes, & Judæos conver-
69 sos ad illos redeuntes. Nicolaus IV. Const. 1. incip. *Turbato* Inquisitores libere procedere possunt contra Judæos, & alios infideles paganos in sequentibus casibus. I. Si negaverint, quæ circa Fidem communia sunt cum Christianis. II. Si Dæmones invocaverint, aut eis immolaverint. III. Si quem Christianum hæc docuerint, vel ad ea perduxerint. IV. Si hæreticas blasphemias dixerint. V. Si Christianos a Fide deviaverint. VI. Si Infideles ad Fidem Christi transire impediverint. VII. Si Hæreticos scienter receptaverint. VIII. Si libros Hæreticos, Thalmudicos, aut alios Judaicos quomodolibet damnatos tenuerint. IX. Si Hostiam salutarem, aut Crucem, & similia, vel Christianos deriserint. X. Si nutrices Christianas retinuerint, vel easdem illa die, qua Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, vel etiam diebus sequentibus, lac in latrinas effundere coegerint. Gregor. XIII. Const. 70. incip. *Antiqua Judæorum*; & concordat Const. 20. Clem. VIII. incip. *Cum Hebræorum malitia.* Item pro- 70
cedere possunt contra eos, qui dicunt Usuram non esse peccatum. *Clement. de Usuris cap. Unic. §. fane.*

Inquisitores, & Episcopi tenentur procedere in omnibus 71
causis contra Fidem, ac omittentes id facere, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; *Clement. de hæreticis cap. 1. §. Verum.* Tenentur procedere sine acceptione Per- 72
sonarum, *cap. Dialiter, de accusat.* Tenentur exigere jura- 73
mentum ab omnibus Officialibus sui Tribunalis de secreto, & fidelitate servandis; *Clement. de hæreticis cap. 1. §. Porro,* Innocent. IV. Constit. 10. incip. *Ad extirpandam.* Item tenen- 74
tur dare juramentum Secreti Advocato, & Procuratori reorum, & aliis quibuscumque manifestant dicta testium, & 75
delicta, ut possit in causa procedi; *cap. Statuta 20. de hæreticis in 6.* Tenentur prohibere, ne sæculares in causis Fidei se ingerant, & per Censuras deterrere; Leo X. Constitut. 43. incip. *Honestis.* Sixtus IV. Constitut. 19. incip. *Sacri,* 76
statuit, ut Inquisitores Ordinis Prædicatorum non procederent contra Fratres Ordinis Minorum, & e contra, sed modo non est in praxi. Idem *ibidem* statuit, ut Inquisitores Ordinis Minorum, & Prædicatorum a suis Generalibus possint corripi, processari, puniri, & privari, sed modo non est in praxi.

Inquisitores possunt absolvere judicialiter omnes Hæreti- 77
cos, qui pœnitentes hæresim abjurant, & ad Fidem revertuntur; Alexander IV. Constit. 18. incip. *Cupientes*; *cap. Ut Officium 11. de Hæreticis in 6.* Item possunt absolvere judi- 78
cialiter etiam alios fautores, receptatores, credentes, infamatos, seu suspectos de Hæresi, *ibidem*, & Urbanus IV. Constitut. 2. incip. *Licet.* Item possunt non publicare, nec 79
debent, nomina testium examinatorum in causa Hæresis; Urbanus IV. Constit. 2. incip. *Licet §. 9.* Pius IV. Constit. 26. incip. *Pastoralis.* Possunt tamen illa publicare viris illis, de quorum consilio sententia danda est, & hoc sub secreto, *ibi-* 80
dem; Inquisitores possunt committere citationes, & examinationes testium; Urbanus IV. Constitut. 2. incip. *Licet §. 10.* Item possunt procedere *appellatione remota*; Clemens VII. 81
Constitut. 22. incip. *Placuit.* Item in causis Fidei possunt delegare, & revocare delegationes; Clemens VII. in cit. Con- 82
stit. *Placuit.* Inquisitores possunt concedere licentias portandi arma tot ministris, quot per viam sibi sunt necessarii, dum procedere debent in causa aliqua; Joan. XXII. Constitut. 9. incip. *Exigit*, *Clement. de Hæreticis cap. Nolentes.* Sed caveant, ne abutantur hac facultate; *Clement. ibidem.* Possunt concedere Indulgentiam 40. dierum iis, qui suæ convoca- 83
tioni interfuerint pro exequendo Officio, seu suis concionibus pro Fide habitis interfuerint; Urbanus IV. Constit. 2. incip. *Licet §. 12.* Innoc. IV. Constit. 16. incip. *Quia;* Alexander IV. Constitut. 18. incip. *Cupientes* apud Card. Petram *t. 3. com. ad Constit. 16. Alexand. IV. num. 9.*

Inquisitores, & eorum Officiales non possunt conveniri, 84
excommunicari, suspendi &c. neque ab Ordinariis, neque a Legatis Papæ sine licentia Papæ; Urbanus IV. Constit. 4. incip. *Ne Inquisitionis*, *Extravagant. de Hæreticis cap. Cum Matthæus.* Inquisitores non possunt in causis sui Officii im- 85
pediri a Gubernatoribus, aut aliis quibuscumque sub pœnis Excommunicationis &c. Paulus III. Constit. 30. incip. *In Apostolici.* Ipso facto excommunicat Julius III. Constit. 11. incip. *Licet a Diversis.* Inquisitores non possunt sindicari ab 86
alio, quam a Papa, vel a Sacra Congregatione Romana de processu male facto, & aliis; Pius IV. Constitut. 48. incip. *Dudum.* Inquisitores Hispaniarum in S. Officio sine Papæ licentia nullam innovationem pati possunt; Sixtus V. Constit. 74. incip. *Immensa §. 1.*

Inquisitoris etiam majoris Officium non excutiat Episcopum 87
a residentia in propria Diœcesi; *Sacra Congreg. Concil.* teste Gonzalez, *ad Regul. 8. Cancellariæ gloss. 43. num. 164.* Barbosa *Summa Apostolicar. decision. verb. Inquisitores numer.* 10. Nec etiam excusat Parochum a residentia; *Eadem S. Congr.* 88
Concil. penes Nicol. Garziam, *de Benefic. part. 3. cap. 2. numer. 24.* & Barbosa *loc. cit. num. 10.* Si Officiales, & Fami- 89
liares Tribunalis S. Inquisitionis sint Canonici, & hujusmodi, non lucrantur distributiones in absentia ob tale Officium, nisi speciali Sedis Apostolicæ privilegio muniantur; *Sac. Congreg. Concil. in Toletana 4. Junii 1594. & in Mediolanensi 3. Febru-*

90 *arii 1635.* Imo sine speciali privilegio neque lucrantur distributiones Inquisitores ipsi, si sint Canonici, & absint propter S. Inquisitionis Officium; *Eadem Sac. Congreg. in citatis decretis.* & rursus *in Romana servitii Chori 23. Septem-*
91 *bris 1690.* Familiares Tribunalis S. Officii non satisfaciunt precepto annuæ Communionis per hoc, quod in Communione Generali fieri solita Feria quinta in Cœna Domini ab Inquisitoribus Eucharistiam sumpserint, sed illam sumere debent a proprio Parocho, ut resolvit *Sacr. Congreg. Concil. in Neapolitana 3. Julii 1665.* Nec iidem Inquisitores cognoscere possunt de adimplemento ejusdem præcepti a suis Familiaribus, ut suprema Inquisitio resolvit apud Cardin. Albit. *de Inconstant. in Fide cap. 29. num. 51.* Card. Petram *tom. 3. Comment. ad Constit. 20. Innoc. IV. num. 17.*

92 Vicarius S. Officii permittens Officialibus sæcularibus, ut propria auctoritate perquisitionem faciant, incurrit excommunicationem, & datur Archiepiscopo facultas delegandi quemcumque Confessarium approbatum pro ipsius absolutione; *Sacra Congr. Immun. 29. Julii 1673. lib. 1. decret. Alto-*
93 *vit. pag. 824.* Vicarius S. Officii ob extractionem factam a loco immuni in personam Sacerdotis ob prætensam celebrationem duarum Missarum, censetur incurrisse, & datur facultas ipsum absolvendi; *Sacra Congr. Immun. in Auximana 19. Novembris 1630. lib. 2. decret. Altoviti pagina 2088.*
94 Ministri Inquisitoris S. Officii, qui de ejus mandato in causa homicidii P. Vicarii Inquisitionis patrati a quodam Religioso fecerunt recognitionem Cadaveris in loco immuni, & deinde extraxerunt d. Homicidam a Conventu suæ Religionis, & ad carceres S. Officii adduxerunt, ex utroque capite Censuras contraxerunt; *Sacr. Congr. Immunit. in Crem. 1. Apr.* 1704. *lib. 3. decret. Valleman. pag. 569.*

Additio ex Auctore.

95 Sacræ Inquisitionis Officium procedere debet juxta suas facultates, & stilum contra Confessarios exquirentes a pœnitentibus complicum nomina, si suspecti sint de pravo dogmate; Benedictus XIV. tom. 2. Constitut. 8. incip. *Ubi primum.* Vide *tom. 2. in additione quoad verb. Complex*, ubi affertur dicta Pontificia dispositio.

96 Affertur Decretum Sanctæ Universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitatione Sacerdotum ad turpia sollicitantium, vel sacrificio Missæ abutentium ad sortilegia.

Feria V. Die 5. Augusti 1745.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto Divina Providentia Papa XIV., & Eminentiss., ac Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac salutaris Pœnitentiæ Sacramento, ad Animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares cujuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confessionis, sive illius occasione, aut prætextu ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a Jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad præfati Sacrificii celebrationem; Quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus, ac Præpositis ad hoc, ut de illo, sicuti & de præditis, aliisque Summorum Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali Decreto Supremæ Inquisitionis die 15. Decembr. 1633. semel saltem in Anno Feria sexta post Octavam Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in Capitulo, ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque Generali, vel Provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato Capitulari Congressu suos subditos, ac Religiosos commonendos esse, ejusdemque commonitionis coram Suprema Congregatione juratum Testimonium exhibeant.

Paulus Antonius Cappellonus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Die 21. Augusti 1745. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii Sancti Officii, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romolatium Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Quo ad extractionem Reorum ad Sacræ Inquisitionis Of- 97
ficium spectantium a locis immunibus ad quæ forte confugerint: Vide novissimam Constitutionem Bened. XIV. quam ad litteram attulimus supra verb. *Immunit., art. 2. num. 158.*

Hic lubet adjicere decreta duo S. Romanæ & Universalis 98
Inquisit. recens edita tenoris, ut sequitur.

Noi Fra Alessandro Pio Sauli da Forlì dell' Ordine de' Predicatori, Maestro di Sagra Teologia, Commissario Generale della S. Romana ed Universale Inquisizione.

AVendo Anna Apollonia Manfredi da Perizano Zitella di anni 30. con studiose invenzioni procurato di esser tenuta in concetto di Santa, con aver vantato visioni, apparizioni di Angeli, della Santissima Vergine, e di Gesù Cristo, Stimmate, ed altre cose credute prodigiose, e grazie particolari di Dio.

E costando dagli Atti fabbricati sopra le cose predette, e dalla di lei confessione giuridicamente fatta in questo Santo Officio dopo la di lei riduzione alle Carceri del medesimo, essere stati inganni, fattanze, falsità, e finzioni rispettivamente le asserite di lei Visioni, apparizioni di Angeli, della Santissima Vergine, e di Gesù Cristo, Stimmate, ed altre cose, come sopra credute prodigiose, e grazie particolari di Dio.

Per tanto in esecuzione del Decreto della Sacra Congregazione del Santo Officio, a fine che il Pubblico resti disingannato, e per togliere dalle menti di ogn' uno qualunque falsa credenza della Santità della medesima.

Notifichiamo, e dichiariamo, che la Santità della suddetta Anna Apollonia Manfredi è stata affettata, e finta, e le cose prederte sono state rispettivamente false, e supposte; e perciò la medesima è stata condannata dal Santo Officio alla Carcere.

Niuno pertanto ardisca in avvenire di asserire, o tenere la suddetta Anna Apollonia Manfredi come Santa per le cose suddette sotto pena ad arbitrio delli Eminentiss. e RR. Signori Cardinali Generali Inquisitori.

Dato dal Palazzo del medesimo S. Officio questo dì 21. Luglio 1746.

F. Alessandro Pio Sauli Commissario Generale del S. Officio.

Paolo Antonio Cappellone Notaro.

Die 23. Julii 1746. Supradicta Notificatio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum Palatii Sancti Officii, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romolatium Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

DE-

99 DECRETUM.

Feria V. Die XXIII. Novembris 1747.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Benedicto Divina Providentia PP. XIV. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis,

Proposita Causa contra Sororem Angelam Franciscam Zappata Monialem professam Monasterii S. Claræ Cherii, & ad præsens degentem in Monasterio S. Agnetis Civit. Aitæ Pompejæ inquisitam ob affectatam Sanctitatem, SS.D. Noster auditis Votis supradictorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decrevit, quod dicta Soror Angela Francisca detineatur in eodem Monasterio S. Agnetis, in quo nunc degit, ipsique fiat præceptum de non accedendo ad Crates, Januas, & Locutoria Monasterii, & de non scribendo Epistolas absque Superiorissæ licentia sub pœna, in casu contraventionis in unoquoque ex dictis capitibus, Carceris formalis in eodem Monasterio ad annum pro qualibet vice. Quod diebus Veneris jejunet in pane, & aqua per quinquennium, & in Sabbatis recitet Rosarium integrum Beatæ Virginis usquequo vixerit: insuper quod deputetur ei doctus, & prudens Confessarius, qui eam instruat, & dirigat, nec sine ejus licentia accedat ad Sacram Synaxim,

Quod Præpositus denique Podaverini Carolus Canonica, Canonicus Franciscus Caggia, & Sacerdos Gaspar Antonius Bosco Directores olim præfatæ Monialis acriter moneantur, Tandem, quod hujusmodi Decretum publicetur.

Supradictum Pontificium Decretum a Suprema, ac Sacra Congregatione Eminentissimorum, & Reverendissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium Inquisitorum Generalium sub die 2. currentis mensis Decembr. nobis transmissum ut juxta mentem Sanctissimi Dom. Nostri Divina providentia PP. Bened. XIV. publicaretur; ordinamus ipsum typis mandari, & sic impressum publice exhiberi,

In quorum &c.

Fr. Jo. Dominicus Allonus Ordinis Prædicatorum Magister, & Vicarius Generalis S. Officii Taurini.

Loco ✠ Sigilli.

F. Jo: Thomas Villata Ordinis Prædicatorum S. Officii Taurini Secret.

Novæ additiones ex aliena manu.

4 DE Origine & progressu Inquisitorum vide, si lubet, *Van-Espen part. 1. Jur. Eccles. Univers. tit. 2. cap. 3. & rursus part. 3. tit. 4. cap. 2. & Limborch. in Historia Inquisitionis lib. 1. per tot.*

2 Jurisdictionem Inquisitorum a principio fuisse delegatam, & deinde ad ordinariam accessisse tradit *Petr. in Comment. ad Const. Apost. Const. 16. Innoc. IV. n. 26.*

3 Eam non privativam, sed cumulativam esse, concors est

4 omnium sententia, nam possunt & hodie Episcopi procedere in causis Fidei. In Hispania vero habere Inquisitores privativam jurisdictionem tenent *Sanctarell. de Hæres. c. 40. dub. 2. num. 15. Caren. de Offic. Sacræ Inquisitionis par. 1. tit. 4.*

5 *§. 3. num. 2.*

Non aliter tamen Episcopus de jure procedere valet in

6 causis Fidei, quam cum sui Capituli consilio *Cap. ad Abolenda de Hæreticis.* Ceterum consuetudine obtinuit, ut procedat inconsulto Capitulo; *Passerin. in cap. Per hoc n. 10. de Hæretic. in 6. Farinac. de Hæres. qu. 186. n. 14.*

7 An & Prælati pollentes quasi episcopali jurisdictione procedere valeant in causis Fidei? quæstionis est. Affirmant autem *Passerin. in cit. cap. Per hoc num. 5. de Hæretic. in 6. & Carena de Offic. S. Inquisitionis part. 1. titul. 6. §. 4. numero 14.*

8 Nota vero, quod Prælati Regulares tametsi habeant eamdem quasi episcopalem jurisdictionem procedere haud possunt in causis Fidei contra subditos Regulares ex prohibitione Constitutionis Pauli V. quæ *incipit Romanus Pontifex*, ut monent *Bordon. in Tribunal. cap. 27. num. 1. Salell. lib. 1. cap. 5. Regul. 24. num. 42.* Fallitur vero hic Auctor, dum

9 ait, quod Prælati Regulares habentes quasi episcopalem jurisdictionem procedere nec possint in causis Fidei contra subditos sæculares, ut observat *Cardinal. Petra in comment. ad Constitut. Apostolic. Constit. 16. Innocentii IV. n. 20.*

INSANA, FABULOSA, ET MENDOSA PROPOSITIO.

Vid. verb. *Propositiones damnatæ num. 42.*

INSIGNIS, INSIGNITAS.

ECclesia Collegiata potest esse Insignis dupliciter, scilicet, 1
vel de jure, vel ex Privilegio; *Communis*. Collegiata
Insignis de jure dicitur illa, quæ habet requisita descripta, 2
& enumerata communiter a Doctoribus, nempe si sit Matrix in loco, præcedatque aliis in publicis functionibus, sit antiqua, & conspicua quoad structuram materialem, & numerositatem Dignitatum, & Canonicorum, aliorumve Ministrorum deservientium, sitque in loco, seu Oppido nobili, & numeroso, & peritorum copioso: Cardin. de Luca *de præmin. disc. 8. num. 14.* Card. Petra *tom. 3. Comment. in Constit. 7. Innocent. IV. num. 36.* Barbosa *in cap. Transmissæ 33. de verbor. signific. & lib. 2. cap. 6. num. 15. jur. Eccles. univers. num. 15. & de Canonicis cap. 2. num. 18. & in Trident. sess. 24. de reform. cap. 12. num. 52.* Ma. Tobrius *in tract. de Synod. cap. 4. d. ib. 14. num. 9.* Lotter. *de re benefic. lib. 1. qu. 14. num. 8.* Conrad. *in prax. benefic. lib. 2. cap. 1. num. 18.* Cecoper. *lucubrat. Canonic. lib. 1. num. 75.* Alovsius Riccius *in Collect. decis. part. 6. Collect. 2350. vers. Insignis*, Mantica *decis. 175. num. 2.* Panimol. *decis. 98. adnotat. 1. num. 24.* Urtaya *tom. 1. part. 1. discept. 6. num. 39. & 175.* Pitonius *discept. 116. num. 35.* & omnes aliis scribentes *in cap. Statutum 11. de Rescriptis in 6.* & sic tenuit Rota *decis. 29. num. 4. & 5. part. 2. diversar. & part. 7. recentior. decis. 288. num. 8. & Sacra Congr. Rit. in Firmana 24. Martii 1622.* apud Barbosam *de Canonicis loc. cit.* & Pitonium *loc. cit.* Collegiata Insignis ex Privilegio dicitur illa, cui a Summo Pontifice tale Privilegium conceditur, ut ita vocetur; Peregrin. *in Praxi Vicar. part. 1. sect. 5. numer. 13.* Urtaya *loc. citat. numer.* 175.

Non omnis autem Collegiata est Insignis: Alia enim est 4
Insignis, & alia non Insignis; Card. Mantica *decis. 175. n. 2.* Conrad. *loc. cit. a nu. 20. ad 22.* Panimol. *loc. cit. num. 24. & 25.* Pellegrin. *loc. cit. nu. 13.* & alii passim scribentes *in cit. cap. Statutum 11. de Rescriptis in 6.* Insignis dicitur illa, 5
quæ habet supradictas qualitates enumeratas *sub num. 2.* quas Corradus *loc. cit. nu. 19.* ex Rota *in Mediolanen. Præposituræ decis. 29. n. 8. part. 2. diversf.* reducit ad septem. Prima nempe qualitas Collegiatæ Insignis est ejus Matricitas. Secunda Nobilitas & celebritas Loci. Tertia Antiquitas ipsius. Quarta Præcedentia ipsius super alias. Quinta Structura sui ædificii, tam intus, quam extra. Sexta Numerositas Ministrorum in ea inservientium. Septima Multitudo, & fre- 6
quentia Christifidelium ad eam pro Divinis Officiis confluentium. Non Insignis dicitur illa, quæ habet exiguum numerum Canonicorum, modicos redditus, & inferiorem qualitatem servitii, loci, & personarum; Mantica *cit. decis. 175. n. 2.* Corrad. *loc. cit. n. 22.* Pellegrin. *loc. cit. n. 13.* Pignatell. *loc. cit. n. 25.* & alii passim scribentes *in cit. cap. Statutum 11. de Rescriptis in 6.*

Insignitas Collegiatæ resultat etiam ex provisionibus Apo- 7
stolicis de prima Dignitate cum onere assumendi gradum Magisterii, vel Doctoratus in jure Canonico intra annum. Hoc enim est signum certum, & univocum Collegiatæ Insignis, cum iste gradus non requiratur, nisi in prima Dignitate Cathedralis, vel Collegiatæ Insignis juxta dispositionem Concilii Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* & punctualissime quod hoc demonstret Insignitatem Collegiatæ firmarunt Lotter. *de re Benefic. lib. 1. qu. 15. n. 9.* Piton. *loc. cit. num. 40.* Rota *dec. 29. num. 9. part. 2. diversar.*

8 Item Insignitas Collegiatæ probatur ex relationibus Episcoporum; Rota coram Gregorio *dec. 482. num. 3.* & *coram Merlin. dec. 87. l. 2. num. 13. & in recent. decis. 469. num. 18. part. 19. & in Comen. Canonicatus 6. Februarii 1704. §. Visa fuit coram Emin. Scoto, & in Matheranen. Archipresbyteratus 27. Junii 1707. §. Collegialitas coram bon. mem. Kaini.* Card. de Luca *de præeminent. disc. 52. num. 6.* Fagnan. *in cap. Postulasti n. 14. de jurepatron.* Piton. *l. c. num. 37.*

9 Collegiata non Insignis a sua fundatione, seu a tempore suæ erectionis potest progressu temporis declarari Insignis, maxime si augeatur numerus Dignitatum, Canonicorum, ac reddituum, & locus, in quo fundata est, evadat insignis; Colligitur ex declaratione *Sacræ Congreg. Rit. in Firmana 24. Martii 1622.* ubi Collegiata Ecclesia S. Pauli Oppidi Civitatis novæ dictæ Firmanæ Diœcesis ad instantiam Ludovici Centofloreni fuit declarata Insignis, eo quod Oppidum, in quo reperitur, est insigne, & reddit numerum quatuor mille Habitatorum, hoc est focularium 820. quatuor Regularium Conventus, & unum Sanctimonialium Monasterium cum magna copia peritorum, & Nobilium ibi existentium; Corrad. *loc. cit. num. 23.* cum Mantica, & Barbosa ibi citatis, 10
& alii. Unde patet quis locus sit, & debeat reputari Insignis, ille nempe, qui ultra conspicua, & magnifica ædificia copiosam continet Nobilium, & illustrium personarum, ac utriusque juris Doctorum, aliorumque incolarum multitudinem, ficque pro tali communiter habetur, ac reputatur; Bald. *in l. g. Providendo num. 1. Cod. de Postul.* Archidiacon. *in cap. Statutum 11. col. 6. circa med. verb. Locis Insignibus, de Rescriptis in 6.* Card. *in Clementin. 1. num. 28. de foro competent.* Lupus *alleg. 122. num. 2. in fin.* Innocent. *in cap. Præsenti num. 3. de Rescriptis in 6.* Corrad. *loc. cit. num. 8. & 10.* Tiraquel. *de Nobilitate cap. 10. num. 8.* cum Felino, Alexandro, Decio, & aliis ibi citatis.

Canonici Collegiatæ Insignis tenentur ad diuturnam Offi- 11
ciaturam in Choro, quacunque consuetudine non obstante; Concil. Trident. *sess. 24. de reform. cap. 11.* & ex pluribus docet Fagnan. *in cap. Cum omnes num. 31. cum seq. de Constit.* Card. Petra *loc. cit. num. 27.* & alii communiter cum universali praxi.

Canonici autem Collegiatæ non Insignis quamvis regulari- 12
ter teneantur ad assiduum Chori servitium, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, scilicet aut si Ecclesiæ sint rurales, aut si adsit contraria immemorabilis consuetudo, aut demum sint adeo tenues redditus, ut ipsi Canonici ali non valeant, ut in fortioribus terminis obligationis residentiæ resolvit *Sacra Congregat. Concil. in Firmana 15. Octobris 1618.* & fuse Fagnan. *in cit. cap. Cum omnes num. 31. §. Sed postea*, Garcias *de Benefic. part. 3. cap. 2. num. 197.* Pignatell. *tom. 9. consult. 114. num. 10. & consult. 134. num. 14. & tom. 10. consult. 150. n. 84.* Crispin. *part. 2. Visitat. Pastoral. §. 19. num. 13.*

13 Quæ limitationes sufficiunt, si concurrant alternative, tum ex dictione *Aut* per Sacram Congregationem adhibita, quæ efficit, ut unica tantum pars verificari sufficiat; Altograd. *consil. 70. num. 63.* Rota *decis. 1342. nu. 3. coram Emerix junior.* tum ex speciali declaratione ejusdem Sacræ Congregationis apud Fagnan. *in cit. cap. Cum omnes num. 31. vers. Expresse*, & Pignatell. *tom. 9. cit. consult. 134. nu. 14.* ubi declaratum fuit sufficere solam immemorabilem. Et in terminis Collegiatæ non Insignis Sacra Congreg. Visitationis Apostolicæ in quadam Collegiata Civitatis Lavinia 28. Aug. 1704. declaravit non sustineri decretum Visitatoris Apostolici cogens Canonicos ad diuturnam Officiaturam, sed quod servaretur solitum, quod erat de inserviendo tantum diebus Festivis, licet alioquin Canonici haberent pingues redditus. Et pariter *cad. Sacr. Congregat. Concil. in Naraien. servitii 26. April. 1658. lib. 21. decret. pag. 612.* declaravit non sustineri decretum Episcopi demandantis diurnum servitium in Collegiata Otricoli, cum obstaret consuetudo.

14 Ceterum quotiescumque exemptio a quotidiana Officiatura prætendatur per Canonicos Collegiatæ non insignis ob tenuitatem redituum, eadem exemptio durabit, durante redituum tenuitate, nam si isti augeantur, par est, ut in Officiaturæ onus reincidant. Hinc cum Canonici Collegiatæ non Insignis Oppidi Vallatæ Aliphanæ Diœcesis prætenderent nullum esse decretum Episcopi ipsos cogens ad quotidianam

Officiaturam, prætensionemque fundarent in consuetudine Officiandi tantum diebus Festis, & in tenuitate redituum, *Sacr. Congregat. Concil. die 12. Februarii 1707.* ad dubium: *An Canonici SS. Annunciatæ Vallatæ teneantur ad quotidianam Officiaturam in Choro?* Respondit *Pro nunc, Negative.* Quæ resolutio non fundatur in prætensa consuetudine, quia ejus probatio non fuit juridice facta: sed solummodo in tenuitate redituum, qui cum augeri possint, ideo fuit dictum: *Pro nunc*, & ex superius adductis rationibus in altera *Aliphanæ Collegiatæ* dubio proposito: *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Crucis quotidie officiare teneantur? die 17. Decembr. 1717.* rescripsit: *Negative, & servetur reductio facta ab Episcopo anno 1671. auctoritate Sacr. Congregat.* Hactenus Emin. Petra *tom. 3. Comment. in Constit. 7. Innocen. IV. sect. 2. a num. 28. ad 31.*

Collegiata Insignis præcedit aliis non Insignibus, etiamsi 15
fuerint prius erectæ; *Sacr. Rit. Congregat. in Firmana 24. Maji* 16
1612. & in Nolana 24. Junii 1699. Etiamsi erectio Collegiatæ Insignis facta fuerit cum clausula *sine alic jus præjudicio*; *Ead. Sacr. Congregat. Rit. in dict. Firmana, & jam prius in Nolana 21. Aprilis 1602.* apud Barbos. *Collect. Apostol. decis. verb. Collegiata num. 5. & cap. Transmissæ 33. de verbor. signific. num. 3.*

Inter Collegiatas Insignes Collegiata antiquior, quæ habet 17
Insignitatem a jure, præfertur habenti Insignitatem ex Privilegio posteriorem; *Sacra Congregat. Rit. in Castellana Præcedentiæ 13. Februarii 1700. & in Novarien. 8. Maji ejusdem anni ad dub. 11.* apud Monacell. *tom. 1. tit. 1. formul. 4. n. 22.* & Urtayam *t. 1. p. 1. discept. 6. n. 571.*

Et sic inter duas Collegiatas Insignes a jure semper præce- 18
dere debet antiquior, ut ex Decreto Sacræ Congregat. resolvit Urtaya *loc. cit. n. 177.* citans Nicolium, Pellegrin. Tondut. & Card. de Luca in Miscellan. Eccles. *disc. 45. n. 6.*

Et hoc procedit, etiamsi Collegiata Insignis posterior ha- 19
beat Insignia honorificentiora, ut declaravit *Sacr. Congregat. Rit. in Novarien. 8. Maji 1700.* decernens præcedentiam deberi Collegiatis SS. Gervasii, & Protasii Domus Ossulæ & S. Victorii Intri, quæ minus honorifica Insignia habent in concursu Collegiatæ S. Bartholomæi Burgi Mainerii habentis insigna honorificentiora. Et *in Civitatis Castellanæ 13. Februarii 1700.* respectu Insignis Collegiatæ Terræ Gallesii, cui fuit adjudicata præcedentia in concursu Insignis Collegiatæ SS. Vincentii, & Anastasii Terræ Arignani habentis usum Almutiarum, quem *non* habebat d. Collegiata Gallesii. Et hoc patet in Urbe exemplo Collegiatæ S. Mariæ ad Martyres, seu Rotundæ, quæ, quamvis non habeat usum neque Rocheti, neque Cappæ Magnæ, neque Almutiarum, nihilominus in Processionibus, & aliis publicis functionibus ratione suæ antiquitatis præcedit omnes alias octo Collegiatas ejusdem Urbis, quarum major pars habet Insignia honorifica, & ornamenta nobilia, ut refert, & observat Urtaya *loc. cit. n. 164. 165. 181. 182. & 183.*

Imo Collegiata Insignis antiquior præcedit Insignem poste- 20
riorem, quamvis Insignis posterior, seu modernior habeat usum Pontificalium respectu sui Abbatis, & facultatem gestandi Rochetum, & Cappam Magnam respectu suorum Canonicorum, ut in Januensi Præcedentiarum pro Insigni Collegiata S. Mariæ Vinearum cum Insigni Collegiata SS. Fabiani, & Sebastiani habente usum Pontificalium respectu sui Abbatis, & Cappam Magnam respectu suorum Canonicorum, utraque parte ad longum informante, resolvit *S. R. C. 19. Julii 1710.* ad relationem Emin. Barberini, quæ circa infra scripta dub.

I. *An constet de Collegialitate cum qualitate Insignitatis S. Mariæ Vinearum Genuæ?*

II. *An liceat Canonicis ejusdem Ecclesiæ capitulariter cum eorum Præposito incedere in Processionibus, & aliis functionibus Ecclesiasticis? & quatenus affirmative;*

III. *An eis debeatur præcedentia adversus Parochos Urbanos, & Canonicos Ecclesiæ S. Mariæ, & SS. Fabiani, & Sebastiani de Carignano ejusdem Civitatis?* Respondit *Affirmative in omnibus.*

Sic refert Urtaya *tom. 1. part. 1. discept. 6. per tot.* Vide *ibi* ipsum, ubi multa ad rem.

Collegiatæ Insignes fere Cathedralibus æquiparantur; *cap.* 21
Quia sæpe contingit 11. de elect. in 6. Glossa *in cap. Statutum 11. verb. Cathedralium, de Rescriptis in 6.* Concil. Trid. *sess. 24. cap. de reform.* Card. Petra *t. 3. Comment. in Constitut. 7. Innocentii IV. sect. 2. n. 9.* Conrad. *in prax. Benefic. lib. 2.*

lib. 2. cap. 10. n. 73. cap. 13. n. 72. & cap. 15. n. 4.

22 Et quandoque præsertim in limine erectionis conceduntur Collegiatæ Insigni nobiliora Insignia, quam Cathedrali. Vide verb. *Insignia n. 10.*

Novæ additiones ex aliena manu.

1 OPinio *Auctoris num. 13.* quod Canonici Ecclesiæ collegiatæ non insignis haud teneantur ad residentiam, vel si Collegiata illa Ecclesia sit ruralis, vel si adsit immemorabilis consuetudo non residendi, vel si redditus habeat adeo tenues, ut minime sufficiant sustentationi Canonicorum, haud potest recipi.

Spectato enim Pontificio decreto relato a *S. M. Benedicto*
2 *XIV. Institut. Eccles. 107. nu. 2.* tum a nobis *in Addit. ad verb. Canonicus articul. 5.* a residentia nec excusat nuda qualitas Ec-
3 clesiæ ruralis, nec sola consuetudo immemorabilis non resi-
4 dendi, sed utrumque concurrat oportet; idque quia Pontifi-
5 cium illud decretum non *disjunctive* sed *conjunctive* loquitur.
„ In collegiatis autem non insignibus (*sunt verba decreti*)
„ posse excusare, dum tamen sint rurales prorsus destitutæ,
„ & in quibus nunquam antea supra hominum memoriam
„ solitum esset residere „.

6 Neque tenuitas reddituum excusat a residentia in quacum-
que Ecclesia Collegiata non insigni, sed tantummodo in ru-
7 rali; propterea quod de ruralibus loquebatur mox dictum
Pontificium decretum, dum inquit, *aut quæ adeo tenues red-*
ditus essent, ut Canonicos, aliunde non habentes unde vivere,
8 *alere non possent.* Consuetudo vero immemorabilis non resi-
dendi nequaquam requiritur in Collegiata non insigni rurali, quæ tenues hoscе habeat redditus, nam disjunctive loquitur præfatum decretum, ut patet ex verbis mox relatis.

INSIGNIA.

1 INsignia concedere Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ, vel concessa mutare non potest Episcopus in-
consulta Sede Apostolica. *Sacra Congregat. Rit. in Hydrun-*
2 *tina 1. Septembr.* 1612. Nec etiam de novo concedere Almu-
tiam. *Ead. Sacr. Rit. Congregat. in Camerinen. 25. Januarii* 1602. *& in Placentina 16. Januarii* 1620. Nec Cappam sine
3 privilegio, & expressa licentia Sedis Apostolicæ. *Eadem*
Sacr. Congregat. Rit. in Elven. 10. Januarii 1604. apud Barbo-
4 sam *de Canonicis cap. 2. numer. 27.* Non enim licet novum Habitum, sive signum a Canonicis Cathedralis, seu Collegiatæ Ecclesiæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate assumi, *Sacr. Congregat. Concilii in Taurinensi 21. Junii* 1641. *& in Tarvisina 8. Februarii* 1659. apud Piton. *Constitution. & decis. ad Canonicos numer. 694.* & patet in omnibus concessionibus factis a Sede Apostolica diversis Cathedralibus, & Collegiatis.

5 Insignia deferendi facultas quomodo sit petenda a Papa, tra-
6 dit Corrad. *in praxi benefic. lib. 2. cap. 14. a num. 7.* Vide ipsum. Talis facultas deferendi Insignia regulariter non conceditur nisi ex voto Sacræ Congregat. Rit. ut observat Cor-
7 rad. *loc. cit. num. 24.* Insignium concessio extra casum novæ erectionis Ecclesiæ rationabilem causam requirit, Corrad. *loc. cit. num. 29.* id colligens ex formulis traditis pro petendis a
8 Sede Apostolica ipsis Insignibus. Et inter alias causas Insignia concedendi est Divini cultus augmentum, quod est maxime attendendum, ut dicitur in una Civitaten. Constructionis Capellæ penes Seraphin. *decis. 586. nu. 3.* ex Butrio *in cap. Cum olim nu. 15. de consuetudine, & in cap. Ad audientiam 2. de Eccles. ædificand.* & notat Corrad. *loc. cit. num. 19.*

9 Quamvis incongruum sit, quod nobiliora Insignia concedantur Collegiatæ, quam Cathedrali, ut resolvit *Sacr. Rit. Congr. in Trojana Indulti Cappæ Canonicalis 10. Septem.* 1705. *ad relationem Emin. Card. Colloredi* apud Piton. *discept. Eccles. discept. 49. nu. 3.* & advertit Corrad. *loc. cit. sub n. 15. vers. Sane*, cum incongruum sit, quod Collegiata nobiliori Habitu suam Cathedralem antecellat, ex quo majoritas Habitus majoritatem Personæ designet, juxta Text. *in cap. Ut Apostolicæ de privileg. in 6.*

10 Tamen quandoque Insignia nobiliora Collegiatæ, quam Cathedrali conceduntur, & præsertim si in limine erectionis Collegiatæ aliquis Laicus suis bonis eam dotando exposcat hæc Insignia nobiliora: nam tunc Summus Pontifex deferre
voluit Ecclesiam dotare, eamque erigi facere in Collegiatam, ut fuit dictum *in una Melevitana Erectionis Collegiatæ* penes Rub. *decis. 258. tom. 2.* in qua præsertim *nu. 23.* subditur, quod etiamsi Papa sciviset Canonicos Cathedralis Cappis non decorari, nihilominus *illas* concessisset Collegiatæ, ne dotans retraheretur ab erectione, cum magis præponderet ratio augmenti cultus Divini, quod sequitur per erectionem, quam ratio præjudicii, quod inferri potest Canonicis Cathedralis circa diminutionem honoris, seu decoris, ut per Seraphin. *decis. 847. nu. 3.* Carill. *decis. 76. nu. 12. & seq.* Corrad. *loc. cit. nu. 16.* Piton. *loc. cit. nu. 4.* Et patet exemplo Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Summæ Diœcesis Nolanæ, cujus Canonicis fuit concessus usus Cappæ Magnæ, non obstante quod Canonici Cathedralis Nolanæ eum non haberent, apud Pignatell. *tom. 6. consult. 59. n. 8. vers. Quod prædictæ*, & Piton. *l. cit. nu. 6.*

Per concessionem Cappæ intelligitur concessus etiam usus 11
Rocheti; Ceccoper. *Lucubrat. Canonic. lib. 1. num. 91.* Carol. Dufresne *in verb. Cappa vers. Cappæ Chorales*, *Maur. in suo Hierolexico eod. verb. Cappa*; Piton. *loc. cit. num. 1.* & alii. 12
Cappa est antiquior Habitus Choralis, ac proprius Canonicorum; Ughell. in Italia Sacra *tom. 3. pag. 634.* Ceccoper. *loc. cit. nu. 91.* & alii.

Pro expensis faciendis, aut factis a Canonicis pro obtinen- 13
do Indulto deferendi Cappam, & Rochetum non possunt alienari bona Capituli, seu Ecclesiæ; *Sacra Congregat. Concil. in Praten. Beneplaciti 7. Julii 1596.* apud Card. Petram *tom. 1. Comment. in Constitut. 1. Divi Leonis Magni sect. 4. num. 148. & in una Montis Regalis in causa Insignis Collegiatæ Civitatis Cunei sub die 19. Maji* 1708. apud eumdem Card. Petr. *tom. 3. Comment. in Constitut. 7. Innocentii IV. sect. 2. n. 55.*

Capitulum tenetur exhibere Cappas Canonicis stante con- 14
suetudine etiam absque solutione; Rota *in Gerunden. Cappa-rum coram Pio 17. Januarii* 1698. apud Antonell. *tract. de jus-ribus, & oneribus Clericor. lib. 2. decis. 41. nu. 20.* Card. de Luca *de Canonicis, & Dignitatib. disc. 3. num. 3. & seq.* Rota *decis. 542. num. 4. & seq. decis. 534. nu. 1. & seq. coram Rich. & in recent. part. 11. decis. 380. per tot.*

Insignia Canonicorum Cathedralis, & Canonicorum Col- 15
legiatarum non conceduntur uniformia, sed diversa; *Sacra Congregat. Rit. in Lauden. 19. Maji* 1602. *& in Mediolanen. 23. Junii* 1607. Piton. *loc. cit. num. 5.* ubi ex aliis dicit sufficere diversitatem in colore, & in circumstantiis.

Cappæ, & Rocheti usus adinttar Beneficiatorum S. Petri 16
de Urbe conceditur Beneficiatis de massa Ecclesiæ Cathedralis Urbe vetanæ; *Sacr. Congr. Rit. in Urbevetana 15. Januar.* 1511.

Cappas deferendi privilegium concessum Canonicis, & 17
Capitulo Ferrariensi non comprehendit Capellanos Ferrarienses; *Sacra Rit. Congr. 12. Novembr.* 1605. Sed postea *sub die 28. Januar.* 1606. fuit dictum illis esse concedendum usum Capparum juxta formam Litterarum Apostolicarum, non obstante supradicto Decreto a Canonicis contra ipsos Capellanos obtento; Sic refert Barbosa *in summa Apostolicar. decis. verb. Cappa num. 10.* ex Aldano *in Compend. Canonic. resolut. lib. 3. tit. 19. n. 551.*

Insignia Archipresbyteri non debent apponi in Valvis Ec- 18
clesiæ, cum in Festivitatibus ornantur, nisi sit consuetudo immemorialis; *Sacra Rit. Congregat. in Perusina 23. Martii* 1602. apud Barbosam *loc. cit. verb. Insignia n. 2.*

Insignia nova præter solitum in Processionibus deferre non 19
licet; *Sacra Rit. Congr. in Andrien. 21. Augusti* 1604.

Capitulum non potest de novo addere suis Insigniis, sive 20
armis Mitram, & Baculum, seu Pastorale; *Sacra Congreg. Episcopor. & Regular. in Firmana 20. Novembr.* 1611. apud Piton. *Constit. & decis. pro Canonic's n. 254.*

Cappa, seu Insigniis propriis debent uti Canonici in Di- 21
vinis Officiis, alias punctari debent, & distributiones amittunt; *Sacra Rit. Congreg. in Lunen. Savanen. 3. Martii* 1633. *Acta Eccles. Mediolanens. part. 1. Concil. Provincial. 4. tit. Quæ pertinent ad SS. Missæ Sacrificium & Divina Officia.*

Cappa est deferenda in Processionibus; *Act. Eccles. Me-* 22
diolanens. part. 4. Instructiones viariæ tit. Avvertenze per le Processioni Generali. Item deferenda est in Synodo Diœce- 23
sana; Act. *Eccles. Mediolanens. part. 1. Concil. Provinc. 5. titul. Quæ ad Synodum attinent.* Item adhibenda est in con- 24
ventibus Dioecesanis, sicuti, & Insignia alia, quibus quis in Ecclesia sua uti potest; Acta *Eccles. Mediolanens. 4. instruct. Congregat. Dioeces. tit. de vestitu ad conventum defe-*
rendo.

25 *rendo.* Item deferenda est a Parochis Urbanis, non in alie-
nis Ecclesiis, sed in suis solum, ac præterea foris, cum aliquod Ecclesiasticæ functionis munus collegiatim cum suo Clero obeunt. A Dioecesanis item in suis, non in alienis Plebibus: Acta *Eccles. Mediolanens. part. 2. Synod. Dioecesan. 4. decret. 19.*, *& part. 2. Synod. Dioecesan. 11. tit. Monita Executionis Decretorum, quæ ad Parochos pertinent.*

26 Canonici, & Præbendati non possunt deferre Cappam, seu Almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed deferre tantum possunt in casibus, quando incedunt collegialiter una cum Capitulo; *Sacra Congregatio. Episcopor., & Regular. in Placentina Funerum 2. Maji* 1659. apud Piton. *Constitut. & decis. pro Canonicis n. 695.*

27 Præbendati possunt solum deferre Almutias in iis casibus, quando incedunt collegialiter cum Capitulo; *Sacra Congreg. Episcopor., & Regular. 10. Novemb.* 1662. apud Pignatell. *tom. 3. consult. 51. n. 4.*

28 Canonici Cathedralis, & Collegiatæ nequeunt uti Cappa, & Rocheto in alienis Ecclesiis; Sic expresse *Sacra Rit. Congregat. in Capuana 20. Maji* 1651. apud Pignatell. *tom. 4. consult. 185. num. 15.*, ibi: *Capitulum, & Canonici Cathedralis habentes usum Cappæ & Rocheti tam in suis, quam in aliis quibuslibet Ecclesiis in functionibus, & Divinis Officiis supplicaverunt Congregationi Sacrorum Rituum declarari, se illis uti posse in aliis Ecclesiis, dum Conciones habent; vel ab eis Pœnitentiæ, vel Baptismi Sacramentum administratur, & in aliis similibus functionibus. Eminentissimi vero Patres responderunt in eis non licere, nisi in propria Ecclesia.* Vide Pignatell. *loc. cit. num. 15., & tom. 2. consultat. 33. per tot.* ubi idem resolvit de casu Mitræ

29 Canonici Pluviali, Planeta, Dalmatica, vel Tunicella induti non possunt deferre Almutias: Canonico vero defuncto etiam Sacris Vestibus induto imponi potest Almutia super brachium; *Sacra Rituum Congregatio 4. Augusti* 1663. apud Pitonum *Constitut., & decision. pro Canonicis n. 721.*

30 Cappa, & Rochetum, aliaque Insignia Canonicalia non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem, gravitatem, & ornamentum Personarum: Ceccoper. *Lucubrat. Canonic. lib. 1. num. 93.* Francisc. Maria Pittonius Advocatus Romanus, deinde Episcopus Imeriæ, & Auditor Benedicti XIII. *cit. discept. 49. num. 9.* ubi sic expresse subdit: Et ideo Habitus potest deferri nedum in Ecclesia, sed etiam extra in processionibus, aliisque functionibus Ecclesiasticis, cum sit privilegium personale, quod non circumscribitur loco, ut resolvit *Sac. Rit. Congregatio 19. Augusti* 1634. & testatur Ceccoper. *ubi proxime num. 92.*, *& 93.*, ibi: *Anzedicta Insignia Canonicis impertita possunt ab eisdem deferri in functionibus Ecclesiasticis etiam extra Dioecesim &c. ut deducitur ex Decreto Sacr. Rit. Congregationis die 19. Augusti* 1634. *Ratio est, quia privilegium est personale, quod persona secum ubicumque defert, nec restringitur in loco.*

31 Prælati Episcopis inferiores nequeunt uti suis Insigniis extra Ecclesias sibi subjectas; *Sacra Congregatio Rituum coram Alexandro VII. 27. Septembris 1656. in Decreto Generali §. 8.* Vide verb. *Abbas in fine.*

Additio ex Supplemento Auctoris ad verb. Abbreviatores.

32 Abbreviatoribus de Parco majori conceditur usus Redimiculi galeri, vulgo *Cordone*, coloris violacei, etiam dimisso Officio; Benedictus XIV. tom. 1. constitut. 3. incip. *Maximo.*

Novæ additiones ex aliena manu.

1 EPiscopum nec majora, nec minora insignia concedere posse Canonicis præter allegatos ab Auctore respondit Rota *in Thelesina delationis Insignium 4. Junii 1736. coram Eminentiss. Crescentio.*

2 Dubitatum vero fuit an Episcopus accedente consensu Capituli Ecclesiæ Cathedralis insignia concedere queat Ca-
3 nonicis Ecclesiæ Collegiatæ. Ratio dubitandi inde oriebatur, quod prohibitio fundata videbatur in præjudicio Capituli Ecclesiæ Cathedralis, adeoque consentiente Capitulo Ecclesiæ Cathedralis cessabat prohibitio.

4 At contrarium fuit decisum a *Rota in d. Thelesina delatio-*
Ferrar. Biblioth. Tom. IV.

nis insignium 4. Junii 1736. coram Eminentissimo Crescentio, ex ratione illa quod nequit Episcopus concedere insignia, 5
non ex præjudicio Capituli Ecclesiæ Cathedralis, sed ex reservatione hujus concessionis facta a S. Sede.

Non omittendum vero, quod insignia minora posse ab 6
Episcopo concedi sensit *Sacra Congregatio in Sorana 14. Aprilis* 1725.

INSORDESCENS, INSORDESCENTIA.

INsordescens dicitur ille, qui animo pertinaci, & obdu- 1
rato, seu in contemptum Clavium, quia scilicet noluit obedire, seu se subjicere clavibus, perseverat in Censura per annum, *cap. Cum bonæ memoriæ 8. de ætate, et qualitate, cap. Cum contumacia 7. de hæreticis in 6.*, & Concil. Trident. *sess. 25. de reformat. cap. 3.*, ibi: *Obdurato animo Censuris annexus, in illis insorduerit.* Insordescentia, quamvis 2
præcipue dicatur ratione excommunicationis; attamen convenit etiam aliis Censuris, *argum. cit. text. Concilii Tridentini*, ubi dicitur: *Censuris annexus, & cit. cap. Cum bonæ memoriæ*, ubi est fermo de insordescente per annum in Censura Suspensionis.

Ad effectum docendi de insordescentia alicujus Censurati 3
opus est probare in primis excommunicatum, seu Censuratum habuisse notitiam Excommunicationis, seu Censuræ; Riciull. *de jure personar. extra gremium Eccles. existentium lib. 4. cap. 8. num. 4.* Barbosa *in Concil. Trid. sess. 25. de reformat. cap. 3. num. 33.*, & communis aliorum, requiritur enim ad insordescentiam animus obduratus, & contemptus clavium, qui non supponitur in ignorante Censuram; *arg. cit. cap. Cum bonæ memoriæ, cit. cap. Cum contumacia*, & Concil. 4
Trident. *loc. cit.* Secundo opus est probare, quod sine rationabili causa distulerit post annum petere absolutionem; Unde, si distulit ex rationabili causa, v.g. quia absens, quia impeditus, & hujusmodi, non censetur insordescens ex defectu animi indurati, & contemptus clavium, propter *citata Jura*. Sic eadem ratione non potest dici insordescens, si intra an- 5
num petitit, & non obtinuit absolutionem; *Riciull. loc. cit. num. 5. & 9.* Barbosa *loc. cit. num. 33.*, & communis aliorum. Similiter non potest dici insordescens, si per sex men- 6
ses perseveravit in Censura, & deinde obtenta absolutione cum reincidentia, post absolutionem reincidit, & permansit in ipsa per alios sex menses; Tempora enim in hac materia non conjunguntur, cum ad contrahendam insordescentiam requiratur perseverantia continua unius integri, & ininterrupti anni in Censura, *arg. Citatis Juribus*, Barbosa *loc. citat. num. 37.* Navarr. *consil. 7. num. 3. de hæreticis*, Monacell. *t. 3. tit. 3. formul. 3. num. 12.* Seraphin. *decis. 1285. num. 5.*, & alii communiter cum Rota *in Oscen. Archidiaconatus 16. Maji* 1603. coram Card. Lancellotto impressa per Farinac. *tom. 2. consil. decis. 169. num. 5.*, & refert Riciull. *loc. citat. cap. 8. num. 3.*

Nec ad probandam insordescentiam sufficit probare solam 7
perseverantiam per annum in Censura, sed est etiam necesse probare animum induratum in contemptum clavium; *cit. cap. Cum bonæ memoriæ, cit. cap. Cum contumacia*, & Concil. Trid. *loco citat.* Rota in *d. Oscen. coram Card. Lancellotto*, Pignatell. *tom. 7. consult. 18. num. 9.*, & communis aliorum. Excommunicatus tamen post annum a declaratione citari po- 8
test uti suspectus absque alia monitione ex *Sac. Congreg. Concil. 22. Maji* 1586. *loc. cit. n. 9.*

Insordescens in Censura lata in causa hæresis habetur ve- 9
luti hæreticus ipso Jure, & absque alia sententia; *Authent. Gazaros Cod. de hæreticis, cap. Excommunicamus 1. de hæreticis*, ubi Glossa *verb. Condemnetur*, Hostiens. *num. 7. &* 8. Abbas *num. 11.* Soccin. *num. 14.* Butrius *num. 17.* Joann. Andr. 10
num. 4. Ancharan. *num. 4.* Anan. *num. 6.*, & communis aliorum cum Pignatell. *tom. 7. consult. 18. num. 5.*, *& tom. 8. consult. 134. num. 1.*, *& sequent.* Attamen prius quam publice declaretur hæreticus citari debet, ut se purget; Pignatell. *tom. 7. consult. 18. num. 8.*, *& tom. 8. consult. 134. numer. 2.* Pegna *part. 3. com. 46. vers. Adveniente*, Chartar. *de execut. sentent. cap. 1. num. 278.* Sanctarell. *de hæresi cap. 4. dub. 5. conclus. 1.* Farinac. *de hæresi quæst. 192. n. 17.* La Croix *feb. 7. n. 288.*, & alii passim.

Insordescens in Censura lata ob aliam causam ab hæresi 11
habe-

habetur tamquam leviter suspectus de fide, ac specialiter de potestate clavium in Ecclesia, potestque citari ab Episcopo, ut respondeat, quid sentiat de his: si purgare se noluerit, & permanserit altero anno, fit vehementer suspectus, & citatus nec purgans se potest ex violenta suspicione declarari hæreticus; Pignatell. *tom.7. consult.18. a n.2. ad 4.* cum multis aliis allegatis, Gonzalez *in Regul.8. Cancellar.gloss.15.n.108.* Pegna *part.1. director. quæst.47. numer. 7.* & 8. La Croix *loc. citat. n.2389. arg. cap. Excommunicamus 1. cap. Cum contumacia 7. de hæreticis in 6.*, & Concil. Trident. *sess.25. de reformat. cap.3. in fine*, ubi sic habet: *Excommunicatus quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit ..... Sed si obdurato animo Censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de hæresi suspectum procedi possit.*

12 Insordescens in Excommunicatione lata in causa criminali habetur pro convicto de eo crimine; Farinac. *lib.1. quæst. 18. n.39.* Gonzalez *in Regul.8. Cancellar. gloss.15. n.106.*, & 108. cum aliis ibi allegatis, Pignatell. *tom.7. d. consult. 18. n.18.* La Croix *loc. cit. num.390.*, & alii. Secus vero in causa civili secundum veriorem, ut Gonzal. *loc. cit.* Pignatell. *loc. cit.* La Croix *loc. citat.* quamvis alii contrarium teneant, ut Salzed. *ad Diaz. cap.110. num.4.* vel *cap.118.n.4. in nova editione*.

13 Insordescens in Censura Excommunicationis, vel Suspensionis, vel Interdicti per annum, vel ultra, secundum aliquos Doctores est privatus ipso Jure Beneficiis; Ita Menochius *de arbitr. cas.416. n.52.* At optime ex Rotæ decisionibus Theodosius Rubeus *in singular. Rotæ tom.2. part.3. sub verb.* Menochius §.1. *pag.201.* sic distinguit; Aut Excommunicatio, seu alia Censura lata fuit propter crimen, quod ipso Jure privat Clericum beneficio, & tunc per insordescentiam habetur pro confesso, & censetur ipso Jure privatus. Aut Excommunicatio, seu alia Censura lata fuit ob crimen, propter quod non est privatus beneficiis ipso Jure, sed venit per sententiam privandus, & tunc poterit post contractam insordescentiam privari. Aut crimen est tale, propter quod nullo modo potest imponi pœna privationis, puta ab debitum civile pensionis, & tunc nunquam ob insordescentiam imponetur pœna privationis, sed alia arbitraria; Hæc apud Barbosam *loc. cit. n.38.*

14 Contra Excommunicatos non curantes absolutionem, & non obstante excommunicatione celebrantes procedit Ordinarius, sic resolutum fuisse *die 26. Maji 1609.*, & *1631.*, & *1632.* refert Pignatell. *tom.7. d. consul.18. num.15.* ubi subjungit, quod quandoque S. Officium commisit informationes

15 ut *in litteris Patriarchæ Aquilejæ sub 15. Junii* 1591. præcipitur Vicario Generali, ut excommunicatos renuentes restituere ablatum ab Ecclesiis aggravet, & reaggravet, & finito anno declaret insordescentes; *Sac. Congreg. Immunit.12. Februarii 1647. lib.4. decret. Paul. pag.4.*

16 Insordescenti in Excommunicatione per annum, etiamsi in articulo mortis fuerit absolutus, potest Ecclesiastica Sepultura denegari, & sepeliri in loco prophano; Genuens. *in praxi cap.7. in addit.* Pignatell. *cit. consul.18. numer. 13.* La Croix *loc. cit. n.292.* & alii passim. Plura alia de insordescentibus in Censuris vide apud Pignatell. *tom.7. consult.18.*, & *tom.8. consult. 134.* Barbosam *loc. cit.* Monacell. *loc. cit.* & alios.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 DE anno *insordescentiæ* libet aliqua adnotare. Hic annus numerandus est non a die incursæ excommunicationis, si ageretur de excommunicato a jure, sed a die quo fuit vel excommunicatus, vel declaratus excommunicatus, quum ex illa die incipiat rumor contumaciæ, & contemptus clavium Ecclesiæ; *Sanctarell. de Hæres.cap.4.n.6. Caren.de Offic. S. Inquisit. part.2. tit.8. num.5.*

2 Non ignoro esse qui limitant id in casu *Notorii*, annumque tunc tenent incipere a die *Notoriæ* excommunicationis incursæ; *Alber. in Rubric. de Hæret. in 6. quæst.13. num.35. Farinac. de Hær. quæst.192. numer.26.* At confutant hanc opinionem *Passerin. in Cap. cum contumacia num.11. de Hæretic. in 6. del Bene de offic. S. Inquisitionis dub.211. sect.1. num. 4.*

3 Et non immerito. Habetur enim in *cap. Quum in contumacia de Hæretic. in 6. Excommunicationis vinculo per vos fuerit innodatus*. Hæc autem verba important excommunicationem ab Homine per sententiam latam, aut saltem declarantem: *Neque in his* (ita recte ait *Passerin. ubi supra*) *potest habere locum notorium. Neque enim sufficere potest notorium puri facti, quia necesse est, quod in judicio constet, & de excommunicatione, & de persistentia in illa, & sic requiritur notorium juris quod habetur per Judicis pronunciationem per quam pronunciet suspectum excommunicatum, & postea in excommunicationem pertinacem. Incipit ergo hic annus a die latæ vel declaratæ excommunicationis factæ per Judicem.*

Debet itidem hic annus esse integer, & continuus; *Cap.* 4
Quum contumacia de Hæretic. in 6. Quari propterea solet, an habeatur hic annus integer, & continuus, ubi quis plurium annorum spatio persitit in excommunicatione, sed in unoquoque anno obtinuit absolutionem cum reincidentia? Negant *Carena de offic. S. Inquisitionis part.2. tit.8: numer.3.* ubi ex *Cardinal. Bellarmino* quod Sacra Congregatio Concilii interpres declaravit non procedi contra illum qui excommunicatus ab Auditore Cameræ per teriennium in excommunicatione perstitit, ita tamen, ut in unoquoque anno in Festo Paschatis ab eodem Auditore Cameræ absolutionem cum reincidentia obtinuerit; *Del bene eodem tract. dub.211. sect.1. n.6. & 24.* probeque monent, quod in subjecta materia haud conjunguntur tempora. 5

Major dubitatio est an habeatur hic annus integer, & continuus, si intra ipsum excommunicatus in foro conscientiæ absolvatur? Haberi de juris rigore ex ratione illa, quod absolutio in Foro interno non suffragatur in Foro externo, non haberi vero de æquitate, cessante tamen Partis oppositione, censet *Carena de offic. S. Inquisitionis part.2. tit.8. numer.26.* At indistincte non haberi alii tenent. *Sed quum verum sit* (sic opportune inquit *Passerin. in 6. Cap. Quum in contumacia de Hæretic. in 6.*) „ quod absolutio in Foro conscientiæ directe non juvat in Foro externo, nec liberat a pœnis exter„ ni fori, indirecte tamen auferendo materiam super qua „ fundantur pœnæ, potest a pœna liberare; quia ablato sufficienter delicto etiam in futurum, & ut non duret, & ut „ non perficiatur, non remanet unde infligatur pœna, cessante etiam in Foro externo delicto. Quum igitur in proposito nostro non debeatur nisi pertinaciæ duranti per annum, si tollitur pertinacia, tollitur, pœna. Non potest vero dici pertinax in persistendo in excommunicatione ille, qui absolutionem petiit in Foro conscientiæ, & obtinuit, & de hoc in foro externo constat. Et eo magis quia quod ille non obtineat absolutionem ab excommunicatione in foro externo non potest tribui pertinaciæ, & contemptui clavium, sed alicui alteri cauſæ, ex qua pro jure suo tuendo, impeditur ne itatim in foro externo absolvi possit. In hoc enim negotio quamlibet causam etiam injustam excusare pertinaciam dixit idem Carena &c Et eo magis quod qui velit esse pertinax contra Judicem in foro externo, & claves Ecclesiæ contemnere, non est dignus ut absolvatur in foro conscientiæ. 6

De eo etiam disputari solet, an habeatur hic annus integer, & continuus, si intra ipsum obtinuit excommunicatus rescriptum cum clausula: *Te absolventes*? At haberi tenent *Passerinus in cap. Quum contumacia num.14. de Hæretic. in 6. Caren. de offic. S. Inquisitionis part.1. tit.8. num.35.* tum quia illa absolutio datur tantum ut rescriptum non sit nullum, tum quia d. absolutio de stylo datur etiam non concurrente pœnitentia, adeoque haud potest operari ut desit pertinacia, tum demum quia d. absolutio non tollit excommunicationem sed solum impedimentum proveniens ab illa excommunicatione suspendit, donec gratia suum sortiatur effectum. 9 10 11 12 13

Limitat autem hanc opinionem *del Bene de offic. S. Inquisitionis dub. 211. sect.7. num.2.* in casu, in quo Papa scivisset, eum per annum in excommunicatione perstitisse. Sed neque huic limitationi locum esse posse propter mox allatas rationes firmat *Passerin. loco proxime citat.* 14

Insordescentia quomodo sit probanda, ut contra insordescentes in excommunicatione possit procedi, expendunt post alios *Pignatell. consult. canon.18. num.9. tom.7. Rot. in rec. dec.132. n.7. part.1.* 15

IN-

INSTITUTIO, SEU INSTITUERE IN BENEFICIIS.

1 INstitutio, seu instituere in Beneficiis dupliciter in Jure accipitur, scilicet late, seu pro quocumque provisionis
2 modo; & proprie, seu specialiter; *Communis* Institutio late accepta comprehendit sub se quamlibet provisionem Canonicam, seu modum legitime acquirendi Beneficium Ecclesiasticum, sive talis Canonica provisio fiat per *Electionem* rite celebratam, & confirmatam, sive per *Postulationem* a Papa admissam, sive per *Nominationem*, seu *Præsentationem* factam a Patrono cum Institutione secuta, sive per *Collationem* liberam Beneficii factam a legitimo Superiore absque prævia Capitulari electione, vel alterius præsentatione, sive per *Resignationem*, sive per *Permutationem*, sive per *Translationem*, auctoritate legitimi Superioris factam; *arg. cap. In litteris 5. de restit. spoliator. cap. Non amplius 1. cap. Auctoritate 4. cap. Ad decorem 5. & cap. Cum venisset 6. de Institutionibus, & cap. Beneficium. 1. de Regulis Juris in 6.*
3 Vide verb. *Beneficia art. 3.* Institutio proprie, seu specialiter accepta comprehendit solummodo eam, concessionem Beneficii, quæ per legitimum Superiorem fit cuipiam ad præviam præsentationem Patroni, & definitur, quod sit *concessio Ecclesiæ seu Beneficii auctoritate Episcopi, vel alterius Ordinarii facta non simpliciter cui vis Clerico, sed ei qui est a Patrono nominatus, & præsentatus*; Sic in re communis cum Barbosa *part.3. de Offic.*, & *potest. Episcop. alleg. 72. num.174.*, & Glossa *in cap.1. de Institutionibus in 6.*
4 Institutio proprie, & specialiter accepta valde differt a Collatione, & Præsentatione, textu expresso *in cap. Cum illis 16. §. Cum autem, de præbend. in 6.*, ibi: *Cum autem inter Collationem, Præsentationem, & Institutionem differentia magna esse noscatur*. Præsentatio enim proprie est, & fit, quando a Patrono, cui competit jus Patronatus, nominatur seu præsentatur Clericus idoneus Ordinario ad Beneficium vacans; *Communis*; cum Glossa, *in cit. cap. Cum in illis, verb. Nota insuper*. Collatio autem proprie est, & fit, quando Beneficium est liberum, & in mera dispositione Ordinarii, & libere confert cui vult, dummodo si idoneus; *Communis* cum Glossa *loc. citat.* & alia Glossa *in rubrica de Institutionibus in 6. verb. Nam Collatio*. Institutio vero proprie
7 est, & fit, quando Beneficium non est liberum in dispositione Ordinarii, sed est de Jure Patronatus alicujus, ad cujus Patroni præsentationem Ordinarius Clericum idoneum præsentatum in tali Beneficio instituit, seu ei tale Beneficium concedit; *Communis* cum Glossa *loc. cit.* Barbosa *loc. cit. numer. 272.* Abbat. *in cap. Auctoritate 4. de Institutionibus n.7.* Reiffenstuel *lib.3. decr. tit.7. n.4.*
8 Institutio est triplex, scilicet *Collativa*, *Auctorizabilis*, & *Corporalis*; Abbas *in cit. cap. Auctoritate. num. 7. & 8.* & Fagnan. *in cap. Cum Ecclesia 3. de causa possession. num.28. & seq.* Reiffenstuel *loc. cit. num.5.* & communis aliorum cum Glossa *in cap. Cum Beneficium 1. de Regulis Juris in 6.* ubi circa medium sic expresse habet: *Dicendum, quod triplex est institutio, quædam est institutio tituli collativa; alia est institutio Auctorizabilis quoad commissionem Curæ Animarum; alia est institutio realis; & Actualis, quæ vocatur Investitura, seu inductio in possessionem realem, &*
9 *corporalem*. Institutio *Collativa* (quam aliqui verbalem appellant) ea est, per quam ab Ordinario verbis, aut litteris confertur, seu conceditur titulus Beneficii Clerico idoneo ad ipsum a legitimo Patrono nominato, seu præsentato.
10 Institutio *Auctorizabilis* aliud non est, quam approbatio ad exercendam curam animarum, sive commissio curæ animarum, ut expresse dicit Glossa *numero antecedenti adducta*, & Summarium *in cap. Cum satis 4. de Offic. Archidiaconi*, ibi: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, idest non habet institutionem auctori*
11 *zabilem*. Institutio *Corporalis*, sive realis aliud non est, quam inductio in actualem possessionem Beneficii, per quam videlicet datur vera, & realis possessio ipsius Beneficii per legitimum Superiorem alicui collati, & de hac institutione corporali fit expressa mentio *in cap. Ad hæc 7. de Officio Archidiaconi*, ibi: *Institutio corporalis tam super Beneficiis, quam etiam Dignitatibus ad ipsum* (Archidiaconum) *debeat pertinere*. Hæc institutio corporalis alio nomine vocatur Investitura, Initallatio, missio in actualem possessionem.
12 Institutio collativa de jure communi pertinet ad Episcopum loci, in quo situm est Beneficium; *cap. Omnes Basilicæ 10. causa 16. quæst.7. cap. Ex frequentibus 3. de institutionibus, cap. Cum ex injuncto 12. de Hæreticis in fine.* Et sic tenet communis cum Fagnano *in cap. Eam te num.6. de ætate, & qualitate*, & *cap. Auditis n.2. de præscription.* Barbosa *part.3. de Offic. & potest. Episcop. allegat.72. num.176.* & Abbate *in cap. Cum Ecclesia Vulterana num.8. de electione*. Etiam Vi- 13
carius Generalis Episcopi virtute mandati generalis potest instituere in Beneficiis præsentatos a Patronis; *cap. Ex frequentibus 3. de institutionibus*, Glossa *ibidem verb. Officialium*, Abbas *ibid. num.7.* Barbosa *ibid. num.3.* & alii communiter. Etiam Capitulum, seu Vicarius Capitularis, Sede vacante 14
textu expresso *in cap. Etsi Capitulum 1. de Institutionibus in 6.*, ibi: *Etsi Capitulum Sede vacante Beneficia, quæ ad Collationem Episcopi pertinent, conferre non possit. Præsentatos tamen a Patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere Beneficiis, ad quæ fuerint præsentati; Licet ad Episcopum* (si superesset) *admissio, & institutio hujusmodi pertineret.*

Prælatis inferioribus non competit de jure communi po- 15
testas instituendi in Beneficiis Præsentatos; *Communis arg. cap. Omnes Basilicæ 10. caus.16. quæst.7. cap. Ex frequentibus 3. de Institutionibus, cap. Cum ex injuncto 12. de Hæreticis in fine, cap. Etsi Capitulum 1. de Institutionibus in 6.* Potest tamen ipsis 16
talis instituendi facultas competere ex aliquo Jure speciali, v. g. ex privilegio, fundatione, aut præscriptione legitime completa; Barbos. *de offic. & potest. Episcop. part.3. alleg.72. num.184.* cum aliis ibi allegatis, Pirhing *lib. 2. decret. tit.7. num.6.* Reiffenstuel *ibid. num.5.* Azorius *part.2. lib.6. cap.22. quæst.2.* & alii, & ostenditur conclusio per singulas partes.

Quod enim possit eis competere talis facultas ex privile- 17
gio, seu speciali concessione, colligitur *ex cap. Super eo 15. de Officio Delegati, ex c. Ex frequentibus 3. de institutionibus*, juncta Glossa verb. *Officialium*, & *cap. Cum satis 4. de Offic. Archidiacon.*, ibi: *Sine licentia, & mandato Episcopi*.

Quod possit eis competere talis facultas ex fundatione fal- 18
tem ab antiquo facta, colligitur *ex cap. Significatum 11. de præbend. c. Præterea 23. de Jurepatron.* & *cap. Quanto 16. de censibus*, ex quibus desumitur posse Fundatorem Beneficii in limine fundationis adjicere quæcumque voluerit qualitates, leges, seu conditiones sibi benevisas, ceteroquin possibiles, ac honestas cum consensu Ordinarii: Unde si in limine fundationis de consensu Episcopi fuerit apposita qualitas ista, seu conditio, ut institutio in tali Beneficio pertineat ad inferiorem, poterit quidem talis Inferior instituere Præsentatum, ad ipsum; Abbas *in cap. Cum dilectus num.4. de consuetudin.* Barbosa *lib.3. Juris Eccles. universs cap.12. num.208.* Pirhing. 19
loc. cit. num.6. Reiffenstuel *loc. cit. num.28.* & alii. Dicitur autem notanter *ex fundatione saltem ab antiquo facta*, quia in novis fundationibus non potest amplius poni talis lex, seu conditio, eo quod Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 12. de reformat.* provide decreverit, *ut in casu fundationis, aut dotationis, hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur*. Hinc Sacra Congregatio ejusdem Concilii Interpres consulta, an in Juribus Patronatus, quæ post Concilium acquiruntur, reservari possit institutio alteri, quam Episcopo? Respondit non posse in Ecclesiis etiam exemptis, nisi Rector illius Ordinaria fungeretur jurisdictione; Sic refert Fagnanus *lib.1. decret. in cap. Cum Ecclesia Vulteranæ 31. de electione num.31.*

Quod possit ei competere talis facultas ex consuetudine, 20
colligitur *ex cap. Dudum 54. §. Sed cum in jure, de electione. cap. Dilecto 10. de Officio Archidiaconi, cap. Cum venissent 6. de institution. cap. Referente 7. de præbend. cap. Ad hæc 2. de excessib. Prælat.* Et tenent Glossa *in cap. Super eo 15. verb. Archidiaconus, de Officio Delegati*, & alia Glossa *in cit. cap. Referente verb. Assignavit*. Fagnan. *in c. Eam te 4. de ætat., & qualitate num.7.* Abbas *in cap. Cum satis 4. de Offic. Archidiaconi*, Seraphin. *decis.309. num.9.* Reiffenstuel *loc. cit. num.30.* Barbosa *cit. allegat.72. num.184.* cum aliis ibi allegatis. Quod 21
possit eis competere talis facultas ex præscriptione legitime completa, colligitur *ex cap. Placuit 1. cap. De quarta 4. c. Ad aures 6. cap. Auditis 15. & cap. Cum olim 18. de præscriptionibus*. Et de præscriptione immemorisali tenet Barbosa *citat. allegat.72. num.184.* citans Marium Antonium *variar. resol. lib.1. resol.47. num.6.* & Lambertinum *lib.2. part.2. quæst.1. princip. art.10.* Imo Azorius *part.2. lib.6. cap.22. quæst.3.* Pirhing *loc. cit. num.6.* Reiffenstuel *loc. cit. num.35.* & alii istud concedunt absolute de præscriptione, & non necessario requirunt immemorabilem, ut requirit Barbosa *loc. citat.*

idque juxta generalia principia in materia præscriptionis tradi solita, & sic tenet etiam Fagnanus *in cit. cap. Auditis n.6.* ubi dicit, quod Prælatus inferior, si solus instituerit, spatio annorum quadraginta præscribit, excluso Episcopo, & idem sentire asserit Alexandrum de Nevo *in cit.cap.Auditis n.* 25. & Innocentium *in c.Cum olim, de restitut. spoliator.*

22 Prælatis inferioribus etiam Regularibus competit jus instituendi in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis; colligitur *ex c. in Lateranensi* 31. *de præbend*; argumento a sensu contrario desumpto ex sequentibus verbis, ibi: *Statuentes nihilominus quatenus* (Religiosi) *in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem Concilii statuta Episcopis instituendos Præsbyteros repræsentent, ut illi, de plebis cura respondeant*, concordat *Clement. unica de excessibus Prælat.* §. *Quidam præterea*, & *cap.Cum & plantare* 3. §. *In Ecclesiis, de privileg.* ubi Glossa verb. *Pleno jure* infert, quod in Ecclesiis pleno jure, idest spiritualibus, & temporalibus ad Religiosos pertinentibus, nihil possit Episcopus attentare in illos, & ita institutio, & destitutio, quoad temporalia; & spiritualia ad ipsos pertineat; *c.Visis litteris* 1. *caus.* 16. *quæst.* 2. & tenent Fagnan. *in cap.Cum venissent 6. de institutionibus num.*14. Barbosa *d.allegat.72. num.*184. Pirhing *loc.cit. num.* 6. Reiffenstuel *loc.cit. num.*32. & alii.

23 Laici quicumque sint, nullo modo possunt proprie instituere Clericum in aliquo beneficio; colligitur *ex cap. Præterea quia* 4. *de Jurepatronatus*, ubi Laici, qui Clericos instituere, vel destituere præsumunt in Ecclesiis, etiam Patronatus, jubentur excommunicari. Item *ex cap. Si quis deinceps* 12. *& cap.Quoniam* 13, *caus.*16. *quæst.*7. ubi Clericus non solum pœnæ suspensionis, sed etiam excommunicationis subjacere decernitur, qui investituram Ecclesiarum contra statuta Sanctorum Patrum de manu Imperatoris, vel Regis, aut alterius Laicæ personæ susciperet præsumpserit. Et ratio est, quia potestas instituendi in Beneficiis est spiritualis, cujus incapax est Laicus; *cap. Decernimus* 2. *de judiciis*, *& cap. Causam, quæ* 7. *de præscript.* cum similibus.

24 Institutio auctorizabilis, sive potestas conferendi curam animarum de jure communi pertinet ad Episcopum solum privative ad Prælatos inferiores, nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum privative ad Episcopum, textu expresso *in cap. Cum satis* 4. *de Offic. Archidiacon*i, ubi Glossa *fin.* & DD. communiter, & concordat
25 *cap.Nullus* 1. *caus.*16. *quæst.*7. ubi id expresse statuitur. Dicitur autem notanter, *nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & populum privative ad Episcopum*, quia tales Prælati inferiores sunt nullius Diœcesis, & sunt ita constituti in proprio Territorio, ut veniant nomine Diœcesani, juxta Glossam *in Clemen.*1. *verb.Diœcesanis, de foro competent.* & Abbatem *ibi num.*15. Cardinal. *in quarta quæst. num.*2. Imolam *num.*38. Vitalin. *num.* 4. Unde, quia omnimodam habent jurisdictionem in Clerum, & populum privative ad Episcopum, hoc ipso obtinent potestatem tradendi curam animarum, quam nemo alius præter Papam posset concedere; Fagnanus *lib.*1. *decretal. in cap.Eam te numer.4. de ætat. & qualitate. & in cap.Cum contingat num.*31. *&* 37. *de foro competent.* allegans sententiam Sac. Congregationis Concilii, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 37. & alii communiter.

26 Institutio auctorizabilis, seu potestas conferendi curam animarum non potest competere neque vi consuetudinis, seu præscriptionis Prælatis inferioribus non habentibus proprium Territorium privative ad Episcopum; *cap.Cum satis* 4. *de Offic. Archidiaconi*, ubi Alexander III. Elianensi Archidiacono (qui sine licentia Episcopi sui committebat curam animarum, dicens hoc ex consuetudine sibi licere, prout refert Glossa *in casu ibidem*) rescripsit in hæc præcisa verba: *Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis non debes contra SS.Patrum Constitutiones venire, & quod ad tuum non spectat officium, vindicare, mandamus, ut nemini sine licentia, & Mandato Episcopi curam præsumas committere animarum*, & sic tenent *in d. cap.Cum satis* Abbas *num.* 3. Joann. Andr. *ibid. num.6. &* 18. Layman *notand. unic.* Fagnan. *in cit.cap. Eam te, de ætat. & qualitat. num.*3. Azorius *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 19. §. *Consuetudo item*, Pirhing. *lib.* 1. *decretal. tit.*23. *num.*13. Reiffenstuel *lib.*3. *decretal. tit.* 7. *numer.* 38. & alii *arg. cit. cap.Cum satis* 4. *de Officio Archidiaconi*. & Concil. Trident. *sess.*7. *cap.*13. *de reformat.* ubi statuit, nullos Clericos posse institui etiam prætextu *cujusvis privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorumOrdinariis examinati, & idonei reperti*; unde patet, nulla consuetudine introduci posse, ut in Ecclesiis Episcopo subjectis sine ejusdem approbatione ab aliquo Prælato inferiori instituantur Clerici ad curam animarum; Quidquid in contrarium sentiat Barbosa *de Offic. & potest. Episc. part.*3. *allegat.*72. *num.*185. & nonnulli alii ab ipso citati, & post ipsum Engel *lib.*3. *decretal. tit.*7. *num.*8.

Institutio corporalis, seu realis, vulgo *Investitura*, seu 27
Installatio spectato Jure communi spectat ad Archidiaconum, textu expresso *in cap. Ad hæc* 7, §. *In quadam, de Officio Archidiaconi*, ibi: *Institutio corporalis tam super beneficiis, quam etiam Dignitatibus ad ipsum* (Archidiaconum) *debet pertinere.* Dicitur autem notanter *spectato jure communi*, quia 28
ex consuetudine tale Jus est Archidiacono sublatum, & Episcopo etiam adjudicatum, itaut fere ubique Institutio corporalis, seu Investitura in Beneficiis jam pertineat ad Episcopum, vel delegatum ab eo; *arg. cap.Licet Episcopus* 28. *de præbend. in*6. Gonzal. *in cit. cap. Cum satis, de Officio Archidiaconi num.*3. Barbosa *de Dignitatib. cap.*5. *num.*3. Card. Petra *tom.*5. *comment. in Constit.* 4. *Callisti III. n.* 123. Covarruv. *lib.* 3. *variar. resolut. cap.* 16. *num.* 7. *vers. Tertius casus*, Engel *lib.*3. *decret. tit.*7. *num.* 5. Reiffenstuel *ibidem num.*44. & alii passim.

Is, ad quem spectat Collatio Beneficii, non potest seipsum 29
instituere; *Communis* textu expresso *in cap.Cum ad nostram* 7. *de Institutionibus*, assignata ratione: *Cum inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis*. Imo is, ad 30
quem spectat collatio Beneficii, nec ab alio a se Delegato potest institui; *Communis* textu expresso *in cit. c. Cum ad nostram*, ibi: *Sed nec ab alio beneficium recipere potuit, cum jus conferendi alius non haberet*; Delegatus enim non conferret jure proprio, sed jure, aut auctoritate Delegantis, sibi ipsi conferret beneficium, & se ipsum institueret, nam, ut dicitur *in cap.Qui facit* 72. *de Regul. Juris in* 6. *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.*

In Beneficiis Ecclesiasticis Laici non possunt institui, sed 31
soli Clerici, *Communis*, *arg. cap.*11 *Ecclesiæ vestræ* 2. *de institutionibus*, ibi: *Cum Laici non debeant in Canonicorum numero computari*, & adeo excluduntur Laici, ut sine speciali dispensatione Apostolica nequeant institui, nec sufficiat, si post institutionem in Beneficio, vel etiam collationem ipsius fiant Clerici suscipiendo primam Tonsuram; *arg. c. Ex litteris 6. de transactionibus*, & notat Glossa *fin.* & Abbas *ibid.*
*num.*3. & alii communiter. Clerici possunt institui in Bene- 32
ficiis certum Ordinem Sacrum requirentibus, licet istum nondum habeant, dummodo intra tempus a Jure statutum possint ad requisitum Sacrum Ordinem promoveri, & alias sint idonei; *Communis* textu expresso *in cap. Si is* 2. *de institut. in* 6., ibi: *Si is, ad quem Rectoris præsentatio in aliqua Parochiali Ecclesia nosciturpertinere, quempiam non constitutum in Sacris præsentet ad eam, ipsum* (dummodo alias sit idoneus, *& infra tempus a Jure statutum ad Ordines, quos ipsius Ecclesiæ cura requirit, valeat promoveri*) *decernimus admittendum*.

Tempus institutionis præsentatorum faciendæ in Benefi- 33
ciis non reperitur a Jure præfixum, & determinatum, dummodo non diu differatur; *Communis* cum Conrad. *c.*7. *n.*11. Loter. *quæst.*13. *num.*59. Pirhing *lib.*3. *decretal. tit.*7. *num.*9. Garcia *part.*10. *de Benefic. cap.*4. *num.* 1. & Rota in *Decton. Juris Patronatus* 8. *Febr.*1599. *coram D. Penna*, in qua fuit dictum, quod Beneficium non est devolutum ex eo, quod Ordinarius distulerit instituere, cum non sit tempus præfixum &c. ut ex Garcia refert, & tenet Reiffenstuel *lib.* 3. *decretal. tit.*7. *num.*73. & Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.*3. *alleg.*72. *num.*101. ubi allegat etiam Rotam *decis.*4. *de Jurepatr. in noviss.* Si autem habens potestatem institu- 34
di præfentatos sit negligens, aut plus æquo differat, seu penitus recuset instituere, tunc recurrendum est ad Superiorem, v. gr. ad Archiepiscopum, qui Episcopo præfigat certum tempus ad instituendum, quo elapso ipse Archiepiscopus potest supplere, vel compellendo Episcopum ad instituendum, vel ipsemet instituendo præsentatum, ne ex diuturniori vacatione Beneficiorum, ac defectu Rectorum Ecclesiæ vacantesdi utius patiantur in divinis, aut aliquod grave dispendium patiantur in facultatibus suis; & si sint Curatæ, grave periculum immineat animarum ut dicitur *in cap. Ne pro defectu* 41. *de elect.* & sic tenent Doctorum passim cum Reiffenstuel *loc.cit. num.*74. Antonell. *de tempor. legal.lib.*3. *cap.*17. *num.*2. Barbosa *loc. cit.* Ob quam causam S. Pius V. Constitut. incip. *In conferendis* statuit, ut in Parochialibus cujus-

cujuscumque Juris Patronatus Institutio fiat intra bimestre a die præsentationis computandum, quo tempore *Ordinarius* (sunt verba Bullæ §. 4.) *Institutionem facere negligentibus possint Patroni pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum aut Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut Sedem Apostolicam*; Antonell. *de tempore legati lib.*3. *cap.*17. *num.*3. Reiffenstuel *loc.cit. num.*74. Pax Jordan. *tom.* 2. *de re Benefic. lib.*10. *tit.*7. *de Jurepatr. num.*405. & alii communiter. Castropalao autem apud La Croix *lib.* 4. *numer.* 167. dicit fieri non debere Institutionem durante tempore concesso ad præsentandum; Tum quia Laicus interea potest variare, tum maxime quia posset alius interea prætendere, & probare jus præsentandi.

35 Ritus, seu modi realiter, & corporaliter instituendi, seu investiendi in Beneficiis solent esse varii pro diversitate locorum, ut notant Engel *lib.*3. *decretal. tit.* 7. *numer.*5. *&* 6. Pirhing *ibid. num.*1. Zoesius *ibid. num.* 4. Reiffenstuel *ibid. num.*40. Sannig. *eodem tit. cap.*4. *num.* 4. & alii. Unde in praxi expedit laudabiles cujuslibet loci consuetudines, & ritus realiter, seu corporaliter instituendi, vel investiendi in Beneficiis ab antiquo usitatos observare; *arg. cap. Cum tan-*
36 *to* 11. *de consuetudine*. Institutus quoad titulum in Beneficio, quamvis non possit ejus possessionem capere propria, & sola sua auctoritate, accedente tamen consensu, seu licentia legitimi Superioris volentis tradere possessionem corporalem, potest eam capere nullo alio eum introducente in ipsam, ut passim fatentur Doctores, ex quod jam interveniat Auctoritas Superioris; Abbas *in cap.Auctoritate* 4. *de Institutionibus*, Covarr. *Variar. resolut. lib.*3. *cap.*16. *numer.* 7. Rebuffus *in praxi Beneficior. titul. de missione in possess. num.* 6. Layman *in cap.Nosti num.*4. *de electione*. Engel. *lib.* 3. *decretal. tit.*7. *num.*5. Reiffenstuel *ibid. numer.* 52. Jul. Clar. in §. *Feudum quæst.*26. *num.*1. Jason. *l. Si ex stipulatione num.* 5. *ff. de acquirend. possess.* & alii, & observatur passim pro Beneficiis erectis in Ecclesiis Regularium, pro quorum possessione sufficit legitima Institutio, seu respective legitima collatio; nullo alio introducente, maxime cum rerum possessio possit etiam acquiri traditione scripturæ, aut instrumenti, in quo jus tradentis continetur, per textum *in l.*1. *Cod. de donationibus*, ubi dicitur, quod qui tradit instrumentum, videtur tradere possessionem rei.

Instituens potest gratificari, quando duo ab eodem Patro-
38 no laico præsentati sunt æquæ digni, textu expresso *in c. Cum autem* 24. *de Jurepatr.* Quando plures Patroni diversos equali numero suffragiorum præsentant, si moniti nolint convenire in unum, & Episcopus neutrum ex præsentatis possit instituere absque atroci scandalo facti, tunc potest Episcopus gratificari uni, & tertium aliquem eligere; Lotter. *quæst.* 6.
39 *num.*27. La Croix *lib.*4. *num.*364. cum variis aliis. Institutio potest fieri extra Diœcesim, vel Territorium instituentis, eum ut actus voluntarius, & extrajudicialis; Garzias, Gonzalez, Leurenius, & alii cum La Croix *loc.cit. num.*366.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 IN fundationibus post *Concilium Tridentinum* factis haud posse institutionem reservari Inferiori carenti ordinaria jurisdictione, præter allegatos ab *Auctore num.* 19. recte firmavit Rot. *cor.Molin. decis.* 158. *num.* 5. *& sequent.* licet
2 de hoc dubitasse videatur postmodum idem supremum Tribunal in *Colonien. Vicariæ de Buttgen* 9. *Martii* 1750. §.8. *cor. R. P. D. Canilliac.*

3 Et ut probe monuit Rot. *cor.Molin. d.decis.*158.*n.*7. *&* 8. Concilium Tridentinum dum *sess.* 14. *capit.* 12. *de Reformat.* vetat in fundationibus reservari institutionem Inferiori carenti jurisdictione ordinaria, intelligendum est non de
4 institutione auctorizabili, sed de institutione collativa.

Institutionem auctorizabilem, *vicario* tamen *nomine Episcopi*, competere etiam posse præscriptione Prælato inferiori, qui careat territorio separato, jurisdictionem vero ordinariam habeat, contra quam tenet *Auctor num.*26. firmavit pluries Rota, & signanter *in Burgen. Jurisdictionis S. Joannis super territorio separato* 10. *Decembris* 1725. §.18. *&* 2. *Jun.* 1726. §.10. *cor.bon. mem. Cerro, & 9. Januarii* 1728. §.19. *cor.bon. mem. Ratt.* inter impressas *decis.*163. *num.* 13. *&* 28. *Martii* 1735. §.16. *&* 20. *Januarii* 1737. §.12. *cor.Rev. P. D. Bussio Decano, & 16.Maji* 1738. §. 15. *cor. clar. mem. Calcagnin.*
5 Atque hinc tenuit in mox allegatis decisionibus, auctorizabilem institutionem argumentum haud præbere territorii separati.

Quando processum ab Ordinario dicti debeat potius per 6
viam institutionis, quam gratificationis, vel, e contra, vide apud *Rot. in Majoricen. Beneficii* 4. *Decembris* 1744. *cor.bon. mem. Vicecomite, in Colonien. Personatus* 14. *Februar.*1746. *cor. R. P. D. Canilliac, &* 13. *Martii* 1747. *cor. bon. mem. Vicecomit. &* 19.*Januarii* 1748. *cor.Illustriss. Molin.*

INSTRUCTIO PAROCHORUM, ET ALIORUM CONFESSARIORUM PRO CASIBUS, PRO QUORUM ABSOLUTIONE, SEU DISPENSATIONE

Recurrendarum est ad Sacram Pœnitentiariam.

CUM sæpe contingat, Pœnitentes Censuris, Irregularita- 1
tibus, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, aliisque hujusmodi casibus, reservatis ad Sacram Pœnitentiariam, seu Sanctam Apostolicam Sedem spectantibus, irretitos accedere ad Parochos, seu Confessarios, qui præfertim in Pagis, aut locis ruralibus viam, ac modum recurrendi ad dictam Sacram Pœnitentiariam non plene & plane sciant; Indeque ipsis Pœnitentibus non parva, ac pauca mala, & incommoda obveniant, ad ipsa evitanda traditur hic brevis instructio, qua omnibus prædictis recurrendi modus, ac via planatur.

Parochi igitur, aliique Confessarii, ad quos similes Pœni- 2
tentes accesserint, debent ipsos diligentissime examinare circa causas, omnesque circumstantias suorum casuum; ipsisque bene perceptis, ac caute perpensis, poterunt casus plene cum omnibus suis causis & circumstantiis expressos reticito tamen nomine, & cognomine Pœnitentis, scribere per simplex NN. in Charta quocumque idiomate, sive latino, sive vulgari, ac nativo proprix Regionis, cum Sacra Pœnitentiaria suos ex quacunque Regione Pœnitentiarios subordinatos habeat, debebuntque in fine perfectæ expositionis casus significare modum, & viam, per quam a Sacra Pœnitentiaria responsio secura dirigi possit, notandum videlicet Oppidum, seu Civitatem, Dioecesim, & Provinciam cum expressione nominis, & cognominis, cui sit rescribendum; quamvis tale nomen, & cognomen sit fictitium, & casum sic expressum cum data, diei mensis, & anni poterunt directe per postam, seu communem publicum Tabellarium mittere Rom. Eminentissim. Majori Poenitentiario in hunc modum.

Eminentissime, & Reverendissime Domine,

NN. conscius (vel ignarus) impedimenti, contraxit in 3
facie Ecclesiæ Matrimonium cum muliere, cujus Matrem, aut Filiam, seu sororem prius carnaliter cognovit. Quare cum absque scandalo separari non possint, & impedimentum sit occultum, humillime supplicat pro absolutionis, & dispensationis remedio. Dignetur Eminentia Vestra rescribere NN. in Civitate N. Interim Orator ad Eminentiæ Vestræ pedes humiliter provolutus, & pro ejusdem incolumitate precans, silet. N. die 20. Januar. 1744.

Advertendum hic est, quod loco N. N. debet exponi no- 4
men, cognomen, quamvis fictitium illius, cui a Sacra Poenitentiaria est scribendum, & loco *in Civitate* N. debet exprimi nomen Civitatis, seu Oppidi, & pro majori facilitate exprimi etiam cujus sit Dioecesis, & Provinciæ. Et insuper valde expedit, ut in Epistola supplicetur quod Eminentissimus Poenitentiarius dignetur dirigere Breve, seu Gratiam simplici Confessario ex approbatis ab Ordinario, maximè si in tali loco non desint Confessarii Magistri in jure Canonico Doctores, aut alii ad id privilegiati; vel si tales adsint, non possit de facili induci poenitens ad eis suam aperiendam conscientiam, & tandem ut supra concepta, & scripta Epistola seu supplicatio debet dirigi cum hac externa, seu a foris inscriptione.

Eminen-

Eminentissimo, & Reverendissimo Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

5 N. N. Vir laicus, seu fœmina libera emisit simplex votum Castitatis perpetuæ, sed cum adsit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium. Dignetur Eminentia Vestra rescribere Cajo Pamphilo Presbytero Confessario in Civitate Cremonæ Provinciæ, & Status Mediolanensis, seu Fratri Francisco Rubeo a Turricella Sacerdoti Professo Ordinis Minorum in Conventu S. Bernardini Alexandriæ Provinciæ Mediolanensis, & Ditionis Ducis Sabaudiæ Regis Sardiniæ. Interim Orator ad Eminentiæ vestræ pedes &c. ut *supra num. 3.*

6 N. N. Sacerdos contraxit Excommunicationem, & Irregularitatem ex homicidio occulto ab eo ob talem, vel talem causam, clam tali modo patrato, aut procurato in persona hominis Diaconi, seu Sacerdotis Sæcularis; aut Regularis, & ex tunc vitandi scandali causa, vel ne se proderet, semper libere ut prius, continuavit in exercitio Ordinum; Aut abstinuit; sed cum diu absque scandalo abstinere non possit, humillime supplicat pro remedio. Dignetur Eminentia Vestra &c. ut *supra num. 5.*

7 Et hæc adducta supplicationum exemplaria possunt, variatis variandis, inservire pro omnibus aliis casibus, qui in dies possunt occurrere. Unde poterunt Confessarii, seu Pœnitentes ipsis dictis exemplaribus instructi pro quocumque simili occulto casu consimiles supplicationes tute, & fideliter ad Eminentiss. Majorem Pœnitentiarium Romam dirigere: Et si forte aliquando responsio tardaverit, iterum rescribere, ne forte prior Epistola deperdita fuerit, sic firmiter certi quod ad ipsum perventa eorum Epistola statim gratis providebitur de opportuno remedio, quod solet expediri tenore sequentis formulæ.

8 *N. Tituli S. . . . . Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per Latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligenda salutem in Domino.*

„ Ex parte latoris præsentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipse alias Matrimonium cum muliere, cujus „ sororem antea carnaliter cognoverat, publicè in facie Ecclesiæ contraxit, & successivè consummavit. Cum autem, „ sicuti eadem petitio subjungebat, lator prædictus ob impedimentum ex præmissis proveniens in dicto Matrimonio remanere nequeat absque Apostolicæ Sedis dispensatione, ad evitanda scandala, quæ si divortium fieret inter eos, verosimiliter oriri possunt, ac pro suæ conscientiæ quiete cupit a præmissis, quæ sunt occulta, & de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari; Quare supplicavit humiliter, ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque, qui Pœnitentiariæ Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati auctoritate Apostolica specialiter Nobis concessa discretioni tuæ committimus, quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ejus Sacramentali Confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc extat amplius cum dicta sorore peccandi, a quibusvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter „ præmissa quomodolibet incurrit ab incestu, & excessibus „ hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, „ injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi „ pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & separatio inter latorem, & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum „ tibi visum fuerit, aliudque Canonicum impedimentum, „ cum eodem latore, & dicta muliere de nullitate prioris „ consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum „ nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & utque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, præ„ missis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem suscepturam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo modo; „ Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio latori in foro „ judiciario nullatenus suffragentur: nullis super his testibus „ adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis, sed „ præsentibus laniatis, quas sub pœna Excommunicationis „ latæ sententiæ laniare teneatis, itaut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitue„ ris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ „ apud S. Petrum sub sigillo Officii Pœnitentiariæ.

Prima clausula specialiter in ipsa formula observanda est sequens: *Discreto viro Confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo.* Quæ clausula quomodo sit intelligenda quoad omnes qualitates requisitas ad hoc, ut aliquis aperire, & exequi possit Litteras dispensationis a Sac. Pœnitentiaria emanatas, habes sub verbo *Executor Litterarum Apost. n. 39. ad 49.* Vid. ibi. 9

Secunda clausula nempe: *Discretioni tuæ committimus, quatenus, si ita est &c.* denotat, quod Executor debeat diligenter indagare veritatem precum, diligenter se solo absque testibus examinando pœnitentem, an revera Matrimonium sit jam contractum, an impedimentum sit occultum, an scandala ex separatione probabiliter sint metuenda, seu an alia causa finalis allegata subsistat, & hujusmodi. Et si repererit preces veritate niti, dispensare poterit: si autem repererit veritate non niti, dispensare non poterit, & ratio est, quia veritas precum est conditio requisita, tamquam necessaria forma ad valorem dispensationis, unde si non servetur, invalida erit dispensatio. Sic communiter Doctores *arg. l. Diligenter 5. ff. Mandati, cap. Cum dilecta 22. de Rescriptis*, Non est tamen necessariam tale examen, si Executor sine ipso certo, & indubitatè sciat dictas preces veritate niti, ut tradunt passim DD. *arg. c. p. Eum 21. de regul. juris in 6.*, ibi; *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* 10

Tertia clausula nempe: *Audita prius ejus Sacramentali Confessione* denotat, quod Confessarius ad exequendam dispensationem electus debeat prius pœnitentis Confessionem Sacramentalem audire, quia verba dictæ clausulæ conditionem important; *l. A Testatore 109. ff. de conditionib., & demonstrationib.* Conditio autem dat formam omnino observandam; *l. Qui heredi 34. & l. Mævius 55. ff. eod.* adeoque dicta clausula quoad Confessionem a Pœnitente præmittendam, & a Confessario electo audiendam, est omnino ad valorem dispensationis observanda; *arg. l. Diligenter 5. ff. Mandati, cap. Cum dilecta 22. de Rescriptis*, Conrad. *in praxi dispensat. lib. 8. cap. 10. num. 31.* Vincentius de Justis *de dispensat. lib. 1. cap. 8. num. 106. & seq.* Gobat. *in Quinar. tract. 5. cap. 37. num. 176.* Reiffenst. *lib. 4. decret. in Append. de dispensat. §. 6. num. 457. & seq.*, & ratione moderni stylI Pœnitentiariæ introducti tempore Pauli V. testibus Conrado, & Vincentio de Justis *loc. cit.* jam omnes DD. communiter, quamvis ante dictum Stylum varii scripserint contrarium. 11

Quarta clausula: *Ac sublata occasione, si qua adhuc extat amplius cum d. sorore peccandi* indicat, Confessarium non posse dispensationem exequi, nisi prius Pœnitens talem occasionem proximam peccandi deseruerit, & se a tali inceitu emendaverit, cum in formula dispensationis sit etiam ipsa posita tamquam conditio, & forma necessario observanda per Jura numero antecedenti adducta. 12

Quinta clausula: *A quibusvis sententiis, Censuris &c. absolvat in forma Ecclesiæ consueta* denotat, Confessarium quoad absolutionem debere uti ea forma, qua Ecclesia in foro Sacramentali uti solet. Reiffenst. *loc. cit. n. 468.* Gobat *in Quinar. tr. 5. c. 37. num. 207.* Bonac. *disp. 1. de Legibus q. 2. part. 2. num. 19.* 13

Sexta clausula: *Injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi pœnitentia salutari, ac Confessione Sacramentali peccatorum suorum singulis scilicet mensibus ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur*, mandat, quod Confessarius debeat necessario injungere pœnitenti, ut per totam vitam ad *minimum semel* in mense confiteatur: Dictio enim *Ad minimum* idem significat ac dictio saltem, quæ est implicativa, non limitativa. Barbosa *de dictionibus dict. 255. num. 6.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 466.* Gobat *loc. cit. num. 213. & 214.* qui *numer. 22.* concludit peccare mortaliter pœnitentem quoties in mense aliquo non confitetur, saltem semel, *arg. Clementin.* 14

Ne in agro 1. de statu Monachor. Reliqua autem gravis salutaris pœnitentiæ opera, cum non sint determinata a Sac. Pœnitentiaria, videntur relicta arbitrio prudentis Confessarii, qui ei imponat juxta verba clausulæ: *Gravi pœnitentia salutari*, Reiffenstuel *loc. cit. num. 467.* ubi inter alias pœnitentias injungendas assignat Litanias, aut quinquies Pater, & Ave singulis diebus per unum, duos aut tres annos recitanda, vel singulis hebdomadis Rosarium per totam vitam, aut jejunium uno, vel pluribus diebus in mense, in hebdomada, eleemosynam faciendam pauperibus &c. 15

Septima clausula: *Dummodo impedimentum præfatum sit occultum*, denotat, quod dispensatio non possit exequi, si impedimentum jam esset manifestum, alias esset invalida etiam pro foro interno, ut tradunt communiter DD. cum super impedimentis manifestis dispensatio obtineri debeat a Dataria Apostolica. Immo si impedimentum occultum, super quo conjuges secreto dispensati jam fuerint, aliquo casu temporis cursu publicari contingeret, dispensatio a Confessario facta non juvaret. Et si tale impedimentum denunciaretur Parocho, quamvis certo sciret conjuges fuisse pro foro conscientiæ secreto dispensatos, & ob id tutos esse coram Deo, nihilominus teneretur deferre d. impedimentum ad Ordinarium, qui quamvis etiam sciret fuisse tales conjuges secreto dispensatos super d. impedimento, si impedimentum probari posset per testes, teneretur ipsos conjuges separare, donec aliam dispensationem pro foro externo a Dataria Apostolica impetraverint. Conrad. *in praxi dispensat. lib. 7. c. 6. n. 35.* Navarr. *lib. 4. consil. tit. de privil. consil. 5. n. 7. in prima editione.* Sanchez, *lib. 3. disp. 15. a n. 9.* Basilius Pontius *de Matr. lib. 5. c. 36. n. 7.* Vincent. de Justis *loc. cit. liber. 1. cap. 6. a num. 175. ad 177. & cap. 8. n. 158. & 159.* Felix Potest. *tom. 1. p. 4. n. 4244.* Reiffenstuel *loc. cit. numer. 489.* testans de communi. 16

Octava clausula: *Et separatio inter latorem, & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum tibi visum fuerit*, mandat Confessario, ut solum dispenset, si omnibus attentis prudenter judicet, conjuges nec sine scandalo amplius separari, nec absque incontinentiæ periculo, ut frater, & soror cohabitare posse. Quod scandalum in separatione, & periculum in continuatione cohabitationis, cum evitari ordinarie nequeat in similibus casibus, non est necesse ad dispensandum, ut Confessarius nimium in his indaget, sed poterit tale scandalum, & periculum sufficienter deducere ex præteritis, & præsentibus aut alias consideratis considerandis personarum, ac rerum circumstantiis, & sic dispensationem exequi, seu dispensare. Vincent. de Justis *lib. 1. c. 8. num. 173. & seq.* Sanchez *l. 8. disp. 34. n. 60.* Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ n. 30.* Reinffenst. *loc. cit. num. 470.* & ipso teste alii communiter. 17

Nona clausula: *Aliudque Canonicum non obstet impedimentum*, vult, quod Confessarius non possit exequi dispensationem, si cognoscat pœnitentem irretitum esse alio Canonico impedimento præter expressum in supplicatione, quamvis bona fide, & ex ignorantia invincibili illud exprimere omiserit. Et ratio est, quia dispensatio non datur, nec data censetur, nisi super supplicatis, & petitis, adeoque non potest extendi ad non expressa, & non supplicata, ut tenent communiter Doctores *arg. cap. Inter dilectos 6. §. Cæterum, de fide instrumentor.* 18

Decima clausula: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut Latoris delictum nusquam detegatur*, indicat, quod ad valide exequendam d. dispensationem, & revalidandum Matrimonium ratione impedimenti invalide contractum, etiam altera pars impedimenti insciа debet aliquo modo prudenter & caute certiorari de nullitate Matrimonii prius contracti. *Scotus in 4. dist. 35. quæst. unic. §. Respondeo, vers. Primus consensus*, Tambur. *lib. 8. de Matrim. tract. 4. c. 7. §. 2. num. 6. & 8.* Pontius *de Matrimon. l. 4. cap. 25. a n. 2.* Guttierez *de Matrim. cap. 47. a num. 4.* Bonacina *disp. 12. de impedim. Matrim. sect. 14. concl. 2.* Sanchez *libr. 8. disput. 36. num. 5.* Navar. *in Manual. cap. 22. num. 17.* Comitol. *lib. 1. resp. moral. qu. 120.* Bossius *de Matrim. c. p. 2. a num. 74.* Coninch. *disp. 24. dubio 10. num. 90.* Aversa *quæst. 11. de Matrim. sect. 4. vers. Quantum ad tertium*, Castropal. *disp. 2. de sponsalib. qu. 7. §. 2. num. 3.* Cardenas *d. 2. num. 673.* Busemb. *lib. 6. tract. 6. cap. 3. dub. 3.* La Croix *lib. 6. part. 3. num. 814.* Gobat *in Quinar. tract. 5. cap. 37. num. 141.* Leo *in praxi ad Litteras Pœnitentiariæ part. 2. pag. 251.* Felix Pot. *tom. 1. parte 4. an. 4247. & seq.* Reiffenstuel *loc. cit. §. 13. n. 587.* testans de communi alior. contra Henriq. Ledesm. & alios apud Sanch. *l. 2. disp. 36. n. 2.* relatos. Et ratio est, quia d. clausula, cum sit in ablativo posita conditionem necessariam importat; *arg. l. A testatore 109. ff. de conditionib. & demonstrat. l. Si cebitor, §. 1. ff. Quibus modis pignora*, adeoque est necessario observanda, *arg. l. Diligenter 5. ff. mandati, cap. Cum dilecta 22. de Rescriptis.* Tum quia Matrimonium prius invalide contractum non potest novo consensu revalidari, nisi utraque pars sciat nullitatem ipsius, cum voluntas non feratur in incognitum, ex Aristotele *2. de Anima, comment. 39.* & nihil incognitum sit volitum ex S. Augustino *13. de Trinitate, & l. Cum Aquiliana 5. ff. de transactionibus* cum similibus. Tum etiam quia teste doctissimo P. Comitolo *loc. cit.* sic expresse respondit Clemens VIII. specialiter ab ipso super hac contraversia consultus, nempe *esse necessarium novum consensum utriusque, admonito prius Marito de Matrimonii nullitate.* Tum tandem quia hic agitur de valore Sacramenti. Unde quamvis contraria opinio esset probabilis, cum nostra sit vere probabilior, ac tutior, & alia minus probabilis, ac minus tuta, sequenda est nostra, alia relicta, utpote subjecta damnationi factæ ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. in 1. propositione, ut advertunt Cardenas *in 2. Crisi dif. 2. a num. 669.* La Croix *l. c. n. 814.* Reiffenstuel *l. cap. num. 605.* & alii. 19

Non est tamen necesse, ut pars conscia certioret partem insciam de causa nullitatis Matrimonii, seu ei revelet, quale fuerit impedimentum, ut tenent communiter DD. sed sufficit, si dicat aliquid ad valorem defuisse, seu dicat se insufficientem consensum non habuisse, quod revera sine mendacio dicere potest, quia consensus ratione impedimenti invalidus, revera non est sufficiens ad valorem Matrimonii, cum consensus invalidus reipsa non sit consensus, eo quod invalidum esse, & non esse paria sint, *arg. l. Quoties 6. ff. Quibus ex justis causis manumissus non sit liber, l. Si non se obtulit 4. §. 6. ff. de re judicata, l. Duo sunt Titii 30. ff. de Testamentaria tutela.* Sic Cardenas *loc. cit. nu. 676.* Sanchez *lib. 2. disp. 36. num. 7.* Reinfenst. *loc. cit. n. 596.* Felix Potestas *loc. cit. n. 4249. vers. Addit.* La Croix *loc. cit. n. 814. in fine*, testans de communi. 20

Sunt tamen graves alii Doctores, qui tenent, requiri quidem ad revalidandum d. nullum Matrimonium utriusque conjugis consensum, sed non esse necesse, ut pars insciа certioretur de nullitate prioris consensus, volentes, quod sufficiat, si pars conscia obtineat a parte insciа, ut pro sua scilicet partis conscia consolatione renovet consensum jam factum, & renovante parte insciа, renovet etiam ipsa pars conscia. Et ratio istorum est, quia tunc conjuges sunt habiles ad Matrimonium, cum supponatur jam ablatum impedimentum per dispensationem, adeoque si mutuo consentiant, habetur (dicunt ipsi) id, quod requirit essentia Matrimonii. Nec videtur conditio necessaria, ut conjux insciа certioretur de prioris consensus nullitate, sed potius videtur simplex instructio: Alias si id necessarium esset, sæpissime dictæ dispensationes suo valore frustrarentur, cum ut plurimum pars insciа certiorari non possit absque gravi partis conscia periculo. Sic Vincent. de Justis *loc. cit. lib. 1. c. 8. n. 181.* cum Reginald. Trullench, Bonac. & aliis ibi allegatis, Sotus, Rodriq. Henriq. & alii apud Sporer *de Matrim. c. 2. sect. 2. n. 459.* Castropal. *l. c.* Bossium *l. c. n. 37.* & apud La Croix *loc. cit. n. 814.* qui dicit Lessium, Gobat. aliosque communiter admittere hanc sententiam in casu extremæ necessitatis v. g. si pars conscia timeat aliam partem dilensuram, indeque oriri gravissima mala sibi, aut proli, perpetuas inimicitias, gravissima scandala, & mortem, quæ mala nequeant aliter evitari, quam omittendo hujusmodi certiorationem partis insciæ. Tunc enim (dicunt ipsi) d. necessitas videtur salvare reverentiam Sacramenti, ideoque illam non videtur comprehendere damnatio Innoc. XI. in cit. 1. propositione. Hæc illi. 21

Sed cum verior, & tutior sit nostra sententia asserens ad revalidandum Matrimonium requiri, quod pars insciа de nullitate certioretur aliquo modo, vel formaliter, & absolute, vel saltem æquivalenter, traditur hic quidam modus, qui inservire potest ad sufficienter insinuandam parti insciæ nullitatem Matrimonii, & ad evitanda mala, quæ inde oriri possent. Et est, quod pars conscia de nullitate Matrimonii nacta commodam occasionem discurrendi, sive per se, sive per alium de præsentia Matrimonii, de gratiis Sacramentalibus, 22

bus, & bonis, quæ inde conjugatis obveniunt, deque pluribus impedimentis occultis, & variis causis, ob quas Matrimonium potest esse nullum, etiam inter conjuges in optima fide existentes, & ob id privari dictis gratiis, & bonis, partem insciam de nullitate, sic caute, & prudenter disponat, ut interne consentiat ad novum Matrimonium conditionate; ita quod si ex aliqua causa Matrimonium vere contrahere, ne forsan tantis fraudentur Sacramentalibus gratiis, ac bonis. Quod facillime eveniet, si conjux conscius ostendat conjugi insciæ magna amicitiæ conjugalis signa, dicatque, *si nullum fuit Matrimonium nostrorum, hic, & nunc accipio te in meum uxorem, quasi nunquam accepissem* quia tunc statim respondebit conjux insciа nullitatis: *Et ego idem facio, seu hic, & nunc etiam ego accipio te in meum maritum quasi nunquam accepissem, aut quid simile*. In tali enim casu licet ita consentiens non habeat cognitionem formalem, habet tamen cognitionem æquivalentem de nullitate, hoc ipso, quod facta nullitatis mentione, & memoria forsan existentis, expresse consentiat, vereque de novo velit Matrimonium contrahere, & de præsenti contrahat, si forsan prius Matrimonium, cum notitia, seu cognitio nullitatis prioris Matrimonii præcisè ideo requiratur, ut novus consensus partis insciæ non referatur ad prius Matrimonium, quod putat validum, sed vere detur ad novum de præsenti contrahendum. Qui consensus vere de præsenti ad novum contrahendum Matrimonium datur per supradictum modum hoc ipso, quod nullitatis forsan existentis memor expresse dicat: *Si nullum fuit Matrimonium nostrum, hic & nunc accipio te* &c. aut quid simile. Nec refert, quod d. consensus detur sub conditione, quia consensus datus sub conditione de præsenti, vel præterito æque valet, ac consensus absolutus, si conditio est vera, ut in nostro casu, *l. Cum ad præsens 37. ff. de rebus creditis &c. §. Conditiones 6. Instit. de verbor. oblig.* Sic Sporer *de Matr. c. 2. sect. 2. n. 459.* id pro certo habens cum Herinex *de Matr. disp. 6. q. 3. num. 33.* Sanch. *lib. 2. disp. 36. n. 5.* Gobat *in Quinar. tr. 6. c. 37. a n. 32.* Bosco *de imped. Metrim. disp. 12. sect. 14. concl. 2.* Henno *tom. 2. de Matrim. disp. 3. q. 4. concl. 4. vers. Respondetur, Convocato,* Reiffenstuel *loc. cit. n. 597. & 603.* & alii passim.

23 Alii ab aliis adducuntur modi pro revalidandis similibus Matrimoniis, qui brevitatis gratia videndi relinquuntur apud ipsos, & signanter apud Sanchez, Sporer, Reiffenstuel, Castropal. La Croix *loc. cit.* Solum hic advertendo, quod in omnibus semper requiritur, quod consensus pro novo Matrimonio debeat præstari de præsenti, & in præsenti dicendo v. g. *Si matrimonium nostrum esset nullum, nunc de novo tecum contraho*, & quid simile; nec sufficit consensus præstitus in præterito imperfecto dicendo: *Si Matrimonium nostrum esset nullum, vellem tecum contrahere*, quia ly *Vellem* non importat actualem consensum de præsenti requisitum pro essentia Matrimonii, ut recte advertunt Sanch. *lib. 2. disp. 36. num. 5.* Reiffenst. *loc. cit. n. 604.* & alii communiter.

24 Talis revalidatio Matrimonii nulli ob impedimentum occultum quocunque modo fiat non est necesse, quod fiat coram Parocho, & testibus. Sic enim clare habetur ex formula dispensationis Sacræ Pœnitentiariæ, quæ mandat secreto, & nullis adhibitis testibus de novo contrahi Matrimonium, & sic expresse declarasse S. Pium V. refert Navar. *in Summa cap. 22. n. 70.* Reiffenst. *loc. cit. n. 612.* Pontius *de Matrim. lib. 5. c. 6. a n. 5.* Pignatell. *tom. 8. consult. 27.* Tambur. *loc. cit. §. 3.* Cardenas *in 2. Crisi diss. 2. n. 667.* La Croix *loc. cit. n. 815.* Felix Potest. *loc. cit. n. 4248.* alii testantes etiam sic declarasse Sacr. Congr. Card. & Rotam Romanam. Et declarationes, quæ in contrarium possent afferri, intelligendæ sunt in casibus, ubi impedimenta sub publica, ut recte explicat Pignatell. *loc. cit. & alii*, ac colligitur ex Decreto Sacræ Congreg. Conc. quæ 25. Maii 1657. censuit, hujusmodi Matrimonia esse nulla, sed prævia dispensatione Sedis Apost. esse renovanda servata forma Concilii Trid. *Dummodo impedimenta sint publica*. Sic apud Pignatell. *loc. cit. num. 5.* Et ratio nostræ conclusionis est, quia cum dictum Matrimonium fuerit publice contractum in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus, cessat inconvenientia, scandala, ac mala, ob quæ evitanda Tridentinum *sess. 24. de refor. Matrim. cap. 1.* præscripsit præsentiam Parochi, & testium esse adhibendam, adeoque &c. Sic Pignatell. Navar. Pontius, Cardenas, Reiffenstuel, La Croix *l. c.* cum innumeris aliis apud ipsos, quibus accedit praxis.

25 Undecima Clausula: *Matrimonium cum eadem, & utercunque inter se de novo secrete ad evitanda scandala* aperte declarat posse d. Matrimonium de novo contrahi sine Parocho, & testibus, ut dictum est *n. antec.*

Duodecima clausula: *Prolem susceptam, si qua sit, & 26 suscipiendam exinde legitimam de cernendo in foro conscientiæ & in ipso actu Sacramentalis Confessionis tantum, & non aliter, neque ullo alio modo: Ita quod hujusmodi absolutio, & Dispensatio Latori in foro judiciario nullatenus suffragentur*, de se clara est, & manifeste demonstrat, quod Sacra Pœnitentiaria absolvit, dispensat, & legitimat in solis casibus occultis, & pro solo foro interno, & nullatenus pro foro externo, si aliquando impedimentum evaderet manifestum; Unde tam dispensatio, quam prolis legitimatio necessario fieri debet pro solo foro interno in ipso actu Sacramentalis Confessionis, alias si fiat extra ipsam, erit invalida etiam pro foro interno, juxta dicta *supra num. 16.* cum sit nimis clara dicta clausula, quæ expresse pro forma præscribitur.

Tertiadecima clausula: *Nullis super his testibus adhibitis, 27 aut Litteris datis, seu processibus confectis*, mandat, quod pro dispensatione facienda, seu facta nulli adhibeantur testes, nec de ea facta Confessarius det Litteras testimoniales, aut conficiat processus, nec ipsemet oretenus desuper testetur, sed circa eam in foro externo se habeat tamquam penitus nescius, cum fuerit facta præcise sub actu Sacramentalis Confessionis.

Quartadecima clausula: *Sed præsentibus laniatis, quas sub 28 poena Excommunicationis latæ sententiæ laniare teneatis; ita ut nullum earum exemplum extet*, præcipit, quod sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ, & consequenter sub gravi peccato teneatur Confessarius Litteras dispensationis taliter lacerare, corrumpere, comburere &c. ut nullatenus possint notitiam parere, & inservire pro foro externo.

Quintadecima clausula: *Neque eas Latori restituas*, pro- 29 hibet sub gravi peccato, ne Confessarius dictas Litteras jam executas iterum pœnitenti restituat; Quamvis tamen, si nondum fuerint executæ, vel quia ex aliqua causa ipse exequi recuset, vel quia Pœnitens alium promptiorem, & benigniorem jam elegit ad id Confessarium, ipsas iterum pœnitenti tradere teneatur: Pœnitens enim, si unus Confessarius electus exequi dictas Litteras recuset, vel ob nimium rigorem sibi displiceat, potest variare, & alium benigniorem opinionis eligere, ut patet ex dictis sub verb. *Executor Litterarum Apostolicarum num. 47.*

Sextadecima clausula: *Quod si restitueres, nihil ei præsen- 30 tes Litteræ suffragentur*, indicat, quod etiamsi Confessarius illas, non obstante tali gravi prohibitione pœnitenti iterum traderet, nihil prorsus ei pro foro externo suffragarentur, remanente tamen in suo esse valore, & effectu pro foro interno, pro quo legitima jam fuit facta executio.

Clausula *Gratis ubique*, quæ a tergo solet inscribi, præ- 31 scribit, quod nec Officiales Pœnitentiariæ, nec Executores Litterarum ipsius possint aliquid exigere, vel acceptare etiam sponte oblatum, nec etiam sub prætextu incommodi, & laboris; Gobat *in Quinar. tract. 5. cap. 37. num. 279.* Lezana verb. *Litteræ Apostolicæ num. 34.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 487.* & alii communiter. Post executum vero dispensationem posse recipi munera gratis oblata, tenent Sanchez *libr. 8. disp. 35. a num. 9.* Guttierez *de Matrim. cap. 128. numer. 9.* Filiuc. *tom. 1. tract. 10. part. 2. cap. 10. num. 365.* Trullench *tom. 3. lib. 7. cap. 10. dub. 11. num. 4.* Reiffenstuel *loc. cit. numer. 321. & 487.* Vincent. de Justis *lib. 1. cap. 6. n. 235.* & alii, eo quod talis prohibitio videatur respicere solum tempus ante dispensationem, ne Officiales, aut Executores muneribus excæcati munus suum minus recte exequantur. Cavendum est tamen, ne ante ipsam dispensationem fiat aliqua promissio, vel verbis expressis, vel signis, aut verbis æquipollentibus dandi aliquid post factam dispensationem, quia tunc per ipsam promissionem, aut datam intentionem violaretur præceptum, ac si illud fuisset effective traditum, & acceptum ante dispensationem, cum sic Officiales, aut Executores possent corrumpi per d. promissionem, ac per realem, & effectivam largitionem, ac receptionem.

Adducta, & satis explicata formula Litterarum dispensa- 32 tionis super impedimento occulto affinitatis post contractum Matrimonium, quæ variatis variandis, inservire potest pro aliis consimilibus occultis impedimentis, adducitur hic formula absolutionis dandæ, & dispensationis exequendæ super dicto impedimento occulto affinitatis ex copula illicita proveniente ad remanendum in Matrimonio contracto. Postquam igitur dixerit Confessarius *Absolvo te a peccatis tuis &c.* debet addere: *Insuper Auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento primi, vel secundi affinitatis gradus ex copula illicita, quam cum sorore, matre, vel &c. tua putatæ conjugis habuisti, ita ut illo non obstante renovato consensu cum prædicta conjuge Matrimonium cum illa contrahere, consummare, & in eo remanere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii &c. Item eadem auctoritate Apostolica prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.* Quæ item formula variatis variandis, potest etiam inservire pro aliis consimilibus casibus occultis.

33 Hic pro complemento advertendum est, quod Confessarius potest absolvere, & dispensare pœnitentem, quamvis ante executionem dispensationis obtentæ iterum copulam illicitam habuerit cum eadem sorore fœminæ, quam ducere intendit, quia repetita illa copula non inducit novum impedimentum affinitatis, sed manet illud unicum, quod prius contractum erat, sicuti si antequam obtinuisset dictam dispensationem decies v.g. illam eamdem sororem cognovisset, unicum esset impedimentum, nec in supplicatione opus fuisset exprimere quoties illam cognovisset, cum affinitas non per diversas copulas cum eadem persona, sed solum per diversas personas multiplicetur; Sanchez *lib. 8. disp. 24. num. 38.* Pontius *lib. 8. cap. 17. §. 5. num. 30.* La Croix *lib. 6. part. 3. num. 990.* Vincentius de Justis *lib. 1. cap. 4. num. 162. & seq.*

34 cum aliis ibi citatis. Secus autem esse dicendum, si post obtentam ipsam dispensationem nondum executam, dictus pœnitens iterum copulam haberet, non cum eadem dicta sorore, sed cum alia persona diversa intra secundum gradum conjuncta fœminæ, quam ducere intendit, quia tunc insurgeret novum impedimentum, & nova opus esset dispensatione, cum dispensatio non extendatur ad alias affinitates, seu ad alios casus postea exortos; Ludovisius *dec. 34. num. 2.* De Justis *loc. cit. num. 163. & 164.* & alii citati. Unde denuo deberet in tali casu recurri ad Sacram Pœnitentiariam, & exponi integre factum.

35 Dispensatio concessa, seu gratia facta a Sacra Pœnitentiaria, seu Majori Pœnitentiario, non expirat morte Pontificis, etiam re integra. Ejus enim auctoritas non expirat morte Papæ. Et si Major Pœnitentiarius, aliique Pœnitentiarii, Sede Romana vacante, moriantur, alii subrogantur a Collegio Cardinalium; *Clementin. de electione cap. Ne Romani §. Eo tamen*, Pius IV. Const. 53. incip. *In sublimi*, S. Pius V. Const. 83. incip. *In omnibus*.

INSTRUCTIO

Pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentiss. D. Cærdin. Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

Additio Auctoris e Supplemento Novissimo.

1 IN primis, Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, & humana Majestas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, quod imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti fallum.

2 Interrogetur de nomine, & cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3 An sit Civis, vel exterus, & quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco, in quo Testis ipse deponit.

4 An ad examen accesserit sponte, vel requisitus: Si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax: Si vero dixerit accessisse requisitus, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes?

5 Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6 Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiitat? Si responderit negative, Testis dimittatur; Si vero affirmative;

Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri? Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit, contrahere volentes esse cives; 7

Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præsenti? 8

Item an ipse Testis sciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi Matrimonium? Si Testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra; 9

Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum &c. & quod ipse Testis nesciat; Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis Testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum &c. Si vero responderit negative. 10

Interrogetur de causa scientiæ, ex qua deinde Judex colligere poterit, an Testis sit danda fides? Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos, 11

Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse Testis sciat, fuisse conjuges, & nunc esse mortuos? Et si responderit mortuos fuisse in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a Rectore Hospitalis, in quo prædicti decesserunt, vel Rectore Ecclesiæ, in qua humana fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest, a Duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles; Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, & sufficientes. 12

Interrogetur an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus, transierit ad secunda vota? Si responderit negative, 13

Interrogetur an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse Testis sciat? Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative; 14

Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, necne? 15

Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, & in aliis, servata forma *Concil. Trid. in cap. Multi, sess. 24.* Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita Sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, & sigillum, & attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene, & concludenter identificent personas, de quibus agitur. 16

Pro testibus in hac materia, recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia præsumuntur melius informati; & cives magis, quam exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio; Et Notarius exacte describat personam Testis, quem si cognoscit, utatur clausula, *mihi bene cognitus*; sin minus examen non recipiat, nisi una cum persona Testis, aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius Testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum. Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputatus ab Eminentissimo Vicario; & extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel 17

aliqua persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputata; Alias puniatur Notarius arbitrio Sacræ Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

18 Ordinarii præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Dioecesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Vicario Generali prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerint examinati testes in eorum Tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, &c. Contravenientes autem severe puniantur.

Franciscus Richardus S. Romanæ & Universæ Inquisitionis &c.

INSTRUMENTA. Vide verb. *Scripturæ*.

INTENTIO.

1 INtentio generatim sumpta est actus voluntatis volentis aliquid facere, vel fieri a se, vel ab alio; *Est in re communis*. Intentio dividitur in actualem, virtualem, habitua-
3 lem, & interpretativam. *Intentio actualis* est illa, quam quis actu elicit, & habet, dum actualiter facit opus intentum, actu scilicet cogitans, & volens, seu intendens illud,
4 quod facit. *Intentio virtualis* est illa, vi, seu virtute cujus antea realiter habitæ, & non revocatæ hic, & nunc aliquid fit, quod alias non fieret. Licet enim talis intentio actu jam præterierit, adhuc tamen manet *in virtute sua*, in quantum vi ejus applicantur potentiæ exteriores ad actum, licet operans non attendat hic, & nunc ad id, quod exequitur. Talem intentionem virtualem habet, v. g. Sacerdos, qui ex voluntate, seu intentione actuali celebrandi Missam induit se sacris vestibus, & vadit ad Altare, & dum celebrat, sit distractus, & ex distractione non considerat actualiter actum, quem exequitur; talis Sacerdos sic distractus, dicitur celebrare cum intentione virtuali, quia virtute intentionis prius actualiter habitæ celebrandi Missam applicantur potentiæ exterio-
res ad omnes illos actus concurrentes, & perficientes Missæ
5 celebrationem. *Intentio habitualis* est volitio, seu intentio mere præterita, & non revocata, sed ita interrupta, ut nec in se, nec in virtute, seu efficacia censeatur adhuc perseverans in aliqua operatione moralis, cum talis habitualis intentio possit esse nedum in homine rationis compote, vigili, &
6 sobrio, sed etiam in homine rationis impote, dormiente, & ebrio, qui tamen moraliter operari nequeunt. Unde in hoc potissimum differunt inter se Intentio habitualis, & Intentio virtualis, quod Intentio habitualis duo tantum requirit; Primo quod præcesserit Intentio actualis, Secundo quod talis intentio non sit revocata. At vero intentio virtualis ultra hæc duo requirit aliquod tertium, *ideo* remanentem aliquam vir-
7 tutem, vim, & efficaciam influentem, & moventem ad opus præsens intentum, ut patet ex dictis *n.4. Intentio interpretativa* est illa, quam homo nunquam habuit, est tamen
8 ita comparatus animo, ut eam haberet, si de ea cogitaret.

9 Intentio alia est *explicita*, qua volumus, & intendimus aliquid in se clare cognitum, & cogitatum. Alia *implicita*, qua volumus, & intendimus aliquid solum confuse cognitum, volendo aliquid, sub quo, vel in quo illud continetur; Sic qui *vult v. g. Subdiaconatum* cognoscens in confuso, quod aliqua onera gravia sint illi annexa, implicite intendit obligationem ad Castitatem, & ad Horas, quamvis de
10 illis explicite, seu expresse non cogitet. Alia *directa*, qua
11 volumus, & intendimus aliquid in se ipso formaliter, & positive. Alia *indirecta*, qua aliquid in se ipso directe quidem minime volumus, & intendimus directe causam aliquam, unde videmus illud aliud tamquam effectum secuturum, Sic volens bibere vinum meracum probe advertens se inebriandum, quamvis tunc minime velit, & intendat ebrietatem directe in se, ipsam tamen vult, & intendit indirecte tam-
12 quam previsum effectum illius potationis. *Alia absoluta*: qua volumus, & intendimus aliquid simpliciter, ac libere
13 independenter ab omni conditione. *Alia conditionata*, qua volumus, & intendimus aliquid solum dependenter a tali, *vel tali* conditione, ita ut nostrum velle non sit efficax, *nisi* illa conditio ponatur, vel posita esse cognoscatur,

14 Ad valide conficienda, seu ministranda Sacramenta, quam vis sit optima, non est tamen necessaria intentio actualis; *Communissima*. Est enim ad id plene sufficiens intentio *virtualis*, ut sentiunt communiter Doctores cum S. Thom. 15
3. part. Summ. qu.64. art. 8. S. Bonaventura *in Breviloq. 6. part. cap.5. de sacr. dispens.* Scoto *in 4. dist. 6. q.6.* & aliis passim. Et ratio est, quia talis virtualis intentio sufficit ad omnes alios humanos contractus, & actus, nec Christus majorem intentionem, & attentionem requisivit ad Sacramentorum confectionem, & administrationem, quam ad alios humanos contractus, & actus, adeoque &c. Non sufficit autem Intentio habitualis, quia ex habitu agere non est hu- 16
mano modo agere, ut quisque fatetur de eo, quod ilustrus, aut phræneticus, aut dormiens agit vi habitus, quem contraxit; *Communis*. Multo minus sufficit Intentio interpretativa, *quia hæc, ut patet ex ejus definitione*, nec est, nec 17
fuit intentio re ipsa existens, sed tantum, quæ existeret, si occurreret cogitatio de illa elicienda. Quod autem non est, non potest dirigere confectionem, seu administrationem Sacramenti, ut nomine Christi, & humano modo fiat, adeoque &c. *Communis*. Nec etiam sufficit Intentio indirecta, 18
tantum, quia ebrius v. g. prout in exemplo allato *sub numer.*11. pro hac intentione indirecta non agit humano modo, & moraliter, sed mere naturali, ac brutali, cum non agat libere, seu ex deliberatione *rationis*: Imo dato etiam quod se inebrians, & prævidens se in ebrietate adhibiturum materiam, & formam, antea expresse intendat, & velit conficere Sacramentum in ebrietate, adhuc *nihil* efficiet, quia illa intentio præcedens moraliter nullo modo influit in actionem secutam in ebrietate, sed eam mere naturalem, & inhumanam relinquens, manet mera *intentio habitualis*: *Communis*. Nec tandem sufficit intentio conditionata sub conditio- 19
ne de futuro; *Communis*. Et ratio est, quia intentio Ministri Sacramenti debet adesse, quando fit actio Sacramentalis, cum non sit in ejus potestate suspendere effectum Sacramenti in futurum: Intentio autem conditionata de futuro, eo ipso, quod sit suspensiva in futurum, non adest, nec quidquam operatur de præsenti, quando fit actio Sacramentalis, cum conditio nondum sit posita. Imo neque operabitur in futuro, quando ponetur conditio, quia tunc non erit amplius actio Sacramentalis, neque ipsa intentio, nisi ad summum habitualis nihil operans, adeoque &c. Sufficit tamen Inten- 20
tio conditionata sub conditione de præsenti, vel præterito, dicendo v. g. *Si adhuc vivit, si non fuisti baptizatus, ego te baptizo, si es capax, si concubinam domo ejecisti, ego te absolvo*. Et ratio est, quia conditio de præsenti, aut præterito, cum sit posita extra causam, & non sit dependens in futurum, non suspendit intentionem, & actionem; sed mox facit transire in absolutam, & efficacem.

Ad valorem Sacramenti non sufficit in Ministro intentio 21
ponendi materiam, & formam ex joco: *Est de fide* contra Lutherum, Calvinum, & alios apud Bellarmin. *de Sacramentis lib.*1. *cap.*17. qui dicunt sufficere, si res, & verba, quomodocumque ponantur, dummodo adsit fides in suscipiente; Colligitur ex Concilio Florentino *in decreto Eugenii IV. ad Armenos*, & Conc. Trid. *sess.7. can.* 11. ubi ad valorem Sacramenti statuitur requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, & etiam ex articulo 12. inter justissime damnatos a Leone X. Constit. incip. *Exurge Domine*, ibi: „ Si per impossibile confessus non esset contritus, aut „ Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen credat „ se absolutum, verissime est absolutus, " quem articulum etiam expresse damnat Conc. Trid. *sess.*14. *de Poenitent. Canon.9.* ibi; „ Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem „ Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum Mini- „ sterium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata „ confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut „ Sacerdos non serio, sed joco absolvat . . . anathema sit. Quod autem dicitur de absolvente, valet de conficiente quodvis aliud Sacramentum.

Neque etiam sufficit ad valorem Sacramenti intentio tan- 22
tum materialis ponendi materiam, & formam serio, & pure materialiter, sed necessario requiritur intentio formalis ponendi ea, ut Sacramentalia, & saltem faciendi, quod facit Ecclesia; *ideo* non sufficit in Ministro intentio pure materialis, & externa, sed requiritur intentio vere formalis, & interna; *Est fere communis* contra quosdam antiquos, & aliquos recentiores relatos, & secutos a Juenin, *dissert.*1. *de Sacramentis in genere quæst.*5. *art.*3. *per tot.* ubi acriter tenet, & defendit ponentem serio materiam, & formam, etsi non intendat Sacramentum, imo positive dicat, *Nolo facere Sa-*

cramentum, equidem illud conficere, quia intentio illa contraria tantum est inefficax, quandoquidem, illa non obstante, ponat partes Sacramenti constitutivas, adeoque Sacramentum. Ast hanc opinionem vocat Augustinus Bernal. *d.* 17. *num.*55. omnino falsam, Herincx *d.* 3. *num.* 16. improbabilem, Ariaga *d.* 19. *num.*13. non tantum improbabilem, sed forsan etiam plene erroneam, Lugo *d.*8. *num.*15. dicit parum distare ab errore Hæreticorum, Vasquez *d.*138. *num.*34. putat esse expresse damnatam, ideoque *num.*29. dixerat oppositum esse ab Ecclesia definitum, & La Croix *lib.6. part.*1. *sub num.*54. dicit hoc esse saltem certissimum, postquam Alexander VIII. *die* 7. *Decemb.* 1690. damnavit sequentem propositionem 28. in ordine, ibi; *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem Ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo facere, quod facit Ecclesia*. Et per hanc damnatam propositionem, fuisse damnatam supradictam opinionem tenent Viva *in d. propositione* 28. *Alexandri VIII. num.* 1. Henno *in Theologia Dogmatica tom.*2. *tract. de Sacramentis disput.*4. *qu.*2. *art.*2. *concluf. unic.* & alii passim, quamvis Juenin. *loco cit. art.*1. contendat per ipsam non damnari talem opinionem, imo Henno *loc. cit.* & alii dicunt, talem opinionem expressissime contrariari Conc. Trident. *sess.*14. *de Poenitentia*, ubi La Croix *loc. cit.* recte observat Concilium ibi requirere in Sacerdote animum non tantum serio agendi, sed vere absolvendi; dicit enim ibi Concilium; „ Atque ideo- „ non debet Pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, „ ut etiamsi . . . . Sacerdoti animus serio agendi, & vere „ absolvendi desit, putet se esse absolutum vere, & coram „ Deo, *ubi nota verba illa*, serio agendi, & vere absol- „ vendi. " Quod autem dicitur de hoc Sacramento, idem est de aliis.

23 Probatur igitur veritas nostræ conclusionis, & simul ostenditur falsitas contrariæ opinionis. De fide est requiri ad Sacramenta intentionem faciendi quod facit Ecclesia; habetur expresse definitum ex Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. ad Armenos, ibi; „ Omnia Sacramenta tribus per- „ ficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tam- „ quam forma, & persona Ministri conferentis Sacramen- „ tum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & ex „ Conc. Trident. *sess.*7. *canon.*11. ibi; *Si quis dixerit*, in Mi- „ nistris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non „ requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit. Atqui Ecclesia non facit cœremoniam prophanam, & materialem, sed Sacram, & formalem, non naturalem, sed Sacramentalem: Ecclesia enim per suos Ministros *in* conficiendis Sacramentis operatur nomine Christi, cum quilibet ejus respective Minister dicat in nomine Christi: *Ego te absolvo*: *Hoc est Corpus meum*, & hujusmodi. Unde Apostolus 1. *Corinth.* 4. dicit; *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei*. Ergo non solum requiritur ad Sacramentorum valorem intentio ponendi serio ritum externum ab Ecclesia præscriptum, sed etiam intentio operandi nomine Christi, atque adeo sine intentione faciendi formaliter, quod facit Ecclesia, nullum Sacramentum valide conficitur, seu confertur, & a fortiori, si habeatur intentio opposita dicendo: Non intendo facere, quod facit Ecclesia.

24 Tum quia Ecclesia in Rubricis Missalis §. 7. *de defectu intentionis* expressissime declarat Sacerdotem serio proferentem formam super materiam præsentem; & quidem in iis circumstantiis, in quibus creditur ab omnibus consecrare, nihil tamen efficere, si desit intentio consecrandi: *Si quis habeat coram se*, inquit, *undecim Hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio*. Quid clarius? Certe ex his evidenter apparet, solum contumacem posse deinceps de Ecclesiæ mente circa hoc dubitare. Tum etiam quia si Ecclesia tantum exigeret intentionem ponendi ritum externum, nunquam exegisset ultra positionem materiæ, & formæ, intentionem Ministri, cum sit impossibile, ut quis in sui præsentia ponat materiam, & formam, & non intendat ponere.

25 Aliæ rationes passim assignantur a Doctoribus, & signanter ex absurdis, quæ sequerentur. Nam si sufficeret sola intentio illa materialis, qua quis libere velit ponere talem materiam, & recitare talia verba, quæ ad Sacramentum requiruntur, sequeretur, quod Sacerdos legens ad mensam ex Sacris Bibliis, vel alio libro verba illa: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est Sanguis meus*, consecraret omnem panem, & omne vinum in mensa appositum. Item si quis in Theatro ageret personam Constantini, & modo agendi externo baptizaretur, reipsa rebaptizaretur, & alia hujusmodi, quæ sine dubio sunt maxima absurda; unde ne hæc admittantur, dicendum est, quod ad conficienda Sacramenta non sufficit intentio sola materialis, sed requiritur necessario intentio formalis conficiendi Sacramenta.

Objiciunt adversarii varias auctoritates Sanctorum Patrum 26
& signanter, aliis brevitatis gratia omissis, auctoritatem Sancti Augustini, & S. Thomæ. Sanctus enim Augustinus, dicunt ipsi, *lib.*7. *contra Donatistas cap.*53. docuit, Baptismum fallaciter collatum valere, præcise dicens: *Nihil interest ad integritatem Sacramenti in Ecclesia Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant*, & S. Thomas *in* 4. *distinct.*6. *qu.*1. *art.* 2. sic præcise docet: *Non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta, & ideo, si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est Cathecumenus*: Quod confirmat *in sua Summa* 3. *part. qu.* 64. *art.*8. *ad* 2. ubi postquam retulit opinionem eorum, qui mentalem intentionem requirunt in Ministro, ut Sacramenta valeant, sic de opposita sententia loquitur: *Alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister; in verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel recipientis*.

Ad supradictas autem auctoritates respondetur, quod 27
S. Augustinus ibi loquitur de Baptismo dato, & accepto fallaciter, hoc est in schismate, cum Hæresis, Schisma, & iniquitas Ministri non obstet valori Sacramenti: Sic respondent P. Viva *in cit. damnata ab Alexandro VIII. propositione* 28. *n.*5. & alii. Sanctus vero Thomas (quem ob allata testimonia fecerunt oppositæ sententiæ Patronum, Vasquez, Bernal. & alii, & præcipue Juenin. *loc. cit.* §.3. *per totum*) ibi solum docet non requiri intentionem mentalem expressam, seu exterius manifestatam, ut interpretatur Gonetus ex contextu, expresse enim *art.* 10. requirit intentionem internam ad validitatem Sacramenti: Sic Viva *loc. cit. num.* 5.

Objiciunt adhuc Adversarii dicendo, quod Lutherani, & 28
Calvinistæ V. G. non intendunt facere, quod facit vera Ecclesia, nempe Romana, sed solum quod facit sua Ecclesia Lutherana, & Calviniana, & tamen valide baptizant, adeoque &c. Sed statim respondetur distinguendo antecedens. Non intendunt intentione particulari, & explicita, concedo; intentione generali, & implicita nego: Intendunt enim facere, quod instituit Christus, & consequenter cum nihil faciat Ecclesia Romana, quam quod Christus instituit, intendendo primum, intendunt secundum. Quamvis enim falso credant non Romanam Catholicam, sed suam Lutheranam, & Calvinianam esse veram Ecclesiam, adhuc tamen volendo facere, quod *vera Ecclesia facit*, implicite volunt facere verum Sacramentum, quod vult facere vera Ecclesia, etiamsi ipsi circa existentiam veræ Ecclesiæ errent.

Instant dicendo, Atheistæ possunt valide baptizare, sed 29
isti cum nec Deum, nec Christum, nec Ecclesiam agnoscant, imo omnia illa reputent chimerica, non possunt velle, quod Christus instituit, aut Ecclesia facit, ergo &c. Respondetur autem distinguendo Minorem, non possunt velle expresse, & distincte concedo, implicite, & confuse nego, quia possunt velle facere, quod vident a Christianis fieri, & consequenter quod Ecclesia facit, sicut accidit quibusdam Paganis, & Infidelibus, quibus Christus, & Ecclesia erant ignoti; Unde Innocentius IV. *in cap.* 1. *lib.*3. *Decret.* sic dicit: *Non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia*.

Objiciunt insuper adversarii dicendo, quod nostra senten- 30
tia repugnat Divinæ bonitati, quia ipsi Divinæ bonitati repugnat, quod damnetur infans, vel homo tantum attritus propter malitiam Ministri, qui sine intentione interna externe tantum fingit se baptizare, & absolvere, quod non potest evenire in sententia contraria, tenendo nempe, quod ad valorem Sacramenti non requiratur necessario intentio interna, & formalis, sed sufficiat intentio externa, & materialis. Ad id respondet Alensis, Durand. Gabriel, & alii apud Aversam *quæst.* 64. *sect.*3. dicendo, quod Christus in ejusmodi casibus supplet effectum gratiæ, quam opinionem non impro-

improbat S. Thomas, favetque Valentia apud Escobar *lib.*8. *num.*254. & apud la Croix *lib.6. part.*1. *sub num.* 54. Similiter S. Bonaventura, Silvester, & alii apud Dicastill. *de Baptism. d.* 1. *dub.* 13. & La Croix *loc. cit.* putarunt, Deum supplere in Baptismo collato pueris nondum absoluta forma mortuis; Imo Cajetan. putavit tales pueros, qui baptizari non possunt, salvari per fidem parentum; Gerson. docuit Deum saltem quandoque supplere extraordinarie; At recte dicit Suarez *in Comment. ad quæst.* 64. *art.* 8. omnes suppletiones illas non fundari in ulla lege, vel promissione Dei, imo carere omni ratione probabili. Hinc Henriquez opinionem primam vocat imperitam, Cabrera temerariam, & erroneam, Escobar improbabilem, eamque recte confutant Gonet. *d.6. a n.*42. Herincx *d. 6. a n.* 21. Dicastill. *loc. cit.* & alii. Unde dicendum est, tales damnari propter peccata sua originalia, vel actualia, quæ contraxerant, & remissa non sunt. Quod autem remissa non sint, non est defectus bonitatis in Deo, qui dederat media, sed est occasionaliter per malitiam Ministri, quam Deus impedire non tenebatur; imo nec poterat, salva lege ordinariæ Providentiæ. Hactenus citatus P. Claudius La Croix *loc.citat.* Vide Eminentiss. Card. Gotti *tom.*13. suæ Theolog. *quæst.* 7. *dub.* 4. & D. Cajetanum Mariam Merati *tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 7. *n.* 2. ubi multa ad rem.

31 Ad valide recipienda Sacramenta, quorum sunt capaces pueri, & perpetuo amentes, nulla requiritur in ipsis propria intentio, aut consensus; *Communissima* inter Catholicos ex universali Ecclesiæ praxi, quæ tales baptizat, licet noverit
32 intentionis formandæ esse incapaces. In Adultis vero ratione utentibus requiritur semper aliqua intentio diversa pro diversitate Sacramentorum recipiendorum; *Communissima.* Ad
33 Baptismum enim sufficit intentio habitualis semel habita, & non revocata; *Communis ac certa*: Imo sufficit etiam intentio implicita tantum; *Communior, ac probabilior* cum Coninch. Rhodes, Dicastill. Bernal. Haunold. Gobat, Sporer, Bosco apud La Croix *lib. 6. part.* 1. *num.* 168. & aliis contra paucos. Si enim Catechumenus Christianam Fidem jam animo amplexus, aut quivis Infidelis curans se instrui in Fide Christiana animo eam amplectendi, cum fuerit bene instructus, hac voluntate non revocata reperiatur in articulo mortis ratione, & sensibus destitutus, quamvis de Baptismo in specie nunquam cogitaverit, potest valide, & licite baptizari. Nam eo ipso quo voluit amplecti Fidem Christianam, implicite etiam voluit servare Christi præcepta, & admittere media salutis in Christiana Religione constituta, inter quę primum, & omnium maxime necessarium est Baptismus, & consequenter ea voluntate etiam implicita voluit Baptismum saltem pro illa extrema necessitate ſuę æternæ salutis, & sic docet etiam S. Augustinus *lib.*1. *de Adulterinis conjugiis cap.ultimo.*

34 Ad Confirmationem sufficit intentio habitualis forte etiam interpretativa maxime in articulo mortis; Coninch. Ariaga,
35 Bernal. Busemb. La Croix *loc. cit. num.* 169. & alii. Ad Eucharistiam sufficit intentio habitualis; *Communis*. Imo in moribundo sufficit etiam intentio interpretativa, præsertim, si ante confessus est, quamvis jam a mente sit amotus, dummodo absit periculum irreverentiæ; Suarez, Coninch. Rhodes, Lugo, Aversa, Bernal. cum La Croix *loc. cit. n.* 170.
36 Sporer. *tom.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *sect.* 3. *nu.* 154. & alii. Ad Pœnitentiam sufficit intentio habitualis; *Communis*. Imo in moribundo sufficit etiam implicita, vel interpretativa, dummodo dolorem aliquo signo externo exprimat, & in casu, quo nullum signum externum possit exhibere, sufficit sola vita Christiane acta, ut possit saltem sub conditione absolvi; Sporer *loco cit. nu.* 156. Barbosa *in Collectan. ad Concil. Trident. sess.* 24. *de Sacramento Pœnitent. cap.*5. *n.* 2. alios plurimos citans, Marcantius, Herincx, Pontius, Bosco, Bassæus, Anacletus, Felix Potestas, Schilder, Moya, qui hanc sententiam vocant nunc communem. Vide *verb. Absolutio art.* 1, *a n.* 3. *ad* 7. *inclusive*, ubi pluribus adductis late probatur.

37 Ad extremam Unctionem sufficit intentio interpretativa; *Communis* cum Bernal. *loc. cit. n.* 79. La Croix *loc.cit.n.*172.
38 Sporer *loco citat. n.*154. Ad Ordinem non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur saltem intentio habitualis; *Communis*, & secundum Gobat. *tom.* 1. *tract.* 1. *n.* 245. Sporer *loc. cit. n.* 156. & alios, sufficiet etiam intentio implicita,
39 habita scilicet in alio volito Sacramentum istud involvente. Ad Matrimonium non sufficit intentio interpretativa, sed requiritur intentio expressa ad minus virtualis, saltem quan-
40 do contrahitur inter præsentes, eo quod contrahentes sint etiam Ministri; *Communis*. Ratio autem cur potius requiratur intentio saltem virtualis in Ministro, quam in suscipiente? Et in ipso suscipiente sufficiat intentio habitualis, & interpretativa, & hæc non sufficiat in Ministro? Est quia Minister conficiens Sacramentum debet se habere active, & causaliter influere in actionem Sacramentalem, adeoque ejus intentio debet actu, vel in se, vel in virtute a se relicta existere, quando conficitur Sacramentum. At vero suscipiens Sacramentum habet se passive tantum, adeoque in ipso non requiritur intentio, quæ sit causa actionis Sacramentalis, ut est intentio actualis, vel virtualis, sed sufficit in ipso intentio, quæ sit dispositio ad suscipiendum Sacramentum, & recipiendum effectum Sacramentalem, ut est intentio habitualis, & pro aliquibus Sacramentis etiam implicita, & interpretativa, ut patet ex dictis; Sic Sporer *loco cit. n.* 145. Henno *tom.* 2. *tract. de Sacramentis disput.* 3. *quæst.* 2. *conclus.* 4. *vers. Quantum ad Matrimonium*, La Croix *loco cit. nu.*56. & 175. & alii passim.

Ad valide applicandum Sacrificium, seu Missam non requiritur intentio formalis, & explicita, sed sufficit virtualis, & implicita, & ita quidem, ut si Religiosus nemini applicavit suum Sacrum, censeatur esse ejus voluntas, ut prosit illis, pro quibus sacrificari, & applicari mandavit Superior; Diana *part.* 2. *tract.*15. *resol.* 62. Gavant. *part.* 2. *tit.*8. *n.* 3. *litt. P.* Gobat. *tom.*1. *tract.* 3. *n.* 162. Stephanus *tom.*3. *d.* 4. *n.* 61. La Croix *lib. 6. part.* 2. *n.* 204. & alii. Pro tali Missæ applicatione sufficit etiam intentio habitualis semel posita, & non revocata, quamvis ante 10. annos præcesserit; Suarez Coninch, Bonacina, Tamburin. Gobat. Quartus, Stephanus, Pasqualig. cum La Croix *loco cit. n.* 205. Viva *in propos.* 28. *n.* 14. *ex damnatis ab Alexandro VIII.* & alii contra Vasquez, Gran. & alios. Et ratio est, quia applicatio Missæ est veluti donatio de præsenti, sive assignatio rei futuræ, quæ fieri potest anticipate, & sub conditione, qua posita fortiatur effectum, cum purificata conditione talis assignatio conditionata transeat in absolutam. Pro consecrandis parvis Hostiis sufficit intentio ante habita, quamvis postea, dum major Hostia consecratur, ad illas expressa reflexio non habeatur; *Communis* cum Castrop. *part. 6. n.*3. Dicastill. *n.*216. La Croix *lib. 6. part.*1. *n.*458.

Ad recitandas Horas requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum; *Communis, ac certa*. Non requiritur tamen intentio actualis, & explicita, sed sufficit virtualis, quia tunc recitatio censetur adhuc moraliter fieri ex antecedenti intentione actuali, & sufficienter tendit in Deum precandum, vel laudandum; *Communis ac certa*. Et etiam sufficit intentio implicita, ut si quis intendat colere Deum, satisfacere suo officio, obligationi, intentioni, & Ordinationi Ecclesiæ, legere, ne peccet, & hujusmodi, quia in his continetur, vel cum his est connexa voluntas orandi, adeoque &c. *Communis*. Intentio autem mere habitualis, & interpretativa non sufficit, quia certum est, quod intentio pure habitualis, & mere interpretativa non sufficit ad hoc, ut recitatio sit actus humanus, qualis debet esse Oratio: Sporer *tom.*3. *tract. Append. de Horis Canonic. cap.*2. *sect.* 1. *n.*60. La Croix *lib.* 4. *n.* 1326. & alii passim contra Gobat. *tom.* 1. *tract.* 5. *numer.* 738.

Non requiritur expressa intentio recitandi attente, & studiose, quia in intentione orandi includitur intentio attendendi ad Orationem: *Communis*. Intentio nova, vel primæ intentionis renovatio non requiritur, si plures Horæ consequenter recitentur. Neque etiam ea requiritur, si fiat interruptio, & postea prosecutio Horæ, quia hæc resumptio fit ex imperio, & virtute prioris intentionis: *Communis*. Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem Horarum, seu ad auditionem Sacri, sed sufficit intentio ponendi opus debitum: *Communis*, cum Suarez, Sanchez, Bonacina, Castropal. Dicastill. Gobat, Layman *leg.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 7. La Croix *loc. cit. n.* 1329. Sporer *loc. cit. n.* 61. Et ratio est, quia præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc est, ut aliquid fiat, quia præcipitur, sed tantum ad materialem, hoc est, ut fiat quod præcipitur. Ecclesia enim in nostro casu tolum præcipit recitationem Horarum, auditionem Sacri &c. nullo autem modo præcipit, ut recitentur Horæ, ut audiatur Sacrum cum intentione satisfaciendi præcepto. Hinc, qui ignorans esse diem Festum libere interfuit Sacro, is satisfecit, nec postea intelligens esse diem Festum tenetur audire aliam Missam, aut tunc elicere intentionem volendi satisfacere per ipsam Missam auditam, quia quamvis non habuerint intentionem implendi præceptum de auditione Missæ, ipsam audiendo implevit substantiam actus præcepti. S. Thomas, Henriq. Filliuc. cum Busemb. *lib.* 1. *de legibus cap.* 3. *dub.*2. Suarez *disput.* 88. *in* 3. Gobat *tom.* 1. *tract.* 5. *num.* 199. & alii passim.

Imo satisfacit præcepto, qui recitans Horas, seu audiens
52 Sacrum expresse intendit per illam recitationem, seu auditionem non satisfacere, quamvis dicat: *Nolo hac Horarum recitatione, hujus Sacri auditione satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed ut satisfaciam, decerno iterum has Horas recitare, adhuc uni Sacro interesse*; Vasquez *tom.* 2. *quæst.* 100. *cap.* 9. *nu.*5. Suarez *disput.* 88. *in* 3. *part. sect.* 3. ac tursum fuse *tom.* 2. *de Religion. lib.*2. *de Festis cap.* 26. Sanchez *lib.*1. *moral.* cap.13. Bonacina *d.* 4. *de Sacram. quæst. ult. part.* 11. *n.* 23. Palaus *tract.* 3. *d.* 1. *part.* 17. *n.* 12. Dicastill. *tract.* 5. *de Euchar. d. n.* 66. Lessius *lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 10. Valent. *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 10. *in fine*, Layman *lib.*1. *tract.* 4. *cap.* 4. *n.* 7. Gobat. *tom.* 1. *tract.* 5. *n.* 201. Busemb. *lib.*1. *de legibus cap.*3. *dub.*3. La Croix *lib.* 4. *n.* 1330. ubi dicit, sic sentire alios communissime, Sporer *loc. cit. num.*62. Coninch. Lugo, & alii plurimi contra Azorium, Navarrum, Medinam, & alios; Et ratio est, quia illud dictum: *Nolo hac Horarum recitatione, hac Missæ auditione satisfacere præcepto Ecclesiæ*, est inefficax, continet quippe protestationem contrariam facto, & involvit implicantiam in adjecto; ergo non impedit, quominus talis sic dicens revera satisfaciat suæ obligationi. Probatur antecedens, quia Ecclesia non petit ab illo plus quam, ut semel in die recitet Horas, & unum Sacrum audiat die Festo; non enim potest ulla, seu lex, seu ratio adferri qua probetur eam plus exigere, adeoque si semel recitet, seu unum Sacrum audiat, faciet totum id, quod ei præcepit Ecclesia, & consequenter etiamsi sexcenties dicat *nolo, nolo satisfacere præcepto Ecclesiæ*, revera satisfaciet, sicuti, si fuste cædendo aliquem dicat *nolo verberare*, nihilominus & verberat, & sentit alter verbera, ut recte dicit P. Gobat. *loco cit. n.* 201.

53 Nec valet dicere, quod actus non operentur ultra intentionem agentis, adeoque &c: Non valet, inquam, quia id intelligitur, quando est in potestate operantis, V. G. satisfacere, vel non; in nostro autem casu, cum Ecclesia tantum obliget ad substantiam oneris injuncti recitandi Horas, audiendi Sacrum &c. illa scilicet recitatione Horarum, & auditione Sacri posita, non est in potestate operantis, scilicet recitantis Horas, & audientis Sacrum, ut non satisfaciat, cum reipsa faciat totum id, quod est præceptum; obligatio enim parendi legi provenit ex voluntate Legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem, & voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, & in nostro casu, ultra recitationem Horarum, & auditionem Sacri: *Sic supracitati Doctores*.

54 Hinc, qui legit Horas, seu audivit Sacrum non ea devotione, qua voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum præcepto repetere recitationem Horarum, seu auditionem alterius Sacri, esti deinde non repetat, satisfecit tamen præcepto. Dicitur autem notanter, *sine voto tamen*, quia si se obligasset repetere sub voto, peccaret mortaliter
55 non stando suo voto, ut notant Gobat. *loc. cit. n.* 203. & alii citati. Advertendum tamen est, quod si talis persisteret in falsa persuasione, seu opinione, quod non satisfecerit præcepto, nisi repeteret, tunc ipse peccaret ratione conscientiæ erroneæ, nisi vel errorem deponeret, vel Horas Canonicas repeteret, aut aliam Missam audiret &c. *Communis* cum Layman *loco cit. num.* 7. *in fine*, & aliis citatis.

56 Adducitur pro complemento tritum quidem, sed notabile dictum a Purchotio relatum *tom.* 5. *part.*2. *cap.*4. *circa finem* videlicet; *Quicquid agunt Homines, intentio judicat omnes*. Unde Christus *Matth. 6. vers.*22. *&* 23. dixit; *Lucerna corporis tui*, ideſt Operis tui, *est Oculus tuus*, scilicet Intentio (juxta D. Gregor. *lib.* 38. *Mor. cap.*3. *& alios*); *Si Oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; Si autem Oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*.

Additio ex Auctore.

57 Ad Sacramentum valide administrandum, satis esse, ut Minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum, qui ab Ecclesia adhibetur, atque ideo etiamsi suam intentionem retineat, aut interius dicat, se nolle facere quod facit Ecclesia, dummodo exterius serio agat, nullique signo pravam suam voluntatem prodat, ratum perfectumque Sacramentum ab eo perfici, defendit Ambrosius Catharinus *in Opusculo de intentione Ministri*. Ante Catharinum id tenuerant Petrus Cantor, Robertus, Cardinalis Pullus, Paludanus, Silvester, eumque postea sunt sequuti Salmeron. *lib.* 1. *Commentar. in Epist. D. Pauli* 3. *part. disput.* 2. Joannes Marins Scribonius *in Summa Theolog. de Sacrament. in genere, quæst.* 6. *&* 7. Vincentius Contempsonius *in suo Tractat. de Sacrament. in genere*. Hyacinthus Serry *in vind. vind.* Natalis Alexander, Gaspar Juenin, aliique recentiores, quæ opinio licet proprie non coincidat cum sententia Lutheri, & Calvini, ut varii contendunt, vix tamen amplius sustineri potest, ut docet Benedictus XIV. de Synodo Diœcesana *lib.* 7. *cap.*4. *a num.*6. *ad* 9. cum negari non possit grave vulnus præfatæ opinioni inflictum fuisse ab Alexandro VIII. per propositionem 28. inter ab ipso damnatas 7. Decembr. 1690. & a me ad id jam adductam superius *numer.* 22. Unde vult, quod in
59 praxi sit omnino servanda, veluti tutior, contraria opinio, exigens in Ministro intentionem, vel actualem, vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia. Et si constet quempiam, aut Baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, administrasse, omnia adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Ecclesia, urgente quidem necessi-
60 tate, sit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; *Si* tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicæ oraculum sit ex-
61 quirendum absque eo quod Episcopus possit suos Diœcesanos adigere ad unam præ altera in dictis opinionibus tuendam, seu reprobandam, cum hæc sit una ex causis majoribus ad solam Sedem Apostolicam deferendis, ut statuit perpetua Ecclesiæ consuetudo confirmata ab Innocentio III. *in cap. Majores 3. de Baptismo*.

APPENDIX.

Sive uberior de Intentione Ministri ad valorem Sacramenti requisita declaratio.

I. Quæ sunt ab Auctore in additione exposita, ex opere Benedicti XIV. de Synodo Diœcesana deprompta sunt: quo in opere Sapientissimus Pontifex duo exponit; primum Ambrosii Catharini, aliorumque Catholicorum opinionem ab hæresi Ecclesiæ auctoritate proscripta omnino dissidere: deinde monet, non licere Theologis in Sacramentorum confectione, vel administratione Ambrosii Catharini, ac reliquorum istum sequentium, opinionem sequi, quia in his, quæ ad salutem, & Sacramenta pertinent, non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, ut ex damnata ab Innocentio XI. propositione liquet: tutior vera est opinio, quæ ad Sacramenti valorem exigit, ut Minister non modo voluntatem habeat externum Sacrum ritum perficiendi, sive *externam intentionem* tantum; sed etiam interius animo contendat velle id facere, quod Christi Ecclesia facere contendit. Exponendum itaque superest discrimen, quod nostrorum Theologorum opinionem, & damnatam Lutheri, aliorumque Hæreticorum hæresim intercedit; atque verus germanusque sensus opinionis Catharini, aliorumque Catholicorum, istiusque a communi Scholasticorum opinione discrepantia.

II. Circa Ministri intentionem credidit Lutherus, ne eam quidem desiderari, quæ exteriorem jocum excludat. En ipsius verba, quæ habentur lib. de Captivit. Babylonic. cap. de Baptismo: *Non dubitem si quis in somnio Domini suscipiat baptismum, etiamsi impius Minister non det in somnio Domini, vere baptizatum esse . . . . sicut legitur exemplum de quodam Mimo per jocum baptizato*: & art. 12. inter proscriptos a Leone X., habet: *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio, sed joco absolveret; si tamen credat se esse absolutum, verissime est absolutus*. Hujusmodi error ridiculus vilius est sequentibus Novatoribus, ut patet ex his Xemnitii verbis in Canonem secundum sess. 7. Concilii Tridentini: *Non hoc vult institutio Baptismi, ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quæ ex professo nihil aliud sit, quam ridiculus lusus, vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum*. At si Novatores constare sibi velint, ac falsis eorum principiis cohærentia tradere,

re, & prædicare cupiant, hujusmodi hæreseos monstrum adstruant, & tueantur, necesse est. Sacramenta enim inhorum sententia non ex *opere operato* gratiam efficiunt, ac suscipienti conferunt, *sed homines justificant*, quatenus animo Christi promissiones exhibent, atque Christi passionem promissionesque in memoriam revocando, fidem in suscipientibus excitant, qua *justificantur*. Præstare autem hæc possunt Sacramenta, seu serio, seu mimice conferantur; se habe nt enim Sacramenta juxta Novatorum hæresim instar verbi Dei, quod quantumvis, seu intus, seu exterius perversa Ministri voluntas sit, Dei verbum esse non desinit, ac proinde justificare illos valent, qui audiant, & consentiant, etsi per jocum ab *impiis Ministris* Christi Sacramenta adhibeantur. Velint ergo, nolintque Novatores, ex eorum Systemate fit, valida esse Sacramenta, etsi ab ebrio, imo & a psittacho. Contra vero Catholici omnes, qui etiam cum Catharino sentiunt, unanimi consensu fatentur, Sacramenta ex iis, quæ Christus Dominus pro nostra salute operatus est, virtutem habere producendi, & conferendi gratiam, atque hanc producere dum a Ministris ita conficiantur, ut existimare eos homo possit, se gerere veluti Christi Ministros, & dispensatores mysteriorum Dei dum Sacramenta conficiunt, & conferunt. Quo fit, ut omnes detestentur impium Lutheri commentum; cum pro Christi Ministro, & dispensatore Mysteriorum Dei haberi, & cognosci nequeat, qui id unum curet, ut interius exteriusque Christum, Deique mysteria derideat, atque subsannet. Vides ergo, quam inepte Catharini, aliorumque Theologorum opinio a Scholasticis nonnullis cum hæresi Lutherana confundantur.

III. Qui intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, in voluntate ponendi ritum Sacrum *externum constituunt*, eamque sufficere ad Sacramenti valorem, aiunt, repugnante, quoque interiore voluntate, in hanc habiere opinionem neviderentur adstruere Sacramenti valorem a *Ministri* voluntate pendere, Neque enim contonum Divinæ bonitati vilum hujusmodi Theologis est, ita Sacramenta Ministrorum arbitrio, & voluntati committere, ut in pravi Ministri libertate sit, homines beneficio Redemptionis per Sacramenta applicando, eos salutari gratia privare, quin exterius constet, aut constare possit de eorum prava voluntate, qua homines optato salutari effectu frustrantur. Notandum id duximus, ut de inceps mitiores sint vulgares Theologi in hac reprehendenda, & notanda opinione, quæ hac recta voluntate excogitata, & propugnata a tot doctissimis viris fuit. At externæ hujus intentionis defensores circa illius usum invicem dissident. Alii enim eam sufficere credunt pro Baptismo, quia Baptismum nullum in Ministro characterem exigit; non autem pro ceteris Sacramentis. Alii eam valere putant pro Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, seu per quorum formam exprimitur actum Sacramentalem a Ministro exerceri, unde sequitur externam intentionem in ceteris quidem Sacramentis sufficere, non tamen in Eucharistia; quia verba ista: *Hoc est Corpus meum*, nullam prorsus exprimunt actionem Ministri, secus de istis, *Ego te baptizo*, *Te confirmo &c.* Alii externam intentionem in iis sufficere volunt Sacramentis, in quibus homo est tantum agens instrumentale, non in iis, in quibus est principale agens: unde hujus opinionis defensores matrimonium sine interna intentione validum esse negant, cetera vero Sacramenta absque eadem valere opinantur. Alii demum externam intentionem generatim & pro quibuslibet Sacramentis sufficere putant: sed & hi duas in partes scinduntur. Quidam nimirum externam, & & seriam intentionem ubilibet ad confectionem Sacramenti satis esse contendunt: quidam id præfracte negant, & sentiunt Ministrum, nisi vel *in loco sacro* præsens sit, vel ad Sacramenti confectionem fuerit invitatus, nihil operari, eo ferme modo, quo Judex totam sententiam etiam contra mentalem intentionem profert, si sedeat pro tribunali; secus, si loquatur e loco, ubi Judicis personam gerere non intelligatur: ita Juenin, Serry, aliique recentiores non pauci,

IV Nec pauciores, nec ignobiliores Theologi sensserunt, & hodiedum sentiunt, internam ad Sacramenta valida conficienda requiri intentionem: sed & ii inter se divisi sunt. Alii nempe dubitarunt, an non requireretur *intentio finis* explicita & particularis, seu intentio explicita producendi hunc in specie Sacramenti effectum: tales fuerunt ii, de quibus loquitur Ebroicensis Synodus an. 1576. his verbis: *Antehac inter doctos ac pios viros dubitatum fuit, an Baptisma a Calvinistis administratum, pro vero credi deberet, quoniam non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum*. Alii, ut Scotus, & Gabriel, particularem illam intentionem finis rejicentes, generalem, & quidem explicitam intentionem producendi effectum Sacramenti, tanquam necessariam posiularunt. Alii ne hanc quidem posiremam intentionem, necessariam esse rati, necessariam dixerunt intentionem explicitam conficiendi Sacramenti. Alii demum minime requirentes intentionem explicitam, seu producendi effectum Sacramenti, seu etiam conficiendi Sacramentum, docuerunt necessariam ac sufficientem esse intentionem interiorem faciendi, quod facit Ecclesia, seu intentionem, qua quis externum ritum sic frequentat, *ut nec interius jocari velit*, nec ritum hujusmodi materialiter dumtaxat, & ut rem mere naturalem, aut profanam peragere, sed illum potius formaliter ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum *in* Ecclesia sacrum celebrare velit: & hæc multo communior fuit hactenus internæ intentionis defensorum opinio. Ita historiam hujus opinionis recensct continuator Tournelii ex Lamberto Gaud doctissimo Dominicano, qui de hac re loculentissime scripsit. Ad usum quod spectat, dicemus paucis sequentibus numeris.

V. Itaque certum est, ad valorem Sacramenti non desiderari eam intentionem Ministri, qua velit explicite Sacramenti effectum producere. Constat id ex Augustino Epist. 98. alia 23. quæ est ad Bonifacium, ubi expresse asserit, non privari parvulos gratia spirituali, *qua ad vitam regenerantur æternam, quia non ipsis hac intentione Sacramenta offeruntur; cum celebrentur per eos necessaria mysteria, & verba Sacramentorum*. Deinde Ecclesia, nec Pelagianos, nec Calvinianos iterum babtizat, dum in ipsius gremium revertuntur: imo id quoad Calvinianos expresse vetuit S. Pius V.; Nota autem res est, antiquos Pelagianos, ac Socinianos, qui illorum iterum excitaverunt errores, negare, baptismum delere originale peccatum, ac conferre gratiam; & Calvinianos, alioque hæreticos negare per baptismum imprimi characterem; hi ergo dum baptizant, non ea voluntate baptizant, ut velint deleri originariam culpam, conferri gratiam, ac imprimi baptizato characterem. Non est ergo necesse, ut Minister velit effectum Sacramenti.

VI. Neque intentio requiritur explicita vel conficiendi Sacramenti: vel celebrandi ritum externum ut in se revera, & absolute Sacrum. Nam Florentina, & Tridentina Synodus eam tantum in Ministro intentionem exposcunt, qua velit facere, quo facit Ecclesia; hæc vero intentio in eo quoque est, qui licet hanc ritum pro Sacramento non habeat, vel pro ritu in se sacro; tamen perficere eum contendit, ut Christianæ Ecclesiæ ritum, sacramque ipsius cæremoniam. Quamobrem ratus habetur Baptismus a Gentili, imo & ab Atheo ipso ea voluntate collatus, ut facere unice contendat. quod in Ecclesia Christianorum fit; at certum est, Gentilem, Atheumque nec pro re Sacramento, nec pro re sacra hujusmodi ritum habere; Ita rem explicat S. Thomas *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. resp. 2. ad primum*: *Quamvis ille, qui non credit Baptismum esse Sacramentum, aut habere aliquam specialem virtutem, non intendat, dum baptizat; conferre Sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse: & quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti, & implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite*. Manifestum ergo est, ad valorem Sacramenti non requiri intentionem explicitam Sacramenti conficiendi, vel celebrandi ritum externum ut in se revera, & absolute sacrum; sed sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, hoc est voluntatem usurpandi, & celebrandi ritum, qui in Societate Christianorum pro Religioso habetur; quo in casu juxta traditam a S. Thoma doctrinam, in Ministro ex *consequenti*, *& implicite* intentio inest rem Sacram faciendi, quia Ecclesia, cujus se ritum usurpare contendit, *aliquid facit*, dum hujusmodi ritum celebrat.

VII. Age vero, videamus modo, num ii, qui Catharini opinionem tuentur, dum serio, & attente ritum externum, quem facit Ecclesia, adhibendum prædicant, quin interior intentio adsit, ea revera adhibeant in Sacramento conficiendo, quę supra commemoravimus. Nam rem consideranti, & diligenter perpendenti facile apparebit, in Ministro illo, qui voluntatem habeat serio, & attente id perficiendi, quod facit Ecclesia, nil ex iis deesse, quæ ad Sacramentum perficiendum necessaria diximus. Jam statuitur, hos materiam, & formam adhibere; cum vero voluntatem, hoc est intentionem habeant, dum illas adhibent, faciendi ritum, quem Christiana Ecclesia facit, quis non videat habere quoque illam intentionem; quæ necessaria sit ad perficiendum Sacramentum, ac contrariam interiorem intentionem, qua ex. gr. intra se dicant *Nolo hominem baptizare*, aut per celebrationem ritus, quo baptizat, irritam, & inanem fieri, aut supra effectum cadere Sacramenti, hoc est supra gratiam, & characterem, ita ut interior illa intentio non baptizandi in hujusmodi ministris, nihil aliud sit, nisi voluntas non conferendi characterem, non delendi peccatum, non sanctificandi hominem? At voluntas hæc, ut supra diximus, valori Sacramenti non obest: imo præsumitur hæc voluntas in Sociniano, & Calviniano, quin proinde dubitetur ab Ecclesia de valore Baptismi ab iisdem collati. Videant ergo Catharinianæ opinionis Adversarii, hanc opinionem solo nomine a communiori Scholasticorum differre. Dicent vero, necessarium saltem esse ad valorem Sacramenti, *ut Minister velit formaliter, ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum illud celebrare*. Assentior; sed quid inde? Numquid ille, qui serio, & attente vult externum ritum celebrare, quem Christus instituit, ejusque Ecclesia facit, non vult illum formaliter ut ritum Ecclesiæ; vel ut ritum in Ecclesia Sacrum celebrare? Si exteriori apparatu, si exteriori attentione, si seria actione, si cæremoniarum usu, si denique eorum omnium applicatione, quæ fieri Ecclesia jubet, dum Sacramenta celebrantur, determinatur ad faciendum formaliter Sacramentum, ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum, quis in hujusmodi Ministro deesse affirmabit hujusmodi intentionem? Imo actus ipsi, quos supra recensuimus, hanc inesse in Ministro voluntatem satis superque demonstrant; cum enim voluntarie ac omnino libere fiant; interiori dirigente voluntate, sive intentione, fiant necesse est; & contraria voluntas nonnisi in effectum cadere poterit. Reponent fortasse, in improbo Ministro voluntatem esse posse interiorem aut jocandi, aut rem ut mere naturalem & profanam perficiendi: Sed liberæ illæ operationes, quas supra numeravimus, hujusmodi voluntatem retractant, & excludunt omnino; cum per illas ad rem, ut formaliter sacram, & ad ritum ut in Ecclesia Christi sacrum celebrandum, determinari debeat, ac revera determinetur. Quo fit, ut quæstio, vel de solo nomine sit, vel eo reducatur; Num scilicet exterior actio deliberate facta interiorem ipsi contrariam actionem necessarie excludat, aut retractet. Nam in utraque opinione ad valorem Sacramenti requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia; in opinione Catharini hæc intentio habetur, dum Minister velit serio, & attente externum ritum celebrare, quem Ecclesia facit, quidquid sit de interna voluntate, quæ tamen ritui per Ministrum celebrato contraria esse non potest: in aliorum vero opinione non requiritur intentio producendi characterem, & alios Sacramenti effectus, sed voluntas sufficit applicandi res, & verba a Christo instituta; quemadmodum in societate Christianorum applicantur, etsi Minister non credat virtutem illis inesse, quam Christus contulerit. Quamobrem re diligenter exposita sola voce invicem hujusmodi Auctores dissident. Cum vero de valore Sacramenti hic agatur, in praxi communior opinio semper tenenda erit, ut initio monuimus.

INTERDICTUM.

ARTICULUS I.

Interdictum quoad ejus esse, & divisionem.

1 INterdictum est Censura Ecclesiastica, per quam homo arcetur a participatione aliquorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, & Ecclesiastica sepultura; Colligitur *ex cap. Non est nobis* 11. *de sponsal. & Matrim. & c. p. Sod in te, de Pœnitent. & remiss.*

2 Interdictum dividitur in locale, personale, & mixtum, ut colligitur ex Juribus Canonicis *in cap. Præsenti* 10. *&* 3 *cap. Si Civitas* 17. *de sentent. excomm. in 6.* Interdictum locale est, quo immediate locus ipse interdicitur, ne ibi Divina celebrentur; vel audiantur sive ab indigenis, sive ab 4 alienigenis. Interdictum personale est, quo immediate interdicuntur ipsæ personæ, & non locus, & tunc illæ personæ ne hic, nec alibi possunt percipere Sacramenta, nec exercere 5 functiones sacras per interdictum prohibitas. Interdictum mixtum est, quo immediate & locus, & personæ interdicuntur: verb. grat. Civitas, & ejus Incolæ; colligitur *ex cap. Si sententia* 16. *de sentent. excommunic. in 6.*

Interdictum tam personale, quam locale subdividitur in 6
particulare, & generale. Personale particulare est, quo per- 7
sona aliqua particularis interdicitur. Personale generale est, 8
quo interdicitur aliqua Communitas personarum, ut populus unius Provinciæ, Civitatis, vel integra aliqua Universitas, Collegium, Capitulum, Conventus. Locale particulare 9
est, quo interdicitur locus unus particularis, ut particularis aliqua Ecclesia. Locale generale est, quo interdicitur locus 10
generaliter, idest locus varia sub se loca complectens, ut Regnum, Provincia, Civitas, ut colligitur ex *cap. Cum in partibus* 17. *de verbor. significat.*

Circa interdictum personale generale sciendum est, quod 11
interdicto populo unius Provinciæ, vel Civitatis, sunt interdicti omnes illius Provinciæ, & Civitatis habitatores, etiamsi sint innocentes. Et omnes isti nec in suo, nec in alio loco au- 12
dire possunt divina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta, quia hujusmodi interdictum sequitur personam quocumque ierit; *cap. Si sententia* 16. *de sentent. Excomm. in 6.* Clerus 13
autem non censetur interdictus interdicto populo, nec e contra interdicto Clero censetur interdictus populus, nisi in sententia aliud exprimatur, unde uno ipsorum interdicto alius licite admittitur ad Ecclesiastica Officia, & Sacramenta; *cap. Si sententia* 16. *de sent. Excomm. in 6.* In materia pœnali, uti est ista, verba sunt stricte interpretanda; *c. Odia* 15. *de Regul. Juris in 6.*

Sub generali interdicto Cleri non comprehenduntur Reli- 14
giosi utriusque sexus, nisi exprimatur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis aliter apparent: & ratio est, quia in materia odiosa secundum communem acceptionem Religiosi non veniunt nomine Cleri, nisi exprimatur, & si quandoque lata significatione veniant nomine Cleri, semper fit cum addito *Regularis*. Tum quia in interdicto lato contra 15
Religiosos non comprehenduntur Clerici sæculares, ergo in interdicto lato contra Clericos non debent comprehendi Re- 16
ligiosi: Ulteriùs in Jure Canonico passim ista ponuntur tamquam diversa, *ut cap. si quis suadente* 17. *quæst.* 4. ubi dicitur *in Clerum, vel Monachum, & cap. Super specula* 10. *Ne Clerici, vel Monachi*. Sic tenent Abbas *cap. Non amplius* 1. *de Institutionibus num.* 3. Fagnan. *ibi num.* 7. Anaclet. §. 7. *de de interdict. num.* 187. Layman, Rosignolus, Silvester, Ugolinus, Coninchius, Bonacina, Engel, & alii multi. Item 17
sub generali interdicto Cleri non comprehenduntur Episcopi, nisi de eis expressa fiat mentio; *cap. Quia periculosum* 4. *de sentent. Excommun. in 6.*

Circa interdictum locale sciendum est, quod interdicta 18
Civitate eo ipso intelliguntur interdicta etiam ejus suburbia, sive hæc sint pars Civitatis, sive non, sive sint contigua eidem Civitati divisa solummodo per mœnia interjacentia, sive vicina, dummodo non valde distent, sive suburbia sint ejusdem Diœcesis, sive diversæ; & ratio est, quia; si possent in Civitatis Suburbiis Divina celebrari, interdicti sententia vilipenderetur, cum Cives ab illa de facili possent convolare: ne igitur sententia interdicti possit sic de facili vilipendi, expedit interpretationem fieri laxiorem, ipsum extendendo etiam ad suburbia: habetur expresse ex *cap. Si Civitas* 17. *de sentent. Excomm. in 6.* Nec valet dici, quod 19
quando Suburbia sunt diversæ Diœcesis, non possint subesse legibus Episcopi Diœcesani. Non valet, inquam, quia illud interdictum afficit illa Suburbia, non quatenus provenit ab Episcopo Diœcesano, sed quatenus provenit a jure communi per interpretationem, quam facit ex rationabili causa, cum respectu etiam Suburbiorum diversæ Diœcesis militet eadem ratio vilipendii interdicti ex suppositione, quod non plus distent a Civitate, quam Suburbia ejusdem Diœcesis; æque enim faciliter possent Cives ad Ecclesias in utriusque suburbiis existentes confugere, & ibi interesse Divinis, & percipere Sacramenta, & sic eludere, seu vilipendere interdictum, ad quod vitandum sit laxior interpretatio ipsum extendendo etiam ad Suburbia *in d. cap. Si Civitas* 17. *de sentent. Excomm. in 6.* Sic tenent Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 23. Avila *part.* 5. *disp.* 1. *dub.* 3. Coninch. Bonacina, Rosignol. & alii.

Interdicta Civitate, vel Diœcesi censetur interdicta etiam 20
Ecclesia Cathedralis; *cap. Si Civitas* 17. *de sentent. Excomm. in 6.* ubi expresse habetur, quod interdicta Civitate omnia loca ibidem interdicta censeantur, cum alias de facili posset vilipendi interdictum talis Civitatis celebrando, & audiendo Divina in Cathedrali. Et propter eandem rationem inter- 21
dicta

dicta Civitate, vel Diœcesi intelliguntur interdictæ etiam Ecclesiæ Regularium, ipsi enim tam exempti, quam non exempti, nisi speciali privilegio super eo muniti existant, tenentur servare interdictum locale, nedum a Sede Apostolica, emanatum, sed etiam ab Episcopo promulgatum; *cap. Auctoritate 4. de privileg. in 6. & cap. Cum in partibus 17. de verb. signification.* & Concil. Trident. *sess. 25. cap. 12. de Regul.* ubi expresse habet: *Censuræ, & interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo a Regularibus in Ecclesiis publicentur, & serventur.*

22 Interdicta alia sunt a Jure, & alia ab homine; *Communis.*

23 Interdicta ab homine ferri possunt ab omnibus illis, qui possunt excommunicare, & suspendere; *cap. Cum Ecclesiarum 3.*

24 *de Offic. Judicis Ordinar.* Excipiuntur tamen Superiores Regulares, qui non possunt apponere interdictum in Ecclesiis sibi subjectis, quia eorum jurisdictio est personalis, non autem localis, & etiam quia actus iste percutit exercitium jurisdictionis in Clerum, & populum, illos privando, ne in ea celebrare, & respective audire possint Divina, & sit cum non subditis, ut recte de more suo ratiocinatur Cardin. de Luca *de jurisdition. disc. 99. num. 2.* & expresse, partibus auditis, & informantibus, declaravit *Sacra Congregat. Episcop. & Regular. in Neapolitana Censurarum 21. Junii 1697. referente Card. Cavallerino* contra Abbatem S. Petri ad Aram, qui Ecclesiam Monialium Reginæ Cœli sibi subjectam Interdicto subjecerat.

25 Interdictæ, quæ a Jure communi, & a Constitutionibus Apostolicis, tam localia, quam personalia lata sunt, ad uberiorem notitiam distincte in distinctis articulis hic subnectuntur.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 NON omne Interdictum infligitur per *modum censuræ*, aut est species Censuræ. Solet enim nonnumquam Interdictum, uti & Suspensio, infligi *per modum meræ pœnæ*
2 instar aliarum poenarum canonicarum in punitionem commissi delicti, *Vanesp. de Censur. cap. 9. §. 1. Bousseaud De la*
3 *Combe in sua Jurisprud. Canon. Verb. Interdictum num. 8.* Interest autem distinguere Interdictum in ratione Censuræ ab Interdicto per modum pœnæ ob insignes, quæ unum inter
4 & alterum intercedunt, differentias. Primo enim Interdictum *in ratione Censuræ* requirit contumaciam, item canonicas mo-
5 nitiones, ut de contumacia constare possit; Secus vero Interdictum per modum poenæ, *Fleury Institut. Jur. Eccles. part. 3. c. 21. Vanesp. ubi supra, Suarez de Censur. disp. 25. sect. 1.*

Secundo Interdictum *in ratione Censuræ* ad certum tempus
6 infligi nequit; Idque quia cum infligatur ad reprimendam contumaciam, habere debet tempus incertum, prout & habet ipsa contumacia, scilicet tandiu durare debet, quandiu
7 durat contumacia. At non repugnat ut Interdictum *per modum pœnæ* infligantur ad certum tempus, prout gravitas ipsius delicti postulaverit, eoque lapso cesset; *Vanesp. loc. cit.*

8 Tertio violatio Interdicti *in ratione Censuræ* exercendo solemniter actum Ordinis secum fert Irregularitatem; nequa-
9 quam vero hæc ipsa violatio Interdicti *per modum poenæ*, *Vanesp. loc. allegat. §. 4. Hurtad. de Censur. Tractat. de Cessatione a Divinis difficult. 4.*

10 De origine Interdicti *in ratione Censuræ* haud certo constat, *Rousseaud De la Combe in sua Jurisprud. Canon. verbo Interdictum num. 5.* Per pluria vero sæcula incognitum ipsum fuisse
11 inde liquet, quod *Ivo Carnotensis Epistol. 94.* appellat Interdictum: *Remedium insolitum, ob suam nimirum novitatem.*

12 Dividit *Auctor* Interdictum in personale, locale, & mixtum; sed ut probe monet *Clement. Concord. Pastoral. part. 2. cap. 5.*
13 *num. 3.* convenientius dividitur Interdictum in personale, & locale tantum, & utrumque in generale, & particulare.

14 Quæstionis est; An posito Interdicto locali censeatur positum personale; & versa vice? In eam communiter itum est sententiam, posito Interdicto locali, sive generali, sive particulari, non censeri positum personale, nisi tantum respectu Personarum, quarum culpa positum est Interdictum locale, *cap. 16. de sentent. Excommunicat. in 6.*

15 Pariter in eo omnes conveniunt, quod posito Interdicto personali particulari non censeatur positum locale. At non conveniunt D. D., an posito Interdicto generali personali, censeatur etiam positum locale, idest An interdicto personali-
16 ter Populo. Interdicto subjiciatur locus Populi, idest Villa, Affirmant enim *Covar. in cap. Alma Mater part. 2. §. 1. n. 7. Henriq. cap. 51. in fin.* At post *Navarr. Ægid.* negat *Hurtad. de Censur. Tract. de Interdicto, difficul. 3. num. 7.* Et jure quidem meritoque. Interdictum enim personale tametsi generale est omnino distinctum a locali; Non est igitur cur posito
17 18 Interdicto personali generali, ponatur locale. *Ac proinde* (ita recte ait *Hurtad. loc. mox. citat.*) *in loco Populi Interdicti possunt Clerici divina officia solemniter, & apertis Januis celebrare etiamsi aliquando per accidens non liceat, quando scilicet nequeant non admitti Interdicti ad Templum, aut ad partes Templo vicinas.*

De personis, quæ comprehenduntur Interdicto personali, vide mox *laudatum Auctorem difficult. 4. per tot.* Notabile
19 20 vero est discrimen innocentes inter, & nocentes Populos generaliter interdictos. Innocentes enim ut primum mutatione domicilii, aut aliter desinunt esse membra ejus Populi, de-
21 sinunt esse interdicti, sine ulla alia relaxatione; At nocentes tametsi membra illius Populi esse desinant Interdicto obnoxii remanent; Idque quia interdicti ii etiam intelliguntur uti particulares Personæ.

22 De locis comprehensis Interdicto Locali consule tum eundem *Auctorem difficul. 5. per tot*, tum *Clement. Concord. Pastoral. part. 2. cap. 5. fere per tot.*

ARTICULUS II.

Interdicta localia generalia.

1 CONtra Reges, & Principes impedientes Legatos, vel Nuncios Pontificios, ne fugantur suo Officio, in quo casu omnes Ditiones ipsius impedientis sunt Interdictæ; *Extravag. Super gentes, de consuetud.*

2 Contra Civitatem, excepta Roma, quæ hostiliter insequitur Cardinales, vel inscutoribus consilium, auxilium, aut favorem præstat; *cap. Felicis 5. de pœnis in 6.*

3 Contra Civitatem, quæ delinquit percutiendo injuriose proprium Episcopum, vel ipsum capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri. Et contra Territorium, cujus Dominus deliquit percutiendo injuriose, capiendo, bannien-
4 do, seu mandando hæc fieri in quemcumque Pontificem; *Clement. 1. de pœnis.*

Contra Civitatem, in qua mortuos est Papa, & ibi novus est eligendus, & Rectores ejusdem non observantes, nec ob-
5 servare facientes præscripta *in cap. Ubi periculum 3. de elect. in 6.* ibi enim habetur expresse: *Civitas autem prædicta non solum sit Interdicto supposita, sed & Pontificali Dignitate privata.*

Contra Civitatem admittentem alienigenas ad fœnerandum
5 *cap. 1. de Usuris in 6.*

ARTICULUS III.

Interdicta localia particularia.

1 CONtra Universitates & Collegia exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem Ecclesiasticam; *Gregor. XIII. Constitut. 93.* incip. *Inter Apostolicas.*

2 Contra Ecclesiam, in qua scienter sepultum fuerit Cadaver Hæretici, *cap. Quicumque 2. de Hæreticis in 6.*

3 Contra Ecclesias Regularium, & Clericorum Sæcularium inducentium aliquem ad jurandum, vel promittendum eligere sepulturam in illis, vel ad non mutandam electionem jam factam, si postea de facto in ejus jurante, vel promittentes sepeliantur; *cap. 1. de sepultur. in 6.*

ARTICULUS IV.

Interdicta Personalia Generalia.

1 CONtra Universitates exigentes tributa ab Ecclesiasticis; *cap. Quamquam 4. de censib. in 6.*

2 Contra Universitates concedentes, vel extendentes repræsalia contra Ecclesiasticos; *cap. unic. de jurejur. in 6.*

3 Contra Universitates. Capitula, & Collegia a Papa ad futurum Concilium appellantia; *Can. 2. Bullæ Coenæ.*

4 Contra Universitates, Capitula, & Collegia non servantia

instit. Sed omnium maxime interdicti rigorem mitigavit
9 Bonifac. VIII. in *Cap. Alma Mater, de sententia Excomm. in 6.* Probe enim hic animadvertens, quod *ex districtione hujusmodi statutorum excrescit indevotio Populi, pullulant hæreses, & infinita pene pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur*, permi-
10 sit, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum admitti omnes queant; nisi essent excommunicati, vel culpabiles de tali interdicto, vel specialiter interdicti; tum permisit, ut officia divina
11 possint januis clausis celebrari submissa voce laicis exclusis, ac sine sonitu campanarum, & demum permisit, ut quinquies in anno, idest Natali Domini, Palchate, Pentecostes,
12 Assumptione B. Mariæ, & Festo Corporis Christi januis apertis, exclusis excommunicatis, & iis, qui causam dederunt interdicto, cæteri ad communionem Eucharisticam, ad oblationem, & ad divina officia admittantur. Hanc vero
13 moderationem de interdicto locali generali non speciali accipiendam esse monent *post Gloss. ibidem verb. Ecclesiis Covarruv. in relect. ad ipsum cap. Alma Mater §. 4. num. 1. &*
14 *§. 4. num. 2. Suarez de Censur. disput. 34. sect. 2. num. 1.* Quinimo quum idem Bonifacius VIII. nimium hujus interdicti usum Ecclesiæ damno fuisse experientia comperiisset, hinc est quod multis in casibus prohibuit Episcopis fulmen interdicti detorquere.

15 Veniamus nunc *ad Auctorem*. Recte ipse *num. 10.* ait prohibitam esse professionem solemnem in Religione. At nota
16 prohibitam minime esse benedictionem vestium illorum, qui Religionem ingrediuntur; *Navarr. in Manual. Confessar. cap. 22. nu. 142. Alter. de Censur. disp. 5. de Interdict. cap. 4. fol. 392. col. 2.*

17 Suos hinc inde habet *Auctores* quæstio, de qua agit *Auctor num. 17.* an sub communicatione Privilegiorum veniat privilegium illud, quod nonnullis Regularibus concedi sole quasdam proprii Ordinis festivitates solemni ritu tempore interdicti generalis quacumque auctoritate positi celebrandi.
18 Novissime affirmativam opinionem tenuit *P. Gaudent. a Janua de visit. tom. 1. cap. 14. dub. 10. sect. 4. num. 6. & plur. sequent.* Sed probe monuit *clar. mem. Cardinal. Petra in comment. ad Constit. Apostol. Constit. 10. Sixti IV. num. 16. in subjecta materia inspiciendam esse formam Indulti communicationis, ita ut ex illius verbis deprehendi, & censeri valeat, an inducta vel exclusa censeri valeat communicatio hujusmodi Privilegii.*

ARTICULUS VII.

Quoad ea, quæ concernunt culpam, & pœnam. Interdictum violantium.

1 LAici violantes Interdictum solum locale, audiendo v. g. Divina Officia licet sine contemptu, & scandalo, pec-
2 cant saltem venialiter. Violantes vero interdictum personale, sive particulare, sive generale scienter, peccant mortaliter, quia violant præceptum Ecclesiæ in materia gravi. & Interdictum personale particulare directe afficit personas interdictas, easque privat participatione Divinorum, sicuti etiam Interdictum personale generale afficit directe omnes personas, quæ comprehenduntur in Communitate interdicta,
3 juxta textum in *cap. Si sententia 16. de sent. Excomm. in 6.* adeoque illud violantes assistendo Divinis peccant mortaliter. Si autem ipsi Laici, uti interdum faciunt Domini temporales & Officiales eorum, cogant celebrari Divina Officia in loco Interdicto, vel vocent interdictos, & excommunicatos, ut illis intersint, aut prohibeant, ne ipsi interdicti, aut excommunicati a celebrante, seu ab alio moniti, de Ecclesia
4 exeant, aut ipsimet Interdicti post monitionem exire recusent, vel Divinis violenter sese ingerant, ultra gravissimam culpam, incurrunt ipso facto Excommunicationem majorem Papæ reservatam, prout expresse habetur *in Clement. 2. de sentent. Excommun. cap. Gravis.*

Clerici, & Regulares utriusque sexus violantes Interdictum peccant mortaliter, sive sit Interdictum personale, sive
5 locale, hoc est sive ipsi Interdicti sint, sive in Ecclesia interdicta aliquem actum Ordinis exerceant, ut Missam, aut aliud Officium Divinum de more celebrent, aut cum scandalo, & contemptu Sacramenta recipiant, & divinis assistant. Et Clerici & Religiosi ultra culpam mortalem, incurrunt Irregularita-

tem; *cap. Is, qui 18. §. fin. & cap. Is, cui 20. de sent. Excomm. in 6.* Privantur privilegio, quod alioquin haberent, ut
6 in loco Sacro sepeliri possent; *c. Quod in te 11. de poenit. & remiss. & cap. Is, cui 20. de sent. excomm. in 6.* Privantur
7 jure passivæ, & activæ electionis, ita, ut nec eligere valeant; *cap. Is, qui 10. de sent. Excomm. in 6.* nec ipsi eligi, aut postulari possint; *c. 1. de postulat. Prælator.* Incurrunt suspensionem ab Officio, beneficio, & jurisdictione; *cap. Tanta est 18. de excessibus Prælator.* Et si scienter interdictos in
9 loco Sacro sepelire præsumpserint, excommunicationis sententiam incurrunt: *Clementin. 1. de sepulturis.* Regulares
10 vero, tam exempti, quam non exempti violantes Interdictum generale locale, quod ab Ecclesia Cathedrali, Matrice, vel Parochiali loci servatur, ultra suprarecensitas pœnas incurrunt etiam excommunicationem: *Clement. 1. de sent. Excomm.* Sicuti etiam eam incurrunt violando cessa-
11 tionem a Divinis: *Eadem Clement. ibidem.* Quod procedit
12 non solum de Interdicto generali, quod fertur in Regnum, vel Provinciam, sed etiam de eo, cui submittitur Villa, vel Castrum, *per textum in cap. Cum in partibus 17. de verborum significat.*

Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ Delegati variis in ca-
13 sibus possunt subjicere Interdicto Ecclesias exemptorum, & Regularium & præsertim si Interdictum in loco publicatum non observent; *Sacr. Congreg. Concil. in Indiarum 17. Decembris 1650. lib. 19. decr. pag. 97.* Si accedente Episcopo
14 ad eorum Ecclesias pro celebranda Missa Pontificali nolint eum obsequiis juxta præscriptum Decretorum Apostolicorum, & Sacræ Congr. Rituum, recipere, servire, vel ei Baldachinum erigere, & juxta solitum de cera, & supellectilibus providere; *S. C. C. in Venefrana Interdicti 26. Januar. 1697.*

Si Baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assistentiam
15 in Presbyterio in eorum Ecclesiis dent, permittant, & concedant personis sæcularibus, quantumvis nobilibus, & illustribus, ut disponunt *Decreta generalia Sacræ Congreg. Rituum sub die 13. Martii 1688. & sub die 22. Aprilis 1690. approbata a Sanctissimo die 22. ejusdem mensis Aprilis, & anni 1690.* vide verb. *Ecclesia art. 5. num. 29. &* 30. ubi referuntur ad litteram dicta Decreta. Si ab Episcopo moniti
16 sepulturas sub Altaribus, & bradellis eorum Ecclesiarum constructas nolint, aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere, et replere; Sic pluries decrevit Sac. Congr. Episcop. et Regular. vide verb. *Altare num. 48. &* 49. ubi talia decreta ad litteram referuntur.

Si ad processiones, quibus tenentur intervenire, moniti-
17 recusent accedere; Sic declaravit pluries *Sacra Congreg. Concil.* et signanter *die 27. Julii 1627. & in una Mediolanen. 3. Augusti 1658. & in una Neapolitana 27. Februarii 1591.* et etiam *Sacra Congr. Rituum in una Ferrarien. 27. Julii 1609 in una Aversana 12. Februarii 1541. in una Tarentina 3. Maii 1642. & in una Spoletana 25. Septembris 1649.* quæ omnia Decreta ad litteram refert Pignatell. *tom. 3. consult. 46.*
18 *a num. 11. ad 18.* Si abusus, et irreverentias ab eorum Ecclesiis, moniti nolint, vel negligant removere, vigore Conc. Trident. *in Decret. de observand. & evitand. in celebratione Missarum.*

Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, possunt
19 Abbates, et alios usum Pontificalium habentes, ac Prælatos, et Superiores Regulares, et exemptos, censura Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, vel suspensionis ab exercitio Pontificalium punire, et coercere, si Ecclesiasticam supellectilem, seu paramenta Sacra pro usu aliarum Ecclesiarum, quam suarum, benedicant, cum hoc eis expresse vetitum sit a *Decretis generalibus Sacræ Cong. Rit. emanatis 27. Septembris 1659. & 20. Julii 1660.* quoad hoc confirmatis, & approbatis ab Alexandro VII. *die 20. Julii 1660.* in quibus datur Ordinarii facultas inobedientes, & transgressores per Censuras compellendi. Vide verb. Abbas *a num. 30.* ubi ipsa decreta ad litteram dantur.

Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati possunt pro-
20 cedere per Interdictum, aliasque Censuras contra Regulares inobedientes, et contumaces in casibus illis, in quibus datur eis facultas ipsos coercendi, corrigendi, et puniendi; Sic fere communis, et expresse fatetur inter alios Petrus Maria Passerinus inclytæ Religionis Prædicatorum alumnus, qui *tom. 3. de statu homin. qu. 189. art. 10. insp. 10. num. 768.* sic præcise dicit: *Sed ubi Episcopis datur facultas coercendi, corrigendi, & puniendi Regulares, datur etiam facultas eos*

excommunicandi; Et *sicut. g. dum sess.25. cap.13. datur Episcopis facultas compellendi eos ad Processiones, datur etiam facultas eos compellendi per Censuras*, et sic passim Doctores, argument. Constitut. 18. Gregor. XV. incipient. *Inscrutabili*.

Novæ additiones ex aliena manu.

ANsam hic nobis præbet *Auctor* licet loco non suo disserendi de potestate Episcopi in exemptos quoad interdictum, aliasque censuras.

Verba haud facimus de interdicto *locali generali*, nam ei subjici Ecclesias omnes quantumvis exemptas concors est
1 omnium sententia. Quod vero concernit alias species interdicti, imo in universum censuras omnes, distingui debent
2 censuræ a jure latæ ab iis quæ feruntur ab homine. An Episcopus declarare possit incursos in censuras a jure latas exemptos, non conveniunt inter se Doctores. Affirmant enim *Fagnan. in cap. Non potest num. 12. de Re judic. Pignat ell. canon. consult. tom.9. consult.52. num.7. Cardinal. de Luc. de Regular. discurs.1. num.29. & discurs.65. nu. 14. & sequent. Ventriglia in Prax. tom.1. adnot. 48. §. unic. num. 34.* ibique *Carol. Anton. de Luc. num. 5.* aliique. Negant vero *Bordon. in Consil. Regular. Resol.7. quæst.7.num.10. Hieronymus Garzia in Polit. Regular. tom.1. tract.8. diff. 3. dub. 2. punct. 2. num.14. Lezzana in Summa verb. Exemptio nu.9. Escann. in Propugnacul. Relig. discept. 13. cap. 10. per tot. tum alii*.

Mediam sententiam alii tenent, nimirum haud posse Episcopum declarare, posse vero denuntiare exemptos incursos
5 in censuras; Confer *Card. Petra in comment. ad Constit. Apostol. constit.11. Alexandri IV. sect. unic. num.11.* Media hæc sententia in hoc fundatur, quod declaratio est actus judicialis in ipsos exemptos, adeoque ex defectu jurisdictionis
6 Episcopo minime competere valet. Denunciatio vero est actus mere extrajudicialis respiciens nonnisi indirecte exemptos, directe vero Populum Episcopo subjectum, & sic Episcopo competere potest.

Placet aliis, quod si incursio in censuras sit *publica* sed non *notoria*, possit solummodo Episcopus denunciare, non item
7 declarare exemptos incursos in censuras; sin autem sit itidem incursio notoria, possit & declarare ipsos exemptos incursos in censuras; Consule *Clement. Concord. Pastoral. part. 2. cap.5. num.42. & plur. sequent.* ubi hanc reddit rationem, cur possit Episcopus in casu incursionis *notoriæ* declarare exemptos incursos in censuras: *Quia* (inquit) *tunc cessat qualitas*
8 *illa judicialis considerata in casu præcedenti, quæque non permittitur contra exemptum, quum in casu veri notorii non requiratur vera citatio, nec processus, neque opponi possit aliqua exceptio*: At si in casu notoriæ incursionis judicialiter haud sit procedendum, in nihilo videtur differre denunciatio a declaratione, ita ut in nomine, non item in re sit differentia.

Quod attinet ad censuras, quæ ab Homine feruntur porro in casibus illis, in quibus exempti Episcopo subjecti non
9 sunt per *Concilium Tridentinum, constitutionesque pontificias*, nequit Episcopus ex defectu jurisdictionis censuras ferre; Adi *Clement. Concord. personal. par.2. cap.5. num.52. & sequent.* ubi: *Aliquis tamen casus* (subdit) *poterit considerari, in quo vigente exemptione & sic præcisive a jurisdictione Episcopi in ipsas Personas Exemptorum posset Ecclesia exempta locali subjici interdicto, quod utique eveniet quotiès in ea scandalum aut aliquod delictum patratur ab iis qui sunt de Populo, etiam sine facto ipsorum exemptorum. Tunc enim talis pœna solum percutit & dirigitur in punitionem Populi audientis divina, cujus cura Episcopo est commissa, quin per hoc in aliquo vulneretur exemptio, nam interdictum hoc casu non respicit punitionem exemptorum, quibus licet tunc divina peragere januis clausis ex temperato rigore interdicti juxta moderationem citati cap. Alma Mater, & suorum privilegiorum, unde tota pœna videtur inesse respectu Populi*.

Quæstionis autem est, an iis in casibus, in quibus Exempti per *Concilium Tridentinum, & Apostolicas Constitutiones* sub-
10 jecti Episcopo sunt, datum sit ei ferre censuras? Sunt qui tenent posse Episcopum censuras ferre, si tunc quum ei subjiciuntur, una ipsi potestas fiat censuras ferendi; nequaquam vero si absque potestate hac illi subjiciantur. Vide *Escann. in Propugnacul. Relig. discept.14. cap. 2. num. 12.* At posse Episcopum censuras ferre etiamsi Exempti sine dicta pote-
11 state ipsi subjiciantur, auctoritatibus, & rationibus, tum contrariis confutatis firmavit *Clem. Concord. Pastoral. part.2. cap.5. an.55. ad plur. seq.*

ARTICULUS VIII.

A quibus, & quibus modis tollatur, & relaxetur Interdictum.

INterdictum latum ad certum tempus, vel sub conditione aliqua, elapso tempore, vel adimpleta conditione, statim per se cessat. Sic Glossa communiter recepta *in Clement.1, verb. Donec, de decimis*, & Abbas *in cap.1. de judiciis*. Et sic si sit latum a Jure ante elapsum tale tempus, & ante adimpletionem talis conditionis, Episcopus dispensare non potest, nisi interdictum proveniat ex delicto occulto, nondum deducto ad forum contentiosum, quia censetur tacitè reservatum. Pirhing *in jus Canonic. lib.5. tit. 39. num. 252.*, & alii.

Interdictum generale, locale, vel personale a Jure communi latum, & non reservatum potest tolli ab Episcopo, aut suspendi ad tempus, vel ab alio habente Jurisdictionem quasi Episcopalem in Communitatem interdictam; ut colligitur *ex cap. Nuper 29. de sent. excomm.* ubi expresse dicitur, *Quod Legislator specialiter sibi non reservavit, aliis Ordinariis Judicibus concessisse videtur*. Non tamen Episcopus posset Interdictum relaxare, si esset latum a Papa tamquam ab homine, quia Censura specialiter lata ab homine, non potest auferri, nisi ab ipso ferente, vel Delegato, aut Superiore in ipsum plenam Jurisdictionem habente, *ex cap. Pastorali 11. §. Præterea, de Officio Ordinar.*

Interdictum locale, sive generale, sive particulare, & Interdictum personale generale non possunt tollere, seu ab illo absolvere Parochi, & alii Confessarii etiam privilegiati, quia ad relaxandum interdictum locale generale, & particulare, & personale generale requiritur jurisdictio pro foro externo, qualis non est in Parocho, nec in aliis Confessariis etiam privilegiatis, qui solum habent Jurisdictionem pro foro animæ; Locus autem, & Communitas non subjacent judicio interno pro foro animæ, ut de se patet. Possunt tamen Parochi, & alii Confessarii absolvere ab Interdicto personali particulari a jure lato, & non reservato, ut colligitur *ex cap. Nuper 29. de sentent. Excomm.*

Si Interdictum quodcumque per specialem sententiam latum sit ab homine, v. g. ab Episcopo, ordinarie ab illo is solus, qui illud tulit, vel illius Delegatus, vel Successor, aut ejus Superior plenam jurisdictionem in illum obtinens, potest absolvere; *cap. Pastoralis 11. § Præterea, de Offic. Ord. c. Quærenti 26. de Officio Delegat. c. Si Episcopus causa 5. quæst. 3.* Sicuti pariter soli supradicti possunt absolvere ab Interdicto lato per sententiam generalem, quando Auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit; *arg. cap. Nuper 29. de sentent. excommun.* Vide dicta *de absolutione, & Excommunicatione*.

Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam, ut habetur expresse *in cap. Præsenti 10. de sentent. excomm. in 6.* præcisis verbis: *Beneficium relaxationis ad cautelam, quoad Interdicti sententias in Civitates, Castra, vel quælibet alia loca, seu terras aliquas generaliter promulgatum, locum aliquatenus non habere*. Quæcumque vero alia Interdicta ad cautelam possunt relaxari, sicut Excommunicatio, quia Excommunicatio, & Interdictum pari passu procedunt, ut probat ex variis textibus Glossa *in d. cap. Præsenti, verb. Declaramus*; ergo sicuti Excommunicatio potest relaxari ad cautelam, ita pariter Interdictum, eo vel maxime, quod non debemus nos facere extensionem ad ullum aliud Interdictum, cum textus præcise loquatur de Interdicto locali generali, ut patet aperte *in dict. cap. præsenti 10. de sentent. Excomm. in 6. supr. relat.*

Additio ex Auctore.

Interdicti tempore in vim Bullæ Cruciatæ competunt privilegia Missas celebrari faciendi, Sacramenta sumendi, & Ecclesiastica sepultura gaudendi, juxta modum præscriptum a Benedicto XIV. tom.1. Constitut. 86. incip. *Quoniam §. 5.* Interdicti tempore conceditur Militibus Sancti Januarii, ut Missas celebrari facere, & Sacramenta recipere valeant; Idem Constit.34. incip. *Romanæ Ecclesiæ. §. 4.*

Novissi-

tia Constitutionem Joann. XXII. circa fructus Beneficiorum vacantium; *Extravag. Suscepti regiminis, ne Sede vacante*.

5 Contra Capitula Cathedralium Dimissorias infra annum a die vacationis Sedis concedentia; Concil. Trident. *sess.7. cap. 10.*

6 Contra Universitates habitationem Usurariis locantes, aut Usuras publice exercere permittentes; *c.1. de Usuris*.

ARTICULUS V.

Interdicta Personalia particularia.

1 CONtra Cardinales, aliosque Ecclesiæ Prælatos recipientes beneficia, & Pensiones cum Simonia confidentiali; Pii IV. Const. incip. *Romanum Pontificem*.

2 Contra Metropolitanos de non residentia Suffraganeorum, & contra antiquiores Episcopos de non residentia Metropolitanorum post annum a die absentiæ eorumdem, non certiorantes Pontificem intra tres menses; Conc. Trid. *sess. 6. cap.1. de reform.*

3 Contra promotos ad Ecclesias Cathedrales, etiamsi sint Cardinales, in Romana Curia existentes intra unum mensem a die eorum promotionis, & consecrationis, itineri non se committentes ad faciendam residentiam; Urb. VIII. Constit.139. incip. *S. Synodus*, & Conc. Trid. *sess.23. ca.2. de reform.*

4 Contra Episcopos usurpantes bona, vel fructus Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium; *c. Præsenti 9. de Offic. Ordinar. in 6.*

5 Contra Episcopos, vel Abbates alienantes bona Ecclesiæ, non servata forma *Extravag. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiast. non alienand.*

6 Contra Episcopos, aliosque Superiores Prælatos qui in Visitatione procurationem excessivam recipiunt contra Constitutionem Innoc. IV. relatam *in cap. Romana 1. de censibus in 6. cap. Exigit 2. de censibus in 6. & Trid. sess. 24. cap.3. de reform.*

7 Contra Prælatos edentes Commentarios in Conc. Trid. inconsulto Romano Pontifice; *Pii IV. Const. Confirmatoria ejusdem Concilii*.

8 Contra eos, qui Episcopatum, Abbatiam, vel aliam Ecclesiasticam Dignitatem de manu Laici recipiunt; *cap. Si quis deinceps 16. quæst.7.*

9 Contra Clericos in Sacris constitutos in crimine fornicationis perseverantes: *cap. Si qui sunt dist.81.*

10 Contra Ordinarios, qui privant beneficiis commorantes in Urbe, & eos, qui illa recipiunt: *Extravagant. 3. de privileg.*

11 Contra non servantes formam a Jure præscriptam in ferendis Censuris; *cap. Sacro 48. de sentent. Excommun.*

12 Contra Violantes interdictum locale, & contra eos, qui Excommunicatos publice, vel interdictos ad Divina Officia, ad Sacramenta, & ad Ecclesiasticam sepulturam admittunt; *cap. Episcop. de privileg. in 6.*

13 Contra eos, qui dant causam interdicto locali: *cap. Si Sententia 6. de sent. Excommun. in 6.*

14 Contra omnes Ecclesiarum Sæcularium Rectores, & Ministros recipientes onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii loci, ac etiam contra recipientes pecunias talium Legatorum, & eos non deponentes penes personam idoneam, Urbano VIII. Constitut.43. incipient. *Cum sæpe contingat*.

ARTICULUS VI.

Interdictum quoad ejus effectus.

1 EFfectus Interdicti sunt tres, primus est privatio aliquorum Sacramentorum, secundus est privatio divinorum Officiorum, tertius est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, ut expresse habetur *in cap. Alma Mater 24. de sentent. Excomm. in 6.*

2 Circa primum effectum notandum est, quod non omnium Sacramentorum, sed aliquorum tantummodo prohibitus est usus, sive activus, sive passivus.

Tempore enim interdicti propter moræ periculum licite, 3
administratur non solum parvulis, sed etiam adultis Baptismus, & Confirmatio, & ad hunc finem potest fieri Catechismus, Fontis benedictio, & in Cœna Domini Chrismatis consecratio; *cap. Responso 43. de sent. Excomm., & cap. Quoniam 19. de sent. excomm. in 6.*

Item Sacramentum pœnitentiæ omnibus administrari po- 4
test, etiam sanis, exceptis iis, qui sunt excommunicati, & causam dederunt Interdicto, nisi de delicto satisfecerint, aut de satisfaciendo cautionem idoneam, vel juratoriam præstiterint: *cap. Alma Mater 24. de sentent. excommunication. in 6.*

Item Sacramentum Matrimonii potest tempore Interdicti 5
licite celebrari, Glos. *in cit. cap. Alma Mater 24. de sent. Excomm. in 6. verb. Sacramentis*, Abbas in *cap. Non est 11. de sponsalibus num.8.* & alii passim.

Solemnis tamen, & publica benedictio tunc sponsis dari 6
nequit, ut colligitur *ex cit. c. Alma Mater*.

Item constitutis in articulo, seu probabili periculo mortis 7
licite ministrari potest etiam Sacramentum Eucharistiæ, *cap. Permittimus 57. de sent. Excom. & cap. Quod in te 11. de pœnit. & remiss.*

Item infirmis aliud Sacramentum non valentibus recipere, 8
licet ministrari etiam extrema Unctio, ut cum aliis colligunt Pirhing, & Palao ex *cit. c. Quod in te 11. de poen. & remiss.*

Et casu magnæ necessitatis, & penuriæ Sacerdotum etiam 9
Sacramentum Ordinis Clericis specialiter non interdictis conferri potest, ut cum multis colligunt Pirhing, Innocentius, & Abbas *ex cap. Non est 11. de sponsalibus num.8.*

Circa secundum effectum notandum est, quod nomine 10
Divinorum Officiorum tempore Interdicti prohibitorum *in cap. Si Sententia 16. de sent. Excomm. in 6. & cap. Permittimus 57. hoc titul.* intelliguntur celebratio publica Missæ, publica recitatio Horarum Canonicarum in Choro, processiones publicæ, benedictiones publicæ Templi, Fontis baptismalis, Cinerum, Palmarum, Candelarum, Nuptiarum, solemnis asperso aquæ lustralis, professio solemnis in Religione, & alia similia. Excepta privata recitatione Horarum, ad quam alias obligati tenentur, licet sint interdicti, & Con- 11
cione, ad quam etiam per Campanæ pulsum possunt convocari interdicti, ut ad correctionem, & reprehensionem inducantur, ex *cap. Responso 43. de sent. Excom.* Tempore Inter- 12
dicti generalis Clerici, & Religiosi, quando ipsi non sunt interdicti, possunt, ut extra tempus Interdicti, Missas, & divina Officia celebrare, sed januis clausis, non pulsatis Campanis, voce submissa, & exclusis personaliter Interdictis, & iis, qui Interdicto causam dederunt: *c. Alma Mater 24. de sentent. Excom. in 6.*

Et in hoc eodem capite *Alma Mater* permittitur, ut Fe- 13
stis Natalis, Paschatis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. Virginis, quibus a Martino V. et Eugenio IV. additus fuit dies Festus Corporis Christi cum tota Octava, et a Leone X dies festus Conceptionis B. M. V. etiam cum tota octava tempore Interdicti generalis Missæ, et divina Officia publica cum omni solemnitate celebrentur januis apertis cum Campanarum sonitu, admissis quoque Interdictis, qui causam Interdicto dederunt, modo illi non appropinquent Altari, nec veniant ad Offertorium, vel Communionem, exclusis tamen excommunicatis. Et hoc privilegium est solum 14
de Interdicto locali generali, non vero de locali particulari nec de Personali etiam generali, quia in his nihil est immutatum jure novo *in cap. Alma Mater*, sed remanet rigor juris antiqui *cap. Permittimus*. Unde in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus Eucharistia servatur, solum licet semel in hebdomada celebrare Missam pro renovanda Eucharistia pro infirmis, ut expresse colligitur *ex d. c. Permittimus 57. de sent. Excommun.*

Regulares, quibus post Trid., et Gregor. XIII. cum suf- 15
ficientibus Derogatoriis specifice, et expresse est indultum, ut quædam proprii Ordinis Festa solemni ritu tempore Interdicti Generalis quacumque auctoritate positi celebrent, possunt in omnibus illis Festivitatibus voce alta, apertis januis, pulsatis Campanis, Divina facere, ac omnibus Fidelibus Sacramenta ministrare, exceptis nominatim Interdictis, et Interdicto causam præbentibus, et omnia alia libere, et solemni ritu peragere, ac si Interdictum minime appositum esset, ut expresse post Concil. Trident. et Gregor. XIII. concessit Ordini Minorum S. P. Francisci Clemens VIII. die

15 die 17. Octobr. 1595. Constit. incip. *Sacræ*, per quam omnem dubietatem e medio tollit præcisis his verbis: *Ut Sacræ Seraphici B. Francisci Religionis in Sanctam Romanam Ecclesiam merita poscunt, ut Privilegia, & Indulta, illi per Sedem Apostolicam concessa, non modo conserventur, sed etiam amplientur.*

Cum itaque sicut accepimus diversorum Romanorum Pontificum concessionibus Religioni præfatæ indultum sit; ut temporibus Interdicti quacumque, etiam Apostolica auctoritate appositi, Festa Sanctorum ejusdem Ordinis, Francisci nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ, Elisabeth, ac Martyrum solemni ritu celebrare, perinde, ac si Interdictum hujusmodi minime appositum esset, libere possint. Festa vero Sanctorum Didaci, & Portiunculæ in prædicto Indulto minime comprehendantur; Nos Religionem prædictam amplioribus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac Indultorum hujusmodi, & Litterarum Apostolicarum desuper expeditarum, tenores, præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus dictæ Religionis per Dilectum Filium nostrum Hieronymum Presbyterum Cardin. Matthæum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Religioni prædictæ universæ, ac cuicumque ipsius Ordinis Familiæ, sive Conventui, ut in eorum Ecclesiis Festa etiam prædicti S. Didaci, & Portiunculæ, temporibus Interdicti solemniter, prout alia Festa prædicta, ac juxta Indultorum illi concessorum seriem, & tenorem celebrare libere, & licite possit, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac Indulta prædicta ad prædictas S. Didaci, & Portiunculæ Festivitates extendimus, & ampliamus.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis universalibus, Provincialibus, & Synodalibus, Conciliis editis generalibus, vel specialibus, necnon omnibus illis, quæ in præfatis Indultis, & Litteris Apostolicis concessum est, non obstare, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Dat. Tusculi sub annulo Piscatoris 17. Octobr. 1595. Pont. Nostri anno 4.

Sic tenent plurimi cum Pignatell. *t.10. cons.* 1. Mattheucci, *Offic. Curiæ cap.27. n.12. &* 13. & alii passim.

17 An autem hoc privilegium suffragetur aliis Regularibus propter communicationem privilegiorum? Videtur respondendum esse affirmative. Nam Suarez *lib.8. de legibus cap.17. num.7.* Roderiq. *qq. Regular. quæst.55. art.23. tom.* 1. Portell. *in respons. moral. tract.*1. *disp.4. punct.*2. *§.9. numer.* 5. Hieronymus Roderiq. *in compend. resolut.65. num.* 2. et alii asserunt in celebratione Festorum locum habere communicationem privilegiorum, præsertim quoad eos Regulares, qui habent prægnantissimam communicationem privilegiorum ab Apostolica Sede, tam concessorum, quam concedendorum, et hoc maxime verum censeo pro illis Regularibus, qui obtinuerunt a S. Sede communicationem, aut innovationem privilegiorum post dictum privilegium aClement. VIII. insupra allata Constitutione concessum Minoribus. Pignatell. tamen *tom.*10. *cit. consulit.*1. *num.*32. *& sequent.* pluribus adductis censet tale privilegium non suffragari aliis Regularibus virtute communicationis privilegiorum, quod et censet Mattheucci *in Officialis Curiæ cap.*27. *num.*14. et alii. Vid. Card. Petram *t.6. Comment. ad Const.*10. *Sixti IV. n.*15. *& 16.*

18 Regulares tempore Interdicti possunt celebrare, et communicare januis clausis ex privilegio variorum Summorum Pontificum, et præcipue Clementis IV. Constitut. incip. *Virtute §.9.* Greg. II. Const. incip. *Virtute*, et Pauli III. Const. incip. *Licet debitum*.

19 Circa tertium Interdicti effectum, qui est privatio Ecclesiasticæ Sepulturæ notandum est, quod in loco Sacro interdicto nullus quantumvis innocens, nec infans, nec amens potest sepeliri: *c. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiss.*

20 Excipiuntur tamen Clerici personaliter non interdicti, nec Interdicto causam dantes, nec illud pro ullo tempore violantes, qui cum silentio, & sine solemnitate absque Campanarum pulsatione possunt in loco Sacro interdicto sepeliri, *d. cap. Quod in te* 11. *de pœnit. & remiss.* Pirhing *in Jus Canonic. lib.*5. *c.*39. *num.*251.

21 Tempore Interdicti localis generalis possunt incolæ illius loci, qui non sunt personaliter interdicti, efferri extra illum locum interdictum, & in alio loco Sacro non interdicto sepeliri; *cap. Si sententia 16. de sent. excomm. in*6.

22 Et si quis sepultus fuerit extra locum Sacrum tempore Interdicti, cessante Interdicto, in locum Sacrum est transferendus, si id commode fieri possit; Glossa *in cap. Anobis 2. de sent. excomm. in 6. verb. Forma*, Pirhing *in Jus Canon. lib.*5. *tit.39. num.*251.

Si vero contingeret contra prohibitionem Juris aliquem 23 interdictum sepeliri in loco Sacro, is non esset extrahendus, quia hoc non reperitur in jure præscriptum. Et licet excommunicati in loco Sacro contra prohibitionem sepulti, denuo debeant exhumari, & e loco Sacro ejici; *cap. Sacris* 12. *de sepulturis*: Hæc tamen tam severa pœna non est extendenda ad alium casum in Jure non expressum, cum diversa sit ratio de Excommunicatione, & Interdicto. Excommunicatio enim privat communione fidelium, non autem Interdictum; Glossa *ind. cap. Anobis, de sent. excomm. in 6.* Engel. *lib.*5. *tit.39. n.96.* cum Anacleto, & aliis.

Interdicti tempore in vim Bullæ Cruciatæ competunt privilegia Missas celebrare faciendi, Sacramenta sumendi, & ecclesiastica sepultura gaudendi juxta modum præscriptum a Benedicto XIV. tom.1. Bull. Constitut.86. incip. *Quoniam*, §.5. 24

Interdicti tempore conceditur militibus S. Januarii ut Missas celebrare facere, & Sacramenta recipere valeant. Idem Const.24. incip. *Romanæ Ecclesiæ*, §.4. 25

* Interdicti ab ingressu Ecclesiæ assistere non possunt Missæ, & divinis Officiis, neque coram illis potest Missa celebrari in Ecclesia. Spectat vero ad Ministros Ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suaresio docetur, Missam jam incæptam non esse omittendam. *Instit. Eccl.*45. *num.*11. 26

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ, utrum eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter Doctores. *Ibid.*33. 27

Interdicti ab ingressu Ecclesiæ ob transgressionem præcepti de Communione Paschali, si contumaces se præbuerint, ab Episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur *Instit. Eccles.*55. *cit. n.*11. 28

Novæ additiones ex aliena manu.

TUnc quum primum introduci in Ecclesia cœpit interdictum, & multo etiam tempore post maximus fuit ejus rigor. 1

Sic enim Oldericus Familiæ B. Martialis Monachus a Synodo de contumacia Principum Militiæ Lemovicensis sententiam rogatus, inquit, *Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo, ut Nemo nisi Clericus, aut Pauper mendicans, aut Peregrinus adveniens, aut infans a bimatu & infra in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter agatur, sed baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia & Viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Ecclesias sicut in Parasceve nudentur, & cruces & ornamenta abscondantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad missas tamen, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post missas nudentur. Nemo alteri osculum det. Nemo clericorum aut laicorum vel habitantium vel transeuntium in toro Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in quadragesima vesci licitum est. Nemo Laicorum aut Clericorum tondeatur, neque redatur, quousque districti Principes & Capita Populorum per omnia Sancto Concilio obediant. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator non recipiatur nisi cum digna pœnitentia.* 2

Liquet hinc, quantus eo tempore erat rigor interdicti. Mitigari vero ille aliquantulum postmodum cœpit, *ut liquet* ex collectionibus Gregor. IX. & Bonifac. VIII. Innocent. III. qui anno 1200. Ecclesiam rexit, semel in Hebdomada prædicare & Baptizatos confirmare licitum esse declaravit, *in c. Responso, de sentent. Excommunic.* Præterea Clericis qui interdictum observaverant in cœmeterio cum silentio sepeliri, in Conventualibus Ecclesiis voce remissa januis clausis, non pulsatis campanis horas canonicas binos, vel trinos recitare concessit; *Cap. Quod in te, de Pœnit. & Remiss.* Greg. IX. sub annum 1230. addidit, ut moribundis viaticum ministraretur, semelque in Hebdomada missa pari cum silentio celebraretur; *Cap. Permittimus, de sentent. Excommun.* Plura etiam permisit Innocentius IV. qui anno 1245. Pontificatum iniit. 3 4 5 6 7 8

tristatur, ac veluti tingitur amarulento affectu. Hinc de invido S. Augustinus *lib.* 11. *de Genesi ad lit. cap.* 14. sic præclare scripsit *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur, vel inferioribus, ne sibi coæquentur, vel Superioribus, quod eis non coæquetur.*

Invidia ex genere suo est pecatum mortale contrarium Ca- 3
ritati; quia Caritas gaudet de bono proximi; Invidia vero tristatur de bono proximi. Peccatum autem Caritati oppositum esse ex genere suo mortale docet S. Thomas 2. 2. *qu.36. art.*3., & alii passim. Dicitur autem notanter *ex genere suo*, quia potest esse veniale, vel defectu consensus, 4
aut advertentiæ sufficientis, vel ex parvitate materiæ, ut contingere solet quandoque in pueris, qui de parvis, & levibus aliorum puerorum bonis tristitiam capere solent. Unde pec- 5
cati Invidiæ gravitas mensuranda est ex magnitudine boni corporalis vel spiritualis, quod invidetur. Hinc omnium gravissima est invidia fraternæ caritatis, qua quis invidet proximo bona spiritualia, ac dona Spiritus Sancti, ipsamet Caritatem, & gratiam Dei, virtutem, & Sanctitatem, quia nimirum omnia illa propriam suam excellentiam minuere, sui vilipensionem causare, aut certe vitam, & actus suos redarguere, & condemnare videt, & æstimat. Unde odium, detractiones, temeraria judicia, persecutiones justorum oriuntur; & ideo hæc invidia dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia, qui sic invidet, etiam Spiritui Sancto invidet, qui in donis suis, & operibus glorificatur. Sic talis fuit invidia mortifera Cain occidentis fratrem suum Abel, de quo 1. *Joan.*3. *Hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum; & propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem justa.* Simili invidia tabidi clamant impii *Sapient.*1. *Circumveniamus hominem justum, quoniam dissimilis est operibus nostris; Gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.*

Invidia, jure optimo numeratur inter vitia capitalia, quia 6
ex ipsa tamquam ex capite multa alia peccata originem ducunt, ut patet ex quinque Filiabus, quas ei assignat S. Gregorius *lib.*31. *Moral. c.*17. Prima scilicet *Odium*, quo quis malo vult illi, cui bona invidet. Secunda *Susurratio*, quæ apud alios invisum reddere molitur eum, cui invidetur, adeoque amicitiam dissolvere. Tertia *Denigratio*, qua quis denigrat bonam famam, quam proximo invidet. Quarta *Exultatio* in adversis proximi. Quinta *Afflictio* in prosperis proximi. 7
Et hæc est pœna continua invidi, qua suo livore tabescit, ac velut serpentina morsicatione cor exedit juxta Psalm. 111. *Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* Unde egregie S. Bonaventura *in dicta salutis tit.*1. *cap.*4. de invidio sic ait: *De bonis aliorum affligitur, de melioratione deterioratur, de profectu deficit, de pinguedine macrescit, de sanitate infirmatur, de vita moritur, & ipse amittere se putat quod alii lucrantur, & sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita invido omnia cooperantur in malum*, & S. Isidorus *lib.* 2. *Synonim. cap.* S. sic optime concludit. *Invidia sibi primum nocet, primum se mordet, primum Auctorem suum rodit..... sensum comedit, pectus urit, mentem afficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit.*

Tres aliæ dantur tristitiæ affectiones, quæ cum invidia 8
similitudinem quamdam præ se ferunt, nempe *Indignatio, Æmulatio, & Timor*, de quibus optimè S. Thomas 2. 2. *qu.36. art.*2. ex Aristotele 2. *Rhetor. cap.*9. *&* 10. *Indignatio*, seu *Nemesis* est affectio, qua quis tristatur, quod bona 9
temporalia v. gr. Divitiæ, Dignitates, Officia, Beneficia, & hujusmodi, obveniant impiis in via sua. Hæc affectio, & tristitia est peccaminosa, & mala, si tendat in talia bona quatenus absolutè sunt proximi, quia ipsum proximum ex caritate debemus amare, & de ejus bonis potius gaudere, quam tristari; & a fortiori est mala, si tendat in talia bona, quatenus ex juxta Dei dispositione ob certos, & semper bonos fines, etiam indignis proveniunt; sic etiam sapit blasphemiam, & est contra voluntatem Dei, cui nostra voluntas in volito formali cognito numquam repugnare, sed semper confirmari debet. Unde contra hanc tristitiam David ait *Psalm.*36. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in vita sua in homine faciente injustitias.* Bona autem, & licita est hæc tristitia, & affectio, si tendat in talia bona, quatenus humana voluntate, ac potestate contra justitiam indignis obveniunt, aut prout eis indigni ad peccandum abutuntur. *Communis.*

Æmulatio, seu zelus est affectio, qua quis tristatur de 10
bono alterius, non quia ipsius est, sed quia simili bono ipse caret. Hæc affectio, & tristitia est bona, & laudabilis, sive versetur circa bona animi, v. g. merita, bona opera, virtutes, & scientias cum talem æmulationem præcipiat Apostolus 1. *ad Corinth.* 12. dicens: *Æmulamini Charismata meliora*, & S. Hieron. Epist. ad Letam, de ejus filia sic scribit: *Habeat socias, cum quibus discat, quibus invideat, quarum laudibus mordeatur*; (a) sive versetur circa bona temporalia æmulanti convenientia; Sic enim Opifex videns alios suo opificio familiam suam commode alere, merito æmulatur, et dolet se non posse suo opificio ita commode alere suam; Sic mercator licite quidem tristatur, quod ipse non vendat tantum, quantum alter, seu ad se non accedant tot emptores, quot ad alterum, quia ipse non tristatur de alterius bono, sed de suo proprio damno, seu cessatione lucri, quod alioquin juste habere posset. Illicite tamen saltem venialiter tristaretur, si doleret, quod plures emptores concurrerent ad alterum, quatenus ille concursus alteri bonus est. Sic communis Doctorum.

Timor est affectio, qua quis tristatur de bono alicujus, in 11
quantum prudenter timet, ne ille ex tali bono animam capiat nocendi sibi, aliisque innoxiis, aut Reipublicæ, seu Ecclesiæ. Et hæc affectio, et tristitia ex se bona est, et licita, ut de se patet, et clare demonstrat S. Gregorius *lib.* 22. *moral. cap.*6.

(a) Auctoris assertio, qua ait tristitiam bonam esse, et laudabilem, *si versetur circa bona temporalia æmulanti convenientia*, difficultatem aliquam pati existimarunt docti Censores; et quidem jure meritoque. Nam dum tristitiæ affectus ex libera animi determinatione pendeat, ut bonus laudabilis sit, bonum, & laudabilem finem habeat oportet, atque hominem ad virtutem incitare, & perficere debet; boni enim, & laudabiles affectus virtutem promovent, & fovent, ac homines meliores faciunt. At dum tristitia in homine sit ob temporarium bonum alterius hominis, ubi laudabilis finis est? In eo enim actu, qui ad Deum actu aut virtute non referatur, laudabilis finis desideratur: in eo vero, qui ob temporarium proximi bonum tristetur, tristitiæ finis non est Deus, hoc est deliberatus ille tristitiæ actus non refertur in Deum, nec actu, nec virtute, nec implicite, ut consideranti patet. Cum ergo illius tristitiæ finis, bonum sit temporarium, quod alter homo possideat, quodque sibi cupiat is, qui tristatur, manifestum est, aut ex superbiæ, aut ex avaritiæ fonte, aut ex prava invidia affectum illum originem trahere: quia tristatur tum homo de alterius bono, ex eo, vel quod majorem aliis gloriam sibi cupiat, vel quod ditiorem aliis se esse optet, vel denique, quod ipsi displiceat ineise in proximo bonum, quo ipse careat. Rursus, quod charitati obest, & præcepto illo adversatur, quo proximum diligere debemus, sicut nosmetipsos, non bonum, & laudabile, sed malum & vitiosum est. At tristitia illa, qua tristatur homo ob temporarium bonum alterius hominis, charitati obest, & præcepto illi contraria est, quo debemus proximum sicut nosmetipsos deligere. Nam, qui ita proximum diligit, de illius bono non tristatur, sed gaudet. Dicet vero bonam ac laudabilem esse tristitiam illam, quia ad scientiam, ad virtutem, & ad aliud bonum temporarium comparandum hominem incitat. Sed si charitati adversatur, si superbiam, et alia quæ diximus vitia fovet, qua ratione bona, et laudabilis esse poterit? Nunquid quia terrenos fovet affectus? At hos compescere, ac rationi subjicere, et in honestum finem dirigere Christi Theologia docet, non vero æmulatione fovere.

Multo majorem vero difficultatem patitur, quod circa ejusdem numeri finem affirmat, dum ait *illicite tamen saltem venialiter tristaretur Mercator, si doleret, &c.* Nam dum Mercator tristatur ob emptorum concursum ad alterum, quatenus huic ejusmodi concursus bonus esset, gravissime contra charitatem peccat, si consens, & debita advertentia adsit, quemadmodum Auctor num.3. & sequentibus probat; charitas enim gaudium excitat ob bonum proximi, sicuti ob bonum nostrum. Mercator vero ille tristitiam gaudio oppositam in se excitaret, atque foveret. Grave ergo invidiæ peccatum committeret.

cap.6. his verbis: *Evenire plerumque solet, ut non omissa Caritate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum & vsente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus.* Illicita autem est talis affectio et tristitia, si temere, ac imprudenter sinistram talem suspicionem, aut judicium de proximo quis concipiat, seu si quis doleat, & tristetur de bono alterius, v. g. de Officio alicui collato, in quantum prævidet ipsum esse tali Officio recte usurum, & sibi, aliisque male agentibus debitas pœnas esse inflicturum. *Communissima.*

12 Ex omnibus supradictis colliges, illum solum esse proprie; & rigoroſe invidum, qui dolet, & tristatur, quod alter Officium, Dignitatem, Beneficium, Hereditatem, aliudve hujusmodi bonum temporale, & a fortiori alia bona spiritualia, ut spiritualia dona Spiritus Sancti, & hujusmodi obtinuerit; in quantum ratione ipsorum evenit, quod ille apud omnes præ se excellat, & major, seu melior se ab omnibus habeatur. Invidus enim dicitur, quod non sit videns, quia bona alterius sine tristitia videre non potest. Baldel. *d. 29. l. 3.* & alii passim.

JOB PROPHETA.

Additamenta novissima Auctoris.

1 JOb dicitur natus matre *Bosra*, patre *Zara*, vel *Zareph*, Isaaci pronepote, nam Abraham genuit Isaac; hic Esau; hic Ravel; hic Zara; hic Job; *Gen.36.* Fuit ergo Job quintus ab Abrahamo. Sic traditur in Appendice libri Job, quam septuaginta Interpretes, & SS. Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Policronius, & alii Patres in Catena, & a Bellarmino citati passim, ut legitimam admittunt. Hic habitavit in terra Hus, seu *in Austitidie in orient.di Idumæa, in Bozræ* finibus. Et *ut Rex imperavit in Edom post Balac*, seu Bela, ut in Genesi nominatur, & regem fuisse, ipsemet Job satis innuit *cap.19. v.9.* & alibi. Immo Regem regum fuisse probat Pineda in *cap. prim. Job. v. 3.* ubi dicitur: *erat vir*
2 *ille magnus inter omnes orientales*, Fuit idem etiam Sacerdos,
3 ut patet ex sacrificio, quod obtulit *vers.5.* Fuit & Propheta, inquiunt SS. Hieronymus, Augustinus, Gregorius, ut colligitur ex *cap.14. v.1.* Et insuper Martyr, immo multis martyribus majorem vocat S. Chrysostomus, cum aliis, quos passim citant Pineda & Salianus.

5 Jobum fuisse sub id tempus, quo mortuus est Isaac ejus abavus, & quidem ipso anno, quo Jacob cum suis in Ægyptum descendit; sicque vixisse sub tempus habitationis hebræorum in Ægypto, & pertigisse ad tempora Moysis, colligitur ex communiori & verosimiliori sententia, quam tenent Philo, Aristæas, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, & ex recentioribus, Abulensis, Pererius, a Lapide, Pineda, & alii; vixit enim ducentis, & pluribus annis; *Job cap. ultim. vers. ult.* Hæc ex eruditis. Tirino *Commentar. in Gen. cap.36. & in Jod. cap.* 1. ubi insuper addit, trigesimo post anno Jobum uxorem duxisse *Bosorram* Arabissam, ac sub idem tempus regnum administrasse. Calmetus autem in Dictionario verb. *Job*, §. *Rerum a Job gestarum*, refert, Scriptores alios tradere, Jobi uxorem vocatam fuisse *Ramissam* e genere *Loth*, ideit Moabitidem, vel Amonitidem.

IRA.

1 IRA pro ut est unum ex peccatis capitalibus, est inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ. *Est in re*
2 *communis*. Dicitur primo *inordinatus appetitus vindictæ*, quia si ordinate appetatur vindicta, non est peccatum. Immo ira si præscriptum rationis modum non excedat, nedum non est mala, sed est bona, & meritoria; quin immo, & ejus absentia potest aliquando esse peccaminosa. Unde peccant quandoque Superiores, & quandoque parentes defectu iræ in subditos, seu filios, sicut peccavit Heli 1. *Rg.2.* fuitque ideo justa morte punitus, quod filiis discolis, eorumque vitiis non fuerit iratus. Hinc *Eccles.7.* legitur: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis, & Psalm.4.* dicitur: *Irascimini, & nolite peccare*, et de facto quod ira ordinata non sit peccatum, manifeste patet, ex quo ipsemet Christus, a quo longe erat omne peccatum, circumspexit *cum ira*, ut dicitur *Marc.* 3. Dicitur 3
secundo, *Vel quasi vindictæ*, quia dum homo irascitur in res inanimatas, ut dum Scriptor ex cholera comminuit calamum male scribentem, Pictor penicillum male pingentem, Artifex frangit, aut projicit instrumentum non ita idoneum ad suum intentum, et hujusmodi, non est proprie ira, quamvis ordinarie venialis, nisi ab extrinseco fiat mortalis.

Ira potest esse *appetitus inordinatus*, seu peccatum duplici- 4
ter. Uno modo ex parte objecti appetibilis, seu vindictæ, ut si proximo appetas vindictam injustam, vel justo majorem. Alio ex parte ipsius motus iræ, seu modi irascendi, ut si nimium interius exeandescas, vel exterius per signa nimis patefacias. *Communis* cum S. Thoma infra citando. Ira 5
inordinata primo modo, seu excessiva quoad inordinatum appetitum vindictæ inferendæ est peccatum ex genere suo mortale. *Communis* cum S. Thom. 2. 2. *q.*158. *art.2. in corpore*, ubi sic præcise habet: *Motus iræ potest esse inordinatus, & peccatum duplicitèr, uno modo ex parte appetibilis, utpote cum aliquis appetit injustam vindictam, & sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur Caritati, & Justitiæ*; ubi, ut vides, tota ratio est, quia Caritati, & Justitiæ contrariatur. Caritati quidem, cum optemus proximo malum, quod nobis non optaremus fieri; Justitiæ vero, quia, sicuti ad justitiam commutativam requiritur æqualitas 6
inter datum, & acceptum, ita ad justitiam vindicativam æqualitas inter pœnam, & culpam. Dicitur notanter *ex genere suo mortale*, quia potest esse peccatum veniale ob imperfectionem actus, quæ imperfectio spectatur, vel ex parte appetentis, seu voluntarii, ut cum motus iræ prævenit judicium perfectum rationis; vel ex parte objecti appetibilis, ut cum levis est vindictæ optatæ excessus. *Communis* cum S. Th. *loc. citat.* ubi sic præcise subjungit: *Potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita etiam quod si actu inferatur, non esset peccatum mortale, puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi.*

Ira inordinata secundo modo, seu excessiva ex parte mo- 7
di irascendi est ordinarie peccatum veniale tantum, quia homo per solum emotionis excessum, nec intendit nocere, nec nocet, nisi sibi. *Communis* cum S. Thom. *loc. cit.* ubi sic sequitur: *Alio modo potest esse motus iræ inordinatus, quantum ad modum irascendi, utpote, si nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ; & sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis.* Dicitur notanter *ordinarie peccatum veniale tantum*; quia, 8
potest contingere, quod per accidens ex nimia vehementia iræ evadat peccatum mortale ratione affectûs adjuncti, quo quis paratus existat aliquid facere contra dilectionem Dei, & proximi, quod sit peccatum mortale. *Communis* cum S. Thom. *loc. cit.* ubi sic concludit: *Potest tamen contingere quod sit peccatum mortale, pura si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei, & proximi*, & Silvius 2.2. *q.*158. *art.3. concl.3.* sic dixit: Potest tamen esse mortale, si vehementia sit tanta, ut vel scandalum magnum infirmis præbeat, vel irascentis valetudini multum noceat, vel alioquin destruat Caritatem, sive in opere externo, sive tantum in animo.

Iræ filiæ communiter a Doctoribus cum S. Gregorio *lib.31.* 9
moral. cap. 17. assignantur hæc, nempe Indignatio, Tumor mentis, Clamor, Contumelia, Rixa, Blasphemia. *Indi-* 10
gnatio, seu aversio est inordinatus affectus in proximum, ex eo, quod quis reputet se, aut suos indigne, seu injuriose tractari: Talis Indignatio est ordinarie peccatum veniale, quamvis possit esse mortale, si crescat usque ad deliberatum odium, vel gravem personæ contemptum. *Tumor mentis* 11
est, quo quis morose excogitat diversas vias vindictæ, iisque cogitationibus animum tumefacit, et inflat; Talis tumor mentis est peccatum mortale, vel veniale juxta rationem vindictæ cogitatæ gravis, vel levis. *Clamor* indignationis 12
index est, cum iratus vocem extollit, multa inordinate, et confuse effundens; Talis clamor est ordinarie peccatum veniale, nisi addatur aliud, v. g. blasphemia, contumelia, et hujusmodi. *Contumelia* interni contemptus index est dictum, 13
vel factum injuriosum, quo quis proximo præsenti palam ali quod malum objicit intentione illum inhonorandi; Talis

Novissimæ additiones ex aliena manu.

1 INterdictum, ut dictum est *in addit. ad articul.* 1. fertur vel
2 uti censura, vel uti pœna. Interdictum uti censura, quemadmodum & quælibet alia species censuræ, non nisi absolutio-
3 ne tollitur. Interdictum vero uti pœna, si elapsum sit tempus; ad quod fuit latum, non tolli, sed cessare dicitur; Ante
4 vero tempus illud dispensatione tollitur; *Hurt. de Censur. tract. de Interdict. difficult. 16. num. 46.*

5 A quibus unum & alterum Interdictum tolli possit, breviter, sed perspicue tradit *mox laudatus Auctor*, qui *num.49* tametsi conveniat, interdictum generale locale tolli haud
6 posse ad cautelam; *Nihilominus*, subdit, *quodcumque interdictum adhuc locale generale posse tolli ad tempus ab eo, qui*
7 *potest illud totaliter auferre in foro exteriori, & ab eodem posse quoad aliquem effectum auferre sive ad tempus, sive abs-*
8 *que termino, ut quoad aliquam missam, aut quoad aliquem sepeliendum, quin interdictum potest a ferente ipsum quoad suos effectus limitari, tam quoad primam impositionem illius, tam quoad conservationem, quum conjunctio omnium effectuum interdicti non est jure annexa cum ipso, sicut sunt jure connexi omnes effectus excommunicationis cum ipsa.*

INTERLOCUTORIA SENTENTIA.

Vide verb. *Sententia a num.3. ad 17. &* verb. *Appellatio art.4.*

INTERPRETATIO LEGIS.

Vid. verb. *Lex art.5. a num.18. ad 21. & num.42.*

INTERSTITIA.

1 INterstitia nihil aliud sunt, quam illud intervallum temporis, quod ex Ecclesiæ Constitutione interjacere debet
2 inter susceptionem unius, & alterius Ordinis. *Est in re com.munis*. Talia interstitia, seu intervalla temporum sunt ab Ecclesia constituta, ut nota esse posset, atque perspecta vocationis Clericorum veritas, morum probitas, & capacitas, seu peritia pro cujuscumque Ordinis exercitio, ut habetur ex Concilio Tridentino *sess.23. cap.11. de reformatione*,
3 & ex Constitutione Innocentii XII. incip. *Speculatores*. Interstitia temporum etiam in minoribus Ordinibus sunt ser-
4 vanda, *cap. In singulis 2. dist.73.* & Concil. Trident. *loc. cit.* Quodnam autem intervallum inter unum, & alterum ex minoribus Ordinibus intervenire debeat, non reperitur expresse statutum: unde variant Doctores. Quidam enim dicunt sufficere intervallum illud, quod datur de uno die Festo ad alium proximum, cum singulis diebus Festis conferri possint. Ita Sorbus *in Compendio privilegiorum Mendicantium, verb Ordo, versic. sic bene*, Campanil. *in diversorio Juris Canonici rub.6 cap.3. numer.3.* Et verum judicat Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.2. alleg.11. num.18.* Alii autem existimant debere esse intervallum de uno ex Temporibus generalium Ordinationum ad aliud. Ita Ugolinus *de potest. Episcop. cap.26 §.17. num.4.* Majol. *de Irreg. lib.3. cap.24. num.16.* & tutius
5 judicat Barbosa *loc. cit. num.18.*

Pro suscipiendis vero Ordinibus Sacris habetur expresse statutum, quod intercedere debeat intervallum unius anni a receptione unius usque ad receptionem alterius. Sic. Concil. Trident. *cit. sess.23. cap.11. 13. & 14. de reformat.* Hinc
6 a receptione postremi gradus minorum Ordinum non potest quis promoveri ad Subdiaconatum nisi elapso Interstitiorum anno, ut expresse statuit Trident. *loc. cit. cap.* 11. ibi; *Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi gradus Minorum Ordinum ad Sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut*
7 *Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Item non potest quis promoveri ad Diaconatum, nisi post annum a susceptione Subdiaconatus, ut expresse statuit Trident. *cit. sess.23. cap.13.* ibi; *Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum*
8 *nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.* Item non potest quis promoveri ad Presbyteratum, nisi post annum a susceptione Diaconatus, ut expresse statuit Tridentinum *cit. sess.23. cap.14.* ibi: *Et hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem,*
9 *ac necessitatem, aliud Episcopo videretur, ministraverint, sed etiam &c.* Anni cursus, qui inter unum & alterum Ordinem debet intervenire, non est necesse, ut sit naturalis, & solaris habens trecentos sexaginta quinque dies, sed sufficit, quod sit Ecclesiasticus, videlicet ab una Quadragesima ad aliam, & a Pentecoste ad Pentecosten, & hujusmodi. Sic tenent, & a Sacra Congregat. fuisse decisum referunt Hieronymus Sorbo *in compendio privilegior. Mendicant. verb. Ordines Sacri vers. Circa id*; Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.2. alleg.18. num.2.* & super *Concil. Trid. sess.23. cap.13. num.5.* Zerola *in praxi Episcop. part.1. verb. Ordo, vers. Ad quartum*, Lauretus de Franchis *in controversiis inter Episcopos, & Regulares num.264. & 265.* Reiffenstuel *lib.1. decretal. tit.11. num.145.* ubi recte addit, quod neque annus Ecclesiasticus adeo necessario requiritur, quin sufficere possit annus naturalis completus, cum Conc. Trid. *loc. cit.* non plus requirat, quam annum integrum, ut revera est annus naturalis, & solaris.

Episcopus dispensare potest super hujusmodi Interstitiis 10
cum suis subditis. *Communis*, & habetur aperte ex Concil. Trident. *loc. cit.* ubi id relinquit judicio Episcopi, ibi; *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat .... Nisi aliud Episcopo videatur ... Nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* Episcopus 11
autem Ordinans alienos subditos cum Litteris Dimissoriis advenientes non potest cum iis quoad Interstitia dispensare, nisi hoc in Dimissoriis expresse ei concedatur. Sic responsum fuisse *a Sacr. Congreg. Episcop. Episcopo de Alfe die 9. Augusti 1563.* referunt, & tenent Piasec *in praxi nova Episcop. part.1. cap.1. num.11. pag.29.* ubi dicit ita communiter servari in praxi. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.2. alleg. 18. num.9.* cum plurimis aliis ibi citatis Reiffenstuel *loc. cit. num.153.* & alii *arg. Concil. Trid. loc. cit.* ubi vult servari Interstitia in Collatione Ordinum; *Nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ judicio Episcopi aliud exposcat*, vel *nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* Cognoscere autem, & judicare de necessitate, ut utilitate suæ Ecclesiæ spectat ad proprium Dioecesanum Episcopum, & non ad Episcopum Ordinatorem, cum hic velut extraneus nequeat eam dignoscere, nec de ea judicare. Eo vel maxime, quod Concil. *eadem sess. 23. cap.16.* habet expresse, ut sequitur: *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi (pondera ly sui Episcopi) non sit utilis, aut necessarius sui Ecclesiis.*

Facultas prædicta dispensandi in Interstitiis extenditur 12
etiam ad Vicarium Generalem Episcopi, & Sede vacante transit ad Capitulum, seu Vicarium Capitularem. Sic quoad utrumque declaravit Sacr. Congreg. Concil. ut referunt Lauretus de Franchis *in controversiis inter Episcopos, & Regulares n.256.* Reiffenstuel *loc. cit. num.155.* & tenent Marchinus, Quaranta, Armendariz, Piasec. & alii plurimi cum Barbosa *in cit. alleg.18. n.6. & super Trident. sess.23. c.13. num.7.* Episcopus tacite dispensare videtur in Interstitiis, si 13
assumat aliquem scienter intra anni curriculum ad Ordines. Majol. *de Irregul. lib.3. cap.24. n.14.* Carolus de Graffis *de effectibus Cleric. in præl. n.342.* Lauretus de Franchis *loc. cit. n.260.* Reiffenstuel *loc. cit. n.156.* Barbosa *cit. alleg. 18. n.7. & 8. & super Trid. loc. cit. n.9.* cum pluribus aliis ibi citatis.

An autem dispensare in Interstitiis respectu Regularium 14
spectet ad Episcopos, vel ad Prælatos Regulares; variant Doctores. Plurimi enim, ut Hieronymus Sorbo, Confectius, Molfesius, Bonacina, Piasec. Riccius, Villalobos, Rodericus, Miranda, Homobonus, Portell. Marchinus, Ugolinus, Henriquez, Lezana, Genuensis, Menochius, & alii apud Barbosam *alleg. 18. n.10. & super Trident. cit. c.13. n.8.* tenent spectare ad Episcopum Ordinantem. & Parasellus *in suo libro privilegiorum fol.* 225. Lauretus de Franchis *l. c.* 255. Barbosa *l. cap. n.10.* & alii Auctores apud Aversam referunt Sacr. Congreg. censuisse expresse, ut infra nempe: *Superiores Regulares non posse dispensare super Interstitiis Regularium Ordinandorum, sed id pertinere ad Episcopum Ordinantem, qui tamen quoad causam dispensandi judicium suum formare debet ex attestatione Superiorum Regularium.* Multi vero, ut Suarez, Hurtad., & alii apud La Croix *l.6. part.2. n.*2300. & alii apud alios tenent, posse Superiores Regulares dispensare cum suis subditis Regularibus in Interstitiis; Tamen, ut recte dicit la Croix *l. c.* id tantum intelligitur ex privilegio, quod creduntur communiter habere. Unde ad conciliandos Doctores, & ad evitandas 15
confusiones dicendum est, primam opinionem veram esse de

illis

illis Regularibus, qui post Concilium Tridentinum, neque per specialem concessionem, neque per communicationem habent Apostolicum privilegium suscipiendi Sacros Ordines extra Tempora tribus diebus Dominicis, aut Festivis continuis, vel interpolatis, sicque non servatis Interstitiis: Secundam vero opinionem veram esse de illis Regularibus, qui post Tridentinum sive per specialem concessionem, sive per concessam communicationem habent supradictum Apostolicum privilegium. Nam quo ad hos jam ipsemet Summus Pontifex dispensavit in Interstitiis, sicque non indigent ulteriori dispensatione Episcopi; immo neque proprii Prælati. Sic expresse Reiffenstuel *l. c. n.* 157. La Croix *l. c.* ubi, ut supra fuit notatum, dicit, quod id tantum intelligitur ex privilegio, quod creduntur communiter habere. Rosignol. *de Ordinibus Ecclesiasticis part. 1. q. 2. art. 9. n. 9.* Et favet Barbosa *cit. alleg.* 18. *num.* 11. ubi sic præcise dicit: Est tamen hic valde observandum, Regulares ex privilegio concesso a Gregorio XIII. Societatis Jesu, & ex alio concesso a Clemente VIII. *die* 23. *Nov.* 1596. Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quod refert Portell. *in dub. Reg. verb. Ordines Sacri num.* 4. posse ordinari non servatis Interstitiis etiam ad Ordinem Presbyteratus, etiam absque prævie functione præcedentis Ordinis; immo etiam per extra Tempora, quod privilegium communicatur aliis Regularium Ordinibus, non obstante prohibitione communicationis per eumdem Gregorium XIII. Ita Fr. Emmanuel. *qq. Reg. t. 1. q.* 23 *art.* 5. Hieronym. Roderic. *in comp. qq. Reg. resol.* 106. *n.* 20. Diana *resol. moral. t. 2. tract. 2. de dub. Reg. res.* 112. Marchin. *tr. 1. de Sacr. Ord. in communi part. 7. c. 2. n.* 4. Quidquid dicant Suarez, & Vasquez *citati supra all.* 17. *n.* 7. Hactenus Barbosa.

16 Et quod tale privilegium concessum Societati Jesu a Gregorio XIII. Constitut. incip. *Pium, & utile*, scilicet quod etiam extra tempora a Jure statuta tribus Dominicis, aut aliis Festis diebus etiam continuis possint a quocumque Catholico Antistite communionem Sedis Apostolicæ habente ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri, communicetur iliis Regularibus, qui ipsius Societatis privilegia per posteriores concessiones Apostolicas expresse communicante, non obstante prohibitione Gregorii XIII. de tali communicatione, ultra supradictos, & alios late probat Reiffenstul *lib. 1. decretal. tit. 11. num.* 51. & Rosignol. *loc. cit. art.* 8. *num. 2. & seq.* Et ratio est, quia licet Gregorius XIII. in dicta Constitutione §. 4. expresse prohibuerit tale privilegium communicari aliis etiam qui sua privilegia cum ipsa Societate Jesu expresse communicant; Nihilominus, cum par in parem non habeat imperium *c. Innotuit* 20 *de electione.* per dictam clausulam ipse non potuit ligare manus suorum Successorum, quin eamdem gratiam aliis quibusdam Ordinibus concederent, seu communicarent, prout de facto Clemens VIII. *die* 23. *Novemb.* 1596. concessit Congregationi S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, ut possint ordinari extra tempora, & per quemcumque Episcopum communionem Ecclesiæ Catholicæ habentem tribus Dominicis, vel tribus Festivis diebus continuis, vel interpolatis, etiam non servatis Interstitiis; Quod privelegium sese vidisse testatur Portell. *in dub. Reg. verb. Ordines Sacri numer.* 4. Et idem Clemens VIII. Constitution. incipient. *Ratio pastoralis*, concessit, & communicavit Fratribus Minoribus omnia privilegia quomodocumque concessa, & concedenda omnibus aliis Ordinibus, tam Mendicantibus, quam non Mendicantibus, quod & eis concessit novissime Benedictus XIII. Constitut. incip. *Summe decet*, etiam expressis privilegiis societatis Jesu, quod & concessit expresse etiam suo præclarissimo Ordini Prædicatorum Constit. incip. *Pretiosus*; quod & fecit etiam variis aliis. Ordinibus. Et Rosignolus *loc. cit. art.* 8. *num.* 4. testatur, fuisse per alios Pontifices post Gregorium XIII communicata suæ Congregationi omnia privilegia Societatis Jesu, & etiam dato, quod alii Regulares non communicarent in tali privilegio ratione concessionis factæ a Gregorio XIII. Societati Jesu, adhuc gauderent tali privilegio ratione concessionis facte a Clemente VIII. supradictæ Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quotquot participant privilegia dictæ Congregationis.

17 Ad dispensandum in Interstitiis Ordinum minorum sufficit quæcumque causa. *Communis*, cum Barbosa *supra Concil. Trident. sess.* 23. *cap.* 11. *n.* 5. *& cit. alleg.* 18. *num.* 5. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 148. *arg. Concil. Trid. cit. sess.* 23. *cap.* 13. ubi videtur requiri solum prudens arbitrium Episcopi, ibi: *Nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.* Unde consuetudine plurimis in locis receptum est, ut eodem die, & sub eadem ordinatione quatuor Ordines minores simul conferantur quam consuetudinem valere declaravit Sacra Congregatio Concilii, ut refert, & tenent Fagnanus *lib. 1. decretal. in cap. De eo 3. de tempor. Ordinat. numer.* 41 *&* 42. Ad dispensandum in Interstitio inter Subdiaconatum, & Diaconatum requiritur, & sufficit minor causa, quam in Interstitio inter quatuor Ordines minores, & Subdiaconatum. Major autem causa requiritur ad dispensandum in Interstitio inter Diaconatum, & Presbyteratum. *Communis, arg. cit. Concil. Trident.* quod pro dispensando in Interstitio inter Subdiaconatum, & Diaconatum requirit solum prudens Episcopi arbitrum, ut patet *cit. sess.* 23. *c.* 13. ibi: *Nisi aliud Episcopo videatur.* Pro dispensando autem in Interstitio inter quatuor Ordines minores, & Subdiaconatum requirtur determinate saltem disjunctive causam necessitatis, aut utilitatis Ecclesiæ ut patet *ibid. c.* 11. ibi: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Pro dispensando vero in Interstitio inter Diaconatum, & Presbyteratum requirit determinate nedum disjunctive, sed conjunctive una simul utilitatem, ac necessitatem Episcopi judicio discernendam, ut patet *ibid. c.* 14. ibi: *Nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur.* 18

Quamvis tam Ordinatus, quam Ordinans non servatis Interstitiis sine dispensatione nullam Canonicam pœnam incurrant, ut sentiunt communiter Doctores cum Barbosa *cit. alleg.* 18. *num.* 14. *& super Trident. cit. sess.* 23. *cap.* 13. *numer.* 10. *&* 11. & Rosignol. *loc. cit. n.* 14. ex quo in Jure Canonico nulla expresse reperiatur pœna imposita adversus ipsos, tamen uterque graviter peccat, ex eo, quod uterque sit transgressor Sacrorum Canonum in materia gravi, cujusmodi est illa Ordinum; & frustra insudaisent tot Concilia, & Summi Pontifices unanimes in prohibenda gravibus verbis Ordinatione, non servatis Interstitiis, si levibus de causis, & tantum sub levi posset transgredi. Neque ex eo quod nulla imponatur pœna, potest dici, quod nulla, vel saltem non gravis culpa in ejus transgressione committatur; quandoquidem plura sub gravi prohibentur, quæ tamen alicui pœnæ non subduntur, nisi æternæ, quando talis transgressio non remittitur. Sic tenent Navarrus *cons. 4. & 6. de tempor. Ordinat.* Julius Cæser Maddius *de Sacris Ordin. cap. 9. num.* 11. Suarez. *de Censuris disp.* 31. *sect.* 11. *num.* 43. Barbosa *tit. alleg.* 18. *num.* 14. cum multis ibi citatis, Rosignol. *loc. cit. num.* 14. & alii, ipso teste, magis communiter.

Novæ Additiones ex aliena manu.

1 DE veteri & nova Ecclesiæ disciplina circa interstitia vide *Morin. de Sacr. Ordin. par. 3. cap. 2. & plur. seqq.* Vanespen. *Jur. Eccles. universf. par. 1. tit. 1. cap. num. 4., & fusius, par. 2. tit. 9. cap. 5. per tot.*

Hic vero non est omittendum, quod ex Constitutione san. mem. Benedicti XIV, cui initium est: *Impositi*: Privilegium suscipiendi Ordines a quocumque Antistite extra tempora, de quo disserit *Auctor num.* 16. illis solummodo Regularibus suffragatur, quibus post *Concilium Tridentinum* nominatim atque recta, nequaquam vero per communicationem concessum sit; & privilegium hoc non censetur concessum nisi vel post ipsius Concilii Tridentini confirmationem fuerit reipsa concessum, vel quatenus antea concessum, & postea confirmatum asseratur, hujusmodi confirmatio in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione facta dignoscatur. 2 3

INTRUSUS IN BENEFICIUM.

Vide verb. *Beneficia art. 7. a num. 19. ad 27.* & *art. 10. a num. 116.*

1 INvidia est inordinata tristitia de bono proximi, quatenus est propriæ gloriæ, vel excellentiæ diminutivum. *Est in re communis.* Unde, ut vides, Invidia est genuina proles 2 Superbiæ, cujus inordinatio consistit in hoc, quod quis ita inordinate amet, vel appetat sibi propriam excellentiam in bonis veris, vel fictis, ut nolit talia, vel similia bona inesse proximo, & proinde, si videat ea proximo inesse, invidet, tristatur et ea affecti non tantum ad altiores Ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio jam susceptorum Ordinum absterrentur, quæ tanquam magis cohærens auctoritati Catechismi Romani opinio prætertur alteri neganti. Bened. XIV. *Instit. Ecclesiast.* 84. §. 18.

contumelia est ex genere suo peccatum mortale, nisi levitas materiæ, aut imperfectio actus excuset. *Rixa*, per quam, inquit D. Thom. *loc. cit. intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis inferuntur ex ira*, adeoque pugnæ, Duellum, seditio, vulnus, cædes et hujusmodi, si modum non excedat, sed sistat v. g. in quadam levicula pugna, erit solum venialis; secus autem, si progrediatur ad seditiones, vulnera, 15 cædes, et hujusmodi. *Blasphemia* sit, cum jactamus convitia in Deum, Deiparam, aut Sanctos; Talis blasphemia de genere suo est peccatum mortale, nisi inadvertentia aut indeliberatio excuset.

IRREGULARITAS.

ARTICULUS I.

Irregularitas quoad ea, quæ concernunt ejus esse, & divisionem.

1 IRregularitas est inhabilitas, seu impedimentum Canonicum, quo quis inhabilis redditur ad primam Tonsuram, et Ordines suscipiendos, vel ad susceptos exercendos. *Est in re communis.* Irregularitas est duplex, totalis, et partialis. Totalis est, quæ omni Ordine suscipiendo, et suscepti 2 3 omni exercitio privat, ut est illa proveniens ex homicidio, et bigamia. Partialis est quæ privat solum aliquo Ordinum, 4 exercitio, vel solo ascensu ad Ordinem Superiorem. Sic v. g. Diaconus oculo sinistro carens inhabilis est ad Sacerdotium; potest tamen in Diaconatu ministrare et Sacerdos, cui fuit præcisus pollex, inhabilis redditur ad celebrandum, non autem ad Confessiones excipiendas, si sit adprobatus; *cap. Presbyterum, de Clerico ægrotante.*

5 Irregularitas alia est ex delicto, & alia est ex defectu. 6 Irregularitas ex defectu contrahitur sine culpa, cum sit a Jure imposita ob solum indecentiam, quam aliquis defectus 7 affert Sacro Altari, & Ministerio. Irregularitas vero ex delicto ad hoc, ut contrahatur, requirit aliquam actus externus con- 8 summatus; *cap. si quis non iratus* 15. *q.* 1. Et nulla irregularitas umquam incurritur, nisi sit injure expressa, ut clare desumitur *ex cap. Is, qui, de sent. Excom. in 6.* ubi habetur: *Licet in hoc temere agat, Irregularitatis tamen (cum id non* 9 *sit expressum in jure) laqueum non incurrit.* Hinc in dubio sive juris, sive facti potest quis tenere quod non sit irregularis, cum sit melior conditio possidentis, & pro tali dubio 10 nulla reperiatur in Jure imposita irregularitas. Excepto in dubio de homicidio, in quo dubitans, an vere homicidium commiserit, tenendus esset irregularis; *ex cap. Ad audientiam; & c. significasti, de homicidio*, ubi expresse statuitur, quod sic dubius non debeat in Sacris ministrare, nec celebrare, præcisis verbis: *Cum in dubiis femitam debeamus eligere tutiorem, & in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare.*

11 Irregularitas ex delicto est multiplex, & enumerantur casus, in quibus incurritur.

Primo evadunt irregulares ex delicto Hæretici, & Apostatæ a Fide; *c. Presbyteros dist.* 50. *& cap. Qui in aliquo dist.* 51. & eorum receptores, & fautores, & Defensores; *cap. Quicumque, de hæreticis in 6.* & eorum filii usque ad secundam generationem ratione Hæresis Patris, & usque ad primam ratione Hæresis Matris, nisi parentes ante mortem abjuraverint Hæresim, *cap. Statutum* 15. *de Hæreticis in 6.*

* Abjurantes autem hæresim, sive de vehementi, sive de levi; aut publici pœnitentes utrum irregulares sint, necne, vide Maravigliam *Leg.* 235. *&* 136. *Prudentiæ Episcopalis.* *

Secundo, evadunt irregulares iterantes ferio, & scienter Baptismum, et rebaptizati ministrantes; *cap. Ex litterarum, de Apostatis, & reiterantibus baptisma*, non autem iterantes Confirmationem, vel Ordinem, cum hoc non sit in jure expressum. Adulti, qui scienter sinunt se ab Hæreticis extra casum necessitatis baptizari; *cap. Eos, quos, de consecr. 4. & cap. Afros dist.* 93.

* Porro Irregularitas ex iteratione Baptismi contrahitur etiamsi Baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex Catechismo Romano multo probabilius deducitur. Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Si-

ſub quo continetur, cum ille ſit diſpoſitivus, nec mirum eſt, quod ſub aliquo titulo contineatur aliqua diſpoſitio, quæ non videatur directè ſub illo titulo contineri, cum tamen habeat cum illo ſymboleitatem, & ſimilitudinem. Nec ut prætenditur ſit aliqua odioſa extenſio, cum potius, ut patet ex lectura textus, hæc ſit manifeſta comprehenſio, cum in illo dicatur: *Si quis baptizaverit non ordinatus*, laicus enim, ut aperte patet, non eſt ordinatus, Sic tenent Divus Antonius 3. *par. tit.* 20. *in princip.* Majolus *de Irregularitate*, Roſignolus, Silveſter, Sotus, Navarrus, Aviſa, Valentia, Blundus, Caſpenſis, Maſtrius, & alii cum Suarez, qui *diſput.* 42. *ſect.* 4. advertit hoc intereſſe quoad hanc Irregularitatem inter Clericum, et Laicum, quod hæc reſpectu Laici eſt totalis, ita ut nullum Ordinem ſuſcipere valeat, reſpectu vero Clerici eſt partialis, ut non poſſit aſcendere ad Ordines Superiores, et manet ſuſpenſus ab executione Ordinis præſtantioris, et ultimi per biennium, vel triennium ad arbitrium Epiſcopi, ut habetur *d. cap.* 2. *de Cler. non ordin. miniſtran.*

Sexto, evadunt irregulares ita ut nequeant ad Ordines promoveri, omnes enormiter criminoſi, ſi eorum crimina ſint notoria, et publica, quæ habent annexam infamiam, ut ſunt Sodomia, Inceſtus, Raptus Virginis, Maleficium, Veneficium, Adulterium, Simonia, Sacrilegium, perjurium in judicio, crimen læſæ Majeſtatis, & alia hujuſmodi enumerata *cap. Infames 6. quæſt.* 1, ubi concluditur ſic: *Hi omnes, inquam, nec ad Sacros gradus debent provehi.* Notanter dicitur, *ſi eorum crimina ſint notoria, & publica*, quia, ſi ſint occulta, excepto homicidio, non inducunt Irregularitatem; *Cap. Ex tenore* 4., *& cap. ult. de temporibus Ordinationum*, ubi expreſſe habetur: *Si propoſita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis Ordinibus impediri.*

Septimo, evadunt irregulares homicidæ voluntarii, quamvis occulti; *Cap. Suſcepimus, de homicidio, cap. De cetero diſt.* 50, *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *de reformat.* Homicidium mandantes; *Cap. Si quis vidua* 8. *diſt.* 50, etiamſi mandantes mandatum revocaverint, ſi revocatio non innotuit mandatario quia hic quando revocationem mandati ignorat, agit nomine mandantium. Pirhing *de homicidio num.* 23., & etiam irregularitatem incurrunt, ſi occaſione ſui mandati occidatur ipſe mandatarius, quia licet talis mors ſequatur præter mandantium intentionem, & directam voluntatem, tamen cogitare poterant, & debebant illam accidere poſſe; *arg. cap. ultimo, de homicid. in 6.* Et eam incurrunt mandantes aliquem verberari, licet expreſſe inhibeant, ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur, quia mandando in culpa fuerunt, & hoc evenire poſſe debuerunt cogitare; *cap. Is, qui de homicid. in 6.* Homicidium injuſtum efficaciter conſulentes, *cap. Si quis viduam diſt.* 50., *& cap. Sicut* §. *ult. de homicidio*, etiamſi conſulentes ante homicidium ſuum conſilium revocaverint, quia etiam in tali caſu conſulentes adhuc cenſentur moralis cauſa homicidii, maxime ſi rationes, quibus innitebatur conſilium, ſint ita moventes, & convincentes, ut revocatio conſilii non amplius attendatur, ut notat Suarez *diſtin.* 44. *ſect.* 2, *numer.* 10., & cum aliis Pirhing *lib.* 5. *decretal. tit.* 2. *num.* 32. Ad homicidium cooperantes, *cap. Sicut 6. de homicid.*, *& leg. unic. Cod. de raptu Virginis.* Unde ſi plures de communi conſenſu conſpiraverint in mortem alicujus, & is ab uno tantum ſit occiſ, ſunt omnes Irregulares, *Capitul. Significaſti* 18. §. *Quod ſi, de homicid.* Si plures ſine prævio deliberato animo, & ſine communi conſenſu occidendi in ſubita rixa eumdem aggreſſi fuerint, nec ſciri poſſit, a quo letale vulnus ſit inflictum, etiam tunc pro foro externo ſunt omnes irregulares: *Cap. Ad audientiam, & cap. Significaſti, de homicidio.* Si vero ſciatur, quis illum occiderit, tunc ſolus iſte erit irregularis, *cap. Significaſti* 18. §. *Nos in promiſſo, de homicid.* Obligati ex juſtitia impedire homicidium, & non impedientes, quia tales moraliter cenſentur occidere, peccantque contra juſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem. *arg. cap. Sicut 6.* §. *Illi etiam, de homicidio.* Procurans abortum fœtus animati, ſecuto effectu, eſt irregularis, *cap. Sicut ex litterarum, de homicidio.*

* Si Patronus Beneficii Rectorem interfecerit, ejus filii, & deſcendentes uſque ad quartum gradum fiunt irregulares, ex *cap. In quibuſdam, de pœnis*: intellige tamen de filiis natis poſt homicidium, non vero ante, quæ eſt interpretatio ab ipſa etiam S. Congregatione admiſſa. Et ipſe Patronus, ac reliqui ad patronatum vocati, ab eo jure cadunt. De Synodo Diœceſ. *lib.* 13. *cap.* 24. §. 21. *nov. edit.* *

Octavo, evadunt irregulares mutilatores; mutilare enim, & occidere quoad incurrendam irregularitatem æquiparantur ex Gloſſa *in Clement. Si furioſus, de homicid. voluntario*; dummodo mutilatio inducat ſeparationem, & truncationem membri alicujus principalis habentis in corpore humano diſtinctum, & peculiare officium, ut manus, pedis, brachii, naſi, auris &c. *cap. Clerici, vel Monachi*; *cap. In Archiepiſcopatu, de raptoribus, & cap. final. diſt.* 55. Et ideo abſciſſio digiti, cartilaginis, excuſſio &c. non eſt mutilatio ſufficiens ad inducendam irregularitatem, Gloſſa *citat. in Clement. Si furioſus &c.* Abſcindens tamen digitum pollicem, aut indicem debet petere diſpenſationem ad cautelam. Sacr. Congregation. Concil. 19. Julii 1687. Irregulares etiam evadunt mutilantes ſeipſos, aut mutilationem ſine juſta cauſa procurantes in quacumque parte ſui corporis, *Cap. Si quis abſcidit, & cap. Hi, qui ſe, diſt.* 55. etiamſi ex zelo indiſcreto v. g. animo ſedandi libidinem, vel exiſtimando ea ratione ſe obſequium Deo præſtare, ſeipſos mutilaverint, aut caſtrari permiſerint, prout expreſſe habetur *cit. cap. Hi, qui ſe, diſt.* 55., *& Cap. Significavit 4. de corpore vitiatis*, etiamſi permiſerint ſe caſtrari ad vocem muſicam conſervandam, quia vere, & voluntarie ad ſui membri mutilationem ſine neceſſitate concurrunt, & nullus eſt dominus ſuorum membrorum, nec in ipſorum abſciſſione conſentire poteſt, niſi cum id exigit conſervatio totius corporis, aut membri principalis; *arg. Cap. Si quis* 3. *diſtinct.* 55. Tum quia ſi voluntarie procurantes mutilationem propter caſtitatem ſervandam, vel ſic Deo obſequium præſtandum, fiunt irregulares *ex cit. cap. Hi, qui ſe, diſt.* 55., *& Cap. Significavit 4. de corpore vitiatis*; a fortiori erunt irregulares ſe permittentes caſtrari ob vocem muſicam, cum hic ſit finis illo valde inferior, & minus excellens, ſic tenent Leander, Bonacina, Diana, Matthæucci, & alii cum Engel *lib.* 1. *tit.* 20. *num.* 13. Mutilationem autem patientes *ignoranter*, ut pueri ſecti in infantia, *invite*, aut violenter, a latronibus, vel Barbaris mutilati, vel ad evitandum gravius malum corporis de conſilio medicorum, non fiunt irregulares, quia ceſſat hic ratio incurrendi Irregularitatem, puta perverſa voluntas, & ſævitia in ſeipſum, *Cap. Si quis a Medicis diſt.* 55., *& cap.* 3., *& 5. de corpore vitiatis.*

Nono, aſſignantur qui evadant, vel non evadant irregulare ex homicidio patrato in ſui, ſuorumque neceſſariam defenſionem. Occidens alium ad vitæ ſuæ defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis. *Clementin. Si furioſus, de homicidio*, ubi expreſſe dicitur, *illum non incurrere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem.* Tamen *ex cap. Significaſti* 18. *de homicidio, id fieri debet cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injurium propulſandam.* Et ad ſervandum hoc moderamen inculpatæ tutelæ tria potiſſimum requiruntur, ſcilicet cauſa, modus, & tempus. Primo requiritur cauſa, ideſt injuſta invaſio occiſionem præcedens, vel certo imminens, quia ſi quis ante hanc occidit, vel mutilat, jam non eſt ſui defenſio, ſed aggreſſio, & tunc non evadit irregularitatem, & hæc invaſio præcedens, vel certo imminens debet eſſe injuſta, hinc pro defenſione vitæ ſuæ non poteſt ſine irregularitate occidere invadentes miniſtros juſtitiæ, quia iiti juſte invadunt, ut cum multis tenet Pirhingh *lib.* 3. *decret. tit.* 12, *num.* 92. Secundo requiritur debitus modus defenſionis, offenſioni, & invaſioni proportionatus, & neceſſariam defenſionem non excedens, *arg. cap. ut famæ* 35. *de ſent. excom.* ubi expreſſe dicitur, *dum tamen non amplius eorum violentia ſe extendat, quam defenſio exigit*: hinc defectu hujusmodi pro moderamine requiſiti irregularitatem incurrit, qui potens baculo aggreſſorem repellere, pugione, enſe, vel aliis armis mutilat, & occidit, qui potens ſe ſalvare fugiendo, clamando, auxilium implorando, tamen occidit, qui potens ſe defendere pugnis, vel aliis inſtrumentis leviter ferientibus injuſtum aggreſſorem, adhuc mutilat, vel occidit. *Communis* cum Pirhing *loc. cit. num.* 92. Tertio requiritur tempus, ut ſcilicet occiſio, mutilatio ad ſui defenſionem ſtatim ſeu incontinenti fiat, quo quis injuſtam aggreſſionem patitur, ſeu certo imminentem cognoſcit, quia ſi ex intervallo poſtquam aggreſſor jam abiit, aut nocere, & aggredi deſtitit, ceſſante omni periculo; illum adhuc occidat, non amplius ex neceſſaria ſui defenſione, ſed ex mera vindicta occidit, adeoque irregularitatem incurrit, *arg. cap. Si vero, de ſent. Excom.* ubi expreſſe excipitur ſolum *ſi incontinenti vim vi repellat.*

Occidens aggreſſorem, ne fugiendo ignominioſæ timiditatis notam incurrat, fit irregularis, quia nota timiditatis fugiendæ non eſt ſufficiens ad excuſandum a gravi culpa virum equeſtrem provocatum ad duellum, ſi illud acceptet, ex Alex. VII. qui 24. *Septembris* 1665. damnavit propoſitionem hanc ſecundam in ordine: *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: ergo ſi hæc timiditatis nota non eſt ſufficiens ad excuſandum a gravi culpa, nec erit ſufficiens ad excuſandum ab irregularitate aggreſſum, qui poteſt ſe ipſum tueri fugiendo, & non occidendo aggreſſorem.

Occidens iniquum accuſatorem, falſum teſtem, vel Judicem ſibi injuſtam mortem parantem, quam aliter effugere non poteſt, fit irregularis; colligitur ex declaratione Alex. VII. qui anno, & die, quo ſupra, damnavit hanc propoſitionem 18. in ordine: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare*, ex quibus ſequitur, quod ſi inter ſturet, injuſſe & inique interficeret, ex injuſta autem interfectione reſultat Irregularitas.

Occidens calumniatorem, & inhonorantem pro defenſione ſui honoris, & famæ: licet non ſit alia via eumdem defendendi, fit irregularis, ſic colligitur ex declaratione Alexandri VII. qui anno, & die, quo ſupra, damnavit hanc propoſitionem 19. in ordine, *Eſt licitum Religioſo, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina, de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi Calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicæ, & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.* Et ex declaratione Innocentii XI. qui *die* 2. *Martii* 1679. damnavit hanc propoſitionem 30. in ordine: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari, nequit, idem quoque dicendum ſi quis impingat alapam, vel juſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictus juſtis fugiat*, ſi enim talis occiſio ad evitanda multa mala in perniciem Reipublicæ damnatur ut iniqua, & injuſta, ſine ullo dubio irregularitatem inducit.

Occidens invaſorem bonorum propriorum fortunæ etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, fit irregularis, & ratio eſt, quia ſi fit irregularis occidens calumniatorem pro defenſione bonorum famæ, & honoris, quæ ſunt bona ſuperioris ordinis ad bona fortunæ; a fortiori fiet irregularis occidens invaſorem bonorum fortunæ; Tum quia *in Clementin. Si furioſus*, liber ab irregularitate declaratur ſolum occidens aggreſſorem ob defenſionem ſui, *& cap. ſignificaſti, de homicidio*, declaratur irregularis Clericus percutiens letaliter latronem pro defenſione rerum Eccleſiæ, *& cap. Suſcepimus* 10. *de homicidio*, declaratur irregularis occidens latronem furantem, præciſis his verbis; *Quoniam expediebat potius poſt tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere, &c. conſtat eos contra conſuetudinem Eccleſiaſticam interemptos*, adeoque &c.

Occidens aliquem propter defenſionem proximi quantumvis propinqui, ut patris, matris, filii, uxoris, fratris &c. licet non peccet occidendo, tamen incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, quidquid ſentiant aliqui in contrarium, & ratio eſt, quia *Clementin. ſi furioſus, de homicidio* excipit ab incurſu irregularitatis ſolum homicidam pro neceſſaria defenſione propriæ vitæ; dicit enim præciſe *invaſorem ſuum*, ergo non evitatur ab homicida pro defenſione vitæ etiam patris, & matris, licet occidendo non peccet, cum irregularitas quandoque etiam ſine peccato incurratur, *cap. Dilecto 6.* §. *final. de ſentent. excomm. in 6.* Tum quia de jure communi irregularis eſt omnis homicida, ut communiter colligunt Doctores *ex cap. De his 6., & Cap. ſi quis viduam* 8. *diſ.* 56., *& per Clement. ſi furioſus, de homicidio*, excipitur ſolum occidens pro neceſſaria defenſione propriæ vitæ, adeoque quoad occidentem pro defenſione vitæ aliorum, etiam conſanguineorum jus commune remanet in ſuo robore, & ſic evadit irregularis, cum pro defenſione ipſorum nulla fiat exceptio. Sic Gloſſa *in d. Clement. verb. Summ.* Panormi-

tan. cum aliis *in d. cap. ſi vero* 3. *num.* 11. *de ſent. excommunic.* Fagnan. ad *cap. Suſcepimus, de homicid. numer.* 16. Covarruv. Panimolle, Piaſec., Matthæucci, Abbas, Silveſter, S. Antonin., Suarez, Navar., Cardin. Innocent. Farinac. Angelus, Majol., Tabiena, Medin. Salonius, Henriquez, Philiarc., & alii cum Pignatell. qui *tom.* 7. *conſultat.* 20. nedum cenſet hanc ſententiam pro communiori, ſed etiam pro certa tenet.

Decimo, aſſignantur qui evadant, vel non evadant irregulares ex homicidio mere caſuali. Dantes operam rei licitæ, & adhibita debita diligentia, ne mors, aut mutilatio ſequatur, non evadunt irregulares, ut vertentes diligenter infirmos in lecto, vel de lecto ad lectum transferentes, vel cibum, aut medicinam porrigentes, ſi infirmi ex illa verſione, & translatione, & cibi ſeu medicinæ porrectione moriantur. Tecta reficientes, & poſt adhibitam conſuetam diligentiam, tegulas vel lapides projicientes, ex quibus pertranſiens occiditur. Ludentes pila, conis vel aliis honeſtis ludis, licet aliquis eorum caſualiter percutiatur, vel occidatur; campanam pulſantes licet piſtillo decidente aliquis interficiatur, & alii conſimiles, non evadunt irregulares, ut colligitur *ex Cap. Dilectus* 13. *cap. ſignificaſti* 16. *cap. Exhibita* 22. *& Cap. Quidam* 24. *de homicid.* Dantes autem opera rei licitæ, & non adhibentes debitam diligentiam, ne mors, ſeu mutilatio ſequatur, evadunt irregulares, ut lapides per aerem projicientes, & pilas niveas hiemali tempore, tegulas e tectis projicientes, arbores incidentes, muros deſtruentes, ſi ex defectu debitæ diligentiæ aliquis caſu interficiatur; colligitur ex *Cap. Hi qui arborem diſt.* 50. ubi præciſe habetur: *Si vero aliqua culpa eorum, vel neglectu morientis homis interitus cognoſcitur advenſſe, abjiciendi ſunt e gradu, & in ſacro Ordine nullatenus ſuſcipiendi: & ex cap. Presbyterum* 7. *de homicidio*, in cujus ſummario præciſa verba reperiuntur; *Homicidium caſuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, ſi non adhibuit diligentiam, quam debuit.* Pariter irregulares ſunt Magiſtri nimium castigantes discipulos, ſi inde mors, aut mutilatio ſequatur, quia licet intentio corrigendi, & ipſa correctio ſit opus licitum, ex quo tamen ad cavendam mutilationem, ſeu mortem, debitam diligentiam non adhibuerint, irregulares declarantur, *cap. Presbyterum* 7. *de homicidio*, ſicuti Clericus, qui geſtans retro falcem, caſu occidit laicam, qui cauſa ludi ſupra ipſum Clericum, quaſi equitaturus incautus ſaltavit, & falce ſe interfecit, declaratus fuit irregularis, ex quo non præcavit periculum mortis illius, removendo falcem a tergo, uti debebat, ſciens quod ratione talis ludi alter in ſuum dorſum deberet inſilire; ſic habetur expreſſe *Cap. Continebatur* 8. *de homicidio.*

Dantes operam rei illicitæ etiam adhibita diligentia, ne homicidium ſequatur, & ſecuto, evadunt irregulares; expreſſe habetur *Cap. finali de homicidio*, ubi dicitur homicidium caſuale non imputari ei, qui dedit operam rei licitæ, & debitam adhibuit diligentiam; ex quo clare deducitur, alteta iſtarum conditionum deficiente, irregularitatem incurri; Si enim declaratur non incurri irregularitatem ex homicidio caſuali, per hoc, quod dederit operam rei licitæ, & adhibuit debitam diligentiam ad ipſum evitandum; a ſenſu contrario debet inferri, quod incurratur irregularitas ex homicidio caſuali per hoc, quod det operam rei illicitæ, licet adhibeat debitam diligentiam expreſſe *ex Cap. Suſcepimus* 10., *& ex Cap. De cetero* 11. *de homicidio.* Tum quia debet dari aliqua differentia, cur ad contrahendam irregularitatem inter dantes operam rei licitæ, & dantes operam rei illicitæ, ex dictis, & ex citatis Juribus dantes operam rei licitæ contrahunt irregularitatem ex homicidio caſuali, ſi non adhibeant debitam diligentiam: ergo ex dicendis dantes operam rei illicitæ debent contrahere irregularitatem ex homicidio caſuali, etiamſi debitam adhibeant diligentiam, aliter paris eſſent conditionis, quod non eſt dicendum, cum citius contrahatur irregularitas per homicidium caſualem ex illicito, quam ex licito opere ſecutum, *ex Cap. Dilectus*, 13., *& cap. Joannes* 23. *de homicidio*: Tum etiam quia *Cap. Tuanos, de homicidio, & Cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*, declarantur irregulares Clerici in Sacris conſtituti, & Monachi exercentes Medicinam, vel Chirurgiam, & mortem alicui caſualiter inferentes, non obſtante peritia, & adhibita diligentia ad ipſam evitandam, præciſe per hoc quod Clerici, et Monachi Chirurgiam, et Medicinam exercentes extra caſum neceſſitatis, dant operam rei illicitæ; ergo a pari omnes dantes operam rei illicitæ ex homicidio caſuali

casuali contrahent irregularitatem, quamvis debitam adhibuerint diligentiam ad ipsum evitandum. Sic Glossa *in citat. Cap. Tua nos, de homicidio, verb. Congruebat*, Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Scotus *in dist.* 25. *quæst.* 1. *litt. E.* Innocentius *in cap. Tua nos, de homicidio*. Fagnan. *in Cap. Ad audientiam* 12. *de homicidio num.* 9. Navarrus, Layman, Faber, Blundus, Mastrius, & alii plurimi.

Ex homicidio, vel mutilatione casuali irregularis evadit Ebrius, qui ex proposito se inebriavit, licet sciret se consuevisse in ebrietate arma sumere, & homines percutere: colligitur *ex Cap. Si constiterit, de accusationibus*. Dormiens sciens se dormiendo consuevisse e lecto surgere, ensem evaginare, & ferire, si diligentiam non adhibuit claudendo Ostium, vel removendo arma; colligitur *ex Cap. Ad audientiam, de homicidio*, & Fagnan. *ibi numer.* 37. Tenens animalia consueta nocere, ut Ursum, Leonem &c. si ab eis quis interficiatur, ex quo ipsos non custodierit debito modo ligatos; colligitur *ex cap. Hi, qui arborem, & cap. Sæpe contingit dist.* 50. Laicus Chirurgus, vel Medicus, si propter suam imperitiam, vel negligentiam moriatur infirmus; colligitur *ex Cap. Tua nos, de homicidio*. Et in casu dubii, an ex sua negligentia, vel imperitia decesserit? habendus est ut irregularis, ita ut nequeat ad Ordines promoveri; habetur expresse *Cap. Ad aures, de ætat., & qualit. Ordinandorum*. Clericus in Sacris, vel Monachus exercens Chirurgiam, vel Medicinam, licet sit in arte peritus, & omnem adhibeat diligentiam, si aliquis ab ipsis patiatur etiam solummodo abscissionem, vel combustionem; *Cap. Sententiam sanguinis, Ne Clerici, vel Monachi leg.* 3. *tit.* 50. Nec valet dicere, quod sicuti Medici, & Chirurgi Laici non evadunt irregulares abscindendo, & comburendo aliquod membrum causa sanitatis, ita etiam Medici, & Chirurgi Ecclesiastici. Non valet, inquam, quia Clericis in Sacris, & Monachis facta est specialis, & expressa restrictio *citra abscissionem, vel combustionem*; quæ restrictio non reperitur facta Laicis, nec sine ratione hæc restrictio est potius facta Clericis in Sacris, vel Monachis, quia non congruit Dignitati Sacerdotali, vel eidem proxime accedenti fœdare in humano sanguine manus illas, quas sanctificat in Divini sanguinis, & corporis oblatione, ut colligitur *ex dict. Cap. Sententiam sanguinis*; *Ne Clerici, vel Monachi*, in quo fit exceptio quoad Subdiaconum, Diaconum, & Sacerdotem. Medicus, & Chirurgus, sive laicus, sive Ecclesiasticus præbens infirmo medicamentum, quod nescit, vel saltem dubitat, an sit ei proficuum, vel noxium, vel dubitat, an ei acceleraverit mortem? debet se habere pro irregulari, ut habetur expresse *in Cap. Petitio tua, de homicidio*.

Undecimo, assignantur qui evadunt, vel non evadunt irregulares ex homicidio commisso auctoritate publica, et juridica, vel in bello. Omnes physice, vel moraliter concurrentes ad mortem malefactorum ex defectu lenitatis evadunt irregulares; *ex Cap. final. Ne Clerici, vel Monachi in 6. Cap. Si quis viduam, & Cap. Clericus dist.* 50. ut omnis Judex, sive Clericus, sive Laicus, qui fert, vel dictat sententiam mortis, aut mutilationis in reum effectu secuto; *argum. cap.* 1., *& sequentib. dist.* 51., *& Cap. Ex. litteris* 10. *de excessib. Prælator., & Cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*. Excipiuntur tamen Papa, Inquisitores, et Judices Ecclesiastici, seu Prælati jurisdictionem temporalem habentes; Papa enim est incapax irregularitatis, adeo ut ab illa prius contracta fiat liber per evectionem ad Paparum, uti colligitur ex *Cap. Licet vitanda, de election. Cap. Ubi periculum* 4. *eodem in 6.* Inquisitores hæreticæ pravitatis, etiamsi Hæresis reos ad pœnas jure statutas, etiam mortis condemnent, non evadunt irregulares ex privilegio, favore Fidei eis concesso per Paulum IV. et S. Pium V. Et Judices Ecclesiastici, seu Prælati jurisdictionem temporalem habentes, licet per se ipsos sententiam mortis, vel mutilationis ferre non possint, possunt tales aliis delegare jurisdictionem criminalem, et causas sanguinis, *ex Cap. finali*; *Ne Clerici, vel Monachi*, ubi expresse habetur; *Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent, & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare*. Irregulares evadunt Assessores, et Consiliarii, qui vel Judici in ferenda sententia assistunt, vel suo suffragio, aut consilio juridice promovent; Advocati accusatores, testes contra reum in causa criminali pœnam sanguinis inducentes, *arg. Can. Aliquantos dist.* 51., *& Can. His, a quibus* 30. *cauf.* 23. *quæst.* 8. Notarii sententiam sanguinis scribentes, dictantes, vel subscribentes, legentes, sigillo authenticantes, publicantes, reum pro confessione torquentes, sententiam exequentes, ut Carnifices, Lictores, Satellites, reum ad supplicium ducentes, accelerantes effectu secuto; hi enim omnes vere propinque ad pœnam sanguinis concurrunt, colligitur ex *Cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi, arg. Cap.* 1. *dist.* 51. *Cap. His, a quibus* 30. *Cap. Si quis membrorum* 31. *cauf.* 23. *quæst.* 8.

Quamvis autem incurratur irregularitas accusando, denuntiando, vel voluntarie testificando criminaliter, & in causa sanguinis coram Judice Laico, non incurritur tamen accusando, seu denunciando solum in causa civili pro proprio interesse, etiamsi crimina essent de iis, quibus debetur pœna sanguinis, dummodo accusator expresse protestetur, se non ad pœnam sanguinis, sed precise ad *suum justum* interesse accusare, ex tali enim accusatione mors sequeretur tantum per accidens, cum protestatio expresse declaret, quod per se non accusat ad mortem, sed ad refectionem damni recepti, & ad cautelam ne iterum damnificetur, ut clare habetur *ex cap. Postulasti* 21. *de homicidio, & cap. Prælatis* 2. *eod. in* 6. præcisis his verbis: *Prælatis, vel Clericis quibuscumque, qui de Laicis malefactoribus suis querelam apud Judicem sæcularem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cetero præsumant proteste indo expresse, quod ad vindictam, seu ad pœnam sanguinis agere non intendant, imp tari non debet, quamvis alias de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si Judex mortem illis inferat justitia exigente. Nam alioquin, si Prælati, aut Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia, seu occasio trucidandi eosdem, & illorum bona libere deprædandi*.

Advertendum tamen est, quod accusator evadit irregularitatem accusando reum cum supradicta protestatione solum in causa propria, non autem in causa aliena, cum *in cit. cap. Prælatis* 2. *in* 6. dicatur solum *suis malefactoribus*, ut communiter advertunt Doctores. Et etiam evadet irregularitatem in causa propria, licet talis protestatio esset tantum ficta externe, & protestans interne deliberaret, vel intenderet mortem accusati, quia cum Ecclesia judicet tantum secundum externa, & apud Judicem ficta protestatio idem valeat, ac vera, irregularitatem non contrahit, qui ficte protestatur; irregularitas enim non contrahitur, nisi in casibus a jure expressis, *cap. Is, cui, de sent. Excom. in* 6.

Accusator etiam sine tali protestatione evadit irregularitatem, si accusat malefactorem coram Judice Ecclesiastico, licet de crimine pœnam sanguinis inferente, quia Judex Ecclesiasticus non potest procedere ad pœnam sanguinis, & per accidens est, si reum deinde tradat Judici sæculari puniendum, *cap. final. Ne Clerici, vel Monachi*. Si accusat malefactorem etiam coram Judice Laico de crimine levi, quod pœnam sanguinis non mereatur, licet postea Judex limites justitiæ excedens reum occidi, aut mutilari imperet, quia malitia, vel ignorantia Judicis non debet accusatori imputari; *arg. cap. Postulasti* 21. *de homicidio*. Si accusat de crimine levi, & exinde Judex reperiens accusatum reum aliorum gravium criminum propter talia condemnet ad mortem, quia accusator per se nullimode intendit pœnam sanguinis, & per accidens est, quod tali occasione reperiantur in accusato gravia crimina digna morte ab accusatore prius ignorata, ut advertit inter alios Anaclet., & Pirhing *lib.* 5. *decret. tit.* 12. *num.* 110. Si accusat malefactorem non de crimine commisso, sed de crimine præcise committendo, sive in proprium, sive in alienum damnum redundaturo cum alia via impediri non possit, quam per accusationem, & manifestationem, quia Sacri Canones non imponunt irregularitatem propter opus, ad quod quis lege naturali, & Divina tenetur, uti est avertere grave malum a proximo, *argum. cap. Accusasti* 8. *de accusat.* ubi expresse dicitur: *Nisi pro pace feceris*; Pirhing *loc. cit. n.* 109. Anaclet., Molina, Covarruv. & alii.

Clerici, & Religiosi non possunt coram Judice Laico criminaliter in causa sanguinis esse accusatores *ex cap. Sicut Sacerdotes* 2. *quæst.* 7. Nec testes; *cap. Testimonium* 11. *quæst.* 1., nisi ad innocentis liberationem de licentia suorum Superiorum. Nec Judices, *cap. His a quibus* 23. *quæst.* 8. Nec Notarii, seu Scribæ, *cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi*, & si hæc præstiterint, non solum irregularitatem incurrunt, sed

sed etiam grave peccatum committunt, cum in re gravi Canonum præscripta transgrediantur; *argum. cap. Postulasti* 21. *de homicidio*. Ad differentiam Laicorum, qui hæc præstando incurrunt solum irregularitatem ex defectu lenitatis, & nullum committunt peccatum, cum nullibi illa reperiantur ipsis prohibita, sicuti expresse reperiuntur prohibita Clericis, & Monachis in citatis Juribus, *& cap. final. Ne Clerici, vel Monachi, & cap. Postulasti* 21. *de homicidio*, & pluribus aliis in locis.

Clerici Theologi, & Canonistæ, seu Confessarii non incurrunt irregularitatem si consulti in genere tantum respondeant, & explicent quid jura statuant de hujusmodi malefactoribus, nil suadendo circa reum in particulari; Glossa communiter recepta, *in cap. Ex litteris* 10. *de excessibus Prælator. vers. Consuluit*. Imo Confessarius non fit irregularis, etiamsi neget absolutionem Judici nolenti condemnare ad mortem ex Officio, & secundum Leges reos, modo generaliter loquatur, ut puniat secundum Leges, quas ipsi potest ostendere, ut videat, quid Juris. *argum. cap. Pessimam* 32. *cauf.* 23. *quæst.* 8. Barbos. *in cap. Ex litteris*, Suarez, Layman, Pirhing *loc. cit. num.* 98. Reiffenstuel *lib.* 5. *decretal. tit.* 12. *num.* 101. *&* 102. & alii passim.

In bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, licet pauci occidantur, seu mutilentur, vel etiam unus solus occidatur, vel mutiletur, evadunt irregulares omnes militantes, quamvis non omnes suis manibus occidant, seu mutilent, quia omnes ad homicidium, seu mutilationem cooperantur, & constituunt unam causam totalem ad eam occisionem, vel mutilationem, cum omnes ad invicem se excitent ad illam, *argum. cap. Sicut dignum* 6. §. *final. de homicidio, cap. Quod in dubiis* 5. *de pœnis*, & *ibi* Glossa *vers. Incitant*.

In bello autem manifeste justo, sive offensivo, sive defensivo evadunt irregulares solum occidentes, vel mutilantes propriis manibus. Pugnantes autem, & neminem occidentes, nec mutilantes non fiunt irregulares, licet ab aliis multi occidantur, vel mutilentur; *cit. cap. Petitio tua* 24. *de homicidio, & cap. Si quis* 4. *dist.* 51. & Doctores communiter. Nec etiam evadunt irregulares, si aliquos ipsi vulnerent, & percutiant solum, dummodo non occidant, nec mutilent, *cit. cap. Petitio tua* 24. *de homicidio*, ubi Sacerdoti pugnanti in bello præcipitur solum ob irregularitatem abstinere a celebratione in casu, quo ipse propriis manibus aliquem interfecerit, non autem, si neminem occidit, aut mutilavit, ibi: *Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, a Ministerio Altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare*. Ob solam enim vulnerationem, & percussionem non reperitur in Jure imposita ulla irregularitas, adeoque non contrahitur, cum ista non contrahatur, nisi sit in Jure expressa, *cap. Is, qui* 18. *de sentent. Excomm. in* 6.

Clerici, & Laici pugnantes in bello justo, & occidentes, vel mutilantes inimicos fiunt irregulares, non ex delicto, sicuti pugnantes in bello injusto, sed tantum ex defectu lenitatis, quia sicuti, qui juste contra aliquem profert sententiam sanguinis, secuto effectu, irregularitatem incurrit, *argum. cap. Aliquantos* 1. *dist.* 51. *cap. Sæpe* 29. *& cap. His* 30. *cauf.* 23. *quæst.* 8. *cap. Ex litteris* 10. *de excessibus Prælator. cap. Clericis* 5. *& cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici*, *vel Monachi*, ita qui militat in bello justo, incurrit irregularitatem, si aliquem occidat, vel mutilet, *cap. Si quis viduam* 8. *dist.* 50. *cap. Aliquantos* 1. *dist.* 51. *& cap. Petitio tua* 24. *de homicidio*. Clerici tamen, si sint in Sacris, vel Beneficiati, peccant mortaliter pugnando in tali bello aggressivo, quamvis justo, cum eis sit absolute prohibitum propriis manibus pugnare in bello offensivo, quamvis justo, *cap. Eos, qui* 3. *cauf.* 20. *qu.* 3. *cap. Clerici* 5. *& cap. Quicumque ex Clero* 6. *cauf.* 23. *qu.* 8. *& cap. Ex multa* 9. *de voto* §. *De Clericis*. Vide *verb. Bellum art.* 5.

Clerici, sive Laici pugnantes in bello justo, etiam mere defensivo contra quoscumque etiam Paganos, & Hæreticos ob necessariam defensionem Patriæ, & aliquem occidentes, vel mutilantes, sicuti etiam ob necessariam defensionem parentum, Filiorum, aliorumque quorumcumque conjunctorum, licet in talibus justis, & necessariis casibus non peccent, fiunt tamen irregulares ex defectu lenitatis. Et ratio est, quia *in Clementina unic. Si furiosus, de homicidio* irregularitatis incursus evitatur a solo Homicida, qui necessario tuetur vitam propriam, ergo non evitatur ab Homicida, qui alienam vitam etiam Patris, & Matris, aliorumque conjunctorum, & Patriam defendit, licet non peccet, *ex cap. Dilecto* 6. §. *fin. de sentent. Excomm. in* 6. Nam de jure communi irregularis est quilibet homicida; *cap. Si quis viduam* 8. *dist.* 50., & Doctores communiter; hodie autem limitatur jus per dictam Clementinam, & in limitatione solum fit mentio de necessario defendente vitam propriam, ibi: *Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit, vel mutilat invasorem*; ergo secus in aliis casibus; *argum. cap. Nonne, de præsumptione*, ut optime Marian. Soccin. *in cap. Ad audientiam* 12. *de homicidio num.* 187. & Fagnan. *in cap. Suscepimus* 10. *de homicid.* & expresse Glossa *in dict. Clementin. verb. Suum*, quam sequuntur Lap. & Paul. item Cardin. Imola, & Abbas *in cap.* 2. *de vita, & honest. Clericor.* & hanc glossam dicit communiter receptam Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 213. Tum quia de pugnantibus etiam in bello justo ad necessariam defensionem Patriæ habetur expresse *in cap. Petitio tua* 24. *de homicidio*, ubi Honorius III. sic præcise respondit Pelagio Presbytero: *Petitio tua Nobis exhibita continebat, quod cum inimici Dominicæ Crucis, ac blasphemi nominis Christiani, Castrum quoddam, in quo morabaris, graviter invasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam Clericis, quam Laicis contra eos, ac invicem confligentibus, hinc inde occisi quam plurimi exticerunt; Unde cum pro eo, quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse. Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu, tua conscientia te remordet, a Ministerio Altaris abstineas reverenter, cum sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quam temere celebrare*; ubi Glossa, & Barbosa *num.* 2. Fagnan. *num.* 11. *&* 14. *& per tot.* & alii Canonistæ, Bonacina *de Censuris disput.* 7. *punct.* 4. Petra *in Constitut. unica Gregorii VIII. sect.* 1. *num.* 7. & Rota *part.* 2. *recentior. num.* 5. & consonat *cap. De his* 36. *dist.* 50. Et de facto fuit a Sanctissimo concessa facultas Nuncio Portugalliæ, ut dispensaret cum Ecclesiasticis, qui in casu inevitabilis necessitatis Infideles, seu Hæreticos, defendendo Patriam, occiderunt, vel mutilarunt, ut refert Fagnan. *in cit. cap. Petitio num.* 15. ubi advertendo verba *inevitabilis necessitatis* elicit non esse facile dispensandum, si poterat a Laicis patria defendi. Et ratio est, quia hoc impedimentum irregularitatis inolevit, ut eruantur a Ministerio Divino ii, qui sanguinem humanum profundunt, juxta id, quod dixit Dominus David *lib.* 1. *Paralipomenon* 22. *num.* 8. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo*, & ibidem *cap.* 28. *num.* 3. *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis*. Ecclesia namque, & sui Ministri imitari debent lenitatem, & mansuetudinem Christi Domini. *cap. Pœna* 2. *& cap. Unum solum* 3. *cauf.* 23. *quæst.* 5. Præpositus *in cap. Miror dist.* 50. Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *ad secundum*. Ex solo itaque facto alioquin meritorio potest quis irregularitatem incurrere, ut de deferentibus ligna pro comburendo Hæretico, ut acquirat Indulgentias; Speculator. *tit. de dispens. §. Juxta vers. Quid de his*, Joann. Andr. *in cap. Sicut dignum, de homicidio*, Soccin. *in cap. Ad audientiam num.* 279. *de homicid.* Et sic etiam Judices, qui administrant justitiam, licet objectum tam bonum intendant, & mereantur, tamen fiunt irregulares, si sententiam mortis proferant contra reos; *argum. cap. Aliquantos* 1. *dist.* 51. *cap. Sæpe* 29. *& cap. His* 30. *cauf.* 23. *q.* 8. *cap. Ex litteris* 10. *de excessibus Prælator. cap. Clericis* 5. *& cap. Sententiam* 9. *Ne Clerici, vel Monachi*. Et per hoc hanc sententiam tenent ultra jam cit. Doctor. Farinac. Angelus, Panormitan. Innocent. Divus Antonin. Navarr. Major. Tabiena, Medin. Salar. Henriquez, Philiarch. Medices, & alii cum Pignatell. *tom.* 7. *consult.* 20. *num.* 4. *&* 5. qui istam sententiam, nedum communiorem, sed etiam certam, censet.

Clerici cum legitima sui Superioris facultate bello justo interessentes, tamquam Capellani, ut militibus Sacramenta ministrent, eisque in morte assistant, non peccant, *cap. Ex multa* §. *De Clericis, de voto*. Imo neque ipsi, neque alii Clerici irregularitatem incurrunt, si in tali bello justo milites adhortentur ad strenue pugnandum, ut colligitur *ex cap. Petitio tua, de homicidio, & cap. Hortatus* 23. *qu.* 8. In bello autem manifeste injusto Clerici exhortantes milites ad pugnandum, evadunt irregulares; *cap. Sicut* 6. §. *fin. de homicidio, & cap. Quod in dubiis* 5. *de pœnis*.

* Clericus militiæ nomen dans ipso facto privatur beneficio & pensione, ut ex Decis. Rotæ Rom. *Institut. Eccles.* 101. §. 18.

Quoad hanc irregularitatem præter hucusque tradita, hæc

accipe. Clericus in sacris constitutus militans, & arma ferens in servitium alicujus laici Principis, si expeditionibus bellicis interfuerit, in quibus homicidia, furta, rapinæ, incendia secuta fuerint, multo probabilius est, incidisse in irregularitatem, licet moraliter certus sit, se neminem mutilasse vel occidisse, ut ex Decreto Sac. Congregat. in Ipren. *Irregularitatis* erui posse videtur cit. *Istit.* 101. §. 19.

Idem forte affirmari potest de Clerico in minoribus beneficiato, cum ea, quæ vetantur ordinatis in Sacris, etiam beneficiatos Clericos comprehendant; *ibid.* §. 23.

Clerici in minoribus si militaverint in bello injusto, etsi ipsi neminem occiderint, vel mutilaverint, si tamen ala, in qua militant, homicidia commiserit, seu mutilaverit, inducit in eos Clericos irregularitatem; etenim in eo casu Clericus facit unum corpus cum sociis, & ulterius dat operam rei illicitæ. *Ibid.* §. 8.

Porro si ille militaverit sub suo Principe, nec certo sciverit bellum esse injustum, non tenetur per se indagare, num justum sit, nec ne, sed poterit credere bellum esse justum. Idem probabiliter dici potest de Clerico militante sub alieno Principe, quia impossibile esset illi indagare num sit bellum istud justum, injustumve. *Ibid.* §. 17.

Si vero bellum esset justum, Clericus militans, si certus sit moraliter se neminem occidisse, vel mutilasse, etiamsi hoc actum fuerit a sociis, non incidit in irregularitatem, ut ex *cap. Petitio, de homicid. volunt. ibid.* §. 10.

Demum si bellum sit justum & defensivum, si Clericus jussus est arma capere, nec sufficiant ad defensionem Laici, non incidit in irregularitatem etiamsi occiderit; *ibid.* §. 9. *

Irregularitates ex defectu sunt multæ, & assignantur.

Prima est, ex defectu animæ, ratione cujus Irregulares sunt Amentes, Lunatici, & furiosi, licet habeant aliquod lucidum intervallum; *cap. Maritum* 2. *& cap. Communiter* 3. *dist.* 33. Epileptici, seu laborantes morbo caduco; *dict. cap. Maritum dist.* 33. Dæmoniaci, seu obsessi a Dæmone; *cap. Clerici* 4. *dist.* 33. Omnes tamen isti, si a sua respectiva ægritudine Epilepsiæ, Amentiæ, & Dæmonis vexatione liberati fuerint, possunt susceptos Ordines exercere, si constet eos per integrum annum ab ultimo lapsu non amplius fuisse correptos, ut expresse habetur *cap. Communiter* 3. *dist.* 33. præcisis suis verbis: *Ut nullus de iis, qui aut interram arrepti a Dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant Altaribus ministrare, vel indiscusse se ingerant Sacramentis Divinis, exceptis illis, qui corporis incommoditatibus dediti sine hujusmodi passionibus in terram prosternuntur elisi, qui tamen, & isti tandiu erunt ab Officii sui ordine, & loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu Dæmonum liberati.* Imo amentes, seu furiosi constantia lucis intervalla habentes, & Epileptici, seu morbo caduco laborantes, quamvis nondum perfecte sanati, si raro cadant, aut deficiant, possunt privatim celebrare cum assistentia unius Sacerdotis jejuni, qui Missam prosequi posset, si alter deficeret, ut colligitur *ex cap. Illud* 10. *& cap. Nihil* 16. *cauf.* 17. *qu.* 1. & tenent Layman *lib.* 1. *Theolog. Moral. tract.* 5. *cap.* 5. *part.* 7. *num.* 2. cum aliis ibi citatis, Reiffenstuel *lib.* 1. *decretal. tit.* 20. *num.* 19. La Croix *lib.* 7. *num.* 495. Pirhing *lib.* 1. *decretal. tit.* 20. *num.* 14. & alii.

Ex defectu animæ irregulares sunt etiam illiterati; *cap. Illiteratos dist.* 36. ubi Glossa notat sufficere scientiam mediocrem; Tridentinum autem *sess.* 23. *de reformat. cap.* 4. præscribit, ut tonsurandus sciat rudimenta Fidei, & legere, & scribere; promovendus ad Minores sciat saltem linguam latinam sic, ut latinas sententias in patrium sermonem vertere sciat, ibi *cap.* 11. promovendus ad Subdiaconatum, & Diaconatum sit instructus litteris, & iis, quæ ad exercendos tales Ordines pertinent, ibi *cap.* 13. promovendus ad Presbyteratum habeat scientiam talem, ut possit populum docere, quæ necessaria sunt ad salutem, & idoneus sit ad Sacramenta debito modo ministranda, ibi *cap.* 14. & promovendus ad Episcopatum tali sit instructus scientia, & doctrina, ut muneris sibi injungendi necessitati possit omnimode satisfacere, & per hoc vult, quod sit in Universitate studiorum Magister, seu Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico, *sess.* 22. *de reform. cap.* 2. *Qui enim ad Episcopatus promovendus est gradum ex cap. Omnes psallentes dist.* 38. *tali scientia debet esse ornatus, ut in promptu habeat legere scrutabiliter, & non transitorie tam Sacros Canones, & Sacrum Evangelium, quam omnem Divinam scripturam.* Irregulares etiam sunt ex defectu animæ omnes Neophyti, scilicet primo, qui nuper exsistentes in adulta ætate a Paganismo, Judaismo, & Atheismo convertuntur ad Fidem Catholicam, *ex cap. Sicut Neophytus dist.* 48. *& cap. Neophyti, de consecrat. dist.* 5. ne in superbiam elati, ut dicit Apostolus 1. *ad timoth.* 3. in laqueum incidant Diaboli, & ne fiant Magistri, qui nondum didicere esse discipuli, ut habetur *in cap. Miserum dist.* 61. *& in cap.* 1. *dist.* 48. Secundo, qui cum diu fuerint sæcularibus curis addicti recenter a sæculari vita promoti ad Ecclesiasticam, statim sine mora contendunt ad Sacros Ordines, & Dignitates Ecclesiasticas promoveri, isti enim sunt vere irregulares, nec possunt ad Ordines, & Dignitates sic promoveri, *ex cap. Sicut Neophytus dist.* 48. *ex cap. Qui Ecclesiasticus dist.* 59. *ex cap. Hoc ad nos dist.* 59. *& ex cap. Sacerdotali dist.* 61. Tertio, qui a sæculo recenter conversi sunt ad Religionem aliquam, & nondum anno probationis elapso contendunt ad Ordines, & Dignitates promoveri, isti etiam sunt vere pro tali tempore irregulares quoad Ordines suscipiendos, & Dignitates in Religione acquirendas, ut expresse habetur *in cap. Monasteriis* 19. *quæst.* 3.

Secunda ex defectu corporis, ratione cujus irregulares sunt omnes, qui ita sunt corpore vitiati, ut absolute non possint peragere Ordinis ministeria, vel si aliqualiter possunt, non sine aliorum horrore, ut colligitur *ex cap. Illiteratos*, ibi; *Aut aliqua parte corporis vitiatus, vel imminutus, dist.* 36. *ex cap. Presbyterum, & ex cap. Tua nos, de Clerico ægrotante.* Sic irregularis est, qui fuit aliqua manu mutilatus; *cap. Expositi* 6. *de corpore vitiatis.* Presbyter, cui medietas palmæ cum duobus digitis fuit abscisa, Missam celebrare non permittitur, quia *nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri potest*; ut expresse cavetur *cap. Presbyterum, de Clerico ægrotante.* Sic deformiter Gibbosus; *cap. Hinc etenim, vers. Gibbosus dist.* 49. Claudus nequiens sine pede ligneo, vel sine baculo incedere: *cap. Nullus Episcopus, de consecr. dist.* 1. Oculo orbatus, seu cui oculus erutus est, si absque notabili deformitate Canonem legere nequeat, *cap. Si Evangelica* 13. *dist.* 55. & omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum, *cit. cap. Si Evangelica, & tot. tit. de corpore vitiat.* Si autem quis aliquem defectum corporalem habeat, qui neque notabilem deformitatem contineat, ita ut scandalum in celebratione non causet, neque exercitium celebrationis impediat, talis non est irregularis. Unde si re ipsa alicui erutus esset unus oculus, & alius v. g. vitreus ita artificiose esset impositus, ut vix adverti posset, docet Sylvius *part.* 1. *verb. Irregularitas cas.* 4. talem non fore irregularem, quia, quando in jure dicitur, quod, qui amisit oculum, sit irregularis, causa est, uti communiter explicant Doctores, quia in hoc est deformitas, ergo si nulla adsit deformitas, non sequeretur inde irregularitas; Sic La Croix *lib.* 7. *num.* 500. & cum aliis Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 7. in cujus Summario *num.* 2. sic præcise dicit: *Unius ocul. etiam sinistri privatio sine notabili deformitate irregularem non efficit.* Sic qui caret visiva virtute in oculo sinistro, sive Canonis & tanta pollet virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere Canonem, non est irregularis, & ut commodius possit legere, potest Missale tantomagis ad medium Altaris attrahere, & sibi approximare; Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 42. *num.* 31. Layman *loc. cit. num.* 2. Pirhing. *lib.* 1. *decretal. tit.* 20. *num.* 6. Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resolut.* 73. & Dicastill. *d.* 7. *num.* 173. Navarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 199. La Croix *l. cit.* cum Molina, Avila, Sa, Suarez, Vasquez, Valentia, Henriquez, Sayr, ab ipso *citatis*, Bonacina, Filiucc. & alii a Barbosa, ubi supra adducti, & plurimis adductis, tenet novissime Pontas *in suo Dictionario tom.* 2. *verb. Irregularitas cas.* 12.

Advertendum tamen est, quod si defectus corporis absque propria culpa superveniat post susceptos jam Ordines, tunc Ordinatus non redditur ex toto irregularis, sed solum quoad illum actum Ordinis, quem ob talem corporis defectum, vel nullo modo, vel saltem non sine aliqua notabili deformitate exercere potest, *ex cap.* 2. *de Clerico ægrotante.* Si autem talis corporis defectus jam reperiatur in Laico, antequam sit promotus, licet sit dumtaxat celebrationem impediens, ut defectus pollicis, seu indicis sacræ Hostiæ fractionem impediens, non potest absque dispensatione promoveri ad Ordines, etiam Minores, *ex cap. Non confidat dist.* 50.

Tertia ex defectu lenitatis, ratione cujus sunt irregulares omnes, qui directe concurrunt ad mortem, aut mutilationem, etiam justam, effectu secuto, ut Judices sententiam mortis, vel mutilationis pronuntiantes, accusatores sine protestatione, Testes ultronei, & voluntarii Notarii, sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes, Assessores, Consultores, Advocati, & omnes Ministri justitiæ sententiam exequentes, *ex cap. Aliquantos dist.* 51. *& cap. Si quis viduam dist.* 50. Licet enim omnes supradicti nullum committant delictum, cum tamen non perfecte imitentur lenitatem, & mansuetudinem Christi, qui noluit pronunciare dignam morte mulierem in adulterio deprehensam, & pro perfidis Judæis Patrem oravit, ideo merito ab Ecclesia inhabiles declarantur, ut in Altari immaculatam, & incruentam Hostiam Deo offerant & Christi mansuetissimi personam repræsentent, eo vel maxime, quod etiam in Lege veteri noluit Deus sibi ædificari templum a Rege Davide, eo quod multum sanguinem fudisset, *non* obstante, quod id factum fuerit in bello justo, & David fuerit Sanctissimus: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo*, 1. *Paralipomenon* 22. 8., sed voluit sibi ædificari illud a Salomone viro quietissimo, & mansuetissimo, *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus.. ipse ædificabit domum nomini meo, ibi num.* 9. & 10.

Quarta, ex defectu natalium, ratione cujus irregulares sunt omnes illegitimi, ut filii naturales, idest nati ex soluto, & concubina, Manzeri, idest nati ex meretrice, nothi, idest nati ex conjugato, & soluta, & Spurii, idest nati ex copula a Jure civili damnata, ut ex incestu, stupro; raptu, & sacrilegio; *cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi, cap.* 1. *& final. de filiis Presbyterorum, cap. Innotuit, de electione.* & ex Concil. Trident. *sess.* 22. *de reformat. cap.* 20. *& sess.* 23. *cap.* 5. Illegitimi tamen, qui per subsequens Matrimonium legitimantur, non sunt irregulares; *argum. cap. Conquestus, & cap. Tanta, qui filii sint legitimi*, quia subsequens Matrimonium fictione Juris retrotrahitur ad tempus conceptionis; *leg. Divi Constantini* 5. *leg. Cum quis* 10. *leg. Nuper* 11. *Cod. de naturalibus liberis.* Sicuti etiam non sunt irregulares aliquam Religionem intrantes, tunc enim illegitimi possunt ad Sacros Ordines promoveri, licet non possint ad Prælaturas, ut expresse habetur *cap.* 1. *de filiis Presbyterorum*, his verbis: *Filii Presbyterorum, ut ceteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non promoveantur, nisi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes, Prælationem vero nullatenus habeant.* Filii exposita reputantur pro illegitimis; In Jure enim reputantur illegitimi, qui nequeunt parentes suos offendere, per textum *in cap.* 1. *De infantibus expositis.*

* Illegitimi sunt irregulares ex defectu; adeoque Ordinum & Beneficii incapaces; attamen pro minoribus Ordinibus & Beneficiis non habentibus annexam animarum curam, potest Episcopus cum illis dispensare; nonnisi vero Romanus Pontifex in aliis omnibus, ut ex *cap. Is qui, de filiis Presbyt. in* 6. De Synodo Diœces. *lib.* 13. *cap.* 24. §. 11. *nov. edit.* Hinc ad rem notanda sequentia.

Filii illegitimi Clericorum consequi non possunt beneficia, & pensiones in Ecclesiis, in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem Ecclesiis ministrare; neque tandem pensionem ullam habere super fructibus beneficiorum, quæ ab eorum parentibus possessa sunt; Ex Tridentino *sess.* 25. *cap.* 15. *de reform.* Sicut & nullæ sunt reciprocæ resignationes a parentibus Clericis in favorem filiorum suorum factæ, ita ut ipsis filiis minime suffragentur. *De Synodo &c. ibid.* §. 13. Quin nec filius illegitimus Parochi jam defuncti munus Confessarii obire potest in ea Ecclesia, quam Pater Parochus obtinuit, ut ex verbis Congregationis vetantis, ne filii in ea Ecclesia *quoquo modo ministrent*, & ex responso Sacr. Congregationis habetur. *Ibid.* §. 14.

Vicissim autem si Pater in aliqua Ecclesia munus gessit Capellani ad nutum amovibilis, potest ejus filius illegitimus idem munus ibidem obire; non enim hoc est beneficium, seu pensio, ut ex responsione S. Congr. *Ibidem.*

Si vero Pater dignitatem in Ecclesia aliqua obtinuit, filius titulo Missæ semper in eadem celebratæ non potest fieri particeps emolumentorum, quæ Sacerdotes post certum servitii tempus obtinere ibi consueverant, ut ex respons. S. Congregationis. *Ibid.* *

Quinta, ex defectu Sacramenti S. Matrimonii; Matrimonium enim consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli *ad Ephes. cap.* 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: hæc autem significatio deficit in bigamis, idest, in iis, qui contrahunt, & consummant Matrimonium cum pluribus uxoribus, aut cum una vidua, vel corrupta, quia non fit conjunctio unius cum una, eaque virgine, sicut Filius Dei copulavit sibi unicam, & immaculatam Sponsam Ecclesiam ab alio non assumptam, ideoque irregularitatem incurrunt omnes bigami; *cap. Ut bigami, cap. Super eo, de bigamis*; sive sint bigami bigamiæ veræ, idest, qui contrahunt, & consummant Matrimonium cum pluribus uxoribus; *cap. Debitum, de bigamis non ordinandis, & cap. ult. dist.* 34. sive sint bigami bigamiæ interpretative, idest, qui contrahunt, & consummant cum vidua, vel cum corrupta ab alio; isti enim censentur quadam juris interpretatione habuisse duas uxores, licet vere illas non habuerint; *cap. Maritum distinct.* 33. *cap. Si cujus, & cap. Si Laici distinct.* 34. sive sint bigami bigamiæ similitudinariæ, idest, qui post votum solemne castitatis emissum in Religione approbata, vel post receptionem Sacrorum Ordinum Matrimonium quamvis invalidum contrahunt, & consummant: isti enim sunt aliquo modo similes contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post Matrimonium spirituale cum Christo contractum, ab eo recedentes attentant Matrimonium carnale contrahere, & consummare, adeoque bigamiam similitudinariam dicuntur incurrere; *cap. Nuper a nobis* 5. *cap. Quotquot, cap. Monacho* 27. *quæst.* 1. *& cap. ultim. de bigamis non ordin.*

Hanc autem irregularitatem non incurrit, qui prius cum pluribus fornicatus est, & postea virginem ducit, quia hic non intervenit defectus Sacramenti, cum nullum cum illis liberis præcesserit Matrimonium significans conjunctionem Christi cum Ecclesia: *cap. Quia circa, de bigamis non ordinandis.* Nec eam incurrit, qui contrahit cum vidua in articulo mortis constituta ad ejus honorem tuendum, cum qua antea rem habuerat, si Matrimonio non consummato, vidua decesserit, ut declaravit *Sac. Congr. Concilii in una Burgen. bigamiæ remissa a Pœnitentiaria* 17. *Julii* 1688. Nec qui contrahit cum vidua a primo viro non cognita; *Eadem Sacra Congr. Concilii in Senogallien. bigamiæ* 10. *Decembris* 1661. Nec qui ducit fœminam prius a se solo corruptam, quia talis non divisit carnem suam in plures, sed adhuc est unicus unicæ sponsus, sicque non patitur defectum Sacramenti; Glos. *in cap. Sane* 1. *de Clerico conjug. & in cap. Debitum de bigamis, vers. Cognita*, S. Thom. *in* 4. *dist.* 27. *q.* 1. *art.* 1. Abbas *de bigamis numer.* 2. & communiter alii plurimi cum Barbosa *part.* 2. *de Officio & potest. Episcopor. allegat.* 49. *numer.* 7.

Sexta ex defectu libertatis, ratione cujus irregulares sunt servi proprie dicti, seu mancipia; *cap. Nullus* 1. *cap. Nulli* 2. *De servorum ordinatione* 6. *dist.* 54. *& cap. Consuluit, de servis non ordinandis.* Servi adscriptitii, atque originarii ex istis, qui certæ glebæ, seu prædio colendo sunt perpetuo obligati, atque ideo sine consensu Dominorum ordinari non possunt; *cap. Generalis, & cap. Admittuntur dist.* 54. Famuli autem illi, qui pro annua mercede Dominis suis inserviunt, in sensu juris non sunt irregulares, cum non censeantur proprie servi, sed potius habeantur, quoad hoc pro vere liberis; sunt etiam irregulares obligati ad ratiocinia, ut qui generaliam aliquam rerum sæcularium administrationem habent, vel habuerunt, & exinde Principalibus suis ad reddendas rationes sunt obstricti ut sunt Procuratores, Rectores, Tutores, Syndici, Officiales, Fiscales, Curiales publici, & hujusmodi, isti enim ordinari non possunt, nisi deposito onere, seu relicto officio, atque reddita ratione; *cap. Curiales dist.* 53. *cap. unico de obligatis ad ratiocinia*, ubi expresse prohibitionis ratio adducitur his verbis: *Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamabitur.*

Quia tamen Clerici possunt esse Tutores, & Curatores suorum Agnatorum, *ex cap. Pervenit dist.* 86. & etiam Administratores rerum Ecclesiarum, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum, quæ potissimum indigent Ecclesiastico adjutorio *ex cit. cap. Pervenit, & cap.* 1. *cauf.* 21. *q.* 3. ideo etiam talia munia, & Officia gerentes, & in his adhuc perseverantes, possunt ad Ordines promoveri, ut notat Glossa magna *in cap. unico de obligatis ad ratiocinia.*

Septima, ex defectu legitimæ ætatis ratione cujus irregulares sunt omnes, qui nondum habent legitimam ætatem ad susce-

susceptionem Ordinum requisitam, quæ ætas pro receptione cujusque Ordinis est novissime, & clare statuta a Concilio Trident. *sess. 23. de reform. cap. 11. & 12.* Et hæc irregularitas durat solum, quandiu durat talis defectus legitimæ ætatis, completa autem requisita ætate, absque alia dispensatione cessat; *arg. cap. ultimo de temporib. Ordin.*

Octava, ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia, & hæc irregularitas duplici modo contrahitur, scilicet ex infamia cum propria culpa, & ex infamia sine culpa. Irregularitas, quæ contrahitur ex infamia cum propria culpa est illa, quæ oritur ex delicto enormi, & notorio; *cap. Infames 6. qu. 1.* & de ista satis fuit dictum de irregularitatibus ex delicto *n. 6.* Irregularitas ex infamia sine culpa, de qua est sermo in præsenti, est, quæ contrahitur ex exercitio artium, vel Officiorum ex Jure infamium, vel alio modo sine culpa, ut sunt Histriones, mimi, comœdi, filii publicæ meretricis, quamvis conjugatæ, ut omnes in scæna ludentes, per textum *in leg. 1. & 2. §. ultim. ff. de his, qui notantur infamia.* Aleatores publici, & pro ludo mutantes, per textum *in cap. Inter dilectos, de excessibus Prælat.* Aurigæ, Gladiatores, Cursores, Citharœdi, Lyristæ, Saltatores, Caupones per ea, quæ tradit Clemens I. *In institutionibus*, Macellarii, Satellites, cloacas emundantes, pelles expurgantes, ut habetur *in Clementin. I. de vita, & honestate Clericor.* & ibi Glossa omnes istas artes expresse enumerans. Quamvis autem ignominiosas, et viles has artes exercentes reputentur infames, ideoque reddantur irregulares, non tamen sunt infames, et irregulares eorum filii, ut habetur ex Anthero Papa in Epistola ad Episcopos Bæticos præcisis his verbis: *In Episcoporum negotio prosapiam non agnosco, Apostolicus ordo hoc probat, & tot Pontificum, & Episcoporum numerus, qui vilibus parentibus nati dignissime Sacerdotio functi sunt.*

13 Ad uberiorem supradictorum notitiam adduntur hic varii speciales casus a Sacris Congregationibus resoluti.

1 Occidens aliquem ad necessariam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ non fit irregularis. *Clement., unic. Si furiosus, de homicidio, Sacr. Congr. Conc. in Aquilana 23. Febr. 1715.* apud Ursayam *tom. 1. part. 2. disc. 6. numer. 20.* et sæpius alibi, ut refert Pignatel. *tom. 7. consultat.*

2 *20. num. 3. & seq. & consult. 80. per tot.* Si autem talis occidens excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, Monacell. *tom. 4. supplem. ad 3. tom. num. 25.* cum pluribus ibi allegatis. Pallerin. *de electione. cap. 27. num. 29.* Ursaya *tom. 3. par. 2. disc. 7. n. 12. & 13.* & alii dicunt, quod evadit quidem irregularis, sed dispensari potest ab Episcopo, & non indiget dispensatione Papæ. Et in tali casu declarare, an occidens, seu mutilans sic defendendo vitam propriam indigeat dispensatione, potest Episcopus, ut sæpius declaravit *S. Congr. Episcop.* præsertim *in Lucerina* 1580. *in Sebenicensi* 1587. *& in Januensi 23. Maji* 1589. apud Pignatell. *tom. 7. consult. 80.* At consultius videtur petenda in tali casu dispensatio a Sacr. Congr. Concilii quam de facili solet concedere, uti concessit *in Triventina Irregularitatis 11. Decemb. 1694. in Nuscana Irregularitatis 12. April.* 1710. & sæpius alibi. Non sic autem de facili solet dispensationem concedere quando quis voluntarie alium in rixa occidit, ut ipsam denegavit *In Panormitana irregularitatis 26. Aprilis* 1698. *in Veliterna irregularitatis 28. Junii* 1704. & sæpe alibi.

3 Condemnatus ad Triremes, licet non remigaverit, quando delictum propter quod damnatus fuit, infamiam irrogat, remanet irregularis. *Sac. Cong. Episc. in Mantuana 20. Decemb. 1619.* adud Monacell. *tom. 2. tit. 13. form. 3. num. 39. & Sacr. Cong. Concil. in Panormitana 8. Aug. 1715.* apud eumd. Monacell. *tom. 4. supplem. ad 3. tom. num. 140.* & apud Ursayam *tom. 2. part. 2. discept. 22. num. 30. & Institut. Crim. lib. 4. tit. 5. num. 150*, ubi cit. idem Decretum *in Panormitana* sed sub *dat. 4. Febr. 1702. & in Romana, seu Lavellen. 6. Julii* apud Ursayam *in Miscellano 2. litt. T. numer. 45.*

4 An autem etiam remaneat irregularis, quando delictum, ob quod damnatus fuit, infamiam de jure non irrogat; & ipse non remigavit; Ursaya *loc. cit. num. 150.* cum Raynaldo, & Monacell. ibi allegatis, videtur inclinare in negativam opinionem, in quam dicit videri inclinasse etiam *Sac. Congr. Concil. in Comen. 4. Martii* 1671. At vero Monacell. *cit. t. 4. num. 140.* ubi sub *dat. 14. Martii* refert per extensum d. Decretum *in Comensi* de quodam Presbytero Josepho Cattaneo Comen. Diœcesis, qui ad Triremes damnatus, & transmissus ob armorum delationem, absque eo quod remigasset, inde egressus supplicavit pro absolutione &c. *Sacr. Congr. Concil.* audita relatione Episcopi, *die 14. Martii 1671.* censuit, si Sanctitati suæ placuerit, posse per Literas Apostolicas in forma Brevis eidem Episcopo committi, ut constito de expositis, & præsertim quod non remigaverit. Oratorem pro suo arbitrio, & conscientia absolvat, & ad executionem suorum Ordinum rehabilitet, & restituat *lib. 27. Decr. fol. 54.* dicit, quod ex hoc Decreto videtur, quod Sac. Congr. judicaverit requiri Papæ dispensationem. Et de facto cum Sacerdos Petrus Cardonus Panormitanus ad Triremes damnatus, & transmissus tamquam unus inditiatus de crimine fabricationis falsæ monetæ, & postea absque eo quod remigasset, liberatus cum sola pœna exilii supplicasset pro absolutione, *Sac. Congr. Concil. in Panormitana die 8. Aug. 1705.* gratiam denegavit: rescribendo *Lectum* apud Monacel. *cit. tom. 4. num. 140.* quam denegatam gratiam refert ipse etiam Ursaya *l. c.* Unde in similibus casibus semper recurrendum est ad Sanctam Apostolicam Sedem.

* Quando exilii pœna inducat irregularitatem, & quando non vide apud Thesaurum *de pœnis Ecclesiasticis p. 1. cap. 33. §. Talis autem* Illustrissimus, & Reverendissimus Maraviglia *in* Leg. *176. Prudentiæ Episcopalis* ad hoc dignoscendum hanc tradit regulam: Quando exilii pœna imposita est propter delictum, cui a Jure annexa sit infamia, certum est inducere Irregularitatem juxta *cap. Inter dilectos, de excessibus Prælatorum, & cap. Accedens, de Accusat. & cap. Accusatum, de Simonia*; quando vero delicto, quod exilio punitur, a Jure non est annexa infamia, certum est, nullam inducere Irregularitatem, nisi aliud obest, sic enim declaravit ipsa S. C. *in una Macraten. 4. Septemb. 1602.* Non enim quodcumque crimen causat infamiam, sed debet esse ex illis, quæ speciale recensentur in jure, & talia sunt ex communi æstimatione; quia dato etiam quod crimen esset vere ex illis, quæ generant infamiam, cum tamen possit non esse notorium in loco, ubi exul degit, ibi non poterit infamiam causare, & sic Sacerdos exul ibi non erit censendus irregularis; sola enim infamia Juris annexa delicto, & per sententiam condemnatorium expressa ad summum illa est, quæ inducit Irregularitatem, non infamia facti. Ita communiter Doctores apud Covvaruviam *in Clement. si furiosus*, Garciam *de benef. p. 11. cap. 3.* Gibalin. *de Irregul.* & Suarez. *disp. 43. de Censur.* *

5 Si vero damnatus ad Triremes actu remigaverit; tunc indistincte, sive delictum irroget infamiam, sive non, talis efficitur irregularis, & solus Papa dispensat juxta Decretum Sacræ Congreg. S. Officii emanatum anno 1635. tempore Urbani VIII. quo statuitur quod Presbyteri tam Seculares, quam Regulares damnati ad Triremes, si actu Remiges fuerint, non habilitentur ad exercitium Ordinum, quod per extensum refert Nicolius *Lucubrat. Canon. lib. 5. tit. 12. §. 13.* & sequitur Monacell. *tom. 1. tit. 4. form. 9. num. 7. & tom. 3. tit. 3. form. unic. num. 13.* cum aliis ibi allegatis.

6 Qui dat operam rei licite, & omnem adhibet diligentiam, ne sequatur homicidium, si deinde casu fortuito sequatur, non incurrit Irregularitatem. *Sacra Congreg. Conc. 1. Octobris* 1588. & desumitur *ex cap. Dilectus 13. cap. litteris 15. & cap. Quidam 25. de homicidio*; Barbosa *in Sum. Apostol. decis. verb. Irregularitas num. 1.* cum aliis ibi citatis, Pascuccius *de Irregularitate cas. 6.* ubi insuper addit, quod declaratum fuit, Concilium Trid. *sess. 14. cap 7. de reform.* loqui de eo, qui fuisset in aliqua culpa, & indigeret dispensatione, ut *in Hispalen.* eodem *anno* 1588. *in Aversana 13. Novemb. 1727. in Prænestina 7. Septemb. 1630.* Ob homicidium autem casuale commissum a Parocho, rescripsit eadem Sacr. Congr. Conc. *Pro gratia, dummodo non celebret in loco commissi delicti, & per viginti milliaria circumcirca: sic in Aquilana 1. Aprilis 1713. & die 12. Maji 1714.* in eadem rescripsit, *Pro gratia, ut possit celebrare in loco commissi delicti.* Ita apud Ursayam *tom. 1. p. 2. disc. 6.* ubi varias alias refert consimiles resolutiones. Et ob offensionem, & 8
percussionem factam mediante instrumento non apto ad occidendum; *Ead. Sacr. Congreg. Concil. in Nuscana 12. April.* 1710. rescripsit: *Pro gratia peractis exercitiis spiritualibus per mensem* apud Ursayam *tom. 1. par. 2 disc. 5.*

Irregularitas incurritur ab eo, qui leviter percussit letaliter 9
vulneratum, ita ut ex dictis levibus percussionibus accelerata fuerit mors vulnerati. *Sacr. Congregat. Concil. in Caputaquen. 24. Martii 1725.* ubi denegavit etiam gratiam dispensationis. Ursaya *in Miscellano primo Sacro, & profano littera l. sub num. 200.* Et irregularem fieri, qui projicit cultrum 10
contra aliquem, etiam sine animo offendendi, sequuta offensione, tenent Pignatell. *tom. 10. consult. 110. num. 14.* Ursaya *loc. cit. num. 204.* & alii passim.

Clericus habita licentia ab Ordinario querelandi malefa-
11 ctores in foro Laicali citra pœnam sanguinis, si querelat, & indicia, ac probationes subministrat ad probandum delictum, incurrit irregularitatem, secuta mutilatione querelati delinquentis. Sic declaravit *Sacr. Congregat. Concil. die 4. Febr. 1651.* apud Pignatel. *tom. 1. consult. 377.* Item irregularita-
12 tem incurrit Clericus pro delicto in personam conjunctam commisso habens licentiam ab Ordinario querelandi, si non querelet; sed tantummodo prosequatur accusationem; & subministret indicia in foro Laicali insistendo pro punitione, secuta mutilatione, *Ead. Sacr. Congr. Conc. d. d. 4. Febr. 1651.* apud Pignatel. *loc. cit. consult. 378.* Non incurreret tamen Ir-
13 regularitatem Clericus, si querelaret tantummodo malefactorem cum expressa protestatione, quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis nullimode intendit, juxta dicta *supra numer. 11. §. Quamvis per textum, in cap. Prælatis 2. de homicidio in 6.* ibi allatum.

Irregularis non est Pharmacopola rite, & fideliter suam
14 exercens professionem. *S. Cong. Conc. in S. Marci 5. Junii* 1683. *l. 8. Decret. fol. 153.* apud Ursayam *in Miscellaneo 1. litt. I. num. 202.* & Pignatell. *tom. 8. consult. 146.* Incurreret
15 tamen Irregularitatem, sicuti etiam Chirurgus, & Medicus, si ex eorum imperitia, & negligentia, seu culpa infirmus moreretur, seu mutilaretur, ut tradunt Panimoll. *dec. 89. adnot. 5. n. 37.* Conrad. *in praxi dispens. lib. 5. cap. 3. n. 1. & seq.* Antonell. *de juribus Cleric. lib. 1, cap. 56. n. 33.* Ursaya *Institut. Criminal. lib. 1. tit. 10. § 4. n. 97.* Pignatell. *loc. citat.* & alii
16 passim. Quoad Medicos autem, ut testatur Panimol. *citat. dec. 89. adnot. 5. n. 37.* praxis Romanæ Curiæ est, ut eos non admittat ad Ordines absque dispensatione Apostolica, ut pariter esset dicendum de Chirurgis. Vide verb. *Medicus n. 20.* ubi varia ad rem.

Sacerdos celebrans pluries eadem die incurrit irregularita-
17 tem. *Sac. Cong. Concil. in Senensi 16. Novemb. 1686.* apud Pignatell. *tom. 7. consult. 43. & in Placentina 11. Jan. 1711.* apud Ursayam *Institut. Crim. lib. 1. tit. 10. §. 2. n. 57.*

Irregularitas non incurritur a Clerico exercente criminale
18 aliquod officium seu Judicaturas, si sævis se non immisceat, & in causis sanguinis judicium non proferat, ut re mature perpensa recedendo a resolutis *die 3. Martii* 1703. respondit *Sac. Cong. Conc. in Sancti Severini Irregularitatis 1. Junii ejusd. anni* 1703. *lib. 58. Decret. fol. 413.* apud Ursayam *Institut. Crimin. lib. 4. tit. 8. n. 50.*

19 Neque Irregularitatem incurrunt Personæ Ecclesiasticæ absque ulla Pontificis dispensatione intervenientes tamquam Principis consiliarii in conditione Legum imponentium pœnam mortis, vel ipsimet easdem Leges condentes, ubi temporalem habent jurisdictionem, quia Conditores Legum, illorumque Consiliarii per Legum conditionem, & promulgationem non intendunt homines occidere, sed pœnarum timore a malis, & delictis illos arcere. Sacra Rota *p. 9. recent. decis. 172. n. 20. & seq.* Ursaya *loc. cit. n. 48.* cum aliis ibi cita-
20 tis. Non possunt tamen Prælati Ecclesiastici (quibus ex Summi Pontificis dispensatione permissum est in certis casibus sententiam sanguinis proferre) executioni sententiæ se immiscere, consilium, vel præsentiam præstare eidem executioni absque irregularitatis incursu; *cap. Ex litteris 10. de excessibus Prælat.* Ursaya *loc. cit. n. 42.* cum aliis ibi allegatis.

21 Irregularitas non incurritur ab Episcopo permittendo exhumationem Cadaveris, *ut fiat Visum, & repertum*. Talis autem recognitio fieri debet extra Ecclesiam, & locum immunem, aliter a Ministris Laicis incurritur Excommunicatio, ut declaravit *Sac. Cong. Immunit. in Macraten. 8. Aug. 1645. in Cremon. 1. April.* 1704. apud Ursayam *Institution. Crimin. lib. 1. titul. 4. numer. 16.* Monacell. *tom. 1. tit. 6. formul. 7. numer. 6.*

22 Irregularis non est delcendens per rectam lineam a Mahumetanis. *S. Cong. Conc. in Hispalen. 7. Maji* 1701. apud Ursayam *tom. 2. p. 2. discept. 22. a num. 25.*

23 Irregularis non fit violans Censuras nullas. *Sac. Congreg. Conc. in Herbipolen. 19. Julii* 1704. *& in Casertana 11. Sept.* 1717. apud Ursayam *in Monacell. 1. Sac. & profan. litt. I. num. 199.*

24 Irregularis non est ministrans in Ordine susceptо, postquam appellavit a sententia Excommunicationis contra ipsum lata. *S. Cong. Conc. in dubio Irreg. 15. Sept. 1652. lib. 12. Decret. 329.* apud Ursayam *loc. cit. num. 203.*

Irregularis non est læsus in calcaneo, & licet claudus ambulans sine baculo. *S. Cong. Conc. in Messanen. 27. Apr. 1686. lib. 3. decr. fol. 126.* apud Ursayam *loc. cit. num. 201.* 25

Irregularis est Clericus confessus, & condemnatus de crimine adulterii. *S. Cong. Conc. in dubio irregularitatis 5. Maji* 26
1657. lib. 20. Decr. fol. 243. apud Ursayam *loc. cit. n. 200.* Et 27
irregularem esse etiam Clericum convictum, & condemnatum de crimine stupri sustinent Thesaurus, Majolus, & Amenus apud Monacel. *tom. 4. supplem. ad tom. 1. num. 161.* qui tamen ibidem cum Garcia, Bonac. Nicol. & aliis sustinet contrarium.

Irregularitas non incurritur per scriptionem processuum 28
causarum, seu querelarum criminalium, neque per exercitium Officii Gubernatoris absque prolatione sententiæ Sanguinis, seu Capitalis. *S. Cong. Conc. in Sutrina Irregularitatis 28. Maji* 1695. *& in S. Severini 2. Jun.* 1703. apud Monac. *tom. 4. suppl. ad 2. t. n. 70.*

Irregularitas non incurritur per solam adscriptionem mili- 29
tiæ sæculari sine actibus hostilibus. *S. Cong. Conc. in N. 10. Martii* 1674. *& in Leodien. 30. Septemb.* 1684. apud Monacell. *tom. 4. supplem. ad 2. tom. num. 71.*

Clericus autem, qui Militiæ nomen dedit, & armatus 30
in bello servivit, stipendium accepit, ac expeditionibus militaribus se associavit, fit irregularis, & indiget dispensatione ab irregularitate incursa, licet moraliter certus sit, neminem mutilasse, læsisse, ut occidisse. *Sac. Cong. Conc. in Ipren. 13. Jan.* 1703. Et ipso jure amittit Beneficium etiamsi sit juris patronatus. *S. Cong. Conc. in Firmana 17. Januarii* 1618. apud Monacell. *tom. 2. tit. 13. form. 4. num. 33.* & consimiliter Card. Petra *tom. 2. Commen. ad Const. unic. Gregor. VIII. num. 57. in fin.* ubi refert, *quod in S. Cong. Conc. in una Salisburgensi Irregularitatis*, exhibito supplici Libello remisso a Sac. Pœnitentiaria cujusdam Sacerdotis, qui se vendidit Hollandis pro servitio maritimo egestate pressus, & proinde arma sumpsit, & in Indiis militiam egit, fuerunt proposita dubia: An Orator incurrerit Irregularitatem; & an cum eo sit dispensandum? Respondit 14. Maji 1689. *Esse dispensandum*, quia dictus Sacerdos miscuit se bello injusto, arma & sæva tractando. Hæc ille.

Mandans aliquem baculo verberari eo expresso ne occida- 31
tur, si mandatarius fines mandati excedens percusserit, & occiderit, non dicitur irregularis ex homicidio voluntario, adeo ut sit indispensabilis juxta *cap. 7. sess. 14.* quia est solum voluntarium in causa, & non voluntarium directe, & in se, et potest proinde a Sede Apostolica dispensari. *S. Cong. Concil. 2. Novemb.* 1581. *lib. 22. Decret. pag. 59. & 7. Septemb.* 1604. *lib. 7. Decret. pag. 567. & 589.* apud Monacell. *t. 2. titul. 13. form. 3. num. 34. in fine.* Et quod is incurrerit irregularitatem, habetur expresse *in cap. Is qui 3. de homicid. in 6.* Quamvis Barbosa *in Summa dec. Apostol. verb. Irregul. num. 2.* citans Decretum Sac. Congr. Conc. *sub die 2. Septemb.* 1604. dicat ipsum Irregularitatem non incurrere.

Irregularis evadit, qui voluntarie, se castrari facit, et cul- 32
pa sua se ipsum mutilat. *S. Cong. Episcop. in Milevitana 15. Januar.* 1694. apud Monacell. *t. 2. tit. 3. formul. 3. num. 31. & t. 4. supplem. ad 2. tom. num. 429.* Et dispensatio hujus Irregularitatis petenda est a Sac. Congr. quæ maxima facilitate illam concedit, ut accidit *in Æsina 13. Maji* 1702.

Qui abscidit digitum Pollicem, debet petere dispensatio- 33
nem ad cautelam, quia dubium est, an per talem mutilationem Irregularitas incurratur, ut bis respondit Sacra Congreg. Conc. nempe *12. Julii* 1687. *& 13. Januar.* 1688. apud Monacell. *tom. 4. supplem. ad 3. t. n. 12.*

Clericus qui levi epilepsia semel affectus fuit, & deinde 34
per plures annos amplius dicti morbi signa non dedit, non est irregularis, & promoveri potest; *Sac. Cong. Conc. in Tudertina 9. Jul.* 1704. aeud Monacell. *tom. 2. titul. 13. formul. 3. num. 36.*

Clericus energumenus est irregularis, & licet fuerit libera- 35
tus, non potest promoveri sine dispensatione Apostolica. *Sac. Cong. Conc. 12. Febr.* 1689. apud Monacell. *t. 2. tit. 13. form. 3. num. 32. & in Mediol. 2. Decemb.* 1704. *ad 1. dub.* apud Thesaurum *resolutionum Cong. Conc. d. anni* 1724. Si 36
autem antequam a Dæmone obsideretur, erat promotus ad Ordines, potest Episcopus illorum exercitium permitterre suo arbitrio, ut dictum est *supra n. 12.* de Irregularitatibus ex defectu, per textum *in cap. Communiter 3. distinct. 33.* ibi allatum.

Suspensus a suo Ordinario extrajudicialiter sine scriptis, 37
si cen-

si celebrat, non sit irregularis. *Sac. Cong. Conc. in Vercellen.* 38 18. *Aug.* 1703. Secus autem, si fuerit suspensus juridice. Monacell. *t.4. supplem. ad 3. t. n. 6.*

39 Irregularitas incurritur a Clericis ordinatis scienter cum facto Patrimonio, vel Beneficio, & Ordines sic receptos exercentibus *Sac. Cong. Epis. in Verul. 6. Jun.* 1611. *in Andrien. 1. Octob* 1602. *& S. Cong. Conc. 2. Nov.* 1610. apud Pignatell. *tom. 5. consultat. 77. numer. 16.* Vide verb. *Ordo art. 2. num. 55.*

40 Clerici sive Sæculares, sive Regulares recurrentes in suis causis ad Judices, & principes sæculares, si ex eorum recursu sequatur impedimentum jurisdictioni Ecclesiasticæ, ex quo isti incurrant Excommunicationem contentam in Bulla Cœnæ, si post talem recursum exerceant Ordinem solemniter, vel Missam celebrent, evadunt irregulares, prout de Regularibus respondit *S. Cong. Immun. in Ulissipon. 6. Nov.* 1688. *lib. Decr. Martell. pag.* 373. & de Clerico sæculari *in Alatrina 29. April.* 1704. *lib. 3. Decr. Vallem. p.* 576. apud Monacell. *t. 3. tit. form. unic. n. 15.*

41 Irregularis non est filius homicidæ Presbyteri, unde potest promoveri ad Ordines sine dispensatione: *S. Congr. Concil. 2. August.* 1687. apud Monacell. *tom. 2. tit. 13. form. 3. num. 34.*

42 Irregularis non est, qui armatus cum consanguineis accurrit ad domum consanguineæ, ut compelleret fornicarium, si fornicarius e fenestra se projiciens moriatur: *Sac. Conc. in Pampilonen. 29. Septembr.* 1600. apud Monacell. *loc. cit. numer. 34.*

43 Nec irregularis est, qui accedens ad domum mulieris conjugatæ fornicandi causa, si supervenientibus viro, et consanguineis, mulier occidatur: *Sac. Cong. C. in Potentina 18. Martii* 1684. apud Monacell. *cit. num. 34.*

44 Irregularis non fit Judex, qui protulit sententiam mortis, vel mutilationis, nisi fuerit exequuta: unde non indiget dispensatione: *Sac. C. C. in Cesenaten.* 1615. apud Monac. *loc. cit. num. 35.*

45 Item irregularis non est Notarius, qui compilavit processus criminales, et plures fuerunt condemnati in pœnam mortis, at sententiæ non fuerunt exequutæ: *Sac. Cong. Concil. in Spoletana 14. Decembr.* 1630. apud Monacell. *loc. cit. num. 35.*

46 Quemdam, qui per quatuor annos exercuit Prætoriam, et sententias sanguinis protulit, sed non constabat resultasse prædictam pœnam, et dispensari ab irregularitate petebat, *Sac. Cong. Conc. die 28. Martii 1676.* respondit, *dispensandum esse ad cautelam.*

47 Irregularitatem non incurrit Clericus, qui Judici sæculari petenti librum baptizatorum exhibuit ad effectum recognoscendi ætatem rei inquisiti de delicto, quod mortem meretur, et subiturus credatur; *S. C. C. in Lycien. 10. Dec.* 1661. apud Monacell. *loc. cit. n. 36.*

48 Irregularis est, qui inquisitus de homicidio sustinuit torturam, indicia diluit, et fuit absolutus, quia si de delicto remanet fama, non debet promoveri, cum remaneat infamia facti: *Sac. Cong. Conc. in Novarien. 1. Octob.* 1661. apud Monacell. *loc. cit. num. 37.* et apud Pignatell. *tom. 2. consult. 19.*

49 Si autem de homicidio inculpatus tanquam non repertus culpabilis fuisset absolutus, non esset irregularis; *Ead. S. C. 8. Julii* 1684. apud Monac. *cit. n. 37.*

50 Irregulares non sunt filii, et nepotes Hæreticorum, quorum patres, et patruos constat emendatos esse: *S. C. C. 26. Sept.* 1591. apud Monacell. *cit. n. 37.*

51 Et Irregularem non esse eum, qui natus est a parentibus Hæreticis, si parentes fidem Catholicam amplexi sint, rescripsit *Ead. Sac. Cong. Conc. in Romana 21. Maii* 1718. *ad 2. dub.* apud Thesaurum *resolutionum Sac. Cong. Concil. in Decr. d. anni.*

52 Nec irregularem esse eum, qui in infantili ætate Baptismum receperit ab Hæreticis, respondit *Ead. Sac. Cong. in d. Rom. ad 1. dub.* apud dictum Thesaurum *ibid.*

53 Irregularitatem contraxit, qui contra fures clamavit, & isti capti fuerunt capite damnati; *Sac. Cong. Concil. in Casalen. Irregularitatis 24. Sept.* 1718. apud cit. Thesaurum *in Decretis dicti anni.*

54 Irregularis est, qui causam dedit rixæ, ex qua sequutum fuit homicidium; *Sac. Cong. Concil. in Caputaquen. 24. Martii* 1725. *ad 2. dub.* apud cit. Thesaurum *in Decretis dicti anni.*

Irregularitatis, qua laborat Sacerdos non valens Sacram 55
Hostiam, & sanguinem sumere, nisi auxilio manus sinistræ, dispensatio remissa fuit arbitrio Episcopi; *Sac. Cong. Concil. in Consentina 13. Julii* 1725. apud cit. Thesaurum *in Decretis dicti anni.*

Non est irregularis, qui percussit gladio, vel virga aliquem 56
in oculo, cujus virtutem debilitavit, adeo ut lucis radios obscure percipiat; *S. C. C. in Feretrana 4. Maii* 1705. apud Monac. *tom. 4. supplem. ad 3. tom. n. 11.*

Neophyti, nempe qui ex Lege Judaica, Mahumetica, 57
vel Ethnica nuper conversi, quamvis tanquam irregulares non sint promovendi ad Ordines ex dictis supra *sub num. 12. vers. Ex defectu animæ*; Tamen si baptizati fuissent ab infantia, *vel* post transactum notabile tempus a die suscepti Baptismi judicio, & arbitrio Episcopi reperiantur in rebus Fidei bene instructi, & stabiles, cum tunc non dicantur proprie Neophyti, cessat Irregularitas; *cap. Eam te 7. de rescriptis*, Panimol. *decis. 89. adnot. 1. num. 4.* cum aliis ibi allegatis, ubi recte ex Bonac. Corrad. & Sayro subdit, quod veri Neophyti dispensandi sunt a Summo Pontifice.

Irregulares non sunt filii nati ex Matrimonio contracto cum 58
impedimento affinitatis cum mala fide patris, & bona fide matris; nam isti sunt legitimi; *Sacr. Congr. Concil. in Tornacen. 24. Maii* 1684. *lib. 31. Decret. fol.* 400. apud Monacell. *cit. num. 37.*

Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassum- 59
ptionem habitus Clericalis, & Episcopus procedat prout de jure; Sic respondit *Sac. Cong. Immunit. in una Civitatis Ducalis 10. Martii 1699.* apud Riccium *in Synopsi verb. Habitus num. 1.*

Novæ additiones ex aliena manu.

TAmetsi in *cap. 18. de sentent. excommunicat. in 6.* di- 1
sertis verbis statutum sit, Irregularitatem non incurri, nisi in *casibus in jure expressis*; nihilo tamen minus disputare 2
de eo solent Theologi, præsertim Scholastici; an possit Judex pœna Irregularitatis punire Reum delicti, cui a jure non est adnexa Irregularitas; Vide *affirmantes*, tum *negantes* apud *Hurtad. de Irregularitat. disput. 1. difficult. 6. numer. 24.* qui tamen *in negantium* ivit sententiam, & quidem recte.

Cæterum, quod dicitur non incurri Irregularitatem, nisi 3
in casibus in jure expressis, id intelligi debet de casu, quo non constat, an delictum, vel defectus adnexam habeat Irregularitatem. At si constet delictum, de quo agitur, Irregularitatem habere adnexam, dubium vero sit, num quis delictum 4
illud patraverit, eo casu propter dubium incurræ Irregularitatis, tenetur se pro Irregulari gerere; *Vanesp. jur. Eccles. Univer. part. 2. tit. 10. cap. 1. num. 7.*, *Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canonicor. verb. Irregularitas section. 1. num. 2.*

Ne autem in errores incidamus, duo hic necessario sunt 5
monenda. Primum est, quod solummodo *in dubio* homicidii incurratur Irregularitas: idque quia *cum nulla contrahatur Irregularitas*, (ut recte ait *Giballin. de Irregularit. cap. 4. conject. 3. num. 21. in fine*) *nisi in casibus in jure expressis, & nullibi jus dicat in dubio facti incurri Irregularitatem, præterquam in casu homicidii modo hactenus explicato, certum esse debet nullam aliam Irregularitatem, quam homicidii in dubio contrahi.*

Alterum est, quod in ipso casu homicidii, non aliter in- 6
curratur Irregularitas, quam si ipsum homicidium certum sit, dubiumque solummodo sit de persona committente, ut est *casus* Text. *in cap. 12. de homicid., & cap. 5. de cleric. excommunic. administr.*

Verum, si de homicidio dubitetur, an commissum ipsum 7
sit, minime incurritur Irregularitas, *Giballin. de Irregularit. cap. 4. conject. 3. num. 17. & plur. sequent.*

Dividitur Irregularitas, si spectes effectus, in totalem, 8
qua quis privatur omnium Ordinum usu, qualis est ea, quæ homicidio nascitur, & partialem, qua usus solummodo adimitur alicujus Ordinis, ut evenit in ea, quæ proficiscitur a cœcitate, propter quam Sacerdos removetur a sacrificio, non item a pœnitentiæ administratione.

At si causas perpendas, dividitur Irregularitas in eam, 9
quæ oritur ex delicto, & eam, quæ oritur ex defectu. Notabile vero est discrimen unam inter, & alteram Irregularitatem. Irregularitas enim, quæ nascitur ex defectu, in- 10
cur-

curritur, licet defectus ille sine ulla culpa patientis evene- 11
rit. At Irregularitas, quæ nascitur ex delicto, non aliter incurritur, quam si delictum illud imputari queat ei, qui illud commisit. *Confer Hurtad. de Irregularit. disp. 1. difficul. 8. num. 27.*

Habet utraque Irregularitas varias sub se species. Singulas 12
pro dignitate explicare haud est mei instituti. De iis secundum Ecclesiæ disciplinam, tum antiquam, tum novam optime, præ aliis, differunt *Vanespen. Juris. Eccl. Univers. part. 2. tit. 10. per tot. Rousseaud de la Combe in sua Jurisprud. Canonic. verb. Irregul. pariter per tot.*

Hic vero haud est omittendum, *Auctorem nostrum* sæpe 13
in hoc articulo Irregulares eos pronunciare, quos sacri Canones Irregulares non declararunt, sed tantummodo minime
14 decet ad Ordines promovere. Tales sunt plures ex iis, de quibus verba facit *num. 12.* & præsertim *versic. Octavo*, ut
15 patet ex iis, quæ habet *Giballin. de Irregularit. cap. 5. quæ proposit. 3.* ibi: *Deinde aliquando contrahitur infamia sine ullo peccato proprio, aut alieno, ut propter vilis alicujus artis exercitium, aut matrimonium cum meretrice, aut scænica, ex qua tamen infamia nulla contrahitur Irregularitas, nisi peculiari jure sit expressa, sed fortassis aliqua prohibitio ordinandi viles hujusmodi personas, quandiu eas artes exerceant.*

16 Patet hinc, quod personæ illæ viles, quas *Auctor* Irregulares pronunciat, ut ad Ordines promoveantur dispensatione haud indigent.

ARTICULUS II.

Irregularitas quoad ejus effectus.

1 IRregularitatis effectus sunt specialiter tres. Primus est inhabilitas, seu impedimentum ad licite primam Tonsuram, & Ordines suscipiendos; *cap. Curandum 6. dist. 34. & cap. Ultimo de tempor. Ordinat.* Unde si stante Irregularitate
2 recipiantur Sacramenta, peccatur quidem mortaliter, sed valide recipiuntur, & recipiens solum privatur usu, ut tenet Suarez *disp. 40. sect. 1. n. 2.* Sayr. *de Censuris lib. 6. cap. 1. n. 25.* & est communis Theologorum, & Canonistarum opinio.
3 Secundus effectus est inhabilitas, seu impedimentum ad exercendum quoscumque Ordines, si sit totalis; vel alicujus tantum, si sit partialis *cap. final. de tempor. Ordinat. cap. Ad audientiam. de homicidio*; & si durante Irregularitate Ordines administrentur, valide administrantur, sed graviter peccatur ab Irregulari, ut tenet Innocentius *in cap. Si celebrec, de Clerico excommun. ministrante n. 3.* Cardinalis *in Clement. unic. de homicidio*, & alii communiter. Possunt ta-
4 men Irregulares recipere licite omnia alia Sacramenta, excepto Ordine, & sic ablolvi a peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, quia Irregularitas non habet oppositionem cum absolutione a peccatis, & cum aliis Sacramentis ab Ordine, cum solum privet susceptione Ordinum, & exercitio ipsorum, non autem receptione Sacramentorum. Sic Innocentius *in cap. Nisi cum pridem §. Personæ, de renunt. n. 3.* Cardinalis *in Clementin. Dudum §. Ac deinde qu. 8. de sepult.* & communiter Summistæ *in verb. Irregularitas*, & Canonistæ *in cap. Ul-*
5 *timo, de tempore Ordination.* Possunt etiam Irregulares licite exercere quoscumque actus sacros, qui non sunt Ordinum, ut Missæ privatæ ad modum Laici deservire, Baptismum sine solemnitate, & privatim conferre, urgente necessitate, privatim Officium Divinum recitare, conciones habere, immo etiam in Choro licite canere, & psallere ad modum Laici, ut tenet Covarruvias *in Clementina Dudum part. 1. §. 1.*
6 Suarez *disp. 40. sect. 2. num. 11.* & alii communiter. Tertius effectus est inhabilitas seu impedimentum ad Beneficia recipienda, *cap. Dudum 12. de electione, cap. final. de Cleric. duell.* cum enim Beneficium detur propter officium; *cap. final. de rescrip. in 6.* & irregularis Officii Divini capax non sit quatenus illud nequit exercere, sequitur evidenter, ipsum
7 Beneficium obtinere non posse, *arg. cap. final. de Cleric. excomm. ministr.* Quamvis autem Irregularitas inhabilitet ad Beneficia obtinenda, non inhabilitat tamen ad Beneficia antecedenter canonice obtenta retinenda; nullibi enim reperitur in Jure, quod per Irregularitatem ipso facto inducatur privatio Beneficiorum antea canonice obtentorum, immo potius deducitur, quod non sequatur, nisi per Judicis sententiam, ut colligitur *ex cap. Ex litteris, de excessibus Prælatorum.*

Novæ additiones ex aliena manu.

IRregularitas beneficiis jam obtentis regulariter haud pri- 1
vat; inhabilem vero reddit irregularem ad alia obtinenda; difficile vero haud est rationem reddere, cur Irregularitas Beneficiis jam obtentis haud privet. Id ex eo provenit, 2
quod juxta novam Ecclesiæ disciplinam Beneficia, & Ordines eorumque functiones sint plane disparata, neque Ordo supponit Beneficium, ipsumque Beneficium sine Ordinum usu haberi, & retineri valet; *Vanespen. Jur. Eccles. univers. part. 2. tit. 10. cap. 1. Rousseaud. de la Combe in sua Jurisprudentia Canonica verb. Irregularitas sect. 1.*

Dixi *regulariter*; nam Irregularitas ex homicidio per Assas- 3
sinos perpetrato privat etiam Beneficiis jam obtentis; *cap. 1. de homicid. in 6.*

De collatione vero Beneficii Irregulari facta, utrum irri- 4
ta ipso jure sit, an potius sit irritanda non conveniunt inter se Doctores. Confer *Hurtad. de Irregularit. disput. 1. dif-*
fic. 5. num. 20. & seq. At Sacrum Tribunal Rotæ collatio- 5
nem illam irritam esse ipso jure tenet, ita ut possit Beneficium alteri conferri; Vide ejus decisiones *in Turritana Canonicatus 10. Decembris* 1723. *& 19. Junii* 1724. *coram bon. mem. Patto inter mpress. decis. 104.* ubi de irregularitate ex homicidio late disseritur.

ARTICULUS III.

Irregularitas quoad ejus dissolutionem, & dispensationem.

IRregularitas dissolvitur, & tollitur quatuor modis. Primo, 1
per cessationem, vel ablationem causæ, qui modus intervenit in irregularitate ex defectu; cessante enim defectu corporis, vel defectu ætatis, tollitur irregularitas; *arg. cap. ultimo. de temporibus Ordination. cap. Neophytus dist. 61.* & in-
obligato ad publica ratiocinia statim ac ab ipso sunt redditæ 2
rationes, cessat irregularitas, *arg. cap. Unico, de obligatis ad ratiocinia.* Secundo, per Baptismum, & per hunc tolluntur Irregularitates ex delicto, uti homicidii, mutilationis &c. *argum. cap. Si quis viduam dist. 50.* Non tamen tollitur per Baptismum Irregularitas orta ex Bigamia, ut inter alios te-
net Divus Ambrosius *lib. 3. epist. 25.* Divus Augustinus *lib.* 3
de bon. conjug. c. 18. & expresse habetur *in cap. Acutius dist. 36.* Tertio, per Professionem religiosam; per hanc enim tollitur Irregularitas orta ex defectu natalium quoad Ordines 4
suscipiendos, non tamen quo ad Dignitates, & Prælaturas, ut expresse habetur *cap. 1. de Filiis Presbyterorum.* Quarto, per dispensationem, & per hanc Papa potest tollere quas- 5
cumque Irregularitates, sive ex delicto, sive ex defectu provenientes: Papa enim potest dispensare in omni Jure Eccle-
siastico. *Clement. Ne Romani, in principio, de electione,* 6
cap. Sunt quidam 6. caus. 25. q. 1. cap. Propositis 4. de concess. Præb. Archiepiscopi in actu visitationis, & in causis appellationis virtute Concilii mox citandi possunt dispensare in Irregularitate occulta Subditos suorum Suffraganeorum; tunc enim fiunt sui subditi ratione visitationis, & appellationis, 7
ut cum plurimis tenet Barbosa *de Offic. & potest. Episcopo part. 2. allegat. 3. n. 10.*

Episcopi dispensare possunt cum suis subditis, & in sua 8
Diœcesi in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, & ex animo patrato, & aliis deductis ad forum contentiosum, ex Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6.* ubi habet: „ Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, &
„ suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis
„ aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare. Et in
„ quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostol. reser-
„ vatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Dioecesi
„ sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputan-
„ dum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita poeni-
„ tentia salutari „. Hinc possunt dispensare in Irregularita-
te ex homicidio occulto patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia hujusmodi homicidium volitum causa defensionis, non comprehenditur sub homicidio voluntario; immo potius licet non sit mere necessa-

rium, necessarii tamen vim habet, quatenus sit causa vitandæ mortis, ut cum multis tenet Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 39. num. 53. & 54.* Possunt etiam
9 dispensare in Irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, cum hæc in jure non sit excepta, & in iis, quæ concernunt rigorem, non fit faciendæ extensio de casu ad casum; *arg. cap. Odia restringi 15. de regulis juris in 6.*

Probabilius tamen non possunt dispensare in Irregularita-
10 te contracta ex Hæresi occulta, ut colligitur *ex cap. Cum illorum 32. de sent. Excomm.* ubi habetur, quod Episcopi non habent facultatem dispensandi in illis casibus, in quibus non habent facultatem absolvendi; sed hodie per Bullam Coenæ est abrogata Episcopis facultas absolvendi a crimine occulto Hæresis, cum derogatione etiam Concilii Trid., ut sæpius declaravit *Sacra Congregatio*, cum Bulla dicat expresse, & aperte, *ac cujusvis Concilii decreta*, ergo etiam intelligitur ipsis abrogata facultas dispensandi in Irregularitate ab illo proveniente; Vide verb. *Absolvere art. 9. n. 3. & 4.*

Circa Irregularitates autem provenientes ex defectu Epi-
11 scopi possunt dispensare etiam quoad ascensum ad Sacros Ordines in sola Irregularitate proveniente ex Bigamia similitudinaria, ut tenet Communis *ex cap. Sane, de Clericis conjugatis, & cap. 1. Qui Clericis, vel voventes*. In Irregularitate autem orta ex Bigamia vera, & interpretativa non possunt, ut tenent Hostiensis, Præpositus, Panormitanus,
12 & alii passim, & colligitur *ex cap. Super eo, & cap. Nuper, de Bigamis*, & ex declaratione Sacræ Congr. apud Fagnan. *lib. 1. decretal cap. Quoniam 13. de Constit. n. 32.*

Capitulum, Sede vacante, probabilius eamdem habet potestatem dispensandi, & absolvendi concessam Episcopis a
13 Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6.* Nam licet illa facultas videatur concessa Episcopis jure speciali, tamen competit ei jure communi, & jurisdictione ordinaria ei tributa, & sic tenent Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. p. 2. allegat. 39. n. 16.* Pirhing., Anaclet., Piasec., Sanchez, Ventrigl., & plurimi alii apud Barbosa *l. cit.*

Prælati inferiores Episcopis Jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, quamvis habeant proprium Territorium, &
14 Subditos, non gaudent prædicta facultate dispensandi, & absolvendi concessa Episcopis a Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. cap. 6.* quia Concilium in hac parte derogat juri communi, adeoque potius strictè interpretandum, ut nomine Episcopi velit intelligendos esse secundum propriam significationem hujus nominis, illos solum, qui verè, & propriè sunt Episcopi, & de facto sic decrevit Sac. Congreg. Concilii, a qua, cum in specie quæsitum esset: *An facultate concessa Episcopis a Decreto Concilii sess. 24. cap. 6. etiam inferioribus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus in locis suæ jurisdictionis uti liceat? die 9. Decembris 1582. Sacra Congregatio censuit non licere*, & cum Abbas Aquisaneten. Jurisdictionem quasi Episcopalem habens in subditos declarari petiisset: *An facultas tributa Episcopis a Concilio Tridentino cap. 6. sess. 24. ipsum comprehenderet; Sacra Congregatio censuit non comprehendere*, ut tenet, & refert Fagnanus in *cap. Cum illorum, de sent. excomm. sub num. 33.* Suarez *disput. 41. sect. 2. num. 7.*, & cum plurimis Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part. 2. alleg. 39 num. 17.* Et Pignatell. *tom. 6. consult. 99. num. 32.* qui *num. 33.* subdit, ne quidem posse vi
15 hujus facultatis Tridentini ex declaratione Gregorii XIII. dispensare Cardinales in Ecclesiis sui tituli, quia licet habeant ibi quasi Episcopalem Jurisdictionem, ibi tamen non sunt vere, ac proprie Episcopi quoad facultates concessas Episcopis a Concilio, ut, approbante Pontifice, interpretata est Sacra Congregatio. Præscindendo autem ab illis facultatibus hic a Concilio concessis Episcopis, salva remanet
16 plena Jurisdictio Cardinalium in suis Titulis, prout Doctores illis attribuunt in *cap. His quæ, de major. & obed.* ibique Fagnan. *num. 16.*

17 Prælati Regulares, licet a Tridentin. non habeant facultatem dispensandi concessam Episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum Pontificum & præcipue S. Pii V. qui Constit. incipient. *Romani Pontificis*, indulsit Prælatis Ordinis Prædicatorum (cum quibus communicant alii Regulares) ut sequitur: *Et insuper, quia Oecumenicum Generale Trident. Concil. concessit Episcopis, ut absolvere possint in foro animæ, seu conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in Irregularitatibus, prout sess. 24. caput. 6. habetur; Ne prior Conventualis, & Superiores Prælati dicti totius Ordinis, tam in dicta Provincia, quam extra eam ubilibet deteriori conditionis, quam Clerici, aut sæculares existant, eidem Priori Conventuali, & Superioribus Prælatis, ut ipsi per se ipsos idem omnino possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subditos, tam quoad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quam alias quascumque facultates eisdem auctoritate, & tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus*, adeoque per hanc concessionem possunt dispensare cum suis subditis in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, & etiam dispensare possunt in Irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, uti dictum est de Episcopis.

Ampliſſimum privilegium dispensandi in omnibus Irregu- 18
laritatibus ex delicto, & etiam ex defectu, & ex quavis causa, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum concessit Prælatis Ordinis Minorum Sixtus IV. in Bulla Maris magni incip. *Regimini*, ut etiam in Bullis Maris magni aliorum Mendicantium reperitur concessum, & signanter Præpositis Generalibus Societatis Jesu dispensandi, tam per se, quam per alios a Paulo III. 18. Octobr. 1549. Constitut. incip. *Licet debitum*, & omnibus aliis Ordinibus ab iisdem, & aliis variis Pontificibus, sed iitis omnibus omissis, brevitatis gratia, unum pro omnibus placet referre ampliſſimum concessum a S. Pio V. Cassinensibus *idibus Julii 1571.* Constitut. 129. inc. *Dum ad Congregationem Cassinensem*, in qua concedit Abbatibus, & Prælatis ejusdem Congregat., cum qua communicant alii Regulares, ut suos subditos, etiam Novitios in Religione perseverantes ab omnibus casibus, & Censuris etiam in Bulla Coenæ contentis absolvere possint, & cum eisdem dispensare in omnibus Irregularitatibus quomodocumque contractis, & pro foro conscientiæ etiam in Irregularitate contracta ex homicidio voluntario, dummodo non sit commissum post ingressum in Religionem, & eos habilitare, ut possint ad quascumque Prælaturas suæ Congregationis eligi, & assumi, & eas libere, & licite retinere, & quæcumque Ordinis Officia exercere, etiamsi Irregularitatem contraxerint ante eorum promotionem. Nec hoc privilegium videtur revocatum per Concil. 19
Tridentinum, cum fuerit concessum post idem Concilium, cum clausula derogatoria quorumcumque Conciliorum. Vide verb. Absolutio, art. 1. a num. 29. ad 40. & verb. Prælatus Regularis a num. 14. ad 35.

Verum tamen est, quod istæ tam amplæ facultates non 20
sunt de facile deducendæ ad praxim. Imo per Lexanam *in Summ. tom. 1. cap. 18. num. 42. & tom. 5. comment. in Mare magnum Minor. num. 141.* Mirandam, Absens. Matheucc., Felic. Potest., & alios graves Doctores nequeunt Prælati Regulares dispensare cum suis subditis amentibus, furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, cum absemiis, deformiter gibbosis, notabiliter claudis, & gallico morbo affectis, cum habentibus manus tremulas, ut sit effusionis periculum, & similibus, quia a generalibus illis facultatibus dispensandi intelliguntur exclusæ omnes, & singulæ Irregularitates, quæ procedunt ex aliquo enormi corporis, vel etiam animi vitio, & defectu ex quo posset generari scandalum in fidelibus videntibus celebrare eum, qui præfatis esset affectus; cum enim sint casus specialissimi, credendum est, Pontificem non voluisse illos comprehendere in generalibus concessionibus juxta Regulam 81. *Juris in 6. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, Tanto magis, quod in similibus irregularitatibus, quotidie videmus ab omnibus fieri recursum ad Sedem Apostolicam, a qua etiam non tam de facili omnibus tales dispensationes conceduntur.

Forma verborum, sub qua irregularitas dispensari & tolli 21
debet, nulla reperitur distincte præscripta; poterit tamen inservire hæc sequens, vel alia consimilis: *Dispenso tecum super Irregularitate, quam contraxisti ob hanc causam, & te habilem declaro ad suscipiendum, vel exequendum Ordinem, & restituto te ad legitimos actus. In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Si vero dubitetur an quis Irregularitatem incurrerit, nec ne? Dicitur sub conditione; *Dispenso tecum in Irregularitate, si forte incurristi ob hanc causam, & te habilem declaro &c.* ut supra. Sic enim docent communiter Doctores.

* Major Pœnitentiarius in casibus occultis & pro foro con- 22
scientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocumque delicto, vel defectu proveniente, tam cum Laicis, quam cum Ecclesiasticis, vel sæcularibus, vel regularibus ad hoc, ut possint initiari Ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates etiam Cathedrales, & quæcumque Beneficia Ecclesiastica quandocumque ante dispensationes alioquin canonice obtenta retinere; nec non ut hujusmodi Beneficia, & dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis) etiam per delictum assequi valeant. Bened. XIV. Constitut. 95. tom. 1. incip. *Pastor Bonus* §. 15.

23 Ubi additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcumque officia & Beneficia regularia adscendere valeant, excepto tamen Ordinis *Generalatu* in irregularitate ex defectu natalium. *Ibidem* §. 31. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis, in publicis vero in utroque foro, auditis tamen superioribus *Ibid.* §. 32.

24 In dispensationibus, quæ dantur pro irregularitate filiorum illegitime natorum apponi solet clausula: *dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit*: ex quo fit, ut Episcopus debeat inquirere in illum, & quærere numquid per decennium moribus integrum se præbuerit; & si toto decennio *nihil* indignum admisisse compererit, potest cum illo executioni mandare dispensationem, etiamsi ante decennium incontinentiæ nomine suspectus fuisset, ut ex Decretis S. Congreg. *De Synodo Diœcesi. lib. 13. cap. 24. §. 22. nov. edit.* *

Novæ additiones ex aliena manu.

1 FAllitur *Auctor* dum *num.* 17. sentit privilegium concessum aliquibus Religionibus dispensandi super quibusdam Irregularitatibus venire sub generali privilegiorum communicatione. Accuratissimus *P. Giraldi Scholorum Piarum in addit. ad Malosch. tom. 2. lib. 5. titul. 12. num. 50.* refert decretum S. Congregationis Concilii interpretis, quo dictum fuit, privilegium hoc minime communicari.

2 Idque attento mox dicto decreto procedit etiamsi agatur de communicatione privilegiorum cum clausula: *Pariformiter & æque principaliter perinde, ac si in specie eis concessa fuissent.*

JUBILÆUM.

Articulus I.

Jubilæum quoad ea, quæ concernunt ejus etymologiam, naturam, & divisionem.

1 HOc nomen *Jubilæum*, *Jubileum*, *Jubilæus*, *Joboleum*, *Jobilæum* ab aliis, atque aliis teste Gobat *in Quinario cap. 1. de Jubilæi natura num. 1.* sic diversimode scriptum significabat apud Hæbreos annum remissionis quolibet quinquagesimo recurrentem, quo scilicet cuilibet suæ possessiones, domus, agri, vineæ, & alia hujusmodi, quæ per hypothecam, venditione &c. a se alienaverat, item mancipia suæ libertati sine aliquo pretio restituebantur, quo etiam anno terra non colebatur, sed vescebantur Judæi iis, quæ partim ex præteritis annis collegerant, & partim illo anno terra ipsa sine ulla cultura sponte producebat, quod totum clare patet *Levitici 25.* ubi inter alia *sub num. 10. & 11.* impositum fuit Hebræis hoc speciale præceptum: *Sanctificabis Annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus Terræ, ipse est enim Jubilæus; revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redibit ad Familiam pristinam, quia Jubilæus est, & quinquagesimus Annus.* Hoc nomen putant Liranus, & Turrecremata apud
2 Navarrum *tom. 3. comment. de Jubilæo, & Indulgentiis not. 1. num. 2.* derivari a voce Hebræa *Jobel*, quæ Buccinam sonat; Buccinæ enim sonitu Jubilæus indicabatur; Alii tamen dicunt, quod *Jobel* significat *Quinquagesimum*. Unde potius dici deberet *Jobelæus*, quam *Jubilæus*. Alii vero cum Bellarmino *de Indulgent. lib. 1. cap. 1. dub. 1.* dicunt derivari a verbo Hæbræo *Jubal*, quod significat producere, seu germinare, quia illo anno quinquagesimo, ut dictum est, terra sine cultura de se fructus producebat.

Hinc ex quo Dominus Noster Jesus Christus non venit sol- 3
vere Legem, sed spiritualiter adimplere ad similitudinem antiqui Ritus, utpote futurorum præfigurativi, in Ecclesia Catholica altiori quadam ratione institutus fuit *Annus Jubilæus, seu Jubilæi*, communiter appellatus *Annus Sanctus*, eo quod ipso Anno plenissima peccatorum remissio, seu Indulgentia sit concessa, & ad eam lucrandam sanctissima pietatis opera a fidelibus certatim edantur, ut notat Gobat *loc. citat. num. 2.* Sanctarell. *loc. cit. dub. 2.* & alii passim. Unde annus Jubilæi solet a Theologis sic describi: *Annus, quo* 4
visitantibus certas Ecclesias, & certa pia opera facientibus Indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa absolutionem a peccatis, & Censuris reservatis, & circa commutatione votorum. Et circa hanc Annum Jubilæi, quamvis aliqui, ut notat Viva *de Jubilæo quæst. 1. art. 1. num. 3.* dixerint, quod Annus Sanctus vocari debeat *Jubilæus*; Remissio vero, & Indulgentia *Jubilæum*, Sanchez tamen docet indifferenter utrumque vocari & *Jubilæus*, & *Jubilæum*.

Jubilæum est triplex, scilicet *Romanum*, quod Romæ An- 5
no Sancto celebratur. *Compostellanum*, quod ex concessione Alexandri III. ut refert Gobat *loc. cit. n. 2.* habetur Compostellæ toto illo anno, quo S. Jacobi Apostoli Festum incidit in diem Dominicum: & *Extraordinarium*, quod extra Annum Sanctum ob gravem aliquam causam indici solet. Et 6
Jubilæum ut sic hæc tria Jubilæa complectens recte describitur dicendo, quod sit *Indultum Pontificis, Indulgentiam plenariam, & magna privilegia tribuens, certa opera in Brevi præscripta præstantibus. Est in re communis.*

Jubilæum Romanum, seu Jubilæum Anni Sancti quando 7
incœperit? A quo primo Institutum? Intra quod temporis recurrat? quibus ritibus indicetur, inchoetur, & terminetur? qua die, & hora incipiat, & desinat? quæ Basilicæ, & quoties visitandæ pro ipso Jubilæo lucrando? Vide Verb. *Annus Sanctus per totum.*

Durante Anno Sancto suspenduntur omnes Indulgentiæ 8
plenariæ concessæ pro vivis. *Communis*, & hoc clare constat ex fine suspensionis, qui est, ne usu Indulgentiarum impediatur accessus ad Urbem, ut exprimitur *in Extravagant. Quemadmodum, de Pœnit. & remiss.* Non suspenduntur ta- 9
men Indulgentiæ Altarium privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ Indulgentiæ plenariæ concessæ pro mortuis, & pro moribundis, seu constitutis in articulo mortis; sic tenent Gavantus, Peyrinus, Lezana, La Croix *l. 6. p. 2. n. 1401.* Reiffenst. *Theolog. Moral. tract. 12. dist. 3. n. m. 90. & 100.* Felix Potestas *tom. 1. n. 3834.* Viva *de Jubilæo quæst. 4. art. 4.* & alii passim referentes sic declarasse Urbanum VIII. Innocent. X. & Clement. X. qui ultimus cum in sua Notificatione infra *sub num. 28.* adducenda dicat *Declaramus*, valet hoc etiam pro futuro tempore, ut recte notat La Croix *l. cit.*

Neque suspenduntur Indulgentiæ concessæ Domui Augu- 10
stissimæ Lauretanæ, ut declaravit Gregorius XIII. teste Benzonio, *l. 4. cap. 7.* & viva *loc. cit. quæst. 4. art. 1. num. 3.* Nec suspenduntur Indulgentiæ Compostellanæ ex declara- 11
tione Sixti V. ut refert, & tenet Viva *loc. cit. num. 3.* Castropal. *tract. 24. punct. 12. num. 8.* La Croix *loc. cit. n. 1401.* & alii. Nec suspenditur Indulgentia Portiunculæ Assisii, ut de- 12
clararunt varii Summi Pontifices, & signanter Innocentius X. 5. *Jul. 1650.* Clemens X. 12. *Nov. 1664.* & Innocentius XII. 21. *Aug. 1699.* in suo Brevi per extensum adducto sub verb. *Indulgentia art. 5. num. 55.* In aliis vero Ecclesiis Franciscani Ordinis non suspenditur talis Indulgentia Anno Sancto pro vivis, minime pro Defunctis. Felix Potestas *tom. 1. part. 4. num. 3796.* & alii. Cum enim talis Indulgentia sit extensa ad omnes Ecclesias Ordinis ubique existentes a Gregorio XV. Const. incip. *Splendor paternæ*, ad litteram adducta sub verb. *Indulgentia art. 5. num. 51.* & posse applicari etiam pro Defunctis fuerit concessum ab Innocentio XI. Const. incip. *Alias* per extensum adducta sub dict. verb. *Indulgentia art. 5. num. 52.* & supra *sub num. 9.* fuerit ostensum non suspendi Anno Sancto Indulgentias concessas pro Defunctis, stat clarum, dictam Indulgentiam suspendi tali Anno in aliis Ecclesiis Ordinis solum pro vivis, & minime pro Defunctis.

Anno Sancto non suspenduntur probabiliter Indulgentiæ 13
Bullæ Cruciatæ, quia sunt per modum contractus. Ita Salas, Bonacina, Henriquez, Sanchez, La Croix *loc. cit. num. 1401.* Viva *loc. cit. art. 3. n. 1.* ubi ex Rodiquez apud Dianam *p. 1. tract. 3. resol. 97.* refert sic declarasse Clementem VIII. Nec suspenduntur probabilius Indulgentiæ non plenariæ concessæ 14

a Sum-

a Summis Pontificibus; Ita Filliucius, Gobat, Lezana, Castropalaus, Dicastill. Quintanadven., Faustus, Peyrinus, Benzonius, cum La Croix *loc. cit. n.* 1401. Viva *loc. cit. q.* 4. *art.* 1. *num.* 2. & alii plures. Et ratio est, quia plurimi Pontifices in suis Bullis Jubilæi Anni Sancti, ut Clemens VI. Julius III. Gregorius XIII. & alii, & præsertim Sixtus IV. *in Extravagant. Quæmadmodum, de pœnitent. & remiss.* solum suspenderunt Indulgentias plenarias. Unde si voluissent suspendere etiam non plenarias, eas expressissent, *arg. cap. Inter corporalia, de translat. Episcop.* Nec obstat, quod posteriores Pontifices non exprimant *Plenarias*, sed exprimant *omnes & singulas Indulgentias*, quia quidquid in posteriori Lege non fuerit expressum, id veterum legum, Constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est, *l. Præcipimus, Cod. de Appel.* Tum quia, quando quid aliud non exprimitur, suspensio ista accipi debet juxta Jus commune; De Jure autem communi solum plenariæ suspenduntur, ut constat *ex cit. Extravagante Quemadmodum*, quæ tamquam inserta in corpore Juris facit Jus commune, adeoque &c. (a)

15 Certum autem est, quod Anno Sancto non suspenduntur Indulgentiæ non plenariæ concessæ ab aliis, quam a Summis Pontificibus, quia alii etiam durante Anno Sancto concedere possunt Indulgentias partiales suæ facultati competentes, & Pontifices in suis Bullis suspendunt solum Indulgentias, quæ sunt concessæ a Romanis Pontificibus, & id expresse declaravit Innocentius XII. in Notificatione infra referenda *sub num.* 29. & tenent Bellegambe *in Enchir. de Jubilæo p.* 1. *sect.* 4. *q.* 2. Viva *loc. cit. art.* 1. La Croix *loc. cit. n.* 1401.

16 Reiffenstuel *loc. cit. num.* 103. & alii passim. Nec suspenduntur Indulgentiæ Stationum, & aliæ Indulgentiæ concessæ Basilicis & Ecclesiis Romanis. Filliucius, Lezana, Gobat cum Viva *loc. cit. art.* 1. *n.* 2. & patet ex Notificatione Clementis X. infra adducenda *sub num.* 28.

17 Anno Sancto non suspenduntur facultates absolvendi a reservatis Papæ concessæ ad alium finem, quam lucrandi Indulgentias, ut declararunt Clemens, & Urbanus VIII. ut refert Viva *loc. cit. qu. est.* 4. *art. ultimo num.* 1. & tradunt Doctores cum ipso Viva, & Bellegambe *loc. cit. quæst.* 4. Hinc

18 non suspenduntur Anno Jubilei privilegia Regularium in ordine ad absolvendum pœnitentes a reservatis Sedi Apostolicæ, & commutandi Vota. *Sic Communis Doctorum* cum Bossio, Leandro, Henriquez, Fausto, Filliucio, La Croix, Viva *loc. cit. art. ultimo num.* 2. & sic declarasse Urbanum VIII. anno 1625. refert ex multis Busemb. §. 2. *de Indulgentiis*. Et ratio est, quia, ut mox fuit dictum, Anno Sancto suspenduntur solum facultates concessæ intuitu Indulgentiarum, Facultates autem, & privilegia Regularium non

19 sunt concessa intuitu, & occasione Indulgentiarum, adeoque &c. Nec suspenditur facultas, quam habent Episcopi, & alii Prælati eligendi sibi Confessarium, a quo absolvantur. Talis enim facultas non est concessa intuitu indulgentiarum. La

20 Croix *loc. cit. n.* 1403: Viva *loc. cit. art. ultimo num.* 3. & alii passim. Nec etiam suspenditur facultas, quam habent Episcopi ex Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. absolvendi ab occultis Papæ reservatis, & dispensandi in Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis ad forum contentiosum, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut absolvendi impeditos adire Sedem Apostolicam, talis enim facultas competit Episcopis ratione proprii

21 Officii, & de jure communi, adeoque non suspenditur tali anno. Sicuti neque suspenditur facultas, quam habent Prælati Regulares ratione proprii Officii in Ordine ad absolvendos suos subditos; talis enim facultas non est eis concessa intuitu Indulgentiarum, La Croix *loc. cit. n.* 1430. Viva *loc. cit. art. ultimo num.* 4. Busemb. *loc. cit.* Zerola verb. *Annus Sanctus* §. 4. & alii passim.

22 Suspensio Indulgentiarum, & facultatum in Anno Sancto incipit a primis Vesperis Nativitatis Domini N. Jesu Christi, & desinit cum fine Vesperarum ejusdem Vigiliæ anni sequentis, tuncque revivisunt absque nova concessione. Castropalaus *tract.* 24. *punct.* 12. §. 1. La Croix *loc. cit. num.* 1405. & alii passim. Ad Jubilæum (b) Anni Sancti requiri solet

23 Confessio: An autem exigatur etiam Communio? dubitant Doctores, quia Bulla non exprimit. Unde la Croix *loc. cit. num.* 1400. dicit non requiri, sicuti & dicunt plures alii; Filliuc. vero *num.* 251. & alii putant eam præsupponi; Requiritur tamen per omnes Visitatio certarum Ecclesiarum in Bulla expressarum, & quidem ab Incolis Romanis per triginta dies continuos, vel dispensativos, & a peregrinis, seu exteris per quindecim. Putatque Bellegambe *loc. cit. sect.* 8. 24
qu. 3. toties obtineri posse hoc Jubilæum, quoties repetuntur opera præscripta, & id declarasse Urbanum VIII. tenet, & refert Bonacina *disp.* 6. *qu.* 1. *punct.* 5. *num.* 32. apud Busembau *loc. cit.*

Post absolutum Romæ Annum Sanctum solet Papa con- 25
cedere Jubilæum etiam pro aliis Provinciis extra Italiam, si Nuncii Apostolici, vel Episcopi requirant, ut notat Gobat *in Quinario tr.* 3. *de Jubilæo num.* 409. & 412. ubi dat Exem- 26
plaria. Et tale Jubilæum possunt in partibus iterum lucrari, qui Romæ lucrati sunt. Bellegambe *loc. cit. qu.* 7. La Croix *loc, cit, num.* 1405. & alii. Jubilæum extraordinarium, quod 27
per duas hebdomadas post Jubilæum Anni Sancti concedi solet, necnon post coronationem Pontificis, ac sæpe ex aliis gravibus causis, continet non solum Indulgentiam plenariam instar Anni Sancti, sed etiam confert facultatem eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, qui a reservatis etiam in Bulla Cœnæ contentis absolvat, & vota commutet, & præscribere, seu exigere solet septem opera, scilicet Processionem, Visitationem Ecclesiarum, Orationem in illis, Confessionem, Communionem, Jejunium, & Eleemosynam.

Bullæ Jubilæi quoad ea, quæ favores continent, sunt la- 28
tissime interpretandæ, quantum patitur proprietas verborum, nisi in particulari casu, vel materia, communis praxis, vel Stylus Curiæ Romanæ, aut omnino peculiaris ratio restrictionem persuadeat. Quoad ea autem, quæ gravamen, seu odium continent, sunt stricte interpretandæ quantum patitur verborum proprietas, nisi in particulari casu stylus, & praxis Curiæ Romanæ, seu aliqua peculiaris ratio laxiorem interpretationem persuadeat; *arg. cap. Odia* 15. *de Regulis juris in* 6. ibi; *Odia restringi, & favores convenit ampliari*. Sic Suarez, Henriquez, Sanctarell., cum Gobat. *loc. cit. cap.* 5. *num.* 24. *& sequent.* Viva *de Jubilæo qu.* 2. La Croix *loc. cit. num.* 1395. & alii passim. Hinc latissime sunt interpretandæ quoad concessionem Indulgentiæ, electionem Confessarii, absolutionem, commutationem operum, vel Votorum, &c. quia sunt favores. Stricte autem sunt interpretandæ quoad obligationem ad certa opera, suspensionem Indulgentiarum, & facultatum, quia sunt gravamina. Bellegambe *loc. citi part.* 1. *sect.* 1. *qu.* 6. Viva *de Jubilæo qu.* 2 La Croix *loc. cit. num.* 1395. & alii plures.

Affertur tenor Notificationis pro Jubilæo Anni Sancti 29
1675. concesso a Clemente X.

I. *Conceditur Pœnitentiariis, & Parochis Romanis facultas absolvendi a Reservatis, & commutandi Vota.*

II. *Nec non Confessariis Religiosis a Vicesgerente approbatis.*

III. *Facilitatur Religiosis consecutio Anni Sancti.*

IV. *Alumnis etiam, & Convictoribus Seminariorum.*

V. *Pauperibus, & ægrotis.*

VI. *Declaratur Bulla Indulgentiarum suspensiva.*

VII. *Indulgentiæ concessæ visitantibus Septem Ecclesias Romanas, & Scalam Sanctam non suspenduntur. Conceduntur item Indulgentiæ Septem annorum, & totidem quadragenarum visitantibus Romana Templa, ubi habetur comprecatio quadraginta horarum circularium.*

(a) Haud scio, an hæc opinio ab aliquo cordato viro possit sustineri, nisi ab eo, qui Religione ad ostendendas ingenii sui vires abuti velit.

(b) Circa Jubilæum plura animadversione digna visa sunt nostris Censoribus. Sed adnotationes nostras omittendas duximus; tum quia, quæ a nobis explicanda erant, omnia fere exponuntur in Constitutionibus Benedicti XIV. infra referendis; tum etiam quia in fine hujus articuli exactam declarationem subjiciemus expositam ab accurato viro Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Scholarum Piarum, quæ incipit: *Breve notizia &c.*

Noti-

Notificatio Gratiarum, & Declarationum factarum a Sanctissimo Domino N. Papa Clemente X. occasione Jubilæi Anni Sancti &c.

Gaspar Titul. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presbyter Cardinal. Carpineus Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis.

I. CUm Sanctitas Domini Nostri, prout Nobis vivæ vocis oraculo mandavit; cupiat magis dilatari gratias concessas omnibus illis, qui convenerunt, veniuntque Romam, consecuturi plenissimum Jubilæum hujus Anni Sancti, mandavit Nobis exponere infrascriptas concessiones, declarando etiam illa quæ in dubio erant, aut vocabantur, non sine Fidelium turbatione, & scrupulis conscientiarum; quarum paci, & quieti consulturus Summ. Pont. hæc statuit. Ut itaque Confessarii, & operarii multiplicentur ad majorem commoditatem, & consolationem Fidelium utriusque sexus, in omni plenitudine paternæ Caritatis concedit amplam facultatem Pœnitentiariis Basilicarum S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis. & Sanctæ Mariæ Majoris sive illi sint ex numero ante hac esse solito, sive ex jam aucto, & deinceps augendo; Ad hæc eadem facultas datur Parochis, tam Secularibus, quam Regularibus omnium Parochorum Romæ (durante tamen Jubilæo Anni Sancti) absolvendi, videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum, Fideles ab omnibus Sententiis, & Censuris Ecclesiasticis contra illos pronunciatis, & fulminatis a Sacris Canonibus, aut Judicibus quacumque de causa, & ab omnibus peccatis, & excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam a casibus reservatis, non solum ab Episcopis, aut alias a Prælatis inferioribus, verum etiam a Pontifice ipso, & a Sede Apostolica, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & in aliis quibuscumque Constitutionibus Summorum Pontificum in foro conscientiæ tantum; Ut tamen sua Sanctitas declarat, se non intelligere, aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi, aut habilitandi, & in pristinum statum restituendi, quæ ad Irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum incapacitatem, & inhabilitatem quomodocumque contractam spectant, nequidem in foro conscientiæ. Neque vult Sua Sanctitas, ut præsens facultas illi suffragetur, qui a Summo Pontifice, aut Judicibus Apostolicis, vel aliis Ecclesiasticis excommunicati, suspensi, vel interdicti sunt declarati, vel publicè denuntiati ob sententias, & Censuras Ecclesiasticas, quas incurrerunt, adeo, ut isti omnes absolvi non possint, nisi prius satisfecerint, aut obediverint, & partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint: Ita ut iidem Pœnitentiarii, & Parochi, durante hoc anno Jubilæi Sancto, commutare possint omnia vota (exceptis Castitatis, & Religionis) in alia opera pia, imponendo nihilominus hisce Fidelibus, & quibusque aliis pœnitentiam salutarem, & alia opera pia, quæ iidem Confessarii præscribent.

II. Concedit pariter Sua Sanctitas Confessariis Religiosis cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, qui a Nobis, vel a nostro Vicegerente sunt approbati, aut deinceps approbabuntur, eamdem facultatem paulo ante explicatam absolvendi a Censuris, & casibus reservatis, commutandi vota, modo ea non sint substantialia Religionum, Ordinum Institutorum: immo & Religiosis Confessariis eadem datur facultas respectu sui Ordinis, & illis æque, qui modo Romæ versantur, quam illis, qui huc sunt venturi hoc Anno Sancto, ad quem se extendit tantum hæc facultas.

III. Ut etiam facilitetur iisdem Religiosis consecutio Anni Sancti, & Jubilæi, tantique thesauri spiritualium gratiarum, & ut illi suo exemplo populum ædificent, compareantque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas, significatur eisdem, suam Sanctitatem contentam esse, ut illi visitent quatuor assignatas Ecclesias ter tribus diebus continuis, aut interpolatis, una simul, aut quo ad majorem partem euntes, & incedentes respectu eorum, qui in eodem Conventu, aut Domicilio versentur, & sic consequantur Sanctissimum Jubilæum, ac si visitassent easdem Ecclesias triginta vicibus aut diebus. Ut tamen observentur cetera, quæ in Bulla Jubilæi continentur, hortamur & nos eosdem Religiosos in Domino, ut incedant, servato ordine quam modestissimæ, recitantes Psalmos, vel alias preces; & laudes Divinas decantantes.

IV. Idem Indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis, aut interpolatis eædem Ecclesiæ, concedit Summus Pontifex etiam Alumnis, & Convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis, & liberalibus artibus, & vivunt in eodem convictu, modo & illi eant saltem quoad mediam partem, quos comitabitur Præfectus, aut Rector, vel alii, qui eisdem præsunt, ut eadem gratia fiat iidem Præfectus, Magistris, & famulis: monentur tamen hi omnes, ut servent modestiam, & ordinem inter eundem, orantes, vel pium quid tractantes. Regulares vero aliunde huc profecti ad lucrandum Jubilæum Sanctum, si voluerint se conjungere aliis suæ Religionis, habebunt eamdem facultatem, & lucrabuntur Indulgentias, si eodem modo ter visitaverint Ecclesias suprædicto modo. Si vero non possent expectare aliorum commoditatem, aut advenirent cum alii lucrari sint Indulgentias, concedit sua Sanctitas, ut illi quinquies visitando Ecclesias per quinque continuos, aut interpolatos dies lucrentur easdem Indulgentias, quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies easdem Ecclesias prout Bulla præscribit. Conceditur etiam Congregationibus, Confraternitatibus, quæ aliunde huc venerunt, ut simul semel visitando Ecclesias, & bis seperatim Fratres, aut Sorores satisfaciant visitationibus præscriptis in Bulla, ac si quindecies visitassent.

V. Et cum maxime Sua Sanctitas secundum viscera paterna compatiatur paupertati, ac multiplicibus miseriis Advenarum, eorumque plurimorum, qui non habent, unde se tamdiu alant, vel neque sufferre possunt molestias tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen, et prudenti dictorum Pœnitentiariorum, et Parochorum, ut quivis dispenset juxta cujusvis pœnitentis indigentiam, & possibilitatem in assignando numero visitandarum Ecclesiarum dando eisdem omnem facultatem circa id necessariam, & opportunam. Eodem modo quia Cives, & incolæ Romani, qui incæperunt visitare Ecclesias, sed morbo impediuntur prosequi secundum opus, ne priventur fructus laborum inchoatorum, & piæ intentionis, qua aggressi sunt opus, ne affligantur corpore, & animo, concedit eisdem Pœnitentiariis, & Parochis facultatem commutandi opera injuncta visitandarum Ecclesiarum per triginta dies in alia, quæ viderint esse proportionata possibilitati dictorum Civium & Incolarum infirmorum. Quod si repente mors immineat, ante quam obtineant hanc immutationem, concedit illis sua Sanctitas Jubilæum, ac si omnia opera necessaria explevissent.

VI. Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas, & ut Fideles sint certi de Indulgentiis, quas possunt lucrari, declaramus una cum Oraculo suæ Sanctitatis, ut supra insinuato, quod in suspensione Generali Indulgentiarum, quæ continetur in Bulla data 5. Maii 1674. publicata vero 17. Septembris ejusdem Anni, non intelligantur suspensæ Indulgentiæ Altarium privilegiatorum pro defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro defunctis; verum illæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii, & nec minus Indulgentiæ concessæ in articulo mortis, & facultates communicandi eas aliis. Sicut nec cessant modo facultates Sanctæ Inquisitionis, & Officialium ejusdem, aut Missionariorum, & Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, vel a Congregatione propagandæ Fidei, vel cum auctoritate Apostolica ad id sunt deputati, & specialiter facultates absolvendi ab hæresi illos, qui, abjurato errore, redduntur capaces earum Gratiarum.

VII. Ut autem conservetur pium Institutum, & consuetudo visitandi Templa, in quibus celebratur comprecatio Quadraginta horarum, & præcipua Sanctuaria colendi hac in Urbe, concedit Sua Sanctitas, non obstante ea generali Indulgentiarum suspensione, ut Indulgentias solitas consequi possint Fideles utriusque sexus, quas alias consequebantur, si visitent septem Ecclesias, & Scalam Sanctam diebus determinatis, eo modo, & his cum conditionibus, quibus illæ fuerunt concessæ, easdem lucrantur Indulgentias. Quivis insuper qui visitat Templa, ubi habetur expositum Venerabile, & est comprecatio Quadraginta horarum circularium, & ordinariarum, quæ sunt in publico folio a Nobis exponendo, & publicando hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, Confessione prius, & Sacra Communione

nione peractis, aut saltem concepto firmo proposito confitendi, lucrabitur is septem Annorum Indulgentias, & totidem quarantenas toties, quoties id præsteriterit.

Datum Romæ ex Ædibus nostris die 1. Februarii 1675. Jubilæi,

C. Cardinalis Vicarius.

30 Affertur tenor alterius Notificationis jussu Innocentii XII. editæ 6. Martii 1700. occasione Anni Sancti tunc tempore decurrentis.

NOTIFICATIO.

Gaspar Miseratione Divina Episcopus Sabinensis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis de Carpineo S. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius, &c.

Essendosi nella Sacra Congregazione deputata da N. S. sopra la celebrazione del presente Anno Santo, tenutasi li 26. Febbrajo prossimo passato, portate diverse istanze per la dichiarazione di alcuni dubbj insorti sopra l'intelligenza della Bolla; e riferitosi da Noi il sentimento della medesima Congregazione alla Santità di Nostro Signore nell' udienza delli 4. corrente, alla Santità sua è piaciuto fare le seguenti dichiarazioni.

Che l'intera visita delle quattro Basiliche debba farsi in un giorno contenuto nello spazio di 24. ore, e che il giorno debba intendersi, ed incominciare, e finire da una mezza notte all'altra.

Che la facoltà concessa sotto li 24. Gennajo del presente anno alli RR. Parrocchi, Penitenzieri, e Confessori destinati di commutare in altre Opere pie, ed abbreviare le visite delle Chiese agli invalidi, ed impotenti Cittadini, ed Abitanti di Roma, che avessero incominciato le medesime visite, e per sopravenienza d'impedimenti non le potessero terminare, la Santità Sua l'estende a beneficio ancora di quelli, che per la causa stessa non le avessero potute incominciare. Avvertendo però i suddetti Confessori, come sopra, di servirsi con prudenza, e moderazione di questa facoltà. Rimanendo nel resto preservato l'Indulto conceduto a Noi, e a Nostro Monsignor Viceregente di poter delegare qualsivoglia Confessore ne' casi particolari con le stesse facoltà.

Concede parimente la Santità Sua al Padre Confessore del Sacro Palazzo Apostolico la stessa facoltà de' Penitenzieri per la Famiglia, che lo serve durante il presente anno.

Intende ancora, e dichiara, che le Indulgenze solite a concedersi da' Signori Cardinali, Legati, Nunzj Appostolici, e Vescovi, o nell' uso de' Pontificali, o nel darsi le benedizioni, o in altra forma solita, rimangano nel loro vigore, non ostante la generale sospensione dell' Indulgenze sotto li 14. Giugno 1699.

Data dal nostro Palazzo questo dì 6. Marzo 1700.

G. Cardinalis Vicarius.

Additio ex Auctore.

31 Jubilæi concessio non tribuit Sacerdoti facultatem excipiendi Confessionem personæ complicis in peccato turpi; Benedict. XIV. tom. 1. Constit. 20. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ* §. 5.

32 Subnectitur hic Bulla suspensiva Indulgentiarum tempore Jubilæi Romani, seu Anni Sancti, & est ut sequitur eadem ad litteram edita a Clemente X. pro Anno Sancto 1675. ab Innocentio XII. pro Anno Sancto 1700., & a Bened. XIII. pro Anno Sancto 1725.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

CUM Nos nuper Sancti Jubilæi celebrationem a Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, & usque ad finem sequentis anni duraturam, universo populo Christiano, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium assensu Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, nec non Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis Litteris plenius continetur; cupientes, ut Christianæ nationes ex omnibus terrarum Orbis locis in alma Urbe nostra in Fidei ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis spiritu Basilicas prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo visitent, & frequentent, multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes, & singulas Indulgentias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis conrentis, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, Domibus, Militiis, Ordinis, etiam Mendicantibus, Congregationibus, Confraternitatibus, etiam Laicorum, Universitatibus, & piis locis, illorumque Ordinibus, Capitulis Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam sæcularibus, quam quorumvis, etiam Mendicantium Ordinum Regularibus personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, Numismatibus ex metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam Nos, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate, etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, & concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac potestatis plenitudine, suspendimus, & suspensas, ac suspensa esse declaramus, easque, & ea eodem anno durante, nulli prodesse, aut suffragari debere. Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quo circa per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ, quam indicti a nobis prædicti Jubilæi Indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu ubivis locorum, & gentium sub excommunicationis, eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & Locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque exemptionibus, & indultis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & dictam Sedem, ejusque Legatos sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, & ex quibusvis causis, concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis, & individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissum, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile nimis esset præsentes quocumque ubi illis opus fuerit perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Septingentesimo vigesimoquarto, pridie Nonas Julii, Pontificatus Nostri anno primo.

P. M. Card. Prodatarius.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. C. Archiep. Amasenus.
Registrata in Secretaria Brevium.

Loco ✻ Plumbi.

L. Martinettus.

33 Dictæ Constitutioni addi mandarunt speciales Notificationes, seu declarationes Clemens X., & respective Innocentius XII. uti supra videri possunt *numer.* 29., *&* 30. ubi afferuntur per extensum; & suam etiam adhuc liberaliorem Notificationem, seu Declarationem addi mandavit Benedictus XIII. ut sequitur.

DECLARATIO.

Declaratio ex vivæ vocis Oraculo Sanctissimi Domini BENEDICTI XIII. quoad Indulgentias in Anno Sancto suspensas, facta per *Fabricium Paulucci* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, & Sanctitatis Suæ Vicarium Generalem.

I. *Ad tollendam omnem ambiguitatem, & ut fideles sint certi quoad obtinendas in Anno Sancto Indulgentias, declaramus, quod sub suspensione Indulgentiarum in Anno Sancto non contineantur Indulgentiæ concessæ Altaribus privilegiatis, vel alias immediate pro defunctis. Intelligmtur autem suspensæ illæ Indulgentiæ, quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii.*

II. *Item in Anno Sancto non sunt suspensæ Indulgentiæ concessæ in articulo mortis, uti nec facultas hasce aliis communicandi.*

III. *Præterea non sunt suspensæ Indulgentiæ, quæ concedi solent a Cardinalibus, Legatis, Nuntiis Apostolicis, & Episcopis, sive in usu Pontificalium, sive in danda Benedictione, vel in alia solita forma.*

IV. *Nec cessant ullo modo facultates Tribunalis S. Inquisitionis atque Officialium ejusdem sive Ministrorum, ac Missionariorum ab hoc sacro Tribunali, aut a Sacra Congregatione de propaganda Fide, vel alias Auctoritate Apostolica deputatorum. Specialiter apud mentionatos non cessant facultates absolvendi ab hæresi illos, qui pœnitentes eamdem abjurant, seque dictæ absolutionis capaces reddunt.*

V. *Ut etiam conservetur devota consuetudo visitandi principalia Sanctuaria hujus Urbis, ac SS. Sacramentum sub comprecatione 40. horarum expositum: pariter ut stabiliatur pius usus genuflexionis ad pulsum salutationis Angelicæ, Sua Sanctitas concedit sequentes indulgentias.*

Illi qui devote visitant septem Ecclesias, aut Scalam Sanctam, vel templa, ubi sunt Stationes, diebus, qui alias spécificantur, solitas lucrantur Indulgentias absque ulla diminutione.

Item, qui comitantur Sanctissimum Viaticum deportatum ad infirmos, vel si fuerint impediti, saltem mittentes illuc quodpiam lumen, obtinent eas Indulgentias, quæ alias propterea a Summis Pontificibus concessæ fuerunt.

Insuper manent adhuc in suo vigore Indulgentiæ a Sua Sanctitate concessæ Fidelibus, qui ad sonitum campanæ mane, aut meridie, seu vespere flexis genibus devote recitaverint *Angelus Domini*.

Finaliter illi, qui visitant templa, ubi habetur expositum Venerabile, & est comprecatio 40. horarum circularium, ac ordinariarum (quæ horæ indicantur in publico folio a Nobis exposito, & adhuc per decursum hujus Anni Sancti exponendo) lucrantur Indulgentias 7. annorum, & totidem Quadragenarum toties, quoties id præsteriterint, si tamen aliquo tempore, prout ipsis in Domino videbitur, inter preces ibidem detineantur, & Confessionem, ac SS. Communionem præmittant, vel saltem firmum propositum confitendi concipiant.

Datum Romæ 10. Jan. 1725.

F. Cardinalis Vicarius.

Nicolaus Antonius Canon. Cuggiò Secret.

Deinde ipse Benedict. XIII. *in bonum Defunctorum* post 34 præcedentem Notificationem, seu Declarationem concessit aliam specialissimam gratiam, quæ non legitur concessa ab Antecessoribus Pontificibus; Ipsi enim tempore Jubilæi Anni Sancti extra Romam, suspenderunt etiam pro Defunctis illas Indulgentias, quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii. Quos equidem suos Antecessores etiam ad initium secutus est Benedict. XIII. in notificatione 10. Jan. 1725. &c.

Manente in suo vigore suspensione omnium Indulgentia- 35
rum pro Vivis, uti in Bulla præmemorata continentur, sua Sanctitas dat facultatem pro hoc anno solum omnibus Fidelibus lucrandi omnes illas Indulgentias suspensas pro vivis ad effectum duntaxat eas directe, et immediate applicandi per modum suffragii animabus Defunctorum, et non aliter: Dico: omnes, idest, Indulgentias tam temporales, quam perpetuas, tam plenarias, partiales, locales, vel personales, concessas quocumque modo per Summos Pontifices, vel per Legatos Apostolicos., & non solum illas, quæ datæ sunt cum facultate eas applicandi pro Defunctuis, sed etiam omnes alias, in quibus talis facultas non est apposita, ita tamen ut fiant omnia opera in earum concessione præscripta. Et hæc omnia, ut per merita Jesu Christi Redemptoris nostri, ejusque Sanctissimæ Matris, & omnium Sanctorum, de quibus Thesaurus Indulgentiarum cumulatur, illæ animæ quantocius possint transire a flamma castigante (ut ait S. Augustinus) in flammam beatificantem, & cœlestem Jerusalem per suas sanctas portas intrare: ita, ut præsens annus etiam pro animabus Purgatorii dici possit Annus Sanctus, & annus jucundus Sanctissimi Jubilæi.

Datum 9. Februar. 1725.

Insuper idem Benedict. XIII. intra Annum Sanctum 1725. 36
concessit quasdam extraordinarias gratias pro vivis; Ad humillimas enim preces ex specialissima gratia indulsit toti Nationi Germano-Belgicæ nostri Seraphici Ordinis, ut in singulis ejusdem Ecclesiis ab omnibus Fidelibus utriusque sexus pro vivis obtineri valeant Indulgentiæ Plenariæ in Festis S. Antonii Paduani &c. sicut sequitur.

Sanctissimus Dominus Noster Divina Providentia Pontifex

BENEDICTUS XIII.

SUpplicationibus P. Joannis Thoni Fratrum Minorum Recollect. Nationis Germano-Belgicæ in Romana Curia Agentis (non obstante communi Indulgentiarum suspensione) pro Festis Sanctorum Antonii, & Francisci, ac Sanctæ

Mariæ Angelorum Portiunculæ nuncupatæ in singulis Ecclesiis Ordinis, & Nationis prædictorum, etiamsi Monialium, necnon Oratoriis Missionum prædicti Ordinis, omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex supradictis Ecclesiis, seu Oratoriis a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, Hæresum extirpatione, ac S. Romanæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino consequi posse, benigne concessit.

Hac die 4. Maii 1725.

Cosmus de Hieronymis Secr.

Loco ✻ Sigilli.

Romæ Typis Rev. Camer. Apostolicæ 1725.

37 Advertendum tamen est, quod istæ specialissimæ gratiæ utpote extraordinariæ non extenduntur ad alios Annos Sanctos, nisi similiter sic subsequentes Summi Pontifices concedant, aut declarent, ut recte advertit eruditissimus P. Matthæus Kreslinger *in addit. ad Theol. Mor. P. Anacleti Reiffenst. tom. 2. tract. 12. dist. 3. quæst. 19. append. 2. impressionis* 1745. *sub dat. Mutinæ*, ubi omnia supra tradita diligenter refert, & erudite exornat.

38 Novissime in lucem prodiit Bulla suspensiva Indulgentiarum pro pro Anno Sancto 1750. edita a Benedicto XIV. quæ, ut ab omnibus pro exacta ejus observantia in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

Suspensio Indulgentiarum, & facultatum vertente Anno universalis Jubilæi 1750.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM Nos nuper Sancti Jubilæi celebrationem in hac Alma Urbe a Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, & usque ad finem sequentis anni duraturam universo populo Christiano de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Card. assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, necnon Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe Basilicas certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis Litteris plenius continetur: Cupientes ut Christianæ Nationes ex omnibus Terrarum Urbis locis in hac Urbe Nostra, in Fidei, ac Religionis unitate congregatæ, eodem pietatis, ac devotionis spiritu Basilicas prædictas quo maximo fieri poterit concursu, durante Jubilæo, visitantes, & frequentantes, tanti, & tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo adducti, Indulgentias, & Facultates ab Apostolicæ Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere; & nihilominus tum spiritualibus Fidelium per universum Orbem degentium necessitatibus Paterna Caritate consulere; tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quædam Religionis, & pietatis opera in Christianorum animis conservare, & fovere: tum demum suffragia in Fidelium functorum levamen, atque subsidium erogare solita neutiquam imminuere, eorumdem Prædecessorum vestigiis insistentes, decrevimus, & constituimus.

Itaque præservatis, & firmis remanentibus Indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus, seu Indultis illas impertiendi, seu communicandi, tam Venerabilibus Fratribus Episcopis, ac dilectis Filiis Prælatis locorum ordinariis, in vim, seu ad formam nostrarum Litterarum nonis Aprilis an. 1747. editarum, quam aliis quibuscumque communiter, aut personaliter, seu pro certo Personarum genere, gradu, aut numero, concessis, iisque pariter quas felic. record. Prædecessor noster Benedictus Papa XIII. cunctis Fidelibus salutationem Angelicam, seu alias preces de tempore mane, aut meridie, seu vespere ad Campanæ pulsum, de genu, vel juxta dierum, & temporum rationem, stando recitantibus; Item Indulgentia septem annorum, & totidem quadragenarum, quam ipse Benedictus, & novissimo Jubilæi anno durante, omnibus Christifidelibus, tam in Urbe, quam extra eam ubicumque degentibus, qui sacramentaliter confessi, & Sacra Communione refecti, vel saltem vere contriti, & cum firmo proposito confitendi Ecclesias, in quibus Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pro Oratione quadraginta Horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit; quamque Nos etiam, illius exemplo, pro maxime ineunte Jubilæi anno, & tam pro Urbe, quam pro aliis ubique locis præsentium tenore libenter concedimus, & elargimur; Atque illis etiam, quas similis memoriæ Innocentius XI., & Innocentius XII. Romani Pontifices Prædecessores nostri fidelibus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad Infirmos defertur, devote comitantibus, vel lumen, aut faces per alios ea occasione deferendum, seu deferendam mittentibus, similiter concesserunt; tum etiam Indulgentiis a S. R. E. Cardinalibus de Latere legatis, & Apostolicæ Sedis Nunciis, ac Episcopis in usu, seu exercitio Pontificalium, aut impertienda Benedictione, aliave forma consueta, concedi solitis; Item salvis, & firmis remanentibus Indulgentiis Altarium privilegiatorum pro Fidelibus Defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis Defunctis concessis; atque etiam aliis quibuscumque Indulgentiis, & peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum duntaxat, ut Christifideles illas animabus Fidelium Defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes, & singulas, licet pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante, generaliter, ut infra suspensas, ad prædictum tamen effectum ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi facultas indulta non fuerit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse, concedimus, & indulgemus.

Præservatis etiam, & firmis remanentibus facultatibus Tribunalis Officii Inquisitionis adversus Hæreticam pravitatem auctoritate Apostolica instituti, ejusque Officialium, Missionariorum quoque, & Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, seu a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita, vel alias a Sede prædicta ad id deputati fuerint; & præsertim facultate absolvendi ab Hæresi illos, qui abjuratis eorum erroribus, capaces ejusmodi absolutionis reddunturi; aliisque facultatibus, quæ ab Officio Pœnitentiariæ nostræ Apostolicæ, Missionariis, in Locis Missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendæ, concessæ fuerint. Item salvis, & illæsis remanentibus facultatibus tam Venerabilium Fratrum Episcoporum, aliorumque Superiorum Antistitum, in suis respective Diœcesibus, circa dispensationes, & absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; prout ipsis a Sacra Tridentina Synodo, seu alias, etiam in publicis a jure communi Ecclesiastico, & ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis, & casibus, indultæ, permissæque dignoscuntur, quam etiam Superiorum Ordinum Regularium, quæcumque ipsis in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt.

Ceteras omnes, & singulas Indulgentias, tam Plenarias, quam non Plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi, etiam a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, & impedimentis, quibuslibet Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, etiam S. Joan. Hierosolymit. Domibus, Militiis

litiis, Ordinibus, etiam Mendicantium, Congregationibus, Confraternitatibus etiam Laicorum, Universitatibus, & piis Locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conventibus, Magistris, Superioribus, & tam Sæcularibus, quam quorumvis etiam mendicantium Ordinum Regularibus Personis, Coronisque, Granis, Imaginibus, & Numismatibus ex Metallo, seu quacumque alia materia confectis, tam singulariter, quam universaliter per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipsis etiam Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel aliis quacumque alia mundana, vel Ecclesiastica Dignitate fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocumque, & ex quibusvis causis, & occasionibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, clausulis & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, & concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, & Decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, Auctoritate Apostolica de eorumdem Fratrum consilio, & assensu, ac potestatis nostræ plenitudine, suspendimus, & suspensas, ac suspensa esse declaramus, easque, & ea, eodem anno durante, nulli prodesse, nec suffragari debere; Irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quo circa per præsentes auctoritate Apostolica præcipimus, & mandamus, ne interim, præter superius expressas, alię, quam indicti a Nobis prædicti Jubilæi, Indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu ubivis locorum, & gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendę, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis, publicentur, vel nuncientur, aut in usum demandentur.

Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Ordinum, Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Universitatum, Collegiorum, & Locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis infirmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & Personis, ac aliis quibuscumque per eosdem Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, et dictam Sedem, ejusque Legatos sub quibuscumque tenoribus, et forma, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, et ex quibusvis causis concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus, vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur nisi de illis specialis, et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissum, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, ceteriisque contrariis quibuscumque.

Et quia difficile nimis esset, præsentes, quocumque ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ, obsignatis, eamdem prorsus fidem in judicio, et extra ubique Locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, et declarationis, Decreti, præcepti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Sextodecimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno Nono.

D. Cardinal. Passionеus.

F. Datarius.

Visa de Curia J. C. Boschi.

I. B. Eugenius.

Loco ✻ Plumbi.

Ferrar. Biblioth. Tom. IV.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Indictione duodecima, die vero vigesima quarta Maji, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIV. anno nono, supradictæ Litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Atrio Basilicæ Principis Apostolorum, & Basilicis Lateranensi, & Sanctæ Mariæ Majoris, & ad valvas Cancellariæ Apostolicæ, & Magnæ Curiæ Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Righi Apostolicum Cursorem.

Antonius Befani Magister Cursorum.

Indulgentiam plenariam, quatenus ipsa significat remissionem totius pœnæ debitæ pro peccatis, obtineri etiam Anno Sancto a Profitentibus in Religione, recte tradit P. Viva *de Jubilæo quæst. 4. art. 5. numer. 1.* post Sanchez *lib. 5. Summ. cap. 5.* ex Navarr., et aliis. Et ratio est, quia, ut colligitur ex Sanctis Patribus, Regularis Professio æquivalet Baptismo, quatenus virtute maximæ satisfactionis in eo opere contentæ, dum quis sibi, ac sæculo moritur, obtinet ex opere operantis omnem omnino remissionem, ut docet S. Thomas *2. 2. quæst. 189. art. 3. ad 3.* Unde suo modo plenariam Indulgentiam assequitur, quamvis non illam, quam Pontifex de Thesauro Ecclesiæ concedit ad pleniorem securitatem. Quæ doctrina valet utique etiam pro Anno Sancto, ut docet, & inter alios P. Gobat *tom. 2. de Jubilæo tract. 3. cap. 50. num. 57.* addens quod porro censet Rodriquez *tom. 2. qq. Regul. quæst. 88. art. 1.* Indulgentiam plenariam promissam ingredientibus Religionem obtingere non tantum iis, qui vota Religionis substantialia emittunt, sed etiam qui Novitiatum ingrediuntur; Quod Viva *loc. citat.* scite dicit intelligendum etiam esse de iis, qui post biennium Novitiatus emittunt tria vota simplicia in præclarissima sua Societate Jesu, quippe illi etiam in vero statu Religioso constituuntur, & ex parte sua in perpetuum moriuntur sæculo, sibi, suaque Deo, mancipantes sub obedientia Superioris. 39

Quinimmo Viva *loc. cit. n. 2.* addit, probabile videri posse alicui, ut notat Gobat *loc. cit.* quamvis ipse non subscribat, quod Indulgentia plenaria a Pontifice concessa obtineatur Anno Sancto ab emittentibus Professionem Regularem, quia sicuti *ex cap. In generali 31. de Regulis juris in 6. In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, ita nec in generali prohibitione (atque adeo in suspensione Indulgentiarum) veniunt ea Indulgentiæ, quas Pontifex, in specie non esset verisimiliter suspensurus; Talis autem videtur esse hujusmodi Indulgentia. Tum quia non obstat fini, ob quem aliæ suspenduntur, nempe ne ob id præpediatur accessus ad Urbem. Tum quia prædicta Indulgentia est omnino speciali nota digna, & majori longe jure, quam ulla alia conceditur; *Ast* vero ego non auderem absolute negare, sicut non audet Gobat *loc. cit.* quin verbis Pontificis adeo specialibus, simul & generalibus comprehendatur reipsa suspensio etiam dictæ Indulgentiæ pro vivis, maxime cum nunc ex concessione Benedicti XIII. & XIV. possit applicari pro defunctis, nisi aliter declarent successores Pontifices. 40

Post breve tempus intra ipsum Annum Sanctum solebat alias emanare Pontificia Notificatio, qua declaratur quales Indulgentiæ intelligerentur in Anno Sancto suspensæ, vel non, prout patet supra *num. 29. & 30.* de notificationibus Clementis X. & Innocentii XII. nec non *num. 31.* de declaratione Benedicti XIII. Ast pro novissimo Anno Sancto 1750. Benedictus XIV. dictas Notificationes, seu declarationes intulit eidem Bullæ suspensionis indulgentiarum supra allatæ, ut *ibi* videri potest. 41

Intra eumdem Annum Sanctum emanare consuevit nova quædam Bulla, vi cujus Monialibus, Anachoretis, atque Eremitis, nec non infirmis, & carceratis sub ipso Anno Sancto concedantur Indulgentiæ, & Gratiæ Magni Jubilæi, 42

dummodo alias parati essent Romam ire, ad lucrandum Jubilæum, si hoc impedimento non detinerentur, & dummodo pia Christianæ pietatis, & caritatis opera ponant, ab Ordinariis Locorum, aut Monialium, & Eremitarum Superioribus, vel de eorum mandato a prudente Confessario, & in Alma Urbe a Pontificis Vicario, seu ejus Vicesgerente præscribenda; Et conceditur pariter in eadem Bulla facultas supradictis Personis eligendi Confessarium, sive Sæcularem, sive Regularem cujusvis Ordinis, ab Ordinariis locorum ad id probatum; a quo possint, etiam a reservatis in Bulla Cœnæ absolvi. Sic tradunt Gobat *loc. cit. cap. 6.* ubi adducit exemplar hujusmodi Bullæ æditæ ab Innocentio X. anno 1650. eamque in omnibus erudite explanat; & Viva *loc. cit. q. 7.* per varios Articulos eam egregie elucidans, Franciscus Van-Ranst *in Opusculo delndulgentiis q.* 8. Massæus Kreslinger *loc. cit. addit.* 10. adducens simílem concessionem etiam factam a Benedicto XIII. Constit. incip. *Pontificia solicitudo* edita 12. Januarii 1725.

45 *Alia* ad rem Vide supra *art. 1. per tot.* Cum hac tamen advertentia, quod *ibi*, & *hic* dicta sunt intelligenda, nisi aliter Pontifices pro tempore existentes statuerint, & declaraverint, cum semper sit exacte observanda Bulla Regnantis Pontificis tempore Anni Sancti, si quid aliud diversum a suis Prædecessoribus disponat, aut expresse declaret, ut in novissima supra allata Constitutione Benedicti XIV. pro Anno Sancto 1750. in qua præservatis duntaxat Indulgentiis, *in §. Itaque præservatis*, enumeratis, & facultatibus, *in §. Præservatis etiam*, specificatis, suspendit ceteras omnes Indulgentias, tam plenarias, quam non plenarias, etiam perpetuas, & peccatorum remissiones, ac facultates, & indulta absolvendi a Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, seu relaxandi Censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, & impedimentis per quoscumque Romanos Pontifices suos Prædecessores, ac etiam per se, quibuscumque tam singulariter, quam universaliter, ac alias quomodolibet concessas, & concessa, ut plenius, ac fusius in ipsa §. *Ceteras omnes*. Vide supra omnia in ipsa statuta, & exacte observa.

46 Subnectitur Bulla novissime emanata a Benedicto XIV. felic. record. concedente Monialibus, Anachoretis, atque Eremitis, nec non infirmis, carceratis, captivis, aliisque in ipsa specificatis sub ipso Anno Sancto Indulgentias, & Gratias Magni Jubilæi, ut sequitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

PAterna Caritas urget Nos, ut omnium Nostrorum, Ecclesiæque Filiorum pia vota non tam oblata Nobis benigne suscipere, quam animo vix concepta prævertere, eisque recluso Apostolicæ liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequenter ex omni Christiani Orbis Regione Fideles ad Nostram hanc Urbem, & ad Beatorum Apostolorum limina, pro indicto a Nobis imminentis Anni Sancti Jubilæo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christifideles mentis Nostræ oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsi, hujusmodi iter avide aggrederentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitæ propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas, vel corporalis infirmitas detineret. Horum Nos fidei, ac desideriis favere, nec non spiritualibus indigentiis consulere, simulque pias preces, supplicationesque eorum omnium, inter quos Evangelicæ perfectionis sequaces animæ, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur; Nostris, congregatæque Nobiscum Fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam Omnipotentis Dei misericordiam adjungere cupientes; præsentium Litterarum tenore opportunas rationes præscribere decrevimus, per quas tam Viri, quam Mulieres, in Eremis, Monasteriis, & Religiosis Domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis, & carceribus detenti, aut morbis, & infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam Urbem non accedentes, neque Sacras Apostolorum memorias, & Patriarchales ejusdem Urbis Basilicas respective visitantes, permissarum absolutionum concessique a Nobis plenarii Jubilæi participes effici valeant.

Ut autem nemini dubium oriri possit, quænam personæ sub harum Litterarum providentia comprehendantur, in primis Moniales omnes, quæcumque solemnia Religionis vota emiserunt, & in Monasteriis, sub perpetuæ Clausuræ legibus, sive Locorum Ordinariis, sive Regularibus Superioribus, sive Apostolicæ Sedi immediatæ subjectæ vivunt, earum quoque Novitias, aliasque Virgines, seu Mulieres sæculares, Educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis, in eisdem Monasteriis habitantes; Item Monasteriorum hujusmodi Moniales, quæ aliquando ad eleemosynas colligendas ex eorumdem Clausura egrediuntur; nec non oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter Novitiis, Educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosæ Clausuræ legibus adstrictæ non sint; Tertiarias quoque sub uno, eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum Novitiis, Educandis, aliisque Sæcularibus Personis, in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent, earumque Institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum aut confirmatum extiterit, neque pro approbato præsentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; Ac denique Puellas, atque Mulieres in Conservatoriis degentes: quamvis nec Monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, nec Clausuræ legibus subjectæ sint tam in Urbe, quam extra eam ubique locorum, & gentium existentes, præsentis concessionis favoribus uti, & gaudere posse volumus, & declaramus.

Item Anachoretas, & Eremitas, non quidem eos, qui nullis Clausuræ legibus adstricti, sive collegialiter, & in societate, sive etiam solitarii, sub Ordinariorum etiam regimine, certisque legibus, aut regulis obtemperantes, vivunt; sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua, Clausura, & solitudine, contemplativæ vitæ exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt, etiamsi Monastici, aut Regularis Ordinis, & Instituti Professores existant, uti Cistercienses aliquot, & Carthusienses Monachi, & Eremitæ Sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

Ad eos etiam utriusque sexus Christifideles, qui in captivitate apud hostes quoquomodo existunt, nec non ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus, aut criminalibus causis in carceribus tam Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum Superiorum, & Tribunalium, quam sæcularium Principum, & Magistratuum, & ad Regulares, qui in carceribus Clausstralibus detinentur, vel quia nondum eorum causæ expeditæ sint, vel quia tempus pœnæ eisdem impositæ non adhuc sit elapsum, quive ex Superiorum quorumcumque præcepto, aliquem locum, aut Civitatem, carceris, & custodiæ, seu exilii, & deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in Triremibus, seu alibi, ad opus damnati, eique addicti reperiuntur, ejusdem præsentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen, qui carceribus Tribunalis Sanctæ Inquisitionis inclusi ubicumque detinentur, ea, quæ paterne providentiæ Nostræ opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis Officii præscribere non omittemus.

Denique ad Infirmos pariter utriusque sexus, tam Laicos, quam Ecclesiasticos, sive sæculares, sive cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti Regulares, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua juxta Medici judicium, non ita tempestive liberari poterunt, ut intra ipsum Jubilæi annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui licet ex hujusmodi infirmitate convaluerint; non tamen sine gravi incommodo, & recidivæ periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur; adeo ut iter hujusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario majores, quæcumque inferius præsentibus Litteris respective statuentur, spectare, & pertinere volumus pariter, & declaramus.

Hos itaque omnes, & singulos monemus, hortamur, & obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudinæ animæ recolentes, totoque cordis affectu detestantes, salutari Pœnitentiæ Sacramento, & congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent, tum ad vivificum Divinæ mensæ convivium innocentiæ, & caritatis stola ornati, reverenter accedant; Deumque Optimum Maximum, per Unigenitum Filium ejus, ac per merita Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, omniumque Sanctorum, juxta Nostram, Ecclesiæque mentem, enixis precibus orent, pro ejusdem Sanctæ Ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & totius Christiani Populi tranquillitate, & salute; in eumque finem alia, tum voluntaria, tum sibi in locum Visitationis quatuor Basilicarum Urbis ab Ecclesiasticis Superioribus, ut infra injungenda, Religionis, pietatis, aut caritatis opera, devote peragant, & exequantur.

Nos enim Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, per præsentes committimus, & demandamus, ut Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius expressis Puellis sive Mulieribus, tam sibi, quam Nobis, & Sedi Apostolicæ immediate subjectis, in eorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis existentibus; Anachoretis quoque, & Eremitis, Carceratis, & morbo, senione affectis, eorum jurisdictioni respective subjectis, atque etiam ab illa exemptis, quatenus Sæculares Personæ, aut extra Claustra forsan cum debitis licentiis Regulares existant; Regularibus autem Prælatis, & Superioribus, ut subditis sibi Monialibus, & si quæ sint Oblatæ, aut Tertiariæ ipsorum regimini subjectæ, & ab Ordinariorum jurisdictione exemptæ earumque Novitiis, aliisque in earumdem Monasteriis, & Communitatibus, ut supra, degentibus extra Urbem, nec non Religiosis Anachoretis, sive Eremitis, aliisque Religiosis in carceribus Claustralibus detentis, sive infirmis, & senibus septuagenario majoribus, congrua Religionis, pietatis, aut caritatis opera, æquabili disciplinæ, & indulgentiæ moderatione servata, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, designare, & præscribere non omittant, quæ illi, & illæ, loco visitationum quatuor Basilicarum, & Ecclesiarum intra, & extra Urbis Muros, a Nobis pro consequendo hujus Anni Sancti Jubilæo præscriptarum, juxta singulorum statum, conditionem, & valetudinem ac loci, & temporis rationes respective exequi, & implere possint, ac debeant; & quorum implementum Nos in eamdem Visitationum locum, ad effectum ipsius Jubilæi consequendi, auctoritate Apostolica commutando subrogamus. Pro Monialibus autem, Oblatis, & Tertiariis quibuscumque hujus Almæ Urbis, earumque Novitiis, nec non Puellis, aut Mulieribus tam in prædictarum Monasteriis, & Communitatibus, quam in Conservatoriis ipsius Urbis degentibus, & pro Carceratis in ejusdem Urbis carceribus, volumus, ut ad Dilectum Filium Nostrum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, nostrum in ipsa Urbe, ejusque Districtu Vicarium in Spiritualibus Generalem, ejusve Vicesgerentem duntaxat, hujusmodi operum designationem, sive per se ipsos, sive per prudentes Confessarios, facere, omnino spectet, atque pertineat.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, & prædictorum Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex concessa Nobis, licet immerentibus, suprema ligandi, atque solvendi potestate, omnibus, & singulis præfatis Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, sive Mulieribus, in Monasteriis, ac Religiosis; pisve Communitatibus viventibus, Anachoretis, Eremitis, nec non utriusque sexus Captivis, & in Carcere, sive in Custodia detentis, atque Infirmis, & senibus, vere pœnitentibus, & intra præsens Jubilæi Annum rite confessis, ac Sacra Communione refectis; Deumque Optimum Maximum, ut supra dictum est, orantibus, aliaque sibi in locum Visitationis prædictæ injungenda opera, in locis, in quibus extiterint, devote adimplentibus; atque etiamsi, eorumdem operum executione susceptа, ipsos ante integrum eorum implementum ex hac vita migrare contigerit; plenissimam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, veniam, & remissionem, etiam duabus vicibus intra ipsius Anni Sancti decursum; si omnia præmissa opera injuncta iteraverint; per eorum singulos consequendam non secus ac ipsi, & eorum quilibet, præmissa in hac Alma Urbe exequentes, & quatuor Basilicas ejusdem Urbis, pro quibus visitandis Jubilæum ipsum, & Indulgentia per Nos concessa fuit, eodem Jubilæi Anno, diebus ad id statutis, personaliter visitantes, consequerentur, & consequi possent; tenore præsentium, ac de Apostolicæ liberalitatis amplitudine, concedimus, & elargimur.

Eisdemque *Monialibus*, earumque *Novitiis*, ut, ad effectum præsentium, & pro prima vice duntaxat, Confessarios Presbyteros sæculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, a Locorum respectivе Ordinariis ad audiendas Monialium Confessiones approbatos quoscumque, ceteris autem supradictis Anachoretis, Eremitis, nec non Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, & Mulieribus in Monasteriis, & Religiosis, ac Piis Communitatibus, seu Conservatoriis conviventibus, & Christifidelibus captivitate, carceratione, aut custodia, Infirmitate, aut senectute impeditis tam Laicis, quam Ecclesiasticis Sæcularibus, & cujuslibet Ordinis, Congregationis, & Instituti etiam specialiter nominandi Regularibus, ut ad effectum hujusmodi, & pro prima pariter vice duntaxat, Confessarios Presbyteros Sæculares, sive cujusvis, etiam diversi Ordinis Regulares, ab Ordinariis similiter, in quorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendæ erunt ad personarum Sæcularium Confessiones audiendas approbatos quoscumque, eligere valeant; utque Confessarii sic electi, illorum Confessionibus diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet a quibuslibet peccatis; criminibus & delictis, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, contentis, absolvere, injuncta ipsis pœnitentia salutari, aliisque juxta Canonicas sanctiones, rectæque disciplinæ regulas injungendis, ac præsertim quoad illos in carceribus detentos, quorum Criminales Causæ nondum conclusæ sunt, iisdem serio admonitis de obligatione, qua tenentur Judicibus super eorum delictis legitima auctoritate eos interrogantibus, veritatem aperire, quodque hoc animi proposito carentes absolutionem sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum suarum damno, susciperent; Si autem cum hujusmodi veritatis fatendæ proposito, aliisque debitis dispositionibus, peccata sua rite confiteantur, absolutio, quam a Confessario obtinuerint, ipsis in foro interno utilis sane, & salutaris existet, nullatenus vero in foro externo ad temporales promeritas pœnas evitandas prodesse poterit. Utque præterea Confessarii a Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque Puellis, & Mulieribus supradictis ad præmissum effectum electi iisdem Monialibus, intra Monasteria Clausuræ legibus subjecta, solemniter Professis, vota quæcumque post Professionem emissa, & cum eorum observantia Regulari compatibilia, dispensando commutare; Oblatis vero, Tertiariis, & tam istarum, quam prædictorum Monasteriorum Novitiis, ceterisque Puellis, sive Mulieribus Sæcularibus in eisdem Monasteriis, & Oblatarum, aut Tertiariarum Domibus, & Communitatibus, nec non in Conservatoriis, quibuslibet, Educationis, Convictus, aliave causa, & ratione, cum debitis licentiis, commorantibus, omnia, & quæcumque Vota, exceptis illis, quæ Nobis, & Apostolicæ Sedi reservata sunt, etiam dispensando commutare, easque omnes, & singulas, facta commutatione hujusmodi, ab emissorum Votorum etiam juratorum, observantia, absolvere possint, & valeant; dicta auctoritate Apostolica, & earumdem tenore præsentium, misericorditer in Domino concedimus, & indulgemus.

Non obstantibus nostris super Indictione Jubilæi præsentis Anni in hac Alma Urbe, & super suspensione Indulgentiarum, & Facultatum eodem Jubilæi Anno vertente, nec non Prædecessorum Nostrorum de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, & in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis Constitutionibus, Ordinationibus, & Reservationibus etiam in eadem Bulla Cœnæ contentis, nec non quorumcumque, etiam Mendicantium, & Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, etiam Societatis Jesu, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem concessis, præsertim in quibus caveatur expresse, quod aliquibus Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti hujusmodi Professores extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio facienda, vel alia exquisita forma ad id servanda foret, hujusmodi tenores pro insertis, & formas pro exactissime servatis habentes, pro hac vice, & ad præmissorum effectum duntaxat plenissime derogamus, ceteriquecontrariis quibuscumque.

Ceterum Venerabiles Fratres Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios hortamur, ut Nostræ & Apostolicæ Sedis benignitatis exemplo permoti, Confessariis a præmissis omnibus ad carcera-

earumdem præsentium effectum respective eligendis, facultatem absolvendi eosdem a casibus eisdem Ordinariis respective reservatis, impertiri non recusent.

Volumus autem, ut earundem præsentium Transumptis, sive exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, hortationis, commissionis, concessionis, derogationis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo nono, Decimo septimo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

Visa de Curia
F. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi

F. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

47 E *Sendosi degnata la Santità di N. Sign. Papa Bened. XIV. approvare, e confermare il Decreto della Sacra Congregazione delle Indulgenze, e Sagre Reliquie emanato ad istanza de' Divoti dell' Anime del Purgatorio sotto li 6. di Aprile dell' Anno 1741. in vigore del quale si concede l' Indulgenza di sette anni, ed altrettante Quarantene con la facoltà di poterla applicare per modo di suffragio alle suddette Anime del Purgatorio a tutti li Fedeli dell' uno, e dell' altro sesso, i quali o nell' Italia, o nell' Isole adjacenti nelli tre ultimi giorni della settimana Santa, cioè Giovedì, Venerdì, e Sabbato Santo divotamente si occuperanno per lo spazio d' un' ora continua in Orazione o mentale, oppure vocale a prò de' Fedeli Defonti; con potersi conseguire l' accennata Indulgenza in ciascheduno de' detti giorni dalla stessa Persona. Pertanto si rende consapevole ogn' uno de' Fedeli di sì inestimabile tesoro nuovamente dispensato da Nostro Signore, e si raccomanda alla loro pietà l' applicarsi di proposito a sì divoto esercizio, non meno meritevole per essi, che profittevole alle Anime Purganti, alle quali ne' tre suddetti giorni manca il consueto Suffragio del Sagrosanto Sagrificio dell' Altare. Data questo di 4. Marzo 1750.*

Fr. G. Card. Vicario.

Gasparo Arciprete Ori Segr.

In Roma, nella Stamperia della Reverenda Camera Apostolica 1750.

48 Ob generalia Comitia Ordinis Minorum de Observantia celebranda in Aracœlitano Conventu Almæ Romanæ Urbis die 16. Maii dicti Anni Sancti 1750. occurrente Vigilia Pentecostes, idem Benedictus XIV. per suam Constitutionem incipientem *Pontificis omnium*, dat 6. Martii 1749. omnibus, & singulis Fratribus Ministro Generali totius Ordinis subjectis rite confessis, sacraque Communione refectis Indulgentiam Plenariam, ac remissionem omnium peccatorum suorum pro illa vice, benigne concessit.

49 Ad complementum Jubilæi Anni Sancti subjungitur hic novissima Constitutio ejusdem Benedicti XIV. merito attendenda, ut sequitur.

Extensio Universalis Jubilæi in Urbe celebrati Anno Domini Millesimo septingentesimo quinquagesimo ad Universum Catholicum orbem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis.

Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

BEnedictus Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui dedit Nobis elapsum Jubilæi Annum secundum desideria cordis Nostri, per omnia felicem, faustumque transigere. Repleti sumus consolatione, superabundavimus gaudio, dum toto hujus Anni decursu, Dilectorum in Christo Nostrorum Ecclesiæque Filiorum fidem, religionem, pietatemque perspeximus. Vidimus confluentes ad hanc Urbem Nostram innumeros ex omni lingua, & populo, & natione, ex omni ordine, ætate, ac sexu, Christifideles, qui ipso suo adventu, & propriæ fidei fervorem, & amplitudinem Regni Dei testabantur. Eosdem vidimus ad sacra ejusdem Urbis Templa certatim accurrentes, in spiritu contrito, & humiliato, animarum suarum expiationi consulere, & sicut olivarum novellas in circuitu Mensæ Domini, vivifica Christianæ unitatis & pacis Sacramenta percipere. Tum etiam impigro studio, & religiosa frequentia, ab una ad alteram sæpe procedentes Ecclesiam; nunc in Constantiniana Lateranensi Basilica, SALVATORIS Nostri Clementiam, per merita ipsius Beati PRÆCURSORIS, ejusdemque Dilecti DISCIPULI & EVANGELISTÆ, exorantes; nunc in Liberiana Æde in Exquiliis, gloriosæ Virginis DEI GENITRICIS opem atque præsidium implorantes; nunc Sacram APOSTOLORUM PRINCIPIS Confessionem in Vaticano; nunc via Ostiensi DOCTORIS GENTIUM Martyrium osculantes, uberibusque lacrymis perfundentes pro Ecclesiæ Catholicæ pace & exaltatione, cunctorumque credentium incolumitate & salute, unanimes ferventesque preces effundere. Quo spirituali gaudio auribus Nostris audivimus ejusdem Urbis vias, & fora, areas, & colles, piis precationibus, suavibus canticis, ac Divini Nominis laudibus personare! Quoties commota sunt paterna viscera nostra, dum confertissimos vidimus Fidelium greges, Nostris pedibus circumfusos, in persona humilitatis Nostræ, Vicariam Christi potestatem venerari, ac Beati Petri Apostolatum, cujus dignitas in indigno heredæ non deficit, effusis filialis obsequii significationibus prosequi! His populorum flagrantibus studiis sacrorum præluxerunt exempla Pastorum, qui ad honorandam de more memoriam ejusdem Beatissimi Ecclesiæ Principis, hoc Anno potissime frequentes se contulerunt, & quorum Nos splendida corona stipati, sacros Conventus maxima cum dignitate, universæque Fraternitatis ædificatione, celebravimus. Quid vero dicemus de Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque Curiæ Nostræ Proceribus, qui pio rum operum assiduitate ceteris præeuntes, simulque Christianæ humilitatis exercitationibus infra quoscumque, licet abjectæ sortis, fratres sese demittentes, Christi bonus odor facti sunt universæ Civitati, & omnibus, qui fuerunt in ea? Quid demum de totius dilectissimæ Urbis Cleri, ac Populi devotione narrabimus, cujus pietatis exempla, cujus caritatis officia erga advenas, & peregrinos hoc Anno præsertim largiter ac sedulo impensa, in universo mundo annuncianda fore non dubitamus? Benedicti Filii Nostri, Romanæ Urbis Cives & Incolæ, qui fecerunt hanc misericordiam cum Fratribus suis. Nos autem confitebimur Domino, quoniam benignus est, quoniam consolationes ejus lætificaverunt animam nostram.

Sed præterea magna a nobis spes jure ac merito concepta est, eumdem clementissimum Dominum, imploratam votis Nostris misericordiam suam Nobis ostenturum, idque demum Ecclesiæ suæ largiturum fore, quod tam concordibus studiosisque obsecrationibus a se postulari concessit; ut scilicet Ecclesiam ipsam Catholicam, & Regnum Filii sui, per totum terrarum Orbem, & sanctitate, & amplitudine exaltet; ut cunctis Mundum purget erroribus; ut inter Christianos Principes concordiam, & pacem confirmet; universamque Christi sui plebem ab omni mundana adversitate defendens, ad

æternæ

æternæ salutis portum dirigat atque perducat. Quod ut ab eodem Deo Optimo Maximo fidentius petere audeamus, de prædictorum Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, decrevimus, Universos Christifideles, qui ubique locorum & gentium unius Fidei communione Nobis junguntur, in hujusmodi votorum societatem adscire, apertoque largius Indulgentiarum Thesauro, efficaciter invitare; sperantes fore, ut dum ad id assequendum, animarum suarum maculas per pœnitentiam eluendo, se comparabunt, ac pio devotionis affectu ferventes, debitæque erga Sedem Apostolicam observantiæ specimen in hoc ipso præseferentes, injuncta pietatis & religionis opera exercebunt; & singuli in semetipsis id, quod pro aliis postulabunt, obtineant; & quas pro Fratribus preces supplicationesque offerent, eidem bonorum omnium largitori, innocentiæ & caritatis suæ merito commendent.

Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, et suprema ligandi atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, in quacumque Mundi parte existentibus, & in Apostolicæ Sedis gratia & obedientia manentibus, etiam iis, qui forsan elapso Anno Romam venerunt, ibique, seu alibi, quavis ratione, hoc idem Jubilæum a Nobis concessum adepti sunt, vere pœnitentibus & confessis, & sacra Communione refectis, qui intra sex menses, a die publicationis præsentium in qualibet Diœcesi faciendæ computandis, Ecclesiam ipsius Cathedralem, seu Majorem, aliasque tres ejusdem Civitatis, aut Loci, sive in illius Suburbiis existentes, ab Ordinariis Locorum, vel eorum Vicariis, aliisve de ipsorum mandato, designandas, semel saltem in die, per quindecim continuos, vel interpolatos dies, sive naturales, sive etiam Ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei, usque ad integum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum, devote visitaverint, ibique pro Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, Hæresum extirpatione, Catholicorum Principum concordia, & Christiani populi salute & tranquillitate, pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ejusdem Anni Jubilæi omnium peccatorum suorum Indulgentiam, remissionem, & veniam semel consequantur, perinde ac si quatuor Basilicas, seu Ecclesias, intra & extra Urbem pro consequendo Jubilæo hujusmodi a Nobis designatas, statutis ad id diebus personaliter visitassent, & alia ad hoc requisita adimplevissent, misericorditer in Domino concedimus, & impertimur.

Navigantes vero, & iter agentes, ut, si post elapsos menses hujusmodi, ad sua se domicilia, seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis, & visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, seu stationis hujusmodi, eandem Indulgentiam consequi possint, & valeant. Nec non prædictis Locorum Ordinariis, ut cum Monialibus, Oblatis, aliisque Puellis, aut Mulieribus, sive in Monasteriorum Clausura, sive in aliis Religiosis, aut piis Domibus, & Communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quoque & Eremitis, ac aliis quibuscumque tam Lajcis, quam Ecclesiasticis Personis, Sæcularibus, vel Regularibus, in Carcere, aut Captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super præscriptis hujusmodi visitationibus tantummodo: cum Pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sunt, etiam super Communione hujusmodi, dispensare, ac illis omnibus & singulis, sive per se ipsos, sive per eorum, earumque Regulares Prælatos, aut Superiores, vel per prudentes Confessarios, alia pietatis, caritatis, aut religionis opera, in locum visitationum hujusmodi, seu respective in locum Sacramentalis Communionis prædictæ, ab ipsis adimplenda præscribere; atque etiam Capitulis, Congregationibus, tam Sæcularium, quam Regularium, Sodalitatibus, Confraternitatibus, Universitatibus, seu Collegiis quibuscumque, Ecclesias hujusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum, pro suo prudenti arbitrio, reducere possint ac valeant, earumdem tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus.

Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis, ut sibi, ad hunc effectum Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium Confessiones ab actuali Ordinario Loci, in quo earum Monasteria constituta sunt approbatum; Ceteris autem omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus, tam Laicis, quam Ecclesiasticis, Sæcularibus, & cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nominandi Regularibus, licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad eundem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium, tam Sæcularem, quam cujusvis etiam diversi Ordinis & Instituti Regularem, ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum Civitatibus, Diœcesibus, & Territoriis Confessiones hujusmodi excipiendæ erunt, ad personarum Sæcularium Confessiones audiendas approbatum; qui intra dictum semestris spatium, illas, & illos, qui scilicet præsens Jubilæum consequi sincere, & serio statuerint, atque, ex hoc animo ipsum lucrandi, & reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi, ad Confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, & in foro conscientiæ duntaxat, ab Excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis Sententiis & Censuris, a jure, vel ab homine quavis de causa latis, seu inflictis, etiam Ordinariis Locorum, ac Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, seu per alias quascumque Apostolicas Constitutiones quomodocumque reservatis, & a Sacris Canonibus fulminatis; nec non ab omnibus peccatis & excessibus, quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis, et Sedi Apostolicæ, ut præfertur, reservatis, injuncta ipsis pœnitentia salutari, aliisque de jure injungendis, absolvere; necnon Vota quæcumque, etiam jurata, ac Sedi Apostolicæ reservata (Castitatis, Religionis, et Obligationis, quæ a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de præjudicio tertii, semper exceptis; nec non pœnalibus, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare; et cum Pœnitentibus hujusmodi in Sacris Ordinibus constitutis, etiam Regularibus, super occulta Irregularitate ad exercitium eorundem Ordinum, et ad superiorum assecutionem, ob Censurarum violationem duntaxat contracta, dispensare possint, et valeant; Eadem auctoritate, et Apostolicæ benignitatis amplitudine, concedimus et indulgemus.

Non intendimus autem per præsentes super aliqua alia Irregularitate vel publica, vel occulta, seu defectu, aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate, quoquomodo contractis, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super præmissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ; neque etiam ulli Confessario facultatem absolvendi Complicem in quolibet inhonesto contra sextum Præceptum peccato aut Complici, Confessarium hujusmodi ad effectum præsentium eligendi licentiam impertiri; ut jam in aliis Nostris Literis incipient.: *Sacramentum Pœnitentiæ*: Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo editis, generaliter declaratum fuit; neque demum easdem præsentes iis, qui a Nobis & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico, nominatim Excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint, & cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Ceterum, si qui post inchoatum, hujus Jubilæi consequendi animo, præscriptorum operum implementum, morte præventi, præfinitum Visitationum numerum complere nequiverint; Nos piæ promptæque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere pœnitentes & confessos, ac Sacra Communione refectos, prædictæ Indulgentiæ & remissionis participes perinde fieri volumus, ac si prædictas Ecclesias diebus præscriptis reipsa visitassent. Si qui autem, post obtentas, vigore præsentium, absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes prædictas, ferium illud, ac sincerum, ad id alias requisitum, propositum ejusdem Jubilæi lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint; licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint, nihilominus hujusmodi absolutiones, commutationes, & dispensationes ab ipsis cum prædicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Ut autem hujus consilii Nostri, quod pro totius Populi Christiani salute & sanctificatione suscepimus, optatum consequamur effectum, maxima, post Deum, fiducia Nobis

bis repoſita eſt in Venerabilium Fratrum Noſtrorum Eccleſiæ Dei Antiſtitum cooperatione & ſedulitate. Itaque omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Ordinarios Locorum Prælatos, ſive Ordinariam localem juriſdictionem, in defectum Epiſcoporum & Prælatorum hujuſmodi, legitime exercentes, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habentes, per nomen Domini Noſtri, & Paſtorum Principis JESU CHRISTI, & per Charitatem Eccleſiæ ipſius Sponſæ, hortamur, rogamus, atque etiam Apoſtolica auctoritate ipſis injungimus, ut ſimul ac præſentium Literarum exempla ad eorum manus pervenerint, non ſolum eaſdem ſolemniter publicare, & in reliquis ſibi ſuperius injunctis exequi non prætermittant; verum etiam omni ſtudio adnitantur, ut Fideles ſub eorum regimine conſtituti, oblatam ſibi occaſionem reformationis, reconciliationis, & ſanctificationis, cum gaudio ſuſcipiant: ac ſe Apoſtolicæ Sedis favoribus & gratiis dignos exhibentes, has ipſas in uberrimum animarum ſuarum, Eccleſiæque univerſæ fructum convertant. Quid jam ab ipſorum Antiſtitum zelo, in præparandis ad Univerſalis Jubilæi acquiſitionem ſubjectis ſibi plebibus, præſtari optaverimus, dudum eiſdem per Apoſtolica ſcripta ex hac Sede directa ſignificavimus. Quid vero Nos ipſi in hac Urbe noſtra, in eundem finem, præſtiterimus, ad eorum notitiam perlatum fuiſſe putamus. Quo demum pietatis fructu, quo religionis exemplo, in hac ipſa Urbe, benedicente Domino, celebrata fuerit ipſius Jubilæi ſolemnitas, nullum Terræ angulum latere arbitramur. Merito igitur ab iiſdem Eccleſiarum Paſtoribus expectamus, & petimus, ut attendentes ad Petram, ex qua exciſi ſunt; ſuam cum Romana Eccleſia unitatem, & communicationem in hoc etiam oſtendere geſtiant: ut ſinguli in ſuis Civitatibus, et Diœceſibus id efficere curent, quod ipſa Eccleſiarum Mater, pro totius Catholicæ Societatis profectu et incremento, pro Chriſtiani Populi emendatione et ſalute, expetit: quod eadem Romana Eccleſia illuſtribus exemplis commonſtrat et docet. Omnes itaque Paſtoralis ſolicitudinis curas in id impendant, ut commiſſos ſibi Populos, in ejuſdem diſciplinæ puritate, Chriſtianæque pietatis fervore concordes exhibeant, unuſque per omnes Catholicas Eccleſias bonorum operum ſplendor appareat: ut omnium Fidelium conſentientibus precibus exoratus Omnipotens Pater, Eccleſiam ſuam miſeratione continuata emundet, defendat, et amplificet: Supremos Principes, qui ejus ordinatione in ſublimitate ſunt, cæleſtibus benedictionibus cumulet: univerſoſque credentes, per viam pacis, et per mandatorum ſuorum ſemitas, ad æternam, quam Nobis Unigenitus ipſius Filius promeruit, gratiæ ſuæ munere perducat. Tunc demum gaudium noſtrum plenum erit, ipſique Eccleſiarum Paſtores de profectu Sanctarum Ovium una Nobilicum exultatione gaudebunt.

Chariſſimos denique in Chriſto Filios Noſtros, Imperatorem electum, ac Reges et Principes omnes Catholicos, quorum plerique pro hujus Jubilæi ad eorum Regna atque Dominia extenſione, ſuum Nobis deſiderium ſignificarunt, quam ſatis intelligere non dubitemus, ex hoc ſalutari opere in eorum Ditionibus exequendo, cum piæ converſationis augmento, ſinceræ erga ipſos obedientiæ ſtudium, in populis eorum Ditioni ſubjectis magis magiſque firmatum iri; Divinæque propitiationis auxilium, ad ipſorum Dominantium, eorumque Principatuum proſperitatem & pacem, efficacius implorari; Idcirco eoſdem omnes & ſingulos fidentius hortamur atque rogamus, ut omnia adjumenta & auxilia præſtent dictis Eccleſiarum Prælatis, ad hoc ut pium hujuſmodi opus aptiſſimis mediis promovere, & ad optatum finem perducere valeant.

Præſentes quoque Literas per omnia validas, et efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus, ubicumque per dictos Ordinarios Eccleſiarum Præſules publicatæ, et executioni mandatæ fuerint, ſortiri et obtinere, omnibuſque Chriſtifidelibus in Apoſtolicæ Sedis gratia et obedientia manentibus, in hujuſmodi locis commorantibus, ſive ad illa poſtmodum ex navigatione & itinere ſe recipientibus pleniſſime ſuffragari volumus, atque decernimus; Non obſtantibus de Indulgentiis non concedendis ad inſtar, aliiſque Apoſtolicis, & in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Concilii editis Conſtitutionibus, Ordinationibus, & generalibus, ſeu ſpecialibus abſolutionum, ſeu relaxationum, ac diſpenſationum reſervationibus, etiam in prædicta Bulla Cœnæ contentis; necnon quorumcumque, etiam Mendicantium, & Militarium Ordinum, Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum, etiam Societatis Jeſu, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, legibus, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis eiſdem conceſſis, præſertim in quibus caveatur expreſſe, quod alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti hujuſmodi Profeſſores extra propriam Religionem peccata ſua confiteri prohibeantur. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio facienda, vel alia exquiſita forma ad id ſervanda foret, hujuſmodi tenores pro inſertis, & formas pro exactiſſime ſervatis habentes, pro hac vice, & ad præmiſſorum effectum dumtaxat, pleniſſime derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut earumdem præſentium Tranſumptis, ſive Exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Noſtræ Extenſionis, hortationis, commiſſionis, conceſſionis, derogationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo, Octavo Kalendas Januarii, Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

Viſa de Curia J. C. Boſchi.
Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Noſtri JESU CHRISTI Milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo primo Indictione quartadecima, die vero prima Menſis Januarii in Feſto Circumciſionis ejuſdem Domini Noſtri JESU CHRISTI, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. Benedicti Divina Providentia Papæ XIV. Anno Undecimo, ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicæ Lateranenſis, et Principis Apoſtolorum, et Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, et conſuetis Urbis per me Dominicum Contini Apoſt. Curſ.

Antonius Pellicia Mag. Curſ.

Ad uberiorem intelligentiam allatæ Conſtitutionis de extenſione univerſalis Jubilæi, juvat hic ſubnectere plura dubia per varias ſuas Apoſtolicas Litteras ab eo lem vigilantiſſimo Summo Pontifice reſoluta, & explanata; Cum enim, ipſe per ſuam Conſtitutionem incip. *Celebrationem Magni Jubilæi*, moneat omnes locorum Ordinarios, ut ad removendas omnes difficultates, & controverſias a Theologis Moralibus de Anni Sancti Jubilæo excitatas, ad ſuas Apoſtolicas Litteras recurſum habeant, & præſertim ad Conſtitutionem incip. *Convocatis*, & ad Epiſtolam italice impreſſam incip. *Fra le fatiche*, in quibus plurima ad hujuſmodi controverſiarum, & difficultatum ſolutionem adnotata reperiuntur, hinc juxta illas variorum dubiorum ſolutio, exponendo breviter ſpecialiores Bullæ particulas, hic traditur. 50 51

Et in primis quod per ly *Vere pœnitentibus*, *& confeſſis*, indicatur non ſufficere pro Jubilæo lucrando Confeſſionem in voto, ſive actum Contritionis duntaxat cum propoſito non peccandi de cetero; cum ſub nomine *Pœnitentis* contritus importetur, & ſub nomine *Confeſſi* eademmet actualis Confeſſio Sacramentalis demonſtretur, & exquiratur: Hanc opinionem firmat Benedictus XIV. in laudata Epiſtola *Fra le fatiche n.6.* eamque Eccleſiæ ſententiam appellat, memorando ibi reſponſum Congregationis Indulgentiarum, pro Miſſionariis, qui Confeſſario carentes, Indulgentiam plenariam

riam conſequi non poterant, quibus Clemens XII. nova ſpeciali gratia ſolius actus Contritionis conſuluit.

52 Immo ita neceſſario ad comparandum Jubilæum, & Indulgentiam requiritur Sacramentalis Confeſſio, ut ad eam teneantur etiam, qui ſolis peccatis venialibus, & nullo mortali ſunt coinquinati; Cum enim Eccleſia pro Jubilæo opera conſilii, & ſupererogationis præſcribat, ubi Confeſſio operibus præſcriptis annumeratur, etiam de ſolis venialibus pro comparanda Indulgentia fieri debet; ut tradit idem Pontifex in d. Conſtitut. *Convocatis* §. 46. & in d. Epiſtola *Fra le fatiche n.* 77.

53 Inſuper ita pro adquirendo Jubilæo requiritur Sacramentalis Confeſſio, quod qui ipſum viſitationibus Eccleſiarum premiſit, ſi iſtarum tempore in mortale incidat peccatum, aut peccati mortalis obliti recordetur, ut ultimum opus in gratia conficiat, teneatur iterum Sacramentaliter confiteri, nec ei ſufficiat actus contritionis. Sic idem Pontifex in d. Conſt. *Convocatis* §. 47. & in recenſita *Epiſtola num.* 79. Nec ſufficit Confeſſio voluntarie nulla, ſeu ſacrilega, ut deducitur ex propoſitione 14. inter damnatas ab Alexandro VII. 24. Sept. 1665. a nobis jam ad id adducta infra *art.3. n.25.*

54 Per ly *Et ſacra Communione refectis*, denotatur quod requiritur Communio Sacramentalis ſpiritualis in gratia facta, & non ſufficit communio ſacrilega, ut colligitur ex propoſitione 55. ex damnatis ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. jam a nobis ad id allata *loc.cit. n.28.* & firmat Pontifex in laudata *Epiſtola n.2.* qui primus pro Jubilæi Indulgentia lucranda hanc de Communione conditionem adjecit propter momenta in ejuſdem Alloquutione Conſiſtoriali deſcripta die 5. Maji 1749.

55 Per ly *ſemel ſaltem in die*, deſignatur, quod omnes quatuor ſtatutæ Eccleſiæ viſitandæ ſint ſemel ſaltem in eadem die; nec ſufficit unam ex ipſis uno die, & alteram altera die intra præfinitum Jubilæi tempus viſitare; ut docet praxis, & ita fieri debere ſancivit peculiaris Congregatio Eminentiſſimor. Cardinalium, & Prælatorum anno 1700. ab Innocentio XII. ad id deputata. Quod etiam expreſſit in ſua tunc temporis notificatione Eminentiſs. Cardinalis Gaſpar Carpegna Romæ Vicarius, uti videre eſt ſupra in hoc *art.2. n.30.* & impræſentiarum firmat Benedictus XIV. ex valore ipſorum verborum *ſemel ſaltem in die* in Conſtit. incip. *Peregrinantes*, et in laudata *Epiſtol. n.11.*

56 Per ly *Dies ſive naturales*, *ſive Eccleſiaſticos*, indicatur, quod utraque dies, aut *naturalis* incipiens ab una media nocte, et in alteram ſubſequentem deſinens, aut *Eccleſiaſtica* incipiens a primis Veſperis unius diei uſque ad integrum ipſius ſubſequentis diei veſpertinum crepuſculum, ad viſitationes peragendas idonea declaratur, ut expreſſe idemmet Pontifex in Conſtitut. *Benedictus Deus* §. *Itaque*, et in *dict. Epiſtola num.* 13.

57 Per ly *viſitaverint*, quamvis ſatius ſit intelligi Viſitationes Eccleſiarum faciendas eſſe in gratia, ſicuti et alia opera injuncta pro Jubilæo comparando; Attamen ſi Viſitationes Eccleſiarum, et alia injuncta opera executioni mandentur cum devotione, et reverentia juxta Extravag. *Unigenitus*, et aliam *Quemadmodum*; et Conſtitutionem Bened. XIV. incip. *Peregrinantes*, itaut pie diſponant ad Sacramentalem Confeſſionem, et Communionem, ideſt modeſte, et devote in Eccleſia colendo Deum, et venerando Sanctos, adeout actus moraliter boni dici poſſint, dummodo ultimum opus ex injunctis in gratia adimpleatur; certum eſt ab hiſce ſic Deo reconciliatis Indulgentiam plenariam Jubilæi lucrari, ut jam tradidimus ſupra *art.3. n.46.* et firmat idem Pontifex tum Conſt. *Convocatis*, tum in Epiſtola *Fra le fatiche nu.76.* Nec officit quod in Bulla Jubilæi Confeſſio pro prima ex injunctis operibus recenſeatur, ſicque videatur Confeſſionem debere aliis operibus præmitti. Non officit, inquam, quia ordo verborum nequit eſſe regula pro ordine facti, ut ad rem noſtram ſignifi-
58 cat idem Pontifex in cit. *Epiſtola n.76.*

Non lucrantur autem Jubilæum, qui in peccato mortali Eccleſiarum viſitationes peragunt, et inſuper pravo fine, vel ſine recta intentione, v. g. ut otientur, ut curioſitati ſatisfaciant, & id genus alia, ab intento comparandi Jubilæum penitus aliena, ut recte declarat laudatus Pontifex in cit. Con-
59 ſtit. *Convocatis*; & in d. *Epiſtola num.76.*

Per ly *Pias ad Deum preces effuderint*, ſignificat Pontifex, pro lucrando Jubilæo ſufficere Orationem vocalem, & quamvis laudanda ſit Oratio mentalis, addendam vult aliquam vocalem in cit. Conſt. *Convocatis* §.51. Et inſuper brevem Ora-

tionem magno fervore factam ſatis eſſe declarat ad ſatisfaciendum fini Conſtitutionis *Peregrinantes*, ſeu Jubilæo in laudata *Epiſtola n.83.* Non autem ſufficere modicam Orationem ex acedia, aut torpore provenientem, nam cum ipſa devotionem excludat, inepta eſt ad Jubilæum comparandum.

Per ly *Pleniſſimam ejuſdem Anni Jubilæi omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam*, occaſionem ſumit Pontifex erudite demonſtrandi primis Eccleſiæ ſæculis uſque ad annum MCCC. Indulgentiam hanc plenariam conſequi volentibus, neceſſe fuiſſe in Palæſtinam ſe conferre ad pugnandum pro Terræ Sanctæ recuperatione, ut videre eſt in Concilio Claramontano, ubi Urbanus II. hanc Indulgentiam conceſſit; Neque aliam ſæculis illis extra Terram Sanctam potuiſſe comparari Indulgentiam plenariam uſque ad exordium decimi quarti ſæculi, in quo Bonifacius VIII. illam conceſſit pro Anno Sancto Jubilæi. Sic laudatus Pontifex in Epiſtola Encyclica incip. *Celebrationem*. Quomodo autem ſit intelligenda Indulgentia plena, plenior, & pleniſſima, jam tradidimus ſupra *in verb. Indulgentia art. 1. numer. 9. &* 10. Vide *ibi*. 60

Per ly *Semel conſequantur*, intelligitur quod Jubilæum Anni Sancti quoad facultates ſemel tantummodo; quoad Indulgentias vero pluries repetitis operibus injunctis intra tempus præfinitum comparari poſſe, ut declaravit Sanctiſſimus in Conſt. *Convocatis*, & in cit. *Epiſtola n.* 84. & expreſſit in Bulla Jubilæi *Benedictus Deus* §. *Itaque*, ibi: *Indulgentiam remiſſionem, & veniam ſemel conſequantur*. Nemo tamen poteſt Indulgentiam Jubilæi hujus pro ſe acquiſitam, mortuis applicare; Nam idem Pontifex *in cit. Epiſtola* firmat Regulam eſſe, non poſſe Indulgentias vivis conceſſas, pro defunctis applicari per modum ſuffragii, niſi id in conceſſione exprimatur. Generaliter autem eandem Indulgentiam plenariam, etiam repetitis operibus eadem die iterari non poſſe declaravit Sacra Congregatio Indulgentiarum die 7. Martii 1678. approbante Sanct. memor. Innocent. XI. Vide ſupra *verb. Indulgentia artic. 3. num. 23. & articul. 4. numer.* 15. *in fine*. 61

Per ly *Navigantes vero*, *& iter agentes*, declarat Pontifex quod navigantes, & iter agentes, ſeu aliò ad certam ſtationem ſe recipientes, poſt elapſum Jubilæi tempus, poſſint ipſum lucrari, viſitata totidem vicibus Eccleſia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domicilii, ſeu ſtationis hujuſmodi. Sic ipſe expreſſe in eadem Bulla *Benedictus Deus* §. *Navigantes*. 62

Per ly *Superpræſcriptis hujuſmodi viſitationibus tantummodo*, determinat Sanctiſſimus, quod non omnia opera in Jubilæo injuncta in alia pia Opera commutari poſſint, ſicque hanc commutationis facultatem non extendi ad Confeſſionem, aut Communionem (exceptis nondum ad Communionem idoneis) neque ad ipſas preces in viſitationibus fundendas, ut monet in laudata *Epiſtola num.53.* Quinimmo tum *ibi*, tum in Conſtitutione *Convocatis* §. 21. pro Romano Jubilæo onerat conſcientias Pœnitentiariorum, ne hac tam in minuendis, quam commutandis viſitationibus abutantur; Et in Epiſtola Encyclica omnibus locorum Ordinariis directa, permittit, ut juſtis ſolum de cauſis opportunas commutationes, & reductiones concedant; Hinc clare ſtat, facultatem commutandi conceſſam ſe extendere tantummodo ſuper præſcriptis viſitationibus, ut expreſſe ſtatuitur in eadem Conſtitutione *Benedictus Deus* §. *Navigantes*, 63

Per ly *Alia pietatis*, *caritatis*, *aut religionis opera*, intelligendum eſt, quod niſi qui Jubilæi Indulgentiam largitur, aliter expreſſe aſſerat, comutatio viſitationum, aut Communionis cum pueris, nequit fieri in alia opera, quibus pœnitens jam alio oneris titulo ſit adſtrictus, ut relatis ad id Doctorum diverſis opinionibus, æquius cenſet Benedictus XIV. in d. Epiſtola *Fra le fatiche num.13.* de Italico in latinum converſa, ſic: *Æquior tamen opinio ea videtur, quæ inſiciatur Indulgentiam comparari poſſe operibus, ad quæ alio titulo quis adſtringitur; Niſi tamen, qui Indulgentiam largitur, expreſſe aſſerat, eam prædictis aliunde jam debitis operibus acquiri poſſe; ſeu ſi quis inter injuncta opera, tria Jejunia recenſeret, eaque quatuor anni temporibus, puta Septembris, ſpeciatim aſſerat eſſe complenda*. Ex quibus patet, quod quando Legislator abſolute loquitur ad lucrandum Jubilæum, uti non poſſumus operibus, quæ alio titulo Deo debemus; Et paulo poſt arctius pro viſitationibus, ſic habet; *Cum nequeant pœnitenti commutari* (viſitationes Baſilicarum) *in pia opera, quæ alio titulo idem adimplere tenetur; Cum hic aga-* 63

tur de subrogatione, & juxta sanctam regulam, subrogatum ejusdem naturæ, & indolis esse debeat cum re, pro qua supponitur; Si ergo Basilicarum visitatio libera est, nullique præcepto obnoxia, sed novum tempus addit Indulgentiam consequendam, subrogatum ejusdem naturæ, & speciei non erit, si jam cadat sub præcepto, si ex iis sit, ad quæ penitens alio titulo sit adstrictus. Unde non videtur subsistere Auctorum opinio, qui eadem Paschali Communione, & Præcepto Communionis Paschalis & Iubilæo satisfieri posse censuerunt.

65 Per ly *Ad minorem numerum*, duplex potest dubium expendi. I. An si decursu temporis Jubilæi, Indultum minorationis visitationum exiret, qui jam tot vicibus Ecclesias visitasset, quot satis essent ad implendum numerum in minoratione præscriptum, ad alias visitationes teneretur: Et respondetur, certum esse valere visitationes Ecclesiarum jam juxta minorationem completas; hac tamen adjecta conditione, quod post minorationem adhuc semel quatuor designatæ Ecclesiæ unica die visitentur. II. An qui aliquibus vicibus jam Ecclesias visitavit ante Indultum minorationis, post idem possit jam ante factas numerare pro iis, quæ in minoratione restringuntur? Et respondetur, certum esse jam factas visitationes Ecclesiarum, numerum ingredi in minorationem præscriptum. Ita sancit, & firmat idem Pontifex in recensita *Epistola numer.* 32. & in citat. Constitutione *Convocatis* §. 50.

66 Per ly *Insuper iisdem Monialibus, earumque Novitiis*, explicat Pontifex eos solummodo posse Moniales, & Novitias eligere Confessarios, quos actualis loci Ordinarius, vel universaliter, vel pro aliquo peculiariter Monasterio approbavit, nec postea reprobavit; Sic in eadem Bulla *Benedictus Deus* §. *Insuper*, & in Epistola Encyclica *Celebrationem* §. *Cum autem Nos*; declarans insuper electionem hanc esse debere ad effectum Jubilæi consequendi, his verbis: *Licere Monialibus earumque Novitiis in hoc præsenti Jubilæo ad effectum ejusdem Jubilæi consequendi Confessarium eligere ab actuali Ordinario loci, etiam pro alio Monasterio vel pro Monialibus in genere approbatum.*

67 Per ly *Regularibus*, declarat Sanctissimus posse Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, etiam specialiter nominandi, tempore Jubilæi sine proprii Superioris facultatem sibi eligere pro suo arbitrio quemcumque Confessarium, sive Sæcularem, sive Regularem cujusvis Ordinis, approbatum ab Ordinario loci ad personarum sæcularium Confessiones audiendas. Sic expresse in eadem Const. *Benedictus Deus* §. *Insuper*. Nec valet dicere, quod sicuti Regulares sine sui Superioris facultate non possunt extra suum Ordinem Confessarium eligere vigore Bullæ Cruciatæ, uti sancitum est a pluribus Summis Pontificibus, & præsertim a Benedicto XIV. Const. incip. *Apostolica Indulta*: Ita neque possunt virtute Bullæ Jubilæi; Non valet, inquam, quia ideo non possunt id Regulares virtute Bullæ Cruciatæ, quia cum Cruciata, sit privilegium permanens, si in Regularibus Ordinibus hoc Jus vigeret, illidem etiam detrimento foret, jubilæum autem cum sit privilegium transiens, & cito præteriens, omnibus favet, & nulli nocet; adeoque possunt Regulares libere sibi eligere quemcumque Confessarium extra Ordinem ut supra virtute Jubilæi, & non vigore Cruciatæ: quam rationem reddit idem Pontifex in laudata Epistola *Fra le fatiche num.* 36. & nos fuse tradimus infra *art.* 2. *num.* 3. Vide *ibi*.

68 Per ly *Sincere, & serio statuerint*, demonstratur eum, qui præsens Jubilæum consequi serio, & sincere nolit, neque absolutionem a Censuris, neque alias facultates consequi posse, ut firmat Pontifex in recensita *Epistola n.*62. ubi rationem reddens dicit, *Nam si facultates in ordine ad Jubilæum conceduntur, usum deperdunt, ubi quis ad Jubilæum consequendum nolit accedere*; Et Suarez *tom.*2. *de Religione lib.*5. *c.*16. *n.*6. sic expresse tradit. *Gratia non conceditur nisi in ordine ad hunc finem, & per modum præparationis ad effectum Jubilæi, ergo qui non habet animum implendi, & otinendi Jubilæum, non potest gaudere facultate.*

69 Per ly *Et censuris*, intelligendum venit duntaxat de Interdicto, Suspensione, & Excommunicatione juxta *c. Quærenti* 10. *de verb. signific.* & non de Irregularitate ex delicto contracta. Sic idem Pontifex in laudata *Epistola num.* 50. ubi Censuras ab Irregularitate secernit, & pro Censuris nomen *absolutionis*, pro Irregularitatibus vero nomen *dispensationis* juxta phrasim Tridentini *sess.*24. *c.*6. *de reform.* data opera se adhibuisse significat.

70 Per ly *Etiam in Bulla Cœnæ Domini*, quamvis ampla concedatur facultas, non tamen absolvendi ab hæresi externa, ut constat tum ex Decreto Alexandri VII. in Congregatione S. Officii die 23. Mart. 1656. ubi habetur, *facultatem absolvendi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censeri comprehensam, nisi expressis verbis concedatur facultas absolvendi ab hæresi*; Tum ex iis, quæ tradit idem Benedictus in Constitut. *Convocatis*, & in memorata *Epistola n.*85. ac in quarta Notificatione edita ab ipso adhuc Cardinali, & Archiepiscopo Bononiæ residente.

71 Per ly *Quantumcumque gravibus, & enormibus*, ne aditus pateat aliquibus asserendi Jubilæi tempore casum aliquem enormem reservatum esse, ut nonnulli Auctores ex Bullis Alexandr. VI. *Cum in principio*, Clementis VII. *Pastoris æterni*; & Pauli II. *Et si Dominici Gregis, inter Extravagant. commun. de pœnitent. & remissionib.* dixerunt, Bened. XIV. omnem submovit difficultatem, hanc adjiciendo ampliantem clausulam, sicut se explicat in d. *Epistola n.*37.

72 Per ly *Injuncta ipsis Pœnitentia salutari*, declaratur onus imponendi, & adimplendi salutarem pœnitentiam in Jubilæo, ut tradit Pontifex in recensita *Epistola num.*65. recte animadvertens neminem vere pœnitentem esse posse juxta *cap. Omnis utriusque sexus* 10. *de pœnit. & remiss.* quisalutarem refugit pœnitentiam.

73 Per ly *Vota quæcumque*, expresse conceditur Confessariis Jubilaribus facultas commutandi in alia pia, & salutaria opera vota quæcumque, etiam jurata, & sedi Apostolicæ reservata, exceptis votis solemnibus Castitatis, Religionis, & Obligationis jam a tertio acceptatis, seu in quibus agitur de præjudicio tertii; & pœnalibus pro præservatione a peccato emissis, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato comittendo refrænet, quam prior voti materia. Sic ipse Pontifex in eadem Bulla *Benedictus Deus* §. *Insuper*, in Constitution. *Convocatis*, & cit. *Epist. num.* 40 *& seq.*

74 Per ly *Super occulta Irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum*, venit intelligendum, quod Confessarii in Jubilæo possunt sicuti in majoribus Ordinibus, sive Sacris, dispensare super occulta irregularitate ob censurarum violationem contracta in exercitio suorum Ordinum, ut expresse in ipsa Bulla *Benedictus Deus*, §. *Insuper in fin.*; Ita etiam possunt a fortiori dispensare in iis Minorum Ordinum, qui Irregularitatem prædictam ob earumdem censurarum violationem contraxerunt, quamvis in Bulla non exprimantur, quia ut explicat Pontifex in d. Epistola *Fra le fatiche n.* 50. concesso majori, minus etiam concessum intelligitur, *cap. Ex parte* 27. *de decimis* cum plus semper in se contineat quod est minus, *cap. Plus* 35. *de Regul. jur. in* 6. *l. in eo quod plus* 210. *ff. de Reg. Juris*; Et cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, *cap. Cui licet* 43. *de Regul. jur. in* 6. *L. Non debet* 21. *ff. de Regul. jur.*

75 Per ly *Concedimus, & indulgemus*, intelligi debet, facultates in Jubilæo concessas, in Confessione duntaxat exercendas esse, ut declaravit Bened. XIV. in Constitut. *Convocatis* §. 25. & in memorata *Epistola n.*63. addens ex Thesauro *de Pœnitent. Eccl. par.*1. *c.*22. hanc esse praxim Pœnitentiariæ, quod nempe prædictæ facultates nonnisi intra Confessionem exerceantur.

76 Per ly *Complicem*, declarat Pontifex complicem Confessarium in quolibet inhonesto contra sextum Decalogi præceptum peccato, in quocumque etiam amplissimo Jubilæo non posse Sacramentalem absolutionem imperiri, ex quoipse per ejusdem Pontificis Constitut. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, & Constitut. incip. *Apostolicis muneris*, factus sit subjectum incapax sub pœna nullitatis ad absolutionem impertiendam suo complici in dicto peccato, ut jam tradidimus *in Tomo* 2. *verb. Complex peccati*, & verb. *Confessarius ar.*4. *n.*14. Vide *ibi*.

77 Per ly *Nisi intra tempus dictorum sex mensium satisfecerint* denotatur quod obligatio imponi solita in absolutione a censuris incursis propter damnum illatum, aut injuriam irrogatam, satisfaciendi parti læsæ, non respicit Judicem, ut non nulli intellexerunt, sed eum, qui damnum, aut injuriam passus est, ut patet ex obvio verborum sensu, & expresse declaravit idem Pontifex in laudata *Epistola n.*66.

78 Per ly *Visitassent*, indulget quidem Pontifex, ut qui morte præveniuntur, antequam præfinitum visitationum numerum compleverint, si vere pœnitentes confessi, & Sacra Communione refecti decesserint; Jubilæum consequantur; uti

uti etiam disposuit pro Jubilæo Romano in Constitutione *Peregrinantes*. At vero Jubilæum minime consequeretur, qui ante Confessionem, & Communionem ad Jubilæum requisitam interiret, quia Pontifex morte correptos dispensat solummodo a residuis visitationibus, & aliunde declarat quod in operibus præscriptis voluntas exequendi non sufficit, nisi opere compleatur; Sic expresse in toties laudata *Epistola num.* 15.

79 Per ly *Si quis autem post obtentas, vigore præsentium, absolutiones a Censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes*, decernit Pontifex quod qui confessus animo lucrandi Jubilæum, in Confessione obtinuit absolutionem a Censuris, commutationem votorum, vel dispensationem, si deinde mutato animo, opera pro Jubilæo injuncta prætermittat, nihilominus prædictæ absolutiones, commutationes, vel dispensationes subsistant; licet qui opera implere negligit, vix a reatu peccati immunis censeri possit; Sic in hac Bulla *Benedictus Deus*, §. *Cæterum*; & in Constitutione *Convocatis* §. 54. ac in d. *Epistola num.* 86. recte animadvertens absolutionem non dari conditionate, seu ad recidentiam, sed absolute, dummodo pro tunc pœnitens habeat animum lucrandi Jubilæum; Unde si post mutet propositum, remanet adhuc absolutus, quamvis peccet. Et quidem probabilius mortaliter, ut cum Suarez, Aversa, Viva, Vasquez, & Filliucio videtur sentire Pontifex in toties commemorata *Epistola numer.*86. quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi, cum videatur intervenire tacitum pactum inter Pontificem, & Pœnitentem, ita scilicet, ut Pontifex concedat hujusmodi media, & pœnitens ea acceptet, obligando se ad ponendum finem, adeoque si absque rationabili causa omittat deinde ponere opera injuncta, & lucrari Jubilæum, violabit pactum tacitum in re gravi, sicque graviter peccabit.

Quibus omnibus hucusque traditis, tamquam de irrefragabili mente eruditissimi sapientissimi, ac zelantissimi Pontificis Bened. XIV. firmiter adhærendum statuo, quidquid in aliquibus cum variis aliis de Jubilæo contrarium scripserim.

80 Ad complementum hucusque dictorum, placet hic subnectere sequentem Const. Clement. XIII. qua Jub. universale indixit Anno I. sui Pontificatus.

CLEMENS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei.

Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

VEnimus in altitudinem maris, & ne, adversis luctantibus ventis, tempestas aquarum Nos demergat, gemitibus inenarrabilibus ad Deum clamavimus, ut in susceptо a Nobis Apostolatus Officio, & in gerendo hoc gravissimo munere, viribus nostris longe impari efficacissimæ gratiæ suæ opem, & præsidium copiose largiatur, & preces nostras, quas in hac die tribulationis prolixe effundimus, benignissime suscipiat. Quis enim tota mente, atque totis artubus non contremisceret? Quis maximo timoris cruciatu non angeretur? Quis præ tristitia penitus non conficeretur, statuens ante oculos, & diligentissime perpendens Catholicæ Religionis, & hujus Apostolicæ Sedis mœstissimam faciem? Quis denique acerbissime non defleret tot horrida vulnera, & fidei, & disciplinæ, & juribus nostris inflicta? Sed non opus est tot mala commemorare & referre, & silentio præterire remedia, quibus tot jacturis possumus subvenire. Nullus est morbus tam magnus, tam diuturnus, tam desperatus, qui sanari non possit, vel cui certe opitulari non valeat pro ineffabili sua Clementia Omnipotens Deus, cujus misericordia superexaltat Judicium. Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum ejus in tempore opportuno, arma enim nostra, quibus tot malis fortiter constanterque obsistere possumus, sunt Preces, & Lacrymæ, Jejunia, & Eleemosynæ; scimus quod si manserimus in eo, & verba ejus in nobis manserint, quodcumque voluerimus, petemus, & fiet nobis. Convertamur igitur ad Deum in toto corde nostro, in jejunio, in fletu, in planctu, nec avertamus faciem ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec a nobis avertatur facies Domini. Hæc autem, ut ferventiori spiritus ardore, majori

opere fructu peragantur, priscum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum morem sequuti, cœlestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei nostræ commissa est, proximis diebus, quibus Catholica Ecclesia sacras Quatuor Temporum observationes annua recolit devotione, pro felici nostri Pontificatus initio erogare decrevimus. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus, licet indignis, contulit, universis & singulis utriusque sexus Christifidelibus in Alma Urbe nostra degentibus, qui solemni Processioni, quam Dominica, decimaoctava post Pentecostem, die videlicet decimaseptima currentis mensis Septembris ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum in Thermis ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris nuncupatam de eadem Urbe una cum Venerab. Fratr. nostr. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinal., necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, Prælatisque, & Officialibus ejusdem Curiæ, universoque Clero, & Populo, benedicente Domino, agemus, devote interfuerint, vel S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris præfatæ Ecclesias, seu Basilicas, vel earum aliquam intra spatium ejusdem, vel proxime subsequentis hebdomadæ saltem semel visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint; ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex præfatis hebdomadis jejunaverint, & peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Dominica die immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint: ceteris vero extra urbem prædictam ubicumque degentibus, qui Ecclesias ab Ordinar. locorum, vel eorum Vicar., seu Officialibus, aut de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ pervenerint, designandas, vel Ecclesiarum hujusmodi aliquam spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios, vel eorum Vicarios, seu Officiales, vel alios, ut præfertur, faciendæ decurrendarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eamdem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam eleemosynam, ut præmittitur erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jub. visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem prædictam concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali loci eorum domic. eamdem Indulgentiam consequi possint, & valeant.

Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis sæcularibus, vel Regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a locorum Ordinar. ante præsentium publicationem, seu approbandis eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus. Insuper omnibus, et singulis Christifidelibus utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis sæcularibus, & regularibus cujusvis Ord., Congregationis, et Instituti tam in Urbe præfata, quam extra eam ubique locorum, ut præfertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam sæcularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sentent., & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinar., sive

Ne-

Nobis, & Sed. Apostol., etiam in Litter. die Cœnæ Domini legi solitis contentis, & alias per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenore præsentibus haberi volumus pro expressis quomo documque reservatis, in foro Conscientiæ, & hac vice tantum absolvere, et liberare valeant; Insuper vota quæcumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in suprad. omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem Confessar. arbitrio injungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, et quibuscumque Venerab. Fratr. Patriarch., Archiep., et Episcopis, et aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ord. locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicar., & Official., vel, iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut, cum præsentium Litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquomodo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denuntiati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Non obstantibus Const., & Ord. Apost., præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pont. pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant; nechon Regula nostra de non concedendis Indulgent. ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privileg. quoque, indultis, & Litter. Apostol. eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum præmissorum derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis manu alicujus Notar. publici subscriptis, & Sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis ubique locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. *Septembris* 1758. *Pontificatus Nostri Anno Primo.*

D. Card. Passionei.

J. Datarius.

Visa de Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

ARTICULUS II.

Jubilæum quo ad ea, quæ concernunt Confessarium Jubilarem.

IN Jubilæis extraordinariis duarum hebdomadarum conceditur cuilibet Sæculari facultas eligendi Confessarium ab Ordinario loci approbatum; *Communis*, & patet ex Bullis pro talibus Jubilæis edi solitis. Etiam Regulares possunt tempore Jubilæi sine licentia suorum Superiorum sibi eligere Confessarium quemlibet, sive Sæcularem, sive Regularem ex approbatis ab Ordinario loci; Navarrus, Suarez, Filiucc. dicens sic esse declaratum a Sacra Congregatione, Bolsius, Diana, Bordon. Lugo, Gobat dicens esse rescriptum Roma, ut fatetur verbis Bullæ, Belle gambe *part.* 3. *sect.* 6. *quæst.* 1. cum la Croix *lib.* 6. *part.* 3. *num.* 1464. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 2. *num.* 1429. Tamburin. *tom.* 2. *pag.* 37. *num.* 40. & sic etiam plures alii. Et de facto verba Bullæ non solum dant potestatem *Omnibus, & singulis Regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti eligendi sibi Confessarium quemlibet tam Sæcularem, quam Regularem, qui ab omnibus casibus absolvat &c.* sed etiam hanc potestatem concedunt, *non obstantibus quibuscumque privilegiis iisdem Ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset.*

Nec obstant Constitutiones aliquæ Summorum Pontificum, et signanter Urbani VIII. Constitut. incip. *In specula* 19. *Junii* 1630. declarantes, et respective declarans, Bullam *Cruciatæ, & alia Indulta hujusmodi Regularibus, & Monialibus non suffragari quantum ad illum articulum eligendi Confessarium independentem a suis Superioribus*. Non obstat, inquam, quia ultra quam quod, ut notat Felix Potestas *loc. cit. num.* 1429. et alii, declaratio contraria Pontificum est expresse edita pro Bulla Cruciatæ, minime pro Jubilæo; recte insuper advertit Card. de Lugo *disput.* 20. *de Pœnitentia num.* 187. diversis formulis, & efficacioribus revocari privilegia Regularium in Bulla Jubilæi, quam in Bulla Cruciatæ. Unde quamvis Regulares non possint vi Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium sine licentia suorum Superiorum, eo quod privilegium concessum Regularibus, quod non possint eligere Confessarium extraneum, non sit revocatum per Bullam Cruciatæ, possunt tamen talem Confessarium eligere vi Jubilæi, eo quod per ejus Bullam censeatur revocatum supradictum privilegium, ut patet ex supra adductis verbis in Bulla Jubilæi apponi solitis; *Non obstantibus quibuscumque privilegiis iisdem Ordinibus concessis, etiamsi de illis specialis mentio facienda esset*. Et ratio, cur non sit revocatum supradictum privilegium per Bullam Cruciatæ, bene vero per Bullam Jubilæi, est, quia Bulla, seu Indultum Cruciatæ est permanens, & ideo Religionibus obesset; Bulla vero, seu Indultum Jubilæi est transiens, favens omnibus, nulli nocens; ideoque sæpe Pontifices declararunt, vi Bullæ Cruciatæ se noluisse revocare privilegia Religionum; secus vero vi Bullæ Jubilei; Quod præsertim constat ex Declaratione Gregorii XIII. apud Rodriquez relata a Pasqualigo *de Jubilæo qu.* 206. his verbis: *Congregatio pro majori parte sensit pro negativa sententia (videlicet, quod non possint Confessarium extra Religionem Regulares eligere) dixit tamen dubium esse referendum Sanctissimo Domino, qui postea die* 19. *Decembris* 1581. *in Consistorio respondit: Tempore Jubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata Sacerdotibus etiam Sæcularibus approbatis ad Confessiones; Nam in Bulla non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt Confessiones, non de Ordinario poenitentis*. Imo nedum possunt Regulares tempore Jubilæi confiteri cuicumque Confessario approbato ab Ordinario loci, tam Sæculari, quam cujusvis Ordinis Regularis, sed etiam possunt absolvi a casibus suo Superiori Regulari reservatis, ut apud Nicolaum *in Flosculis verb. Jubilæum num.* 6. declaravit *Sacr. Congregat. Episc. & Regul.* 19. *Aprilis* 1583. & Alexander VII. *die* 14. *Maji* 1655. in suo Brevi incipient. *Unigenitus*, & sic antea declarasse Gregorium XIII. testatur Peyrin. *de privileg. Regul. tom.* 3. *cap.* 4. *num.* 3. *pag.* 1324. & Murga *in tract. de Benefic. Ecclesiast. quæst.* 2. *num.* 121. *pag.* 44.

Confessarius eligendus tempore Jubilei debet esse approbatus ab Ordinario loci, seu ipsius Confessarii, non autem ab Ordinario pœnitentis; Ita Sacra Congregatio Concilii interpretando Bullam Jubilæi, & ex ejus sententia Sanctissimus declaravit, Bullam esse intelligendam de Ordinariis eorum, qui audiunt Confessiones, non autem de Ordinariis pœnitentium; sic refert Fagnan. *lib.* 5. *decretal. in cap. Ne pro dilatione* 16. *de poenit. & remissionib. num.* 19. Unde Regulares, ut absolvantur a reservatis virtute Jubilæi, probabiliter non possunt eligere Confessarium approbatum a solo suo Prælato Regulari; Suarez, Reginald. Vega, Lugo cum La Croix *loc. cit. num.* 1465. Filiuc. Lezana, Bossius, Henriq. Faustus, & alii cum Viva *de Jubilæo quæst.* 9. *art.* 1. *numer.* 3. Pontius *disput.* 46. *quæst.* 10. *conclus.* 5. *num.* 138. Barbosa *super Concil. Trid. sess.* 23. *cap.* 15. Quilici *quæst.* 5. *art.* 4. Mattheucci *Cautela Confessarii lib.* 1. *cap.* 9. *numer.* 8. & alii. Et ratio est, quia per *Ordinarios locorum*, a quibus Jubilares Confessarii debent esse approbati secundum Bullam Jubilæi, ibi: *Ex approbatis a locorum Ordinariis*, in communi sensu intelliguntur Episcopi; & secundum Sacram Rotam Romanam *part.* 11. *decis.* 33. *num.* 8. *& part.* 19. *tom.* 1. *decis.* 69. *num.* 15. rigorose Ordinarii nomen soli Episcopo spectat, seu convenit, non autem inferiori. Opposita tamen sententia non caret aliqua probabilitate, eamque tutam in praxi vocat Gobat *in Quinario tract.* 3. *de Jubilæo num.* 229. & probabilissimam, & in praxi tutam appellat Silvius *resol. variar. verb. Jubilæum* 1. quem sequitur Pontas *verb. Jubilæum cas.* 7. & tenent Sanctarellus, Coriolanus, Rodriquez, Bonacina apud Pasqualigum *quæst.* 208. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 37. & alii dicentes sufficere, si Confessarius sit approbatus a solo suo proprio Prælato Regulari, quia Prælatus Regularis est vere Ordinarius suorum subditorum habens in illos jurisdictionem ordinariam, & ut dicit Rota *part.* 13. *decis.* 54. *n.* 15. appellatione Ordinariorum veniunt omnes, qui exercent jurisdictionem Ordinariam, quasi Episcopalem. Tum quia *Favorabile interpretationem non recipit, quæ eum, cui favetur, lædere possit*, favente aperte *Regula* 61. *Juris in* 6. quæ sic expresse habet: *Quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*. Bulla autem Jubilæi plurimum læderet Regulares multos, si præter suum morem, cogerentur quærere Confessarium ab Ordinario loci approbatum, & forte illum quærere extra suum Conventum.

Moniales tempore Jubilæi non possunt eligere Confessarium non approbatum in specie ad audiendas Monialium Confessiones; deducitur ex Constit. XV. incip. *Inscrutabili*, & Constitutione Clementis X. incip. *Superna*; ubi declaratur, Confessarios approbatos generaliter ad audiendas Confessiones sæcularium non posse audire Confessiones Monialium sine speciali approbatione pro ipsis. Et hoc etiam clare habetur ex declaratione Sacr. Congregationis missa ad Episcopum Abulensem anno 1593. & relata ab Arauxo *in select. tract.* 1. *sect.* 3. *num.* 15. & a Cajetano de Alexandris *in Confessario Monialium cap.* 6. §. 13. *quæst.* 6. in qua habetur, quod approbatus ad audiendas Confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde quod non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas Confessiones aliarum personarum, aut extra Ecclesias sibi designatas, & sic tanto minus ad audiendas Confessiones Monialium sine specifica approbatione pro ipsis; Viva *de Jubilæo quæst.* 9. *art.* 2. Molphesius, Pellizarius, Alphonsus de Leon. Faustus cum Cajetano de Alexandris *loc. cit.* Mattheucci *Official. Curiæ cap.* 13. *quoad Confessarios Monialium num.* 10. Felix Potestas *tom.* 1. *par.* 2. *num.* 1423. Lantusca verb. *Jubilæum num.* 2. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1467. Quilici *Confessar. Manuduct. quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 12. Polachus, Cespedes, & alii. Imo neque Confessarius approbatus pro uno Monasterio potest tempore Jubilæi eligi a Monialibus distincti Monasterii, ut colligitur ex cit. Constit. Clementis X. incip. *Superna*, in qua, ut jam declaraverat Sacr. Congregat. Concil. super Constitut. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili* in responsione ad nonum, dicitur præcise: *Atque approbatos pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii*; Mattheucci *loc. cit. num.* 10. Viva *loc. cit. sub num.* 1. & alii. Vide verb. *Approbatio art.* 3. *a num.* 5. *ad* 12. & verb. *Bulla Cruciatæ num.* 12.

Non desunt tamen, qui defendant absolute contrarium, ut Peyrinus *tom.* 3. *Cap.* 4. *num.* 4. *pag.* 325. Bonacina *de Sacramentis disput.* 5. *quæst.* 7. *num.* 22. Bossius *sect.* 2. *punct.* 4. Pasqualigus *de Jubilæo quæst.* 210. Portell. & Summa Diana verb. *Jubilæum num.* 20. & alii volentes, quod etiam Monialibus tempore Jubilæi possint eligere quemcumque Confessarium ex approbatis ab Ordinariis locorum. Et ratio eorum est, quia Bulla Jubilei permittit omnibus utriusque sexus Fidelibus etiam Regularibus, quod possint eligere Confessarium approbatum ab Ordinario locorum absolute, adeoque non apparet ulla ratio, cur requiratur specialis approbatio pro Monialibus. Et confirmant ex Constitut. Urbani VIII. incip. *Pontificia sollicitudo*, in qua pro Jubilæo anni 1625. expresse concessit Monialibus, quod possent eligere quemcumque Confessarium ex approbatis ab Ordinariis locorum, quod & concessit Innocentius X. pro Jubilæo anni 1650. ut refert Pasqualigus *loc. cit.* Et ad Constitutiones Gregorii XV. incip. *Inscrutabili*, & Clementis X. incip. *Superna*, & ad decreta Sacræ Congregationis, in quibus declaratur, Confessarios approbatos generaliter ad audiendas Confessiones sæcularium non posse audire Confessiones Monialium sine speciali approbatione pro ipsis, respondent supradicti Doctores, id verum esse extra Jubilæum, non vero tempore Jubilæi, pro quo Pontifices solent concedere etiam Monialibus, quod possint eligere quemcumque Confessarium ex approbatis ab Ordinariis locorum.

At non sunt isti audiendi, nec sequendi, nisi aliter a Sancta Sede statuatur, aut declaretur, quia supradicti Pontifices in citatis Constitutionibus non dicunt absolute, ut Sanctimoniales possint eligere Confessarios quoscumque ex approbatis ab Ordinariis locorum, sed expresse additur: *Ab eisdem Ordinariis locorum ad id probatos*, idest, ut explicant Doctores, ad munus Sanctimonialium Confessiones excipiendi probatos. Et quamvis in Jubilæis extraordinariis pro omnibus concessis soleat concedi generaliter, & absolute pro omnibus etiam Regularibus utriusque sexus facultas eligendi quemcumque Confessarium ex approbatis ab Ordinariis locorum; tamen adhuc propter supra adducta dicendum est, non posse Moniales eligere nisi Confessarios specialiter approbatos pro ipsis, quia *ex Regula* 81. *Juris in* 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*.

Debent autem Ordinarii tempore Jubilæi approbare plures Confessarios, sive Sæculares, sive Regulares, quos Moniales ipsæ exoptaverint, ut eos possint Moniales pro majori suo spirituali solamine eligere pro Jubilæo lucrando juxta intentum Pontificis, ut decrevit *Sacr. Congregat. Episcoporum, & Regul.* 24. *Martii* 1634. apud Lantusca verb. *Jubilæum sub num.* 15.

Confessarius approbatus limitate pro solis viris non potest tempore Jubilæi eligi a mulieribus; Ita Confessarius approbatus pro solis rusticis, non potest eligi a civibus; sic etiam approbatus limitate pro uno tantum loco, non potest eligi extra illum locum; Sic expresse habetur ex declaratione Sacræ Congregationis missa ad Episcopum Abulensem *anno* 1593. relata *supra sub num.* 8. & tenent Filiuccius *tract.* 7. *cap.* 9. *num.* 262. Diana *part.* 5. *tract.* 12. *resol.* 48. Gobat. *de Jubilæo cap.* 31. *num.* 233. Viva de Jubilæo *quæst.* 9. *art.* 2. *n.* 4. Bossius *sect.* 3. *cas.* 2. Trullench. Suarez, Rodriquez, Villalobos, Homobonus, Bordon. Tamburin. Lugo cum La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1467. contra alios. Nec tempore Jubilæi potest eligi Confessarius complex, seu socius criminis, ubi id per Legem Diœcesanam, seu Episcopi prohibetur, quia ibi relate ad complicem non habet Confessarius approbationem, cum Episcopus talem Confessarium non approbet, imo positive reprobet respective ad suum complicem, seu socium sui criminis; Bonacina *de Sacramentis quæst.* 7. *punct.* 5. §. 5. *num.* 10. Moron. *resol.* 98. Averfa *quæst.* 17. *sect.* 6. Viva *quæst.* 11. *art.* 3. *num.* 4. Bellegambe *quæst.* 5. & 6. La Croix *loc. cit. num.* 1468. & alii contra Bossium, Pasqualig. Dicastill. & alios putantes non ideo tolli, vel impediri jurisdictionem a Papa concessam. Vide verb. *Complex peccati num.* 1. & 2. Nec potest extra necessitatem extremam pro Confessario eligi Excommunicatus, suspensus, irregularis, & tanto minus depositus, & degradatus, quamvis antea fuisset approbatus, quia approbatio censetur revocata, ut recte dicit La Croix *loc. cit. num.* 1468.

Confessarius vi Jubilæi electus solet concedi quadruplex facultas, I. absolvendi a quibuscumque Censuris. II. absolvendi a quibuscumque peccatis III. commutandi Vota. IV. commutandi opera præscripta; *Communis*, ut patet expresse ex verbis Bullæ pro Jubilæo edi solitæ. Confessarius Jubilaris ratione facultatis sibi concessæ absolvendi a quibuscumque Censuris, potest absolvere a quibuslibet Censuris, sive a Ju-

a Jure, sive ab homine quovis modo, & causa latis, etiam locorum Ordinariis, seu Papæ, & Sedi Apostolicæ etiam in Bulla Cœnæ contentis, & alias quomodocumque reservatis; habetur expresse ex verbis Bullæ pro Jubilæo edi solitæ, ibi: *Sibi eligere possint Confessarium tam Sæcularem &c. qui eos ab omnibus Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, ac Censuris a Jure, vel ab homine, quovis modo, & causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus criminibus, quantumvis enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in Litteris die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & alias quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ tantum, & hac vice absolvere, & liberare valeat.* Ratione tam amplæ facultatis absolvendi ab omnibus censuris, *etiam in Bulla Cœnæ, & quomodocumque reservatis*, potest Confessarius Jubilaris probabilius absolvere etiam a Censura Hæresis, nisi hæc expresse excipiatur; Sic fuisse responsum in *Sacra Poenitentiaria anno* 1617. occasione Jubilæi a Paulo V. concessi, & servari in praxi refert Filiuccius *tract.* 8. *de Jubilæo cap.*10.*num.* 265. & tenet Zerola *part.* 2. *praxis Episcop. verb. Absolutio qu.* 8. *concl.*4. 4. Corduba *in Summa qu.* 8. Lugo *disput.* 23. *de Fide num.* 103. Gobat. *tract.* 3. *de Jubilæo cap.*33. *num.* 248. Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *qu.* 12. Sanctarell. *cap.* 7. *dub.* 3. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 12. *dist.* 3. *qu.* 9. *num.* 129. *& sequent.* La Croix *lib.* 6. *num.* 1451. Sotus, Reginaldus, Fagundez, Bossius, & alii plurimi. Et ratio est, quia cum compertum sit plurimos graves Doctores defendere hanc sententiam, & in praxi a plurimis Confessariis hanc opinionem sequentibus conferri tempore Jubilæi absolutionem ab Hæresi; Si Pontifex vellet illam excipere, exciperet expresse *argum. cap. Inter corporalia* 2. *de transl. Episcop.* §. *Sed neque istud*, ibi: *Unde si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, de translatione poterat expressisse, & cap. Quia circa* 22. *de privilegiis* ibi: *Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse*. Sicuti de facto jam fecerunt alii Pontifices, quando voluerunt crimen Hæresis esse exceptum; ergo cum id non exprimit, signum est, quod vult amplissimam conferre facultatem absolvendi ab omnibus omnino reservatis; id enim congruit fini concessionis, ut scilicet possit quilibet Christifidelis Jubilæum lucrari, inter quos Christifideles vere numeratur lapsus in Hæresim, & de hac vere pœnitens, & contritus, adeoque non apparet ratio, cur is solus de mente Pontificis non possit fieri particeps Jubilæi, nisi expresse excipiatur. Tum quia beneficia Principum nulli tertio præjudicantia sunt largissime interpretanda: *cap. Olim* 16. *de verb. signif. & ex Regula* 15. *juris in* 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*.

19 Plurimi tamen alii cum Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 40. *num.* 32. & novissime Pater Viva *de Jubilæo quæst.* 11. *art.* 1. tenent oppositum. Imo Barbosa *loc. cit.* refert ex aliis sic fuisse declaratum per aliquos Romanos Pontifices, quæ declarationes, si vere emanassent, non esset locus dandus nostræ sententiæ: nisi dici posset, quod dictæ declarationes emanassent a Pontificibus circa proprias suas Bullas, aut quod ipsæ restringerentur intra limites Hispaniæ, aliorumque locorum, ubi viget Officium Sanctæ Inquisitionis, ad cujus instantiam dictæ declarationes emanaverint, ut patet ex verbis decreti relati a Diana *part.* 1. *tract.* 5. *resolut.* 1. Ad quod facit Responsio Sacræ Pœnitentiariæ a Filiuccio supra adducta, quę, si revera emanassent, & pro omnibus locis dictæ Pontificiæ declarationes, non potuisset ipsa sic respondere.

20 Confessarius Jubilaris ratione facultatis sibi concesse absolvendi a quibuscumque peccatis, potest absolvere ab omnibus peccatis Sedi Apostolicæ etiam in Bulla Cœnæ, aut alias quomodocumque reservatis, & etiam a reservatis Episcopo, ut patet ex verbis Bullæ Jubilæi adductis supra *sub num.* 17.

21 Imo a reservatis Episcopo potest absolvere, etiamsi id non exprimatur, cum in Jubilæo facultas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ ferat facultatem absolvendi a reservatis Ordinariis locorum; *Sic communissima Doctorum* cum Suarez *disput.* 7. *de Censuris cap.* 5. Viva *de Jubilæo quæst.* 11. *art.* 2.

22 Diana *part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 149. La Croix *loc. cit. num.* 1451. A Confessario Jubilari potest etiam absolvi, qui spe Jubilæi commisit reservatum, quia hoc peccatum specialiter non reservatur; *Sic communissima Doctorum* cum Viva *loc. cit. art.* 3. *num.* 1. La Croix *loc. cit. num.* 1451. Navarr. Bossio, Filliuc. Suarez, Sanchez, & aliis passim: ac idem sub aliis terminis est, dum dicitur, quod qui peccat peccato reservato inconfidentiam Jubilæi potest virtute Jubilæi absolvi; peccare autem in confidentiam Jubilæi est, quod notitia Jubilæi influat in peccatum, seu sit ejus causa, quatenus secluſa Jubilæi notitia, & spe facilis absolutionis, reservatum non patratum fuisset; Is inquam virtute Jubilæi absolvi potest, si vere doleat, & nisi expresse in confidentiam Jubilæi commissa excipiantur a Bulla; Nec obstat, quod *cap. Quando, de consecrat. dist.* 4. dicatur, quod peccans spe veniæ debeat subesse pœnæ, & non obtinere veniam. Nam ibi, ut notat Glossa, sensus est, multoties sic peccantes puniri a Deo, ita ut non perveniant ad tempus veniæ obtinendæ. Virtute Jubilæi potest quilibet absolvi, non solum a commissis ante publicationem Jubilæi, sed etiam a reservatis post Jubilæi publicationem commissis, quia in Bulla Jubilæi datur amplissima facultas absolvendi a reservatis pro toto tempore Jubilæi, nec limitatur ad commissa hoc, vel illo tempore; *Sic Communis* cum Viva *loc. cit. num.* 2. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 26. ubi dicit, quod potest quilibet toties absolvi, quoties in reservata incidit ante elapsum Jubilæi tempus. Imo etiamsi quis in prima hebdomada jam lucratus sit Jubilæum, si secunda hebdomada incidat in reservatum, vel Censuram, potest ab his absolvi, saltem si præscripta opera repetat; Diana, Navarr. Rodriquez, Henriq. Reginald. Leo, Gobat cum La Croix *loc. cit. num.* 1450. Viva *loc. cit. num.* 3. Quod etiam tenent Castropal. Dicastill. & alii, quamvis dicant eumdem non posse bis lucrari Jubilæum, cum validitas absolutionis non pendeat absolute ab Indulgentia. Insuper posse absolvi, quamvis non repetat opera præscripta docent Rodriquez, Sa, Diana, Lother, & alii, quod probabile esse dicunt Graff. Bonac. Castropal. Dicastill. & alii: Verba enim illa *Pro hac vice tantum* in Bulla Jubilæi apponi solita non referuntur ad actum absolvendi, sed ad tempus Jubilæi, ideſt pro tempore hujus Jubilæi tantum, ut recte notant Viva *loc. cit. num.* 2. Bossius apud ipsum *quæst.* 6. *art. ult. sub num.* 2. *vers. Ad tertiam*, La Croix *loc. cit. num.* 1450. & alii.

Idem Jubilæum ad duas hebdomadas concessum, potest probabiliter bis obtineri, si repetantur opera præscripta; Sanctarell. *de Jubilæo cap.* 5. *dub.* 4. Navar. *de Jubilæo notabil.* 32. *num.* 46. Reginald. *num.* 155. Lezana *in Summa verb. Jubilæum num.* 20. Henriq. *de Indulgentiis lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 1. Rodriquez *in Summa cap.* 184. *numer.* 14. Benzonius *lib.* 5. *cap.* 15. *dub.* 23, Gobat *in Quinario tract.* 3. *cap.* 14. *num.* 92. *& sequent.* Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 49. & *part.* 5. *tract.* 12. *resolut.* 28. cum aliis ibi relatis, Viva *quæst.* 6. *art. ult. num.* 2. cum aliis, Arsdekin. *tom.* 2. *pag.* 241. cum pluribus ibi citatis, & novissime cum aliis Pontas *in suo Dictionario verb. Jubilæum cas.* 17. & alii plures. Et ratio est, quia, ut dicitur *in cap. Olim* 16. *de verbor. significat. Beneficia Principum sunt interpretanda largissime*, quod est desumptum *ex leg. Beneficium ff. de Constitut. Princip.* ubi dicitur: *Beneficium Imperatoris, quod a Divina ejus scilicet Idulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus, & cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6. expresse dicitur: *Favores convenit ampliari*; ergo quoties non limitatur ad unam tantum vicem expresse, potest quis Indulgentiam indefinite concessam toties lucrari, quoties opera præscripta repetit, & sic de Indulgentia Jubilæi anni Sancti fuit declaratum ab Urbano VIII. ut diximus *art. antecedenti num.* 24. Tum quia *in leg. Ea, quæ* 152. §. 1. *ff. de Regul. Juris* sic expresse habetur: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius*.

Fateor tamen, quod est æque probabilis opposita sententia, quam docent Sanchez *lib.* 4. *cap.* 54. Suarez *disput.* 57. *sect.* 1. Reiffenstuel *Theolog. Moral. tract.* 12. *dist.* 3. *quæst.* 9. *numer.* 120. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 4. *numer.* 3826. Busembau *lib.* 6. *tract.* 4. *cap.* 1. *dub.* 4. Faustus, Layman, Bonacina, & alii apud Bossium *sect.* 1. *caſ.* 40. Sannig. *lib.* 5. *decret. tit. de pœnitent. & remiss. cap.* 2. *num.* 15. & alii plures innixi verbis Bullæ, quæ solet uti clausula disjunctiva, *Qui prima, vel secunda hebdomada &c.* & infra: *Alterius de duabus hebdomadis*, adeoque inferunt ipsi, non nisi disjunctive poterit Jubilæum obtineri prima, vel secunda hebdomada, & non bis, seu copulative in utraque. Imo Filiuccius *tom.* 1 *tract.* 8. *cap.*10. *num.* 261. *& 278.* refert, Sacram Congregationem Concilii, & Clementem VIII. declarasse semel tantum sumi posse Jubilæum, tam in Anno Sancto, quam in aliis, & semel tantum quempiam posse a reservatis absolvi. Quę Declaratio, si revera emanasset, & de ea constaret authentice, non esset recedendum ab hac opinione; At quia, ut notant Diana, Gobat, Viva, & alii, de eo non constat authentice; Imo de Jubileo Anni Sancti habetur declaratum oppositum ab Urbano VIII. posteriori dicto Clemente VIII. quod nempe toties possit obtineri, quoties repetuntur opera præscripta, ideo adhuc stistit in suo robore nostra Conclusio tot Doctoribus, et rationibus munita.

Absolutus vi Jubilæi a peccatis, quorum meminit, si ex
27 oblivione, et inculpabiliter omisit confiteri peccatum reservatum, vel censuratum, potest transacto Jubilæo ejus absolutionem obtinere a quolibet simplici Confessario; Sanchez, Filiuccius, Portell., Diana, Pellizarius, Castropal. Dicastill. Bellegambe cum La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1449. Covarruv. Coninch. Ledesma, Navar. Reginald. Ariaga, Lessius, Tamburin. Lugo, Herincx, Gobat cum eodem La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.*1695. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 125. Sannig. *loc. cit. num.* 17. Viva *de Jubilæo quæst.* 11. *art.* 4. *num.* 2. cum Silvestr. Gabriele, Sa, Diana, et aliis ibi citatis. Et ratio est, quia Confessarius censetur conferre absolutionem quoad ejus fieri potest; Unde, quia tempore Jubilæi potest reservationem oblitorum tollere de facto, et absolute illam tollit, et consequenter transacto Jubilæo ab illis potest absol-
28 vere quilibet simplex Confessarius: Bona fide confessus tempore Jubilæi, et ex invincibili defectu doloris, vel propositi invalide absolutus, si cetera præscripta impleverit, remanet probabiliter immunis a reservatione peccatorum, et Censuratum, ita ut post Jubilæum possit a quolibet simplici Confessario absolvi; Sic Lugo *disput.* 20. *num.* 110. Dicastill. *d.* 11. *nu.* 124. Herincx *d.* 7. *num.* 26. Coninch. *d.* 8. *de pœnitent. num.* 92. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 11. Viva *quæst.* 11. *art. ultim.* Comitolus, & alii apud Dianam *part.* 2. *tract.* 11. *resolut.* 18. contra Bossium *sect.* 1. *caſ.* 35. Rodriq. Faustum, Reginaldum, & alios plures. Et ratio nostra est, quia Confessarius absolvendo, voluit facere, quantum potuit; reservatio autem potest tolli, non sublatis peccatis. Imo Lugo *disput.* 20. *de poenitent. num.* 113. Cajetan. Zech. Henriq. & alii relati a La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1449. dicunt, auferri reservationem, quamvis ipse sacrilege ex malitia fuerit confessus, dummodo habuerit animum faciendi deinde Confessionem validam, & lucrandi Jubilæum, quod probabile censent Bonacina, & Diana apud La Croix *loc. cit.* Et ratio istorum est, quia extra Confessionem etiam a delegato Confessario tolli potest reservatio ex vi potestatis, quam delegavit Superior. Unde, quamvis Confessio fuerit Sacrilega, & malitiose invalida, & nulla quoad absolutionem a peccatis, adhuc tamen fuit sublata reservatio, quia satisfecit Legi Ecclesiasticæ reservationis, exponendo peccata reservata habenti potestatem in illa, & volenti saltem implicite, & virtualiter tollere illam reservationem, cum voluerit facere quidquid potuit, & consequenter cum ratione delegationis sibi factæ pro tempore Jubilæi potuerit tollere reservationem, volendo facere quidquid potuit, de facto illam abstulit.

29 Attamen dicendum est, non tolli reservationem per Confessionem sacrilegam, & malitiosè nullam, quia fraus non debet alicui prodesse; *cap. Sedes* 15. *& cap. Extenore* 16. *de rescriptis*; *cap. Tuæ* 12. *de Cleric. non residen. cap. Ex litteris* 2. *de dolo, & contumac.* ubi expresse sic dicitur: *Nos attendentes malitiam, & dolum nulli patrocinari debere*. Nec debet quis lucrum a Sacrilegio reportare, *argum. cap. Propositum* 1. *de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit*, ubi sic expresse habetur: *Nec dignum est, ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet*. Tum quia aliquid concedens generaliter, non censetur concedere id, quod negaret, si specialiter rogaretur; *cap. In generali* 81. *de Regulis juris in* 6. ibi: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*. Unde Papa hoc negaret tali sacrilego, si rogaretur, sicuti negat potestatem implendi præceptum de annuali Confessione per Confessionem voluntarie nullam, ut patet ex propositione 14. in ordine inter damnatas ab Alexand. VII. 24. Septembr. 1665. ibi: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Et sicuti negat potestatem implendi præceptum Paschale per Sacrilegam Communionem, ut patet ex propositione 55. in ordine inter damnatas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. ibi; *Præcepto Communionis annuæ satisfit per Sacrilegam Domini manducationem*, adeoque concludendum est probabilius non tolli reservationem per Sacrilegam Confessionem, quam voluntarie quis facit tempore Jubilæi eo fine, ut a suis peccatis, & Censuris reservatio auferatur; Viva *quæst.* 11. *art. ultim. num.* 2. La Croix *loc. cit. num.* 1475. & alii plures.

Qui animo adimplendi omnia pro Jubilæo fuit absolutus a 30
reservatis, valide remanet absolutus, nec reincidit in reservationem, vel Censuram, quamvis postea etiam ex negligentia, seu pigritia opera præscripta non impleat, & sic Jubilæum non lucretur; *Communissima* cum Navarr. Henriq. Layman, Platell. Bellegambe *q.* 4. Viva *q.* 11. *art.* 5. *n.* 1. La Croix *loc. citat. num.* 148. Et ratio est, quia absolutio ejusmodi fuit data omnino absolute, non autem sub conditione de futuro, adeoque semel habita, simpliciter, & semper tenet.

An autem, & qualiter peccet, qui post obtentam absolu- 31
tionem a reservatis, mutat propositum; & non vult alia opera præscripta implere, & jubilæum lucrari? Quamvis omnes Doctores conveniant, quod peccet, variant tamen an venialiter, vel mortaliter? Et quidem Suarez *disp.* 31. *de pœnitentia sect.* 4. *n.* 5. Aversa *q.* 17. *sect.* 8. Viva *qu.* 11. *art.* 5. *n.* 2. cum Vasquez, & Filiuccio dicunt, talem peccare mortaliter, quia non satisfacit tacitæ promissioni in re gravi, cum videatur intervenire quoddam tacitum pactum inter Pontificem, & pœnitentem, ita scilicet, ut Pontifex concedat hujusmodi media, & pœnitens ea acceptet, obligando se ad ponendum finem. E contra Henriquez, Sanchez, Bonacina, Lugo, Portell. Castropal. Bellegamb. apud La Croix *loc. cit. num.* 1448. Gobat. *in Quinario tract.* 3. *numer.* 262. Reiffenstuel *Theol. moral. tract.* 12. *d.* 3. *n.* 125. & alii probabilius esse censent, quod talis non peccet mortaliter, quia cum ipse bona fide petierit, & obtinuerit absolutionem a reservatis, non apparet sufficiens fundamentum inducendi obligationem sub mortali ad implenda cetera opera, cum nulli gravem injuriam inferat, sibique solummodo noceat non lucrando jubilæum, ad quod nulla lege sub mortali obligatur.

Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœni- 32
tenti, potest transacto jubilæo ipsum absolvere ab omnibus peccatis reservatis commissis ante transactum jubilæum; Bossius, Diana, Lugo, Sanchez, Gobat, Bellegambe, Sanctarell. La Croix *loc. cit. n.* 1473. Viva *q.* 11. *art. ult.* & alii passim. Imo Bossius, Faustus *lib.* 4. *q.* 33. Viva *loc. cit. art. ult.* & alii 33
absolute dicunt, posse Confessarium ipsum absolvere etiam a peccatis reservatis commissis post transactum jubilæum, quod probabiliter tenent Sanctarell. de Leon. Diana, & alii; quia Papa saltem permittens sic differri Confessionem, vult, ut pœnitens lucretur jubilæum. Non posset lucrari jubilæum, nisi absolvi posset etiam ab illis ultimis reservatis. E contra vero Sanctarell. Lugo, Gobat apud Bellegambe *part.* 3. *sect.* 15. *q.* 2. probabilis dicunt, non posse absolvi a peccatis reservatis commissis post transactum jubilæum, quia jurisdictio prorogatur solum respective ad peccata tempore jubilæi existentia, quod certum esse dicit Rhodes, & limitat Aversa *q.* 17. *sect.* 8. nisi Papa ipse concesserit facultatem differendi Confessionem.

Confessarius Jubilaris ratione facultatis sibi concessæ com- 34
mutandi vota, potest ordinarie commutare omnia vota exceptis votis Castitatis, & Religionis; *Communis*, & clare patet ex verbis Bullæ edi solitæ pro jubilæis. Talis potestas com- 35
mutandi vota se extendit etiam ad vota jurata, seu juramenta, quia quantum ad hoc eadem est ratio de voto, & juramento, cum eadem sit voti, ac juramenti obligatio passiva; Gobat *in Quinario tract.* 3. *cap.* 38. *num.* 287. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 43. Suarez *lib.* 6. *de voto cap.* 14. *num.* 19. La Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 1459. Illsung *tom.* 5. *n.* 70. Bellegambe *part.* 3. *sect.* 12. Moya, Sanchez, Tambur. Castropal. & alii plures contra Navar. Less. Azor. & assos. Item se extendit ad vota in favorem tertii facta, & nondum acceptata, ut si quis vovit alicui Ecclesiæ Calicem, alicui pauperi eleemosynam, & hujusmodi, tunc enim tale votum potest commutari, quia nullum adhuc jus est acquisitum Ecclesiæ, pauperi &c. Diana *p* 1. *tract.* 11. *resolut.* 47. Sanchez *lib.* 4. *moral. cap.* 41. *n.* 9. Gobat. *l. cit. n.* 288. Suarez *l. cit. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 3. *&* 11. La Croix *lib.* 3. *p.* 1. *n.* 533. *& seq.* & alii 36
communiter. Secus autem, si vota facta in favorem tertii jam essent acceptata, ut si ille tertius promissionem in voto 37
inclusam, & non injuste extortam, acceptasset, quia tunc illi tertio esset jus acquisitum ad rem in voto promissam; 38
Communis. Item Confessarius jubilaris commutare potest promissiones factas Sanctis, quæ veniunt nomine voti, licet re ipsa vota non sint; Gobat *loc. c. num.* 289. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 514. Bellegamb. & alii. Item commutare potest votum de non petenda commutatione, aut dispensatione

voto-

votorum ; Suarez, Sanchez, Pellizarius, & alii communiter cum Viva *q.*12. *art.*1. *n.*4.

39 Confessarius jubilaris commutare potest etiam vota Castitatis, & Religionis, quando sunt pœnalia, ut si quis voveat se Religionem *ingressurum*, si adhuc blasphemaverit, si se inebriaverit, & hujusmodi, *hoc votum* potest dispensari a Confessario jubilari, non solum ante blasphemationem inebriationem, & *hujusmodi*, ut habet Communis, sed etiam post illam, quia *hujusmodi* votum procedit non ex affectu Religionis, aut Castitatis, sed in frenum, & tamquam medium ad finem intentum. Unde tale votum

40 non est proprie votum Religionis, sed punitionis; directe enim potius vovet non blasphemare, se non inebriare, & hujusmodi, & Religionem potius *eligit* velut pœnam, & non tamquam materiam, quæ promittatur Deo absolute, & ex affectu illius, quod proprie spectat ad votum, adeoque &c. Gobat, Sa, Suarez, Sanchez, Viva *q.*12. *art.*2. *n.*1. La Croix *lib.*3. *p.*1. *num.* 546. & alii plures contra Azorium, Lessium, & alios. Item commutare potest vota Castitatis, & Religionis, quando *sunt conditionata*, *ut si quis voveat* Religionem, si convaluerit, si aliquod periculum evaserit, si tale intentum obtinuerit, & *hujusmodi*; Sanchez *lib.*8. *q.*10.

41 Diana *p.*1. *tract.*11. *resol.*54. Viva *loc. cit. num.*2. La Croix *loc. cit. n.*545. &, ipso teste alii communiter contra Corduban, Navarrum, & Azorium; Nec solum commutari potest tale votum conditionatum ante conditionem impletam, uti volunt Suarez, Filiuccius, Bonacina, & alii, ex quo dicant ipsi, impleta conditione transierit in absolutum, sed etiam commutari potest post impletam conditionem; Viva *l. c. n.*2. Bellegambe *part.*3. *sect.*13. *q.*2. La Croix *l. c. numer.*545. &, ipso teste, alii communiter contra Lessium, Layman, Suarez, *Filiuccium*, & Bonacinam. Et ratio est, quia tale votum ab initio non fuit reservatum, cum non fuerit promissa Deo Religio ex affectu ad ipsam, sed ex affectu salutem recuperandi, evadendi a *periculo*, vel obtinendi tale intentum, quod rigorose non est votum Religionis[6], quod solum est reservatum, adeoque, si non fuit reservatum ab initio, nec tale fit post impletam conditionem, cum nulla nova voluntas accedat. Licet enim vota conditionata, purificata conditione, evadant quodammodo absoluta, nihilominus de se *sunt* imperfecta, quia imperfectum est eorum principium, quod spectari debet *ex l. Nam origo ff. Quod vi, aut clam*. Imo Diana cum aliis apud La Croix *loc. cit.* addit, quod, etiamsi post impletam conditionem fuisset confirmatum, non ideo esset reservatum, quia confirmatio semper cadit super idem votum ab initio conditionale, nisi nunc esset emissum independenter a primo voto.

42 Item commutare potest Confessarius Jubilaris votum alternativum, seu disjunctivum, cujus altera pars est commutabilis, ut cum quis vovet, vel Castitatem, *vel* Peregrinationem; cum enim possit ipse eligere peregrinationem, quæ est commutabilis, poterit absolute tale votum commutari; Suarez, Sanchez, Azorius, Bonacina, Castropal. Rebell. cum La Croix *l. c. num.*548. & alii cum Bellegambe *part.*3. *sect.*13. *q.*2. Viva *l. c. num.*4. *arg. cap. In alternativis* 70. *de Regulis juris in* 6. ibi: *In alternativis debitoris est electio*,

43 *& sufficit alterum adimpleri*. Imo tale votum esset commutabile, etiamsi altera pars, scilicet peregrinatio fieret voventi impossibilis, & quamvis vovens postea proposuerit eligere Castitatem præ Peregrinatione, dummodo illam absolute *non* promiserit, seu voverit, quia *talis* impossibilitas Peregrinationis, & tale propositum eligendi Castitatem præ Peregrinatione non immutat rationem voti præsuppositi in ratione voti; Diana, Tamburin. Malder, Moya, Illsung. Bellegambe cum La Croix *l. c. n.*548. Suarez, Layman, Filiuccius cum Viva *loc. cit. num.* 4. contra Bonacinam, & alios.

44 Confessarius Jubilaris potest commutare vota Castitatis, & Religionis, si emissa sint ex metu, etiam levi tantum ad ea extorquenda injuste incusso, quia talia vota *non* sunt perfecte libera, & deliberata; Sanchez, Henriquez, Layman, Trullench. Castropal. Bonacina, Navarr. Diana cum Viva *l. c. num.* 5. Lessius, Illsung. Bellegambe cum La

45 Croix *l. c. num.* 544. Item commutare potest votum assumendi Sacros Ordines, quia tale votum non est reservatum, cum sit tantum votum vovendi Castitatem, & necdum Castitatis. Sacris enim Ordinibus non est annexa Castitas ex natura rei; Lessius, Sanchez, Diana, Castropal. Henriq. Sa, Suarez cum La Croix *l. c. num.*562. Bellegambe *l. cit.*

*q.*4. Illsung. *l. c. n.*145. Viva *l. c. n.*6. Gobat *l. cit. cap.* 40. *n.* 317. Item commutare potest vota Castitatis, & Religionis emissa ab impuberis, quia ante pubertatem imperfecta est deliberatio, & promissio, & hinc est, quod non possint impuberes ante pubertatem eligere statum natura sua perpetuum, qualis est status Matrimonialis; *cap. Attestationes* 10. *de Desponsatione impuberum*. Et sic *Communis Doctorum*. Item 47
commutare potest votum non nubendi, quia non est votum omnimodæ Castitatis, quod requiritur ad reservationem; Henriq. Valerius, Sanchez, Tambur. Bellegambe cum La 48
Croix *l. c. n.*559. Gobat *l. c. cap.*40. *n.*313. Item commutare potest votum non petendi, nec reddendi debitum, quia nec ipsum est votum omnimodæ Castitatis; S. Antoninus, Sa, Henriquez cum La Croix *l. c. num.* 559. ubi ex Lessio, & Bellegambe addit hoc verum esse, licet factum esset de mutuo consensu conjugum. Item commutare potest votum Cas- 49
titatis emissum ad certum tempus, quia ad hoc, ut sit reservatum, debet esse perpetuum; Navarrus, Sotus, Sanchez, Castropal. Layman *lib.*4. *tract.*4. *cap.* 8. *n.*8. cum La Croix *loc. cit. n.*357. Gobat *loc. cit.*

Vota a Confessario jubilari commutata non reviviscunt, 50
etiamsi non ponantur deinde opera pro jubileo lucrando injuncta, quia commutatio est absolute facta; Viva *q.*12. *art.* 51
*ultim. n.*1. & alii passim. Etiam post tempus jubilæi obtineri potest votorum commutatio. Si enim pœnitens tempore jubilæi *oblitus* sit petere sui voti commutationem, fecerit tamen omnia opera præscripta, poterit illius commutationem exigere, et obtinere a quocumque Confessario a loci Ordinario approbato, etiam post jubilæum; Sanchez *lib.* 4. *de voto cap.*54. *num.*36. Diana *p.* 5. *tract.*12. *resol.* 40. Viva *q.*12. *art. ultim. num.*3. Portell. *verb. Jubilæum num.*7. Gobat *in Quinario tr.*3. *cap.*39. *num.*308. ubi ex Lessio *lib.* 2. *de justitia cap.*40. *n.*109. expresse dicit, posse etiam post annum peti talem commutationem, et quidni post vicennium? Et ratio est, quia jubilæum semel obtentum dat jus omni tempore, etiam post jubilæum eligendi Confessarium pro iis gratiis acquirendis, quæ tempore jubilæi obtineri poterant, et tamen obtentæ non fuerunt; tale enim privilegium non est alligatum tempori, sed natura sua est perpetuum. Imo se- 52
cundum aliquos pœnitens, etiamsi memor sui voti, noluerit petere dispensationem tempore Jubilæi, poterit æque illius commutationem post decennium petere, ac si tempore Jubilæi esset oblitus, quia favores jubilæi semel acquisiti, non magis prosunt oblitis, quam iis, qui fuere memores; Sic Gobat *l. c. num.* 309. Sanchez *l. c. n.* 45. Lessius *l. c. n.* 109. & alii contra Suarez, Bonacinam, & Filiuccium volentes, non posse pœnitentem obtinere commutationem votorum post tempus jubilæi, quorum opinio non est improbabilis.

Confessarius jubilaris, ratione facultatis sibi concessæ 53
commutandi opera præscripta, potest ea commutare in alia, etiam aliunde debita, v. g. ex voto, pœnitentia, præcepto; La Croix *l.6. par.* 2. *n.*1444. Bellegambe *p.* 1. *sect.*3. *q.*1. Gobat. *in Quinario tr.*3. *cap.* 17. *n.* 108. Lugo, & alii passim contra Armillam, Bonacinam, Tabienam, & alios. Et ratio nostra est, quia, sicuti moraliter certum esse debet, per illa eadem opera, quæ præscribit Pontifex, obtineri posse jubilæum, etiamsi aliunde debita sint, ut observat Layman *lib.*5. *tr.*7. *cap.* 3. *nu.* 13. ita Confessarius jubilaris opera a Pontifice præscripta commutare potest ex rationabili causa in opera, quæ pœnitens jam ex præcepto, voto, aut pœnitentia facere tenebatur, quia *Subrogatum naturam sequitur*, *& conditiones illius*, *pro quo subrogatur*, ut teste Gobat *l. c.* tenent Doctores communiter per textum *in cap. Ecclesia* 3. *vt lite pendente*. Commutatio operum debet fieri 54
in opera moraliter æqualia, aliter non esset pura commutatio, sed partialis dispensatio. Et talis æqualitas spectanda est, non tam in ordine ad præstantiam, aut pœnalitatem operis, quam in ordine ad mentem, & finem Papæ jubilæum concedentis; Gobat *l. c. n.* 109. La Croix *l.c. n.*1444. Rodriquez Navar. Layman Lugo & alii passim.

Confessarius jubilaris poterat olim commutare omnia ope- 55
ra præscripta, quia Bullæ antiquæ in facultate commutandi omnia opera solebant exprimere. Nunc vero, ut notat Lugo *disp.*27. *de pœnit. n.* 118. & ex ipso Claudius La Croix *l. c. n.*1441. & alii, Bullæ solent exprimere solum commutationem jejunii, eleemosinæ, visitationum Templi, & orationis, nulla facta mentione Confessionis, & Communionis. Unde diligenter sunt attendendæ Bullæ, & si alia opera exprimant, & nullam faciant mentionem de Confessione, & Com-

munione, non est de istis facienda commutatio, quia Bullæ tantum valent, quantum sonant; & si etiam de istis vellent posse fieri commutationem, etiam de istis exprimerent, *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episcopi*, *& cap. Quia circa* 22. *de privileg.* Dato tamen casu, quo aliquis

56 ante ultimam Dominicam omnibus præter Communionem peractis, vellet ipsa ultima Dominica communicare, sed inadvertenter mane jejunium naturale violasset, posset confessarius illa ipsa ultima Dominica Communionem commutare in aliud pium opus, quia adesset moralis impossibilitas communicandi, & *Impossibilium nulla est obligatio*, *l. Impossibilium ff. de regul. Juris*, *& cap. Nemo potest* 1. *de Regulis Juris in* 6. *ibi*: *Nemo potest ad impossibile obligari*. Et quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit: *cap. Quod non est*, *de Regulis Juris*; *cap. Quoniam* 13. *caus.* 1. *q.*7. *cap. Consilium* 2. *de observ. jejunior. cap. Omnes* 1. *de feriis* cum similibus, Sanctarell. *cap.*7. *dub.* 1. Gobat *l. citat. n.*112. Bellegamb. *sect.*8. *q.* 2. Diana *p.* 3. *tract.*4. *resol.*152. & alii passim. Et Communionem posse commutari cum

57 pueris, docet Vega, Sanctarel. Hurtad. Bossius, Faustus, apud Vivam *q.*8. *art.*4. *n.*4. qui tamen cum Vasquez probabile putat, non esse opus commutationis, quia cum a jure, seu a consuetudine prohibeantur pueri Communionem sumere, idque noverit Summus Pontifex, videtur, non exigi ab iis Sacra Communio, *arg. cap. Tua*, *de testamenis*, ubi conditio de jure impossibilis, etiamsi apponatur, habetur pro non apposita.

Ad legitimam operum commutationem non sufficit quod-
58 cumque impedimentum, sed requiritur impedimentum cum impotentia saltem morali proveniente ex notabili, gravique difficultate; Colligitur ex tenore Bullarum jubilæi, quæ solent apponere particulam: *Qui nequeunt*. Verbum autem *Nequeo* proprie significat impotentiam saltem moralem supra expressam; Sic Gobat *l. c. n.*99. *& sequent.* & ipso teste, sic habet praxis, et Communis Doctorum. Si tamen causa
59 commutandi fuerit re ipsa insufficiens, sed bona fide judicata sit a Confessario sufficiens, adhuc valet talis commutatio pro jubilæo lucrando, quia commutatio remittitur judicio Confessarii, et *ex cap. Cognoscentes* 2. *de Constitutionibus*: *Rem*, *quæ culpa caret*, *in damnum vocari non convenit*; Gobat *loc. cit. n.*103. La Croix *l. c. n.*1443. et alii.

An autem hæc facultas commutandi opera præscripta, si-
60 cuti et quælibet alia ex assignatis supra *sub n.*16. solitis concedi Confessariis vi jubilæi, debeat exerceri intra, vel extra Sacramentum Confessionis? Non omnes conveniunt Doctores. Primum enim, nempe *Facultatem absolvendi a quibus-*
61 *cumque Censuris*, posse exerceri pro foro interno extra Confessionem, etiamsi in Bulla dicatur *auditis Confessionibus*, docet Sanchez *de Matrimonio lib.*8. *d.* 34. *n.*30. Gobat *in Quinario tract.*3. *cap.*34. *a n.*257. Coninch. Trullench. Baldi, Avila, et alii cum Diana *p.* 1. *tract.*11. *resol.* 250. quia dicunt ipsi, illa verba *auditis Confessionibus*, videntur significare, *auditis peccatis*, propter quæ contracta est Censura. Nam absolutio a Censuris nullam habet connexionem cum absolutione Sacramentali. At vero probabilius dicendum est cum

62 Suarez *tom.*5. *in* 3. *parte disp.*7. *sect.*5. *n.* 36. *& lib.*6. *de voto*, Vasquez, Navarr. Filiuccio, Viva *q.*10. *art. ultim. n.*4. La Croix *lib.*7. *n.*161. & aliis communius, non posse exerceri talem facultatem extra Sacramentum Confessionis, maxime, quando in Bulla dicitur, quod absolutio conferatur *auditis Confessionibus*, quia, quando in Bulla ponuntur dicta verba, clare denotatur, quod absolutio a Censuris debeat conferri eodem tempore, quo confertur absolutio a peccatis. Hinc Pignatel. *tom.*1. *consult.*20. cum pluribus aliis docet, quod, quamvis dispensatio, & absolutio pro foro externo dari possit absenti, aut etiam invito, tamen in Commissionibus Sacræ Pœnitentiariæ non potest absenti dari absolutio, si addatur *pro foro conscientiæ*, & ideo sæpe additur *in actu Sacramentalis Confessionis*.

63 Secunda facultas, nempe *absolvendi a quibuscumque peccatis*, idest etiam a reservatis, exerceri non potest extra Sacramentum Confessionis, quia, licet reservatio possit extra Sacramentum Confessionis tolli ab illis, qui habent potestatem ordinariam absolvendi a talibus peccatis reservatis, tamen fieri debet in Confessione ab illis, qui habent delegatam tantum potestatem, uti sunt Confessarii vi Jubilæi electi; Delegatur enim illis, ut, auditis Confessionibus, absolvant a reservatis; Gobat *l. c. cap.* 32. *n.*239. Suarez, Vasquez, Lessius, Lugo, Bordon. Bellegambe cum La Croix *lib.*6.

*p.*2. *n.*1452. ubi subjungit, oppositum videri dicere alios, quos ipse citat *sub n.* 1695.

Tertia facultas, nempe *commutandi vota*, potest probabi- 64
liter exerceri etiam extra Confessionem; Suarez, Sanchez, Henriquez, Bonacina, Layman, Castropal Diana, Gobat, cum Bellegambe *de Jubilæo p.*3. *sect.* 2. *q.* 5. La Croix *lib.*3. *par.*1. *n.*507. & *lib.*6. *p.*2. *n.*1460. Et ratio est, quia nullibi præscribitur, quod commutatio votorum fiat in Sacramento Confessionis, quamvis enim in Bulla soleat dici, quod *Confessionibus auditis valeat absolvere a peccatis*, *& commutare vota*, tamen verba illa *Confessionibus auditis* referri debent in ordine ad absolvendum a peccatis, & non in ordine ad commutanda vota; quia facultas commutandi vota, cum non concernat actum Confessionis potest extra Confessionem exerceri. Imo Bellegambe, & La Croix *l. c.*, Tamburi- 65
nus, & alii tenent, quod commutatio votorum fieri possit etiam cum absente. Insuper Sanchez *lib.*4. *cap.*54. Diana 66
*p.*3. *tract.*2. *resol.*9. & alii apud ipsos, La Croix *lib.*3. *p.*1. *n.*507. & *lib.*6. *p.*2. *n.* 1460. & alii docent, posse fieri commutationem votorum etiam a Confessario, qui non audit Confessionem pœnitentis, & cui pœnitens nullatenus vult confiteri. Licet enim hoc spectet ad forum conscientiæ, non ideo spectat ad forum Pœnitentiæ. Oppositum tamen tenent vere probabiliter Rodriquez, Beya, Sayrus, & alii, cum 67
quibus videtur consentire etiam Viva *q.* 12. *art. ult. n.* 2. ubi adducta supradicta opinione, subjungit: *Verum de hujus opinionis probabilitate alii judicent.* Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.*3. *n.*36. *&* 37.

Quarta facultas, nempe *commutandi opera præscripta*, po- 68
test fieri extra Confessionem, dummodo intra tempus Jubilæi, etiam a Confessario, cui possit confiteri pœnitens, quamvis ei confiteri *non* cogitet; Sic tenent, & declaratum referunt a Gregorio XIII. Sanchez, Lugo, Busemb. & alii plurimi cum Bellegambe *p.*3. *sect.*8. *q.*5. La Croix *lib.*6. *par.*2. *n.* 1439. & alii. Aliqui tamen, ut refert La Croix *l. c.* du- 69
bitant, quia per Confessarium, dicunt, debere intelligi Confessarium pœnitentis lucraturi Jubilæum; Confessarius autem, cui non cogitat confiteri, *non* potest dici Confessarius Pœnitentis.

Quoad Confessarium Jubilarem affertur attendenda se- 70
quens Resolutio.

PATAVINA

Facultatis absolvendi.

Occasione universalis Jubilæi nuper indicti pro implorandæ Divinæ ope adversus Turcas, tres Sacerdotes Capuccini in Patavina Diœcesi absque approbatione, & licentia Eminentissimi Episcopi Confessiones Sacramentales plurium sæcularium personarum publice exceperunt; & quamvis fuissent moniti a Parocho de eorum inhabilitate, attamen ab incœptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet Eminentissimo Episcopo ad docendum de eorum prætensa facultate absolvendi, responderunt, quod in opinione probabili aliquorum Auctorum Regularium primus eorum uti Guardianus, & Prælatus Regularis, secundus uti approbatus in aliena Diœcesi, & tertius uti approbatus ab ipso Episcopo Patavino in alio loco Diœcesis ad annum, licet jam elapsum, potuerunt licite, & valide tempore Jubilæi excipere dictas Confessiones absque nova Ordinarii approbatione. Eminentissimus autem Episcopus animadvertit, huic prætensioni resistere tum Constitutiones San. Mem. Urbani VIII. & Innocentii X. relatas per Fagn. in cap. Sane, de Offic. & potest. Judicis Delegati; tum Constitutiones Sanc. Memor. Alandri VII. 3. Januarii 1656. & Clementis X. de anno 1670. quæ omnes expresse prohibent, ne Regulares absque approbatione Ordinarii Confessiones audiant, quamvis in alio loco approbati: tum etiam responsa hujus Sac. Congregationis super dubiis ad Bullam San. Mem. Gregorii XV. incip. Inscrutabili, *tum denique expressam mentem Sanctissimi Domini Nostri, qui in Bulla præfati Jubilæi requisivit Confessarios ab Ordinariis Locorum esse approbatos: unde plurimum dubitans de viribus hujusmodi Confessionum ab oraculo hujus Sac. Congreg. quanto citius responderi petit.*

Primo an licite?

Secundo: an valide dicti Capuccini Sæcularium Confessiones exceperint? Et Sac. Cong. Gen. die 11. *Decembris* 1683. *respondit*, Ad.

Ad primum. Illicite.

Ad secundum. Invalide; *sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt. Attamen, si ipsi Confessi hoc resciverint, vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare Confessionem.*

Quo vero ad Capuccinos, Eminentissimus Ordinarius confidat Processum circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ ab iisdem exercitam, non obstare contraria dispositione Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, & transmittat.

Sic refert Cardinalis de Lambertinis, postea Summus Pontifex, in suis eruditissimis Notificationibus, Volumine 4. notificatione 17. in fine.

Jubilæi concessio non tribuit Sacerdoti facultatem exci-
71 piendi confessionem personæ complicis in peccato turpi. Benedictus XIV. tom. 1. Const. 20. incip. *Sacramentum Pœnitentiæ* §. 5.

* Absolutio ab hæresi etiamsi expresse non reservetur in
72 Bulla Jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi Bulla absolutionem a criminibus in Bulla Cœnæ expressis in genere permittat, ut decrevit Sacra Congregatio S. Officii die 23. Martii 1656. sub Alexandro VII. *Institution. Ecclesiast.* 48. §. 15.

In Jubilæo Confessarii ab Ordinario alterius loci approba-
73 ti nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi, qui ab Ordinario loci semel quidem illam obtinuerunt; sed modo cessavit. Ita ex pluribus decretis S. Congregat. *Instit. Eccles.* 84. §. 27. Ubi tamen ex sensu ejusdem S. Congregat. additur, fideles sic bona fide ab ejusmodi Confessariis absolutos non esse inquietandos. *Ibid.* §. 27.

ARTICULUS III.

Jubilæum quoad ea, quæ concernunt opera præscripta, tempus, & locum pro ipso lucrando.

1 SEptem sunt opera, quæ solent præscribi, & exigi pro Jubilæo lucrando, scilicet, Processio, Visitatio Ecclesiarum, Oratio in *illis*, Confessio, Communio, Jejunium, & Eleemosyna; ut patet clare ex Bullis, quæ pro jubilæis
2 edi solent. Ordinarii non possunt, nec debent plura requirere, quam hæc septem, quæ requirit Papa; Bellegambe, *de Jubilæo p. 3. sect. 2. q. 10.* La Croix *lib. 6. p. 2. n. 1457.* &
3 alii passim. Quantum ad Processionem, quamvis sit gravis obligatio eam indicendi, & instituendi, ex quo Bullæ pro Jubilæis edi solitæ in virtute S. Obedientiæ, & districte præcipiant, ac mandent Ordinariis locorum, & curam Animarum exercentibus, ut Clericis, & populis sibi subjectis solemnes Processiones indicant, & celebrent; Tamen nemo ab-
4 solute tenetur interesse Processioni, nam Bullæ *disjunctive*, & alternative loquuntur; *Qui processioni interfuerint, aut Ecclesiam, seu Ecclesias visitaverint*; Adeoque sufficit alterutrum præstare, nam *cap. In alternativis 70. de Regulis Iuris in 6.* dicitur expresse: *In alternativis* (idest sub disjunctione propositis) *debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri*. Hinc, qui nequeunt, vel nolunt Processioni interesse, non indigent, ut sibi fiat Processionis in aliud commutatio, sed vel Processionis, vel Ecclesiæ, seu Ecclesiarum visitationis; Gobat, *in Quinario tract. 3. cap. 19. n. 123. & seq.* & alii pas-
5 sim. Qui interfuit Processioni, non tenetur visitare Ecclesiam, seu Ecclesias pro lucrando Jubilæo, quia Processiones solent dirigi ad Ecclesias pro visitatione designatas, ut patet ex praxi; Gobat *l. c. cap. 20. n. 1.* & alii communiter.

6 Visitatio est necessario facienda illarum Ecclesiarum, quæ fuerint ab Ordinario loci, aut curam animarum habente designatæ, ut habetur clare ex verbis Bullæ, & tenent communiter Doctores. Hinc Regulares etiam tenentur visitare Ecclesiam, seu Ecclesias designatas ab Ordinario, & si sua propria Ecclesia fuerit ab Ordinario designata pro visitatione, Regulares ibi commorantes satisfaciunt eam visitando, dummodo tamen non fuerit ab Ordinario designata solummodo pro mulieribus, quia tunc tenerentur visitare alienam Ecclesiam designatam pro viris; Felix Potestas *tom. 1. p. 4. n. 3834.*
7 Bard. & alii. Quando quis præ nimio hominum concursu nequit ingredi Ecclesiam visitandam, satisfacit visitando extra portam, ibique orando; Lugo *tom. 6. disp. 27. n. 97.* Gobat *l. c. cap. 20. n. 129.* Suarez, Bonacina, & alii cum Diana *p. 1. tract. 11. resol. 103.* La Croix *l. c. n. 1433.* & alii passim. Imo si ratione talis nimii concursus, ne quidem ad portam, 8
Ecclesiæ pertingere posset, satis esset visitare, & orare in Cœmeterio, quia, & hoc modo dicitur moraliter visitare Ecclesiam: Cœmeterium enim in favorabilibus venit nomine Ecclesiæ; *argument. cap. Odia 15. de Regulis Iuris*, ibi: *Favores convenit ampliari*, Suarez *tom. 4. d. 42. sect. 1. numer. 7.* Lezana *verb. Jubilæum num. 11.* Layman *lib. 5. tract. 7. cap. 3. num. 4.* Gobat. *loc. cit. num. 129.* & alii. Quando præ- 9
scribitur orari in certa Capella, vel ad certum Altare Ecclesiæ, oportet ingredi; La Croix *loc. cit. num. 1433.* & alii. Quando præscribitur visitatio plurium Altarium in eadem Ec- 10
clesia, non sufficit esse in ipsa Ecclesia, & animo converti ad illa Altaria, sed requiritur, ut aliquo signo sensibili, V.G. conversione capitis, aut corporis significetur, & demonstretur conversio animi ad singula designata Altaria, quia exigitur visitatio sensibilis, nempe talis actio, quæ exterius indicet orationem, aut alium actum religiosum fieri ad talia Altaria; Lugo *loc. citat. num. 98.* Gobat. *loc. cit. num. 131.* & alii passim. Si autem in aliqua Ecclesia non essent tot 11
Altaria, quot visitari præscribitur, satisfaciet quis tot inclinationes, & orationes repetendo ad illa, quæ ibi existunt, quot Altaria visitare debuisset; Diana *part. 1. tract. 11. resolut. 102.* Bellegambe *part. 3. sect. 4. quæst. 9.* La Croix *loc. cit. num. 1433.* Escobar, & alii. 12

Quando præscribitur visitatio plurium Ecclesiarum, non requiritur, quod visitentur omnes una die, sed sufficit, quod visitentur inter eamdem hebdomadam, qua quis intendit lucrari Jubilæum, nisi tamen in aliqua Bulla quid diversum præscriberetur, quia tunc esset ipsi standum, La Croix *loc. cit. 1432.*, & alii passim. Qui Missam pergit audire in 13
Ecclesia designata, *hoc ipso* visitat. Belleg. *part. 2. sect. 5.* La Croix *loc. cit. num. 1432.*, & alii. Visitatio Ecclesiarum 14
potest fieri etiam curru, vel equo; Gobat. *loc. cit. num. 132.* 15
La Croix *loc. cit. num. 1432.* Benzonius, & alii. Debet tamen visitatio fieri *devote*, ut dicit Bulla; Devote autem censetur fieri etiam a constituto in mortali; item ab immodesto, & peccante per viam, si modeste ingrediatur Ecclesiam, & devote oret in ea quia, ut dicetur infra *sub num. 46.* non est necesse, quod omnia opera peragantur in gratia, sed sufficit, si in gratia peragatur opus ultimum. Bellegambe *loc. cit. quæst. 6.* Gobat *loc. cit. num. 127.* La Croix *loc.* 16
cit. numer. 1432. Peyrinus; Navarrus, & alii. Qui vicini sunt Ecclesiæ designatæ, & qui habitant in ea, ipsam visitando consequuntur tantam Indulgentiam, sicuti illi, qui veniunt a longe, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur. S. Thomas *dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. ad 4.* Gobat *loc. cit. numer. 132.* Navarrus, & alii passim. 17

Oratio pro Jubilæo lucrando requisita, nisi aliud constet ex Bulla, sufficit, etiamsi sit pure mentalis, quia Oratio mentalis est proprie Oratio, & fusio precum: immo magis proprie, quam vocalis, quia vocalis in tantum est Oratio, in quantum conjungitur cum mentali. Ita Navarr. Filliuc. Trullench. Gobat, & alii cum Viva *quæst. 8. art. 5. numer. 7.* ubi dicit, sic communiter sentire Doctores cum supracitatis. La Croix tamen *loc. cit. num. 1421.* dicit, quod communis sententia requirit Orationem vocalem, & Lugo *t. 6. disp. 27. num. 111.* testatur, quod communiter requiri solet Oratio vocalis, Recte autem subjungit, quod quamvis non sit improbabilis opinio dicentium sufficere Orationem mentalem, tutius tamen erit aliquid miscere de Oratione vocali, quod, & dicit La Croix *loc. citat.* Gobat *loc. citat.*, & alii. 18
Quando præscribitur Oratio indeterminate, sufficit brevissima; Suarez *tom. 4. disp. 52. sect. 8. numer. 5.* Diana *part. 5. tract. 12. resolut. 33.* Gobat *loc. cit. nu. 140.* Bossius *in tract. de Jubilæo sect. 4. cap. 17.* Filliucius *tom. 1. tract. 8. cap. 6. num. 164.*, *& sequent.* Lezana *verb. Jubilæum numer. 13.*, & alii. Quando vero præscribitur orari per aliquod tempo- 19
ris spatium, sufficit quina devota repetitio Orationis Dominicæ, & Salutationis Angelicæ. Gobat *loc. cit. sub num. 140.* Immo Quintanadvenas *tract. 2. dub. num. 7. in Appendice* loquens de clausula *per aliquod temporis spatium preces fundat*, dicit suggerit devotio, & sufficere ex Rodriquex trium Orationum Dominicarum, vel salutationum Angelicarum recitationem; Quinimmo ipse Quintanadvenas existimat satisfacturum qui recitaret Psalmum *Laudate Dominum omnes Gentes*, aut unicam Orationem Dominicam, aut unicam Salutationem Angelicam. Oratio debet fieri in loco, & 20
tempo-

tempore designatis, & ad mentem Summi Pontificis, & sufficit, si quis dicat: *Intendo orare ad mentem Summi Pontificis præscriptam in Bulla*; Gobat *locis citatis numer. 141.*, & 144. La Croix *loc. cit. num. 1423.* & alii passim.

21 Confessio actualis est necessaria, & non sufficit contritio ad lucrandum Jubilæum, quando in Bulla Jubilæum concedente requiritur Confessio, & lucraturus jubilæum, seu Indulgentiam habet peccatum mortale. Si communior, probabilior, & tutior Theologorum sententia cum Kazenberger *in Supplemeto Teologiæ Patritii* Sporer *cap. 3. de Indulgentiis num. 5.* Reiffenst. *Theolog. Moral. tract. 12. dist. 3. quæst. 5. num. 49.* Corduba, Cajetan. Rodriquez, Layman, Bellarmin. Sanctarell. *de Jubilæo cap. 10. dub. 3.* Viva *de Jubilæo quæst. 8. artic. 3. sub num. 2.* contra Filliucium, Paludanum, Coninch. Henriq. Palaum, & alios. Et ratio est, quia tunc Confessio actualis censetur esse conditio necessario requisita ad Indulgentiæ consecutionem. Indulgentiæ enim tantum valent, quantum sonant, & explicandæ, & acquirendæ sunt, sicut in Bullis exprimitur. Et hoc verum est, etiamsi
22 in Bulla dicatur, quod conceditur Indulgentia Jubilæi *Contritis, & Confessis, seu vere pœnitentibus, & confessis*, quia particula Et non est disjunctiva, sed conjunctiva, & copulativa; Dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit; quando enim plures qualitates in subjecto requiruntur copulative (ut in præsenti habetur) tunc omnes debent concurrere, ut dispositio habeat locum *ex leg. si is, qui, ff. de rebus dubiis*. Ita Doctores supracitati. Quando autem in concessione Jubilæi non expresse exigitur Confessio,
23 sufficit, ut lucraturus Jubilæum, seu Indulgentiam existat in gratia sanctificante per Contritionem perfectam; quia existens in gratia per Contritionem est capax Indulgentiæ, seu jubilæi; nec in concessione ipsius requiritur actualis Confessio, ut supponitur, adeoque in tali casu non est necessaria Confessio actualis. Sic Reginaldus, Bonac. Suar. Faber, & alii cum Kazenberger *loc. cit. num. 29.*, & Communis aliorum cum Mastrio *Theol. moral. disput. 23. quæst. 4. num. 63.* Reiffenst. *loc. cit. num. 48.*

24 Quando in Bulla jubilæi conceditur Indulgentia *Contritis, & Confessis, seu vere Pœnitentibus, & Confessis*, non requiritur actualis Confessio, sed sufficit, quod lucraturus jubilæum, post ultimam Confessionem perseveraverit in gratia usque ad diem, vel tempus lucrandi jubilæum, seu Indulgentiam; Vide *verb. Indulgentia art. 3. num. 35.*, ubi, & citantur Doctores, & adducitur ratio pro hac conclusione. Immo ne-
25 dum non requiritur in tali casu Confessio peccatorum mortalium alias rite confessorum, sed neque Confessio venialium, nisi in concessione jubilæi expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus; Vide *ibidem num. 34.* ubi citantur Doctores, & adducitur ratio; Quando vero ex concessione jubilæi requiritur Confessio actualis, tunc non sufficit Confessio sacrilega, seu voluntarie nulla; ut colligitur ex propositione 14. in ordine inter damnatas ab Alex. VII. 24. Sept. *1665.*, ibi: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; Vid. *art. anteced. n. 29.*

26 Communio actualis est necessaria, & non sufficit præterita pro lucrando jubilæo, quando in concessione ipsa expresse requiritur actualiter de tempore jubilæi: patet a pari, ex dictis de Confessione actuali supra *num. 21.* Quando vero in
27 Bulla Jubilæi conceditur Indulgentia *Omnibus Confessis, & Communicatis, seu Sacra Communione refectis*, sufficit Communio, sicuti Confessio facta duobus, seu tribus, seu etiam quatuor, & secundum aliquos etiam quinque, vel sex diebus ante primam Dominicam. Vide *verb. Indulgentia art. 3. num. 30. 31.*, & 32. ubi citantur Doctores, & adducitur
28 ratio. Nulla tamen sufficit Communio sacrilega, sive sit actualis, sive præterita; colligitur ex propositione 55. in ordine inter damnatas ab Innocentio XI. 2. Martii *1679.*, ibi: *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*. Ex qua damnata propositione Viva *de Jubilæo quæst. 8. art. 4. numer. 2.* recte infert, non posse nunc amplius sustineri, quod sufficiat Communio scienter facta in mortali ad lucrandum Jubilæum, licet olim putarint sufficere plures Doctores cum Fausto, Filliuccio, Suarez, Corduba, Henriquez, & aliis. Vide dicta *artic. antecedent. n. 29.*
29 An autem Communio ad lucrandum Jubilæum requiratur etiam in pueris, & ideo possint tanto citius admitti ad Communionem, ut tenent Henriq., & Layman apud Bellegambe *quæst. 6.*, & la Croix *leg. 6. part. 2. num. 1420.* Vel, an Communio possit pro ipsis pueris commutari in aliud opus pium? Vide *art. anteced. num. 57.*

Jejunium pro Jubilæo lucrando solet præscribi observan- 30
dum tribus diebus, scilicet, Mercurii, Veneris, et Sabbati; patet in verbis Bullæ pro Jubilæis edi solitæ. Jejunium 31
nequit observari, seu fieri extra ipsos dies præscriptos, nec dividi in duas hebdomadas, ut teste La Croix *loc. cit. num. 1424.* habet Communis contra Bonacinam, Layman, et alios quorum sententiam Card. de Lugo *tom. 6. disp. 27. num. 105.* vocat falsam. Habens rationabilem causam non jejunandi, 32
in aliquo; seu aliquibus ex præscriptis diebus, potest petere, et obtinere commutationem jejunandi in aliis diebus, ejusdem hebdomadæ, Henriquez, Filliucius, Gobat *de jubilæo num. 213.* La Croix *loc. cit. num. 1424.*, et alii passim. Non obligati ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ, ut pueri, 33
senes, infirmi, itinerantes, laborantes, tenentur jejunare, si lucrari velint Jubilæum, nisi per Confessarium in aliud opus pium illud opus pium illis commutetur. *Communis* cum Gobat *de jubilæo cap. 28. num. 210.* Lezana *verb. jubilæum num. 12.* La Croix *loc. cit. num. 1424.* jejunium pro jubilæo 34
exigitur tale, quale Ecclesia præcipit fidelibus extra Jubilæum. *Communis* cum Sanchez *in Summ. leg. 4. cap. 11. numer. 53.* Gobat *loc. cit. num. 205.* La Croix *loc. cit. num. 1424.* Habens privilegium comedendi carnes in aliis jejuniis, debet ipsis abstinere in jejunio pro lucrando Jubilæo, nisi ipsi per Confessarium commutetur in aliud opus pium. Azorius 35
part. 1. leg. 7. cap. 10. Gobat *loc. cit. numer. 206.* La Croix *loc. cit. num. 1434.* *Lugo tom. 6. dis. 27. num. 109.*, et alii. 36
Jubilæum potest lucrari per jejunia aliunde debita, v. g. ex præcepto, voto, et pœnitentia; patet ex praxi, cum Jubilæum promulgatur in Quadragesima. Lugo *loc. cit. num. 110.* Bellegambe *part. 1. sect. 3. quæst. 1.* La Croix *loc. citat. num. 1425. art. anteced. num. 53.*

Ultimo die jubilæi possunt per Confessarium commutari je- 37
junia, vel in Eleemosynas, vel alia opera pia eo die præstanda ab eo, qui inculpabiliter ipsa jejunia prætermisit, ex quo ignoraverit v. g. jubilæum. Viva *q. 8. nu. 5.*, & alii passim; Vide *dicta art. anteced. num. 56.* Immo ultimo die jubilæi pos- 38
sunt commutari etiam jejunia voluntarie, & mala fide prætermissa in jejunia postmodum ponenda, differendo jubilæi consecutionem. Viva *loc. cit. num. 5.* qui adducit hanc rationem; Nam, dicit ipse, quamvis voluntarie redditus sit impotens, adhuc tamen est potens postmodum ponere injuncta jejunia, & in casu impotentiæ potest Confessarius tempore jubilæi opera injuncta commutare etiam in opera post Jubilæum ponenda, quoties datur causa differendi jubilæi consecutionem, ut videtur adesse in casu hujus culpabilis impotentiæ. Hæc ille.

Ad Eleemosynam dandam pro jubilæo lucrando tenentur 39
omnes etiam Religiosi; & alii pauperes, vel si non possint dare, petere commutationem in aliud opus pium. Et ratio est, quia in Bulla Jubilæi expresse elemosyna, sicut alia opera, subdita facultate commutandi, quæ impleri non possint: ergo si Religiosi, & alii pauperes eleemosynam dare non possint, tenentur commutationem petere; Quando enim concessio facta est sub conditione (uti est concessio Indulgentiæ jubilæi facta sub conditione de eleemosyna danda, vel aliquid aliud faciendi, in quod a Confessario eleemosyna commutetur) deficiente conditione, concessio habetur pro non facta *ex leg. Pecunia, ff. Si certum petatur*: Conditionale autem, non impleta conditione, nihil ponit in esse. Tum quia sicuti ex Communi Doctorum diximus *sub num. 33.* quod impotentes ad jejunium ut pueri, senes, infirmi, laborantes tenentur pro lucrando jubilæo petere commutationem ipsius jejunii in aliud opus pium; ita dicendum est de Religiosis, & aliis pauperibus impotentibus ad eleemosynam. Card. de Lugo *tom. 6. disp. 27. num. 115.*, *& seq.* Viva *de jubilæo quæst. 8. art. 6. num. 2.* Bellegambe *leg. cap. quæst. 5.* La Croix *leg. 6. part. 2. num. 1430.* Lezana *in Summ. verb. jubilæum num. 14.* Felix Potestas *tom. 1. part. 4. numer. 3833.*, & alii plures dicentes, quod licet secundum Navar. Henriq. Fernand. Dian. Gobat Arsdekin Leand., & alios, Religiosi, & alii pauperes impotentes ad eleemosynam non teneantur probabiliter ad aliud opus; consultius tamen, & tutius esse, ut commutationem petant: Vel Conventus, seu Monasterium det pro ipsis, quod posse fieri, & in praxi esse, testatur Lugo *loc. cit. num. 116.*, *& sequent.* subdens posse sic dare, prout de facto dant etiam Fratres Mi-

nores, qui licet tantum usum habeant, dant tamen eleemosynam, quando hoc usu se abdicant, quia sic in pauperem transit Dominium. Lugo *loc. cit.* Bellegambe *quæst.* 5. La Croix *leg. cap. num.*1430., & alii passim, sic docente communi praxi omnium nostrorum Conventuum quotidie eleemosynas *in* pauperes elargientium.

40 Ut autem pro lucrando Jubilæo securius valeat pro omnibus Religiosis eleemosyna a Conventu elargita, consultum est servare praxim, quam Gobat *tr.*3. *de jubileo cap.*29. *num.*217. testatur servari in sua undequaque præstantissima Societate, quod nempe Superiores locales, quando publicantur Jubilæa, in Refectorio, vel in alio loco Religioso Communitatis præmoneant se curaturos dari ex bonis communibus Monasterii eleemosynam pro omnibus, & talem præmonitionem, aut monitionem esse necessariam tenent Lugo *loc. citat.* Bellegambe *quæst.* 3. *loc. citat.* La Croix *numer.* 1428. Maillard., & alii, quia cum eleemosyna debeat esse actio moralis, debet procedere ex cognitione, & volitione.

41 Pro quantitate eleemosynæ elargiendæ attendenda est Bulla jubilæi, quæ si dicat elargiendam esse juxta *cujuscumque facultatem*, tunc Dives debet dare eleemosynam majorem, quam pauper. Gobat, Bonacina, Busemb. Bellegambe *quæst.*2. La Croix *loc. cit. num.*1427., & alii. Si Bulla nihil determinet, & sine addito præscribat Eleemosynam dicendo, v. g. *Qui dederit Eleemosynam, acquiret Indulgentiam*, tunc sufficere eleemosynam quantumcumque parvam tenent Diana, Leo, Faustus, Rodriquez, Bonacina, Gobat, & alii *arg. cap. In obscuris* 30. *de Regul. juris in 6.*, ibi: *In obscuris minimum est sequendum*. Illa autem locutio, *Qui dederit eleemosynam*, est obscura, cum possit æque de magna, ac de parva intelligi, adeoque potest intelligi etiam de minima; ubi enim Lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; *cap. Quia circa* 22. *de privileg.*, *& leg. De pretio*, *ff. de publiciana in rem actione*. Si autem Bulla dicat, ut jam solent dicere Bullæ edi solitæ pro jubilæis hujus Sæculi, & ætatis, *Et eleemosynas ad libitum pro ut Caritas singulis suggesserit*, *fecerint*. Vel *qui eleemosynam pro arbitrio suo fecerint*, vel *prout cuique suggeret Devotio*, Gobat *loc. cit. num.*219. Zecchius, & alii docent sufficere præbere quantuncumque parvam eleemosynam. At alii cum La Croix *loc. cit. num.*1427. melius dicunt simul habendam esse rationem dictaminis interni *tua conscientia plus, vel minus*, & ut dicit Lugo *loc. cit. num.* 114. curandum esse, ut sit in quantitate proportionata ad finem implorandi Divinam opem.

42 Eleemosynam pro jubilæo lucrando sufficit, etiamsi detur per alium v. g. per famulum, amicum, & hujusmodi. *Communis*, *arg. cap. Qui facit* 73. *de Regul. juris in 6.*, ibi: *Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum*. Si autem famulus, vel alius sibi commissam eleemosynam non daret, Homobon. Bonacina, Busemb. Gobat, Corduba, Leo, Rodriq. Sanctarell. *cap. 7. d.b.*1. Lugo *loc. citat. num.*112. Viva *quæst.* 8. *art. 6. sub num.* 3., & alii dicunt probabilius, quod Dominus, seu committens dandam eleemosynam non lucraretur jubilæum, quia *quantum* est ex sua parte, jam dedit, & tradidit eleemosynam, quod probabile, & tutum censet etiam Gobat *loc. cit. num.*121., & alii.

43 Nomine pauperum, quibus pro lucrando *jubilæo* præbenda est eleemosyna, intelliguntur, nedum veri pauperes quibus ex obligatione naturali, aut voto, seu pœnitentia tenetur quis succurrere, sed etiam, qui secundum suum statum, qualitatem, & conditionem non habent necessaria ad victum, & vestitum, & insuper illi, qui se fingunt pauperes, cum revera non sint, dummodo pro veris pauperibus credantur. Item loca pia, Monasteria Religiosorum, Hospitalia, & Ecclesiæ, quæ indigent luminaribus, ornamentis, ædificiis, & hujusmodi. Gobat *loc. cit. num.*222. La Croix *loc. citat. num.*1429 Bellegambe *quæst.* 4. Diana, Sanchez, Lugo, Navarr., & alii passim.

44 Quoad tempus adimplendi opera præscripta non omnes circa omnia conveniunt. Diana enim, Præpositus, Nal-

dus, Layman, Bonacina, Palaus cum Gobat *in Quinario tract.*3. *de jubileo cap.*11. *numer.*72. Navarr., Lezana, Rodriq. Bossius, & alii dicunt non opus esse, ut omnia opera præscripta adimpleantur, seu ponantur intra unam, & eamdem hebdomadam ex duabus assignatis, sed posse adimpleri, seu poni partim in una, et partim in altera hebdomada v. g. in prima hebdomada jejunia, in secunda visitatio Ecclesiarum, Eleemosyna, Confessio, Communio etc. Et nituntur hoc probare ex verbis Bullæ, quæ non convincunt debere poni omnia opera præscripta, præter tria jejunia, intra unam, et eamdem hebdomadam. Bulla enim jubilæi hæc verba solet habere: *Qui prima, vel secunda hebdomada Ecclesia visitaverint, ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius hebdomadæ jejunaverint; parriterque Confessi, & Sanctissima Communione refecti fuerint, & eleemosyna &c.* ex quibus verbis, dicunt ipsi, apparet omnia opera, præter jejunia, posse poni, seu adimpleri prima vel secunda hebdomada. Henriquez autem *lib.*7. *cap.*11. Sanchez *lib.*4. *cap.*4. Felix Potestas *tom.*1. *part.*4. *numer.* 3830. Sanctarell. *cap.*7. *dub.*1. Lugo *loc. cit. num.*100. Reiffenstuel *Theol. Moral. tract.*12. *dist.*3. *num.* 114. *in fine*, Ugolinus, Faustus, Reginaldus cum Viva *de Jubileo qu.*8. *art.2. sub num.* 3., et alii plures tenent probabilius, et tutius omnia opera præscripta ponenda, seu adimplenda esse intra unam, et eamdem hebdomadam. Et ratio est, quia, ut recte observat Sapientissimus Viva, dum dicitur *Qui prima, vel secunda hebdomada*, ponuntur a Papa duo tempora, quibus lucrari possit jubilæum, positis, seu adimpletis operibus præscriptis, non vero statuitur unum tempus quindecim dierum, quo possint opera præscripta poni, seu adimpleri; hoc enim videtur operari particula vel, aliter non diceretur: *Qui prima, vel secunda hebdomada*, sed diceretur; *Qui his quindecim diebus*. Ideo autem duæ hebdomadæ assignantur, ut qui nequit prima, possit jubilæum lucrari secunda, non vero, ut possint opera dividi, quia dictio illa alternativa, vel tribuit actum cuilibet in solidum, ut notat Glossa *in cap. Cum plures*, *de Offic. delegati in 6.*, & facit sensum disjunctivum explicatum. Hæc ille. Et hanc sententiam vocat tutiorem ipsemet Gobat *loc. cit.* quamvis dixerit esse aliam probabiliorem; & sic etiam tutiorem vocant alii passim, & signanter Reiffenstuel *loc. cit.* dicens, quod sit tutior, ac proin in praxi merito tenenda, & consulenda, & Felix Potestas *loc. cit.* dicit absolute opera præscripta debere omnino intra unam, & eamdem septimanam impleri.

Confessio tamen, & Communio, quando in Bulla non requiritur expresse de tempore jubilæi, sed conceditur Indulgentia *omnibus Confessis*, *& Sacra Communione refectis*, potest fieri uno, vel etiam duobus, aut tribus, seu etiam quatuor, & secundum aliquos etiam quinque, vel sex diebus ante primam Dominicam dummodo lucraturus jubilæum perseveraverit in gratia usque ad diem lucrandi jubilæum; Vide *supra num.*27., *& verb. Indulgentia art.*3. *num.* 30., *&* 32. ubi citantur Doctores, & adducitur ratio. Requiritur enim, & sufficit probabilius ad consequentiam Indulgentiam jubilæi, quod lucraturus sit in statu gratiæ, saltem dum perficit, & ponit ultimum opus præscriptum. Lugo *tom.6. disp.*27. *num.*83. Maltrius *Theol. moral. disp.*21. *num.* 61. Herincx *disp.*4. *de satisfact. q.* 11. *num.* 77. Reiffenstuel *tract.*12. *dist.*2. *quæst.*3. *num.*33., *& dist.*3. *quæst.* 8. *numer.* 104. Suarez *disp.* 52. *sect.*5. Viva *de Jubileo quæst.6. art.* 2. *num.* 4. Layman, Pakus, Bonacina, Bossius, & alii. Et jubilæum ad duas hebdomadas concessum potest probabiliter bis obtineri, si in utraque hebdomada repetantur opera præscripta; Vide *art. ant. num.*15. ubi citantur Doctores, & adducitur ratio, quamvis tamen sit æque probabilis etiam opposita sententia propter adducta *ibidem num.*26. Opera præscripta debent ita integre adimpleri, ut si aliquod ipsorum, vel penitus, vel quoad partem notabilem omittatur, sive id fiat ex ignorantia, seu oblivione, sive ex negligentia, aut impotentia (seclusa commutatione in aliud opus pium a Confessario facta) non obtineatur quidquam de Indulgentia Jubilæi. S. Th. *in* 5. *dist.*20. *quæst.*3. Reiffenstuel *cit. dist.*3. *quæst.*8. *num.* 105. Gobat *de jubileo cap.* 11. *num.*61., & ipse tenet, alii communiter. Et ratio est, quia jubilæum conceditur a Papa sub conditione adimplendi omnia opera præscripta, vel aliquod aliud faciendi, in quod a Confessario aliqua ipsorum sint ex rationabili causa commutata; quando autem concessio facta est sub aliqua conditione,

ne, deficiente tali conditione, concessio habetur pro non facta, *ex leg. Pecuniam*, *ff. Si certum petatur*: Conditionale enim, non impleta conditione, nihil ponit in esse; adeoque &c.

49 Tempus jubilæi extraordinarii concessum ad duas hebdomadas comprehendit quindecim dies, idest tres Dominicas, & 12. dies feriales, si inchoetur a die Dominica, ut fieri solet. La Croix *lib.*6. *part.*2. *numer.*1397. Layman *lib.*5. *tract.* 7. *cap.*8. *num.*7. ubi testatur esse receptum more Germanicarum Ecclesiarum, ut quindecim dies permittantur; Totidem permittendos esse dicit P. Palaus Hispanus *part.*4. *tract.* 24. *punct.* 12. §. 3. *num.*3. Totidem Cotonius Italus *controvers. lib.*2. *controv.* 12. *num.* 16., *&* 17. Felix Potestas *tom.*1. *part.*4. *num.*3824., & alii plures, & Gobat *in Quinario tract.* 3. *cap.*XI. *sub num.*63. *vers. Dixi tertio*, ubi testatur se non recordari fuisse minus, quam quindecim dies assignatos illis duarum hebdomadarum octodecim jubi-
50 læis, *quibus fruitus est in diversis Episcopatibus*; Quamvis tamen subjungat, nonnullos Episcopos expressisse opera præscripta esse perficienda intra quatuordecim dies. Quod si aliqui alii Episcopi id clare exprimerent, & declararent tempus jubilæi non extendi ultra quatuordecim dies, esset standum tali expressioni, & declarationi, nisi aliter constaret de mente Pontificis, quia Bulla jubilæi *non* exprimit nisi duas hebdomadas, & hebdomada non continet nisi septem dies.

51 Licet enim Episcopi nequeant decurtare tale tempus, & illud arctare intra unam hebdomadam, ut recte dicit Gobat *loc. cit. num.*63. ubi notat erasse quemdam Vicarium Generalem, qui determinavit pro universis unam solam hebdomadam; tamen alio non constante de mente Pontificis, si expresse declarent esse perficienda opera præscripta intra determinatos quatuordecim dies, esset standum tali declarationi, quia, quod tempus jubilæi comprehendat 15. dies, ex verbis Bullæ affirmari non potest ut recte notat Layman *loc. cit.* sed ex benigna DD. interpretatione, accedente Ecclesiarum consuetudine, secundum quam Fideles tertia Dominica, quæ est dies 15. ab inchoatione jubilæi, ad Sacramenta accedunt. Et Cardinalis de Lugo, aliique plures Hispani, & Itali, teste Gobat *loc. cit. vers. Dixi tertio*; dicunt esse peculiariter permissum, ut Confessio, & Communio peragantur tertia Dominica indicti jubilæi.

52 Ordinarii possunt duas jubilæi hebdomadas facere inchoari quocumque die septimanæ prout occurrus Festorum, aut alia ratio prudens suggesserit, dummodo tamen adsit tempus adimplendi jejunium tribus præscriptis diebus intra unam, & eamdem hebdomadam, ut requiri diximus *supra num.* 31.,
53 *&* 44. Conveniens tamen, & expediens est, ut advertit Gobat *loc. cit. sub num.*70. ita inchoare illas hebdomadas, ut tam prima, quam secunda incipiat a Feito, adeoque quartusdecimus, vel quintusdecimus dies jubilæi desinat in Feito. Et Layman *loc. cit. num.*7. dicit, quod cum clarissime pateat, diem Dominicam, qua incipit jubilæum connumerandum esse inter dies, quibus Confessio, & Communio institui possit, ideo, ne ea dies excludatur, conveniens esse videtur, ut promulgatio Jubilæi fiat in Ecclesiis ante eam
54 Dominicam. Ordinarii, aut Parochi mortaliter peccant, si absque pergravi causa ex negligentia diutius differant promulgationem, seu indictionem Jubilæi. Pontifices enim solent in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipere Episcopis, *Ut cum primum Jubilæi Litterarum transumpta, atque exempla etiam impressa acceperint; illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento.... publicent, vel publicari faciant*. Et Sixtus V. Constit. 11. apud Cherubinum, (ex cujus mente loqui videntur posteriores Pontifices) differre imperat inchoari jubilæum prima, vel secunda hebdomada immediate post habitam notitiam jubilæi, adeoque, cum deficiant in materia gravi, graviter peccant. Gobat *l. c. n.*68. Pax Jordan. *Elucubration. volum.*1. *lib.* 5. *titul.*16. *n.*69. *&* 70. ubi dicit, ita statim debere Episcopum publicari facere jubilæum, ut non possit, neque occasione Messis, Vindemiarum, vel alterius cujuscumque occupationis, & impedimenti ad aliud tempus differre, etiamsi publica populorum commoditas aliud exposceret, & obnixis precibus ad differendum requireretur, eo quod in Brevibus talium concessionum sequens clausula soleat apponi; *Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ Obedientiæ districte præcipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis &c. ut cum primum Litterarum transumpta, aut exemplaria etiam impressa acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca publicent, aut publicari faciant &c.*, quæ quidem verba, ut dicit ipse, sunt adeo præcisa, & geminata, ut nulla possit cadere dubitatio, quin talis fuerit Papæ intentio, quod non differatur publicatio. Immo subjungit, quod ex illis verbis: *Per suas* 55
Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & Loca, similiter manifeste apparet eodem tempore publicationem esse faciendam pro Civitate, & Diœcesi, non autem elapso tempore Civitatis, publicare pro Diœcesi; hoc enim directe censetur contra intentionem Papæ verbis supradictis expressam. Caveant igitur omnes, ad quos spectat publicare, ne differant, neque separent Civitatem a Diœcesi quoad præfatam publicationem, aliaquin non excusabuntur a mortali, quia Papa præcipit illis in virtute Sanctæ Obedientiæ. *Hæc ille*; Pellizarius tamen, & alii apud La Croix *l. c. n.*1397. putant, posse ex rationabili causa prius in Urbe, postea in Diœcesi, aut etiam postea pro Monialibus, ut omnes possint successive, commode habere Extraordinarios Confessarios, præsertim ubi pauci reperiuntur.

Opera præscripta pro Jubilæo lucrando possunt impleri, 56
partim in uno loco, & partim in alio, dummodo visitatio Ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilæi; Lugo *cit. disp.* 27. *a n.*123. Bellegambe *part.*3. *sect.*3. *q.*6. Layman *lib.*5. *cap.*8. *n.* 11. Sannig. *l.*5. *decret. tit. de poenit. & remiss. cap.*2. *n.*16. La Croix *loc. cit. n.*1414. Diana *p.*5. *tract.*12. *resol.* 53. Castropal. Bonacina, & alii passim. Et ratio est, quia favor Jubilæi est personalis, ex cap. autem *Privilegium* 7. *de Regul. Juris in 6. Privilegium personale personam sequitur*, adeoque quocumque quis pergat, feret secum istum favorem, & jus utendi omnibus Jubilæi *facultatibus*. Tum quia Bulla Jubilæi non requirit, ut omnia opera impleantur in loco publicati Jubilæi, adeoque &c. Dicitur autem notanter: *Dum-* 57
modo visitatio Ecclesiarum fiat in loco publicati Jubilæi, quia, cum visitatio debeat fieri illarum solarum Ecclesiarum, quas Ordinarius designavit, non potest fieri in alio loco, in quo nondum est promulgatum Jubilæum, & consequenter nondum designatæ sunt Ecclesiæ visitandæ; Layman, Diana *loc. cit.* Lugo *l. c. n.*127. Gobat *l. c. n.*90.

Hinc colliges, quod, si quis in loco, ubi publicatum est 58
Jubilæum, visitaverit designatas Ecclesias, & inde iter arripuerit, poterit in itinere reliqua opera peragere; *Citati Doctores*. Nec tenetur ratione Jubilæi differre iter in aliud tempus, nam Bulla sine distinctione offert gratiam iter agentibus; *loc. cit. sub n.*90. *in fine*, & alii passim. Item, si quis 59
iter faciens perveniat ad locum, in quo Jubilæum celebratur, sive pervenerit illuc ante, sive primum post promulgationem, poterit ibi præstando opera præscripta lucrari Jubilæum æque, ac incolæ, quia per præsentiam in illo loco statim acquirit *jus*. Et si ibi nequeat omnia opera præscripta implere, poterit, visitatis ibi designatis Ecclesiis, iium prosequi iter, & in itinere reliqua opera implere, & Jubilæum lucrari; Lugo *loc. cit. n.*126. *&* 127. Layman *loc. cit. n.*11. Gobat *loc. cit. n.*90. & alii. Item, si quis ultimo die 60
perveniat ad locum jubilæi, potest petere, ut opera, quæ facere non potest, sibi commutentur, & sic ibi lucrari jubilæum: Lugo *l. c. n.*125. La Croix *l.c. n.*1436. Bellegambe *p.*2. *sect.*5. *q.*5. & alii. Item si quis post lucratum jubilæum 61
in sua patria pergat ad alium locum, ubi celebratur jubilæum, poterit probabilius ibi iterum lucrari jubilæum replicando ibi opera præscripta: Vide *art. antec. n.* 25. ubi citantur Doctores, & adducitur ratio; quamvis tamen, *ut ibi n.* 26. dictum fuit, sit vere probabilis etiam sententia contraria. Item, si 62
quis tempore publicati jubilæi in sua patria, etiam ultimo die primæ, vel secundæ hebdomadæ iter arripiat, nec in itinere impleat cetera opera præscripta, poterit reversus præstando opera præscripta jubilæum lucrari, quamvis jubilæi tempus fuerit elapsum, quia Papa concedit navigantibus, & iter agentibus, ut reversi habeant alias duas completas hebdomadas. Nec obstat, quod in sua patria, seu loco publicationis fuerit per totam primam hebdomadam, & quasi per totam secundam, quia, cum Pontifex velit, quod unusquisque habeat duarum completarum hebdomadarum spatium, in quo cum quiete, & devotione possit se præparare, & jubilæum lucrari, talis nec tunc habet hebdomadam completam ad quietem, & devotionem requisitam, Lugo *l. c. n.*123. Gobat *l. c. sub n.*90. Bellegambe *sect.*2. *q.*4. La Croix *l.c. n.*1434. & alii & faciunt dicta supra *n.* 38. Vide *ibi*.

Alia. Vide *verb. Indulgentia*.

AP-

APPENDIX.

In qua exponitur declaratio facta a Doctissimo Viro Ubaldo Giraldi a S. Cajetano Scholar. Piarum juxta Constitutiones editas a Benedicto XIV. pro Anno Jubilæi 1750., quæ quidem declaratio in variis paragraphis distincta exhibetur, prout ab Auctore exarata fuit.

§. I.

Della sospensione delle Indulgenze in tempo del Giubileo.

DUrante l'Anno Santo, restano sospese, tanto in Roma, quanto fuori, tutte le Indulgenze, sì plenarie, che non plenarie, anche perpetue (1).

Eccettuate le seguenti.

I. Quelle concedute in articulo mortis.

II. Quelle, che possono concedere i Vescovi, ed altri Prelati Ordinarj de' luoghi, a tenore delle Lettere Apostoliche di Nostro Signore sotto li 5. Aprile 1747.

III. Quelle concedute in recitare l'Ave Maria, e solite al suono della campana la mattina, mezzo dì, e sera, o ginocchioni, o in piedi, secondo i tempi.

IV. Quelle di 7. anni, e 7. quarantene concedute a chi confessato, e communicato, o almeno contrito, con fermo proposito di confessarsi, visita la Chiesa, ove è esposto il Venerabile per l'Orazione delle Quaranta ore, ivi pregando secondo l' intenzione di S. Chiesa.

V. Quelle concedute a chi accompagna il Santissimo Viatico, ed a chi manda torce, o lumi da portarsi da altri in detta occasione.

VI. Quelle solite concedersi da' Legati, e Nunzj della S. Sede, ed anche da' Vescovi nell' esercizio de' Pontificali, o nel dare la Benedizione, o in altra consueta forma.

VII. Quelle degli Altari privilegiati per i Defonti.

VIII. Quelle concedute direttamente per detti Defonti.

IX. Quelle concedute a' Vivi, con espressa facoltà di applicarle per essi Defonti, da valere però per detti soli Defonti.

X. Quelle tutte concedute a' Vivi, anche senza espressa facoltà di applicarle per i Defonti, da valere medesimamente per detti soli Defonti (2).

§. II.

Della sospensione delle facoltà di assolvere da' Casi, e Censure riservate alla Santa Sede, e contenute nella Bolla della Cena, di commutare Voti, e dispensare sopra l' irregolarità, ed altri impedimenti.

DUrante lo stesso Anno Santo, restano sospese (solamente però fuori di Roma) tutte le facoltà sopradette concedute a chiunque in qualunque maniera, occasione, o titolo, anche per causa d' Indulgenza (3).

Eccettuate le seguenti.

I. Quelle de' Tribunali della S. Inquisizione, di Propaganda Fide, e degli Officiali, Missionarj, e Ministri deputati da essi Tribunali, o dalla S. Sede per estirpazione dell' Eresia, particolarmente di assolvere dalla detta Eresia quei, che fanno abjura de' loro errori.

II. Quelle concedute dalla S. Penitenziaria a' Missionarj ne' luoghi, ed in occasione delle Missioni.

III. Quelle de' Vescovi, e di altri Prelati nelle loro rispettive Diocesi, circa il dispensare, ed assolvere i loro sudditi nei casi occulti, anche riservati alla S. Sede, *prout ipsis a S. Tridentina Synodo, seu alias, etiam in publicis a jure communi Ecclesiastico, & ab eadem Apostolica Sede pro certis personis, & casibus indultæ, promissæque dignoscuntur.*

IV. Quelle de' Superiori Regolari, delle quali sono in certo, e pacifico possesso, rispetto però solamente a' loro sudditi Regolari, e non Secolari, tanto in Roma, quanto fuori (4).

§. III.

Delle opere ingiunte alli Romani, e Forastieri abitanti in Roma.

I Fedeli dell' uno, e l' altro Sesso per acquistare l' Indulgenza plenaria, e godere degli Indulti ad essa annessi, durante l' Anno Santo, debbono adempire le seguenti quattro Opere ingiunte (5).

I. Se sono Abitanti di Roma, e suo distretto, intendendosi per i primi.

II. Quei ivi nati, e che vi abitano.

III. Quei venutivi con animo di abitarvi la maggior parte dell' Anno.

IV. Quei, che vi stanno con qualche impiego, o per ritrovarvelo.

V. Quei, che vi vengono per altra causa, che per il Giubileo.

VI. Quei, che venutivi per tal fine, vi si trattengano più di sei mesi.

E per i secondi, cioè del Distretto, tutti gli Abitanti dentro le cinque miglia fuori delle porte, o nativi, o venutivi, come sopra (6).

Debbono visitare, almeno una volta il giorno, quale può computarsi, o da una mezza notte all' altra, o dai Vesperi del giorno precedente sino a tutti i Vespertini crepuscoli del susseguente (7), per trenta giorni continui, o interpolati, le Basiliche di S. Pietro, di S. Paolo, di S. Giovanni in Laterano, e di Santa Maria Maggiore (8), *e tutte quattro in un istesso giorno*, computato, come sopra, e detta Visita deve esser fatta con intenzione di onorare Dio, e i suoi Santi, e vi si debbono esercitare atti di Religione (9).

E se sono Forastieri, cioè tutti gli altri non compresi sotto il nome di Abitanti di Roma, e suo Distretto, almeno quindici de' sudetti giorni, medesimamente una volta il giorno tutte quattro (10).

Nè è necessario per l' acquisto della Indulgenza entrare, o uscire per le Porte Sante (11).

Detti Forastieri, se dopo intrapreso il viaggio a tal fine, per Roma, o anche pervenutivi, o nel cammino, o nella stessa Città impediti da malatia, o da altra legittima causa, o sopragiunti da morte, non avessero compito, o nè pure cominciato detto numero di visite, possono godere della medesima Indulgenza, e remissione, come se effettivamente l'avessero compito, purchè siansi confessati, e communicati (12).

In caso d' Indulto di moderazione del numero delle visite publicato dopo essersi da taluno fatta qualcuna delle dette visite a se prescritte, cioè o di 30., o di 15. respettivamente, può prevalersi delle visite fatte per compire il numero prescritto in detto Indulto, come ancora, se prima dell' Indulto avesse compito il numero in esso prescritto, purchè faccia almeno un' altra visita (13).

II. Debbono si gl' uni, che gl' altri porgere a Dio in dette visite devote preghiere per l' Esaltazione della S. Chiesa, estirpazione delle Eresie, concordia de' Principi Cattolici, salute, e pace di tutto il popolo Cristiano (14).

Quali

(1) *Cum nos nuper* §. *Cæterum*. (2) *Cum nos nuper* §. *Itaque*.
(3) *Ibid.* §. *Cæteras*. *Convocatis* §.55, & 56. Lettera Circolare num.32, pag. 42.
(4) *Cum nos nuper* §. *Præservatis*. Lettera Circolare n.32. pag. 42. (5) *Peregrinantes* §. *Quo quidem*.
(6) *Convocatis* §. 44, d. Lettera Circolare num.72, pag.92.
(7) *Peregrinantes* §. *Quo quidem*. (8) Detto §. *Quo quid-*
(9) Detta Lettera Circolare num.11, pag.15.e n.76. p.102.
(10) *Peregrinantes* §. *Quo quidem*. (11) *Convocatis* §. 49.
(12) *Peregrinantes* §. *Et quoniam*.
(13) *Convocatis* §.50.
(14) *Peregrinantes* §. *Quo quidem*.

Quali preghiere non vengono determinate nè in qualità, nè in durazione: non debbono però esser sì brevi, che denotino poco affetto agli esercizj spirituali (1).

Nè è necessario, che sia Orazione mentale, bastando la vocale, facendosi la mentale, vi si deve aggiungere qualche orazione vocale (2).

Quantunque non sia necessario per l'acquisto della Indulgenza essere in grazia, o premettere la Confessione Sagramentale a dette visite, bastando, che l' ultima opera sia fatta in grazia; nulladimeno, acciochè queste siano meritorie, è molto commendabile, che sian fatte, o dopo una fruttuosa Confessione, o dopo un atto di Contrizione (3).

III. Debbono fare la Confessione Sagramentale de' loro peccati realmente, e non in *voto*, quantunque non fosser rei, che di peccati veniali (4).

Quale dovranno ripetere prima dell' ultima opera ingiunta nel solo caso, che dopo fatte alcune di dette visite in istato di grazia, ricadano in pecato mortale, senza obligo però di ripetere le già fatte (5).

IV. Debbono fare la Santa Comunione Sagramentale insieme, e spirituale, cioè non Sacrilega: non essendo sufficiente la sola spirituale (6).

La mancanza della quale non impedisce l' acquisto della Indulgenza a' Fanciulli, che per ragione di età ne sono incapaci, potendosi dal Confessore commutare in altra opera pia. Se poi se ne fossero resi capaci dentro il decorso dell' Anno Santo, in tal caso sarebbero a questa tenuti (7).

Come nettampoco impedisce a partecipare de' favori del Giubileo, cioè dell' assoluzione da' peccati reservati, e censure, commutazione di voti, e dispense ottenute, la mancanza delle visite, e Communione a quei, che essendosi confessati con serio animo di adempire dette opere, e poi pentiti, non l' adempiano, benchè pecchino mortalmente (8).

Del qual peccato sono anche rei tutti quelli, che senza licenza de' loro respettivi Superiori vengono a Roma per l'acquisto del Giubileo, come sono li Vescovi, Parochi, Religiosi, Mogli, ed anche i Mariti, se vi vengono con grave incommodo delle Mogli; li quali però, ciò non ostante, possono partecipare della Indulgenza, e sudetti favori, se giuntivi, si confessano anche di questo peccato (9).

Queste quattro opere ingiunte, possono reiterarsi quante volte ad ognuno piacerà, tanto prima, quanto dopo qualche Indulto di minorazione di visite, che sopraveniste; ad effetto però di conseguire la sola Indulgenza, e non di partecipare de' favori ad essa annessi. Onde, se dopo essere stato partecipe la prima volta di detti favori, e di nuovo incorso nelli casi riservati, e censure, o ha bisogno di nuove commutazioni, e dispense, non ne può più essere assoluto, commutato, e dispensato (10).

§. IV.

Delle Monache, Oblate, e altre Persone dell'uno, e l'altro sesso dimoranti sì in Roma, che fuori, alle quali può commutarsi in altre opere pie la visita delle quattro Basiliche. Le dimoranti sì in Roma, che fuori, sono le seguenti.

I. TUtte le Monache professe di perpetua Clausura soggette sì agli Ordinarj, de' Luoghi, e Superiori Regolari, che immediatamente alla Santa Sede, le Novizie, o altre Donne secolari loro coabitanti, colla debita licenza, o per educazione, o per altra causa.

II. Le Monache parimente professe, che qualche volta escono dalla Clausura per questuare.

III. Le Oblate approvate dalla S. Sede, che vivono in Communità, benchè senza Clausura, loro Novizie, Educande, ed altre seco coabitanti.

IV. Le Terziarie, che vivono in Communità, benchè senza Clausura, nè approvate dalla S. Sede, loro Novizie, Educande, ed altre seco coabitanti.

V. Le Zitelle, e Donne dimoranti ne' Conservatorj, benchè non comprese nel numero delle sinquì nominate, e benchè senza Clausura (11).

VI. Li Carcerati per cause Civili, e Criminali de' Tribunali si Ecclesiastici, che Laici, non però della Sagra Inquisizione.

VII. Li Regolari ritenuti nelle Carceri Claustrali, o perchè non sono terminate le loro cause, o perchè non è compito il tempo della pena impostagli.

VIII. Li confinati per precetto di qualunque Superiore in qualche luogo, o Città in vece di Carcere, Custodia, esilio, o rilegazione (12).

IX. Gli Anacoreti, ed Eremiti, non però quei di niuna clausura, o vivano, o nò collegialmente, benchè sotto il governo degli Ordinarj, e con proprie Regole, ma quei, che vivono seperatamente uno dall' altro in continua clausura, e solitudine, benchè non totalmente perpetua, e benchè siano d' Instituto Monastico, o Ordine Regolare, come alcuni Cistercienssi, Certosini, ed Eremiti di S. Romualdo (13).

Le dimoranti fuori di Roma solamente sono le seguenti.

I. Li condannati in Galera, o altrove *ad opus*, ed a' quello addetti (14).

II. Li Schiavi, e Prigionieri di guerra.

III. Gl' Infermi tanto Laici, che Ecclesiastici, sì secolari, che Regolari di qualunque Ordine, li quali, secondo il giudizio del Medico, non potendo sì presto liberarsi dall' infermità, non sono in istato di venire a Roma dentro il decorso dell' Anno Santo, o anche guariti, non potrebbero fare il viaggio senza grave incommodo, e pericolo di ricaduta.

IV. I Mallani abitualmente, se intraprendendo il viaggio, potessero facilmente infermarsi, o soggiacere a qualche grave corporale incommodo.

V. Li Vecchi sopra gli anni settanta (15).

Eccettuate le Monache, Oblate, Terziarie di Roma, qualunque esse siano, Novizie, Zitelle, ed altre Donne dimoranti con le dovute licenze tanto ne' Monasterj delle medesime, quanto ne' Conservatorj, e Communità.

Come pure li Carcerati nelle prigioni di Roma.

Alle quali persone tutte può commutarsi la visita delle quattro Basiliche in altre opere pie dal solo Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. Cardinale Vicario, o suo Vicegerente, o per se stesso, o per mezzo de' Confessori, secondo lo stato, condizione, e possibilità di ogn'una, e circostanze del luogo, o tempo.

A tutti gl' altri sopra enunciati può farsi tale commutazione dai loro respettivi Ordinarj, e Superiori, sì secolari, che Regolari.

Ancorchè rispetto agli Ordinarj de' Luoghi alcuni delli sopradetti fossero esenti dalla loro giurisdizione, come che persone Secolari, o Regolari dimoranti fuori de' Chiostri colle debite licenze (16).

§. V.

Delle opere ingiunte a tutte le suddette Persone.

QUeste sono le istesse, che debbono adempire gli abitanti di Roma, e suo Distretto, come anche li Forastieri venuti a Roma, cioè Orazione, Confessione Sagramentale, e Communione, eccettuata la visita delle quattro Basiliche, in luogo della quale doveranno adempire le opere di pietà, che gli saranno ingiunte, come sopra.

Quali

(1) *Ibid. dicto* §. *Quo quidem*. Lettera Circolare num. 83. pag. 114. (2) *Convocatis* §. 51.
(3) *Convocatis* §. 45. Lettera Circolare n.75. e 76. dalla pag. 98. a 102.
(4) *Convocatis* §. 46. Lettera Circolare num.7. pag.11.
(5) *Convocatis* §. 47. (6) *Peregrinantes* §. *quo quidem*. *Convocatis* §. 48. Lettera Circolare num.2. pag.7.
(7) *Convocatis* §.48. (8) *Ibid.* §. 54. Lettera Circolare num.86. pag.120. (9) *Ibid.* n.68. pag.87. e 88.
(10) *Convocatis* §.52. Lettera Circolare n.84 pag.117.
(11) *Paterna Charitas* §. *Ut autem*. (12) *Paterna Charitas* §. *Ad eos*. (13) *Ibid.* §. *Item Anachoretas*.
(14) *Ibid.* §. *Ad eos*. (15) *Paterna Charitas* §. *Denique*.
(16) *Paterna Charitas* §. *Nos enim*.

Quali adempite, conseguiranno pienissima Indulgenza, Giubileo, e remissione di tutti i loro peccati, e saranno partecipi de' favori, e Indulti, che si daranno appresso, come se personalmente avessero visitate le quattro Basiliche di Roma.

Anche nel caso, che cominciato l'adempimento delle suddette opere, fossero pervenute dalla morte.

E con facoltà di acquistare la sola Indulgenza, anche la seconda volta, se dentro il decorso dell'Anno Santo reiteraranno tutte le dette opere ingiunte (1).

E' qui da notarsi, che alle Monache, Oblate, Zitelle, ed altre donne dimoranti ne' Monasterj, e Conservatorj di Roma è stata surrogata dall' Eminentissimo, e Reverendissimo Vicario in luogo della visita delle quattro Basiliche la visita della Cappella interiore delli medesimi Monasterj, e Conservatorj, e di altri tre Altari eretti, o da erigersi dentro i detti luoghi, in modo, che uno sia separato dall'altro, per trenta giorni continui, o interpolati, come sopra ogni giorno tutti quattro.

E se alcune di esse saranno inferme, e che perciò staranno in letto, o non potranno uscire dalle loro camere, dovranno adempire in luogo di dette visite, quanto gli sarà imposto dal prudente Confessore (2).

§. VI.

Delle diversità de' Confessori. Questi si riducono a cinque classi.

I. DE' Penitenzieri ordinarj, e straordinari delle quattro Basiliche, e di altre Chiese deputati, e da deputarsi dall'Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. Cardinale Maggior Penitenziere (3).

II. De' deputati, e da deputarsi dall'Eminentissimo, e Reverendissimo Sig. Cardinal Vicario (4), che sono li già da lui approvati, e da approvarsi *ad annum* sì Secolari, che Regolari (5).

III. De' Regolari già approvati, e da approvarsi, come sopra, dal detto Eminentissimo Vicario, o suo Vicegerente, e de' deputati da' Superiori Regolari per udire solamente le Confessioni de' medesimi loro Regolari (6).

IV. Di quelli da eleggersi per una sol volta dalle Monache professe, e loro Novizie, tanto in Roma, che fuori, quali possono essere i soli Confessori sì Secolari, che Regolari di qualunque Ordine, già approvati dagli Ordinarj de' luoghi per udire le Confessioni delle Monache (7).

V. Di quelli da eleggersi medesimamente per una sol volta da tutte le altre persone nominate di sopra al §. 4. quali possono essere li soli Confessori sì Secolari, che Regolari di qualunque Ordine, approvati da' loro respettivi Ordinarj per udire le Confessioni de' Secolari (8).

Le facoltà de' sudetti Confessori si riducono a tre classi.

I. Di assolvere da' casi riservati, e censure.
II. Di commutare voti semplici.
III. Di dispensare sopra alcuni impedimenti.

Non però competono tutte a tutti.

§. VII.

Alli Penitenzieri delle quattro Basiliche, e delle altre Chiese, competono le seguenti facoltà, quanto all'assoluzione da' peccati riservati, e censure.

I. DI assolvere qualunque penitente, anche Regolare, benchè a questo dalla propria Costituzione, o decreto, o precetto Papale fu vietato di confessarsi con esteri, da qualunque peccato grave, ed enorme eccesso, anche riservato alla S. Sede, e da qualunque scommunica, ed altre Ecclesiastiche censure in qualunque maniera medesimamente riservate al Papa, e S. Sede, e fulminate da Sacri Canoni, benchè contenute nella Bolla della Cena, ed anche dall'Eresia formale esternata, fatta però prima dal penitente in atto della Confessione la secreta abjura, e purchè non abbia il complice, e se ha complice, o complici, purchè questi abitino in luogo, ove l'Eresia domina impunemente (9).

In absolvendis Regularibus a suo Ordine Apostatis, & fugitivis servent modum in sua tabella præscriptum (10).

Quale modo nel num. 10. della detta Tabella è espresso con queste parole.

Apostatis ab Ordinibus, seu Religionibus approbatis, nisi post reditum ad Religionem, aut saltem post reassumptum habitum Regularem cum firmo proposito, & brevi termino ad se præsentandum intra Claustra Superioribus suæ Religionis, aut nisi Ultramontani sint, aut longe distent, vel propter inopiam, vel aliud grave impedimentum statim nequeant reassumere habitum, assignari debebit congruum tempus, & absolvi ad reincidentiam, & durante termino, ipsis prohibeatur exercitium suorum Ordinum, si sint Sacerdotes, & in sacris constituti.

Ed in assolverli *a censuris ob suam violatam clausuram per mulierum introductionem ad malum finem, ita absolvant, ut super inhabilitate per hoc contracta ad dignitates, & Officia sui Ordinis consequenda, nullatenus cum eisdem dispensent* (11).

Non possono però assolvere dalle censure occulte quei, che non hanno sodisfatta la Parte lesa, cioè chi ha sofferto il danno, e non il Giudice (12), e non potendo per allora sodisfarla, se non promettono con giuramento di sodisfarla quanto prima (13).

Ed in assolvere *Violantes Clausuram Monialium ad malum finem in casibus etiam occultis, imponant prohibitionem accedendi in posterum ad quævis Monasteria, & Ecclesias Monialium; monendo Pœnitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis; ut si impositam istam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras* (14).

Nè tampoco quei, che hanno letto Libri prohibiti; particolarmente di Autori contenuti nella Bolla della Cena, se prima non hanno consegnati segretamente all' Inquisitore, o Ordinario detti Libri, e non potendo allora, se non promettono di consegnarli quanto prima (15).

II. Di assolvere da tutte le suddette censure, benchè pubblicate, dedotte, nominatamente dichiarate, e denunciate *in Partibus* dagli Ordinarj de' Luoghi, o da qualunque Giudice (16).

Conche però il Penitente dopo l' assoluzione debba presentare alla S. Penitenziaria la supplica con suo nome, cognome, Diocesi, e narrativa del fatto, per cui è incorso in detta censura, o censure, con la Fede del Penitenziere di averlo assoluto, acciocchè possa da quel Tribunale riportare il Breve: *in forma Missi, vel Remissi absoluti*; secondo il di lui stile (17).

III. Di assolvere dalle censure *ab homine*, o da qualunque Giudice *de Patribus* nominatamente fulminate, ad effetto però solamente di conseguire il Giubbileo dell'Anno Santo, in tal maniera, che il Penitente resti dopo legato dalla medesima censura, e sia tenuto ubbidire al Giudice della sentenza, e farsi da esso assolvere, nè a tal Penitente si deve far fede di essersi confessato, ed assoluto (18).

Avvertano però, che non ostanti le suddette amplissime facoltà, non possono assolvere da alcuni peccati, e censure, dalle quali nè pure può assolvere, anche nel solo foro della coscienza, lo stesso Eminentissimo Maggiore Penitenziere, secondo l'espressa mente della fel. mem. di Benedetto XIV dichiarata nella sua Costituzione: *Pastor bonus* (19), e sua Lettera Circolare (20).

E sono le seguenti.

I. Prin-

(1) *Paterna Charitas* §. *Itaque*.
(2) Notificazione dell'Eminentiss. e Reverendiss. Vicario sotto li 3. Gennaro 1750.
(3) *Convocatis* §. 3. (4) *Convocatis* §. 35.
(5) Notificazione dell' Eminentissimo, e Reverendissimo Vicario sotto li 19. Decembre 1749.
(6) *Convocatis* §. 41. (7) *Paterna Charitas* §. *Eisdem*.
(8) *Ibidem*. (9) *Convocatis* §. 4. e 5. (10) *Ibid.* §. 31.
(11) *Convocatis* §. 29. (12) Lettera Circolare n. 66. pag. 84. *Convocatis* §. 27. (13) *Ibidem* §. 27. (14) *Ibid.* §. 28.
(15) *Ibid.* §. 30. (16) *Ibid.* §. 5.
(17) *Ibidem* §. 5. (18) *Ibid.* §. 6.
(19) *Pastor bonus in ordine* la 99.
(20) Lettera Circolare num. 39. pag. 52.

1. Principes porro, & alios jus Imperii, etiam vicario nomine habentes, ac Dominia & Respublicas, seu Personas illorum, & illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios Superiores Prælatos in casibus publicis, qui in præfatis Litteris die Cœnæ Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset (1).

II. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in foro Conscientiæ tantum absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Card. aut alios cujusque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum, post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, arbitusve, aut pactiones fecerint (2).

III. Vel, Sede Apostolica vacante, in censuras, seu pœnas in Litteris fel. record. Gregorii Papæ XV. & Urbani VIII. &c. super electione Romani Pontificis pro tempore facienda &c. contentas, quomodolibet inciderint (3).

IV. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, eos cujuscumque qualitatis &c. absolvere &c. qui Astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios de statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes ejusdem Urbani VIII. Pont. Max. Litteris &c. contra prædicta perpetrantes editis contravenerint. (4).

V. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ Immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ ullatenus absolvere (5).

VI. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetæ &c. non absolvat, nisi facta restitutione, vel si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eamdem, quam primum poterint, faciendi. Questa restituzione deve farsi alla Religione, o Convento, a cui spetta di ragione (6).

§. VIII.

Quanto alla commutazione de' Voti gli competono le facoltà

DI commutare, dispensando, in altre Opere pie tuttii Voti semplici, benchè giurati, e riservati alla S. Sede (7).

Alla quale sono riservati li soli cinque seguenti.

I. Di entrare in Religione.
II. Di perpetua continenza.
III. Di Pellegrinaggio a Gerusalemme.
IV. Al Santuario di S. Giacomo in Galizia.
V. Ed a Roma, non già alla S. Casa di Loreto, come alcuni hanno opinato (8).

Con queste limitazioni però.

I. Che circa *Votum perpetuæ castitatis nonnisi mulieribus ita commutare possint ob periculum incontinentiæ, vel ob timorem pudicitiæ, & quidem tantummodo ad effectum nubendi, easdem monendo, facturas contra idem Votum, si extra usum matrimonialem delinquant, & remansuras eodem prorsus, ac antea Voto castitatis obstrictas, si marito supervixerint* (9).

II. Che circa *Votum Religionis eisdem tantum mulieribus commutare dispensando possint ad effectum nubendi, si alterutra supradicta causa intercesserit, ad effectum vero vitam tantum cœlibem in sæculo ducendi, si vel dote sufficiente ad ingrediendam Religionem careant, vel Religionis onera sufferre posse rationabiliter diffidant* (10).

III. Che circa li Voti penali, o preservativi dal peccato possano commutarli nel solo caso, che militi qualche circostanza, per cui potessero giudicare più proficua la commutazione a rimovere il peccato (11).

IV. Che nei Voti di perseveranza, o altri fatti in qualche Congregazione, o Communità, o negli Obligatorj accettati dal Terzo, non possano servirsi di veruna commutazione (12).

Per Regola nella commutazione di qualunque de' suddetti Voti, è da notarsi, che il Sommo Pontefice in concedere tale facoltà, ha aggiunta alla parola - *Commutare* - l' altra - *Dispensando* - perchè esigendo la sola Commutazione la la Surrogazione in una materia maggiore, o almeno uguale, detta Commutazione mista colla dispenza è capace di qualche moderata disuguaglianza fra la materia del Voto, e la materia surrogata (13).

§. IX.

Quanto alle Dispense dagli Impedimenti gli competono le facoltà seguenti.

I. DI dispensare dalla sola Irregolarità occulta, contratta unicamente per violazione di censure, tanto gli costituiti negli Ordini Sagri, quanto minori, benchè questi non espressi nella Costituzione *Convocatis* §. 12, ma poi dichiarati nella Lettera circolare (14).

II. Cum illis, qui scienter, vel ignoranter cum impedimento Secundi, & Tertii, vel Tertii solius, aut Tertii, & Quarti, vel solius Quarti gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis, etiam ex Copula licita provenientis, Matrimonium jam contraxerunt, dummodo hujusmodi impedimentum occultum remaneat, dispensare pro foro tantum conscientiæ possint, ad remanendum in Matrimonio (15).

III. Cum illis, qui a Datavia Apostolica dispensationem obtinuerunt super aliquo impedimento publico, quod tamen non sit Primus, & Secundus, vel Secundus, tantum gradus Consanguinitatis, vel Affinitatis ex copula licita provenientis, & præ verecundia copulam inter eos secutam in eadem Dataria tacuerunt (dummodo nullitas prædictæ dispensationis ex hujusmodi reticentia proveniens occulta sit) dispensare pro foro tantum conscientiæ valeant, tam ad remanendum in Matrimonio jam contracto, quam ad illud contrahendum, si nondum sit contractum (16).

IV. Dispensave item pro foro tantum conscientiæ valeant super impedimento dirimente occulto, tam Primi, & Secundi quam Primi tantum, aut Secundi tantum gradus Affinitatis, ex copula illicita provenientis, tam in Matrimonio contracto, quam in contrahendo (17).

V. Dispensare similiter pro eodem foro, tam de contracto, quam de contrahendo possint super occulto impedimento criminis, neutro tamen machinante; ideſt quando solum concurrant adulterium, & fides data de Matrimonio contrahendo post conjugis mortem (18).

VI. In prædictis Matrimonialium Dispensationum casibus, possint etiam, quandocumque opus fuerit, pro foro conscientiæ legitimare prolem, non tamen ex adulterio susceptam (19).

VII. Dispensave ad petendum debitum possint in casu Affinitatis incestuosæ Matrimonio supervenientis (20).

VIII. Ad petendum pariter debitum, cum illis, qui Voto simplici castitatis obstricti, Matrimonium contraxerunt, dispensare valeant; illos monendo, facturos contra id Votum, si extra usum Matrimonialem delinquant, ac remansuros eodem prorsus, ac antea, Voto obstrictos, si Conjugi supervixerint (21).

(1) *Pastor bonus* §. 11. (2) *Ibidem* §. 12. (3) *Ibidem* §. 12.
(4) *Ibidem* §. 13. (5) *Ibidem* §. 14. (6) *Pastor bonus* §. 26.
(7) *Convocatis* §. 8.
(8) Lettera Circolare num. 42. pag. 55. (9) *Ibid.* §. 9.
(10) *Ibid.* §. 10. (11) *Ibid.* §. 32. (12) *Ibidem* §. 32.
(13) Lettera Circolare num. 45. pag. 58.
(14) *Convocatis* §. 12. Lettera Circolare num. 50. pag. 66.
(15) *Convocatis* §. 13. (16) *Ibid.* §. 14. (17) *Ibid.* §. 15.
(18) *Ibid.* §. 16. (19) *Ibid.* §. 17.
(20) *Convocatis* §. 18. (21) *Ibid.* §. 19.

§. X.

Quanto alle dispense dalle Opere ingiunte gli competono le facoltà

I. DI dispensare li Forastieri dalle 15. Visite delle quattro Basiliche, con ridurle almeno a tre, se a causa di povertà, o altro urgente motivo non possono trattenersi in Roma, ed anche di commutar le prescritte visite in altre opere pie ad arbitrio prudente degli stessi Penitenzieri (1).

II. Di dispensare gli abitanti di Roma, e suo distretto dalle 30. visite, commutandole in altre opere pie, se impediti da malatia, o altra legitima causa non possono farle, supponendo però [per non aggravar la propria coscienza] che tanto per questi, quanto per i Forastieri vi sia qualche motivo ragionevole per la dispenza (2).

Avvertendo però tanto essi Penitenzieri, quanto qualunque altro de' sopranominati Confessori:

I. Che le opere pie da surrogarsi in luogo delle Visite, non siano quelle, che il Penitente è per altro titolo obbligato di adempire (3).

II. Che non possono dispensare veruna delle altre opere ingiunte, cioè Confessione, Communione, e Orazione, che possono separarsi dalle suddette Visite (4).

III. Che si possono servire di tutte le suddette facoltà con quei Penitenti solamente, che hanno sincero, e serio animo di conseguire il Giubbileo (5), e che si confessano a questo fine.

IV. Che debbono servirsene da per se stessi, e non per internedia persona, nel solo foro della coscienza, e nel solo atto della Sagramentale Confessione, e nelle Basiliche, e Chiese respettivamente loro destinate, purchè non si tratti d' Infermi (6).

Eccettuati, quanto all'udire le Confessioni in Chiesa, li Confessori Regolari destinati per le Confessioni de' loro Religiosi, le quali possono udire dentro i proprj Conventi, e Case (7).

V. Che non debbono, nè possono tralasciar d'imporre la la salutare Penitenza col pretesto, che il Penitente è disposto a prendere l'indulgenza, dal che poi nasce l'obbligo del Penitente di doverla adempire (8).

Per regolamento della quale penitenza dovranno leggere quanto circa essa si insinua dal S. Concilio di Trento (9).

VI. Che non ostanti le suddette ampliss. facoltà: *Nulli penitus Confessario dari in præsenti Jubileo, aut in quovis alio facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum præceptum peccato* (10) a tenore della Costituzione di Nostro Signore (11) *prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi, atque inhonesto contra sextum Decalogi præceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate, & jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione, & facultate ad valide absolvendum, necessaria privatus existat, quam ei per præsentes has nostras adimere intendimus; & nihilominus, si quis Confessarius seus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis pœnam, a qua absolvendi potestatem nobis solis, nostrisque Successoribus duntaxat reservamus, ipso facto incurrat*: E nella dichiarazione sopra la medesima Costituzione (12): *Porro, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, quæ vitari nec possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia, vel scandalo nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi Sacerdos, & serio animadvertat, foro se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, rerum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedientiæ, latisque in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiæ, aut scandali periculasibi ultro ipse confingat, ubi non sunt; Imo intelligat teneri se graviter hujusmodi pericula quantum in se erit, antevertere, vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus, & præcipimus.*

§. XI.

Alli Confessori deputati, e da deputarsi dall' Eminentiss. e Reverendiss. Vicario competono le facoltà. Quanto all'assoluzione da' Casi riservati, e Censure.

I. DI assolver i loro Penitenti (non però Regolari) da qualunque grave, ed enorme peccato, e da qualunque Censura, purchè sia occulta, fulminata da'Sacri Canoni anche riservata al Papa, e S. Sede, e contenuta nella Bolla della Cena, non però dall'Eresia formale esternata (12).

Avvertendo, che nell'assolvere *Fractores Clausuræ Monialium ad malum finem*, e chi a letto Libri proibiti, particolarmente di Autori contenuti nella Bolla della Cena, debbono osservare le medesime Regole, che i Penitenzieri, come sopra al §.17.

Debbono inoltre avvertire, che in vigore delle suddette facoltà non possono assolvere da'Casi, e Censure, benchè occulte, e molto meno pubbliche, riservate agli Ordinarj de'luoghi, se il Penitente fosse venuto a Roma appostatamente, non a fine di conseguire il Giubbileo, ma per esimersi dalla giurisdizione del suo Ordinario, per il motivo, che nelle suddette facoltà non viene fatta special menzione di questa, a tenore del Decreto della Sagra Congregazione del Concilio sotto li 16. Settembre 1649., e della Costituzione di Clemente X. (13).

E per questo l'Eminentissimo Vicario nella sua Notificazione sotto li 19. Decembre 1749. in cui deputa i Confessori per l'Anno Santo, dà espressa facoltà ai medesimi, durante detto Anno, di assolvere nel foro della coscienza, tanto dal peccato, che dall'Interdetto a lui riservati, quei che in tempo debito non hanno adempito il Precetto Pasquale, come anche dalla Scommunica incorsa per aver preso da altri, o respettivamente dato il bollettino della Communione Pasquale, purchè il Reo non sia denunciato.

§. XII.

Quanto alla commutazione de' Voti.

POssono commutare, dispensando, in altre opere pie, qualunque Voto semplice, anche giurato, ed anche riservato alla S. Sede: eccettuati li due di perpetua Castità, e d'Ingresso in Religione (14), ed eccettuati ancora i Voti di Perseveranza, o altri soliti farsi in qualche Congregazione, o Communità, e gli Obligatorj accettati da un Terzo, come si è detto nel §.11.

Dovendo osservare le medesime regole nei Voti penali, e preservativi dal peccato, e nella commutazione di qualunque altro Voto, quali sono tenuti osservare li Penitenzieri, come nel suddetto §. 8.

§. XIII.

Quanto alle dispense.

NOn gli competono altre facoltà, che di dispensare, e commutare le sole visite delle quattro Basiliche, nello stesso modo che competono a' Penitenzieri (15), come nel §.10. con tutte le altre osservazioni ivi notate.

§. XIV.

(1) *Ibid.* §. 20. (2). *Ibid.* §. 21.
(3) Lettera Circolare num.53. pap.69.
(4) Ibid. num. 53 pag. 67. (5) *Convocatis* §. 24.
(6) *Ibid.* §.4., e 25. (7) *Ibid.* §.41. (8) *Ibid.* §. 26 Lettera Circol. n.65. p.83. (9) *Sess.*14. c.8. *de Pœnit.*
(10) *Convocatis* §.23. (11) *Const.* 20. *Sacramentum Pœnitentiæ* §. *Demum.* sotto il 1. Giugno 1741.
(12) *Constitut.*120. *Apostolici muneris* §. 3. sotto li 8. Febbrajo 1745.
(13) *Convocatis* §.36., e 53.
(3) *Const. Superna Magni Patris* §.7. sotto li 20. Mag.1670.
(15) *Convocatis* §.37. *Ibidem* §.39.

§. XIV.

Alli Confessori Regolari, approvati dal Signor Cardinal Vicario, e suo Vicegerente, insieme deputati da' loro Superiori Regolari, per udire le sole Confessioni de' proprj loro Religiosi, come sopra al §. VI.

COmpetono le stesse facoltà, sì per l'assoluzione da'casi riservati, e censure, che per la commutazione de'Voti, e dispense delle visite, che competono ai Confessori sì Secolari, che Regolari deputati, e da deputarsi dall'Eminentissimo Vicario, da servirsene però solamente, colli Religiosi dello stesso loro Ordine dentro li proprj Conventi, e Case (1).

Ed inoltre possono dispensare i medesimi loro Religiosi costituiti in Ordini Sacri, e Minori dalla Irregolarità contratta per violazione di Censure, purchè sia occulta (2).

Non possono però senza speciale facoltà de' loro Prelati Regolari assolvere li loro Religiosi da' casi, e Censure riservate alli medesimi per la ragione detta nel §.XI.

Agli altri Confessori approvati dal Signor Cardinal Vicario, sì Secolari, che Regolari, ma non *ad annum*, durante l'Anno Santo, nulla si dà, e nulla si leva (3).

Si avverte inoltre, che i Confessori Regolari per poter godere delle facoltà rispetto ai loro Religiosi debbono essere non solamente deputati dai loro Superiori, ma insieme approvati dall'Eminentissimo Vicario, o suo Vicegerente.

§. XV.

Alli Confessori da eleggersi dalle Monache professe, e loro Novizie, competono le facoltà.

I. DI assolverle da qualunque peccato, e delitto, quantosivoglia grave, ed enorme, benchè riservato alla S. Sede, e contenuto nella Bolla della Cena (4).

II. Di commutargli, dispensando, qualunque Voto semplice; anche giurato, fatto dopo la solenne Professione, quantunque il di lui adempimento sia compatibile con l'Osservanza Regolare (5): giacchè secondo l'opinione di S. Tommaso (6) colla commune per la decretale di Alessandro III. (7) gli altri Voti fatti prima restano sciolti in virtù di essa Professione.

§. XVI.

Alli Confessori da eleggersi dalle altre persone nominate nel §.4.

COmpetono le medesime facoltà, che ai Confessori da eleggersi dalle Monache Professe, circa l'assoluzione da' peccati riservati, e censure: e circa la commutazione de' Voti colle sole persone nominate nel detto §. 4. a tutto il numero 5. non però riservati al Sommo Pontefice, e S. Sede (8).

Avvertendo, che nè gli uni, nè gli altri Confessori fuori di Roma possono assolvere da' Casi riservati ai loro respettivi Ordinarj, senza espressa facoltà dei medesimi, non intendendosi questa compresa nella generale concessione di assolvere da' Casi riservati alla S. Sede, come si è detto nel §. XI.; e perciò la fel.mem. di Benedetto XIV. esorta i detti Ordinarj ad esser facili in accordare tale facoltà (9).

UT porro qui extra Urbem sunt, sciant, quas facultates Confessariis Catholici Orbis Benedictus XIV. tempore Jubilæi indulserit, addendam duximus Pastoralem Epistolam Petri Aloysii Cardinalis Carafa Albanensis Episcopi ad *Ferrar. Biblioth. Tom.IV.* suæ Diœceseos Confessarios datam, ab eodem doctissimo P. *Ubaldo Giraldi a S. Gajetano* Schol. Piar. non inconcinne extensam.

PIER LUIGI

Per la misericordia di Dio Vescovo d' Albano, della S. R. C. Card. Carafa a' RR. Confessori Secolari, e Regolari della nostra Diocesi, salute, e benedizione nel Signore.

RIcordevoli dell'avvertimento, che nello scorso Secolo lasciò scritto un dottissimo, e zelantissimo Vescovo, circa la premurosa cura, che debbono avere i Vescovi per l' esatta amministrazione del Sacramento della Penitenza: *Non solum debet Episcopus Confessarios approbare, sed iterum eisdem monita, & instructione tradere, quibus rite, decenter, ac ex tanti Sacramenti majestate congruenter administretur* (10); ci siamo conosciuti obbligati per debito strettissimo del nostro Pastorale Ministero di promulgare questa Istruzione diretta alli Confessori della nostra Diocesi, sì secolari, che regolari, nella quale poniamo loro sotto gli occhj le varie, ed amplissime facoltà dalla paterna Apostolica liberalità di Nostro Signore benignamente ad elsi concedute, nella estensione a tutti i Fedeli dimoranti fuori di Roma dell' universal Giubileo, da durare per mesi sei, già da Noi pubblicato sotto questo stesso giorno, acciocchè possano bene intendere quali sieno, ed a quanto si stendano, per farne quell'uso, che sia, e uniforme alla mente della Santità Sua, e proficuo alla salute spirituale de' loro penitenti.

§. I.

Della varietà de' Confessori.

MA prima di esporre la varietà delle medesime facoltà, e spiegarne l'intelligenza, e uso, siccome li Confessori, ai quali sono queste concedute, durante il detto semestre, sono di due specie.

Una di quegli, i quali possano, per una sola volta eleggersi dalle Monache, e loro Novizie.

L'altra, di quegli, quali possano eleggersi da qualunque altra persona, sì secolare, che regolare.

Così stimiamo cosa necessaria parlare degli uni, e degli altri, perchè sappiasi, quali sieno gli eleggibili, quali nò.

Gli eleggibili dalle Monache, e loro Novizie, sono li soli da Noi approvati, o da approvarsi, sì secolari, che regolari; per udire le confessioni delle Monache, non solamente di quel Monastero, del quale sono attuali Confessori, ma eziandio di qualunque Monastero esistente nella nostra Diocesi (11).

Gli eleggibili poi da tutte le altre persone, che non sono nè Monache, nè loro Novizie, sì laiche, come ecclesiastiche, secolari, e regolari, di qualunque Ordine, Congregazione, ed Istituto, anche degne d'individua, e speciale menzione, e benchè, rispetto alle persone regolari, fosse loro espressamente proibito da' proprj statuti, leggi, usi, e consuetudini, eziandio valevoli per giuramento, e conferma della S. Sede, o Costituzioni Apostoliche, di confessarsi fuori della propria Religione, sono quelli soli, sì secolari, che regolari, da Noi medesimamente approvati, o da approvarsi, per udire le confessioni de' secolari in qualunque luogo della nostra Diocesi (12).

E qui, per maggior quiete de' nostri Confessori, sì secolari, che regolari, approvati per udire le confessioni de'secolari, che regolari, dichiariamo, che quantunque sieno presentemente approvati con la restrizione, che non possano udire le confessioni; se non che in quel determinato luogo, o Chiesa da Noi loro assegnata, nulladimeno; durante questo semestre

(1) *Ibid.* §.4. (2) *Ibid.* §.4.
(3) Lettera Circolare *num.*89. *pag.* 122.
(4) *Paterna Charitas* §. *Eisdem.* (5) *Ibid.*
(6) 2. 2. *quæst.*88. *art.*12. *ad* 1. *In* 4. *dist.*38. *quæst.*1. *art.*4. *quæstiunc.* 4. *in corp.*
(7) *Cap. Scripturæ* 4. *de Voto.*
(8) *Paterna Charitas* §. *Eisdem.* (9) *Ibid.* §. *Cæterum.*
(10) Pax Jordan. lib.3. tit.4. num.144.
(11) Costit. Bened. Deus §. Insup. (12) Ibidem §.Insup.

fire del Giubileo, possano udirle in qualunque luogo, o Chiesa della nostra Diocesi, usate però le dovute convenienze con li Rettori delle Chiese.

Benchè poi abbiamo di tutti i nostri Confessori quel concetto, e stima, che merita il loro sublime stato; e divino Ministero, non potiamo tuttavia omettere di richiamare alla loro memoria quello stesso, che gli ricorda Nostro Signore, cioè, che non ostanti le ampliſſime facoltà da se concedute per una tale elezione, niuna delle suddette persone può eleggersi per Confessore quello, con cui è complice di qualunque peccato contra il sesto precetto, per riceverne l'assoluzione, e nettampoco ha questi autorità di assolverla (1).

§. II.

Delle varie facoltà concedute a' Confessori.

VEnendo ora alle facoltà concedute agli uni, e agli altri Confessori, quelle si riducono a quattro classi, nella enumerazione delle quali osserveremo l'ordine stesso tenuto da Nostro Signore nella citata Costituzione: *Benedictus Deus*: cioè:

Primo: Di dispensare le Visite agl'impotenti, e la comunione sacramentale alli fanciulli di essa incapaci.
II. Di assolvere dai casi riservati, e censure.
III. Di commutare i voti semplici.
IV. Di dispensare sopra l'irregolarità contratta per violazione di censure (2).

§. III.

Della facoltà di dispensare le visite, e comunione.

QUanto alla dispensa delle quindici visite alle quattro Chiese esistenti nella Città di Albano, e da Noi espresse nella Pubblicazione del Giubileo, cioè di S. Pancrazio, nostra Cattedrale, di S. Maria della Rotonda, delle Grazie, e della Stella, avendole già Noi dispensate, in vigore della facoltà dataci da N. Signore (3), alle Monache, e loro Novizie, Obblate, Zitelle, ed altre donne abitanti nei Monasteri di clausura, o in altre religiose, e pie case, e comunità, con aver loro surrogata in luogo di esse, la visita da farsi a due Altari eretti, o da ergersi dentro tutti li detti luoghi, per quindici giorni continui, o interpolati; li Confessori potranno, come in ciò da Noi deputati, a tenore della concessione di Nostro Signore (4), dispensare la visita a' detti due Altari a qualunque di esse persone, ora nominate, impedite, o per infermità, o per qualsivoglia altra causa, e commutare *in altre opere di pietà*, secondo la loro prudenza.

Questa stessa dispensa, e commutazione potranno fare i Confessori eleggibili da tutte le altre persone, o ritenute in carcere, o in schiavitù, o per qualunque causa impotenti a fare le quindici visite delle sopra enunciate quattro Chiese (5).

Debbono però avvertire si gli uni, che gli altri Confessori, per non aggravare la propria coscienza, a servirsi di tale dispensa.

Primo: Con quelli penitenti, che sieno veramente impediti, cioè, che l'impedimento, o fisico, o morale, non sia ideale, ed emendicato, ma fondato, e ragionevole (6), come potranno agevolmente riconoscere nell'atto della loro sacramentale confessione, la quale dovranno sempre udire ne' confueti luoghi per questa destinati, purchè non si tratti d'Infermi.

II. Che le opere pie da surrogarsi in luogo di esse visite, non possano esser quelle, le quali il penitente è per altro titolo obbligato adempire, come già spiegò la Santità Sua in occasione del Giubileo celebrato in Roma (7).

Potranno inoltre dispensare la comunione sacramentale ai fanciulli, di essa incapaci, per ragione di età, e commutare in altre opere pie, parimente secondo la loro prudenza, purchè però anche questi realmente si confessino, affine di conseguire il Giubileo (8).

E qui ancora dovranno riportarsi alla dichiarazione fatta da Nostro Signore nello scorso Anno Santo, concernente questa commutazione, cioè, che, se detti fanciulli si potessero render capaci della prima comunione dentro il decorso di questo semestre, sarebbero ad essa tenuti (9).

§. IV.

Della facoltà di assolvere da' Casi riservati, e censure.

QUanto all'assoluzione da' casi riservati, e censure, compete agli uni, ed agli altri Confessori, per concessione di Nostro Signore, durante questo semestre, la facoltà di assolvere, per questa sola volta, nel foro solamente della coscienza, e nell'atto della sacramentale confessione, qualunque loro respettivo penitente, il quale però avrà sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo, e si confesserà a questo fine, e con proposito di adempire le altre opere sopra ingiunte, da qualsivoglia peccato grave, ed enorme eccesso, anche alla Santità Sua, e S. Sede, o a Noi riservato, e da qualunque scomunica, sospensione, ed altre ecclesiastiche sentenze, e censure imposte per qualunque causa *a jure, vel ab homine*, riservate similmente al Sommo Pontefice, S. Sede, ed a Noi, benchè contenute nella Bolla della Cena del Signore, o in qualunque modo riservate, in vigore di qualsivoglia altra Costituzione Apostolica, e fulminate dai sacri Canoni, con impor loro la salutare penitenza, o altri obblighi, che di ragione loro si dovessero ingiungere (10).

E riguardo alla penitenza avvertano, che non debbono, nè possono tralasciare d'imporla, col pretesto, che il penitente è disposto a prendere il Giubileo (11).

La suddetta facoltà però di assolvere non si stende ad assolvere.

Primo: Quei, che non hanno sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo con l'adempimento delle opere ingiunte, e che non si confessano a questo fine (12).

II. Quei, che sono complici col medesimo Confessore, in qualunque peccato contra il sesto precetto, come già si è accennato (13).

II. Nè quelli, che sono incorsi nelle censure per causa dell'Eresia formale estrinsecata, benchè occulta, perchè non espressa nella enunciata Costituzione di Nostro Signore: a tenore del Decreto della universale Inquisizione, sotto li 15. Maggio 1656. approvato da Alessandro VII., ed anche della dichiarazione fatta dalla Santità Sua nello scorso Anno Santo (14).

IV. Nè pur quelli, che da Nostro Signore, o S. Sede, o da Noi, o da qualunque altro Prelato, o Giudice Ecclesiastico sono stati notoriamente scomunicati; sospesi, interdetti, o in altra maniera dichiarati di esser caduti nelle sentenze, e censure, o pubblicamente denunciati, se fra il termine di detti sei mesi non avranno soddisfatte, e ove sarà bisogno, concordato con le Parti (15).

V. Molto meno potranno assolvere da quei peccati, e censure, dalle quali neppure può assolvere, anche nel foro della coscienza, lo stesso Sig. Cardinale Maggior Penitenziere, a tenore della dichiarazione già fatta dalla Santità Sua per lo scorso Anno Santo (16), le quali i nostri Confessori vedranno espresse nei paragrafi della Costituzione di essa Santità Sua, che incomincia: *Pastor bonus*: riportati nel fine di questa nostra Istruzione.

VI. Finalmente, nettampoco quelli, che per loro intrinseca indisposizione non sono capaci del Sacramento della Penitenza, poichè le ampliſſime facoltà del Giubileo non saldano, nè suppliscono, come alcuni peccatori ignoranti falsamente, credano, la mancanza del dolore de' peccati, e del vero proposito di emendarsi, che sono due delle parti essenzialiſſime di detto Sacramento.

E quantunque sappiasi benissimo da' nostri Confessori quali sieno quest'indisposti, tuttavia non vogliamo lasciare di qui nominarli anche Noi, almeno li più principali, e li più ovvj, e sono:

Primo: Quei che si confessano senza dolore: e proposito.
II. Quei, che si trovano in occasione prossima volontaria, quale non hanno lasciata, e che possono, nè vogliono lasciare, o che danno simile occasione ad altri di peccare mortalmente, senza volerla togliere.
III. Quei, che hanno la consuetudine del peccato, senza speranza di emendazione.
IV. Quei, che nutriscono odj, ed inimicizie, e non vogliono deporle, nè riconciliarsi coll'inimico.
V. Quei, che ritengono ingiustamente la roba altrui, o hanno cagionati danni, e tolta la fama, e potendo, non vogliono restituire, e disdirsi.

§. V.

Della facoltà di commutare i Voti.

QUanto alla commutazione de' Voti, compete medesimamente agli uni, e agli altri Confessori la facoltà di commutare in altre opere pie, e salutari qualunque voto semplice, anche giurato, e riservato alla S. Sede (1), eccettuati però li seguenti.

Primo: Li due voti di castità; ed ingresso in Religione (2).
II. I voti accettati dal Terzo, o ne' quali si tratta del pregiudizio di esso Terzo (3).
III. I voti penali, che chiamansi preservativi dal peccato, fuorchè nel solo caso, in cui militi qualche circostanza, per la quale potessero giudicare ugualmente proficua a raffrenare dal peccato la commutazione, che la materia del precedente voto (4).

Per regola nella commutazione di qualunque de' suddetti voti, dovranno notare li Confessori, che non avendo la Santità Sua aggiunto alla parola: *commutare*: l'altra: *dispensando*: la materia da surrogarsi, dev'essere almeno uguale (5), e dovranno servirsi di questa facoltà nell'atto della sacramentale confessione, e per una sola volta, con quei solamente, i quali hanno sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo, e si confessano a questo fine, come si è detto di sopra.

§. VI.

Della facoltà di dispensare sopra l' Irregolarità.

QUanto finalmente alla dispensa dall' irregolarità, compete alli Confessori, che si eleggeranno, come sopra, i penitenti costituiti negli Ordini sacri, la facoltà di dispensare *nell'atto* medesimamente della sacramentale confessione, e per una sola volta questi stessi, ancorchè sieno Regolari dalla sola irregolarità occulta, contratta unicamente per violazione di censure, ad effetto di potere esercitare gli Ordini già ricevuti, ed essere promossi agli altri superiori (6), se però avranno ancor essi sincero, e serio animo di conseguire il Giubileo, e si confesseranno a questo fine.

E qui, perchè non nasca nei nostri Confessori dubbio circa questa dispensa, con quelli, che sono costituiti solamente negli Ordini minori, se possano, o nò, servirsene con i medesimi, perchè non nominati nella Costituzione: *Benedictus Deus*: gli rimettiamo alla dichiarazione fatta su questo stesso punto dalla Santità Sua nello scorso Anno Santo, con riportare le medesime sue parole „E benchè ivi, cioè nella Co„ stituzione: *Convocatis*; non sieno nominati, che i Sacer„ doti, ed i costituiti negli Ordini sacri, ciascheduno però può a bastanza conoscere, che se concesso il più, s'intende „ concesso il meno, non resta vietato a' Penitenzieri, a cui „ si dà l'autorità di dispensare sopra l' irregolarità contratta „ *ob violationem censurarum* coi Sacerdoti, o costituiti negli „ Ordini sacri, purchè sia occulta, il servirsi della stessa „ autorità, co' Chierici costituiti negli Ordini minori (7).

Eccettuata la dispensa sopra questa irregolarità, sappiano li nostri Confessori, che Nostro Signore non intende di dispensare, o dare la facoltà di dispensare, o abilitare, o restituire *nel pristino stato, anche nel foro della coscienza*, sopra qualunque altra irregolarità, pubblica, o occulta, nota, difetto, o incapacità, ed inhabilità, in qualsivoglia modo contratta (8).

§. VII.

Delle opere ingiunte per conseguire il Giubileo.

ACciocchè poi li nostri Confessori possano pienamente istruire i loro penitenti circa le opere ingiunte per conseguire il Giubileo, oltre la notizia delle medesime, che abbiamo data a tutto il nostro dilettiſſimo Popolo nella pubblicazione dello stesso Giubileo, ripetiamo questa ancor quì, con alcuni brevi avvertimenti. Si riducono queste a quattro, e sono:

Prima. Visita delle quattro Chiese sopra nominate.
II. Orazione da farsi in dette visite.
III. Confessione sacramentale.
IV. Comunione sacramentale (9).

Circa le visite è d'avvertire, che debbono esser fatte, da chi non ne sarà dispensato, a tutte le dette quattro Chiese, almeno una volta il giorno, per quindici giorni continui, o interpolati, quale può computarsi, o da una mezza notte all'altra, o dai vespri del giorno precedente a tutti i vespertini crepuscoli del susseguente (10).

E quantunque non sia necessario per l'acquisto dell'Indulgenza essere in grazia, e permettere la confessione sacramentale a dette visite, bastando, che l'ultima opera sia fatta in grazia, dovranno nulladimeno insinuare seriamente alli penitenti, che le facciano, o dopo una fruttuosa confessione, o dopo un' atto di contrizione, acciocchè gli sieno meritorie (11).

Debbono ancora esser fatte con intenzione di venerare Dio, ed onorare i suoi Santi, ed esercitarsi in atti di Religione (12).

Circa l'orazione, è d'avvertire, che basta la vocale, nè è necessaria la mentale, e facendosi questa, vi si deve aggiungere qualche orazione vocale (13).

La quale, quantunque non sia determinata nè in qualità, nè in durazione, non deve però essere sì breve, che denoti poco affetto agli esercizj spirituali (14).

Circa la confessione, è da notarsi, che dev' essere sacramentale, cioè de' peccati realmente, e non in *voto*, quantunque alcuno non fosse reo che di peccati veniali (15).

Quale dovrà ripetersi nell' ultima opera ingiunta, nel solo caso, che dopo fatte alcune delle visite in istato di grazia, taluno ricadesse in peccato mortale, senza obbligo però di ripetere le già fatte (16).

Circa

---

(1) Const. Bened. Deus, §. Non intendimus.
(2) Costituz. Benedictus Deus.
(3) (4) Ibidem §. Navigantes. (5) Ibidem,
(6) Costituz. Convocatis §. 21.
(7) Lett. Circ. a' Penitenz. &c. n. 53. p. 69.
(8) Costit. Ben. Deus §. Navigantes.
(9) Costit. Convocatis, §. 48.
(10) Costit. Bened. Deus §. Insuper.
(11) Costit. Convoc. §. 26. e Lettera Circolar. ai Penitenzieri n. 65. (12) Cost. Ben. Deus §. Itaque, e §. Insup.
(13) Cost. Bened. Deus, §. Non intendimus.
(14) Cost. Convocatis, §. 53.
(15) Cost. Ben. Deus, §. Non intendimus.
(16) Let. Circol. ai Penitent. num. 39.

(1) Cost. Bened. Deus, §. Insuper. (2) Detto §. Insuper.
(3) Ivi. (4) Detto §. Insuper.
(5) Detto §. Insuper, e Lett. Circol. ai Penit. num. 45.
(6) Cost. Bened. Deus, §. Insuper.
(7) Let. Circol. ai Penit. &c. num. 50.
(8) Cost. Bened. Deus §. Non intendimus.
(9) Costit. Bened. Deus, §. Itaque. (10) Dett. §. Itaque.
(11) Cost. Convoc. §. 45. Lett. Circ. ai Penit. n. 75. e 76.
(12) Detta Lett. Circol. num. 11., e 76.
(13) Cost. Convocatis, §. 51.
(14) Lett. Circol. a' Penitenz. num. 83.
(15) Cost. Convoc. §. 46. e d. Let. num. 7.
(16) Costit. Convocatis, §. 45. e 47.

Circa la comunione finalmente, è da avvertirsi, che dev' essere sacramentale insieme, e spirituale, cioè non sacrilega, nè è sufficiente la sola spirituale (1).

Eccettuata la visita delle Chiese, e comunione sacramentale a' fanciulli di essa incapaci, non è conceduta a' Confessori facoltà alcuna di dispensare per qualunque motivo, o impedimento veruna delle altre opere ingiunte, cioè confessione, comunione, ed orazione, (2) potendosi queste separare dalle suddette visite (3).

In caso poi, che qualche penitente si fosse confessato con sincero animo di conseguire il Giubileo, e di adempire l'opere ingiunte per conseguirlo, e fosse stato assoluto da' casi riservati, e censure, ed avesse ottenute le commutazioni de' voti, dispensa, come sopra, poi pentito, non avesse adempite le dette opere, quantunque appena potess' essere esente dal reato di colpa, non lo condannino però li Confessori come restato il predetto innodato dalle censure, dalle quali è stato prosciolto, nè privo della grazia delle commutazioni, e dispensa ottenute (4).

Che è quanto &c.

Data in Roma fuori della Porta Celimontana li 26. Marzo 1751.

Pier Luigi Vescovo di Albano
Card. Carafa.

Paragraphi aliquot ex Constitut. Benedicti XIV. incipiente *Pastor bonus*, quæ est 95. Tom. I. Bullarii ejusdem.

§. *XI. Principes porro, & alios jus Imperii, etiam vicario nomine, habentes, ac Dominia, & Respublicas, seu personas illorum, & illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios superiores Prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis litteris die Cœnæ Domini legi consueris, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, & absolvi mandare nullatenus valeat.*

§. *XII. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum absolvere, vel absolvi mandare Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aut alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint, vel Sede Apostolica vacante, in censuras, seu pœnas in Literis felic. record. Gregorii PP. XV., & Urbani VIII. Prædecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, XVII. kal. Septembris Anno Incarnationis Dominicæ MDCXXI. & V. Kal. Februarii Anno ejusdem Incarnationis MDCXXV. respective emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent, Sede Apostolica adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo, pro tempore vacantis ejusdem Sedis.*

§. *XIII. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, eos, cujuscumque qualitatis, status, dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, absolvere, & absolvi mandare, qui Astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de Statu Reipublicæ Christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII. Pont. Max. Literis, pridie kal. Aprilis Anno ejusdem Incarnationis MDCXXXI. contra prædicta perpetrantes editis, contravenerint..*

§. *XIV. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ Immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.*

§. *XXVI. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetæ, contra præscriptum a Prædecessoribus Nostris Clemente VIII., & Urbano pariter VIII. in suis Constitutionibus, XIII. Kal. Julii Anni MDXCIV., & XVI. kal. Novembris Anni MDCXL. respective editis non absolvat, nisi factæ restitutione; vel, si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eandem, quam primum poterunt, faciendi.*

Qui vero infra prædictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipsius majoris Pœnitentiarii, seu Confessarii per eum eligendi, eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

§. *XXXVIII. In casibus vero publicis clausuræ a Monialibus prædictis, vel ab aliis quibuscumque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis Episcopi, seu Ordinarii supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam deducti non fuerint.*

JUDÆUS.

Vide verb. *Hebræus*.

JUDAICA PROPOSITIO.

Vide verb. *Propositiones damnatæ num. 27.*

JUDAS ISCARIOTES.

Additamenta novissima Auctoris.

1 Judas Iscariotes, unde sic dictus? Eusebius & Sanctus Hieronymus ita vocatum volunt, quod in Vico Iscarioth Tribus Ephraim natus esset. Alii, quod esset ex Tribu Issachar, & idcirco Issachariotes, nomine vero, contractioni Iscariotes diceretur. Alii denique, quod a Vico Carioth, ex Tribu Juda nomen deduxerit; Josue 15. 25. *Iscarioth* hebraice hominem ex Carioth sonat. Sic Calmet *verb. Judas de* Iscariot. Et a Patria dictum esse Iscariotem tradit etiam S. Chrysostomus in sermone de proditione Judæ, *Quid mihi*, inquit, *ejus Patriam dicis, utinam ipsum quoque nescire licuisset*. Unde errarunt Ubertinus, & Rubisius, qui Judam somniarunt esse Picentem, illudque nomen illi inditum a Cariotte Piceni Oppidulo, sicuti & errarunt, qui vel Gallum, vel Germanum fuisse Judam dixerunt, sicut affirmat Card. Lambertin. poitea Bened. XIV. *de festis D. N. Jesu Christi num.207.*

2 Argentei triginta a Juda accepti, ecquid valerent; varie tradunt Auctores, Suarez enim 3. *par. tom.2. disp.34. sect.1.* eos triginta argenteos putat fuisse triginta nummos argento cusos, qui vel siclum, vel sicli semissem conficerent. Alii quidem sicli valore expenso, initaque ratione ad nostratem monetam, putant Redemptorem nostrum octodecim Scutorum Romanorum pretio fuisse venditum. Sic Serres *Exercit.* 23. Eminentiss. Gottus *de verit. Relig. Christ. tom.4. par. 2. cap.* 24. §.1. Marcus vero Georgius Schvartzen *in Thesauro dissertationum in nov. Testamen. Amstelodam. edito anno* 1702. *tom. 2. pag.* 210. *dissertat. ut pretio, quo Salvator noster æstimatus* §.26. commemoratis aliorum opinionibus, concludit, triginta argenteos, quando venditus est pactione Judæ Christus dominus, quinde cim taleros imperiales conficere. Sic apud Card. Lambert. deinde Bened. XIV. *de festis D. N. Jesu Christi num. 229.* Calmet in dictionar. Verb. *Judas de Iscariot* sic tradit: „ De prodendo Jesu cum eis „ convenit, modo sibi persolverent triginta siclos, nempe „ 48. libras, & obolos 12. si pro quolibet siclo 32. obolos, „ & 5. denarios supputemus, *Tirinus* Commentar. in Matth. „ cap. 26. num. 13. *sic habet*: nempe triginta argenteis siclis, „ seu

(1) Det. Const. §. 48., e Let. Circ. a' Penitenz. n.5.
(2) Cost. Bened. Deus.
(3) Det. Let. Circol. num.53.
(4) Cost. Bened. Deus §. Cœterum, Cost. Convocatis §. 54. Lett. Circ. a' Penitenz. num. 86.

„ seu triginta florenis belgicis, vel 15. unciis argenti, ut ali-
„ bi dixit: *scilicet* in prolegom. de ponderibus, verb. siclus
„ argentei: ibi siclus argenti est semuncia argenti . . . . .
„ Quoties legitur argenteus sine adjuncto, subintelligitur
„ siclus.

JUDEX.

1 Judex sic dicitur quasi *Jus dicens populo, sive quod Jure disceptet*, prout expresse habetur *in cap. Justum est 1. cauf. 23. quæst. 2. & in c. Forus* 10. *de verbor. significat.* Hinc definitur Judex, quod sit persona auctoritate publica suprem Principis creata ad finem justitiam faciendi singulis suis subditis juxta Regulas Legis, & ordinem ab ea præscriptum; *Est in re communis; arg. cap. In istis 3. dist. 4. & cit. cap. Justum est, & cap. Forus*. Unde, ut vides, ad hoc, ut quis
2 3 sit legitimus Judex, non sufficit, quod sit electus pro tali Officio auctoritate suprem Principis, sed insuper, quod servet ordinem justitiæ in suis judiciis proferendis, quia, ut expresse dicitur *in cit. cap. Justum est, & cap. Forus: Jure autem disceptare est juste judicare, non est ergo Judex, si non est in eo justitia*; & quod illi, quos judicat, sint subditi illius Jurisdictioni, & causa, supra quam fert judicium, sit materia sui Tribunalis, aliter ejus sententia esset injusta, quia injuste sibi usurparet potestatem, quam non habet in non suos subditos, *cap. Ea, quæ 26. de Regulis Juris in 6.*, ibi: *Ea, quæ fiunt a Judice, si ad ejus non spectant Officium, viribus non subsistunt.* Judex autem loci, in quo est commissum
4 delictum; habet Jus cognitionis, quamvis reus aliunde non sit subditus ipsius jurisdictioni, *arg. cap. Ibi semper 1. & cap. Qui crimen* 18. *cauf. 3. q. 6.* ubi expresse statuitur, quod *ibi semper causa agatur, ubi crimen admittitur*.

5 Judex alius est Ordinarius, & alius delegatus. Judex Ordinarius est ille, qui potestatem judicandi habet jure proprio, seu ratione Officii, aut dignitatis suæ, ac eo ipso, quod est talis, ut Episcopus, Prælles Provinciæ, ac hujusmodi, *leg. More majorum, & leg. Et quia ff. de Jurisdict. omnium Judic.* Judex Delegatus est, qui non habet jurisdictionem vi
6 proprii Officii, seu eam exercet ex beneficio, & Commissione alterius, cujus vice fungitur, *leg. 1. §. Qui mandatum ff. de Officio ejus, cui mandata est Jurisdict. & leg. Si Prætor ff. eodem, & leg. Sol ff. de Jurisd. omnium Judic.* De Judi-
7 ce Delegato, & de iis, quæ ipsum concernunt, vide *verb. Delegare, Delegatus per tot.*

8 Judex alius dicitur *a quo*, & alius *ad quem*. Judex *a quo* est Judex inferior, a quo per appellationem fit transitus ad Superiorem. Judex *ad quem* est Judex Superior, *ad quem*
9 a Judice inferiori fit appellatio. Et de iis, quæ concernunt Judicem *a quo*, & *ad quem*, vide *verb. Appellatio per tot.*

10 Judex alius dicitur *Judex domicilii*, alius *Judex delicti*, alius *Judex contractus*, & alius *Judex rei, de qua contenditur.*

11 Et de iis, quæ concernunt tales Judices, vide *verb. Forum, seu Forus a n.11. ad 40.*

12 Judex alius est Ecclesiasticus, & alius Laicus, seu sæcularis. Judex Ecclesiasticus est ille, ad quem spectat cognitio, & decisio causarum Ecclesiasticarum, & spiritualium. Judex vero Laicus, seu sæcularis est ille, ad quem spectat cognitio, & decisio causarum laicalium, & sæcularium; *Communis, arg. c. Decernimus 2. cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis, cap. Nullus Judicium 2. cap. Ex transmissa 6. cap. Licet* 10. *& cap. Ex tenore 11. de foro competent.*

13 Hinc Judex Laicus, seu sæcularis nullimode potest cognoscere, & judicare de causa Ecclesiastica, & spirituali, nec principaliter, nec incidenter; *c. Decernimus 2. cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis, cap. Nullus Judicum 2. de foro competent. cap. Lator 5. & cap. Causam, quæ inter 7. Qui filii sint legitimi*, & similibus; *Et communis Doctorum*.

14 Idque nec ex Delegatione, seu commissione Episcopi, aut alterius Prælati Papa inferioris; *Communis* per jura adducta
15 sub *verb. Delegare, Delegatus n.34.* Imo Judex Laicus neque una simul cum Clerico sibi per Episcopum adjuncto potest cognoscere, seu judicare de causa spirituali; Glossa *in cap. Contingit 8. de arbitris, verb. Spiritualibus*, Layman *lib. 3. tract. 6. cap. 1. num. 2.* Reiffenstuel *lib. 2. decretal. titul. 1. num. 70.* Pirhing. *lib. 2. decretal. tit. 29. n. 34.* ubi ex Abbate, & Julio Claro dicit esse communem.

16 Neque judex Laicus, etiam ex Delegatione Episcopi potest cognoscere, & judicare de causa criminali Clericorum, *Communis* per jura adducta sub *dict. verb. Delegare, Delegatus num.36.* Quinimmo probabilius neque etiam ex Delega- 17
tione Episcopi potest judex Laicus cognoscere causas mere Civiles, quæ contra Ecclesias, vel Clericos intentantur; Vide dicta, & adducta ad hoc sub *dict. verb. Delegare, Delegatus num.39.* Est tamen probabilis etiam contraria senten- 18
tia per *dict. loc. cit. num.38.* Neque judex Laicus potest co- 19
gnoscere, & judicare de *causis connexis* cum spiritualibus; tales enim causæ spiritualibus connexæ spectant ad solum judicem Ecclesiasticum; Abbas *in cap. Quanto 3. de Judiciis num.3.* Barbos. *ibid. num.3. & 4.* & alii apud ipsos, Reiffenstuel *lib.2. decretal. tit.1. num.73.* & alii, & id desumitur ex *cit. cap. Quanto*, ubi decidunt, quod causa Jurispatronatus, utpote conjuncta, & connexa spiritualibus causis, nonnisi Ecclesiastico judicio valeat definiri. Orta quæstione de competentia fori inter judicem Ecclesiasticum, & Laicum, 20
debet cognoscere Ecclesiasticus; habetur expresse in *cap. Si Judex 12. de sent. Excomm. in 6.* Vide dicta sub verb. *Forum, vel Forus num.8.*

Judex Laicus neque potest supplere negligentiam judicis 21
Ecclesiastici, & proinde Clerici ad sæculare Forum trahi nequeunt, etiam data ipsorum Prælatorum negligentia; habetur expresse decisum *in cap. Qualiter, & quando 17. de Judiciis*, & tenet Communis Doctorum, teste Reiffenstuel *lib.1. decretal. tit.10. num.45.* & sic tenuit Rota *in una Oscen. Poenitentiariæ 10. Aprilis 1595.* coram D. Blanche tto allegata a Farinaccio *par.4. lib.1. consil. 68.* E contra tamen judex Ecclesiasticus potest supplere negligentiam judicis Laici: habetur expresse decisum *in cap. Ex transmissa 6. cap. Licet 10. & cap. Ex tenore 11. de Foro competent.* ubi judice sæculari negligente, seu malitiose differente terminationem causæ etiam Feudalis, potest adiri judex Ecclesiasticus, ut debitum ei finem imponat, & sic tenent Abbas, Sperellus, Barbosa, Balbus, Tuschus, Maranta, & alii communiter cum Reiffenstuel *loc. cit. num.44.* Extra autem casum negli- 23
gentiæ judicis sæcularis, judex Ecclesiasticus nequit cognoscere, & judicare de causis mere Laicalibus, *cap. Licet 10. & cap. Ex tenore 11. de foro competenti* cum concordantiis.

Regulariter nemo potest esse judex in propria causa; *leg.* 24
unic. Cod. Ne quis in sua causa judicet. Limitatur tamen hæc 25
conclusio, primo in supremis judicibus, qui non recognoscunt Superiorem in Terris, ut Papa, Imperator, Rex, & hujusmodi. Isti enim cum Superiorem non recognoscant, nec ullo jure cogantur se submittere judici inferiori, ideo possunt esse judices in propria causa; Bartolus *in cit. leg. unic. Ne quis in sua causa judicet*, id probans ex *leg. Et hoc Titius ff. de hæred. instituend.* ubi Titius Tiberius in propria causa sententiam dixisse legitur; & sic tenet Glossa *in cap. Cum venissent 12. de judiciis*, Abbas *ibid. num.6.* Card. Tuschus *lit. I. concl.403. num.1. & sequent.*, & alii passim. Con- 26
sultius vero est, quod nec ipsi Supremi Principes judicent in causis propriis inter ipsos, & suos subditos exortis, sed has aliis dijudicandas committant, *arg. cap. Nos si incompetenter 40. cauf. 2. quæst. 7. cap. Innotuit 1. de maledicis*, ubi Papa injuriosa verba in se prolata non per seipsum punit, sed ea ad terrorem aliorum compescenda committit cuipiam inferiori, ut clare patet ex textu, & concordat textus *in l. 1. & 2. Cod. Si adversus Fiscum*, ubi Imperator in causa Fiscali dat Procuratores, & sic consulunt Glossa, & Bartolus *loc. cit.* Antonellus *de Regimine Ecclesiæ lib.6. cap.13. §.3. n.12.* & alii passim, & sic solet esse praxis fere omnium piorum Principum.

Limitatur secundo in notoria injuria judici, vel Prælato 27
irrogata, quia non obstante, quod talis causa videatur esse sua propria, potest imponere pœnam a jure taxatam, quia tunc procederet ut merus executor, Abbas *in cit. cap. Cum venissent 12. de judiciis num.8.* Pirhing *lib.2. decret. titul. 1. num.75.* Reinffenstuel *ibid. n.207.* & alii passim. Secus ve- 28
ro ubi pœna venit imponenda arbitrio judicis, quia tunc non procederet, ut merus executor, sed ut judex, & cum in tali casu ob affectum propriæ causæ facile posset in arbitrando excedere modum, ideo posset uti suspectus recusari; *arg. cap. Quod suspecti 15. cauf. 3. quæst. 5.* ac notat Archidiaconus *ibid. n.7.* Ioan. Andr. *in c. Cum speciali, de appellat. n.10.* Abbas, Pirhing, Reiffenst. *loc. cit.* & alii.

Judex carens debita scientia, et ex culpabili ignorantia 29
male judicans, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem totius damni causati parti læsæ, sive in substantia litis,

sive

sive in superfluis expensis ; *Communis* teste Card. de Lugo
30 *tom.2. disp.37. num.1.* Iudex agnoscens errorem a se (quamvis sine gravi culpa) commissum in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra suam infamiam, impedire errorem, monendo v. g. occulte partem læsam, ut sibi appellatione, vel alio simili remedio consulat, quia hoc pertinetad debitam sui muneris executionem, et quia alioquin, si, dum potest, non impedit suum errorem, imputabitur jam ei quasi conservanti id, quod propter inadvertentiam inculpabilem, prius non imputabatur ; Lugo *loc. cit. num.3. arg.* a simili per tradita communiter *in cap. Præterea 7. de testibus cogendis.*

31 Iudex carens necessaria scientia ad suum Officium non potest absolvi, nisi facta renunciatione officii, vel nisi firme proponat renunciare, quia nemo potest retinere officium, cujus munia obire non potest, nisi cum damno, vel periculo proximi ; Ita S. Thomas 2.2. *quæst.76. art.2.* Farinac. 3. *part. q.3. art.16.* Reginald *lib.25. num.675.* Cajetanus, Navarrus, et alii passim. Iudex mortaliter peccat contra suum
32 Officium differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine justa causa, et tenetur restituere parti læsæ damna, & expensas, quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt, quia est earum injusta causa ; Silvester verb. *Judex q.* 12. Clavis Regia *lib.12. cap.12. num.8.* Navarr. Bonacina, & alii communiter.

Iudex tenetur abstinere a receptione munerum, tum jure
33 Divino, tum jure humano. Iure Divino est expresse prohibita judicibus munerum acceptio ; *Exodi* 23. ibi : *Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum* ; *Deuter.16.*, ibi : *Non accipias personam, nec munera, quia munera excæcant oculos Judicum. Eccl.20.* ibi : *Xenia, & dona excæcant oculos Judicum. Et Is.* 1. acriter reprehenduntur judices diligentes munera, ibi : *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributionem*, & similiter *Micheæ* 3. ibi : *Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant*, & alibi sæpe consimiliter. E contra vero commendatur judex munera respuens *Is.* 3., ibi : *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitat*, & Samuel 1. *Reg.* 12. commendat se populo dicens : *Si de manu cujuspiam munus accepi*, & Ps.14. commendatur *qui munera super innocentem non accepit*, & ali-
34 bi sæpe consimiliter. Iure humano est expresse prohibita judicibus munerum acceptio *in leg. Plebiscito ff. de offic. Præsid. leg. Solet ff. de offic. Proconsulis*, *Authentic. Novo jure Cod. de poena Judic. Authent. de Judicibus* §. *Nullo quoque*, & §. *sequenti*, *Authent. Ut Judices sine quoquo suffragio fiant*, *leg.1. Cod. ad leg. Juliam repetundarum*, & alibi sæpe, in quibus, & munera prohibentur, & pœnæ statuuntur. Iuri Civili concordat jus Canonicum, *in cap. Judices 23. & cap. Jubemus 126. caus.1. q.1. c. Non sane 15. caus.14. q.5. cap. Cum ab omni 10. de vita & honest. Clericor. cap. Statutum 11. de rescriptis in 6.* §. *Insuper cap. Romana 1. de censibus in 6.* §. *Procurationes*, & *cap. Exigit 2. cod. in 6.* & alibi sæpe.

35 Iudex contra supradictas prohibitiones accipiens notabilia munera, peccat graviter, & tenetur ad restitutionem ; habetur expresse *in leg.3. & sequent. ff. ad leg. Juliam repetundarum*, & *leg. Jubemus*, *Cod. eodem*, & *cap. Statutum 11. de rescriptis in 6.* §. *Si aliquid autem*, ubi statuitur, quod nec remissio dantis liberat judicem Delegatum ab obligatione restituendi munus acceptum, ibi : *Si quid autem contra Constitutionem præsentem recepit, ad ipsius restitutionem integram teneatur. Nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenus profutura eidem.* Et hanc restituendi obligationem optime novit Samuel Propheta 1. *Reg.* 12. ubi aperto ore dicebat ad populum : *Loquimini de me.... Si de manu cujuspiam munus accepi : & contemnam illud hodie, restituamque vobis* ; Et talem restituendi obligationem jam indicaverat Isaias *cap.1.* ubi appellat Judices diligentes munera, socios furum, ibi : *Socii furum, omnes diligunt munera* ; Fures autem non possunt obtinereremissionem peccati furti, nisi restituant ablatum ; *cap.Peccatum 4. de Regulis juris in 6.* ibi : *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Unde *in cap. Qui recte 66. caus.11. q.3.* expresse dicitur : *Qui vere judicat, & præmium inde remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitia, quam gratis imperiri debuit, acceptione pecuniæ vendit &c.*

36 An autem talis restitutio sit pro foro conscientiæ facienda ante sententiam condemnatoriam, seu declaratoriam delicti? variant Doctores. Molina enim, Vasquez, Lessius, Fagundez, Villalobos, Dicastill. Diana apud Moyam *tom.1. tract.6. d.4. q.3. a num.3.* Haunold. cum La Croix *l.b.* 4. *num.*1502. & alii cum Card. de Lugo *tom.3. disp.37. n.* 134. docent non teneri ad restitutionem ante sententiam condemnatoriam seu saltem declaratoriam delicti. Silvester vero, Medina, Corduba, Sotus, Vega, & alii apud Molinam *t.1. tract.2. disp.*88. & apud Card. de Lugo *tom.2. disp.37. numer.*133. sustinent teneri ad restitutionem etiam ante sententiam supradictam. In hac autem Doctorum varietate hoc pro certo te- 37
nendum est, quod ea, quæ ad redimendam vexationem, aut sententiam injustam, aut aliter involuntarie data sunt, debent a Judice restitui ante omnem sententiam, quia invitis Dominis sunt accepta, & ideo non est translatum Dominium, & idem est, si Judices per Legem alicubi expresse reddantur inhabiles ad acquirendum munerum receptorum dominium, uti notant omnes cum Sanchez, & La Croix *loc. citat. num.*1502. Rosignol. *de restit. 11. disquis. 1.* § 4. *num.* 22.

Et hanc inhabilitatem in Judicibus ad acquirendum mune- 38
rum receptorum dominium videntur statuisse jura *in leg. Plebiscito ff. de offic. Præsidis*, & *l. Solet* §. *fin. de offic. Proconsul. & cap. Statutum 11. de Rescriptis in 6.* §. *Si quid autem*, ubi statuitur, quod si Judex Delegatus aliquid recipiat, teneatur ad restitutionem, non obstante remissione ejus, qui dedit, ut patet ex verbis præcisis allatis supra *num.* 35. Nec ex consuetudine possunt Judices illa acquirere, & retinere, ut colligitur *ex cap. Cum ab omni 10. de vita*, & *honest. Clericorum*, & expresse dicitur in ejus Summario per verba infra adducenda *sub num.42.* Lessius *lib.2. de justitia*, & *jure cap.14. dub.9. num.72. in fine*, Rosignol. *de Restitutione 11. disquis.1.* §. 4. *num.22.* & alii ; Et ratio est, quia ad hoc, ut valeat præscriptio, requiritur, ut præscribens sit capax possessionis civilis suo nomine ; *cap. Si diligenti, de præscription.* nec etenim sine possessione stare potest præscriptio ; Tales autem Judices nequeunt possidere, cum ipso jure reddantur inhabiles, & incapaces ad acquirendum munerum receptorum dominium. Ubi vero jura non reddant Judices 40
inhabiles ad acquirendum tale dominium, stante consuetudine legitime præscripta, sciente Superiore, & non contradicente, possunt Judices sæculares sponte oblata juste recipere, ut ex multis solide probat Rosignol. *loc. cit. num.* 20. & alii.

Potest tamen Judex recipere a partibus sponte oblata le- 41
viora munuscula, pro quibus non est periculum, quod pervertatur, seu corrumpatur ipsius Judicium, quia in iis cessat ratio prohibitionis, & cessante ratione, seu causa prohibitionis, cessat ipsa prohibitio, seu Lex prohibens ; *l. Adigere* §. 2. *ff. de jure patronat.* Hinc *cap. Statutum 11. de Rescriptis in 6.* §. *Insuper* permittitur Judici recipere esculentum, vel poculentum, quod pancis diebus consumi possit, ibi : *Nisi forsan esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus*, & concordat jus civile *in leg. Solent* §.3. *ff. de offic. Proconsulis*, ubi licet Proconsul prohibeatur accipere dona, & munera notabilia, non tamen dona, & xenia exigua ; Vide verb. *Xenia n.11.*

Iudex Ecclesiasticus, sive Ordinarius, sive delegatus ni- 42
hil recipere potest sportularum nomine ; *c. Cum ab omni 10. de vita*, & *honest. Clericor.* ibi : „ Nos attendentes, quod „ adhoc vobis, & aliis Clericis sint Ecclesiastici redditus „ deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis .... ideoque „ mandamus, quatenus ab hujusmodi exactionibus de cete- „ ro abstinentes vigorem judiciarium gratis studeatis litigan- „ tibus impertiri ; Et in ejus Summario sic expresse dicitur: „ Ecclesiastici Judices, & Delegati gratis judicare debent, „ nec exigere possunt decimam, vel aliam quotam litis, „ etiamsi hoc habeat consuetudo, " & sic tenent Abbas *ibid. num.9.* Engel *lib.1. decretal. tit. 32. num.* 12. Reiffenst. *ibid. num.19.* & alii. Et de Judice Delegato habetur etiam expresse *in cap. Statutum 11.* §. *Insuper*, & §. *Assessorem*, *de Rescriptis in 6.* ubi §. *Si quid autem* subjungitur teneri judicem ad integram restitutionem muneris recepti, non obstante remissione ei facta a dante ; Et concordat *cap. Exigit* §. *final. de censibus in 6. & Clement. Nolentes* §. *Quod si secus de Hæreticis* : ubi pariter liberalis remissio dantis non eximit recipientem ab obligatione restitutionis.

Iudex Laicus Delegatus potest exigere sportularum no- 43
mine certam quotam pecuniæ, videlicet duos aureos a principio

cipio, & alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium præstandos, dummodo summa, pro qua litigatur centum aureos excedat ; Ita habetur *in Authent. de Judicibus* §. *Ne autem collat.6.*

44 Iudex autem Laicus Ordinarius nequit aliquid recipere sportularum nomine, quia is jam aliunde habet salarium sibi a Principe, vel Republica constitutum ; sic expresse evincitur *ex l. Plebiscito ff. de offic. Præsid.* & *leg. Solet ff. de offic. Proconsulis*, & notat Glossa *in l. 3. Cod. de condict. ob turp. caus.* & *l. 1. Cod. de pœnis Judic.* & tenent Engel. *lib. 1. decretal. tit.32. num.*12. Reiffenst. *ibid. n.* 18. Silvester *verb. Judex 1. num.13. q.8.* Rosignol. *loc. cit. nu.3.* Molina *tom.1. de justitia disp.*83. citans plures alios, Lugo *tom.2. disp.37. num.*123. ubi testatur de communi, & dicit, quod Iudex habens sibi assignatum certum, & determinatum stipendium pro suis actionibus, jam debet illas ex justitia, & per consequens non potest aliud pretium pro illis accipere, & si recipiat, cum injuste illud recipiat, debet restituere.

45 Si autem Iudex sive Ordinarius, sive Delegatus, sive Ecclesiasticus, sive Sæcularis, non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, poterit pro Iudiciis sibi commissis exigere sportulas, seu honoraria. Apostolus enim 1. *ad Corinth. Cap. 9. num. 7.* dicit : *Quis militat suis stipendiis unquam ? & ibid. num.* 13. subjungit ; *Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur ; quæ de Sacrario sunt, edunt, & qui Altari deserviunt, cum Altari participant ?* & *Matth. 10. num.* 10. dicitur ; *Dignus enim est operarius cibo suo. Lucæ 10. num. 7. Dignus est enim operarius mercede sua. Deuteronomii 25. num. 4.* habetur ; *Non ligabis os bovis terentis in area fruges suas*, & hæc omnia allegantur ab Apostolo 1. *ad Timoth. Cap. 5. num.* 18. ibi ; *Dicit enim Scriptura. Non alligabis os bovi trituranti. Et dignus est operarius mercede sua*, & concordant *Cap. Cum secundum 16. de præbend.* ibi : *Cum secundum Apostolum, qui Altari servit, vivere debeat de Altari, & qui ad onus eligitur, non debeat repelli a mercede &c. cap. Charitatem 45. caus. 12. quæst. 2.* ibi ; *Justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*, cum similibus, & sic tenent Layman *lib. 3. tract. 4. num. 9.* La Croix *lib. 4. num.* 1503. Lugo *loc. cit. num.* 125. Haunold. Rosignolus, & alii.

46 Sportulæ sunt quædam vasa, in quibus aliquid reponi, ac deferri solet, & præcipue apud antiquos erant capsæ pecuniæ condendæ causa paratæ ; ast consuetudo tulit, ut sportulæ pro ipsa pecunia usurpentur. Ea enim pecunia sportula dici cœpit a sporta, seu sportella, receptaculo majoris summæ pecuniarum : Unde pecuniæ illæ, quæ Judicibus, vel Viatoribus, idest executoribus litium, ac negotiorum pro salario dabantur, sportulæ sunt appellatæ ; Calvin. *in magno Lexico Juridico verb. Sportula* ; ubi adducit ad hoc *Rubr. de sportulis*, variasque alias Leges ; Hinc quantum ad præsens sportularum nomine intelliguntur salaria, seu honoraria Judicibus pro causis Iudicialibus in certa quota pecuniæ a partibus litigantibus præstanda, prout habetur ex Rubrica *leg. 3. tit. 2. Cod. de sportulis*, & *sumptibus in diversis judiciis faciendis.*

47 Iure naturæ illicitum est Iudici ob munus acceptum postponere cum damno causas eorum, qui diutius expectarunt, & citius expediri deberent ; *Certa*, & *Communis* cum Card. 48 de Lugo *loc. cit. num.* 125. Haunold. *num.* 58. La Croix *loc. cit. numer.* 1500. Non est autem Iure naturæ illicitum Judici propter munus acceptum prius expedire unam causam, quam aliam, quando illæ causæ æque cito expediri debent, & in arbitrio ipsius est prius expedire, quam vult, quia per hoc non fucit aliis injuriam, et aliunde in gratiam remunerationis suscipit novam obligationem prius expediendi ejus causam, quæ obligatio, cum sit utilis remuneratori, videtur pretio æstimabilis, Diana *part. 3. tract. 5. resolut.* 45. Rosignol. *de Restitutione 11. disquis. 1.* § 4. *num.* 8. quibus videntur con- 49 sentire Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 4. num. 9.* La Croix *loc. cit. num.* 1500. et alii. Qui tamen merito dicunt cavendum esse, ne præpropera hæc expeditio causæ propter pecuniam sit conjuncta cum alterius injusto damno, quia cum motivo accelerationis causæ ob munus acceptum subingreditur etiam præsumptio favoris in meritis causæ. Unde quamvis talis acceptio munerum non sit illicita Iudici de jure naturæ, videtur tamen esse ei illicita de jure positivo per jura adducta *sub num. 33. & seq.*

50 Iudex non potest quis esse in causa, in qua fuit prius Ad-

vocatus ; *leg. Eos*, *in princip. Cod. de appellat.* & *leg. Prætor*, *de jurisdict. omnium Judic. cap. Nullus unquam 1.* & *cap. Nullus introducatur 2. caus.4. qu.4.* Et ratio est, quia ejus judicium haberetur suspectum, & præsumptio staret contra ipsum ratione specialis affectionis, quam haberet ad eam partem a se olim jam defensam, ut cum communi Doctorum, docet Sanchez *lib. 3. consil. cap. unic. dub. 26.* Bartolus *in leg. Quisquis vult*, *Cod. de Postulando* ; Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit.37. num.* 39. Potest tamen e contra quis fieri Ad- 51
vocatus in causa, in qua fuit prius Judex, quia tunc cessaret dicta suspicio, & præsumptio. Nec ullum jus extat prohibens eum a tali Advocatia ; *Communis*.

Iudex non potest judicare secundum sententiam minus 52
probabilem, relicta probabiliore ; *Communis*, *ac certa*, propter sequentem propositionem 2. in ordine ex merito damnatis ab Innocentio XI. *die 2. Martii* 1679. ibi : *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*. Nec potest Iudex in æquali probabilitate opinio- 53
num utriusque partis litigantium ullatenus accipere pecuniam, seu munera pro ferenda sententia in favorem unius præ alio ; *Communis etiam*, *ac certa* propter sequentem propositionem ordine 26. ex merito damnatis ab Alexandro VII. *die 24. Septembr.* 1665. ibi ; *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.*

Quando cunctis bene perpensis apparent adhuc Iudici æque 54
probabiles, atque per omnia æquales rationes, & probationes utriusque partis, tunc in pari causa pro Reo, vel pro Possessore est judicandum ; *cap. Cum sunt 11. de Regulis juris in 6.* ibi : *Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori, leg. Favorabiliores 167. de Regul. juris*, ibi ; *Favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur, cap. In pari 65. de Regulis juris in 6.* ibi : *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis : leg. In pari 170. de Regulis Juris*, ibi ; *In pari causa possessor potior haberi debet ; cap. Ad aures 6. de præscriptionibus*, ibi : *De jure melior est conditio possidentis, & cap. Ex litteris 3. de probationibus*, ibi : *Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum.* Excipiuntur tamen causæ privile- 55
giatæ, liberales, seu favorabiles, V.G. Matrimonii, libertatis, dotis, ac testamenti, quia in æqualitate probationum judicatur pro causa liberali, seu favorabili, textu expresso *in cit. Cap. Ex litteris*, ibi : *Præterquam in liberali causa, in qua, si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur* ; Et Glossa communiter recepta *ibid. verb. In liberali*, ubi excipit dictas causas in his duobus versibus contenta.

Sint Testamentum, Libertas, Conjugium, Dos,
Si sint æquales, qui producuntur utrinque.

Et expresse excipiuntur dictæ causæ *in cap. Duobus Judicibus 26. de sententia*, & *re judicata*, ibi : *Tenet pro Reo, non pro Actore sententia, nisi in causa favorabili, puta Matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata.*

Iudex regulariter loquendo judicare debet *secundum alle-* 56
gata, & *probata* ; *Communis*, *ac certa*, claris Iuribus *in cap. Judices 4. caus. 3. qu. 7. in cap. Cum æterni Tribunal. 1. de sententia*, & *re judicata in 6.* & *in leg. Rem non novam Cod. de Judiciis*, cum similibus. An autem Iudex debeat judica- 57
re *secundum allegata*, & *probata* etiam contra propriam certam scientiam ? Tres sunt opiniones, duæ extremæ oppositæ, 58
& una media inter utramque. Prima sententia absolute, & universim tenet, Iudicem posse, ac debere semper in quacumque causa judicare *secundum allegata*, & *probata*, etiam contra propriam conscientiam, si nullum medium supersit effugiendi, & præsertim liberandi V. G. quem ipse Iudex privata scientia certo scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata comparet nocens, & reus morte dignus, & hanc sententiam tenet expresse S. Th. 2.2. *qu. 64. art. 6. ad 3.* ubi sic præcise dicit : *Judex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum Superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata, & probata sententiam ferens, quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem,*

rem, & universim *qu. 67. art. 2.* & sic tenent Cajetanus, Sotus, Navarrus, Paludanus, Alensis, Thomas Sanchez, Bartolus, Iulius Clarus, Covarruvias, Ioannes Andreas, & alii apud Card. de Lugo *disput. 37. sect. 4. num. 42. argum. cap. Judicet 4. caus. 3. qu. 7.* ubi ex verbis S. Ambrosii habetur: *Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta Leges, & Jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; nihil paratum, & meditatum domo refert: sed sicut audit, ita judicat, & sicut se habet negotii natura, decernit, obsequitur Legibus, non adversatur.* Et Glossa *ibidem*; & alia Glossa *in cap. Pastoralis 28. §. Quia vero, de Officio Delegati*, & alia Glossa *in cap. Perniciosam 1. de Officio Judicis Ordinarii*, ubi sic expresse dicit: *Judex debet judicare secundum allegata, & secundum Canones, & Leges, & non secundum conscientiam; argum. cap. Summopere 7. caus. 11. qu. 3. & leg. Illicitas §. Veritas ff. de Officio Præsid.* in cujus Summario sic expresse dicitur: *Judex debet judicare secundum allegata, & probata, non autem secundum conscientiam.*

59 Secunda sententia extreme opposita primæ docet in nulla causa posse Iudicem judicare *secundum allegata, & probata* contra propriam conscientiam, & condemnare quem privata scientia certo scit esse innocentem: Sic tenent Abbas Panormitan. *in cit. cap. Pastoralis, §. Quia vero num. 8. circa finem, de Officio Delegati*, Nicolaus de Lyra *in Exodi cap. 23.* Rosella *verb. Judex*, Angelus *verb. Judicare*, & alii, quos citat Lugo *disput. 37. sect. 4. num. 42.* & Lessius *lib. 2. cap. 29. num. 84.* Pontas *verb. Judex caſ. 3.* ubi etiam solvit fundamenta prioris sententiæ. Et ratio istorum est, quia Iudex ferendo sententiam contra privatam suam certissimam scientiam reipsa mentiretur; aliud enim dicere, quam scias, mendacium est, atque intrinsece malum, et nunquam licitum: Unde *Exodi 23.* sic expresse præcipitur omni Judici: *Non suscipies voces mendacii . . . . Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devias.* Et Apostolus *ad Romanos 14.* sic scribit: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, idest omne, quod fit contra conscientiam, peccatum est, ut explicat Sanctus Ambrosius relatus *in cap. Quærat hic §. Illud autem, de poenit. dist. 3.* Tum quia præsertim in Criminalibus nullimode potest habere locum prima sententia, quia nullo modo licet Iudici condemnare ad mortem, quem certissime scit esse innocentem, suprema Lege Dei id prohibente *Exodi 23.* ibi; *Insontem, & justum non occides*, quamvis enim per Leges humanas teneretur Iudex condemnare ad mortem *secundum allegata, & probata* ostensum reum, quem ipse privata scientia scit certissime innocentem, adhuc tamen non posset licite ipsum condemnare, ratione dictæ Legis Divinæ id prohibentis, cum contra Legem Divinam, et naturalem nihil valeant Leges humanæ; *argum. cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum inferior 16. de majoritat. & obedient. Clementin. Ne Romani, de election.*

60 Tertia sententia duabus aliis probabilior, docet, quod si nulla media declinandi Officium Iudicis superſint, possit quidem Iudex *secundum allegata, & probata* contra propriam scientiam licite ferre sententiam in Civilibus, et causis Criminalibus minoribus, ubi solum agitur de pœna pecuniaria privationi Officii, vel bonorum; Non autem in Criminalibus majoribus, in quibus agitur de pœna vitæ, vel mutilationis; Sic tenent Imola, et alii Iuristæ *in Leg. A. Divo Pio ff. de re judicata*, Pirhing. *lib. 1. decret. tit. 32. num. 5. & 10.* Reiffenstuel *ibid. num. 40.* Clingesperger *lib. 4. Institut. tit. 17. qu. 4.* Adrianus *quodlibet. 2. punct. 3. & quodlibet. 6. art. 3.* Lessius *lib. 2. de justit. & jur. cap. 29. dub. 10.* Layman *lib. 3. Theolog. Moral. tract. 6. cap. 2. num. 8.* Lugo *tom. 2. disput. 37. sect. 4. num. 42. & sequent.* Coninch. *tom. 2. de Sacramentis disput. 13. de Censuris num. 106 & 110. & disput. 34. de Matrimon. numer. 98.* Petrus Navarra *de restitutione cap. 3. num. 161.* Malderus, Sa, Bonacina, Toletus cum Busembau, et la Croix *lib. 4. cap. 3. dub. 2. art. 4.* et alii.

61 Ratio autem, quare Iudex possit licite contra propriam conscientiam ferre sententiam *secundum allegata, & probata* in Civilibus, et Criminalibus minoribus, et non in Criminalibus majoribus, est, quia Iudex in causis Civilibus, et Criminalibus minoribus habet ad hoc legitimam potestatem ab ipsa Republica, quæ est Domina bonorum suorum subditorum, et potest de illis disponere, quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur. At vero in Criminalibus majoribus non habet Iudex hanc potestatem a Republica, quæ, cum non sit domina vitæ, ac membrorum suorum subditorum innocentium, non potest concedere Iudici talem potestatem. Tum quia occidere innocentem est intrinsece malum, sicuti cognoscere non suam uxorem, sed nemo potest licite cognoscere, quam certo scit esse non suam, quantumvis probetur per legitimos testes esse suam, et Iudex pronuntiet esse suam, ergo nec etiam licebit condemnare innocentem, quantumvis probetur nocens per falsa, et apparentia testimonia; Major est clara, minor est certa, et communis, et conceditur ab ipsilmet Auctoribus contrariis; *argum. cap. Inquisitioni 44. de sentent. Excomm.* ubi conjux scienſ occultum impedimentum Matrimonii, quod tamen in judicio probare nequit, tenetur potius humiliter sustinere excommunicationem, quam juxta sententiam Iudicis reddere debitum, adeoque neque in proposito potest Respublica dare auctoritatem Iudici ad licite condemnandum innocentem contra propriam conscientiam, quantumvis probetur nocens per falsa, et apparentia testimonia; & ad hoc faciunt dicta *supra num. 52.*

62 Nec valet dicere, quod sit contra rationem, ut plus deferatur uni, quam duobus, vel tribus testibus, uti faceret Judex, qui propter suam solam privatam scientiam resinqueret testimonium duorum, vel trium testium. Tum quia hac ratione quilibet Judex fingere posset se habere privatam scientiam de innocentia convicti Rei, & sic quemlibet Reum sibi bene affectum liberare in grave Reipublicæ detrimentum. Non valet, inquam, quia licet sit contra rationem credere magis uni testi, quam duobus, vel tribus, non est tamen contra rationem credere magis sibi, quam centum testibus, quia unusquisque facit sibi plenissimam fidem. Imo non solum facit sibi fidem, sed evidentiam rei, contra quam non valent centum testes oppositum deponentes; At tum quia respondetur non adesse tale periculum in grave assertum Reipublicæ detrimentum, quia cum in foro externo non sit credendum Judici, nisi id probet, sed potius debeat puniri propter justitiæ ordinem non servatum, non subibit libenter illud periculum punitionis in foro externo, nisi urgente, & stimulante conscientia in foro interno gravioris punitionis apud Deum, juxta illud *Matthæi 10. num. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam.*

63 De primo igitur ad ultimum quando Judex scit certo scientia privata aliquem esse innocentem, licet juridice probatus sit nocens, tenetur omni modo eum liberare, si potest, V.G. excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem; Vel singillatim interrogando circumstantias loci, temporis, & hujusmodi (*juxta exemplum Danielis* Prophetæ *Daniel. 13.*) uti sic testium falsitas possit deprehendi. Vel relinquendo carcerem apertum, si hoc sine majori malo, & scandalo fieri possit. Vel remittere causam ad Judicem Superiorem, & coram illo testificari innocentiam certo a se cognitam Rei falso accusati. Quod si autem nullum præfatorum, aut similium fieri posset, seu juvaret pro liberando tali innocente, & Judex urgeretur a prepotente parte ad ipsum morti adjudicandum, tunc potius deberet Iudex Officium dimittere, quam innocentem contra propriam conscientiam, licet juridice probatum nocentem, ad mortem condemnare, non obstante, quod etiam hoc modo nihil esset ipsi innocenti profuturus; Sic verius censet cum aliis Lessius *lib. 2. cit. cap. 29. numer. 78.* Mastrius *Theolog. moral. disput. 6. num. 25.* Felix Potestas *tom. 1. part. 1. num. 118. & 119.* Reiffenstuel *loc. cit. n. 50.* Lugo, Filiuccius, Toletus, & alii citati pro tertia sententia.

64 Judex licet habeat certam scientiam privatam contra Reum, quia V. G. propriis oculis vidit illum delinquentem, si tamen juridice probatus sit innocens, non potest licite ipsum condemnare, quia Iudex, ut persona publica, debet sequi scientiam publicam, & procedere secundum allegata, & probata præsertim in favorem Rei; *argum. cap. Odia 15. de Regulis Juris in 6.* ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*; *cap. In poenis 49. de Regulis Juris in 6.* ibi: *In poenis benignior est interpretatio facienda. leg. 115. ff. de Regulis Juris*, ibi: *In poenalibus causis benignius interpretandum est*; *l. 42. ff. de Poenis* ibi; *Interpretatione Legum poenæ molliendæ sunt potius, quam asperandæ*, & sic tenent S. Th. 2, 2. *qu. 67.* Navarr. *cap. 25.* Abbas *in cap. Pastoralis 28. de Officio Delegati §. Qua vero num. 8.* Covarruvias *lib. 1. Variar. resolut. cap. 1. num. 8.* Cajetanus, Filiuccius, Lessius, Bonacina cum Busembau, & La Croix *lib. 4. cap. 3. dub. 2. art. 4.* Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit. 32. num. 36.* & alii. Et ratio est, quia generale est, quod Actore non probante, Reus absolvitur; *cap. Cum Ecclesia Sutrina 3. §. final. de causa possession. & propriet. l. Qui accusare Cod. de Edendo*, cum similibus. Tum quia talis Iudex absolvendo Reum non agit contra propriam conscientiam, cum non pronuntiet eum esse innocentem, sed solum quod contra ipsum nihil legitime, & juridice fuerit probatum, & pro hac conclusione faciunt Jura adducta *sub num. 58.*

65 Iudex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter, uti principales, examinantur; Sic novissime statuit Benedictus XIII. *in Concilio Romano tit. 13. de Jurejurando cap. 2.* Vide verb. *Accusatus n. 26.*

66 Iudices Synodales, quibus a Romana Curia committuntur judicandæ causæ in partibus a Curia remotis, designari debent personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive Personatum, sive Canonicatum in aliqua Cathedrali Ecclesia obtineant. Hi vero designandi sunt ab Episcopis in Synodis; & si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substituti alii possunt etiam extra Synodum ab Episcopo cum consensu Capituli usque ad novam Synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in Synodis, sive extra, nomina Secretario supplicum libellorum Pontificis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacumque Diœcesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet. Benedict. XIV. tom. 1. Bull. Constitut. 28. incip. *Quamvis Paternæ.*

Additio ex Auctore.

67 Iudices Synodales in omnibus Diœcesibus designari jubentur; Benedict. XIV. tom. 1. Constitut. 28. incip. *Quamvis* §. 5. Et permittuntur eligi ab Episcopis extra Synodum cum consilio Capituli; Idem *ibid.*

68 Eorum nomina Pontifici sunt denuncianda, ut Causarum commissiones ipsis dirigantur; Idem *ibidem* §. 5. & 6.

Novæ additiones ex aliena manu.

Quatuor hic non incongrue sunt discutienda. I. An Iudex supplere valeat quæ omissa a Partibus sunt. II. An sequi teneatur sententiam Æquiorem. III. An probabiliorem. Et demum IV. Quid faciendum, si causa ei videatur utrinque æque probabilis.

1 Ad primum quod attinet potest Judex ea supplere quæ juris, non item quæ facti sunt, nisi ex actis reluceant. Primum

2 membrum probatur ex *Lege unica C. Ut quæ desunt Advocat. Part. Iudex suppleat.* membrum posterius inde patet, quod Jura partium allegare non Judicis, sed Advocati officium

3 est. Consule *Voet in comment. ad Pandect. lib. tit. num. 49.* Limitatio subnexa est æque aperta, propterea quod si facta ex actis reluceant, scit illa ut Iudex, consequenter quum fidem publicam sequi debeat, debet etiam secundum illa pronunciare. Quapropter si ex actis colligat alterutrum litigantium præscripsisse, debet ei rem ex præscriptione adjudicare, esto in ea se non fundaverit, *Bruneman. in d. L. unica num. 8. Langer. de Except. part. 3. cap. 26. num. 16.*

4 Addit *Stryk. juridic. dissert. vol. 2. disput. 2. cap. 3. nu. 7. Si facta quædam* (sunt ejus verba) *Judici nota sint, etiam ex aliis actis ista supplere tenetur.* Sed meo judicio minus recte.

5 6 Quod concernit secundum, si jura sint utrinque dubia, tenetur Iudex sequi sententiam æquiorem. Et ita capi debet

7 8 *Lex 8. C. de Judiciis* ubi habetur: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quam stricti juris rationem.* Cæterum si Lex sit clara, esto Judici dura, ac nimis videatur rigorosa, non potest tamen ab ea recedere, *L. 12. §. 1. ff. Qui & a quib. manumitt.*

Quoad tertium, recte *Auctor num. 52.* sensit haud posse Iudicem sequi opinionem probabilem relicta probabiliori.

9 Adi vero Peregrin. in *Manudict. ad Jurisprud. Justin. lib. 4. tit. 18.* qui & de eo differit an Advocatus causam tueri possit secundum opinionem probabilem in concursu probabilioris.

10 Restat ut de quarto differatur. Variæ autem sunt hac de quæstione opiniones. Mihi ea semper arrisit sententia, ut Iudex vel tranſactionem suadeat, vel eo rem dirigat, ut forte

11 aut per Arbitros controversia dirimatur, aut vero æqualiter dividatur. Confer *Peregrin. in manudict. ad Jurisprudent. Justin. lib. 4. tit. 18.* qui aliorum opiniones refert, unaque confutat.

JUDICIUM.

Judicium sumptum pro causæ discussione, quæ coram Iudice pro Tribunali sedente fit, definitur, quod sit *legitima rei controversæ apud Judicem inter litigantes tractatis, seu disceptatio, & dijudicatio; Est in re Communis* cum Glossa *in cap. Forus 10. de verborum significat. verb. Judicium*, ubi dicit, quod *Judicium est legitimus actus duarum personarum, Actoris, & Rei super eadem quæstione sub eodem Iudice contracta.* 1

Ad constituendum Iudicium requiruntur ordinarie tres personæ principales, scilicet Iudex, Actor, & Reus; *l. Inter litigantes 62. juncta Glossa marg. litt. F. ff. de Iudiciis, cap. Forus 10. de verbor. significat.* Iudex sic dictus, *quasi Ius dicens populo, sive quod Iure disceptet*, prout expresse habetur *in cap. Justum est 1. caus. 23. quæst. 2. & in cit. cap. Forus 10. de verb. significat.* est persona, quæ publica auctoritate Iudicio præest, & quasi mediatorem agens inter litigantes rem controversam secundum Juris præscriptum definit, *argum. cap. in Istis 3. dist. 4. & cit. cap. Justum est, & cit. cap. Forus.* Actor *ab agendo dictus*, est persona, quæ actionem proponit, & prior ad Iudicium provocat; *leg. In tribus 13. l. Qui prior 29. ff. de Iudiciis*, & talis in causis Criminalibus proprie vocatur *Accusator*; *leg. Inter 20. leg. Accusatore 13. ff. de public. Iudic. leg. Si accusatoribus 4. Cod. de accusat. & cit. cap. Forus 10. de verbor. significat.* expresse dicitur: *Accusator vocatus est, quasi causator, quia ad causam vocat eum, quem appellat.* In causis autem Civilibus proprie vocatur *Actor*, seu *Petitor*, *leg. Inter 62. ff. de Judiciis*. Reus sic dictus non a reatu, sed *a re*, de qua disceptatur, & est controversia, ut expresse habetur *in cit. cap. Forus* ibi: *Reus a re, quæ petitur, nuncupatur, quia quamvis conscius sceleris non sit, Reus tamen dicitur, quandiu in Judicium pro re aliqua petitur*, est persona, quæ ab Actore provocatur, seu in Ius vexatur, & contra eam in Judicio agitur. 2 3 4 5

Notanter autem dictum est *sub num. 2.* quod ad constituendum Iudicium requiruntur *tres personæ principales*, quia ultra ipsas tres personas principales solent intervenire aliæ personæ minus principales, seu accessoriæ, ut Testes, Advocatus, Procurator, Tabellio, & aliæ nonnullæ, veluti Ministri Iustitiæ, ut docet Communis praxis. De iis vero, quæ concernunt Iudicem, Actorem, Reum, Advocatum, & Procuratorem, Vide verb. *Judex, Actor, Reus, Testis, Advocatus, & Procurator.* 6 7

Iudicium dividitur juxta quatuor causarum genera; scilicet a causa efficiente, seu ratione Iudicis illud peragentis, dividitur in Iudicium *Ecclesiasticum*, & *Sæculare*. Iudicium *Ecclesiasticum* est illud, in quo coram Iudice Ecclesiastico disceptantur, & definiuntur causæ ad Forum Ecclesiasticum pertinentes. Iudicium *Sæculare* e contra est illud, in quo coram Iudice sæculari, seu Laico disceptantur, & definiuntur causæ ad Forum Sæculare pertinentes. A causa finali, seu ratione finis, ob quem Processus judicialis instituitur, dividitur Iudicium in *Civile*, *Criminale*, & *Mixtum*. Iudicium *Civile* est illud, in quo Actor suum, vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causa ex contractu, sive ex delicto descendat, non agendo tamen super delicto, seu crimine. Iudicium *Criminale* e contra est illud, in quo agitur super Crimine ad publicam vindictam, seu pœnam publicam, sive ea corporis sit, sive pecuniaria applicanda Fisco, aut publici Officii privatio, & hujusmodi. Iudicium *Mixtum* est illud, in quo partim Civiliter, & partim criminaliter agitur, ut v. g. cum de crimine aliquo, uti de furto, & damno illato, agitur ad interesse partis, & simul ad vindictam publicam. A causa materiali, seu ratione materiæ controversæ Iudicium dividitur in *Petitorium*, & *Possessorium*. Iudicium *Petitorium* est illud, in quo principaliter disceptatur de rei proprietate, Dominio, vel quasi dominio; vel de Iure aliquo in re, vel ad rem competente, ut si res vindicetur, hæreditas petatur, actio empti, depositi, commodati, aut alia similis intentetur. Iudicium *Possessorium* e contra est illud, in quo non de proprietate, vel dominio rei, sed de sola possessione, seu quasi possessione ejusdem contenditur, sive adipiscenda, sive retinenda. A causa formali, seu ratione formæ in ipso servatæ dividitur Iudicium in *Ordinarium*, & *Summarium*. Iudicium *Ordinarium* [quod appellatur etiam *plenarium*, seu *Solemne*] est illud, in quo Iudex cum ordinaria figura, strepitu Iudicii 8 9 10 11 12

plenarie, & solemniter, servatis omnibus requisitis solemnitatibus, procedit juxta plenum, & totale præscriptum Iuris. Iudicium *Summarium* [quod appellatur etiam *Extraordinarium*] est illud e contra, in quo Iudex simpliciter, vel summarie, & de plano, sine ordinario, & solemni strepitu, ac figura judicii, sola facti veritate inspecta, procedit; *Clement. Dispendiosam 2. de judiciis, & Clement. Sæpe contingit 2. de verbor. significat. & l. Nec quicquam §. De plano ff. De Offic. Proconsul.*

12 In Judicio, seu Processu *Summario*, quamvis possint omitti illæ solemnitates, quæ jure solum positivo requiruntur; Non tamen omitti possunt illæ, quæ jure naturali, aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariæ, ut colligitur aperte ex *cit. Clement. Dispendiosam 2. de judiciis, & cit. Clemen. Sæpe contingit 2. de verb. significat.* & tenet

13 Communis Doctorum. Prima pars conclusionis ostenditur inductione allegando textum *cit. Clement. Sæpe contingit*, ubi Clemens V. determinans; & declarans, quid in judicialibus Commissionibus, quæ fiunt a Principe, vel a jure, significent hæc verba, scilicet, quod *procedatur simpliciter & de plano, & sine strepitu, & figura judicii*, seu summarie, dicit: *Nos autem dubitationem hujusmodi (quantum Nobis est possibile) decidere cupientes, hac in perpetuum valitura Constitutione sancimus, ut Judex, cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam Feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo; partium Advocatorum, & Procuratorum contentiones, & jurgia; testiumque superfluam multitudinem refrænando.* Et infra post alia multa, subdit: *Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie, partibus) in scriptis, & (prout magis sibi placuerit) stans, vel sedens proferat etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, & probatione, & aliis actitatis in causa fuerit faciendum.*

14 Secunda pars Conclusionis, scilicet, quod in judicio, seu Processu Summario non possint omitti ea, quæ de jure naturali, aut gentium, sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, colligitur etiam clare *ex cit. Clement. Sæpe contingit, de verbor. significat.* ubi Clem. V. inter alia sic statuit: *Non sic tamen Judex illum abbreviet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur; Citationem vero, ac præstationem juramenti de calumnia, vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi, intelligimus non excludi.* Unde ex istis, & ex aliis, quæ ibi subjungit Pontifex, aperte colligitur, quod in judicio, seu Processu Summario nequeunt a Judice omitti ea, quę de jure naturali, aut gentium, sunt necessaria ad legitimam causæ decisionem, quia, si talia a Judice omitterentur, veritas occultaretur, & sic justa sententia sequi non posset.

15 Judicium Summarium in duplici causarum genere solet potissimum institui, scilicet in causis, quæ celerem requirunt expeditionem; *Clement. Dispendiosam 2. de judiciis*, & in causis, quæ sunt modici valoris, & levis momenti; *Authent. Nisi breves*, & ibi Glossa, Bartolus; Baldus, *Cod. de sentent. ex brevicul. recitand.* Causæ celerem expeditionem requirentes sunt præsertim illæ, quæ recensentur *in cit. Clement. Dispendiosam 2. de judiciis*, ibi: *Dispendiosam prorogationem litium, quam interdum ex subtili ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire; restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus, ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super Dignitatibus, Personatibus, Officiis, Canonicatibus, vel Præbendis, seu quibusvis Beneficiis Ecclesiasticis, aut super Decimis . . . Nec non super Matrimoniis, vel Usuris, & eas, quoquomodo tangentibus ventilandis procedi valeat de cetero simpliciter, & de plano, ac sine strepitu judicii, & figura.*

16 17 Sic etiam summarie decidi solent causæ Pauperum, Pupillorum, Viduarum, Carceratorum, aliarumque miserabilium personarum; *Authent. de Mandatis Principum §. Sit tibi quoque Collat. 3.* Item causæ alimentorum; *l. 2. ff. de Feriis.* Sicut & causæ spolii, Depositi, Mercedis, & Forensium, seu Peregrinorum; Engel. *lib. 2. decret. tit. 1. num. 12.* Reiffenstuel *ibid. num. 48.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei dist. 9. a num. 166.* & alii. Item causæ Religiosorum; *cap. Olim 26. de accusationibus*, Reiffenstuel *loc. cit. num. 48.* Maranta *l. cit. num. 170. & 171.*

18 Causæ modici valoris, & levis momenti diversimode assignantur a Doctoribus, ut notat Glossa *in citat. Authent. Nisi breves*. Alii enim censent esse modicam, & levem causam, quæ est usque ad quinquaginta aureos, *arg. l. 1. Cod. de Defensoribus Civit.* Alii autem putant illam esse modicam, & levem, quæ est usque ad trecentos aureos, *arg. Authent. De Defensoribus Civit. §. Et judicare Collat. 3.* Vel usque ad decem libras auri, *arg. Authenth. de Appellationibus §. Illud Collat. 3.* Alii tandem melius supradictis docent modicitatem, & levitatem causarum dijudicandam esse prudenti arbitrio Judicis juxta diversam qualitatem Personarum, quia una causa v. gr. centum aureorum, quæ inter homines mediocris fortunæ censeretur magna, inter duos Principes, vel valde Divites reputatur modica; Sic Glossa, & Bartolus *in cit. Authent. Nisi breves*, Reiffenstuel *loc. cit. n. 50.* Maranta *loc. cit. dist. 9. num. 189.* cum pluribus aliis ibi citatis.

19 Causæ judicio Summario tractandæ, possunt etiam non contradicentibus partibus, tractari, & decidi judicio Ordinario, & Solemni, textu expresso *in cit. Clement. Sæpe contingit 2. de verb. significe. §. final.* ibi: *Si tamen in præmissis casibus solemnis Ordo judiciarius in toto, vel in parte, non contradicentibus partibus, observetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus.* Si tamen judicium, quod

20 ex sui natura fuisset Summarium, ex Actoris electione redditur Ordinarium, tunc sententia prolata, non servatis solemnitatibus juris, erit nulla, & invalida, quia, ex quo Actor sub sponte elegerit, & adhibuerit judicium Ordinarium, cum posset tenere Summarium, sententia debet proferri sub pœna nullitatis secundum præscriptas solemnitates in tali judicio Ordinario, & solemni observandas; Card. de Luca *tom. 3, disc. 1. de judiciis num. 12. & 53.* Reiffenst. *loc. cit. num. 51.* & alii. Sententia enim prolata in judicio Or-

21 dinario, & solemni, non servatis solemnitatibus a jure præscriptis, & requisitis, est nulla; *l. Prolatam Cod. de sentent. & interlocut. omnium judicum, c. In causis 19. de sententia, & re judicata*, Card. de Luca *loc. cit. num. 11. & 12.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 43.* & alii. Valida autem est sententia,

22 prolata in judicio Summario, quamvis non servatis plerisque solemnitatibus a jure positivo requisitis, sint observatæ illæ, quæ jure naturali, aut gentium ad legitimam causæ decisionem sunt necessariæ; *cit. Clement. Dispendiosam 2. de judiciis, & est alia Clement. Sæpe contingit 2. de verb. significe.* & patet ex dictis *supra num. 12. & 13.* Sic Barbosa *in d. Clement. Sæpe contingit num. 1. & seq.* Reiffenstuel *l. cit. num. 41.* Maranta *part. 4. Speculi Aurei dis. 9. num. 9. & seq.* & alii communiter.

Judicium extra casum necessitatis, & pietatis nequit 23 exerceri diebus Feriatis, sive sacris, sive prophanis, *l. 1. ff. de Feriis, l. Si Feriatis ff. eod. & l. 2. Cod. eod. cap. Omnes dies 1. & cap. Conquestus 5. de Feriis.* Dicitur notanter *sive* 24 *sacris, sive prophanis*; quia Feriarum tres sunt species, scilicet Feriæ Sacræ, Rusticæ, & Repentinę. *Feriæ Sacræ* 25 *sive solemnes* sunt illæ, quæ ob reverentiam, & cultum Dei principaliter sunt institutæ, ut sunt omnes dies Festi de præcepto, de quibus fit mentio *in cit. cap. Omnes dies 1. & cit. cap. Conquestus 5. de Feriis*; & præsertim in Bulla Urbani VII. incip. *Universa*. *Feriæ Rusticæ* (quæ etiam vocantur neces- 26 sariæ) sunt illæ, quæ ob necessitates hominum præsertim ruri laborantium, instituuntur, uti sunt Feriæ Messium, & Vindemiarum, de quibus fit mentio *in cit. cap. Conquestus 5. de Feriis §. ultim. & in l. 1. ff. De Feriis*. *Feriæ Repentinæ* sunt 27 illæ, quæ non ex certa, & stabili Lege constituuntur, sed extra consuetum ordinem repente, & subito indicuntur, ut solet fieri ob coronationem Principis, aut ejus adventum, vel ob insignem victoriam de hostibus reportatam; *l. Sed & si §. Si Feriæ ff. Ex quibus causis majores &c.* Item propter hostilitatem, vel grassantem publicam luem, aut similem causam extraordinariam, & tales repentinas Ferias solus Princeps, non autem Judex auctoritate propria indicere poterit; *leg. A nullo Cod. de Feriis*.

Prohibitio exercendi Judicium diebus Feriatis extenditur 28 ad omnes judicii partes, quæ regulariter sunt tres. Prima 29 est inchoatio causæ per Rei citationem præsertim executivam per apparitorem, sive Nuntium facienda, cum spectet ad actus judicii, ut patet *ex cap. Quoniam 11. de probationibus*, ibi: *Qui fideliter universa judicii acta conscribant, videlicet citationes, dilationes &c.* nequit ex rigore juris fieri diebus Feriatis, ut expresse tenuit Rota *in causa Sononien. liberationis a Fidejussione 9. Febr. 1607.* apud Farinacc. *lib. 2. dec. 233. num. 4.* & tenent Baldus *in l. Cum Clericis num. 3. Cod. de Episc. & Cle-*

ricis, Lanfrancus *tract. de Cit. at. num. 18.* Reiffenstuel *lib. 2. Decret. tit. 9. num. 54.* Abbas *in c. Conquestus 5. de Feriis num. 20.* Fagnan. *ibid. num. 56.* allegans praxim, & aliam decisionem Rotæ, quæ est *decif. 365. num. 1. part. 3. recent.* & alii *arg. cit. c. Conquestus 5. de Feriis, & l. ult. Cod. eodem* ubi videtur, actus iste specialiter fuisse prohibitus his verbis: *Nulla quemque urgeat admonitio, Præconis horrida vox fileat.*

30 Secunda pars judicii est Processus, qui fit per causæ cognitionem, examinatis, & juratis Testibus, exhibitisque litteris probatoriis, & hæc pars judicii, cum sit vere, & proprie actus judicialis, prohibetur fieri sub pœna nullitatis diebus Feriatis, *c. Omnes dies 1. & cap. Conquestus 5. de Feriis, l. 1. de Feriis jurisjurandi Cod. de Testibus* cum similibus, & sic

31 tenet *Communis Doctorum*. Tertia est sententiæ prolatio, ejusque executio, & hæc pars judicii cum sit propriissime actus judicialis, prohibetur, expresse fieri diebus Feriatis sub pœna nullitatis, *cit. cap. Omnes dies Cod. eodem* cum similibus, & tenet *Communissima Doctorum*.

32 Judicium adeo prohibitum est exerceri Feriis Sacris, ut neque de consensu partium possit in ipsis valide exerceri, textu expresso *in cap. Conquestus 5. de Feriis*, ibi: *Quibus utique solemnibus Feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque adeo convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec Processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari*. Et sic tenet *Communis Doctorum*. Et ratio est, quia Feriæ Sacræ, utpote in honorem Dei institutæ principaliter concernunt cultum Divinum, cui partium consensu renuntiari, & præjudi-

33 cari nequit. Item neque de consensu partium potest judicium exerceri Feriis Repentinis, quia istæ Feriæ respiciunt potius publicum, quam privatum partium favorem; *arg. l. Omne dies, Cod. de Feriis*. Pacto autem, seu consensu privatorum nequit derogari favori, ac juri publico, *c. Si diligenti 12. de foro competenti, l. Jus publicum ff. de Pactis*, Glossa *in Clement. Sæpe contingit*, de verb. *significat. verb. Ob necessitates*. Abbas *in cap. Omnes dies 1. de Feriis num. 11.* Fagnan. *in cap. Conquestus 5. de Feriis num. 7. & sequent.* Reiffenstuel *lib. 2. decret. tit. 9. de Feriis num. 32.* Speculator *eod.*

34 *tit. §. Nunc videamus num. 1.* & alii. Potest tamen de consensu partium exerceri judicium Feriis Rusticis, textu expresso *in cit. cap. Conquestus 5. de Feriis*, ibi: *Licet Diebus Feriatis, qui gratia Vindemiarum, vel Messium. ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate*; & concordat *l. Omnes Judices Cod. de Feriis, & l. 1. ff eod.* Et ratio est, quia tales Feriæ concessæ sunt principaliter in gratiam privatorum, ne scilicet occasione judicii præpediantur a commoditate colligendi fruges suas; iis autem, quæ in sui gratiam sunt concessa, seu introducta, possunt partes libere renuntiare, textu expresso *in l. Si quis 29. Cod. de Pactis* ibi: *Cum sit Regula juris antiqui omnes licentiam habere iis, quæ pro se introducta sunt, renuntiare.*

35 Omnibus Feriis, sive Sacris, sive Repentinis, sive Rusticis potest exerceri judicium ratione necessitatis, aut pietatis; *Communis*. textu expresso *in cit. cap. Conquestus 5. de Feriis*, ubi a generali prohibitione exercendi judicium diebus Feriatis, excipiuntur duo præmissi casus his verbis expressis;

36 *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*. Hinc ratione necessitatis, sive publicæ, sive privatæ, possunt tunc expediri causæ, quæ celeritatem requirunt; ut si res propter dilationem peritura esset, v. gr. si oriatur controversia circa collectionem fructuum cæteroquin perituroram, vel circa capturam piscium raro, aut certis solummodo diebus apparentium, *arg. cap. Licet 3. de Feriis, & l. Solet ff. eod.* Sic causæ respicientes alimenta necessaria possunt expediri diebus Feriatis, cum talibus alimentis indigeamus omnibus diebus, *l. Publicas cod. de Feriis*. Item diebus Feriatis potest procedi contra Malefactores, & facinorosos Latrones, quia ex captura facinorosorum hominum sequitur purgatio Provinciæ, & salus, & securitas plurimorum innocentium. Item diebus Feriatis potest carcerari debitor suspectus de fuga, ut notat Glossa communiter recepta *in l. ultim. Cod. de Feriis* ibi: *Nisi timeatur de recessu*. Sic de primo ad ultimum ratione necessitatis possunt diebus Feriatis exerceri omnes illi actus judiciales, qui ob defectum Testium, seu Judicis, aut alterius impedimenti nequeunt exerceri aliis diebus. Et ratio est, quia ex *cap. Quod non est 4. de Regulis juris*: *Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum*, & ut expresse habetur *in cap. Sicut 11. de consecr. dist. 1. Necessitas non habet*

Legem, & concordat *c. Quoniam 13. caus. 1. q. 7. cap. Omnes 1. de Feriis, cap. Consilium 2. de observat. jejunior. cap. Consuluisti 3. de celebrat. Miss.*

Ratione pietatis possunt diebus Feriatis exerceri actus judi- 37
ciales pro causis debilium, vel miserabilium Personarum, quia sic suadet pietas, & in operibus pietatis, & misericordiæ non est habneda distinctio dierum, *arg. cap. Utinam omni tempore 11. dist. 76. & cap. Nunquam 33. de consecrat. dist. 5.* Et sic tenet Glossa *in cit. cap. Conquestus 5. de Feriis, verb. Pietas*, Speculator *tit. de Feriis §. Sequitur num. 1. & sequent.* Hostiensis *in Summa tit. de Feriis num. 4.* & alii communiter. Item diebus Feriatis ratione pietatis tractari possunt causæ, quæ ad Religionem spectant. Nam *Summam esse rationem, quæ pro Religione facit*, patet ex *Lege Sunt Personæ ff. de Religiosis, & sumptibus funerum*. Et de facto diebus Festivis solent judicari, & puniri Hæretici ad majus aliorum tunc confluentium terroris exemplum. Item ex motivo pietatis possunt diebus Feriatis tractari, & definiri ea, quæ spectant ad pacem, & concordiam, *l. ult. Cod. de Feriis*.

In causis summariis, seu de plano tractandis potest exer- 38
ceri judicium tempore Feriarum Rusticarum, textu expresso *in Clement. Sæpe contingit 2. de verbor. significat.* ibi: *Sancimus, ut Judex, cui taliter causam committimus . . . tempore etiam Feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure, procedere valeat*, Et sic tenent Doctores communiter. Non 39
potest tamen judicium exerceri in causis Summariis extra casum necessitatis, aut pietatis tempore Feriarum Sacrarum, & Repentinarum; Glossa communiter recepta *in cit. Clement. Sæpe contingit*, verb. *Ob necessitates*, de verbor. *significat.* Abbas *ibid. num. 28. & 29.* & alii pallim argumento a sensu contrario desumpto *ex cit. Clementina Sæpe contingit*; ibi enim causæ Summariæ permittuntur solum tractari, & definiri *Tempore Feriarum ob necessitates hominum indultarum a jure*, quales sunt Feriæ Rusticæ, sive Messis, atque Vindemiarum, aliæque ad mitigandos calores æstivos concessæ, adeoque secus ei dicendum de Feriis Sacris, & Repentinis ibi non expressis, & non exceptis, quia exceptio unius firmat Regulam in contrarium, *l. In iis, quæ ff. de Legibus*; & Glossa *ibid.* expresse ait: *Exceptio a Regula firmat Regulam in aliis*; sive *exceptio firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis*, ut inquit Fagnan. *in cap. Illa num. 31. Ne Sede vacante*; & late probat Barbosa *Axiomat. 85. num. 4.*

Novæ additiones ex aliena manu.

DE Judiciis tametsi haud parce disserat *Auctor*, libet tamen pauca, sed ordine servato habere.

Judicium non male definitur: *Ordo judiciarius, quo coram* 1
Judice competente causæ controversæ disceptatio inter Actorem, & Reum legitime peragitur, ut sententia lis finiatur, & suum cuique tribuatur.

De judicii divisionibus agit hic *Auctor*, sed congruentius 2
Bohemer. Introduct. in jus digest. lib. 5. tit. 1. num. 2. & seq.

Quatuor in omni Judicio considerandæ sunt. Primum est, 3
legitima pertractatio secundum ordinem præscriptum, ne nullitas in Processu lateat, *leg. 4. Cod. de sentent. & Interloc.*

Hinc non est incongruum inquirere, utrum Judicium a 4
citatione, an a litis contestatione initium capiat. Hæc autem tot obtinet distinctio. Quantum ad fundandam Jurisdictionem Judicis, initium Judicium capit a citatione, ac propterea inducit citatio prævention em, & litis pendentiam. Quantum vero ad litigantes, nonnisi a litis contestatione initium 5
capit Judicium, *Stryk. in usu moderno Pand. lib. 5. tit. 1. §. 4.*

De antiqua forma litis contestationis adhibitis Testibus fa- 6
ctæ videri possunt *Vultejus de judic. lib. 3. cap. 1. n. 7. & 55. Obrechtus de litis contestat. cap. 5. num. 2. & sequent.* De hodierna vero litis contestatione confer *Bohemer. Introduct. in* 7
jus digestorum lib. 5. tit. 1. num. 5. & plur. sequent.

Plures vero sunt effectus litis contestationis, qui citationi tribui nequeunt. *Primo*, enim malam fidem inducit. 8 9
Secundo, impedit mutationem libelli. *Tertio*, constituit Pro- 10
curatorem dominum litis. *Quarto*, inducit quasi contractum, 11
novationemque. *Quinto*, [quod est consectaneum præce- 12
dentis effectus] facit actiones ad hæredes transitorias, & temporales perpetuas. *Sexto*, pertinet post contestationem 13
litis omnis cauta, & utilitas rei ad officium Judicis. *Septimo*, 14
dilatorias excludit exceptiones. Adi de his, & aliis effectibus *Stryk. in usu moderno Pandect. lib. 5. tit. 1. §. 4. Bohemer. Introduct. in jus digestorum lib. 5. tit. 1. num. 10.*

Alterum.

Alterum in omni Judicio considerandum est *legitima Judicis persona, coram quo Processus peragitur*. In omni autem Judice, *primo* requiritur *habilitas*. Inhabilitas autem vel est naturalis, vel civilis, & civilis vel est absoluta, vel secundum quid, consule *Bohemer. Introduct. in jus digestorum lib.5. tit.1. num.12.* qui rem exemplis illustrat.

Secundo in Judice requiritur *Integritas*, ut præstet officium viri boni. Quocirca permissum est litigantibus Judices suspectos recusare. An vero integrum Collegium recusari possit, non conveniunt DD. Sunt qui affirmant, si maxima pars Collegii sit suspecta, *Strauch. dissert. Juris Public. 13. Mev. part.1. decis.194. fere per tot.* Sed id restringunt ad inferiora Tribunalia, *Vultejus de Judic. lib.2. cap.7. num. 206. Plum. in Process. Camera tit.25. §.1. Sed fateor* [inquit *Stryk. in usu moderno Pandect. lib.5. tit.1, §.11.*] *omnino publicæ rei salutem exigere, ne facile recusentur Summa Tribunalia, quod si tamen legibus probata causa adsit non video, quid recusationi obstet.*

Quod attinet ad modum proponendi recusationem; Jure civili in libello recusationis suspicionem generaliter allegare sufficit, præstito tamen juramento calumniæ. At Jure Canonico causa in libello exprimenda. Cognitio vero de illa vel coram arbitris expeditur, vel ad superiorem devolvitur; *Bohemer. Introduct. in jus digestorum lib.5. tit.1. n.14.*

Pertinet huc etiam Juramentum perhorrescentiæ Jure Canonico introductum, quod hujus efficaciæ est, ut illo præstito quis coram illo Judice, apud quem litigare perhorrescit, se sistere non teneatur, sed causa ad Superiorem devolvatur. Vide de hoc perhorrescentiæ juramento *Feliman. in tractatu ita inscripto*.

Requiritur tertio in Judice *competentia*, quæ duplex, tum respectu Jurisdictionis, ut habeat illam Jurisdictionis speciem, ad quam pertinet causa controversa; tum respectu reorum ex quorum persona ordinarie competentia Judicis æstimatur.

De hoc autem Foro competente intuitu reorum consulendus præ ceteris *Voet. in comment. ad Pandect. lib.5. tit.1. fer. per tot.* qui materiam pro dignitate tractat.

Tertium in omni Judicio considerandum concernit *legitimam litigantium Personam*, idest Actorem, & reum. Actor in judicio dicitur, qui quod sibi debetur persequitur; Reus vero, qui contra Actoris persequutionem se defendit, ejusque elidit intentionem.

In Actore, primo requiritur, ut habeat is *legitimam Personam standi in judicio*. Hanc non habent Servi, Excommunicati, Banniti, Majores Magistratus, durante officio, Minores, & Pupilli absque Curatore, vel Tutore, Prodigi, & Filifamilias; *Bohemer. Introduct. in jus digestorum lib.5. tit.1. numer.* 39. Monet vero *idem Auctor loco mox citato*. Majores Magistratus hodiernis moribus, durante etiam officio agere posse; Tum monet Filiosfamil. in peculio Castrensi, & quasi Castrensi libere agere posse, in peculio vero adventitio extraordinario agere debere consentiente Patre, si Pater potuisset usumfructum acquirere, & in peculio adventitio ordinario Patrem ipsum agere debere, Filio consentiente.

Tenet *Groenvveg. de legib. abrogat. lib.5. digestor. tit. 1. leg.4.* posse hodie Filiosfam. ex quacumque causa contra Patres agere, *non obstante Patriæ potestatis vinculo. At Stryk. in usu moderno Pandect. lib.5. §. 33.* sententiam hanc temperat, si de illis bonis quæstio sit, quorum ususfructus Patri non competit, vel etiam de bonis maternis, Patre ad secunda vota transeunte.

Nec aliquid hac in re innovavit Jus Canonicum *in cap. 11. de sponsalib.* In eo enim causam singularem esse, ubi Pater Uxorem filii detinet, ex contextu apparet, quo casu, ut & omni alio ubi manifesta Patris injuria, nec hodie beneficium implorandi auxilium Judicis filio denegandum.

Secundo in Actore requiritur, ut ipse *volens, & sponte agat*. Tribus vero casibus ad agendum compelli quis potest. *Primo*, si alterius ex jure perfecto interfit alterum agere, vide *leg.8. in fine ff. de optione legata, leg. 2. §. penult. & ult. ff. ad leg. Rhodiam de Jactu, leg. 13. §.30. ff. de Actionibus empti. Secundo*, si quis ad agendum teneatur ex officii necessitate, ut Tutor, Curator &c. *Tertio*, si quis ad agendum provocetur per remedia, quæ *ex leg. Diffamari, Cod. de Ingenuis & manumiss., & l. Si contendat ff. de Fidejuss.* usu forensi trahuntur. Huc etiam pertinet provocatio creditorum moto concursu,

Qui agere in Judicio haud possunt, regulariter nec Actores esse queunt, si excipiantur excommunicati, & Banniti, ne alias beneficio afficiantur. Id vero nota quoad Reos alium pro alio conveniendum haud esse, nisi *primo* aliquis nexus subsit. *Secundo*, aliquando per Indirectum Jus pignorationis, vel repræsaliarum adhibeatur, de quarum requisitis alibi agendum.

Quartum, considerandum in omni Judicio respicit *qualitatem causarum peragendarum*, quæ varii sunt generis, alterantque ipsum Processum, imo & Forum. Interest autem, ut justo ordine, uti plures concurrunt, proponantur. In his autem Regulis fundatur ordo. *Primo*. præcognosci illa debent, sine quibus cætera intelligi haud possunt; uti sunt causæ præjudiciales, *Tertius de ordine causarum in Jud. tract. §.2.4. & sequent.* Hæ si in causa principali incidenter moveantur, tandiu principalis ipsa causa sistitur, donec judicatum de incidente sit ab eodem Judice, tametsi alias cognoscere de ea principaliter haud valeat, *leg. 14. Cod. de Testib. leg.1. Cod. de ordin. Judic. Secundo* in illis, quæ non cohærent, aut ab altero dependent, proponendum est præstantius. Inde fit, ut criminalis mota ab Actore terminanda sit præ civili a reo mota, *Tertius ubi supra §. 13. & sequent.* Eadem de ratione quæstio a Fisco mota circa rem suspendit privatam actionem de eadem motam, *leg.35. ff. de Jure Fisci. Tertio*, præparatoria primum tradenda, deinde principalia. Atque hinc est, quod causæ possessionem ante controversiam de proprietate sint finiendæ, nisi in petitorio res sit aperta.

JUDICIUM TEMERARIUM, SUSPICIO, ET DUBITATIO.

Hæctria, scilicet, Dubitatio, Suspicio, & Judicium inter se defferunt. *Communis ac certa*, & patet ex earum difinitionibus, quæ mox dantur. Dubitatio enim non est verus assensus, sed veluti suspensio animi in neutram partem se determinantis, ac veluti in anciputi hærentis. *Est in re communis*. Suspicio est assensus debilis junctus cum formidine oppositi. *Est in re communis*. Hæc suspicio, alia est levis, alia gravis, & alia violenta. Suspicio levis est, quæ assensum valde debilem, multum vero dubitationis, vel formidinis de oppositi habet. Suspicio gravis, seu vehemens est, quæ plus assensus, & minus formidinis, vel dubitationis de oppositi habet. Suspicio violenta (quæ *in cap. Ex litteris 12. de præscriptionibus* appellatur *violenta, & certa suspicio*) est, quæ plurimum assensus, & valde parum, vel vix aliquid dubitationis, vel formidinis de oppositi continet, adeoque pertingit ad integram persuasionem, seu credulitatem ex conjecturis, seu indiciis haustam. Judicium est plenus, & firmus animi assensus, vel credulitas. *Est in re communis*.

Judicium aliud est prudens, quando scilicet nititur sufficientibus indiciis, seu conjecturis ad generandum firmum assensum de alterius probitate, vel improbitate. Aliud vero est imprudens, seu *Temerarium judicium*, quando scilicet insufficientibus indiciis, seu conjecturis non innititur. Et sic dubitatio & Suspicio est prudens, si innititur, & temeraria si non innititur sufficientibus ad rationabiliter dubitandum, vel suspicandum indiciis, seu conjecturis. *Communis*.

Indicia sufficientia ad judicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio, vel crimine alterius, sunt verbi gratia videre hominem noctu accedere ad domum suspectam, vel infamem, aut inde exire. Videre hominem noctu admotis scalis tentare aperire fenestram alicujus domus, & hujusmodi. Indicia autem insufficientia sunt videre hominem honestum, & alias bonæ famæ clara die transire per talem domum, vel plateam, ubi femina infamis habitat. Videre hominem clara die coram vicinis, & transeuntibus palam admovere scalam, tentare, aperire fenestram alicujus domus, & hujusmodi, quia licet possit quis possitis, & visis primis indiciis prudenter judicare, vel suspicari, quod unus fuerit adulter, & alter fur; non sic tamen positis, & visis solum secundis indiciis, cum potius, tunc debeat prudenter judicare talem non animo adulterandi, sed alio justo, & honesto fine dictam domum, vel plateam transire, & alium non animo furandi sed ob aperiendam propriam domum, non aliter, propter amissam clavem, sic de facili aperibilem, quam admota scala fenestram ascendere. Generatim igitur illa dicuntur indicia sufficientia ad judicandum, suspicandum, vel dubitandum de vitio, vel crimine alicujus, quando cumque illa ex se, vel communi

communi usu hominum sunt ut plurimum conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, suspicatur, vel dubitat. Illa autem dicuntur indicia insufficientia, quæ ex se, vel communi usu hominum sunt indifferentia; aut raro conjuncta cum tali effectu malo, de quo quis judicat, suspicatur, vel dubitat.

Judicare, suspicari, vel dubitare de alterius vitio, vel crimine prudenter, & ex sufficientibus indiciis, seu motivis, quæ scilicet habent aliquam moralem connexionem cum tali vitio, vel crimine, per se loquendo nullum est peccatum. *Communis*, cum Layman *lib.3. tract.3. part.2. cap.2. num.4.* Lugo. *disp.14. sect.2.* Azor. *part.5. tib.3. cap. 11. q.3.* Sporer *tom.2. tract.5. in VIII. præcept. Decalog. cap. 4. num.25.* Reinsentluel *Theol. Moral. tract. 6. dist.6. qu.6. num.59.* Et ratio est, quia proximus amittit jus suæ famæ, & bonæ existimationis respectu illius hominis, cui ejus vitium, seu crimen sufficientibus indiciis proponitur, unde iste taliter dubitando, suspicando vel etiam judicando, neque peccat contra caritatem proximi, neque contra justitiam, *arg. cap. Quod suspecti 15. caus.3. q.5. & cap. Suspicionis 39 de Officio Delegati* cum similibus, ubi licite, ac juste ob legitima indicia, nunc judices, nunc Testes, aliique possunt recusari.

Judicium temerarium absque sufficientibus indiciis de vitio, vel crimine proximi in materia gravi deliberate conceptum est peccatum ex genere suo mortale. *Communis* cum S. Thoma 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. & colligitur aperte ex verbis Christi *Matthæi 7. & Lucæ. 6. Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini*, ubi de judicio temerario sermonem esse patet ex contextu. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est* (peccatum grave) *non consideras?* Et Sanctus Jacobus Apostolus *in sua Canonica cap.4.* conjungit judicium temerarium cum Detractione: *Qui detrahit Fratri, aut qui judicat fratrem suum, detraxit Legi, & judicat Legem*; Detrahere autem proximo in materia gravi est peccatum grave, adeoque &c. Tum quia hoc patet ratione; Nam quisque habet jus ad famam, seu bonam existimationem sui apud quemcumque hominem, donec per sufficientia signa innotescat, seu demonstretur malus, juxta illud: *Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus, arg. cap. In cunctis 12. caus.11. q.3. cap. Mandata 6. & cap. Dudum 16. de Præsumption.* ergo gravem ei injuriam infert, qui temere absque sufficientibus indiciis firmam de ipsius improbitate concipit sententiam, eumque in corde suo condemnat, adeoque graviter peccat.

Ut autem tale judicium sit peccatum mortale, tres requiruntur conditiones. Prima, quod judicium *sit in materia gravi*, quæ materiæ gravitas, vel levitas attendi debet, vel ex ipsa substantia materiæ, vel ex qualitate personæ. Unde defectu gravitatis materiæ, veniale erit judicare de Paulo furtum unius julii, & ratione qualitatis personæ, veniale erit judicare de juvene parum honesto, quod transeat per aliquem locum ad inhonesta. Secunda, quod *judicium sit firmum, & plene deliberatum*, quia si judicium non sit firmum, & quasi pro moraliter certo conceptum, erit sola suspicio; & si non sit deliberatum cum pleno consensu voluntatis, erit vel sola prima apprehensio de improbitate proximi, vel solus actus judicii imperfecti, *non* sufficiens ad peccatum mortale. Tertia, quod *judicium sit ex levibus, & insufficientibus indiciis, seu conjecturis*; quia, si judicium sit ex gravibus, & sufficientibus indiciis, seu conjecturis, *non* erit temerarium, sed prudens, ut patet ex dictis *supra num.5.* Hinc, quia raro omnes tres allatæ conditiones una simul interveniunt, raro judicium temerarium est mortale; una enim ex ipsis deficiente, judicium temerarium non est mortale, *Communis*.

Suspicio temeraria de proximi vitio, seu crimine ex genere suo est peccatum veniale tantum. *Communis*, cum S. Thoma 2. 2. *q.* 60. *art.* 3. & indicat etiam S. Augustinus *tract. 99. in Joann.* dicens: *Si suspiciones omnino vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen absit, definitivas, firmasque sententias continere debemus*. Et ratio est, quia per suspicionem temerariam, etsi aliqualiter lædatur fama, seu bona existimatio proximi; non tamen simpliciter, & graviter, sed secundum quid, & leviter tantum, cum suspicio sit solum levis assensus de vitio, seu crimine proximi cum actuali dubitatione, seu formidine de oppositi. Potest tamen suspicio temeraria evadere peccatum mortale per accidens, ut si oriatur ex maligno affectu, aut conjuncta sit cum gravi odio, vel contemptu proximi. Si quis ex tali temeraria suspicione in effectum externum malignum, aut damnum proximi procedat, ut si ex sola suspicione Judex Reum condemnaret, Superior subditum puniret, aut ab Officio amoveret; Si ratione talis Suspicionis, quis alicui suffragium in electione negaret, aut eum a consecutione alicujus notabilis boni impediret. *Communis*.

Dubitatio temeraria positiva de vitio, vel crimine alterius per se loquendo est solum peccatum veniale *Communis* cum Lessio *lib. 2. cap. 29. dub. 8.* Layman *loc. cit. num. 6.* Sporer *loc. cit. num.* 34. Et ratio est eadem, quæ de suspicione, & a fortiori, quia minus lædit famam proximi dubitans solum, num sit malus, quam etiam suspicans esse malum. Dubitatio enim temeraria positiva in hoc solum consistit, quod quis, habitis sufficientibus indiciis, ex quibus posset, ac deberet judicare aliquem esse bonum, ille omisso hoc judicio ex aliis leviusculis indiciis, seu conjecturis, vel motivis, positive dubitet, seu judicet esse dubium, & incertum an sit bonus? adeoque, si per se loquendo suspicio temeraria est solum peccatum veniale, quia famam, seu bonam existimationem proximi parum lædit, a fortiori per se loquendo erit solum peccatum veniale *dubitatio temeraria positiva, quia minus* famam proximi lædit. Dubitatio autem temeraria negativa de vitio, seu crimine proximi nullo modo est peccatum. *Communis* cum citatis Doctoribus. Et ratio, quia per talem dubitationem nulla prorsus injuria infertur proximo; Dubitatio enim temeraria negativa in hoc solum consistit, quod quis oblata sibi cogitatione de bonitate, vel malitia proximi, omne judicium, omnemque suspicionem, & dubitationem positivam ex defectu motivi, & rationis circa ipsius bonitatem, vel malitiam suspendat, quod cum nullimode sit ei injuriosum, nullum pariter erit peccatum (a).

JURAMENTUM.

ARTICULUS I.

Juramentum quoad ea, quæ concernunt ejus esse, divisionem, & modum licitum, seu illicitum jurandi.

Juramentum est invocatio tacita, vel expressa Divini Numinis, tamquam primæ, & infallibilis veritatis in testem alicujus rei; *Est in re communis*. Juramentum dividitur in Assertorium, & Promissorium; Ita Scotus *in 3. dist. 39. q. unica*, & *communis aliorum*. Juramentum Assertorium est illud, quo simpliciter sine aliqua promissione aliquid affirmatur, vel negatur; *Est in re communis*. Juramentum Promissorium est illud, quod ad confirmationem promissionis, seu contractus, aut pacti alicujus corroborationem adjicitur; *Est etiam in re communis*.

Juramentum, tam assertorium, quam promissorium dividitur in Juramentum simplex, & in juramentum solemne. *Juramentum simplex* est, quod fit per simplicem Divini Numinis invocationem, vel contestationem in confirmationem rei assertæ, vel promissæ. *Juramentum solemne* est, quod per certam verborum formulam, vel corporalem alicujus rei V. G. Sancti Evangelii attactum, perficitur coram legitimo Superiore ut majorem auctoritatem, & æstimationem habeat, quale potissimum solet fieri in Judiciis, in Professione Fidei, in Homagiis, ac Juramento Fidelitatis, & hujusmodi; *Sic in re communis Doctorum*.

Rursus Juramentum dividitur in Juramentum contestativum, execrativum, & comminatorium. *Juramentum contestativum* est illud, quo Deus simpliciter ut testis invocatur. *Juramentum execratorium*, seu *imprecatorium* est illud, quo jurans sibi ipsi, vel aliis sibi caris, & ad ipsum pertinentibus mali quidpiam a Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit, vel promittit. *Juramentum comminato-*

(a) Judicium temerarium, Ne timorem omnem peccandi mortaliter fratrem judicando abjicias, meditare, Lector, præceptum charitatis erga proximum, Christique monitum Joan.7. 24. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum Judicium judicate*. Videsis Antoine de Just. & Jure part. III. cap. 5.

rium

rium est illud, quo juratis comminando promittit alicui malum pœnæ, ut V. G. *Per Deum ego te verberabo. Per Deum ego te occidam*, & hujusmodi.

7 Juramentum potest fieri quatuor modis, scilicet Mente, Nutu, Facto, & Verbo. *Mente* fit juramentum, quando intra animum aliquid affirmatur, vel negatur, Deusque in confirmationem invocatur velut testis. *Nutu* fit juramentum, quod alicui dicitur, Jura per Deum, & ipse oculis, vel capite annuit. *Facto* fit juramentum, quando aliquis oblatum sibi ad jurandum Evangelicum tangit. *Verbo* fit juramentum, quando aliquis dicit, vel scribit V. G. *Juro*, in iis tamen circumstantiis, in quibus sic intelligitur Deus vocari in testem.

8 Ad Juramentum, ut sit licitum, requiruntur tres conditiones, tamquam Comites ipsius, nempe *Veritas*, *Judicium*, & *Justitia*; habetur expresse *ex Jeremiæ 4. Jurabis: Vivit Dominus in Veritate, Judicio, & Justitia. Veritas* in hoc consistit, quod res sit vera, aut ex gravi ratione, vel bona fide putetur vera, aut ex gravi ratione, vel bona fide putetur vera, & sic veracissimi Numinis testimonium non adducatur in attestationem falsi, seu mendacii, alioquin esset perjurium, & gravissimum peccatum. *Judicium*, seu Judicii discretio in hoc consistit, quod juramentum non fiat sine necessitate, gravi causa, aut utilitate, sed cum prudenti intellectus consideratione, ac pia, & reverenti voluntatis affectione. *Justitia* in hoc consistit, quod res sit licita, & honesta, & sic æquissimi Numinis testimonium non adducatur in confirmationem rei iniquæ, & peccato obnoxiæ.

9 Juramentum factum cum omnibus dictis conditionibus nullum est peccatum: imo est potius actus virtutis Religionis; Sic S. Thomas 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 4. asserens tale juramentum esse actum Religionis, sive Latriæ; *est Communis Theologorum, & Canonistarum*, & habetur clare *ex Deuteronomio 6.* ibi: *Dominum tuum timebis, ac per nomen ejus jurabis*, & *ex Psal. 62.* ibi: *Laudabuntur omnes, q ui jurant in eo*, cum 10 similibus Juramentum tamen, cui deest prima conditio, scilicet *Veritas*, est semper peccatum mortale. Nec hic excusat levitas materiæ, quia sive hæc sit gravis, sive levis; sive seria, sive jocosa, æqualiter tamen repugnat Deo testificari falsum, & tale Juramentum dicitur perjurium cum gravi in Deum irreverentia, quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit: aut possit de-
11 cipere testando falsum; *Communis*. Juramentum, cui deest secunda conditio, scilicet *Judicium*, ut plurimum est peccatum veniale tantum; potest tamen fieri mortale ratione pravæ, & scandalosæ consuetudinis jurandi sine necessitate, & utilitate, & ratione negligentiæ ad tollendam talem pravam consuetudinem. Unde consuetudo incautè jurandi graviter perstringitur in Sacra Scriptura, *ut Ecclesiastici cap.* 23. ibi: *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa*, & iterum ibidem: *Vir multum jurans implebitur iniquitate*, cum
12 similibus; *Communis*. Juramentum, cui deest tertia conditio scilicet *Justitia*, potest esse grave, vel leve juxta gravitatem vel levitatem materiæ. Et sic, qui jurat facere rem solum venialiter malam (a), aut vanam, vel inutilem, seu frivolam peccat solum venialiter, quia ibi levis tantum irreverentia in Deum censetur, Qui vero jurat se facturum rem mortaliter malam, ut se aliquem occisurum, peccat mortaliter, quia est gravis irreverentia, divina auctoritate se ad peccatum mortale quasi obligare, in quo duæ sunt malitiæ specie distinctæ, una contra proximi caritatem, qua vult alteri malum, altera contra Dei reverentiam, qua ad illud abutitur auctoritate Dei odientis omne malum; *Communis*.

Jurare cum restrictione non purè mentali, sed aliquo suf- 13
ficienti modo externata, est licitum, & excusat a mendacio, & perjurio in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis jus, seu debitum ad occultandum secretum; La Croix *lib. 3. par. 1. num. 286. & sequent.* Viva ad propositionem 27. damnat. ab Innocentio XI. *num.* 3. Felix Potestas *tom. 1. par. 2. num. 1731.* Reiffenstuel, Layman, Lessius, Cardenas, & Sporer *tom. 1. tract. 3. in 2. præceptum Decalogi cap. 1. num.* 104. ubi testatur de communi. Et ratio est, quia talis locutio externa, quamvis non facile ab audiente percipiatur, tamen quantum est ex se habet significationem conformem conceptui interno mentis loquentis, ut enim conjuncta signis, vel circumstantiis humano modo cognoscibilibus est significativa integræ propositionis mentalis, etiam illius partis, per quam verificatur locutio, locutione autem vera licite juratur, si adsit justa, & rationabilis causa jurandi. Tum quia talis restrictio non pure mentalis non est facta animo decipiendi, sed occultandi secretum, ad quod occultandum, seu celandum habet jus, seu debitum, ut supponitur, adeoque non includit mendacium, nec perjurium, cum sit ex gravi, & rationabili causa.

Hic ad clariorem intelligentiam advertendum venit, quod 14
duplex est restrictio mentalis. Una *pure mentalis*, & alia *non pure mentalis*, sed aliquo sufficienti modo externata. Restrictio *pure mentalis* est, quando tota propositio, spectatis omnibus circumstantiis, prout exterius profertur, est absolute falsa, in mente autem proferentis aliquid subintelligitur, per quod, si ab audiente perciperetur, fieret vera, attamen illud subintellectum nullo prorsus signo externo manifestatur, neque in illius cognitionem humano modo veniri potest, ut, V. Gr. si Petrus interroget Paulum, an hodie viderit Franciscum? & Paulus respondeat; *Non vidi*, & in mente subintelligat, *Non vidi in foro, cum tamen viderit Dominus sine*. Restrictio illa est pure mentalis, quia ex nullis circumstantiis prudenter colligi poterat Petrum interrogare Paulum de visione Francisci in foro, aut Paulum de illa respondere. *Restrictio non pure mentalis*, seu restrictio realis, & externa est, quando propositio, spectatis quidem præcise verbis, unum de se absolutum significatum habet; sed ex circumstantiis, & adjunctis habet aliud ad illam spectans, & in mente proferentis retentum significare, ita tamen, ut per illas circumstantias, vel per aliud signum exterius consignificetur illud, quod in mente proferentis retinetur: Dantur enim quæ-

(a) Falsum videtur Romanis Censoribus peccare tantum venialiter hominem, qui rem malam se facturum juret, quæ tamen venialem tantum culpam involvat, aut saltem minus probabilis opinio, quam tutò sequi non valeamus; horum judicio facilè assentior, etsi probe scio, plures esse Auctores qui cum Ferrario sentiant; Moveor vero ad id statuendum, primum quia longe pejus est jurare, sive Deum in testem vocare promissionis de re mala, quam facturi spondemus, quam jurare de re honesta, vel indifferenti sine ulla necessitate, quod tamen sine veniali culpa fieri non potest. Deinde qui se peccatum veniale committurum jurat Deum invocat ad suum propositum roborandum, confirmandumque; promissio enim idcirco Divini testimonii auctoritate munitur, ut firmior, & immobilior evadat, Quid vero injuriosius Deo esse potest, quam infinita ipsius nominis majestate abuti, quam ipsius auctoritatem in præsidium iniquitatis adhibere? Rursus qui sine animo jurandi jurat, graviter peccat, qui juramento abutitur. Sed hoc pejor abusus est, quo quis juramento utitur ad confirmandam iniquitatem. Præterea si jures sine animo committendi veniale illud peccatum; graviter peccas ex communi sententia, quia perjurus es, scilicet, quia Deum vocas in testem falsi; cur vero si jures cum vero animo peccatum veniale perpetrandi, venialiter dumtaxat delinquens? Aboreris enim juramento, quod res sacrosancta est, cujus finis est confirmatio veritatis; profanas Sanctum Dei nomen, dum illud assumis, atque convertis in vinculum iniquitatis; Deum infinitè Sanctum in peccati venialis testem invocando adducis tamquam fidei jussorem, & approbatorem illius; testes enim adhibentur, ut id approbent, quod suo testimonio confirmant.

An non hæc maximam Deo irrogatam injuriam redolent? Et quis dicat, levem tantum esse in Deum irreverentiam? Scio Adversarios reponere, Jurantem non intendere Deum ad approbandam iniquitatem inducere, atque id lubenter fateor; nam si id expresse intenderet, blasphemus in Deum foret. Sed facto id illum præstare dicimus, dum Dei testimonio utitur. Nec magis urget aliorum responsio, qui ajunt, Jurantem non teneri nisi sub veniali, evitare peccatum veniale. Id sane verum est; at sub gravi culpa tenemur abstinere ab invocatione Divini testimonii in confirmationem iniquitatis, etiam minimæ, quia malitia quæcumque, etsi minima, summopere Deo repugnat; ac summa Deo injuria fit, dum ad confirmandum propositum perpetrandæ iniquitatis *invocatur*. Hæc adnotanda duximus, tum ut doctissimis Censoribus morem gereremus, tum etiam ut Lectores sciant, quanta esse debeat Confessariorum diligentia in impediendis hujusmodi Juramentis.

quædam circumstantiæ; & signa externa, quæ ex se habent verba limitare, & consignificare cum illis: locutio namque non fit solis verbis, sed etiam completur ex circumstantiis personæ loci, temporis, & negotii, de quo agitur, ac ex signis externis. Ut proinde locutio possit secundum se esse falsa, sed quatenus simul cum circumstantiis consignificat, possit esse vera; V. G. quamvis Judex privata scientia sciat aliquem esse reum; nihilominus, si pro Tribunali sedens dicat ipsum esse innocentem, ejus dictio, & assertio potest esse vera, quia circumstantiæ illæ significant talem haberi a Judice innocentem juridice, seu secundum allegata, & probata; Sic Christus Dominus dicens *Joann. 7. Ego autem non ascendam ad diem festum hunc*, verissimum dixit, quamvis ascenderit, quia ex circumstantiis verba illa denotabant se non ascensurum publice ad ostendendam miraculis suam Divinitatem, ut rogabatur. Item hæc propositio *Peto linguam bovis*, si proferatur in Macello, significat linguam carneam animalis, si vero proferatur in pharmacopeo significat herbam, quæ dicitur *lingua bovis*. Item hæc propositio: *Petrus non est in triclinio* potest esse vera, quamvis sit in triclinio, sed ibi non comedat, si sumatur ly *non est* pro *non comedit*, & sic de similibus. Unde circumstantiæ loci, temporis, personæ, & signa externa possunt consignificare aliquid in mente retentum, licet verba præcise id non manifestent, adeoque restrictio non pure mentalis, sed externata, & amphibologia, seu æquivocatio per verba, aut signa externa per se æquivoca est licita, etiam cum juramento in omnibus casibus, in quibus ex justa causa habet quis Jus, vel debitum ad occultandum secretum. Vide *verb. Mendacium a num.* 13. *ad* 21.

Hinc Confessarius, quamvis interrogetur a Tyranno, an ali- 15
quid sciat, ut Confessarius, ex scientia Sacramentali de peccato pœnitentis poterit etiam cum Juramento asserere se nihil scire etiam spectata tali scientia Sacramentali, retinendo in mente *ad dicendum*, quia, cum Confessarius habeat jus, imo strictissimum debitum ad id non revelandum, ex tali circumstantia apparet verba ista proferri a Confessario, quatenus homo est, & scientia extra Sacramentali, relate ad quam vere nihil scit, quod spectat ad scientiam Sacramentalem. Et in hoc sensu communissime Sacri Interpretes docent locutū esse Christum Dominum, quando *Marci* 13. loquens de Judicii adventu dixit. *De die illo, vel hora nemo scit; Neque Angeli in Coelo, neque Filius hominis*. Licet enim Christus Dominus, non solum qua Deus, sed etiam qua homo diem universalis Judicii vere sciret, quia tamen illum nesciebat qua Legatus Patris, & Doctor hominum, cujus muneri notitia illa demandata non fuerat, & diem illum ignorabat ad publicam notitiam, & scientiam communicabilem, quam discipulorum interrogatio requirebat, & ex circumstantiis luculenter apparebat verba illa de tali notitia, & scientia communicabili fore accipienda, ideircovere, & absolute dixit se diem illum nescire (a).

(a) Circa restrictiones mentale, videantur, quæ annotata sunt tom. 1 verbo *Accusatus*; ubi plura refutata sunt, quæ in hoc articulo a Ferrari repetuntur; Sed hic uberioris cognitionis causa, primum nonullas regulas, deinde nova proferemus adversus latas opiniones argumenta.

Primo, extra controversiam est, restrictiones mentis, quæ & absolute, & circumstantiis inspectis, intra mentem sistunt, nullo modo ab audiente percipi queunt, fuisse ab Ecclesia proscriptas, tamquam mendacia. Et, licet quidam scribant esse prohibitum usum earumdem dumtaxat *a tutto passo*, idest continuum; id tamen ceu falsum omnino, & proscriptum reprobamus.

Secundo, certum est, aliquam locutionem esse falsam secundum se, veramque fieri ex circumstantiis interrogationis. Puta, si Confessarius roget Titium confitentem peccata sua, an forniçationem, furtum, aliaque peccata commisisset, & Titius neget, vera responsio est licet aliquando illa commiserit, & confessus eadem fuerit. Quia ex circumstantia confessionis externæ, & realis, in qua sola peccata commissa, & nondum confessa, panduntur, juxta communem intelligentiam interrogatio est de his solis peccatis. Quare Titius respondens se eadem peccata non commisisse post ultimam confessionem, ad mentem respondet Confessarii. Similiter, si Petrus interrogatus a servo, sollicite per vicos & plateas dominum suum requirente, an illum viderit, respondeat, se non vidisse; quamvis heri, alioque tempore millies illum viderit, vera est responsio; quia ex circumstantia externa sollicitæ, & anxiæ inquisitionis patet ejus interrogationem esse de visione sui domini hic & nunc, itaut ex responsione deprehendere queat, ubi nunc reperiatur. Et, si Petrus responderet famulo, se heri vidisse dominium illius, famulus sibi illudi existimaret. Hæc autem vera sunt juxta communem omnium intelligentiam, ac proinde licita. Porro in hoc errant Recentiores plurimi, quod ex his peculiaribus casibus inferant regulam universalem, ut jam jam explicabimus.

Amphibologica locutio ea est, quæ varios patitur sensus, quamque qui loquitur, aliter intelligat, ac intelligendum prospiciat ab illo, qui audit; ea tamen intelligi ab eodem potest, vel certe valet alter advertere esse ambiguam orationem; adeoque aliis interrogationibus urgere potest respondentem ad probandam veritatem, V. G. quando Abraham dixit, Saram Sororem esse suam: Si Pharao advertisset ad illud verbum *Soror*, intellexisset esse verbum æqui vocum, aliasque esse sorores ex patre, alias ex fratre, vel nepote; & hac via incedere potuisset ad cognendum Abrahamum, ut veritatem manifestaret, si manifestabilis fuisset absque peccato.

Tandem certum est, nunquam licitum esse uti amphibolia sine justa causa (id omnes fatentur) quando loquens utitur oratione amphibologica in sensu, quem non percipiendum confidit ab audiente. Si enim utatur amphibolia in eo sensu quem credit, & prospicit intelligendū ab audiente; tunc non est proprie amphibolia, quia qui ad mentem, & juxta intentionem interrogantis loquitur, & respondet: candidè, & sincerè loquitur, nullaque esse de peccato suspicio potest. His præmissis, quæ nobis videatur vera sententia proponitur.

Licitum est locutione amphibologica, seu æquivocatione, quæ aut vi verborum, aut ratione circumstantiarum, juxta communem intelligentiam, plures excipit sensus intelligibiles ab audiente, veritatem occultare; sed non semper hæc amphibolia occurrit, neque semper sufficit ad occultandam veritatem, potissimum dum interrogans urget, ut sine æquivocatione loquamur: propterea alia via occultanda sunt secreta, quæ absque peccato revelari nequeunt.

Hæc nostra sententia duplici constat membro, Primum nihil peculiare continet, nec video ab aliquo negari posse. Constat enim & exemplis allatis, & pluribus ex ipsa Scriptura adducendis, licitam esse illam æquivocationem, quæ sensus plures patitur ab audiente aut vi verborum, aut circumstantiarum ratione intelligibiles: quia reipsa talis locutio habet hos varios sensus, juxta communem hominum intelligentiam; quamquam non semper quilibet audiens advertat ad sensum quem loquens intendit: quod contigit ex ejusdem audientis oscitantia, aut hebetudine. Quando autem vel crimen, vel secretum, vel quodpiam aliud factum, occultandum ex justitia, aut charitate, excipiat locutionem amphibologicam, seu verba æquivoca, non potest a nobis definiri, neque certa regula præscribi: Sed quisque in praxi consulere sibi am conscientiam debet, ad veritatis regulas respiciendo; Ita docet Sotus *lib. de tegen. sec. memb.* III, *q.* III. *concl. 7. Interim tamen, si percunctetur quis, quibus amphibologiis poterit se miser tueri, non possumus illas figillatim colligere; sed pro sua quisque peritia, & prudentia illas poterit excogitare.*

Secundum sententiæ nostræ membrum ad punctum præcipuum, ac quasi dixerim, unicum præsentis quæstionis spectat, atque declarat. Illud adversatur communi doctrinæ recentiorum, qui, ut diximus supra, quia populare volunt semper & custodiam sigilli, & conservationem vitæ, volunt quoque semper, & pro quacumque veritatis alicujus momenti occultatione, adesse amphibologicas locutiones, quibus veritas occultetur. Neque enim ipsi ex natura ipsius peculiaris facti, quod reipsa æquivocationem suscipit, inferunt licite adhiberi posse amphiboliam exteriorem; sed absolute statuunt, quodcumque factum, seu crimen, & quamcumque veritatem non manifestabilem admittere æquivocationes externas, hoc ipso, quod veritas non debeat manifestari, & communicari. Nos contra dicimus, aliqua facta sua natura admittere æquivocationem, seu verba duplicis potestatis, aut sub talibus circumstantiis interrogationes aliquando fieri, quæ plures sensus habere possint: & tunc affirmamus licitum esse, justa urgente causa, occultare veritatem beneficio locutio-

16 — Sic Secretarius Regni ad occultandam veritatem, & servandum sibi impositum sigillum poterit uti amphipologia, aut æquivocatione, aut restrictione non pure mentali etiam cum juramento. Idem dicendum est de Uxore adultera a Mari

cutionis amphibologicæ, ab audiente, si advertat, intelligibilis. Exempla rem manifestabunt. Abraham amphibolia occultare potuit licite matrimonium: quia revera Sara soror illius non ex matre, sed ex patre erat: quæ consanguinitas apud Hebræos sufficiebat ad fororis veram appellationem. Quod si tali consanguinitatis vinculo juncti non fuissent, minime tali amphibolia celare matrimonium potuisset. Christus dixit: *Ego autem non ascendam ad diem festum istum*: quia revera erant plures dies festi, & primus celebrior erat atque solemnior, ad quem invitabatur Christus: qui sincere respondit, ad illam solemnem festivitatem se non ascendere, quia nondum tempus suum advenerat; tacuit vero suum ascensum occultum post alios dies faciendum, quando tempus suum impletum jam esset.

Dum Sacerdos, qui simul est Confessor interrogatur an sciat homicidium, aut aliud delictum perpetratum; sincere & vere respondet, se illud ignorare, quamvis illud in Confessione audierit: quia juxta communem intelligientiam omnium Christianorum non interrogatur, ut Confessor, sed ut ceteri homines. Hæc omnia paucioribus verbis explicat P. Dominicus Soto, qui, ut mea præfert opinio, præ omnibus Theologis controversiam hanc felicius versavit, & ad Ecclesiæ mentem proximius sua doctrina hac in materia accessit. Inquit ergo *de teg. sec. memb.* III. *quæst.* III. *concl.* 7. *Si verba non occurrunt, quibus per æquivocationem, usu hominum receptam, citra mendacium celari possit crimen, mori debet, antequam mentiatur . . . Dicta Sanctorum contendunt, ut prohibeant responsa per verba, quæ nullum possunt facere verum sensum, secundum significationem usu receptam: quippe quæ non possent a mendacio ulla ratione excusari.*

Clarius explicatur discrimen, quod nostram inter, & recentiorum opinionem intercedit. Recentiores, ut vidimus, non ex facti natura, neque ex circumstantiis revera extrinsecus advenientibus, quæ veritatem ipsam, ut sic dicam, afficiant, sed ex causis, seu damno quod manifestationem veritatis consequitur, inferunt, restrictiones non esse pure mentales. Exempla rem manifestabunt. Uxor adultera vitam amittit, si adulterium marito, pugione districto illam impetenti, fateatur. Dicunt ipsi, mulierem adulteram uti posse amphibolia, aut duplici scientia communicabili, & incommunicabili, aut verbis nihil significantibus, ut mortem evadat. Nostra tententia cum D. Augustino oppositum asserit. Causæ enim quæ obligant ad celandam veritatem, omnino disparatæ sunt ab ipsa locutione; adeoque perperam adducuntur tamquam circumstantiæ externæ, vi quarum sensus in mente retentus fiat exterior. Si hoc namque verum esset nullæ forent restrictiones pure mentales: quoniam Auctores illarum nonnisi ob graves causas illas propugnabant; & tamen nemo illorum dixit, quod causæ istæ constituant illas restrictiones exteriores. Hoc inventum excogitarunt Scriptores (quod magnopere advertendum est) post propositiones damnatas. Ut enim declinarent Pontificias censuras, restrictiones mere mentales, non mere mentales, sed exteriores appellare cæperunt. Et si ab illis quæras, cur appellentur exteriores; respondent, quia hic & nunc manifestatio veritatis infert grave damnum, violat vel justitiam, vel charitatem. Facile enim illis est hanc, cæteroquin falsam, doctrinam fuco linire; Quia, ut explicando nostram sententiam adnotavimus, revera dantur aliquæ restrictiones externæ, non ob causas occultandi veritatem; sed quæ ipsam afficiunt locutionem, & factum quod sub locutione cadit: ut patet in Confessario, cujus personalis dignitas circumstantia vere externa est, quæve determinat locutionem; & in responsione Abrahami, & Christi Domini non ascendentis ad solemnitatem primi dici. Et hæc est fere unica occasio errandi recentioribus, qui ex uno casu peculiari, puta Confessarii, cum similis non datur, inferunt regulam universalem, quâ statuunt, omnes veritates summi momenti, omniaque secreta occultanda esse amphibologico sermone, nulla facta consideratione, utrum factum, seu crimen occultandum excipiat nec ne formam amphibologicum, suppeditetque vocabula æquivoca; ut matrimonium occultandum suppeditavit Abrahamo verbum æquivocum *fororis*. Sed unicè considerant consectaria mala, quæ manifestatio veritatis parit; & ex hoc principio inferunt, restrictiones non esse purè mentales. Quod eodem recidit, ac si dicerent, in gravi, vel extrema necessitate mendacia non esse mendacia, restrictiones purè mentales, non esse purè mentales. Quemadmodum siquidem antiqui defensores mendaciorum excusabant locutionem Raab negantis reperiri hospites in domo sua, & filii negantis patrem extare domi, & adulteræ negantis adulterium se commisisse, ob mortem vitandam; sic illi eandem omnino locutionem absque exteriori addito excusant: cum hoc tamen discrimine, quod antiqui in mendaciorum defensione sinceri erant, mendacia appellantes mendacia, sed venia digna, quia ob necessitatem prolata; illi vero volunt, necessitatem efficere, ut illa locutio non sit mendacium, sed amphibolia externa, eo quod interdum revera dantur locutiones amphibologicæ, ut exemplis productis constat.

Placet, quæ dicta sunt confirmare auctoritate celeberrimi *Caramuelis*, qui Theol. fund. Tom. II. num. 805. pag. mihi 182 *Est mihi, inquit, innata aversio contra restrictiones mentales. Si enim continentur intra terminos puritatis, & sinceritatis, necessariæ non sunt. Nam omnia, quæ ipse præstare possunt, præstabunt configurantes circumstantiæ. Quod si tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes, (ignoscant mihi earumdem auctores, & propugnatores) tollunt humanam societatem, & securitatem, & tamquam pestiferæ damnandæ sunt: Quoniam semel admissæ operiunt omni mendacio, omni perjurio viam. Et tota differentia in eo erit, ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet, sed nomen, ita ut hodie jubeatur* Restrictio mentalis *nominari, quod est virus condire saccharo, & scelus specie virtutis colorare.* Adeo hæc perspicua sunt, adeo luculenta, ut nulla cavillatione implicari valeant. Caramuel ipse, qui in laxanda evangelica, & naturali lege palmam ceteris præcipuit, haud potuit tam manifestæ veritati oculos claudere. Quæ olim mendacia, post restrictiones *pure mentales*; & quæ olim restrictiones pure mentales, jam *restrictiones externæ* appellantur.

Ex iis, quæ diximus, variæ pro praxi eliciuntur regulæ. *Prima est.* Si factum quod sub sermone cadit, non admittit suapte natura verba æquivoca, quæ juxta communem intelligentiam varios excipiant sensus, absolute ab audiente intelligibiles, nullo modo licitum est respondenti ex necessitate occultandæ veritatis uti his locutionibus, *Nescio illud factum*, ideest *ut manifestabile*, *Non feci*, subintelligendo, *ut tibi illud revelem*; vel *Nescio illud*, subintelligendo *scientia communicabili*: *Non habeo pecunias*, subintelligendo ad tibi dandas. Hæ omnes locutiones, quas universaliter adhibendas statuunt Probabilistæ ad occultandam veritatem, quæ revelata grave incommodum pareret, sunt absolute restrictiones pure mentales ab Ecclesia damnatæ, seu sunt pura putaque mendacia.

Secunda Regula. Aliquando factum, supra quod cadit interrogatio, admittit locutionem amphibologicam, vel quia persona respondens gerit munus duplicis personæ, ut Confessarius, Secretarius *Principis* &c. de quibus infra, quæ sunt circumstantiæ revera externæ; vel quia conditio peculiaris illius facti subministrat responsioni verbum æquivocum: & tunc licita est, gravi causa impellente, amphibolia.

Tertia Regula. Locutiones amphibologicæ, licet interdum satis sint ad occultandam aliquam veritatem interrogatoribus obtusis, aut iis quorum parum refert eam scire; sæpe tamen ineptæ sunt ad occultandam veritatem magni momenti interrogatoribus vafris, & versipellibus, qui æquivocationem deprehendere valent, atque respondentem ad incitas redigere, ut præcise respondeat. Quid ergo tum agendum? Infra declarabo.

Quarta Regula. Quando sagax interrogator æquivocam, seu amphibologicam responsionem deprehendit, urgetque respondentem, ut præcise, & candide respondeat, ut omittat amphibolias, & restrictiones omnes, non potest respondens uti amphibolia reflexa usque in infinitum, ut docent recentiores plurimi: sed debet repellere injustum interrogatorem modo infra explicando.

Quinta Regula. E præcedenti regula clarissime constat, recentiores præfatos restrictiones pure mentales, & consequenter

Marito interrogata ad necem, an commiserit adulterium? Et sic de *aliis similibus casibus, in quibus datur gravis, &* *Biblioth. Ferrar. Tom. IV.*

rationabilis causa permittendi alterius deceptionem passivam, salva veracitate loquentis; dummodo juramentum addatur

I i 2 sem-

quenter mendacia docere. Tantum siquidem abest, ut eorum locutio amphibologica externa sit; quin ita interna est, ut audiens nullo excogitabili modo possit vi talis locutionis deprehendere sensum loquentis. Hic enim ita restringit, & claudit intra mentem sensum suum, ut juret se nulla uti æquivocatione, quemadmodum docent communiter recentes Probabilistæ cum Sanch. lib. III. cap. VI. num. 45.

Sexta Regula. Quando quis utitur amphibolia in sensu quem confidit non perceptum iri ab audiente, quem tamen perciperet, si adverteret; non intendit illius deceptionem, sed occultationem veritatis, quam custodire tenetur, deceptionem vero audientis solum permittit.

Septima Regula. Ut omnes causas necessarias ad licitum usum amphiboliæ externæ perspectas habeas, eas adquatuor capita redactas ob oculos pono. Prima, quod justa, & gravissima causa urgeat. Secunda, quod respondens non teneatur ex justitia, aut religione, aut obedientia veritatem nude patefacere; sed jus habeat illam celandi. Tertia, quod veritatis occultatio ita prosit loquenti, ut nulli noceat. Quarta, quod verba vi sua, aut vi circumstantiarum referant sensum loquentis, intelligibilem ab audiente, si advertere velit.

Octava Regula. Ex hucusque dictis patet, non esse quæstionem de nomine, dum rationes impugnantur, quibus recentiores defendunt amphibologicas locutiones. Nam, si admittatur, verba privari significatione ex Reipublicæ consensu; aut licitum esse usum notitiæ communicabilis, & incommunicabilis, qualibet gravi urgente causa, respectu omnium personarum, & factorum; jam statuitur regula generalis, ob grave malum vitandum semper licitum esse veritatem celare media amphibolia, sive res, quæ narratur, aut occultatur, excipiat, sive non excipiat æquivocationem. Quod eodem recidit, ac si dicatur, mendacia licita esse, causa gravi urgente. Hoc vero assero ab Ecclesia damnatum fuisse. Igitur ibi tantum amphibolias admittimus, ubi revera, aut circumstantia vere externa personæ, aut factum ipsum verba æquivoca subministret, ipsamque locutionem ingrediatur; & amphibolia insuper talis sit, ut valeat ab acuto auditore deprehendi. Hoc autem non ita frequenter occurrit. Id solum potius de nomine est, num restrictiones mentis, quas plures etiam post Innocentium XI. defendunt, debeant aut mendacia, aut mentales restrictiones appellari. Nam restrictiones mentis ob gravissimas causas vitæ, honoris, rerum familiarium servandarum, ut mendacia, damnavit Pontifex Summus. Videant ergo quomodo censuram Pontificiam evadere queant illi qui scribunt, restrictiones mentis esse prohibitas *in quotidiano usu (a tuto pasto)* non ob graves causas.

Nona Regula. Quoniam hæc quæstio pluribus circumstantiis est subjecta, non potest statui regula generalis, & præcisa, quæ omnibus casibus valeat accommodari. Nos certe conati sumus & sententiam recentiorum suo in lumine collocare, & quæstionis statum exponere, & regulas, quoad fieri potuit, præcisas præscribere. Nihilominus adhuc multa declaranda supersunt, quæ sigillatim explicabimus dissertatione sequenti, in qua plurimos casus resolvemus ad hanc materiam attinentes.

Omnes Scripturæ textus, quos antiqui in mendaciorum favorem producebant, afferunt quoque recentiores, ut mentales propugnent restrictiones. Qui scripserunt ante Innocentium XI. eosdem omnino textus pro restrictionibus *pure* mentalibus allegabant, quos nunc pro restrictionibus *non pure* mentalibus laudant postremi Scriptores; quod satis esse deberet ad demonstrandum, ex præfatis textibus nihil neque in mendaciorum, neque in restrictionum mentalium favorem elici posse. Plurimos Scripturæ textus refert Caramuel in libro, qui inscribitur *Hapoletes*. Eos tantum nos recensebimus, qui negotium facessere possunt.

Objiciunt itaque I. Abraham Gen. XII. & XX. vocavit Saram sororem suam: *Soror mea est*: quæ tamen erat illius uxor. II. Idem Abraham cum ad montem pergeret, ut immolaret, sicut mandatum acceperat a Deo, filium suum Isaac, dixit ad pueros suos Gen. XXII. *Expectate hic cum asino: ego, & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*. III. Mentitus quoque videtur Jacob, cum se Esau simulavit, ut paternam assequeretur benedictionem Gen. XXVII. *Ego sum primogenitus tuus Esau*. IV. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, dum Pharaoni conquerenti, quod Hebræorum mares, ut ipse jusserat, non interfecissent, responderunt: *Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus . . . . . & quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos*. Exod. I. V. Mentitus videtur Angelus Tobiam alloquens his verbis: *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius* Tob. V:

Antequam ad singula respondeamus, cum D. Augustino advertimus, plurima in Sacra Scriptura haberi, quæ mendacia absolute videntur; attamen, ut inquit Augustinus, mendacia non sunt, sed mysteria; aut si mendacia, imitanda minime sunt. En verba D. Augustini *lib. contra mend. cap.* XV. adversus Priscillianistas: „ Ad te igitur pertinet, se„ dam detestabilem cum refellis, *sic accipienda monstrare* „ ista testimonia Scripturarum, ut vel docceas non esse, quæ „ putantur mendacia, si eo modo intelligantur, quo intelli„ genda sunt; vel imitanda non esse, quæ manifestum est es„ se mendacia. Ad ostendenda ergo, quæ putantur in Scri„ pturis esse mendacia, non ea esse quæ putantur, si recte „ intelligantur, non tibi parum adversus istos valere videa„ tur, quod non de Apostolicis, sed de propheticis litteris „ inveniunt velut exempla mentiendi. Illa enim, quæ nomi„ natim commemorant, ubi sit unusquisque mentitus, in„ iis libris leguntur, in quibus non solum dicta, verum etiam „ facta multa figurata conscripta sunt, quia figurate gesta „ sunt. " Hæc Augustini Doctrina satis esset ad solvendas omnes difficultates, quæ ex Sacra Scriptura opponi solent. Nihilominus tamen in majorem veritatis confirmationem ad singula responsum dabimus.

Igitur ad primum respondet D. Augustinus *lib. cont. mend. cap.* X. his verbis: „ Qui asserunt, aliquando esse mentiendum, „ non convenienter commemorant Abraham hoc feciſſe de „ Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit, non est „ uxor mea; sed dixit, *Soror mea est*: Quod erat revera „ tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod & postea jam sibi ab illo, qui abduxerat, ea „ reddita, confirmavit, respondens illi, & dicens: *Est vere soror mea, de patre, non de matre*, hoc est de paterno „ genere, non de materno. Aliquid vero veri tacuit, non „ falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem. „ Hoc & filius ejus fecit Isaac. Nam & ipsum novimus „ propinquam suam conjugem fuisse fortitum. Non est ergo mendacium, cum silendo absconditur verum, sed cum „ loquendo promitur falsum.

Ad secundum respondet idem Augustinus, nequaquam Abraham mentitum fuisse, sed prophetasse: certissime namque sperabat, Deum, qui paulo ante illi dixerat, *In Isaac vocabitur tibi semen*, eumdem Isaac mortuum suscitaturum, ut ipse D. Paulus declarat ad Heb. XI. „ Fide obtulit Abra„ ham Isaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, „ qui susceperat repromissiones, ad quem dictum est: Quia „ in Isaac vocabitur tibi semen: arbitrans quia & a mor„ tuis suscitare potens est Deus. " Quam interpretationem declarat Augustinus *lib. VI. de Civitat. Dei cap.* XXXII. „ Non „ dubitavit quod sibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non speratus.

Ad tertium idem Augustinus respondet *Lib. cont. mend. cap.* X. „ Jacob, quod matre fecit auctore, ut patrem fal„ lere videretur, si diligenter, & fideliter attendatur, non „ est mendacium, sed mysterium: quæ si mendacia dixe„ rimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ significanda„ rum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem ac„ cipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum, di„ centur esse mendacia: quod absit omnino. Nam qui hoc „ putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus po„ test hanc importare calumniam; ita ut hæc ipsa, quæ ap„ pellatur metaphora, hoc est de re propria ad rem non

„ pro-

semper restrictioni non pure mentali, sed externatæ, vel per signa externa determinata, vel per verba ex se æquivoca sufficientia ad internam restrictionem significandam; Sic communiter Doctores cum supra citatis *sub n.* 13.

Ita

„ propriam verbi alicujus usurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cum enim dicimus fluctuare segetes, gemmare vites, floridam juventutem, niveam caniciem, procul dubio fluctus, gemmas, florem, nivem, quia in his rebus non invenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus, ab istis mendacia putabuntur .... *Si autem non est* mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur; profecto non solum id quod fecit, aut dixit Jacob patri, *ut benediceretur*; sed neque illud, quod Joseph velut illudendis locutus est fratribus, nec quod David simulavit insaniam, nec cetera hujusmodi, mendacia judicanda sunt, sed locutiones, actionesque prophetic æ, ad ea quæ vera sunt, intelligenda referendæ, quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, ut sensum pie quærentis exerceant, & ne nuda, ac prompta vilescant. Item *lib. de Civ. Dei* XVI. *cap.* XXXVII. Quis est in ista benedictione percipienda dolus hominis sine dolo? Quis est dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? ‹ Multi tum ex antiquis, tum ex recentibus Scriptoribus docent, Jacob fuisse mentitum; Sed simul docent, qui catholici sunt, mendacium illud non esse imitandum.

Ad quartum respondet Augustinus *Lib. cont. mend. cap.* XV. „ Sed quod scriptum est bene Deum fecisse cum Ægyptiis obstetricibus, & Raab Hierichuntina meretrice, non ideo „ factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei „ misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata „ fallacia, sed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.

Ad quintum respondeo, Angelum Raphaelem homini s personam repræsentasse, & humano more locutum fuisse: neque enim Tobias, cum alloquens, Angelum, sed hominem reputabat: *Ignorans, quod Angelus Dei esset, salutavit eum. Tob. V. vers.* 6. Consequenter Raphael Tobiæ seniori interroganti: *Indica mihi de qua domo, aut de qua Tribu es tu*; respondit: *Ego sum Azariæ Ananiæ magni filius*. Quoniam, sicut personam præferebat humanam, ita quoque, & stirpem Israeliticam, & genus paternum ex illustri prosapia magni Azariæ absque mendacio referebat. Ananiæ autem potius, quam alterius filium se dixit, quia Ananias hebraice est, ut inquit Sanctes Pagninus, *donum, & miseratio, & glorificatio Dei*. Porro omnes Angeli sunt filii Dei. Ideo more humano loquens patrem allegavit, qui simul, & Tobiæ innotesceret, & cœlestem suam originem clauderet. Quare ejus locutio fuit, ut cum Augustino loquar, *non mendacium, sed mysterium*.

Quemadmodum enim Confessarius & hominis & Dei personam gerit; sic & Angelus, qui Dei legatione fungitur sub specie hominis. Et sicut Confessarius sine mendacio quædam proferre potest ut homo, & quædam ut Dei minister; sic & Angelus in humano commercio more humano loqui potest sine mendacio. Plurimos alios Scripturæ textus, quos expendit Augustinus, missos facio. Nam si quis etiam obfirmate contenderet, aliquem ex Sanctis Patriarchis mentitum fuisse; non ob id quidquam concluderet adversus nostram, & communem Catholicorum sententiam: quoniam tunc mendaciam rejiceremus, tamquam imitatione indignum. Lubet transcribere verba Augustini (a) *Lib. cont. mend. cap.* IX. *Unde constat, quod non omnia, quæ a Sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debeamus in mores: sed etiam hinc discere quam late pateat, & quousque perveniat quod Apostolus ait Gal. VI.* Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne & tu tenteris .... *In omnibus autem actionibus nostris maxime etiam bonos turbant compensativa peccata, ita ut nec peccata existimentur, si habeant tales causas, propter quas fiant, & in quibus videatur peccare potius, si non fiant*.

Non modo ex Veteri Testamento, sed etiam ex Evangelio aliqui objiciuntur textus in favorem restrictionum mentalium. Tres celebriores referam. Primus habetur *Joan. VII. vers.* 8. *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. Hæccum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderant Fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto*. Alium textum opponunt ex *Matth.* XXIV. *& Marc.* XIII. *vers.* 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*. Alium denique ex *Luca cap.* XXIV. *vers.* 28. *Et ipse se finxit longius ire*.

Antequam ad singulos textus responsum præbeam, cum D. Augustino animadverto, Christum Dominum plurima in Evangelio figurate, & sub parabolarum tegumentis locutum fuisse. Quæ vero imperitis mendacia videntur, mysteria sunt, figuratæque locutiones. Sed Augustinum audiamus *Lib. de mend. cap.* XXI. *Elucet itaque discussis omnibus, nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi numquam esse omnino mentiendum. Quandoquidem nec ulla exempla mendaciorum imitatione digna in moribus, factisque Sanctorum inveniuntur, quod ad eas attinet Scripturas, quæ ad nullam figuratam significationem referuntur, sicut sunt res gestæ in actibus Apostolorum*. Nam Domini omnia in Evangelio, quæ imperitioribus mendacia videntur, figuratæ significationes sunt.

Nonne omnes fatemur, Scripturæ textus plures excipere sensus, quorum alii clariores sunt, alii obscuriores sunt, alii spirituales, alii litterales? Hinc est, quod Deus, ut confusionem tolleret, statuit Ecclesiam suam esse supremum judicem, nulli errori obnoxium, qui decernat, definiatque legitimum, & genuinum sensum a falso. Quia vero extra hanc unicam Ecclesiam quisque sibi jus usurpat interpretandi Scripturas, quisque etiam propriam profitetur religionem, inter quos nullus ordo, nulla unitas, nulla Ecclesia, sed confusio, & maxima perturbatio. Porro si in nostris sermonibus licitum foret Sacros Scriptores imitari in usu figurarum, troporum, & allegoriarum, humanum commercium abrumperetur; omniaque confusa, & perturbata evaderent; & Respublica humana eligere supremum judicem, seu interpretem nostrarum locutionum deberet; sicuti Deus pro Scripturæ Sanctæ interpretatione designavit Ecclesiam. Verum, ut his incommodis occurreret, nobis in suo Evangelio formam locutionis in responsionibus adhibendam præscripsit his verbis: *Sit sermo vester: Est est, non non*. His præmissis, ad singulos textus respondeo.

Primus, qui opponitur, textus nullam præfert difficultatem, si integer consideretur. Nec opus est, ut ad textum græcum recurramus, in quo, loco *Non* legitur *Nondum ascendo*, ut observat Jansenius Gandavensis in sua *Concord. cap.* 73., & Erasmus ipse fatetur, exemplaria a se visa pro *non* habere *nondum*. Sed his non indigemus: quia sensus illius narrationis clarus, & obvius est. Siquidem Christus sciebat tempus passionis suæ nondum advenisse; prævidebatque fratres suos, seu consanguineos evulgaturos ejus iter in Judæam, si illud illis manifestasset; ac proinde Judæos ipsum ad mortem quæsituros. Hæc omnia ex textu prævio patent: „ Dixerunt autem ad eum fratres ejus; Transi hinc, „ & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant opera „ tua. Quid primum respondit Christus? Tempus meum „ nondum advenit; *vers.* 7. Porro addit *vers.* 8. Vos ascen„ dite ad diem festum hunc; ego autem non (vel secun„ dum græcum textum, qui primæ responsioni optime co„ hæret, nondum) ascendo ad diem festum istum. “ Dixit ergo Christus, *Non ascendo*, ut occultaretur, addit *istum*, ne mentiretur. Hæc interpretatio tota est Augustini sermon. 163. *nov. edit. num.* 7. *Hoc ergo ne illi prævenirent, & eum venturum esse nuntiarent, & præpararentur insidiæ*, Non ascendo, *inquit*, ad diem festum istum; *Dixit* non ascendo, *ut occultaretur*, *addidit* istum, *ne mentiretur*. *Aliquid intulit, aliquid distulit, nihil tamen falsi dixit*.

Hæc interpretatio adhuc clarior evadet, si & rationem, quam Christus allegat, & verba, quibus istum iter in Hierusa-

17 Ita qui ex præsumptione falsa interrogatur a Judice, non tenetur confiteri propositionem veram, ubi ista confessa, *condemnandus* esset *in foro externo de crimine*, vel debito, ad quod revera in foro conscientiæ non tenetur, & iste non solum coram Deo esset immunis a mendacio, sed etiam a perjurio, si cum juramento negaverit, vide *verb. Accusatus num.* 31. ubi pro hac affertur ratio, & adducuntur Doctores, & ibidem *sub num.* 33. 34. 35. adducuntur exempla ibi videnda, ne jam dicta repetantur.

18 Item, qui juramento interrogatur, an veniat ex tali loco, qui falso existimatur peste infectus? jurare potest, se inde non venire, subintelligendo *ex eo loco*, qualis existimatur, nimirum *peste infecto*; Navarrus, Tolet. Rodriquez, Suarez, & alii cum Sanchez, & Sporer *loco mox citando*. Imo multi, ut Toletus, Lessius, & alii cum Sporer *tom. I. tract.* 3. *in* 2. *præcept. Decalog. n.* 122. tenent, quod, quamvis talis locus esset vere infectus, si tamen celeriter transiens, certo crederet, se nihil inde luis contraxisse, adhuc jurare posset non transisse, utendo eadem restrictione, nimirum, *ut ab ipso periculum timeri debeat*.

19 Item, si Clericus, vel Religiosus sit coram seculari judice conventus, non solum ipse pro se, sed etiam alii pro ipso jurare possunt, eum nihil deliquisse utendo hac restrictione, *ut coram tali incompetente Judice deponi debeat: Communis*. Item, si Clericus, vel Religiosus, aut alia persona exempta a Gabellis solvendis interrogetur a Gabellario, an habeat, seu portet aliquid Gabellæ obstrictum; Jurare, potest se nihil tale habere, seu portare, utendo hac restrictione; *Nihil habeo, seu porto, ex quo Gabellam solvere debeam*; Ledesma Gobat cum Sporer *l. c. n.* 121. & alii passim, vide *verb. Accusatus n.* 42. ubi alia ad rem.

Item, si Cajus v. g. sit certe, & vere Creditor Titii in 20
mille, & Sempronius sit incerte, & dubie Creditor ipsius Caji pariter in mille; Ne Sempronius intret sequestrum, & pro se exigat mille, quæ debet Titius Cajo, ipse Cajus potest licite jurare se recepisse dicta mille a Titio, quamvis revera non receperit, sed solum habeat pro receptis, quia jus Caji in mille contra Titium est certum, jus vero Sempronii contra Cajum non est certum, sed dubium, seu Cajus habet aliunde jus non solvendi illa mille Sempronio; Unde Cajus habet jus reddendi totum omni meliori modo, quo potest, suum Creditum contra Titium: Quilibet enim habet jus tuendi suum omni majori securitate, qua potest, maxime si alia non ei suppetat via suum assecurandi, & licita utatur restrictione; ut patet in exemplis allatis *sub verb. Accusatus n.* 33. 34. & 35. Et sic expresse tenet cum aliis Tamburin. *t. I. lib.* 3.

rusalem narrat, consideraverimus. Porro hæc est ratio, cur Christus non ascendit; *Quia meum tempus*, inquit *nondum advenit*. Ecce quomodo ex verbis ipsius Christi manifeste colligitur, ipsum non negasse absolute, se profecturum in Hierusalem; Sed solum dixisse, se cum suis fratribus, & publico stipatum comitatu, nolo ascendere. Bis siquidem repetit, tempus suum *nondum* advenisse, seu *nondum* impletum esse; & relate ad hanc responsionis formam intelliguntur alia verba, *non ascendo*; quia nondum venit hora mea. Nonne ex hac responsione quilibet prudens colligit; Ergo ascendet, cum ipse judicabit tempus suum advenisse? Hæc omnia non vi alicujus restrictionis internæ, sed vi verborum manifesta sunt. Atque confirmantur, si advertamus festum Scenopegiæ, de quo nunc est sermo, pluribus diebus constasse, quarum prima solemnior erat. Negavit ergo Christus ad primam vel secundam diem, ad quam ibant ejus fratres, se ascensurum; & ideo dixit; *Nondum advenit &c.* Ascendit autem postea, nempe tertia, aut quarta die, *non manifeste*, sed quasi in occulto; quæ verba non cum sensum produnt, ut Christus in mente retinuerit illud *manifeste*, & quod illius responsio vera sit, attenta ejusmodi restrictione mentali, sicuti contendebant olim Auctores restrictionum *pure* mentalium, & nunc contendunt Auctores restrictionum earumdem, quas tamen *non pure* mentales oretenus aliqui vocant. Hæc falsissima interpretatio opponi ad summum posset, si eadem ipsa die ascendisset in templum Christus; aut nisi verbis externis declarasset se reipsa non ascensurum ad festum illud, ad quod fratres sui ascendebant. Immo, inquit Augustinus, non temere dixit, Vos ascendite *ad hunc* ego non ascendo *ad istum*; sed addit *istum*, ne mentiretur, indicans quod mentitus fuisset, si adverbium illud *manifeste* in mente retinuisset, nihil exterius addendo: & propterea addidit *istum*, ne mentiretur. Hæc omnia iterum evidenter confirmat Augustinus *tract.* 28. *in Joannem*: *Non ad hunc*, idest ad quem vos vultis, primum, vel secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur, *mediato die festo*, idest cum jam illius diei festi *tot dies præteriissent*, quod remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant; Hæc est unica & germana interpretatio, quæ naturaliter ex sensu litterali profluit. Quoniam Christus respondit juxta mentem potentium, qui poscebant, ut ascenderet secum palam. „ Transi „ hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera „ tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & „ quærit ipse palam esse. Si hæc facis, manifesta te ipsum „ mundo. “ In sensu ergo interrogantium respondit Christus se non ascendere; sicuti si dixissent, *Veni nobiscum*, & responderet *Nolo*.

Ad secundum textum, qui difficilior est, multiplex est Patrum responsio; nulla tamen favet restrictionibus mentalibus. In primis D. Ambrosius *lib. V. de fide cap.* VII. cum pluribus aliis dubitavit, num illa particula *neque Filius* ad textum pertineat, an ab Arianis subdole addita sit. Textus enim Evangelicus Matthæi sic habet: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*. Hieronymus vero in hunc locum Matthæi scribit, suo tempore in quibusdam latinis codicibus ejusdem Matthæi additam fuisse particulam *neque Filius*, quæ tamen in græcis, & maxime *Adamantii*, & *Pierii*, exemplaribus non habebatur. „ Sed, inquit Hieronymus, quia in nonnullis legitur „ diserendum videtur .... Igitur quia probavimus non „ ignorare Filium consummationis diem, causa reddenda „ est, cur ignorare dicatur ... Post resurrectionem inter„ rogatus ab Apostolis de die, manifestius respondit; “ Non „ est vestrum scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit „ in sua potestate. „ Quando dicit, non est vestrum scire, „ ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse Apostolis .... denique & consequens Evangelii sermo idipsum „ cogit intelligi. Dicens quoque Patrem solum nosse, in „ Patre comprehendit & Filium. Omnis enim Pater Filii „ nomen est.

Pater Dominicus Soto *in* 4. *sent. dist.* 43. *quæst.* II. *art.* 2. de laudato textu scribens inquit: „ Nihilominus nefas esset, & hæresis dubitare, ut quidam hæsitant, illam apud Marcum vocem exiitere, propterea quod non sit apud Matthæum. “ Et post Concilium Tridentinum nemo Catholicorum hac de re quæstionem movet. Soto loco laudato comparat Christum Confessario; sicut enim Confessarius multa scit, ut Dei minister, quæ ignorat ut homo est in humano commercio; ita & Christus, ut legatus Patris æterni, multa habeat sub sigillo, quæ, prout magistrum exercebat Apostolorum, se nescire dicebat.

D. Augustinus pluribus in locis explicat laudatum textum. Ennar. in Psalm. VI. „ ubi erit ergo, quod nec Filius hoc „ novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium „ homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non „ noverit, sed secundum illam locutionem; “ Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat; *Deuter.* 13. *idest, fecit facias vos &c.* Exurge Domine, *idest, fac nos exurgere*. *Cum ergo ita dicatur nescire Filium hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire eos faciat, quibus hoc non expedit scire, idest non eis hoc ostendat &c.* Similia scribit Augustinus *lib. I. de Trinit. cap.* 12. Hoc enim nescit, quod nescientes facit; idest, quod non ita sciebat, ut tunc discipuli judicarent; sicut dictum est ad Abraham; Nunc cognovi, quod timeas Deum; Gen. 22. idest nunc feci, ut cognoscerес; quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit. Nam & illud utique dicturus erat discipulis tempore opportuno; de quo futuro, tamquam præterito, loquens ait; Jam non dicam vos servos, sed amicos. Servus enim nescit voluntatem Domini sui. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis; Joan. XV. Quod nondum fecerat; sed quia certo facturus erat, quasi jam fecisset, locutus est; ipsis enim ait; Multa vobis habeo dicere, sed non potestis illa portare modo; Joan. 16. *Inter quæ intelligitur & de die, & hora*.

lib.3. §.5. Felix Potestas *l. c. num.* 1603. & in simili Sporer *loc. citat. n.* 123. cum pluribus aliis; Vide verb. *Solutio numer.* 42. 43. 44.

21 Item Mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant se non posse pro tali pretio talem mercem vendere, *licet in rigore* hoc verum non sit, excusantur a mendacio, & perjurio per hoc, quod ipsi intelligant, & satis sciantur, & cognoscantur ab emptoribus significare velle, se non posse cum honesto, & mediocri lucro ita vendere. Item cum dicunt, vel etiam jurant merces sibi pluris constare, quamvis in rigore non sit verum, excusantur per hoc, quia quando dicunt sibi pluris constare, sciunt emptores, quod non intelligant nude pretium rei emptæ, sed etiam computent expensas vecturæ, & Gabellæ, aliasque, quas faciunt toto anno in suam communem negotiationem, hæc enim juste venire possunt nomine pretii, quo res ipsis constat, Gobat. *t.3. Collect. de Juram. n.*672. citans Sanctagallenses, La Croix *lib.* 3. *p.*1. *nu.*301. Si autem locutiones mercatorum non essent veræ in allato sensu, tunc mentirentur, & si jurarent, pejerarent; Doctores citati.

22 Reus an, & quando teneatur, vel non fateri veritatem judici ipsum interroganti sub juramento? Vide *dict. verb. Accusatus a n.* 10. *ad* 43.

23 Nec valet objicere, quod per tales amphibologias, seu æquivocationes, & restrictiones non pure mentales, sed externatas, humana societas, & humanum commercium perturbetur, ex quo per tales locutiones regulariter decipiantur audientes, adeoque non esse licitas. Non valet, inquam, quia per similes locutiones commercium humanum potius justificatur, quam perturbetur, nam humanum commercium non debet esse contra jus humanum; Nec officit, quod regulariter per similes locutiones decipiantur audientes, quia id per accidens sequitur, nam audiens prudens acuti, & perspicacis intellectus posset veram significationem locutionis percipere, & simul imprudentiam suæ interrogationis advertere, si signa, verba, circumstantias externas, & gravitatem rei, & jus, seu debitum alterius de secreto occultando reflecteret, quod, si audiens talis non sit, sibi imputet, quod non intelligat; signa namque, & verba in talibus circumstantiis supponuntur per se significativa, & externata conformiter ad mentis restrictionem, adeoque de se perceptibilia; Et sic loquens, seu *respondens intendit celare secretum*, ad quod occultandum habet jus, vel debitum, non autem audientem decipere. Nec ejus deceptionem, quam prævidet, vitare tenetur cum suo, aut aliorum gravi, & notabili præjudicio, & damno, quia tunc est deceptio accepta, non vero data, ut patet a simili de scandalo passivo per communem Doctorum, & clare constat ex celebri responsione ab omnibus, ut licita admissa, prout data fuit a S. Athanasio eludente Satellites Juliani eum ad necem quærentes, & a S.P.N. Francisco, *qui cum a Ministris justitiæ requisitus, an illac transisset* quidam homicida? positis intra manicas manibus respondit, *istac non transivit*, intelligens non transisse per suas manicas, & sic plenam, & veram responsionem ex verbis, & illa actione externa componens (Vide Adnotationem præced.)

24 Nec valet etiam objicere, quod tales amphibologiæ, seu æquivocationes, & restrictiones mentales sint proscriptæ ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. in istis tribus damnatis propositionibus 26. 27. 28. in ordine. Propositio 26. *Si, quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Propositio 27. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Propositio 28. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, potérit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

Non valet, inquam, quia in istis tribus propositionibus damnantur solum amphibologiæ, æquivocationes, & restrictiones pure mentales, ut pro certo notat Cardenas *dissert. 19. cap.4. n.*15. Sporer *tom.* 1. *tract.3. in 2. præcept. Decalog. cap.*1. *sect.3. n.*104. Viva *ad propositionem* 27. *Innocentii XI. n.3.* La Croix *lib.3. p.* 1. *n.*287. *cum sequen.* Reiffenstuel *Theolog. Moral. tract.6. dist.2. q.3. n.* 40. Felix Potestas *t.*1. *p.2. n.*1731. *& seq.* & alii passim. Et tales amphibologias, seu æquivocationes, & restrictiones pure mentales esse omnino illicitas fatemur, & concedimus ultro & nos, quia includunt mendacium, quod est ab intrinseco malum, adeoque eas merito damnavit Pontifex in supra relatis propositionibus. (a)

Jurare sine animo jurandi semper est illicitum, sive quis juret verum, sive falsum, sive in re gravi, sive in re levi, sive cum causa, sive non, sive in judicio, sive extra. Et ratio est, quia jurare sine animo jurandi semper continet mendacium irreligiosum, quod a nulla causa, sive levi, sive gravi cohonestari potest, quamvis enim juramentum fictum addatur assertioni veræ, fallo tamen asserit se jurare, qui non habet animum jurandi, qui enim dicit V. G. promitto, dono, & hujusmodi, carens animo promittendi, donandi, & hujusmodi mentitur, mendacium autem nunquam est licitum, quantacumque detur causa, cum sit intrinsece malum. Unde Innocentius XI. die 2. Martii 1679. merito damnavit sequentem propositionem 25. in ordine ibi: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

An autem jurare sine animo jurandi sit peccatum mortale, vel veniale solum? variant Doctores. Cajetanus enim 2. 2. *q.*89. *art.*7. Felix Potestas *tom.*1. *p.2. n.*1611. Hurtad. *diss.*12. *cap.*5. Armilla, Covarruv. Filguera, & alii tenent, quod, qui jurat sine animo jurandi peccat mortaliter, quamvis verum juret, etiamsi materia sit levis, & sit extra legitimum judicium, quam sententiam Suarez *cap.*17. *n.6.* censet probabilem, quamvis nimis rigorosam. Et ratio istorum est, quia sic jurans mentiens, & proximum decipiens jurat, nam verbis externis dicit se jurare, & interius habet animum oppositum, & revera non jurat. Tum quia sic jurans illudit testimonio Dei, cum fingat se illud invocare, & tamen non invocat. Communius tamen, licet non probabilius Suarez *loc. c.t.* Sanch. *lib.3. cap.6.* Lessius *d.*8. *n.*46. Castrop. *p.* 8. *n.*4. Illsung. *T.*5. *n.*55. Dicastill. *d.*2. *n.*278. Cardenas *in 2. Crisi d.*18. *n.*12. Viva *ad propositionem* 28. *Innocent. XI-n.*7. La Croix *lib.6. p.*1. *num.*277. Sporer *l.c. num.*133. & alii dicunt, quod sic jurans peccat solum venialiter, dummodo non juret *in contractu*, aut in Judicio legitimo, aut in casu, quo proximus pati possit aliquod grave damnum. Et ratio est, quia sic jurare, nec est graviter injuriosum Deo, nec homini. Non Deo, quia *invocatur* exterius ad confirmandum duntaxat verum, & quamvis sit aliqua irreverentia illum invocare sine animo invocandi, atque adeo in vanum, ea tamen non est irreverentia *gravis*, sicuti non est irreverentia *gravis* jurare verum sine necessitate, hoc est sine judicio comite, ut diximus *supra n.*11. Neque est graviter injuriosum homini, quia supponitur hoc fieri extra *contractum*, & extra Judicium legitimum, ac extra quemcumque casum, in quo homo damnum aliquod grave patiatur ex hoc ficto juramento. Tum quia juramentum nec cadit super mendacium, nec super deceptionem proximi, sed tantum super rem veram; Deus enim recipit juramentum, prout ex corde procedit; *c. Humana aures* 11. *caus.*22. *q.*5.

Unde ad primam rationem primæ sententiæ respondent Defensores secundæ, quod non est peccatum mortale, quamvis aliquis mentiens, & decipiens juret, dummodo juramento non confirmet mendacium, vel deceptionem, quod hic non facit. Ad secundam rationem respondent, quod sic jurans non dicitur graviter illudere Deo, quia sicuti non dicitur graviter illudere Deo, qui fingit se orare cum animo tunc non orandi, unde non peccat nisi venialiter in hac simulatione, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 3. *art.*4. ita nec dicitur graviter illudere Deo jurans verum sine animo jurandi, nec peccat secundum se, nisi venialiter, nolens interius Deum in testem advocare, quando aliunde ad id tenetur (a).

31 Jurare sine animo jurandi in judicio legitimo, & in contractibus, ac casibus, quibus proximus patiatur aliquod grave damnum ex tali ficto juramento, est peccatum mortale; *Communis*. Et ratio est, quia ultra quam quod jurans in contractibus, & dictis casibus gravem injuriam, & damnum affert proximo, & assumit mendaciter nomen Dei ad decipiendum proximum cum gravi injuria, & damno ipsius, & Reipublicæ: in Judicio legitimo tenetur sub gravi ad vere, & non fictitie jurandum; quilibet enim in judicio legitimo respondere tenetur secundum mentem judicis legitime interrogantis. judex autem petit verum, & non fictum juramentum, cum hoc valde interfit communi bono Reipublicæ, adeoque &c.

32 Jurare falsum sine animo jurandi est peccatum mortale, nedum in materia gravi, ut sine controversia tenent omnes, sed etiam in materia levi, quia sicut in idololatria, & in blasphemia, aut in infidelitate non datur parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, etiamsi desit animus internus litandi idolo, blasphemandi, aut non credendi, ita nec in perjurio, etiamsi desit animus internus jurandi. Unde Verricelli *part.*1. *quæst. moral. tract.* 1, *quæst.*12. sic expresse concludit. *Non audeo asserere probabilem, neque tutam in conscientia eam sententiam, quæ affirmaret non esse peccatum mortale in materia levi, ut in mendacio jocoso, aut officioso jurare exterius sine animo interno jurandi.* Et sic tenet Viva *loc. cit. num.6.*, & alii de hac difficultate tractantes; *arg. Propositi.* 24. *in ordine ex damnatis ab Innocent. XI. die* 2. *Martii* 1679. ibi: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

33 Jurare cum animo jurandi, & promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi, est semper peccatum mortale, quia sic jurans vocat Deum in testem voluntatis implendæ, quam tamen scit se non habere; unde cum adducere Deum in testimonium falsitatis sit semper gravissima irreverentia contra ipsum etiam in materia levi, ut patet ex mox adducta propositione damnata, sequitur aperte, quod jurare cum animo jurandi, & promittendi, seu se obligandi, non tamen implendi; sit semper peccatum mortale etiam in materia levi. *Sic Communis Doctorum* teste Sporer *tom.* 1. *tractat. 3. in 2. præcept. Decalogum cap. primo sect. quarta numer.* 135.

34 Consuetudo culpabiliter retenta jurandi sine causa, attamen verum, & cum debita advertentia, & consideratione ad veritatem rei jurandæ, est peccatum veniale tantum, quia habitus non possunt habere majorem malitiam, quam habeant actus, ex quibus generantur, actus autem taliter jurandi sunt solum peccata venialia, adeoque
35 &c. *Communis*. Consuetudo autem culpabiliter retenta jurandi indiscrete, & inadvertenter, sive verum, sive falsum, est peccatum mortale, ita ut talis consuetudinarius voluntarie omittens extirpare, vel emendare ipsam consuetudinem, vi talis consuetudinis culpabiliter retentæ peccat mortaliter, toties, quoties ita indiscrete, & inadvertenter ad veritatem, vel falsitatem jurat, sive reipsa sit verum, sive falsum, quod jurat. *Communis*. Et ratio est, quia omnis voluntarie se constituens, aut relinquens in periculo proximo peccati mortalis, peccat mortaliter; Talis autem consuetudinarius culpabiliter retinens, vel omittens extirpare dictam consuetudinem, ac vi illius ita indiscrete, & inadvertenter verum, vel falsum jurans, is voluntarie se relinquit, & semper constituit in proximo periculo peccati mortalis, scilicet juramentorum falsorum, seu perjuriorum, adeoque &c.

Hic juvat adducere plurimorum consuetudines jurandi per diversas formulas, quarum aliquæ veram rationem juramenti rationem continent, & aliæ non veram igitur juramenti rationem continent sequentes, & similes jurandi formulæ. *Juro per Deum verum. Testor Deum. Invoco Deum Testem. Per Deum ita est. Sit mihi testis Deus*, & hujusmodi. Tales enim, & similes formulæ expressam invocationem divini testimonii in se continent. 36

Si autem quis per simplicem assertionem, & non per Divini testimonii invocationem sequentes, vel similes formulas proferat. *Deus scit me verum dicere. Deus novit. Deus videt meam conscientiam. Coram Deo loquor, Deus videt ita esse. Deus testabitur suo tempore. Deus scit quia non mentior*, & hujusmodi, non erit verum juramentum, nisi aliud constet, aut ex circumstantiis probetur. Tales enim, & similes formulæ continent meram assertionem, non autem Divini testimonii invocationem, prout requiritur ad veram juramenti rationem. In istis tamen, & similibus formulis attendenda est *intentio* loquentis, quia ratione *intentionis* loquentis solent quandoque ut juramenta usurpari, ut patet in Apostolo Paulo *ad Romanos* 1., ibi: *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo*; 2. *ad Corinth.*, ibi: *Testem invoco Deum in animam meam, ad Galatas* 1., ibi: *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*; 1. *ad Timoth.*5., ibi: *Testificor coram Deo*, quibus verbis Apostolus jurasse existimatur. 37

Juramenta non sunt dicere *Per fidem meam. In fide veri Sacerdotis, veri Religiosi, veri Christiani, veri hominis honorati. In fide Regis, Principis, aut nobilis Equitis. In mea conscientia*, & hujusmodi. Per tales enim, & similes formulas non invocatur, nec adducitur Deus in testem, prout requiritur ad verum juramentum, sed adducitur pro motivo credulitatis sola fides humana, quæ præstari debet Sacerdoti, Religioso, Regi, Principi, Nobili, & hujusmodi. 38

Item juramenta non sunt dicere. *Juro Deum, Per Deum. Per animam meam. Per vitam meam, quod te volo una die occidere, quod super te, volo una die occidere, quod super te, vel super tuis bonis de hac injuria, de hoc damno strictissimam una die sumam rationem, quod omnia mihi solves*, & hujusmodi. Talia enim, & similia, nec dicuntur animo jurandi, nec accipiuntur communiter ut juramenta, sed sunt quidam modi comminandi, & loquendi, quibus solent uti rixosi, & iracundi ad aliis exprimendam suam excandescentiam, iram, & indignationem. 39

Item juramenta non sunt dicere. *Amputetur mihi nasus. Detruncentur mihi aures, nisi ita sit. Sim infamis, habear perfidus, Hæreticus, Turca, Non sim honestus, Nobilis, Christianus, Religiosus, Sacerdos.* & hujusmodi, *nisi verum sit, quod dico.* Tales enim, & similes formulæ non sunt veræ execrationes, vel invocationes Divini judicii ad hæc sed solum quædam permissiones, quasi dicatur: *Habeas me pro tali, nisi verum sit, quod dico*; Sporer *loc. cit. sub n.*8. Gobat *tom.*1. *de juramento num.*489., & alii passim, Sunt tamen vera juramenta execratoria dicere. *Tollat me Deus subitanea morte. Vivus hinc non discedam. Deorsum me ducat nunc in Infernum*, & hujusmodi, *si mentior.* Sporer *loc. cit.* 40

(a) Doctrinam, quæ a Ferrario hic traditur a num.14. ad numer. 26. ex Amphibologiis tarum putidis cisternis haustam jam emendavimus verb. *Accusatus* a num. 18. ad num. 25. atque in nota apposita n.28., & in fine ejusdem articuli. Cum autem denuo Author in hoc Articulo eandem doctrinam obtrudere conatur, Christianum Lectorem iterum iterumque monemus, ne sub probabilitatis larva, ac ineptarum distinctionum præsidio eidem adhæreat; sed semper præ oculis habeat Apostoli verba *Ad Ephesios*, cap.IV. vers.25. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Neque oblivisceatur Orationis Regis David, Psal. 119. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.*

(a) Non ita facile Ferrario assentietur, qui animadvertat gravem, quæ Deo injuria fit, dum sanctum, ac ineffabile ipsius Nomen adhibeatur ad hominem decipiendum. Nam qui verbis jurat, animo vero se jurare nolle contendit, decipit eos, apud quos juramento res comprobat, ac Dei nomen nonnisi decipiendi animo usurpat, cum per hujusmodi nomen mentiatur, atque decipiat. Quis vero dicat, gravem Deo injuriam non fieri? Audiatur *F. Aurelius Rielle de Relig. q.4.* Dei nomen, inquit, adsumere in vanum est intrinsece malum; sed jurare sine animo jurandi, est Dei nomen, & testimonium adsumere in vanum; enim non sit adsumere illud ad finem, propter quem adsumendum est, & quidem hoc probat tale juramentum esse mortifere malum: magna enim in Deum irreverentia est, quod illius nomine habeatur homo ad decipiendum alios. Accedit etiam, quod talis jurandi modus evertat finem principalem juramenti, omnemque ejus fructum evacuet. Siquidem finis juramenti est firmare veritatem, & sinceritatem, atque afferre securitatem quibus deficientibus, perit omnis juramenti effectus. Atque hinc patet, majorem in hoc casu Deo injuriam irrogari, quam dum quis simulet orare, sine animo orandi. Nam præter simulationem in vanum sumitur, & ad alios decipiendos Dei nomen adhibetur.

cit. num.13. Felix Potestas *tom.1. part.2. num.1547.*, & alii passim.

42 Item juramenta non sunt dicere simpliciter. *Juro. Juro hoc verum esse. Juro ita esse*, & hujusmodi, quia per tales, & similes formulas non fit invocatio, nec expressa, nec tacita Dei in testem, nec exprimitur per quem juretur. Possent tamen similes formulæ esse juramenta, si proferrentur cum animo, & voluntate Deum in testem invocandi, aut ex circumstantiis ea intentio colligeretur, ut v. g. Si Petro dicenti Paulo: *Jura mihi per Deum verum ita hoc esse*, Paulus respondeat *juro*, tunc enim Paulus vere, & realiter censetur jurare, & sic de similibus. Sporer *loc. cit. num.6.* & alii communiter.

43 Item juramenta non sunt jurare per creaturas, in quibus nihil Divinæ bonitatis specialiter relucet, nec per ipsas additur expressa relatio ad Deum, ut si quis dicat *juro per hanc chartam, per hanc vestem, per hanc paleam*, & hujusmodi, quia simpliciter sic eas creaturas proferendo non censentur adduci cum relatione ad Deum. Sunt autem juramenta jurare per ipsas creaturas, si expressa addatur relatio ad Deum, seu adducatur in obliquo Deus, *ut si quis dicat, Juro per hunc panem Dei, per hunc ignem Dei*, & hujusmodi quia sic invocatur Deus, tamquam panis, ignis, & hujusmodi Conditor. Silvester *verb. juramentum 1. quæst. 4.* Sanchez *leg. 3. cap. 2. numer. 10.* Sporer *loc. citat. sub numer.7.*, & alii.

44 Juramenta saltem implicita sunt jurare per Creaturas, etiam irrationales, & inanimatas, specialiter tamen excellentes, & in quibus Deus specialiter elucet, & residet, ut *Per Cœlum, & Terram*, & hujusmodi, sicut juravit Moyses *Deut. cap.4. num.26.*, & *cap.30. numer.19.*, ibi: *Testes invoco hodie Cœlum, & terram*, & Christus Dominus *Matthæi cap.5. num.34.* prohibens supervacanea juramenta dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, neque per Cœlum; quia Thronus Dei est: neque per Terram; quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam; quia Civitas est magni Regis.* Item *cap.23. num.20.*, & *seq.* dicit: *Qui ergo jurat in Altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt; & quicumque juraverit in templo; jurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso, & qui jurat in Cælo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.* Et consonat Epistola Canonica D. Jacobi Apostoli *cap. 5. num.12.*, ibi: *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum.* Item juramenta sunt jurare per quasvis res Sacras Deo specialiter consecratas, ut *per Crucem Christi, per Sacramenta, per Sacram Scripturam, per Evangelia, cap. Quoties cordis 9. caus.1. quæst.7.* Item juramenta sunt jurare per Beatissimam Virginem, per Beatos Angelos, & Sanctos Dei, quatenus Beati gratia, & gloria Deo uniti sunt, tamquam amici, & Domestici Dei, in quibus Divina Majestas perfectissime resplendet. Si quis tamen juraret per Beatissimam Virgininem Mariam, per Angelos, & Sanctos absolute, per suam creatam perfectionem, & excellentiam gratiæ, & gloriæ, non referendo ad Deum, non esset verum juramentum virtutis Religionis, sed solum esset Sacra contestatio virtutis Duliæ. Sanch *lib.3. cap. 2. num.9.* Sporer *loc. cit. num. 7.*, & alii.

45 Jurare per vitam Dei, & Sanctorum, per caput, Cor, aliaque membra honesta Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum, per Sanguinem Christi, per ejus vulnera, & hujusmodi, si reverenter fiat in sensu assertorio, & invocatorio, & non in sensu execratorio (quod scilicet illa pereant, vel non sint, si hoc non ita sit) blasphemum, & illicitum per se non est. Sporer *loc. citat. sub num.6.*, & alii. Blasphemum autem, & illicitum est, si fiat in tali sensu execratorio. Sporer *loc. cit.*, & alii. Et a fortiori blasphemum, & gravissime prohibitum est jurare per membra Dei, cum Deus, ut purissimus spiritus, membra corporea non habeat. Item jurare per inhonesta membra Christi, Beatissimæ V. M., & Sanctorum; *cap. Si quis 10. caus.22. quæst.1.*, ibi: *Si quis per Capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in ordine Ecclesiastico est, deponatur, si laicus anathematizetur, & Authen. Ut non luxurientur homines, Collat.6.*, ibi: *Nemo juret per membra Dei, aut alio modo Deum blasphemet; His enim delictis, & Terræmotus, & pestilentiæ fiunt, præcipimus ergo tales comprehendi, atque altimis subdi suppliciis.*

Dicere: *Ita hoc verum est, sicuti verum est, quod Deus sit unus, quod Personæ Divinæ sint tres*, & hujusmodi: Si intentio sit adducere divinam veritatem in testem, & insuper comparare totaliter humanam veritatem cum Divina, ut humana veritas, & certitudo nostri dicti tanta sit, quanta est Divina veritas, & certitudo veritatis divinæ, tunc est juramentum, & blasphemia. *Si intentio sit adducere* divinam veritatem in testem; at non totaliter comparare, sed solum aliqualiter veritatem humanam Divinæ assimilare hyperbolice loquendo (ut communiter, & usualiter profertur) ita ut sensus sit: *Sicuti verum est, quod Deus sit unus, Personæ Divinæ sint tres, ita suo modo verum est hoc, quod dico*; tunc est jutamentum, sed non blasphemia. Si autem intentio sit solum assimilare aliqualiter modo nunc explicato veritatem humanam Divinæ, & non adducere Divinam veritatem in testem, sed solum enunciative proferre, nec est juramentum, nec blasphemia. Felix Potestas *loc. cit. num. 1556.* Sporer *loc. cit. num.5.*, & alii. 46

Juramenta sub dictis, aliisque formulis etiam licitis non sunt passim facienda; pluribus enim subsunt periculis. Unde attendendum est monitum Ecclesiastici *cap.23. num.9.*, *& sequent.*, ibi: *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum ne admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis; sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur, sic omnis jurans, & nominans in toto a peccato non purgabitur; Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a Domo illius plaga.* Et id, quod Christus Dominus *Matth. cap.5. num.34.* prohibens supervacanea juramenta dicit: *Audistis, quia dictum est antiquis, non perjurabis, reddes autem Domino vota tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino neque per Cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Jerosolymam, quia Civitas est magni Regis, neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum; sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod autem his abundantius est, a malo est.* Et consonat Epistola Canonica D. Jacobi Apostoli *cap. 5. num. 12.*, ibi: *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum; sit autem sermo vester, est, est, non, non, ut non sub judicio decidatis.* Et D. Augustinus *serm.30. de verbis Apost.* sic optime concludit: *Duo sunt, quæ damnabo numquam, veram jurationem, & nullam jurationem, damno autem falsam jurationem; falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est.* 47

Ad licite jurandum requiritur certitudo veritatis, tum ex parte rei juratæ, tum ex parte personæ jurantis. *Communis.* Certitudo veritatis ex parte rei juratæ sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res secundum sensum humanum, communem acceptationem, aut consuetudinem sumpta, ita se habet, sicuti juratur; ut si quis Parochus juret suum Clericum frequentasse toto anno Ecclesiam, quamvis aliquoties intermiserit, quia parum pro nihilo reputatur, & humano sensu totus annus æstimatur, etiamsi modicum quid abfuerit. Idem dicendum est de Fidibus juratis, quę apud Familias Regulares concedi solent, quod Lectores per tot integros annos legerint, & studentes scholas frequentaverint, & omnes suas scholasticas functiones laudabiliter obiverint, quamvis juxta consuetudinem nonnisi per septem, vel octo integros menses singulis annis id egerint, & aliquoties defecerint, seu non ita laudabiliter semper peregerint, & sic de similibus. 48 49

Certitudo veritatis ex parte personæ jurantis sufficiens ad juramentum licitum habetur, si jurans sit certus vel physice, vel moraliter juxta diversitatem materiæ de veritate rei, quam jurat. Unde in odiosis, puta in contractibus, & negotiationibus humani commercii, ac in sententiis ferendis, & quoties est periculum damni proximi, ad absolute jurandum rem ita esse, vel non esse, requiritur certitudo scientifica, seu physica, & experimentalis, qualis habetur per visum, *cap. Testes 15. caus. 3. quæst.9.* Judex enim in illis judicibus interrogans intendit interrogare non de quacumque certitudine sufficiente ad faciendam semiplenam probationem, ad quam non sufficit certitudo moralis unius testis, ex auditu cujusvis fide digni, sed requiritur certitudo scientifica, seu physica, & experimentalis. In favorabilibus autem, in quibus nullum adest damnum, & præjudicium proximi ad absolute jurandum, sufficit certitudo moralis, seu credulitas, *arg. cap. Ex parte 1. de Scrutinio in Ordine faciendo*, ubi Innocentius III. definit, quod Archidiaconus testificans Episcopo Clericum promovendum esse dignum ad Ordinem, non peccat, quamvis non physice certo sciat, sed solum sciat, quantum humana fragilitas sinit noscere, seu ex indiciis probabilibus; quod est testimonium de credulitate, reddita hac ratione: *Cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare.* Hinc quando petitur informatio alicujus personæ v. g. de vita, & fama, & similibus, sufficit ad jurandum in ejus favorem certitudo moralis ex auditu, quia certitudo de visu seu physica, & omnimoda de istis, nec haberi, nec quæri solet. 50

51 Veritas juramenti est triplex. Prima, quando objectum juramenti conformatur, & menti, & rei, & sic nullum est peccatum, si aliunde interveniant alia requisita ad juramentum. Secunda, quando objectum juramenti conformatur menti, sed non rei, & in hoc casu, si non fuit adhibita debita diligentia pro veritate scienda, est peccatum mortale. Tertia, quando objectum juramenti conformatur rei, sed non menti, & in hoc casu est peccatum mortale, & perjurium, licet dicatur veritas, quia juratur contra dictamen propriæ conscientiæ. *Communis.*

52 Nulla persona privata potest licite exigere juramentum ab eo, quem certo scit esse pejeraturum; *arg. c. Clericos 3. de cohabit. Clericor.*, & *cap. Ille, qui 5. caus. 22. quæst. 5.* ubi ex verbis S. Augustini sic expresse dicitur: *Ille, qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum juraturum esse, vincit homicidam, quia homicida corpus occisurus est, illeanimam, immo duas animas, & ejus, quem jurare provocavit, & suam; scis verum esse quod dicis, & falsum esse quod dicis, & falsum esse quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce perit, ut quid invenisti? Immo, & ut periisti, qui de illius morte te fatiare voluisti.* Et ipsemet D. Augustinus *tom.10. serm.2. de Decollat. S. Ioannis Baptistæ, idem serm.11. de Sanctis*, ubi supradicta scribit, subjungit ad rem hoc formidabile sed dignum exemplum ibi: *Aliquid dicam, quod nunquam dixi caritati vestræ in hoc populo, quod contigit, in hac Ecclesia; Fuit hic homo quidam simplex, innocens, benefidelis a multis vestrum* (idest Hipponensibus) *immo ab omnibus cognitus, Tutuslymeni vocatus: Tutumlymeni quis vestrum non novit, qui estis cives? Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei, vel quod ei debebatur, & hominis fidei se commisit. Commotus provocavit eum ad jusjurandum, juravit ille, iste perdidit, sed isto perdente, ille penitus periit. Dicebat ergo iste Tutuslymeni homo gravis, & fidelis ipsa nocte se exhibitum fuisse ad judicem, & cum magno impetu, atque terrore se perveniisse ad Præsidentem excelsum quemdam, & admirabilem virum, cui parebat officium similiter excelsorum, jussum fuisse perturbatum retro vocari, & interrogatum fuisse his verbis. Quare provocasti hominem ad jurationem, quem sciebas falsum esse juraturum? Respondit ille, negavit mihi rem meam. Responsum est illi: Et nonne melius erat, ut rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis istius falsa juratione perimere? Protinus est, jussus est cædi. Cæsus est tam graviter, ut indorso evigilantis vestigia plagarum apparerent; sed dictum est illi, postea quam emendatus est, parcitur innocentiæ tuæ, de cetero cave, ne facias. Fecit quidem ille magnum peccatum, & emendatus est, sed multo gravius peccatum faciet, qui post ipsum meum sermonem, & istam meam admonitionem, & exhortationem, tale aliquid fecerit.* Hæc Divus Augustinus. Sic etiam tenent S. Bonaventura *in 3. dist. 39. art. 2. quæst. 3.* S. Th. *2. 2. quæst. 98. art. 4.* Reiffenstuel *lib. 2. decretal. tit. 7. numer. 52.* Abbas *in Cap. Ceterum 5. de juramento calumniæ numer. 4.* Pax Jordanas *Elucubrat. mol.3. lib.14. tit.22. n.50.*, & *51.* Gobat *to.3. de juramen. n.645.* Felix Potestas *t.1. part.2. n.1576.* Bonacina, Castropal. Scotus, Vasquez, Silvester, & alii plures contra multos alios. Et ratio nostra est, quia nulla potest assignari justa causa, & necessitas tale iuramentum exigendi. Tota enim iusta causa, & necessitas esset, ut dicunt ipsimet adversarii maxime tuitio proprii iuris, recuperatio propriæ rei, firmatio veritatis, pacti, & hujusmodi: atqui nihil horum per tale fulsum juramentum potest obtineri, immo contrarium potius resultat; quia statim ac ipse cum falsitate jurat, non tibi v. g. competere tale jus, tuam non esse talem rem, tibi non debere quod dicis, & hujusmodi, jus tuum non tueris, rem tuam non recuperas, sed potius perdis, immo sine ulla utilitate animam proximi, & tuam perdis, ut recte dicit S. Augustinus relatus *in cit. Cap. Ille, qui 5. caus. 22. quæst. 5.* adeoque &c.

Dicitur notanter *Nulla persona privata*, quia persona publica, ut publica, puta Judex, licite potest *justa* interveniente causa, & necessitate, exigere juramentum ab eo, quem certo scit esse pejeraturum. *Communis.* Et ratio est, quia Judex illud iuramentum exigit iuris ordine, & jus publicum, ac communis utilitas prævalet cuilibet juri privatæ personæ. Et quamvis Judex non prodesset privatæ personæ læsæ per recuperationem rei prætensæ, ut vere, & realiter suæ, prodesset tamen Communitati, & Reipublicæ, quia, si non posset licite Judex exigere juramentum ab iis, quos certo scit esse pejeraturos, possent perversi fingere se certo pejeraturos, ut sic a judicis interrogatione eximerentur, quod cederet in maximum Reipublicæ præjudicium, & detrimentum. Tum quia posse Judicem licite exigere juramentum ab eo, quem certo scit esse pejeraturum, cedit in aliorum exemplum, qui sic deterriti, ne in damnationem propriæ animæ adducantur ad similia perjuria, feu falsa juramenta, abstinent se a plurimis cum non parvo Reipublicæ bono. Tum etiam, quia, cum Judex teneatur sequi præscriptum juris, adhibendo ea, quibus solet elici veritas, quando, aut lex in particulari decernit, ut aliqua controversia juramento finiatur, aut una pars in defectu probationum juramentum juste poscit ab altera parte, tenetur judex exigere juramentum ab illa altera parte, ne se suspectum reddat, aut det justam occasionem scandali, quod est illi magis cavendum, quam peccatum privati, adeoque &c. Vide infra num.56. 53

Non licet scienter alterum inducere ad jurandum falsum, quamvis ipse alter bona fide omnino credat esse verum. *Communis.* Et ratio est, quia talis sciens inducit alterum, ut adducat Deum in testem falsi, quod est intrinsece malum, quamvis jurans propter bonam fidem, & ignorantiam invincibilem excusetur a peccato. Sic v. g. Paulus sciens se esse illegitime natum, quamvis alii communiter certo putent esse legitimum, non potest sine gravi peccato alios inducere ad jurandum se esse legitimum, quia, quamvis tale perjurium respectu juramentis sit solum materiale, adeoque nullum peccatum ratione bonæ fidei, & erroris invincibilis, respectu tamen ipsius inducentis est formale, adeoque peccatum, quia, & cognitum, & volitum, immo per se intentum. 54

Licitum est cuique, necessitate, seu iusta causa existente, ad damnum, vel iniuriam cavendam, etiam in contractibus, & aliis causis exigere iuramentum a Pagano, qui per falsos Deos, aut Machometem certo noscitur iuraturus, non quidem, ut determinate iuret tali modo, sed absolute, & in genere. Sic D. Augustinus *Epist. 154. ad Publicolam, & serm. 30. de verbis Apostoli.* D. Bonaventura *loc. citat.* S. Thomas *2. 2. quæst.78. art.4.*, & *in 3. sent. dist. 39. qu. unic. art. fin. ad 3.* S. Antonius *3. part. Summæ Theol. tit.27. cap.1.* Lessius *lib.2. cap. 42. dubit.10. numer. 50.* Reiffenstel *Theol. Moral. tract.6. dist.2. quæst.3. numer.36.* Felix Potestas *tom.1. part.2. num.1579.*, & alii passi. Sic enim *Genesis 31.* Jacob recepit iuramentum a Laban Idololatra, & *Machabæor. leg.1. cap.8.* Judas a Romanis Idololatris; & idipsum est quotidianum apud mercatores qui cum Infidelibus contrahunt. Non licet autem tale iuramentum exigere sine necessitate, & iusta causa, neque etiam licet aliquem inducere ad hoc determinate, quod juret per falsos Deos, quia esset cooperari alterius peccato, ut notant citati Sancti Patres, aliique omnes. 55

Judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere iuramentum, dum iudicialiter, uti principales, examinantur. Sic novissime statuit Benedictus Tertius decimus in Conc. Romano *tit. 13. de jurejurando cap. 2.* Vide verbor. *Reus numer. 26.* 56

Novæ additiones ex aliena manu.

1 Iusiurandum non male definitur: *Asseveratio religiosa animo jurandi facta rei alicujus, adhibita invocatione Dei in testem, & vindicem.*

2 Summa iurisiurandi divisio est, ut sit vel promissorium, 3 vel assertorium. Promissorium est, quod futura negotia concernit, ut maior illis firmitas, aut securitas accedat; quale

est Tutorum, Curatorum, Subiectorum, Vassallorum, Militum, Judicum, Advocatorum honores susciperentium; aliorum est, & illud, quod conventionibus subinde apponi solet. De huius postremi iurisiurandi efficacia tum iure civili, tum iure Canonico agemus *in addit. ad articul. III.*

Assertorium *jusiurandum* est, quod præsentia, ac præcipue præterita negotia respicit. Estque vel affectionis in litem, *vel veritatis*. De priori agitur in Pandectis in *tit. de in lit. jurand.* Posterius, scilicet veritatis, vel a Testibus præstatur, vel a litigantibus. Et hoc præstatur, vel extra *iudicium*, vel *in iudicio*. Illud dicitur voluntarium. Fundatur in conventione quadam, seu transactione, ita ut, quæ alias in pactis, & transactionibus attenduntur, ea hic quoque desiderentur.

In iudicio varia iuramenta sunt recepta. Occurrit primo loco iuramentum iudiciale, quod pars parti defert in iudicio, Judice approbante.

Occurrit secundo iuramentum necessarium, quod ob inopiam probationis Judex, etiam non rogatus, defert Actori, vel Reo. Estque vel suppletorium, vel purgatorium. Suppletorium, quod Judex ei defert, qui semiplene, vel pluſquam semiplene probavit. Purgatorium, quod iuri Canonico debetur, est quod Judex causa cognita, Reo defert, si vel suspicionibus a parte adversa allatis, semiplenam tamen probationem non constituentibus gravatus est, vel si actor alia de causa ad suppletorium admitti nequeat ad elidendas istas suspiciones.

Ad integritatem quoque iudiciorum conservandam, introductum est iuramentum calumniæ, tum generale, tum speciale.

Habes, & quidem paucis omnes iurisiurandi species, si addas iusiurandum Perhorrescentiæ, de quo in additione ad verbum *Iudicium* dictum est.

ARTICULUS II.

Juramentum quoad ea, quæ concernunt juramentum judiciale.

JUramentum iudiciale, prout respicit partes litigantes, dividitur in iuramentum calumniæ, iuramentum malitiæ, & iuramentum de veritate dicenda; *Ita in re communis*. Juramentum calumniæ est illud, quo partes litigantes iurant, quod in Judicio tam agendo, quam excipiendo, & defendendo absque fraude, & calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint; idest iuramentum calumniæ est illud, quod in principio litis, vel postea, alterutra parte exigente, necessario Judex deferre debet; Actori quidem, ut *juret non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere*; Reo vero, ut juret quod putat *se bona instantia uti ad reluctandum*, idest resistere Actori existimando se ius habere, ut habetur *in leg. 2. in princip. Cod. de jure jurando propter calumniam*. Et hoc dicitur *juramentum calumniæ*, subintelligendo, *evitandæ in causis*, sicuti communiter cum Glossa *in Cap. Si de calumnia 1. de juramento calumniæ in 6. verb. Calumnia* exponitur illud Apostoli 1. *ad Corinth. 7. Propter fornicationem*, scilicet evitandam, *unusquisque uxorem suam habeat*.

Calumnia enim, de qua evitanda hoc iuramentum præstatur, seu calumniari in causis civilibus est per meras frustrationes negotium differre, vel per fraudem alios litibus vexare, *leg. Si calumnietur 233. in princip. ff. de verb. Signif.* ubi dicitur, quod *Calumniatores appellati sunt, qui per fraudem, & frustrationem alios vexarent litibus*. Calumniari autem in causis criminalibus, nihil aliud est, quam falsa crimina intentare; *l. 1. §. 1. ff. Ad S. C. Turpilianum*.

Juramentum calumniæ præstari debet super quinque capitibus, ut tradit Glossa communiter recepta „ in cap. Inhæ„ rentes 1. de Juramento calumniæ, verb. Calumniæ Jura„ mentum, *ubi sic expresse habet*: In iuramento calumniæ „ quinque capitula continentur, scilicet quod credat se bo„ nam causam habere, interrogatus non negabit, quod verum „ esse credit, nec utetur scienter falsa probatione, & quod di„ lationem non petat in fraudem, nec dedit, nec dabit, nec pro„ mittet aliquid pro hac causa, nisi illis personis, quibus „ leges dare permittunt, *& ibi hæc quinque his versibus com„ prehendit*:

Illud juretur, quod lis sibi justa videtur.
Et sit quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Ubi, ut vides, in juramento calumniæ debet quis jurare. 6
Primo, quod credat se justam causam habere, & fovere bonum jus, *leg. 2. Cod. de Jurejurando propter calumniam*. Secundo, quod in judicio interrogatus veritatem respondebit super omnibus: Glossa *l. c.* Tertio, quod nihil promiserit, dederit, seu daturus sit per se, vel per alios causa patrocinii judicibus, aliisve personis, exceptis iis, quæ propriis Advocatis, aliisque Personis; quibus a jure dari permittitur: *Authent. Principales, Cod. de Jurejurando propter calumniam*. Quarto, quod non utetur scienter falsa probatione: *Authent. In isto Juramento Cod. eod.* Quinto, quod nullam petat calumniosam dilationem, neque probationem superfluam exigat ab Adversario in fraudem, sive animo protrahendi, seu differendi litem, & causam, *leg. 1. & Authent. In isto Juramento Cod. eod.*

Juramentum malitiæ est illud, quod præstatur non super 7
tota causa, sed super exceptionibus, vel aliis singularibus articulis, sive ante, sive post litem contestatam, quoties est præsumptio contra partem litigantem, quod malitiose proponat exceptionem, vel petat dilationem, & hujusmodi: *Est in re communis arg. c. Pastoralis 4. de exceptionibus, & c. ultra tertiam 55. de testibus*, & desumitur clare *ex c. In appellationis cauſ. 2. de Juramen. calumniæ in 6. §. In omnibus autem causis*, & Glossa *ibid. verb. Malitiæ*.

Juramentum malitiæ differt multipliciter a juramento ca- 8
lumniæ. Primo, quia juramentum malitiæ potest exigi, tam ante, quam post litem contestatam, *cit. c. In appellationis causa 2. de Juram. calumniæ in 6. §. In omnibus autem causis*. Juramentum autem calumniæ exigi potest tantum post litem contestatam, *arg. c. si de calumnia 1. de juramento Calumniæ in 6.* Secundo, juramentum malitiæ potest exigi toties, quoties aliquid malitiose dici, vel fieri præsumitur, *cit. c. In appellationis causa §. In omnibus autem causis*. Juramentum vero calumniæ in eadem instantia, & ab eadem persona, nonnisi semel præstandum est, *Authent. De iis, qui ingrediuntur §. fin. collat. 5. & auth. In isto juram. Cod. de jurejurando propter calumniam*, ubi expresse prohibetur: *Ne sapius juretur in causa*. Et concordant *c. Et si Christus 26. de jur. jurando, & c. 2. de probat.* Tertio, juramentum malitiæ exigitur solum super aliquibus particularibus articulis, super quibus adest præsumptio, quod aliquid malitiose proponatur, vel petatur, *ex civatis Juribus sub n. 7.* Juramentum autem calumniæ exigitur super tota causa, seu lite; *Authent. Hoc Sacramentum Cod. De Juramento calumniæ*. Quarto, juramentum malitiæ fuit semper præstitum, tam de jure antiquo, quam novo, nedum in causis prophanis, & civilibus, sed etiam in Ecclesiasticis, & spiritualibus, ut patet *in cap. Cum Dilectus 32. de electione, & cap. Litteras 13. de restitutione spoliator*. Juramentum vero calumniæ olim præstabatur solum in causis prophanis, & civilibus, & non in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, & in illis præstatur solum de jure novo, ut expresse habetur *in capitul. Si de calumnia 1. de Juramento calumniæ in 6. §. Quamvis in causis spiritualibus*.

Juramentum de veritate dicenda est illud, quod præstatur 9
super scientia, seu veritate, quam quis scit, dicenda. Hinc juramentum hoc stricte, & rigorose loquendo cadit solum super scientiam (atque explicatur per verbum *Scio*) & non mere super credulitatem. Unde in rigore juris jurans de veritate dicenda non tenetur respondere, nisi id, quod vere scit, & novit per proprios sensus; *arg. cap. Hortamur 20. cauſ. 3. q. 9.* ut patet clare de testibus, qui regulariter non probant nisi deponant de scientia, sive de iis, quæ propriis sensibus perceperunt, textu expresso *in cap. Testes 15. cauſ. 3. quæſt. 9.*

Juramentum de veritate dicenda, & juramentum calum- 10
niæ, partim conveniunt, & partim differunt. Conveniunt primo, quia utrumque potest exigi, ac præstari tam in exordio litis, quam in qualibet ejus parte, textu expresso *in cap. Si de calumnia, seu veritate dicenda 1. de Juramento calumniæ §. 1. in 6.* Secundo conveniunt, quia utrumque etiam in causis spiritualibus est nunc de facto præstandum *citat. cap. Si de calumnia §. fin.* quamvis olim in causis spiritualibus non fuerit præstandum Juramentum calumniæ, textu expres-

so *in cap. Litteras 2. de Juramento calumniæ*. Tertio conveniunt, quia in causa appellationis, tam de veritate dicenda, quam de calumnia jurari debet, non obstante, quod a principio taliter juratum fuerit, textu expresso *in cap. In appellationis causa 2. §. 1. de Juramento calumniæ in 6.*

Differunt vero primo, quia juramentum calumniæ est ju- 11
ramentum credulitatis, quo quis jurat se credere, quod bonum jus foveat. Unde explicari solet per verbum *Credo*. Juramentum autem de veritate dicenda est juramentum de scientia, seu de veritate, quam quis scit, dicenda, atque fit per verbum *Scio*. Hinc juvat, & valde utile, & expediens est præter juramentum calumniæ exigere a parte adversa etiam juramentum de veritate dicenda, sicuti de facto utrumque simul conjungitur, & exigitur *in citat. cap. Si de calumnia 1. & cit. cap. In appellationis causa 2. de Juramento calumniæ in 6.* Pirhing. *lib. 2. decr. tit. 7. num. 28.* Reiffenstuel *ibid. n. 14.* & alii. Secundo differunt, quia juramentum calumniæ, cum feratur super tota causa, respicit multa capitula, juxta dicta, & adducta supra *sub n. 5. & 6.* Juramentum autem de veritate dicenda respicit unum solum capitulum, scilicet illud, super quo exigitur, & præstatur, quodque a jurante scitur, juxta dicta, & adducta supra *num. 9.* Tertio differunt, quia juramentum de veritate dicenda est species juramenti ut sic. Non sic tamen juramentum calumniæ; Ancharanus *in capitul. In appellationis causa 2. de Juramento calumniæ in 6. numer. 4.* Reiffenst. *loc. citat. numer. 14.* & alii.

Juramentum judiciale, prout respicit decisionem causa- 12
rum, dividitur in juramentum decisorium litis, & jura- 13
mentum in litem; *Communis. Juramentum decisorium litis* est illud, per quod deciditur lis principalis. Juramentum in litem est illud, per quod deciditur æstimatio rei; *Est in re communis*.

Juramentum litis decisorium est triplex, scilicet Volunta- 14
rium Judiciale, & Necessarium; *Communis. Juramentum voluntarium, seu conventionale* est illud, quod voluntarie, 15
seu ex mera conventione partium extra judicium defertur sub eo pacto, quod, si una pars litigans, cui illud ab altera parte defertur, confisa de justitia suæ causæ juraverit, absque alio processu causam obtineat, *arg. l. Jusjurandum, quod 17. ff. hoc tit.* ubi sic habetur: *Jusjurandum, quod ex* 16
conventione extra Judicium defertur &c. Juramentum Judiciale, seu *Juramentum Judiciale specifice sumptum*, est illud, quod a parte parti defertur in Judicio Judice approbante, & tunc illa pars, cui defertur, tenetur, vel jurare, vel parti deferenti juramentum referre, alioquin causam perdet, seu solvere tenebitur, *cap. Cum causam 7. de Juramento calu-* 17
mniæ, & l. Jusjurandum 34. §. Datur autem ff. eodem Juramentum necessarium. seu juramentum suppletorium est illud, quod per Judicem alterutri parti ob defectum plenæ probationis, sive in ejus supplementum defertur, *c. Sicut 2. de probationibus*, ubi Glossa *verb. Cum alia*, Fagnan. *num. 5.* Barbosa *n. 4.*, & alii passim, Dicitur autem *necessarium*, partim, quia Judex quandoque illud deferre cogitur, & partim, quia delatum sine justa causa recusari non potest, *citat. capitul. Cum causam 7. de juramento calumniæ, & leg. Generaliter 12. §. Sin autem Codic. De rebus cred. & Jurejurand.*

Juramentum in litem est quoque triplex, scilicet Juramen- 18
tum in litem de veritate, Juramentum in litem de affectio- 19
ne, & Juramentum in litem de interesse; *Communis. Juramentum in litem de veritate*, seu vera æstimatione est illud, quod defertur spoliato, aut damnum passo super vera æstimatione, seu valore rei per vim, aut dolum alterius amissæ, quando alia probatio haberi non potest, *l. In actionibus §. Sed & in his ff. de in litem jurando*. Si quis enim v. g. legitime probaverit violentiam sibi factam, nec tamen singula ablata liquido probare valeat, eo quod difficile sit probare singulas minutas quantitates, seu parvas res ab hoc sibi ablatas fuisse, tunc Judex inspecta personarum, & negotii qualitate, debet damnum illatum taxare, & postea damnum passo juramentum super rebus sibi ablatis, earumque valore deferre, quod videlicet tantum, & non minus sibi ablatum fuerit, & in tali casu erit standum ejus juramento usque ad quantitatem taxatam, Textu expresso *in l. Si quando 9. Cod. Unde vi, & cap. Super eo 7. de iis, quæ vi, metusve causa fiunt*.

Juramentum *in litem de affectione* est illud, quod defer- 20
tur spoliato, aut damnum passo, non tantum super vera æstimatione, seu valore rei sibi dolo ablatæ, vel destructæ, sed etiam quantum res illa valebat juxta suam affectionem. Si quis enim v. g. mihi abstulerit, aut destruxerit Codicem, seu librum valentem communi æstimatione quinque scuta, & ego non dedissem pro decem scutis, eo, quia mihi charissimus erat ob singulares annotationes magno meo labore in ipso conscriptas, tunc Judex in pœnam dolosæ, aut contumaciter restituere recusantis, potest mihi injuste spoliato deferre Juramentum, quo juxta etiam meam privatam affectionem erga talem Codicem, seu librum illum sic æstimem, & jurem, quod illum nec dedissem pro decem scutis, & inde Judex, si non prius taxavit, potest ipsum taxare, & juxta communem æstimationem, & privatam meam limitatam, & rationabilem affectionem, *l. Videamus 4. §. Deferre, & §. Item videndum ff. de in litem jurando, & ibi* Glossa *verb. Ex magna causa, vers. Tu dicas*.

Juramentum *in litem de interesse* est illud, quod, defertur, 21
& præstatur super interesse singulari, & extra rem. Si quis enim v. g. pecuniam penes me deposuerit tali tempore restituendam, & ego dolose pro tali tempore non restituerim, & ideo ipse grave damnum sit passus, ex quo defectu talis non restitutæ pecuniæ perdiderit pignora sub usuris, vel fuerit coactus emere merces interim pretio adauctas, tunc Judex propter meam dolosam, & culpabilem dilationem restituendi pecuniam, potest deferre Depositori juramentum in litem de suo interesse singulari extra rem scilicet, ut ipse juret in litem secundum æstimationem damni, quod passus est ratione meæ dilatæ culpabiliter, & dolose ultra conventum tempus, restitutionis talis pecuniæ, & hujusmodi; *leg. Nummis 3. §. Nisi forte ff. de in litem jurando*.

Ad juramentum litis decisorium, ejusque delationem re- 22
quiritur, quod lis existat dubia, nec alio modo legitimo de veritate constare possit; *Communis*, textu expresso *in cap. Sicut 2. de probationibus*, ubi reprobatur etiam consuetudo in contrarium, ibi; *Nos, (cum tunc demum ad hujusmodi)* scilicet juramentum (*sit suffragium recurrendum, cum alia legitimæ probationes deesse noscuntur,*) *talem consuetudinem reprobamus*.

Ad Juramentum litis decisorium voluntarium, seu con- 23
ventionale requiruntur, & sufficiunt ea, quæ requiruntur, & sufficiunt ad pactum, seu transactionem, ut sic, idest, ut tam deferens, quam præstans juramentum a jure non prohibeantur, nec simpliciter, nec super tali re jurare, seu transigere; juramentum enim voluntarium, seu conventionale speciem continet transactionis, *l. 2. ff. hoc titulo*, adeoque ad istud sufficiunt ea, quæ ad transactionem; *Communis*.

Ad Juramentum litis decisorium judiciale, seu quod pars 24
parti defert in judicio, requiritur insuper, quod, causa cognita, sit a Judice approbatum; *l. In bonæ fidei Cod. De rebus creditis, & l. Generaliter §. Sed juramentum Cod. eod.* ubi sic expresse habetur: *Sed Juramento illato cum hoc a partibus factum fuerit, & a Judice approbatum*.

Ad juramentum necessarium, seu suppletorium plura co- 25
pulative requiruntur. Primo, ut causa sit dubia, nec aliæ possint haberi legitimæ probationes; *cit. cap. Sicut 2. de probationibus*. Si enim Auctor plene probavit, Reus est condemnandus, nec tunc est locus juramento suppletorio, *cit. cap. Sicut 2. & cap. In præsentia 8. de probationibus*. Secundo, quod causa sit saltem semiplene probata. Si enim Actor nihil probavit, absolvendus est Reus, etiamsi is nihil præstiterit; *l. Qui accusare Cod. De edendo, & cap. Cum Ecclesia §. fin. de causa possess.* Unde nec opus est, quod tunc Reus juret: *Communis* cum Glossa *in cit. l. In bonæ fidei, verb. decidi Cod. de rebus credit*. Tertio, quod deferatur solum personæ habenti veram scientiam causæ per proprios sensus corporeos, *arg. cap. Testes 15. cauſ. 3. q. 9. & l. Testium Cod. de Testibus*, Glossa *in l. Bonæ fidei verb. Decidi ff. de rebus credit*. Quarto, quod deferatur solum personæ legali, idest honestæ, & fide dignæ, non autem vili, infami, seu tali, quæ secundum Leges a ferendo testimonium repellatur; *arg. cap. Nulli 3. q. 4. cap. Constituimus 5. q. 5. cap. Testes 2. q. 7. cap. Præterea 7. de Testibus cogend.* cum similibus.

Juramentum necessarium, seu suppletorium, cæteris pari- 26
bus est potius deferendum Reo, quam Actori. Glossa *in l. Admonendi, verb. Exacto Jurejurando ff. de Jurejurando*, Speculator *tit. De Juramenti delatione n. 9.* Abbas *in cap. Juramenta 36. de Jurejurando §. Sane n. 9.* Barbosa *ibid. n. 6.* Reiffenstuel *lib. 2. decret. tit. 24. n. 191.* Mascardus *de probat. q. proem. n. 53.* Menochius *de arbitr. Judic. l. 2. cas. 190. n. 19.*, & alii

& alii passim innixi *cit. cap. Juramenta* 36. *de Jurejurando* §. *Sane*, ubi sic dicitur: *Præsumptione vero faciente pro illo* (scilicet pro Actore, ut explicat Glossa) *Deo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum, nisi Judex (inspectis personarum, & causæ circumstantiis) illud Actori videat deferendum*. Quibus verbis, ut vides, statuitur juramentum esse potius ceteris paribus deferendum Reo, quam Actori; hic autem cetera supponuntur esse paria, cum supponatur, & quod Actor semiplene probaverit suam intentionem, & Reus suam defensionem, & sit æqualis conditio, atque legalitas utriusque, adeoque ceteris paribus Reo potius, quam Actori est deferendum Juramentum, favente etiam Regula undecima juris in 6. ubi sic expresse statuitur: *Cum sint partium Jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori, & leg. Favorabiliores ff. De regulis Juris*, ubi sic dicitur: *Favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur*.

27 Si Actor semiplene probaverit, Reus autem nihil præstiterit, & sint ambo æque legales, tunc Juramentum est Actori, & non Reo deferendum; Jason *in Repetit. l. Admonendi n.* 314. *ff. de Jureiurando*, Menochius *lib.* 2. *de Arbitrar. Judic. cas.* 190. *n.* 19. *&* 20. Pirhing. *lib.* 2. *decret. tit.* 24. *n.* 90. Reiffenstuel *ibid. n.* 195. Fachineus *lib.* 1. *controv. Jur. c.* 18. & alii. Et ratio est, quia cum Reus, ut supponitur, nihil ad suam defensionem præstiterit, sed solum verbis Actoris intentionem negaverit: Actor vero ipsam suam intentionem semiplene probaverit, Judex debet induci ad opinandum melius, & potius esse jus ipsius Actoris, quam Rei, Unde cum Reum absolvere non possit, nec debeat, ex quo per semiplenam probationem *Actoris contra* ipsum sit pene convictus: Neque ipsum Reum simpliciter condemnare possit, & debeat, ex quo Actoris intentio non est plene, sed solum semiplene probata; debet Judex ex probationis inopia causam Jurejurando Actoris decidere, textu expresso *l. In bonæ* „ *fidei* 3. *Codic. de rebus creditis*, ibi: „ In bonæ fidei con„ tractibus, nec non & in ceteris causis inopia probatio„ num per Judicem Jurejurando causa cognita res decidi
28 „ oportet.

Si non omnia sint paria ex parte Actoris, & Rei, relinquitur Judici, ut exacte, perpensis personarum, & causæ circumstantiis, cuinam parti juramentum deferre debeat, prudenter resolvat; *arg. capitul. Juramenta* 36. *de Jurejurando* §. *Sane*, Glossa *ibid. verb. In probatione*, Abbas *ibid. numer.* 9. Joann. Andr. *n.* 6. Reiffenstuel *l. c. num.* 197. & alii
29 passim.

Quando Actor plene probavit suam intentionem, Reus est condemnandus, nec tunc est locus juramento suppletorio,
30 *cap. Sicut* 2. *&* *cap. In præsentia* 8. *de probationibus, & Communis Doctorum*. Quando autem Actor nihil probavit, absolvendus est Reus, etiamsi is nihil præstiterit, nec tunc opus est, ut Reus juret; *l. Qui accusare Cod. de edendo, cap. Cum Ecclesia* 3. §. *fin. de causa possess. & cap. Juramenta* 36. §. *Sane, de Jurejurando*, ubi sic præcise statuitur: *Sane si Actor omnino in probatione defecerit, Reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere*. Et in ejus Summario sic dicitur: *Actore nihil probante, Reus est absque omni onere absolvendus*. Sic Doctores communiter.

31 Juramentum litis decisorium voluntarium libere potest recusari, adeo ut, nec sit opus illud referre alteri parti; Glossa; *in leg. Jusjurandum, quod ex conventione ff. de Jurejurando, verb. non potest*, Jason *ibid. num.* 1. Abbas *in cit. cap. Juramenta num.* 1. Reiffenstuel *lib.* 2. *decret. tit.* 24. *num.* 221. Vallensis *de jurejurando* §. 5. *num.* 1. & alii passim. Tale enim juramentum, cum sit omnimode voluntarium, nequit
32 deferri, nec referri in invitum, *argum. leg.* 1. 2. *&* 3. *De jurejurando*. Nisi forte inter Partes jam fuerit conventum quod una earum determinate juret, tunc enim ab ea præstandum est juramentum, alias succumbet, adeo ut, si illa nolit postea jurare, sed velit juramentum alteri parti deferre, illud referre non potest; *leg. Jusjurandum, quod ex conventione ff. de Iurejurando*, ibi: *Insjurandum, quod ex conventione extra judicium defertur, referri non potest*. Tale enim juramentum extra judiciale, quamvis a principio sit voluntarium, tamen ex prævia conventione, seu susceptione redditur necessarium, juxta illud vulgatum: *Quod a principio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis*, atque patet *ex leg. Sicut Cod. De action. & obligat. & leg. In commodato* §. *Sicut ff. Commodati*, & facit *Regula* 85. *Iuris in* 6. ibi; *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*, & sic tenent Doctores citati.

Iuramentum judiciale, quod, Iudice approbante a parte 33
parti refertur, nequit libere recusari, sed pars, cui delatum est, debet, aut jurare, aut juramentum referre, aut solvere; *leg. Jusjurandum* 34. §. *Ait Prætor ff. de jurejurando*, ibi: *Ait Prætor, eum, a quo jusjurandum petetur, solvere, aut jurare cogam. Alterum itaque eligat Reus, aut solvat, aut juret . . . Datur autem, & alia facultas Reo, ut, si jurabit, referat jusjurandum*, & concordat *leg. Generaliter* §. *Sin autem Cod. de rebus credit. & l. Delata Cod. eod.* Et ratio est, quia, ut expresse dicitur *in l. Manifestæ* 38. *ff. de jurejurando: Manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle nec jurare, nec juramentum referre*; Et sic tenet Glossa communiter recepta *in cap. Iuramenta* 36. *de jurejurando, verb. A te*.

Excipitur tamen Actio famosa, ut est Actio furti, & hujus- 34
modi. Nam conventus actione famosa non potest hujusmodi juramentum referre, textu expresso *in cit. cap. Iuramenta* 36. *de jurejurando* §. 1. ibi: *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum*, & concordat *l. Marcellus* §. *final. ff. de action. rerum amotar., & l. Ideo Labeo ff. eodem*. Et ratio est clara, quia conventus actione famosa, v. gr. quod gemmam, vel annulum abstulerit, melius præsumitur scire veritatem, quam Actor gemmam, seu annulum hujusmodi repetens. Unde juremerito taliter conventus non permittitur juramentum sibi ab Actore delatum eidem referre, cum talis Reus certo sciat, an gemmam, seu annulum alteri abstulerit, quod Actor tam certo scire non potest, cum dentur gemmæ, & annuli multum sibi similes, adeoque non posset adeo certa, & tuta conscientia jurare; & sic dicendum venit de *conventis* super aliis criminibus infamiam irrogantibus, melius enim ipsi præsumuntur scire veritatem, scilicet, an commiserint illa crimina nec ne? quam Actores, seu Accusatores eorum.

Iuramentum litis decisorium necessarium, seu a Iudice 35
parti delatum sine justa causa recusari non potest, nec etiam alteri parti referri, & si secus fiat, tunc illud recusans habetur pro convicto, *cap. Iuramenta* 36. *de jurejurando, & leg. Generaliter* 12. §. *Sin autem Cod. de rebus creditis*. *Est communissima*.

Justæ autem causæ recusandi juramentum necessarium, vel 36
etiam judiciale a Judice approbatum, plures a Doctoribus assignantur. Prima justa causa est, si Actor plene probavit suam intentionem, tunc enim potest is recusare juramentum sibi ulterius oblatum, sive a parte, sive a Judice; non enim potest amplius compelli jurare; *cap. Sicut* 2., *& cap. In præsentia* 8. *de probationibus*. Secunda est, si Actor nihil probavit, nequidem semiplene; Tunc enim Reus nequit cogi ad jurandum, quamvis Actor se obtulerit ad standum ejus juramento; *leg. Qui accusare Cod. de edendo, cap. Cum Ecclesia* 3. §. *final. de causa possess., & cap. Iuramenta* 36. §. *Sane, de jurejurando*. Tertia est, si is, cui defertur, vel refertur ejusmodi juramentum veritatis, ac rei gestæ est ignarus, vel probabilem ejus oblivionem, aut ignorantiam allegat, *leg. Iusjurandum* §. 1. *ff. de jurejurando, leg. Marcellus* §. *Qui rerum ff. de action. rerum amotar.* Glossa *in cit. cap. Iuramenta, verb. Nisi justa de causa*. Quarta est, si materia, vel causa sit talis, quod super ipsa nequeat deferri, seu referri juramentum; tunc enim juramentum merito potest recusari, ut v. g. in materiis, & causis arduis, & magni momenti, vel præjudicii, in quibus ob avaritiam hominum magis urget periculum perjurii, gravisque præjudicii proximo injuste inferendi; Sic tenent communiter Doctores cum Pirhing *lib.* 2. *decretal. tit.* 24. *num.* 56. Reiffenstel *ibidem num.* 186. *&* 232. Quinta est, si causa sit Criminalis, & agatur criminaliter ad vindictam publicam, tunc enim potest recusari juramentum suppletorium, quia in tali causa probationes debent esse luce meridiana clariores; *leg. ultim. Cod. de probationibus*, & necesse est, ut Reus confessus, vel convictus sit, ut condemnari possit, *leg. Qui sententiam* 16. *Cod. de pœnis*. Sexta est, si actiones, vel personæ sint tales, quæ coram tali Judice tractari, seu conveniri non possint, tunc enim potest recusari juramentum, quia non cogitur quis ibi jurare, ubi non potest conveniri, *leg. Tutor* §. *final. ff. de jurejurando*. Septima est si persona, cui defertur juramentum, non teneatur jurare, ut Pupillus, Procurator, aut Defensor rerum alienarum; Isti enim non possunt compelli ad jurandum, *leg. Iusjurandum* §. *Pupillo ff. de jurejurando*. Octava est, si persona deferens prohibeatur alteri deferre juramentum, ut Procurator non habens ad hoc speciale mandatum, vel generale mandatum cum libera, & plena facultate, *leg. Jusjurandum, quod ex conventione* §. *finali. ff. de jurejurando*. Item Prodigus, & Furiosus cum similibus, *l. Tutor* §. *Prodigus ff. de jurejurando*.

Quamvis omnes homines rationis usu præditi ex natura 37
rei sint capaces juramenti edendi, etiamsi pueri ante pubertatem, prout constat ex *cap. Pueris* 1. *de delictis populorum*, ubi habetur, pueros ante quartumdecimum annum perjuros esse posse; Tamen pueri ante talem 14. annum, seu ante pubertatem non sunt cogendi ad jurandum in Judicio, textu expresso *in cap. Parvuli* 14., *& cap. Pueris* 15. *eauf.* 22. *qu.* 5., quia, ut dicit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 80. *art.* 10. *in corpore*, pueri nondum habent perfectum usum rationis, quo possint
38 cum reverentia debita juramentum præstare. Imo ad jurandum in Judicio ante talem annum non sunt admittendi; quia nondum tantam rationis discretionem habere censentur, ut eorum juramentum cum partis litigantis præjudicio recipi debeat; Layman *Theolog. Moral. lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 12. *num.* 3. Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 6. Pirhing *lib.* 2. *decretal. cit.* 24. *num.* 21. & alii passim, *arg. l.* 3. §. *Lege Iulia ff. de testibus*, & similibus.

39 Perjuri ad jurandum in Judicio non admittuntur, *cit. cap. Parvuli* 14. *eauf.* 22. *quæst.* 5. & tenet Communis Doctorum, quia cum semel pejerasse constet, periculum, & suspicio est
40 eos iterum esse pejeraturos. Item ad jurandum in Judicio non admittuntur infames infamia Juris, vel facti, Usurarii, Judæi, inimici capitales, pauperes suspecti de perjurio, neculli alii, qui ratione maculæ, seu vitii, aut defectus repelluntur a testificando; *arg. cap. Nulli* 3. *quæst.* 4. *Cap. Constituimus* 3. *quæst.* 5. *cap. Testes* 2. *quæst.* 7. *cap. Præterea* 7. *de testibus cogend.* cum similibus, & concordat textus *in Lege Iulia ff. de*
41 *testibus* cum similibus, vide *verb. Testes*. Supradicti autem admittendi non sunt in Judicio solum ad juramentum, quod ad honorem, vel favorem jurantis spectat, ut est juramentum purgationis, vel probationis supplendæ, vel etiam testimonii ferendi. Iuramenta autem, quæ potius oneris sunt, quam honoris; uti est juramentum calumniæ, & fidelitatis, & hujusmodi, etiam perjuri, & alii infames præstare debent, & hoc *ne videantur de sua malitia commodum reportare*, ut de aliis dicitur *in cap. Intelleximus* 7. *de Iudiciis*. Sic Glossa *in cit. cap. Parvuli* 14. *eauf.* 22. *quæst.* 5. *verb. Causa*, Sanchez *lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 5. Layman *loc. cit. n.* 3. Pirhing *loc. cit. n.* 23. & alii passim.

42 Sacerdotes in levi causa non debent compelli ad jurandum in Judicio, *cap. Si quis Presbyter* 4. *eauf.* 2. *quæst.* 4. ubi ex-
43 presse dicitur: *Sacerdotes ex levi causa jurare non debent*. In casu tamen necessitatis, vel magnæ utilitatis, v. g. ad sui purgationem, vel ad probandam alterius innocentiam, vel ad tuenda sua, vel Ecclesiæ suæ Iura, quæ alioquin ex defectu probationum graviter læderi, vel perdi possent. Item pro fide, pace, obedientia, absolutione a vinculo Excommunicationis possunt jurare etiam Sacerdotes, ac Religiosi; S. Thomas 2. 2. *quæst.* 80. *art.* 10. Silvester *verb. Iuramentum* 2. *quæst.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 11. *cap.* 11. *quæst.* 6. Sanchez *loc. cit. n.* 7. Pirhing *lib.* 2. *decretal. tit.* 24. *num.* 22. Reiffenstuel *ibidem n.* 25. & Communis aliorum; Idque desumitur *ex cap. Significasti* 4. *de election. cap. Ad reprimendam, de Officio Ordinar.* Et habetur expresse decisum *in cap. Etsi Christus* 26. *de Iurejurando*, ubi Summus Pontifex Innocentius III. solvit etiam contraria, ob quæ aliqui Religiosi, veluti vitæ perfectioris æmulatores jurare timuerunt in Iudicio pro causis suæ Ecclesiæ, & in ejus Summario sic præcise dicitur: *Licite ex causa necessaria etiam per Religiosos juratur*. Tum quia Clerici in causis suarum Ecclesiarum, imo & in propriis suis causis præstare possunt juramentum calumniæ, *cap. Inhærentes* 1., *& cap. Cæterum* 5. *de juramento calumniæ*. Quinimo in Iure ipso Canonico est expresse statutum, quod non credatur testi, quamvis Religioso, nisi juratus deponat *cap. Nuper* 51. *de testibus*, ibi: *Respondemus, quod nullius testimonio quantumcumque Religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in alterius præjudicium debet credi*, & in ejus Summario sic dicitur; *Non creditur testi etiam Religioso, qui sine juramento deponit*.

44 Quamvis autem Clerici, sive Religiosi etiam Sacerdotes, exigente necessitate, possint juramentum præstare voluntarium coram Laico, *arg. cap. Ex rescripto* 9. *de Jurejurando, & cap. Provenit* 2. *de Fidejussoribus*; Non debent tamen, nec possunt jurare coram Laico, tanquam Superiore suo exigente ab ipsis juramentum coactivum, sive necessarium sine licentia sui Prælati; *cap. Quoties* 21. *causa* 22. *qu.* 5. ibi: *Iuramentum vero Clericus Laico præstare non debet, & Cap. Nullus* 22. *eod. caus. & quæst.* ibi: *Nullus ex Ecclesiastico Ordine cuiquam Laico quidquam super Sacra Evangelia jurare præsumat; & cap. Inhærentes* 1. *de juramento calumniæ*, ubi Summus Pontifex Honorius III. postquam adduxit Statutum, seu Constitutionem Henrici Imperatoris omnimode prohibentis Clericos, & Religiosos compelli ad jurandum in manibus Laicorum his verbis; *Nos itaque Divinæ, & humanæ Legis intentione servata decernimus, & imperiali auctoritate irretractabiliter diffinimus, ut non Episcopus, non cujuscumque Ordinis Clericus, non Presbyter, Abbas, non aliquis Monachus, vel Sanctimonialis in causa quacumque sive controversia, seu criminali, seu civili Iusjurandum compellatur qualibet ratione subire; sed aliis idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverint) hujusmodi Officium liceat delegare*. Statim subjungit: *Verum cum hac moderatione, ut Episcopus inconsulto Romano Pontifice, quisque Clericus inconsulto Prælato suo minime jurare audeat*. Sic tenent Sanchez *lib.* 3. *in Decalog. cap.* 3. *num.* 8. Silvester *verb. Iuramentum* 2. *qu.* 3. Layman. *loc. cit. num.* 5. Pirhing *loc. cit. num.* 22., & alii passim. Vide verb. *Testes art.* 1. *a numer.* 106.

Novæ additiones ex aliena manu.

OMnes Iuramenti judicialis species persequi nimium esset. Pauca tantum habebimus de Iuramento suppletorio, tum de Iuramento purgatorio.

Suppletorium Iuramentum non inveteratis nostrorum Pragmaticorum erroribus, uti *Faber de errorib. Pragmatic. Decad.* 19. *err.* 1. blaterat; sed Iur. Civili *in l.* 31. *ff. de Iurejurando, & in l.* 3. *Cod. eod.* confirmato a Iure Canonico *in cap.* 2. *de Probationib.* originem debet. Consule *Seraphin. de Privileg. Iurament. Privil.* 33. *num.* 3.

Est autem Iuramentum suppletorium, quod a Iudice causa cognita, vel Reo si suum exceptionem, vel Actori si actionem, licet non perfecte, tamen ad minimum semiplene probavit, ad decidendam hanc causam dubiam imponitur Parte etiam non petente.

Posita semiplena probatione, de qua adeundus *Stryk juridic. dissert. vol.* 7. *disput.* 1. *per tot.* requisita Juramenti suppletorii commodissime ad tres illos Juramentorum comites, *veritatem* scilicet, *judicium*, & *justitiam* referri possunt.

Requiritur igitur primo *veritas*. Hinc Juramentum suppletorium super *credulitate* deferri nequit, ut quidquid contradicat *Carpzov. Iurisprud. Forens. part.* 1. *constit.* 23. *definit.* 8. firmant *Esbach Not. in Carpzov. loc. cit. n.* 2. *Stryk de Jur. sensuum in Proœmio num.* 39. *& sequent.* Adde *Brunnem. de Proces. Civil. cap.* 23. *num.* 25. Vide tamen casus, in quibus Juramentum suppletorium super credulitate deferri potest apud *Bohemer in Decretal. lib.* 2. *tit.* 24. §. 72.

Requiritur secundo *judicium*. Hoc desultoriam levitatem in jurando respuit, temeritatemque excludit, ne contrario plenam animi deliberationem in jurante exigit, ut cogitationibus negotium accurate perpendat. Oportet igitur Jurantem personam esse legalem & fide dignam; Quapropter ei, contra quem præsumptio est, quod falsum dicat Juramentum, hoc haud defertur, tametsi semiplenam probationem pro se habeat. Neque hoc remedium juris semel pejeranti homicidæ, Usurario, condemnato actione furti, injuriarum, aliisque infamiæ juris & facti notatis conceditur.

Requiritur demum *Justitia*, quæ observatur, dum Judex ad hujus Juramenti delationem nonnisi causa cognita devenit.

Pertinet autem potissimum ad hanc Causæ cognitionem, ut Iudex probe perpendat, an Causæ qualitas ita sit comparata, ut supplementum hoc probationes admittat. Quædam enim privilegiatam hanc probationem respuunt, & ordinariam probationem desiderant.

Huc pertinent primo *Causæ criminales*, vide tamen limitationes apud *Carpzov. de Proces. tit.* 12. *art.* 2. *numer.* 73. Secundo Causæ *Matrimoniales*. Tertio Causæ *famosæ*, in quibus condemnatus evadit infamis.

Quinimo in omnibus actionibus civilibus, quæ sunt *arduæ*, quamvis semiplena probatio facta sit, Iuramento suppletorio locus haud est. Tales sunt *pecuniariæ graves*, *Beneficiales*, *Feudales*, *Causæ status*, aliæque plures; Confer *Minsinger. centur.* 1. *observat.* 69., *Seraphin. de Privileg. Iurament. privil.* 33. *numer.* 129. *& sequent.* Nota vero, Causas hasce haud excludere probationem semiplenam majorem,

rem, cum legalitate Perſonæ, pro qua Ius præſumit conjunctam, quia tunc demum ſuppletorium Iuramentum locum ſibi vindicat.

17 Vide & alios caſus, in quibus locus haud datur Iuramento ſuppletorio apud *Stryk. Iuridic. diſſert. vol. 7. diſput. 1. cap. 5. §. 8.*, & potiſſimum *vol. 11. diſput. 29.* quæ eſt *de cauſis Iuramentum ſuppletorium reſpuentibus*.

18 Num autem contra Iuramentum ſuppletorium jam præſtitum probatio contrarii admittatur, non levis quæſtio eſt. Affirmant tamen *Carpzov. Iuriſprud. Forenſ. part. 1. conſtitut. 15. definit. 5. Nicolaus Calvolus in Praxi Iudiciali §. Sententia definitiva concluſ. 1. num. 97.*

19 Deveniamus ad Iuramentum purgatorium. Hoc Judex in Cauſa dubia Actori, vel Reo ſuſpicione, probatione ſemiplena inferiore gravato, ad eam elidendam imponit, & quidem ex officio.

20 Quæ autem præſumptiones adeſſe debeant, ut purgatorio huic Juramento ſit locus, tradunt *Lauterbacus, Struvius*, aliique ad Tit. *ff. de Iurejurando*.

21 An poſt hujus Jurisjurandi præſtationem locus ſit probationi contrarii, pariter diſputatur, ſententiamque affirmativam tenent *Setſer. de Iurejur. lib. 3. cap. 11. num. 45. & ſequent. Brunnem. de Proceſſ. Civil. cap. 23. num. 38.*

22 Idque non ſolum ſi Juramentum purgatorium in Cauſa civi-
23 li præſtitum ſit, verum etiam ſi ſit præſtitum in Cauſa criminali; *Minſinger. centur. 2. obſervat. 82. fere per tot. Tabor. de confront. diſp. 3. Theſ. 16.*

24 Sequitur hinc, quod is qui jure retractus legali uti vult ad elidendam fraudis ſuſpicionem, licet juramento ſe purgaverit, quod pro ſe non pro alio retraxerit, nihilo tamen minus contra hoc Juramentum locus eſt probationi contrarii. *Menoch. de Arbitrar. Iud. quæſt. lib. 1. q. 76. num. 17., Suarez in Theſaur. recept. opinion. lit. I. num. 313.* Alia exempla affert *Stryk, Iuridic. diſſert. vol. 7. diſp. 28. cap. 2. §. 7.*

26 Omittendum haud eſt, diverſum ab hoc purgatorio juramento eſſe *juramentum de veritate dicenda*, quod nonnullis
27 in Tribunalibus Reis indiſtincte deferebatur ex conſuetudine potius, quam ex jure. Quocirca prohibitio facta a Concilio Romano *tit. 13. cap. 62.* hujus juramenti de veritate dicenda, non cadit ſuper juramento purgatorio.

ARTICULUS III.

Juramentum promiſſorium quoad ea, quæ concernunt ejus interpretationem, obligationem, irritationem, diſpenſationem, & relaxationem, ſeu remiſſionem.

1 JUramentum in dubio eſt ſtricte interpretandum, tum propter gravem, quam in ſe continet, Religionis obligationem, tum propter perjurii periculum, adeoque illud, quod palam verbis expreſſum non eſt, cenſetur omiſſum; *l. Quidquid aſtringendæ ff. de verbor. obligat.* ibi: *Quidquid aſtringendæ obligationis cauſa dictum eſt, id niſi palam verbis exprimatur, omiſſum eſſe intelligendum eſt, aut certe ſecundum promiſſorem interpretandum*. Et hoc colligitur etiam *ex cap. Cum Clerici 19. de verb. ſignific.*, ubi juramentum a quopiam editum ſtricte per Innocentium III. Summum Pontificem interpretatur, & concordat *cap. Contingit 1. de jurejurando in 6.* Et ratio eſt, quia, ubi agitur de inducenda obligatione, utpote quid odioſum, debet fieri ſtricta interpretatio; *cap. Odia 15. de Regulis Iuris in 6.* ibi; *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari*. Et ſic tenent communiter Doctores.

2 Juramentum bona fide, & ſine dolo generaliter præſtitum eſt interpretandum ſecundum intentionem jurantis, neque extendendum eſt ad incogitata, ſeu ad ea, de quibus jurans in ſpecie non cogitavit, & ſi menti occurriſſent, veriſimiliter non promiſiſſet, ſed excepiſſet; *arg. cap. Veniens 16. de jurejurando*, ubi Innocentius III. Summus Pontifex definivit non eſſe ſervandum quoddam juramentum, quia jurans *nequaquam taliter juraſſet, ſi mandatum illud ſibi contrarium præſciviſſet*. Et ita docent Gloſſa *ibidem verb. Præſciviſſet*; Abbas *ibid. num. 4.* Ioann. Andr. *n. 9.* Barboſa *n. 4.*, & alii Canoniſtæ communiter, Pirhing *lib. 2. decretal. tit. 24. n. 109.* Reiffenſtuel *ibid. n. 44.*, & S. Thomas *2. 2. q. 98. art. 2. ad 3.* ubi docet, quod ſi quis V. G. juravit ſe alteri in omnibus pariturum, tale juramentum eſt interpretandum, dummodo non illicita, vel importabilia, & immoderata, & ſtatui ſuo obviantia, ſeu contraria ei præcipiat, *arg. cap. Contingit 1.* 3
§. final. de jurejurando in 6. quia in generali promiſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non promiſiſſet, aut promittere non potuiſſet; *arg. cap. In generali 81. de Regulis Iuris in 6.* ibi; *In generali conceſſione non veniunt eâ, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus*.

Si autem jurans doloſe præſtitit juramentum ſub verbis æquivocis ad decipiendum eum, cui juravit, tunc juramentum eſt interpretandum, & obligat juxta intentionem recipientis, ideſt, juxta ſanum intellectum illius, cui juratur; *cap. Quacumque 9. cauſ. 22. q. 5.* ibi; *Quacumque arte verborum quiſquis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicuti ille, cui juratur, intelligit; Dupliciter autem Reus ſit, quia, & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit*. Et ſic tenent S. Thomas *2. 2. q. 89. art. 7. ad 4.* Angelus *verb. Iuramentum 4. num. 1.* Navarrus *cap. 12. manual. num. 13.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 48.* Sanchez *lib. 3. in Decalog. cap. 10. n. 4., & n. 12. 13. & 14.* Covarruvias *in cap. Quamvis, de pactis in 6. part. 1. §. 5. n. 1. & 2.* & alii paſſim. Et ratio eſt, quia *Fraus, & dolus alicui patrocinari non de-* 4
bent, cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de Reſcriptis; cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumacia, cap. Tuæ 14. de Clericis non reſidentibus, & leg. In fundo ff. de vei vind. leg. Cum hi ff. de tranſact. & in leg. Si Legatarius Cod. de Legatis, ibi; *Ut non accipiat fructus ſuæ calliditatis*.

Juramentum præſtitum circa materiam Iuris (ideſt circa illa, de quibus Ius ipſum aliquid diſponit) eſt interpretandum ſecundum diſpoſitionem Iuris, nec eſt ultra extendendum; *arg. cap. Ad noſtram 21. de jurejurando*, in cujus Summario ſic præciſe habetur; *Iuramentum generale debet ita intelligi, ſi fieri poteſt, ut non obviet Iuri; alias tamquam temerarium non obligat contra Iuris obſervantiam*, & concordat textus *in leg. ult. ff. Qui ſatisdare cogantur*, ibi; *Qui juramento promiſit Iudicio ſiſti, non videtur peje raſſe, ſi ex conceſſa cauſa hoc deſeruerit*, & ſic tenet Gloſſa *in cap. Contingit 1. verb. Declaramus, de jurejurando in 6.* Abbas *in cap. Tua nos n. 4. de Eccleſiis ædificandis*, Innocentius *in cap. Per litteras, circa medium, de Arbitris*, Pirhing *lib. 2. decretal. tit. 24. n. 107.* 5
Reiffenſtuel *ibid. n. 41.* Layman *Theolog. moral. lib. 4. tract. 3. cap. 9. n. 2.* & alii paſſim. Et ratio eſt, quia in quolibet juramento promiſſorio tacite ſubintelliguntur, atque ipſo Iure ineſt conditio illa, Salvo Iure, & auctoritate ſuperioris (ſcilicet Supremi Legislatoris) *cap. Venientes 19. de jurejurando*.

Unde in omni Juramento promiſſorio, quamvis abſolute facto, quædam tacite ſubintelliguntur conditiones; ſicuti docent Gloſſa *in cap. Quemadmodum 25. de iureiurando, verb. Conditio*; Abbas *ibid. n. 8.* Pirhing. *loc. cit. n. 119.* Reiffenſtuel *loc. cit. n. 51.* Silveſter *verb. Iuramentum 3. q. 1.* Suarez *lib. 2. de iuramento cap. 34.* Layman *loc. cit. num. 4.* & alii, & clare colligitur *ex cit. cap. Quemadmodum 25. §. 1. de iureiurando*, ibi; *Non obſtante huiuſmodi iuramento, quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio*.

Prima conditio, quæ in juramento promiſſorio tacite, ac ipſo iure ſubintelligitur, eſt, *Si potero*, quia *ex cap. Nemo 6. de Regulis Iuris in 6. Nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, & hoc procedit, nedum de impoſſibili phyſice, ideſt quod na-
turaliter fieri non poteſt, ſed etiam de impoſſibili moraliter, 7
id eſt, quod licite fieri non poteſt, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis; *cap. Quanto 18. de iureiurando, cap. Contingit 1. eod. in 6.* Nam de Iure illud tantum poſſibile, & fieri poſſe cenſetur, quod licite fieri poteſt, *cap. Fraternitatis 15. cauſ. 22. q. 2. iuncta Gloſſa verb. Quod poteſt*.

Secunda eſt: *Salvo iure, & auctoritate Superioris*, col- 8
ligitur clare *ex cap. Venientes 19. de iureiurando*, ibi; *Cum prædictum iuramentum vos excuſare non poſſit, in quo debet intelligi Ius Superioris exceptum*. Et in eius Summario dicitur; *Non valet iuramentum præſtitum in præjudicium Iuris Superioris*, & concordat *cap. Ea te 22. de iureiurando*, ubi illicitum, nec ſervandum ſtatuitur juramentum, quod, ſalvo Apoſtolicæ Sedis honore, ſervari nequit.

Tertia eſt; *Niſi is, in cuius favorem iuratum eſt, ſponte remiſerit*, quia quilibet poteſt rem vi juramenti ſibi debitam, alteri remittere, & condonare, cum quilibet ſuo juri renunciare poſſit; *cap. Si diligenti 12. de foro competent. & cap. Si de terra 6. de privilegiis*, ubi ſic expreſſe habetur; *Cum liberum ſit unicuique Iuri ſuo renunciare*. Tum quia benefi-
cia

cia non conferuntur in invitum, textu expreſſo *in l. Invito ff. de Regul. Iuris*, requiritur enim ejus acceptatio, *l. Abſenti ff. de donation.* adeoque &c.

Quarta conditio eſt; *Si res in eodem ſtatu permanſerint*, 9
ideſt non fuerint notabiliter mutatæ, quia veriſimile non eſt jurantem habuiſſe intentionem ſe obligandi ad rem adeo difficilem, vel etiam indecentem, qualis contingere ſolet, ubi notabilis mutatio ſupervenit, adeoque ejus juramentum eſt interpretandum, quod ad caſum adeo improviſum, & incogitatum ſe non extendat, colligitur *ex cap. Veniens 16. cap. Brevi 17.* ibi; *Niſi difficultas exiſtat, propter quam requiſitus non poſſit Eccleſiæ ſubvenire, cap. Quemadmodum 25. & cap. Petitio 31. de jurejurando*, & concordat textus *in l. Cum quis §. 1. ff. de ſolutionibus*, ibi: *Tacite hæc conventio ineſſe ſtipulationi videtur, ſi in eadem cauſa maneat*.

Quinta conditio, maxime in pacto, vel contractu etiam 10
jurato ſubintellecta, eſt: *Si & altera pars fidem ſervaverit*, id eſt pacto, ſeu promiſſis ſuis ſteterit, quia *ex cap. Fruſtra 75. de Regulis Iuris in 6. Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem a ſe præſtitam ſervare recuſat*, & habetur expreſſe *in cap. Pervenit 3. de jurejurando*, ibi: *Nec tu ei, etiamſi promiſſum tuum juramento firmaſſes, aliquatenus teneris, ſi conſtet eum conditioni minime paruiſſe*, concordat *cap. Sicut 29. eodem §. Juramentum*, ibi; *Juramentum autem, quod Ioannes ſe aſſerit præſtitiſſe, ſi de aſſenſu factum eſt utriuſque, eum non ligat, qui præſtitit, dum ille, cui præſtitum fuerit, ſervare negligit, quod promiſit*, & in ejus Summario præciſe dicitur; *Non aſtringitur quis juramento ad implendum, quod juravit, ſi ab alia parte non impletur, cujus reſpectu præſtitum eſt juramentum*.

Juramentum ſervandi ſtatuta edita alicujus Eccleſiæ, Ca- 11
pituli, vel Communitatis, Civitatis, Provinciæ, ſeu Regni non eſt interpretandum, quod extendatur ad ſtatuta in poſterum edenda, textu expreſſo *in cap. Clericus 35. de jurejurando*, & ibi Gloſſa, & Doctores communiter. Juramentum enim eſt ſtricte interpretandum ex Juribus adductis ſupra *ſub num. 1.* adeoque, qui juravit ſervare ſtatuta jam edita, nequit intelligi, quo vi talis juramenti voluerit ſe obligare ad ſervanda etiam ſtatuta in poſterum edenda.

Imo, etiamſi quis promittat ſe velle vi juramenti antea 12
præſtiti ſervare illa ſtatuta poſtmodum edita, quia obligatio prioris juramenti non poteſt ultra fines ſui objecti extendi per ſimplicem promiſſionem, objectum autem prioris juramenti fuerunt ſolum ſtatuta jam edita, unde niſi de novo juraverit, promiſſio illa retinet ſolam vim ſimplicis promiſſionis, ac proinde licet quis tranſgredi non debeat, quod promiſit, non tamen cenſendus eſt perjurus, ſi promiſſum non exequatur, cum ad exequendam talem ſimplicem promiſſionem non obligetur ex debito præſtiti juramenti, ut expreſſe habetur *in cit. cap. Clericus 36. de jurejurando*, ibi: „Clericus, qui „juravit ſe ſtatuta in Eccleſia ſua edita ſervaturum, pro„mittens per idem juramentum ſtatutum, quod poſtmodum „ſubſecutum eſt, fideliter obſervare, licet tranſgredi non „deberat, quod promiſit, non tenetur ad illius obſervan„tiam ex debito præſtiti juramenti, *& in ejus Summario* „*ſic præcise dicitur*: Qui juravit ſervare ſtatuta edita, & po„ſtea per illud juramentum aliter non jurando promiſit ſer„vare edenda, ſeu poſtea edita, non tenetur ex juramen„to ad noviter edita.

Item juramentum etiam abſolute, & ſimpliciter præſtitum 13
ſervandi ſtatuta alicujus Eccleſiæ, Collegii, Civitatis, Provinciæ, vel Regni, non addendo *jam edita*, non extenditur ad futura, ſeu edenda, niſi expreſſe in aliqua parte Juramenti fiat mentio, ſeu appareat jurantis intentionem etiam ea ſe ſtricte de futuris. Baldus *in cit. cap. clericus 35. de jurejurando num. 2.* Barboſa *ibid. n. 7.* Pirhing. *lib. 2. decret. n. 105.* Reiffenſtuel *ibid. num. 62.* Angelus *verb. Juramentum 5. num. 35.* Sanchez *lib. 3. in decalog. cap. 14. n. 1.* Azorius *part. 1. lib. 11. cap. 8. quæſt. 7.* Suarez *de juramento cap. 32. n. 11.* & alii plures ab ipſis citati contra aliquos volentes Juramentum ſimpliciter præſtitum de ſervandis ſtatutis extendi etiam ad ſervanda in poſterum edenda. Et ratio eſt, quia Juramentum ob periculum perjurii, & damnum, quod ſequi poteſt, eſt ſtricte interpretandum, ex Juribus adductis *ſupra n. 1.* adeoque non debet extendi ad id, quod verba late ſignificant.

Dummodo tamen poſterius illud ſtatutum non ſit mere de- 14
clarativum prioris, ſeu veteris, quia tunc tale ſtatutum mere declarativum non eſſet vere novum ſtatutum, ſed realiter eſſet idem cum veteri, eo quod declaratio legis retrotrahatur ad tempus conditæ legis; atque a principio jam ineſſe, & infuiſſe cenſetur, *Authent. de raptis mulieribus §. final. Collat. 9.* ubi Imperator de tali Legum ſuarum declaratione loquens ait: „Quam interpretationem non in futuris tantum„modo caſibus, verum in præteritis etiam valere ſancimus, „tamquam ſi noſtra Lex ab initio cum interpretatione tali „promulgata fuiſſet, a Nobis, *concordat textus in l. Ita fideiio„ff. de jure Fiſci*, ibi: Non tantum legem circumveniri vo„luit, ſed etiam interpretationem Legis.„ Et ſic tenent Baldus, & alii ſupracitati Doctores, & Gloſſa communiter recepta *in cap. Sicut Nobis 5. verb. Reſpondemus, de verbor. ſignif. in 6.*

Omne Juramentum promiſſorium debite factum circa ma- 15
teriam honeſtam, & licitam parit obligationem obſervandi illud ex virtute Religionis; *Communis* textu claro *in cap. Si vero 8. de jurejurando*, & concordat *cap. Cum contingat 28. eod., & cap. Quamvis pactum 2. de pactis in 6.* cum ſimilibus. Juramentum autem de re inhoneſta, & illicita mortaliter, 16
ſeu venialiter, nullam parit obligationem; *Communis* textu aperto *in cit. cap. Si vero 8. & cap. Cum contingat 28. de jurejurando, cap. Quamvis 2. & cap. Quia 3. de pactis in 6. cap. Si publicis 1. cap. Eſt etiam 2. cap. Quod David 3. cap. Juravit David 4. cap. In malis promiſſis 5. cap. Si aliquid 6. cap. Unuſquiſque 9. cap. Non eſt obſervandum 13. cap. Si aliquid 16. e. Actione 18. cap. Si quis 19. cap. Si ad peccatum 20. cap. Mulier 21. cap. Inter cætera 22. & cap. Innocens 23. cauſ. 22. quæſt. 4. cap. Non eſt obligatorium 58. & cap. In malis 69. de Regulis Iuris in 6.* Et ratio eſt, quia Juramentum non fuit inſtitutum, ut eſſet vinculum iniquitatis, ut expreſſe dicitur *in cit. c. Quanto 18. de Iurejurando*: ibi: *Cum juramentum non ut eſſet iniquitatis vinculum, fuerit inſtitutum, & in cap. Inter cætera 22. cauſ. 2. quæſt. 4.* ibi: *Porro Juramentum non ob hoc fuiſſe inſtitutum invenitur, ut eſſet vinculum iniquitatis*. Hinc *in cap. Non eſt obligatorium 57. de Regulis Iuris in 6.* expreſſe dicitur: *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum, & cap. In malis promiſſis 69. de Regulis Iuris etiam in 6.* præciſe habetur: *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari*.

Juramentum ſoli Deo factum de opere minus perfecto, & 17
cujus oppoſitum eſt melius, ſicut & juramentum Deo factum de re prorſus indifferente non obligat: *Communis, arg. cap. Scriptura 4. de voto*, ubi ſtatuitur non obligare votum de re impeditiva majoris boni, & licite poſſe elici illud majus bonum, adeoque idem dicendum venit de juramento ſoli Deo facto, quod induit naturam voti, & clare habetur *in c. Pervenit 3. de Iurejurando*, ubi expreſſe dicitur: *Non enim propoſitum, aut promiſſum infringit, qui in melius illud commutat*, & in ejus Summario dicitur: *Non pejerat, qui Iuramenti implementum in melius commutat*.

Juramentum autem factum homini, ſeu Eccleſiæ, vel 18
alicui Communitati de re honeſta, & licita ſemper obligat, neque in aliam quamvis meliorem rem ſolo jurantis arbitrio commutari poteſt; *Communis, arg. cap. Cum contingat 28. de Jurejurando, & cap. Quamvis pactum 2. de pactis in 6.* ubi tamquam recepta Juris Canonici generalis Regula ſtatuitur, quod *Iuramentum homini præſtitum neceſſario ſit ſervandum, quotieſcumque ſine peccato, ſeu ſine ſalutis æternæ diſpendio, & ſine alterius præjudicio ſervari poteſt*.

Ratio vero, quare Juramentum promiſſorium ſoli Deo fa- 19
ctum de opere minus perfecto non obligat, ſed poſſit ſolo jurantis arbitrio commutari in melius; Non ſic autem Juramentum promiſſorium factum homini, eſt, quia in juramento promiſſorio facto homini ſpectatur, quid illi gratius ſit, unde mutari nequit in opus; quod abſolute quidem melius ſit, at ei, in cujus gratiam, ſeu utilitatem fuit factum, ſit minus utile, vel acceptum, cum ſic contentus eſſe non præſumatur. In Juramento autem promiſſorio facto ſoli Deo ſpectatur, quia melius ſit. Unde mutari poteſt in qualecunque opus melius, cum ſic Deus præſumatur eſſe contentus; Layman *Theolog. Moral. lib. 4. tract. 3. cap. 7. n. 6.* Reiffenſtuel *lib. 2. decret. tit. 24. num. 80.* & alii paſſim. 20

Juramentum promiſſorium gravi, & injuſto metu extortum obligat, quando ſine culpa ſervari poteſt, & a legitimo Superiore non relaxatur, ſic v. gr. qui juravit latroni inique exigenti pecunias ſoluturum, juramentum ſervare debet, niſi ei relaxetur; *Communis* cum S. Thoma *2. 2. quæſt. 89. art. 7. ad 3.* Pirhing. *loc. cit. n. 69.* Reiffenſtuel *loc. cit. num. 100.* Sanchez *lib. 3. in decalog. cap. 11. num. 14.* Layman *loc. cit. cap. 7. n. 2.* textu expreſſo *in c. Si vero 8. de Iurejurando*, ibi: „Si vero aliquis

„ aliquis quemquam graviſſime metu ſub Religione juramen-
„ ti ſuum jus refutare coegerit, ipſumque ſibi retinuerit, quia
„ nos conſulere voluiſti, an alter eorum, vel neuter id ha-
„ bere debeat. Duximus tibi reſpondendum, quod non eſt
„ tutum quemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi ſit
„ tale, quod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ.
„ Nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra
„ juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur,„
& ibidem ſtatim ſubjungitur, quod ad coercendam iniquita-
tem perverſorum, Romana Eccleſia conſuevit a tale jura-
mento abſolvere, & in ejus Summario ſic præciſe dicitur:
„ Si juramentum per metum extortum ſervari poteſt ſine
„ interitu ſalutis æternæ, ſervandum eſt; Eccleſia tamen
„ Romana conſuevit a tali juramento abſolvere, *& concor-*
„ *dat* c. Verum 15. de Jurejurando, & cap. Ad audientiam 4.
„ De iis, quæ vi metuſve cauſa fiunt.

Obligatio propria juramenti, prout procedit ex virtute 21
Religionis, eſt omnino perſonalis, ſolumque jurantem af-
ficit, & non tranſit ad hæredes, ſeu ſucceſſores ejus; S. Tho-
mas 2.2.*quæſt.*98.*art.*2. *ad* 4. Abbas *in capit.Veritatis* 14. *de*
*Jurejurando num.*3. Covarruvias *in cap.Quamvis pactum* 2. *de*
pactis in 6. *part.*1. §.5. *num.*3. Suarez *lib.*2. *de jurament. c.*31.
*num.*12. Layman *loc. cit. cap.*10. *num.*3. Sanchez *lib.* 3. *in de-*
*calog. cap.*13. *n.*1. Reiffenſt. *loc.cit. n.* 103. Pirhing *loc.citat.*
*num.*146. ubi teſtatur de communi. Et ratio eſt, quia tale Ju-
ramentum eſt vinculum perſonale; Religio enim juramenti,
ejuſque obligatio, non niſi propria voluntate ſuſcipi poteſt,
adeoque non tranſit ad alias perſonas propria voluntate ad tales
Juramenti obligationem non concurrentes. Et hoc ſtat, etiamſi 22
quis pro ſe, & ſuis ſucceſſoribus juraverit aliquid præſtare,
quia licet Succeſſores in tali caſu poſſint obligari vi pacti, ſeu
promiſſionis ab alio acceptatæ, ut infra *n.* 24. dicetur, non
tamen hi obligantur ex vi Juramenti, adeo ut, ſi Juramentum
ſui Anteceſſoris non ſervent, cenſeantur perjuri, quia obli-
gatio Juramenti, quæ oritur ex virtute Religionis, non niſi
propria voluntate ſuſcipi poteſt, cum ſit actio perſonalis;
Abbas, Sanchez, Layman, Pirhing, Reiffenſtuel. *loc. cit.*
& alii.

Unde ſi Rex v. g. Epiſcopus, Canonicus, & hujuſmodi 23
ad Regnum, Epiſcopatum, Canonicatum, & hujuſmodi
admittantur, ſine ullo præſtito Juramento, non obligantur
ſub Juramento ad ſervanda ea, quæ ſui Anteceſſores ſervare
jurarunt, & ſi ea tranſgrediantur, non evadunt perjuri, &
per hoc omnes ſupradicti a principio ſui Regni, Epiſcopatus,
Canonicatus, & hujuſmodi, ſolent præſtare proprium, ac
perſonale Juramentum; Silveſter *verb.Juramentum* 4. *quæſt.*3.
Suarez, Sanchez, Pirhing., Reiffenſtuel, Layman, alii-
que ſupracitati.

Obligatio Juramenti proprie promiſſorii, ſeu cofirmatorii 24
promiſſionis ab altero acceptatæ, vi pacti, ſeu ex virtute
juſtitiæ tranſit ad hæredes, aut ſucceſſores ejus, cui juratum
eſt; *Communis*, *arg. l. Veteris Cod. de contrahend. ſtipulat.*
& l. Si pactum 9. *ff. de probationibus*, *& cap.Veritatis* 14. *de*
Jurejurando, in quo habetur, Vaſallum, qui juravit Præ-
lato fidelitatem, atque reverentiam, & obedientiam, eam-
dem etiam ſine novo juramento debere Succeſſoribus, quam-
vis eorum expreſſa mentio facto non fuerit. Unde recte di-
cunt communiter Doctores cum Innocentio, & Abbate *in*
cit. cap.Veritatis, Covarruvias *in cit. part.*1. §.2. *n.*7. Scac-
cia *lib.*2. *de Judiciis cap.*2. *num.*103. quod Juramentum licet
ſit perſonale ex parte jurantis, tamen fit reale ex parte ejus,
cui juratur, ideſt tranſitorium cum re, puta Dignitate, he-
reditate, ſicuti explicant Abbas *in cit. cap. Veritatis num.*3.
Covarruvias *loc.cit. num.*7. Layman *loc.cit. cap.*10. *num.* 5.
in fine, & alii.

Juramenta poſſunt per poteſtatem dominativam irritari, 25
ſeu annullari, non ſolum per accidens, & indirecte, ideſt
ratione materiæ promiſſæ, & juratæ, quæ alterius poteſtati
ſubjecta ſit, ſed etiam per ſe, & directe, ideſt ratione vo-
luntatis jurantis, quæ alterius poteſtati ſubjecta ſit, ut in Re-
ligioſo, & impubere accidit; ſic colligitur ex *cap.*30. *Num.*
& tenent S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 9. *ad* 3. S. Antoninus
*part.*2. *tit.*10. *cap.*6. §.2. Sanchez *lib.*3. *moral. cap.*19. *num.*1.
Silveſter *verb.Juramentum* 3. *q.* 7. Sà *cod. verb. num.* 3. Lay-
man *loc.cit. c.*11. *num.*1. Sotus *lib.* 8. *quæſt.*1. *art.* 9. Toletus
*lib.*4. *cap.*23. & alii paſſim.

Juramenta promiſſoria ſoli Deo facta irritari, & annullari 26
poſſunt per poteſtatem dominativam Patris, Prælati, Do-
mini, Mariti, & hujuſmodi, colligitur *ex cit. cap.*30. *num.*
& tenent citati Doctores, & alii plures apud Sanchez *citat.*
*lib.*3. *cap.*19. *num.* 2. & Layman *loc. cit. n.* 2. Juramentum
enim promiſſorium Deo factum nihil aliud eſt quam votum
juratum, adeoque fit, ſicut votum, ea tacita, & ſubintel-
lecta conditione: *Salvò Jure Superioris irritandi poteſtate*
præditi, *arg. cap. Venientes* 19. *& cap. Ea te* 22. *de Jureju-*
rando, & patet ex dictis *num.*7. quia juramentum accedens
promiſſioni, ſeu voto, aſſumit naturam, & conditiones
ejus, *cap.Quemadmodum* 25. *de Jurejurando*.

Juramenta etiam homini præſtita annullari, & irritari poſ- 27
ſunt per poteſtatem dominativam Patris, Prælati, Domini,
Tutoris, Mariti, & hujuſmodi, quoties voluntas jurantis,
ſeu materia jurata eſt ipſis ſubjecta, vel præjudicans, *arg.*
cit. cap. Venientes 19 *de Jurejurando*, ubi ſtatuitur, quod non
valeat Juramentum præſtitum in præjudicium Juris Superio-
ris, & in Juramento intelligatur ſemper Jus Superioris ex-
ceptum.

Unde Papa poteſt irritare, & annullare omnia Juramenta 28
edita circa Beneficia Eccleſiaſtica diſtribuenda, augenda,
minuenda, quia ſuper iſtis habet pleniſſimam poteſtatem,
cap.Licet 2. *de præbend. in* 6. Item Juramenta de non alienan-
dis rebus Eccleſiæ, & alia hujuſmodi, quæ ſunt de materia
ſubjecta diſpoſitioni Papæ.

Ita Epiſcopus poteſt irritare ea Clericorum Juramenta, 29
quæ facta ſunt circa res ſuæ diſpoſitioni ſubjectas, ut v. gr.
Si Clericus juravit ſe veſtes ſacras commodatum, aut tali lo-
co non diſceſſurum, donec debita ſolverit, vel quid aliud
fecerit. Non enim ob id derogatur Juri Epiſcopi, quo minus
ob juſtam cauſam eum ad ſe revocare poſſit, & inhibere,
ne Sacras veſtes commodet, & hujuſmodi; Abbas *in citat.*
cap.Venientes 19. *de Jurejurando n.*3. Layman *loc. cit. cap.*11.
*num.*2. Sporer & alii paſſim.

Item Superior Regularis poteſt irritare, & annullare Jura- 30
menta ſuorum ſubditorum, quia ob emiſſum votum obe-
dientiæ, eorum voluntas eſt omnimode Superiori ſubjecta,
nec habent velle, nec poſſe; Sanchez *cit. lib.*3. *cap.*19. *n.* 3.
Layman *loc.cit. num.*2. Felix Poteſtas *tom.*1. *part.*2. *n.* 1715.
Sporer, & alii paſſim.

Item Pater, ac Tutor irritare poteſt omnia pacta jurata 31
impuberis, quia ob ætatis imbecillitatem, etiam ejus volun-
tas, & obligationes alienæ poteſtati ſubjecta ſunt; Covar-
ruvias *in cap.Quamvis part.* 3. §. 1. *numer.*5. Gunez *Reſolut.*
*cap.*15. *num.*18. Suarez *lib.*2. *cap.*38. *num.* 12. Leſſius *lib.* 2.
*cap.*42. *num.*61. Layman *loc.cit. num.*2. & alii plures:

Item Dominus irritare poteſt promiſſiones juratas ſervi ſui, 32
Maritus promiſſiones juratas Uxoris, & e contra Uxor pro-
miſſiones juratas Mariti, ſi juramenta illis præjudicent, aut
ſint de materia illis ſubjecta; Layman *loc. cit. num.* 2. Felix
Poteſtas *loc. cit. num.* 1716. Suarez, Sporer, Azorius, &
alii paſſim.

Juramentum autem hominis, cujus voluntas, & materia 33
jurata non eſt alteri ſubjecta, nec præjudicans, quando ab
eo, cui eſt præſtitum, acceptatum eſt, non poteſt ordinarie
remitti, relaxari, irritari, nec diſpenſari, nec etiam in
melius commutari ſine conſenſu ejus, cui præſtitum eſt;
Communis cum S. Thoma 2. 2. *quæſt.*89. *art.*9. *ad* 3. Layman
*loc.cit. cap.*11. *num.* 5. Et ratio eſt; quia tali juramento eſt
jam acquiſitum Jus homini, cui præſtitum eſt, unde tali
jure, ſicuti & aliis bonis privari non poteſt.

Notanter vero dicitur *ordinarie*, quia dantur aliqui caſus, 34
in quibus poteſt relaxari etiam tale Juramentum. Primo, ſi
bonum commune Eccleſiæ talis juramenti relaxationem exi-
gat, quia per *text. in cap.Bonæ memoriæ* 3. *de poſtulat. Præ-*
lator.Actione 61. §.1. *ff. Pro ſocio*, *cum ſimilibus*, bonum
commune prævalet bono particulari, ſeu privato, & tale
juramentum relaxare maxime pertinet ad Summum Pontifi-
cem, ut cum S. Thoma 2. 2. *q.*89. *art.* 9. *ad* 3. docet Com-
munis Doctorum. Interdum tamen poteſt etiam Epiſcopus
juxta qualitatem cauſarum, & perſonarum relaxare jura-
mentum alteri præſtitum, v. g. non accuſandi, non denun-
ciandi, & hujuſmodi, ſi bonum commune ſuæ Diœceſis id
poſtulet; Suarez *libr.*2. *de jurament. cap.*4. *num.*5. Silveſter
verb.Juramentum 5. *quæſt.*3. Layman *loc.cit. capit.*11. *num.*5.
Pirhing *lib.*2. *decret. tit.*24. *num.*154. & indicat etiam S. Tho-
mas *loc.cit.* ubi dicit, quod id maxime pertinere videtur ad
poteſtatem Papæ, adeoque cenſent poſſe interdum juxta-
qualitatem cauſarum, & perſonarum fieri etiam ab Epiſcopo.
Secundo in pœnam criminis commiſſi ab eo, cui præſtitum
eſt juramentum, textu claro *in cap. Nos Sanctorum* 4. *&*
cap.Ju-

cap.Juratos 5. *cauſ.*15. *quæſt.*6. ubi donec excommunicati re-
ſipiſcant, abſolvuntur a juramento fidelitatis, qui illud ipſis
præſtiterunt. Tertio, ratione gravis injuriæ, quam jurans
ſit paſſus ab eo, cui juravit, ſeu ab aliis ejus adhærentibus,
eo quod per dolum, vim, vel metum injuſte incuſſum, vel
læſionem valde enormem juramentum, ſeu contractus jura-
mento confirmatus, ſit extortus, *cap. Auctoritatem* 2. *cauſ.*15.
*qu.ſt.*6. *cap.Verum* 15. *de Jurejurando*, Sanchez *lib.* 3. *in de-*
*calog. cap.*21. *n.*26. Suarez *lib.*2. *de juramento cap.*21. *num.*6.
Layman *loc.cit. num.*5. Pirhing *loc.cit. num.*115. qui ex com-
muni dicunt, tunc tale juramentum poſſe relaxari ab Epiſ-
copo, vel alio Prælato quaſi Epiſcopalem juriſdictionem ha-
bente; Vide verb. *Votum art.*3. *num.*125.

Relaxare juramenta directe, ideſt per modum abſolutio- 35
nis, vel diſpenſationis pertinet ad ſolos Superiores, ſeu
Judices Eccleſiaſticos; quia eſt actus juriſdictionis ſpiritua-
lis, cum juramentum ſit vinculum ſpirituale, adeoque ad
ſolam poteſtatem ſpiritualem ſpectat illud diſſolvere. Re-
laxare autem juramenta indirecte, ideſt ratione materiæ,
vel ſupplendo vicem ejus, cui juratum eſt, & qui remit-
tere debeat, & nolit, poteſt pertinere etiam ad Judices Lai-
cos. Si enim ille, cui juratum eſt per metum, vim, vel do-
lum tale juramentum remittere debeat, & nolit remittere,
tunc Judex ſæcularis loco, & nomine illius, quamvis reni-
tentis, illud remittere poteſt, quia, quando ſubditus tene-
tur præſtare conſenſum ad aliquem actum, & renuit, poteſt
Judex ſæcularis illud præſtare, & ſupplere ejus conſenſum,
& eo invito id præſtare, quia in tali caſu factum Judicis re-
putatur factum partis, ut docent Doctores *in leg. Si ob cau-*
ſam Cod. De evictione. Et ſic tenet Suarez *lib.* 2. *de jurament.*
*cap.*41. *numer.*16. Sanchez *lib.*3. *cap.*22. *numer.*13. Layman
*loc.cit. cap.*11. *num.* 9. Pirhing *loc. cit. num.* 159. Guttierez,
& alii.

Placet hic ſubnectere formulam juramenti præſtandi ab 36
Abbatibus, aliiſque Monaſteria, ſeu Eccleſias habentibus cum
juriſdictione quaſi epiſcopali, & territorio ſeparato, quam
præſcripſit Benedictus XIV. tom.1. ſui Bullarii Conſtitut.7.
incip. *Quod ſanctа* §. 11. & eſt talis:

Ego N. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero Beato
Petro Apoſtolo, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino
Noſtro Domino N. Papæ N. juiſque Succeſſoribus canonice
intrantibus. Non ero in conſilio, vel facto, ut vitam perdant,
aut membrum, ſeu capiantur mala captione, aut in eos vio-
lenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ
inferantur quovis quæſito colore. Conſilium vero, quod mihi
crediturі ſunt, per ſe, aut nuncios ſuos, ſeu literas, ad eorum
damnum, me ſcicnte, nemini pandam. Papatum Romanum
& Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defenden-
dum, ſalvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum
Apoſtolicæ Sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, &
in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Jura, honores, privilegia,
& auctoritatem S. R. E., Domini Noſtri Papæ, & Succeſſo-
rum prædictorum conſervare, defendere, augere, & promo-
vere curabo. Neque ero in conſilio, vel facto, ſeu tractatu
in quibus contra ipſum Dominum Noſtrum, vel eamdem Ro-
manam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia perſonarum
juris, honoris, ſtatus, & poteſtatis eorum machinentur. Et
ſi talia a quibuſcumque tractari, vel procurari novero, impe-
diam hoc pro poſſe: & quanto citius potero, ſignificabo eidem
Domino noſtro, vel alteri, per quem poſſit ad ipſius notitiam
pertinere, Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes
ſeu diſpoſitiones, reſervationes, proviſiones, & mandata Apo-
ſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis obſervari.
Hæreticos, Schiſmaticos, & Rebelles eidem Domino Noſtro,
vel Succeſſoribus prædictis pro poſſe perſequar, & impugnabo.
Sacras B. B. Apoſtolorum memorias ſingulis triennii [ſeu quin-
quenniis] perſonaliter, ac per me ipſum viſitabo, & Domino
noſtro, Succeſſoribuſque præfatis rationem reddam decommiſſo
mihi munere, deque rebus omnibus ad mei Monaſterii, ſeu
Eccleſiæ ſtatum, ad Cleri & populi diſciplinam, animarum
denique, quæ meæ fidei creditæ ſunt, ſalutem quovis modo per-
tinentibus, & viciſſim Mandata Apoſtolica humiliter recipiam
& quam diligentiſſime exequar: Quod ſi legitimo impedimento
detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum Nuncium
ad hoc ſpeciale mandatum habentem de gremio conventus Mo-
naſterii mei (ſeu Capituli Eccleſiæ meæ) aut alium in Eccle-
ſiaſtica dignitate conſtitutum, ſeu alias Perſonatum habentem
aut his mihi deficientibus, per aliquem alium Presbyterum
ſæcularem, vel Regularem ſpectatæ probitatis & religionis,

de ſupradictis omnibus plene inſtructum. De hujuſmodi autem
impedimentis docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Car-
dinalem Congregationis Sac. Concilii Præfectum per dictum
Nuncium tranſmittendas. Poſſeſſiones vero ad Monaſterium
meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo,
nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum
conſenſu Conventus Monaſterii mei, inconſulto Romano Ponti-
fice. Et ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in qua-
dam ſuper hoc edita Conſtitutione contentas, eo ipſo incurrere
volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.
Sic *ibi* ad litteram.

Alia ad rem. Vide verb. *Votum*, cum ea, quæ dicuntur, 37
& reſolvuntur de Voto, poſſint proportionaliter dici, & re-
ſolvi de juramento.

Novæ additiones ex aliena manu.

TRes hic quæſtiones non intempeſtivè ſunt diſcutien- E
dæ. Prima eſt *quatenus juramenta actibus invalidis*
adjecta vigorem in praxi habeant? Altera, *an ex tali jura-*
mento hodie detur actio? Et tertia, *an ex juramento defuncti*
teneantur Hæredes. Ad primam quæſtionem quod attinet, pro
ejus recta reſolutione diſtinguendæ ſunt plures actuum ſpe-
cies. Sunt enim actus a Legibus abſolute prohibiti. Sunt 2
actus, qui non dependent a libero contrahentium arbitrio. 3
Sunt actus, qui Tertii præjudicium concernunt. Sunt de- 4
mum actus, qui non valent in favorem Agentium, valere 5
tamen poſſunt, ſi ab eo cujus intereſt non impugnentur.

Actus abſolute prohibiti per juramentum confirmari ne- 6
queunt, propterea quod poſiti ii non ſunt in arbitrio paciſcen-
tium, nec poſſunt pactis privatorum tolli, præſertim ſi con-
tineant ſpeciem delicti. Idque non ſolum de iis actibus in-
telligendum, qui juri divino vel naturæ ſunt contrarii, ſed & 7
quos jus canonicum, vel civile abſolute prohibuit utilitatis
publicæ gratia. Atque hinc eſt, quod Clerici nec accedente 8
quidem juramento juriſdictionem prorogare queunt, *cap.* 12.
de Judiciis. Abſolute enim hæc prorogatio prohibita eſt. Vi- 9
de & alia exempla, quæ ſuppeditat jus canonicum *cap.*18. *de*
teſtib. & cap. 4. *de teſtib. cogend. & cap.* 7. *de pignor.*

Neque per juramentum confirmantur actus, qui a libero 10.
contrahentium arbitrio non dependent. Sic is, qui venditio- 11
nem contrahit, pactumque juratum addit, ne unquam pre-
tium exigatur, & tamen venditio omnino maneat, nihil agit,
cupitque contradictoria. Nec ſocietas eſt, ita inita, ut ad 12
alterum omne lucrum perveniret, ad alterum omne damnum,
ſi vel maxime juramentum interveniſſet; Vide *Seraphinum*
de Seraphinis de privileg. juramenti privileg. 130. *num.* 6.

Nota vero, quod actus, quibus certæ ſolemnitates ſunt 13
præſcriptæ, ob earum defectum nulli quidem ſunt, ſed non
ita paciſcentium arbitrio exempti, ut eoſdem ſine ſolemnita-
tibus peractos ſervare haud poſſint ſi velint; Atque ideo 14
actus hujuſmodi per juramentum confirmantur, ſupplente
ipſo juramento defectum ſolemnitatum; *Benckendorff. ad Se-*
raphinum de Privil. juramenti privileg. 120. *n.* 1. *Seiferus de*
Jurament. lib. 1. *cap.* 25. *num.* 117.

Variæ hinc oriuntur concluſiones. Tranſactio, quæ non 15
inſpectis tabulis de iis quæſtionibus, quæ ex Teſtamento de-
pendent, facta eſt, non ſubſiſtit, accedente juramento, va-
let, ut, quidquid contradicat *Seraphinus de Privileg. Jura-*
ment. privi. 100. *n.* 5. firmat *Benckendorff. citat. loc. num.* 2.
Pariter Tranſactio de alimentis Teſtamento relictis ſine 16
Prætoris decreto, & cauſæ cognitione facta, nulla eſt; at
ſuſtinetur ſi accedat juramentum; *Facchin. lib.*3. *controv.*
jur. cap. 21. *Coler. de aliment. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 24. Donatio
denum excedens 500. ſolidos ſine inſinuatione irrita eſt, at 17
munita juramento, valida eſt; *Seraphin de privileg. jura-*
ment. fere per tot, ibique Benkendorff. num. 3.

Actus tertii præjudicium concernentes per juramentum 18
non confirmantur. Atque hinc ſponſalia poſteriora licet ju- 19
ramento munita ſubſiſtere nequeunt in præjudicium priorum
publicorum, ſi inſiſtat prior ſponſa juri ſuo. Et renuncia-
tio jurata S. C. Macedoniani valet in liberorum præjudicium, 20
non item Patris, in cujus favorem primario hoc S. C. intro-
ductum eſt.

Reliquum eſt, ut diſſeramus de actibus illis, qui non va- 21
lent in favorem agentium, poſſunt tamen valere ſi non im-
pugnentur ab eo, cujus intereſt. Hos autem per juramen- 22
tum jure canonico confirmari, noto notius eſt. Quo fit, ut

alienatio fundi dotalis jure civili non subsistat, si vel maxime uxor consentiat, valeat tamen jure canonico, interveniente juramento; *c.* 28. *de Jurejur. & cap.* 2. *eod. tit. in* 6. Vide aliud exemplum *in cap.* 2. *de pactis* 6.

23 Pergimus ad secundam quæstionem, an ex juramento detur hodie actio. Sunt qui tenent, jurantem ad servandum juramentum obligari ex *virtute Religionis*, ut tamen nulla alteri acquiratur actio in foro externo. Confer *Wiestner instit.*
24 *jur. can. lib.* 2. *tit.* 24. *n.* 78. At duri ex juramento actionem dicendum est, attento *cap.* 9. *de arbitr.* tum *cap.* 28. *de jurejurand.* Consule *Bohemerum in Decretal. lib.* 2. *tit.* 24. §. 34. *& plurib. seqq.*

25 Tertia & ultima quæstio est, an hæredes ex jurejurando defuncti teneantur? At si ex jurejurando datur actio, facile est dignoscere, obligari hæredes ex jurejurando Defuncti.
26 Tametsi enim quoad *reatum perjurii* juramentum Defuncti haud transeat in hæredes, ipsa tamen obligatio, quæ in per-
27 sona Defuncti robur propter jusjurandum accepit, impugnari minime potest ab hæredibus, quippe qui obligati sunt ad factum Defuncti præstandum.

JURISDICTIO.

1 JUrisdictio dicta est a jure dicendo secundum æquitatem, jurisque Regulas, tamquam præcipuo publicæ potestatis officio, colligitur *ex leg.* 1. *ff. De jurisdict. omn. Judicum, & ex leg.* 1. §. *Damnamus ff. De suspectis Tutoribus.* Hinc
2 jurisdictio definitur, quod sit *Facultas alicujus habentis publicam auctoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem*; *Est in re Communis.*

3 Jurisdictio dividitur primo in Ecclesiasticam, & Civilem. *Jurisdictio Ecclesiastica* est illa, quæ circa causas ad Dei cultum, spiritualemque animarum salutem pertinentes versatur. Et hæc exercetur, nedum in Foro externo, sed etiam in Foro interno, seu conscientiæ, & Sacramentali. *Jurisdictio Civilis, seu politica* est illa, quæ circa causas sæculares, & prophanas versatur, & temporalem, Reipublicæ gubernationem respicit. Et hæc exercetur solummodo in Foro externo.

4 Jurisdictio dividitur secundo in voluntariam, & contentiosam. *Jurisdictio voluntaria* est illa, quæ exercetur solum in volentes, & ad hanc in Civilibus spectat manumissio, & adoptio juxta *leg.* 2. *ff. De Officio Proconsulis.* In Ecclesiasticis autem ad hanc spectant, Ordinatio, Consecratio, Benedictio, Absolutio, Dispensatio, Beneficiorum Collatio, & hujusmodi, ut notant Doctores *in cap. Decerninus* 2. *de Judiciis*, & apud Barbosam *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 126. *num.* 4. *Jurisdictio contentiosa*, est illa, quæ exercetur in invitos, v. gr. in jus vocando, puniendo, & alia hujusmodi exercendo, quæ expediri non possunt, nisi Judice pro tribunali sedente, seu quando inter duos, plureſque contenditur; *arg. leg. Inter stipulantem* §. . *ff. De verb. Obligat.* ibi: *Judicium autem etiam in invitum redditur*, & amplius declarat Glossa *in cit. leg.* 2. *ff. De Officio Proconsulis, verb. Contentiosam.*

5 Jurisdictio voluntaria differt a contentiosa, nedum ex dictis, quia voluntaria solum in volentes exercetur, unde etiam nomen accepit, & contentiosa etiam in invitos exerceri potest in Judicio, unde a contentione partium inibi contendentium nomen desumpsit; Sed etiam differt, quia voluntaria jurisdictio extra proprium Territorium valide, & plerumque etiam licite exercetur, dispensando, v. gr. cum subditis in eorum votis, & juramentis, absolvendo a Censuris, & peccatis, assistendo eorum matrimoniis, legitimando, adoptando, delegando, & hujusmodi: Cum enim ad voluntariæ jurisdictionis exercitium non requiratur strepitus, seu processus judicialis, nec opus sit Judicem pro Tribunali sedere, ideo nulla infertur injuria judici, in cujus Territorio, seu Diœcesi tales privatim actus exercentur, ut docent com, muniter Doctores *in citat. leg.* 2. *ff. De Officio Proconsulis, & in cap. Novit.* 7. *de Officio Legati.* Jurisdictio autem contentiosa, ut causas, tum Civiles, tum criminales definire cum strepitu, seu processu Judiciali pro tribunali sedendo, exerceri non potest extra proprium Territorium sine expresso, vel tacito consensu Judicis illius loci, ipsarumque partium contendentium: *Cum*, ut expresse dicitur *in cap. Ut animarum periculis* 2. *de Constitutionib. in* 6. *Cum extra Territorium Jusdicenti non pareatur impune*, & ita *ibi* Doctores communiter.

Jurisdictio dividitur tertio in Ordinariam, & Delegatam. 6
Ordinaria est illa, quæ cuipiam jure proprio, seu ratione Officii, aut Dignitatis suæ ex Lege, Canone, vel Consuetudine competit. *Delegata* est illa, quam quis non habet jure proprio, sed solum ex commissione alterius, cujus vice fungitur; Sic colligitur *ex leg. More majorum*; *& leg. Et quia ff. de Jurisdict. omn. Judic.* ubi is censetur habere jurisdictionem ordinariam, ac delegare posse, *qui eam suo jure, non alieno beneficio habet.*

Jurisdictio dividitur quarto in imperium, & simplicem Ju- 7
risdictionem. *Imperium* est Jurisdictio, quæ nobili Judicis officio exercetur; *Officium* autem *nobile Judicis* est illud, quod non deservit, nec alligatur alicui actioni, sed Judex motu proprio, sive ex officio ex se, & non adductus a partibus, procedere potest ad crimina punienda, beneficia, privilegia conferenda, & hujusmodi, Juxta *cap. Qualiter, & quando* 24. *de accusationibus. Simplex Jurisdictio* est, quæ exercetur Judicis Officio mercenario: *Officium* autem *mercenarium Judicis* est illud, quod deservit, & alligatur actioni intentæ per partem; Judex enim habens simplicem Jurisdictionem non potest motu proprio, sive ex officio ex se procedere ad causas, & lites civiles, sed solum ad instantiam Actoris. Unde talis Judex, si partes instent, debet procedere, & sententiam ferre nec potest ipsas partes ad compositionem compellere, & si partes desistant, debet & ipse a tali Judiciaria desistere; sic ex Bartolo *in leg.* 1. *& leg. Imperium* 3. *de Jurisd. omnium Judicum*, Abbate *in cap. Quod sedem* 10. *de Officio Judicis Ordinarii num.* 5. Durand. *in spec. tit. de iuris omnium. judic. num.* 10. Molina *tract.* 5. *de justitia num.* 1. 2. *& seq.* Layman *Theol. Moral. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 7. Pirhing. *lib.* 1. *decretal. tit.* 31. *num.* 3.

Imperium dividitur in merum, & mixtum. *Merum impe-* 8
rium est jurisdictio, quæ exercetur Judicis officio nobili publicam utilitatem respiciente, cujus actus sunt leges condere, malefactores punire, & hujusmodi. *Mixtum imperium* est Jurisdictio, quæ nobili Judicis officio privatam utilitatem respiciente, exercetur, & cius actus sunt, Tutores dare, mittere in possessionem, restituere in integrum, & hujusmodi. Imperium merum appellatur alio nomine *Jurisdictio alta*, seu *Summa*. Imperium mixtum alio nomine dicitur *Jurisdictio bassa*, seu *inferior*, quæ competit cuilibet Magistratui, licet non semper quoad omnes actus; Sic *ex citatis Doctoribus.*

Imperium merum, seu Juxta jus Civile tribus veluti gra- 9
dibus distinguitur. Primus, seu supremus continet pœnas mortis naturalis, ut combustionis, rotæ, decapitationis, & hujusmodi. Secundus complectitur pœnam mortis civilis, ut deportationis in insulam, Relegationis, seu Banni Regii, vel Imperialis. Tertius, respicit pœnas non capitales tum corporis afflictivas, tum famosas, ut amputationis manuum, fustigationis, sistentiæ ad numellas, & hujusmodi; Engel *tit. de Officio Judicis n.* 7. Christophorus Chlingensperger *lib.* 1. *Collegii Institut. Justinian. tit.* 20. *q.* 6. Reiffenst. *lib.* 1. *decret. tit.* 29. *n.* 22. & alii.

Imperium merum datur etiam de Jure Canonico; Ita Glos- 10
sa magna, & Abbas *in cap. Quod sedem* 10. *de Officio Ordinarii n.* 5. Engel. *eod. tit. num.* 12. Reiffenstuel *loc. tit. n.* 25. *& 26.* Pirhing. *loc. cit. num.* 3. & alii passim. Hinc de jure Canonico ad primum gradum imperii meri spectat *Gladius spiritualis*, scilicet potestas excommunicandi, quæ pœnis capitalibus comparatur, textu expresso *in cap. Per venerabilem* 13. *Qui filii sint legitimi* §. *Sunt autem.* Ita potestas degradandi & tradendi Curiæ sæculari, Juxta Glossam *in cap. Quod Sedem* 10. *verb. Committere, ante finem, de Officio Ordinarii*, quod æquiparatur ultimo supplicio, ut recte notat Innocentius *in cap. Qualiter, & quando* 24. *de accusationibus*, & alii passim. Ad secundum gradum spectat potestas relegandi, subiiciendi torturæ, perpetuis carceribus mancipandi, verberandi flagellis citra mortem, vel mutilationem, & hujusmodi. Ad tertium gradum spectat potestas leniter coercendi in corpore, carcerandi ad tempus, imponendi mulctam pecuniariam, & hujusmodi; Sic *ex citatis Doctoribus.*

Jurisdictio ordinaria tribus modis acquiri potest, scilicet; 11
Vel ex privilegio Supremi Principis concesso Dignitati, seu Personæ; Vel a Lege, seu Canone; Vel ex Consuetudine legitime præscripta; *cap. Duo Simul* 9. *de Officio Ordinarii*, Imola *ibid. num.* 1. Durand. *in spec. tit. de Officio Vicarii* §. 2. *n.* 1. Pirhing. *loc. cit. n.* 5. & alii passim. Et quidem ex privi- 12

legio Supremi Principis Ecclesiastici, scilicet a Summo Pontifice constituuntur Judices Ordinarii, Legati, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Officiales Sedis seu Curiæ Romanæ, ut Vicecancellarius, Camerarius, & alii *huiusmodi*. Et a Supremo Principe sæculari, scilicet Imperatore, Rege, & huiusmodi constituuntur Duces, Marchiones, Comites, aliique Provinciarum, aut locorum Gubernatores, Magistratus, & huiusmodi, qui omnes gaudent
13 Jurisdictione ordinaria; *Communis*. A lege, seu Canone, constitui censentur Judices Ordinarii, qui secundum præscriptum Legis, aut Canonis, vel ab homine publicam potestatem habente, vel ab Universitate, seu Collegio, vel Capitulo per electionem constituuntur. Sic quilibet ab Universitate, Collegio, Capitulo, Congregatione, & huiusmodi electus legitime, & canonice in Rectorem, & Præfectum, seu Superiorem eiusdem, ut illi per modum capitis præsit, habet Jurisdictionem ordinariam erga suos subditos in causis spectantibus ad Universitatem, Collegium, Capitulum, Congregationem, & huiusmodi; *Communis*. Et Episcopus etiam creando Vicarium Generalem facit ipsum Judicem Ordinarium, cum Vicarius Generalis gaudeat auctoritate ordinaria,
14 ut dicitur infra *sub. n.* 15. Ex Consuetudine legitimè præscripta censentur constitui Judices Ordinarii, qui per tempus legitimum scilicet 40. annorum cum propria bona fide, & etiam scientia, & patientia eorum, contra quos præscripserunt, tali Jurisdictione usi sunt, quia consuetudo legitimè præscripta tribuit Jurisdictionem ordinariam; *cap. Duo simul* 9. *de Officio Ordinarii, & cap. Cum contingat* 13. *de foro competente*, & ibi Glossa *verb. Maxime*, & Canonistæ communiter; Legistæ *in leg. Imperium* 3. *ff. De jurisdictione omnium Judicum.*

15 Vicarius Generalis Episcopi habet Jurisdictionem Ordinariam, & non Delegatam; Ita colligitur *ex cap. Non putamus* 2. *de consuetudine in* 6. *ex cap. Romana* 3. §. 1. *de appellat. in* 6. ac tenet expresse Glossa *in cit. cap. Romana verb. Generaliter*, & alia Glossa *in cap. Licet* 2. *verb. Officialem de Officio Vicarii in* 6. Abbas *in cap. Quoniam* 14. *num.* 11. *de Officio Delegati, & cap. Decernimus num.* 12. *de Judiciis*, Felinus *in Rubric. de Officio Delegati n.* 4. Sperellus *dec.* 98. *Fori Ecclesiastic. num.* 3. Maranta *in Speculo aureo par.* 4. *dist.* 4. *num.* 12. *&* 13. Covarruvias *lib.* 3. *Variar. resol. cap.* 20. *n.* 4. *& Practic Quæstion. cap.* 4. *num.* 8. Mascardus *de probationibus conclus.* 1413. *num.* 9. *&* 22. Nicolaus Garzias *de Beneficiis part.* 5. *cap.* 8. *num.* 21. Sbrozius *de Officio Vicarii liber.* 2. *quæst.* 55. Bernardus Sannig. *de Officio Vicarii cap.* 4. *num.* 5. Pirhing. *cod. tit. num.* 55. Reiffenstuel *ibid. a nu.* 91. *ad* 101. ubi late id probat, & solvit argumenta contraria, Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disp.* 29. *num.* 2. 3. *& sequent.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 54. *n.* 26. ubi innumeros alios citat pro hac sententia, & *a num.* 37. *ad* 46. ubi solvit omnia argumenta contrariæ sententiæ, cuius Patronos varios cum suis argumentis citat, & adducit *a num.* 30. *ad* 37. & sic tenet etiam Sacra Rota recentior *par.* 4. *tom.* 1. *decis.* 614. *num.* 2. *& ead. part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 48 *num.* 10. Vide verb. Vicarius Generalis *art.* 1. *n.* 41.

16 Et ratio nostra est, quia Jurisdictio, quæ a Lege, seu Canone ratione Officii, seu Dignitatis alicui conceditur, est Ordinaria; *leg. More Majorum, & leg. Et quia ff. De Jurisdict. omn. Judic.* Vicarius autem Generalis Episcopi habet Jurisdictionem a Canone, & ratione sui concessam *cap. Licet* 2. *de Officio Vicarii in* 6. cum similibus, & notat Glossa *in dict. cap. Licet verb. Officialem* plura Jura adducens, adeoque &c. Tum quia idem est Tribunal, seu Auditorium, eademque Jurisdictio Episcopi, & Vicarii sui Generalis, textu expresso *in capit. Non putamus* 2. *de consuetud. in* 6. ibi: „ Cum „ sit idem Auditorium utriusque, & in cap. Romana 3. de „ appellationibus eod. in 6. ibi: Cum unum, & idem Con„ sistorium, sive Auditorium sit censendum „. Jurisdictio autem Episcopi est ordinaria, *cap. Cum Episcopus* 7. *de Officio Ordinariis in* 6. adeoque etiam ordinaria erit illa sui Vicarii Generalis. Quia, si jurisdictio Vicarii Generalis non esset ordinaria, sed delegata, daretur appellatio ab ipso ad Episcopum, cum a delegato detur appellatio ad Delegantem, textu expresso *in cap. Super quæstionum articulis* §. *Porro* 27. *de Officio Delegati* cum similibus; Atqui a Vicario Generali non datur appellatio ad Episcopum, textu clarissimo *in cit. Non putamus* 2. *de consuetud. in* 6. addita ratione: *Ne ab eodem ad se ipsum (cum sit idem Auditorium utriusque) appellatio inter posita videatur, & in cit. cap. Romana* 3. §. 1. *de appellat. eod. in* 6. ibi: *Ne ab eisdem ad se ipsos interponi videatur*, adeoque &c.

Nec valet objicere, quod Episcopus instituat, seu constituat 17
sibi Vicarium Generalem, & possit ipsum quoties voluerit amovere; adeoque ejus jurisdictionem non esse ordinariam cum jurisdictio ordinaria sit perpetua, & neque mortuo concedente expiret, ut patet *ex c. Legatos* 2. *de Officio Legati in* 6. Non valet, inquam, quia eo ipso, quod quis instituitur Vicarius Generalis ab Episcopo, Jus tribuit ipsi Jurisdictionem, & quidem immediate; *arg. c. Licet* 2. *de officio Vicarii in* 6. & notat Barbosa *cit. allegat.* 54. *n.* 44. Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disp.* 29. *num.* 13. Fagnan. *in cap. Quod nobis* 2. *de Clandestina desponsat. num.* 45. & alii. Quamvis enim Episcopus mediet quasi nominans, & instituens, non tamen mediat quasi dans Jurisdictionem. Nec obstat, quod Jurisdictio Vicarii Generalis ad nutum Episcopi sit revocabilis, quia id non fit ex eo, quod Jurisdictio illa non sit ordinaria, sed quia Vicarius consequitur eam a Lege mediante nominatione Episcopi; Cum igitur hanc nominationem possit Episcopus revocare, subiato antecedente, necessario tollitur & consequens. Simile enim quid contingit in Judicibus, qui ordinariam habent Jurisdictionem, non obstante, quod eorum Jurisdictio cesset statim, ac per Superiorem a suis officiis amoveantur, & ad ipsa officia a tali Superiore, seu Principe fuerint nominati, & deputati. Et quamvis Jurisdictio ordinaria sit perpetua, quando inest primario, & per se in Judicente, non tamen perpetua est ea Jurisdictio ordinaria, quæ in ipso inest solum secundario, & accessorie ad aliam ordinariam, cui cohæret, uti est Jurisdictio ordinaria Vicarii Generalis cohærens Jurisdictioni ordinariæ Episcopi, & hoc patet exemplo Legati Proconsulis, qui moriente Proconsule, cessat, & amittit non solum Jurisdictionem, quæ a Proconsule mandatur, de qua *in leg. Legati* 13. *de Officio Proconsulis*, sed & dationem Tutoris, quæ tamen non ex mandato Proconsulis, sed proprio Jure ex Legislatione eidem competit, Juxta *leg.* 1. *vers. Legatus quoque ff. de Tutoribus, & curatoribus, leg. Et Legatis* 5. *juncta Glossa, de officio Proconsul.* Sic Barbosa *cit. allegat.* 54. *num.* 44. Sanchez *cit. lib.* 3. *de Matrimon. disp.* 29. *num.* 13. Reiffenst. *lib.* 1. *decret. tit.* 28. *num.* 100. Quintanady. *lib.* 2. *de jurisd. num.* 14. & alii.

Jurisdictio quoque Vicarii Capitularis, sede vacante, est 18
ordinaria, statim enim ac ipse eligitur a Jure transit in eum tota Jurisdictio ipsimet Capitulo competens, adeo ut non sit necessaria specialis commissio, cum Concil. Tridentin. *sess.* 24. *c.* 16. *de reformat.* arctaverit Capitulum ad constituendum Vicarium, qui Jurisdictionem suam administret; Martha *de jurisdict. part.* 2. *cap.* 40. Marchettus *in praxi Vicarii Capitularis part.* 2. *tit.* 12. *n.* 35. Aloysius Riccius *in praxi aurea part.* 2. *resol.* 99. *num.* 1. Sanchez *lib.* 3. *de Matrimonio disp.* 29. *num.* 4. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 97. Gutierez *de Matrimonio cap.* 66. *num.* 13. Rota recentior *part.* 4. *tom.* 2. *decis.* 48. *num.* 10.

Jurisdictio ordinaria primario, & per se inexistens in 19
Judicente non extinguitur morte concedentis, v. gr. Papæ; *Cap. Legatos* 2. *de Officio Legati in* 6. cum similibus. Jurisdictio autem delegata expirat, si delegans, re integra, 20
moriatur; *cap. Relatum* 19. *cap. Gratum* 20. *cap. Licet undique* 30. *de Officio Judicis Delegati, leg. Et quia ff. de Jurisdict. omn. Judic.* Et ratio disparitatis est, quia concessio Jurisdi- 21
ctionis ordinariæ est gratia facta ipsi, cui conceditur, cum talis in Dignitate constituitur, gratia autem facta non expirat morte concedentis, etiam re integra, textu expresso *in cap. Si cui* 36. *de præbend. in* 6. ibi: „ Hujusmodi concessio „ (quam cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat etiam re integra per obitum concedentis „. E contra vero Jurisdictio delegata non est gratia facta ipsi Delegato, sed quoddam mandatum de faciendo Justitia alteri; mandatum autem expirat morte mandantis re adhuc integra; *leg. Mandatum, Cod. Mandati, & cap. Licet undique* 30. *de Officio Judicis Delegati*, ibi: *Mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit*; Reiffenst. *loc. cit. tit.* 29. *num.* 51. Sanchez *lib.* 3. *de Matrimon. disp.* 22. *num.* 55. *&* 57. cum aliis.

Apostoli omnes immediate a Christo, & non mediante 22
Petro, acceperunt suam Jurisdictionem; vide *verb. Apostolus a num.* 6. *ad* 11. ubi late de hoc. Episcopi Jurisdictionem 23
habent mediante Papa; Jurisdictio enim habita ab Apostolis immediate a Christo fuit solummodo personalis, & extraordinaria propter necessitatem illius temporis, & primæ fun-

dationis Ecclesiæ, adeo que in se ipsis terminatura: nec transitura ad suos successores, quales sunt Episcopi Papa inferiores. Melchiades Papa *in Epistola decretali*, Anacletus Papa *c. In novo 2. dist.21. & cap. Sacrosancta 2. dist.22* Bellarmin. *de Pontifice libr. 4. cap.2.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi part.1. tit.1. c.1. a n.18.* & alii passim.

24 Confessarii Regulares Ordinum Mendicantium, & aliorum exemptorum communicantium cum ipsis in privilegiis habent immediate à Papa jurisdictionem in quotvis Christifideles, suppositа tamen approbatione Episcoporum. *Clementina Dudum, de sepulturis*, & sic declarasse etiam Sac. Congreg. Concilii testatur Fagnan. *in cap. Omnis, de pœnitentiis & remissionibus num.76.* vide verb. *Approbatio articulum 1. numer. 42.*

25 Jurisdictio, seu potestas jurisdictionis necessario requiritur in Confessario, & absolutio data a Sacerdote sine Jurisdictione est nulla. Vide verb. *Confessarius art.1. a num. 6. ad 10.*

26 Defectu Jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus neque valide potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis; Vide *d.verb. Confessarius a n.11 ad 12.*

27 Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere nedum à venialibus, & mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus, & censuris etiam reservatis; pro tali enim casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus etiam degradatis, excommunicatis vitandis, irregularibus apostatis, & hæreticis, ac talis potestas extenditur etiam ad probabile periculum mortis. Vide *ibid. a num.13. ad 15.* ubi, ut etiam in verb. *Absolutio art. 1. num.50.* patet in Jure ad propositum pro eodem usurpari articulum, & periculum mortis; physice tamen differunt: unde ne forte tironibus deesse videamur, dum dicimus, Sacerdotes quoscumque posse in articulo, & in periculo mortis ut supra absolvere (dummodo non adsit Sacerdos approbatus, ut mox n. sequenti) hic subnectimus, quod articulum mortis est tempus illud, quo mors certo instat de proximo, estque inevitabilis; periculum autem probabile mortis est tempus illud, quo mors non certo instat, sed ex sæpe contingentibus probabiliter timetur: sic est in proximè prælium agressuris, aut periculosum, aut longam navigationem suscepturis; item in Femina primo paritura, vel ad partum difficili, in Bannitis impunè occidibilibus, in proximè rationis, aut loquelæ usum amissuris, *in infervientibus* peste *infectis*, vel laborantibus morbo, ut plurimum solito mortem afferre. In his igitur casibus simplex Sacerdos non approbatus potest absolvere &c. dummodo non adsit &c. cum onere tamen pœnitenti imponendo, si convalescat, vel periculum mortis evanescat, de comparendo coram Superiore pro censuris reservatis, & de satisfacienda parte quoties adsit pars læsa: unde quantum ad censuras reservatas tota auctoritas pro foro interno est, Vide etiam verb. *Absolvere, Absolutio art.1. a num.48. ad 57.* Simplex Sacerdos non habet in præfatis casibus absolvendi Jurisdictionem præsente Sacerdote approbato. Vide 28 *ibid. a num.16. a 17.* Excipe vero casum, difficulter tamen contingentem, videlicet si præsens Sacerdos approbatus malitiosè absolutionem impertiri nollet; tunc enim ipse habendus esset tamquam absens, ac proinde simplex Sacerdos absolvere deberet.

29 Nullus Sacerdos sive Sæcularis, sive Regularis potest Confessiones excipere, sine potestate jurisdictionis, aliter absolutio esset nulla, gravissime peccaret, & rigide posset, & deberet puniri; vide *ibidem a numer. 25. ad 27.* Error communis potest dare Jurisdictionem (a), si in vero sensu capiatur; vide *ibid. a n.33. ad 37.* Error communis 30 cum titulo colorato, & putativo dat Jurisdictionem ad validè absolvendum, licet occultum subsit impedimentum ex Jure positivo proveniens; vide *ibid. num.36.* Secus autem 31 si defectus, seu impedimentum esset ex Jure naturali, vel divino proveniens: vide *ibid. num.37.* An autem etiam error communis sine titulo colorato, seu putativo det Jurisdictionem ad validè absolvendum? Vide *ibid. a num.38. ad 42.* (Vide Notam ad verbum *Confessarius* art. 1. num. 42. Tom.1. pag. 175.) ibique supponitur implicitè tamquam certissimum errorem particularem non dare Jurisdictionem, & ratio est, eo quia error particularis facilè detegi potest ex communi notitia, nec incommoda ex illo sequuntur, quæ ex errore communi, ac Ecclesia, sicut leges, primo, & principaliter bono communi prospicere, communitatisque incommodis occurrere assolet; unde licet error communis inferat Jurisdictionem, non tamen error particularis; Quoties autem stante errore communi aliqua oriretur suspicio de Sacerdotis Jurisdictione, exploranda foret sedulo veritas, qua non obstante, si dubium adhuc superstes maneret, perseveraret Jurisdictio, quia prævalet possessio jam a Populo acquisita.

Quamvis Jurisdictio, & approbatio Confessarii confundi 33 soleant, eo quod regulariter data approbatione conceditur Jurisdictio, in re tamen differunt; nam Confessarii Jurisdictio est potestas, sive jus in subditos ad absolvendi potestatem exercendam, quam ex vi Ordinis habet Sacerdos; approbatio autem est authenticum Judicium de idoneitate Sacerdotis ad confessiones excipiendas, seu cui possit ad id conferri Jurisdictio, quod utique Judicium stare potest absque Jurisdictionis collatione, ut si Episcopus Sacerdotem jam Judicatum idoneum non deputaret ad audiendas confessiones. Vide etiam verb. *Approbatio n.1. & 3.*

Jurisdictio Sacerdotis est quidem Juris Ecclesiastici quan- 34 tum ad collationem, ampliationem, & restrictionem; Ecclesia enim est, quæ illam confert, & eo modo quo Judicat in Domino expedire: at de Jure divino est (quod Sacerdos validè absolvere habquaquam possit absque Jurisdictione, quemadmodum sequitur ex verbis Trid. *sess.14. cap.7.* adductis in verb. *Confessarius art.1. num.8.* unde circa Jurisdictionem Ministri secundum quod est juris divini in Sacramentis tam administrandis, quam recipiendis tenendum est idem, ac circa materiam eorumdem & formam, nempe quod minime liceat sequi opinionem probabilem relictâ tutiori propter easdem rationes; quia scilicet exponeretur periculo frustrationis Sacramentum cum damno recipientis, & irreverentia Sacramenti. Ceterum quantum ad jurisdictionem secundum quod est juris Ecclesiastici, ad hæc usque tempora adhuc viget quamplurium Doctorum sententia, videlicet quod Ecclesia suppleat, seu det Jurisdictionem Confessario absolventi ex opinione verè, & graviter probabili circa Jurisdictionem, ut est Juris Ecclesiastici, quemadmodum affati sumus de errore communi, cujus non minus potens sapientum opinio ad dandam Jurisdictionem in pœnitentum bonum apparet, præsertim dum supponitur ei accedere circumstantia,

(a) Etsi notum est Romanis Censoribus, Patrem Dominicum Viva, nonnullosque alios Probabilistas cum nostro Ferrario opinari solum errorem communem sine titulo colorato sufficere ad Jurisdictionem, qua validè pœnitentes absolvantur; tamen hanc assertionem sine adnotatione vulgandam Romæ non esse censuerunt; nam doctis quamplurimis viris laxa, atque falsa omnino visa est hæc opinio, cum præsumi Ecclesiæ consensus rationabiliter non possit titulo colorato deficiente. Quando adest titulus coloratus, nempe quando Sacerdos subit examen coram Episcopo, quando obtinet in conspectu hominum beneficium, & ut Parochus ab omnibus tam solidis fundamentis habetur, sapienter & providè S. Mater Ecclesia ei confert jurisdictionem. At Sacerdotes iniqui exponunt se in tribunali fide mala ad confessiones excipiendas: & iltis Ecclesia Jurisdictionem confert ob utilitatem fidelium? Ita ne vero? An non vides heinc majora, & horrendiora consequi absurda, quam sit utilitas pœnitentium? Nam admissa hac doctrina, & persuasione in populo Christiano, quod validæ sint Confessiones, & absolutiones talium fictorum Confessariorum, jam aperitur janua omnibus iniquis & sceleratis Sacerdotibus fingendi se Confessarios, disseminandi errores, hæreses, & seducendi populum Christianum, Siquidem, ut credantur Confessarii, sat est, inquit P. Viva, ut error non sit *supinus, aut crassus*, sed probabilis. Quid autem facilius hoc errore probabili, contrario errori supino, & crasso. Nam nemo præsumitur malus, nisi probetur. Ergo quoties fideles vident Sacerdotem sedentem in tribunali, præsumere debent esse Confessarium, licet non sit; & error communiter semper probabilis erit, & non supinus. Utilitas ergo pœnitentium, quæ obtruditur pro fundamento Jurisdictionis ab Ecclesia collatæ, inepta res est, si conferatur cum universali damno, & perturbatione ministerii, & scandalis, atque absurdis, quæ sequerentur, si constiteret præfata opinio P. Vivæ, & aliorum: Titulus coloratus perquam rarus est. Errores isti communes, non supini, sed probabiles frequentissimi forent, semel admissa doctrina, quod ejusmodi confessiones, & absolutiones validæ essent.

tia, quæ Jurisdictionem moraliter certam reddat; ut esset Ecclesiæ determinatio, Sac. Canonum decisio, communis Theologorum, & consuetudo (quam in proposito certam, & indubitabilem testantur Cardenas, Suarez, Lugo Card. & alii) Patrum sensus, aut si opinio tutior sit improbabilis, vel tenuiter & non vere probabilis, aut scrupulosa: Perenniter tamen gravi, & summa cautela in cunctis procedendum.

Jurisdictio Confessarii distingui potest in directam, & in indi- 35
rectam. Prima est, quam exercet Confessarius in peccata sibi tamen subjecta confessa, & alteri non reservata; vel si alteri reservata, sibi tamen subjecta ratione Jubilæi, privilegii, vel specialis concessionis. Secunda est, quam in reservata, & sibi non subjecta exercet Confessarius ratione concomitantiæ cum sibi subjectis, Exemplum pro Jurisdictione directa non est necessarium, siquidem per se patet ex terminis; Exemplum pro Jurisdictione indirecta est primo dum quis legitimo Confessario aperit peccata cum inculpabili oblivione aliquorum; peccata namque explicitè manifesta directè absolvuntur a Confessario, quatenus in ea plenam habet potestatem, si non sint reservata, peccata vero inculpabiliter oblita indirecte absolvuntur, ratione scilicet absolutionis datæ super peccata confessa, quatenus remitti non potest unum peccatum sine alio, sed gratia expellit omnia, cum nequeat quis, insimul Dei amicus, & inimicus esse. Secundo si quis bona fide propria peccata confessus esset Sacerdoti non habenti jurisdictionem, vel ob aliquem Pœnitentis occultum defectum sine culpa contingat invalidam esse confessionem, sequenti confessione facta legitimo Confessario, peccata illa indirecte manent absoluta, ratione scilicet absolutionis datæ super peccata confessa, ut nuper dicebamus; id enim æquivalet inculpabili oblivioni; Verum quoties Pœnitens in cognitionem ferretur confessionis invalidæ, eam legitimo Sacerdoti repetere deberet, ut directe subjiciantur, & absolvantur peccata, necnon defectus inculpabilis corrigatur; quod si Pœnitens stante invalida confessione supradicta Communionem sumsisset, bona fides ipsum a Sacrilegio excusasset: Et dicta advertere, ad coercendos scrupulos, ac conscientiæ quietem inferendam Fidelibus multis juvabit plurimum. Tertio, cum quis urgente necessitate celebrandi, aut communicandi confitetur Confessario inferiori plura peccata, quorum aliqua sint reservata, tunc enim a reservatis absolvitur non directè, quia ea non cadunt sub potestate Confessarii, sed indirectè ex vi absolutionis directè datæ supra non reservata; cum onere tamen postea confitendi reservata habenti in ea auctoritatem pro directa absolutione; quod si Pœnitens in præfata urgenti necessitate non haberet nisi reservatum, confiteri deberet aliquod ex jam confessis peccatis, in quæ Confessarius directam habet auctoritatem, ut *vi illius* indirectè, & per concomitantiam absolvere possit a reservato, alias nec indirectè Pœnitens absolvi posset a reservato, sicut clare sequitur ex hucusque dictis; unde tunc Pœnitens sibi consulere deberet per contritionem.

Quid autem sentiendum in urgentiis præfatis, si casui reservato etiam foret annexa reservata censura, pateret Deo 36
dante in verb. *Reservatio casuum*.

Jurisdictio in pœnitentes nequit acquiri sola consuetudine, uti expresse declaratum habetur *in cap. Si Episcopus 2. de pœnitentiis, & remissionibus*, ibi: „Nulla quoque potest „ consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superio- „ ris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum „ possit solvere, vel ligare.

Alia de Jurisdictione, & facultate Confessarii quoad ab- 37
solutionem vid. verb. *Absolutio per tot.*

Jurisdictio gravi metu, vi, seu fraude obtenta, seu ex- 38
torta est ipso jure nulla, *arg. l. 2. §. 1. ff. De judiciis*; & Glossa *ibid.* quæ explicans textum de Jurisdictione per vim compulsivam prorogata loquentem; *Nulla Jurisdictio est*, addit, *scilicet ipso jure, sicut nec dos per vim promissa*; Concordat Bartolus *ibid. §. Nota casum*, & Abbas *in cap.2. num.12. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*. Et facit *cap. unicum, de his, quæ vi, metusve causa fiunt in 6.* ubi in simili Absolutio a Censuris per metum extorta declaratur omnino nulla, & sic tenet etiam Reiffenst. *lib.1, decretal. tit.40. num.63. & seq. & lib.2. tit.2. num.137.* & alii cum Glossa marginal. *in cit. l.2. de judiciis*, & alia Glossa *in cit. cap.2. verb. Coactus, de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, 39
Dicastill. *d. 10. num.181.* Contrariam tamen opinionem probabilem absque jure tenent Sanchez *lib.3. de Matrim. disp. 39. num.13.* Lessius *lib.2. de justit. & jure cap.17. num. 37.* Pirhing. *lib.1. decret. tit.40. num.33.* ubi defendit tanquam probabiliorem, & La Croix *lib.6. par.2. num.1554.* ubi dicit, quod probabilius est jurisdictionem vi, metu, vel fraude extortam sufficere ad valide absolvendum, quia concessio manet voluntaria simpliciter.

Jurisdictionis contentiosæ actus regulariter sunt invalidi 40
diebus Feriatis; *l. 1. ff. de Feriis, l. Si Feriatis ff. eod. cap. Omnes dies 1. & cap. Conquestus 5. de Feriis*. Ita Abbas *in cit. cap. Conquestus num.1.* Fagnan. *ibid. num.1. & seq. & Communis aliorum*.

Secus autem est dicendum de actibus jurisdictionis vo- 41
luntariæ, qui nimirum absque strepitu judiciali tantum in volentes exercentur, diebus etiam Feriatis recte expediuntur, *l. Solet ff. de Feriis, l. Actus omnes Cod. eod.* ubi licentia diebus Feriatis emancipandi, & manumittendi cunctis conceditur, & Baldus in summario generaliter inquit; Actus *voluntariæ jurisdictionis* possunt explicari quolibet tempore, etiam feriato; vide quoad hæc verb. *Judicium a n. 23. usque ad finem*.

Additio ex Auctore.

Jurisdictio Ordinaria activa non recte infertur ex privi- 42
legio exemptionis passivæ; Benedict. XIV. tom.1. Constit.76. incip. *Apostolicæ servitutis §. 9. &* 10. Jurisdictio 43
Ordinaria Prælato inferiori concessa dici nequit per verba generalia expressam illius mentionem non facientia: Idem *ibid. §. 7.* Nec per cessionem juris Episcopalis in genere, 44
utpote quod intelligi potest consentanee ad exemptionem passivam: Idem *ibid. §.12.* Jurisdictio in Clerum, & Po- 45
pulum Monachis raro tributa: nunquam vero ætate Alexandri III. Idem *ibid. §. 11.*

Jurisdictio Episcoporum in Ecclesiis Parochialibus Regu- 46
larium in Indiis Occidentalibus, & Orientalibus asseritur: Idem tom.2. Constitut.1. incip. *Quamvis ad confirmandum*.

Jurisdictio Episcopi in omnes Ecclesias intra Diœcesis suæ 47
fines constitutas, in jure fundata est, Idem Constitut. 33. incip. *Inter multa*, & Constitut.40. incip. *Causarum Palatii*. Jurisdictio activa in Clerum, & Populum valde differt 48
ab exemptione passiva, Idem Constitut.33. incip. *Inter multa*. Jurisdictio Græcis Prælatis in Populum Latini ritus nun- 49
quam in Italia attributa dignoscitur, Idem *ibid.*

* Inferior Prælatus ad hoc ut Territorium separatum, 50
& jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in Clerum, & populum obtineat, cum ipsius Episcopi exclusione, non juvatur per Quadragenariam præscriptionem cum titulo colorato, sed requiritur clarum & subsistens Apostolicum privilegium, aut consuetudo immemorabilis rite probata, per quam privilegium illud de jure valeat præsumi: quæ fuit olim decisio S. Congregationis Concilii die 7. Januarii 1721. dein. approbata a Clemente XI. die 14. ejusdem mensis, & confirmata a Bened. XIV. in suo Bullario *tom.2. Const.33.* Tunc autem dicetur consuetudo rite inducta, dum in aliquo loco ab immemorabili tempore inferior Prælatus omnem omnino jurisdictionalium actuum speciem ita solus exhuberit, ut Episcopus in cujus Diœcesi locus situs est, toto eo tempore nullam in his partem habuerit, neque in iis se umquam miscuerit. *De Synod. Diœcef. lib.13. c.8. §. 18. & 21. nov. edit.*

Episcopi licet habeant Capitula quantumcumque exem- 51
pta, possunt per se ipsos sine adjunctis de Capitulo visitare Ecclesiam, Canonicos, & Beneficiatos, ut decisum a S. Congreg. Concilii in quadam causa Zamorensi, quamvis non potest committere hoc munus alteri, *Ibid. cap.9. §.6. nov. edit.*

Si tamen extra visitationem velit contra Canonicum pro- 52
cedere, tenetur duos ex Capitulo Canonicos adjunctos habere, a Capitulo anno quolibet ineunte designandos, qui tamen duo Canonici constituunt unum tantummodo suffragium, & si ambo conveniant in sententiam Episcopo contrariam, tunc ad tertii electionem procedendum est, juxta formulam a Tridentino *sess. 25. cap.6. de refor.* præscriptam. Ita ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, & ex collatione duorum locorum Tridentini, altero in *sess.6. cap.4.* altero in *sess.25. cap.4.* de Synodo Diœcesi. *lib.13. cap. 9. nov. edit.* *

Novæ additiones ex aliena manu.

AMpliſſima eſt hæc materia. At anguſti limites additionum vix patiuntur, ut aliqua habeamus de juriſdictione ordinaria, & delegata, tum de juriſdictione contentioſa, & voluntaria.

Duobus modis Juriſdictio dici poteſt ordinaria.

1 *Primo*, quæ jure perpetuo, & ſtabili, vel lege, vel Principum conſtitutione ad inſtar regulæ conſtituta eſt, & efformata. Opponitur delegatæ, quæ extra ordinem committitur alicui, qui alias Judicis munus non habet, in certo caſu, & ſic ſe habet per modum exceptionis. Hoc ſenſu omnia Principum, & Prælatorum judicia juriſdictionem habent ordinariam, quippe quia hunc in finem ſunt conſtituta, ut ordinarie, & regulariter in cauſis controverſis pareat ad ea aditus, & Judices iis propoſiti nomine Principum, & Prælatorum jus dicant. Commiſſarii vero, qui pro re nata ad certam cauſam deputantur, extraordinariam juriſdictionem habent, cum perpetuum judicium non exerceant, ſed unam alteramque cauſam ob ſingulares circumſtantias expediant, pateatque adhuc ad Delegantem recurſus.

Secundo dicitur ordinaria juriſdictio, quam quis jure proprio & non ex alterius commiſſione, & beneficio tenet, & exercet, nec ita a Superioris arbitrio dependet, ut pro ejus arbitrio revocari poſſit. Opponitur huic vicaria, ſeu delegata juriſdictio, quam quis nomine, & vice ejus, qui juriſdictionem ordinariam habet, gerit. Hoc ſenſu ſoli Principes, & Epiſcopi *habent* juriſdictionem ordinariam. Officiales vero Epiſcoporum vicariam gerunt operam, qui eam ob cauſam dicuntur ipſorum Vicarii, reddendis rationibus iiſdem *obnoxii ſunt*, & ab *eis* in exercitio juriſdictionis ſunt dependentes.

9 Dici ſolet habere officialem eamdem juriſdictionem, quæ competit Epiſcopo. At eam haud habet eodem modo. Ille enim eam habet jure proprio: Hic vero poteſtate vicaria, licetque idem exerceat Tribunal, quod Epiſcopus habet, eſt adhuc ejus adminiſter, ab eoque conſtituitur; Vide de his omnibus *Bohemer. in Decretal. lib.* 1. *Tit.* 28. §. 7.

10 De contentioſa juriſdictione non eſt quod multa habeamus. De ejus diviſione in *libellarem*, & *decretoriam* traditam ab *Obrecto de juriſdict. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 19., vide omnino *Scheimicr. juriſprud. canon. lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 8. *in ſupplement. qu.* 2. *per tot.*

11 Voluntaria juriſdictio neque a voluntate Magiſtratus dicitur, quaſi eam pro arbitrio accommodet, neque a voluntate partium, quaſi eam pro ſuo libitu petant, ſed potius ab actibus, qui non imperantur, ſed a volentibus ſolum, & conſentientibus peraguntur, *Lauterbac. in diſput. de juriſdict. Volunt. Theſ.* 2.

12 Dividitur juriſdictio voluntaria in ſimplicem, & mixtam. Simplex exercetur a Magiſtratu ſine ſpeciali cauſæ cognitione, ſola interpoſitione publicæ auctoritatis circa actum, qui coram ſe geritur. Mixta exercetur cum ſpeciali & ſolemni cauſæ cognitione; *Braun. de Juriſd. cap.* 4. §. 3. *num.* 4.

13 Pertinent ad juriſdictionem voluntariam ſimplicem ex juris diſpoſitione adoptio, emancipatio, & manumiſſio, & ex interpretatione Prudentum inſinuatio Teſtamenti judicialis, inſinuatio donationis ultra 500. ſolidos, inſinuatio judicialis hypothecæ bonorum immobilium, edictalis bonorum poſſeſſio, apertura, & publicatio Teſtamentorum, *Lauterbac. dict. Diſput. Theſ.* 33. *& ſequit. Vinn. de Juriſdict cap.* 6. *num.* 6.

14 Ad juriſdictionem voluntariam mixtam pertinent arrogatio, emancipatio Impuberis, manumiſſio ſervi, ſi fiat a minori 26. annis, tranſactio de alimentis Teſtamento relictis, alienatio rerum immobilium, vel mobilium pretioſarum ad Pupillos, vel Minores ſpectantium, & bonorum poſſeſſio decretalis; conſule *Schmier Juriſprud. Canon. Civil. lib.* 1. *Tract.* 5. *cap.* 8. *Section.* 2. §. 4. *numero* 48. *& plur. ſequent.*

15 Quæritur; An diſpenſatio ſuper votis, & juramentis, abſolutio a cenſuris, collatio Beneficiorum, aut Privilegiorum & alia id genus jure Canonico inducta ſpectent ad juriſdictionem voluntariam, & utrum ad ſimplicem, an mixtam? At confer *Scheimier Juriſprud. Canon. Civil. l.* 1. *Tract.* 5. *cap.* 8. *ſect.* 2. §. 3. *n.* 43. *& ſeq.*

Conveniunt in hoc Juriſdictio ſimplex, & mixta, quod 16
utraque perſonalem repræſentiam eorum, quibus adminiſtratur, nec miniſterium Procuratoris admittit, *Braun de Juriſdict. cap.* 4. §. 3. *num.* 11.

Differunt vero, quia ſimplex poteſt adminiſtrari in cauſa 17
propria, propriæ, & conjunctis perſonis, a Judice competente, & incompetente, intra, & extra Territorium jus dicentis, die feriato, & non feriato. Mixta vero redditur cauſis & Perſonis alienis a Judice competenti, ac pro Tribunali ſedente intra Territorium proprium, diebuſque juridicis. Nec mirum. Simplex enim cum non requirat Cauſæ 18
cognitionem, nec judicio, nec Judici, nec loco adſtricta, ſolam præſentiam Magiſtratus, & inſcriptionem negotii ad acta deſiderat. Mixta vero, utpote deſiderans judicialem cauſæ cognitionem, certo loco, Judici, & judicio alligata eſt; *Vinnius de Juriſdict. cap.* 6. *n.* 7. *Braun eod. tract. cap.* 4. §. 3. *n.* 38. *& ſeq.*

JUS, JUSTITIA.

JUs derivatur a verbo *Juſto*, textu expreſſo *in cap. Jus ge-* 1
nerale 2. *diſt.* 1. ibi: *Ius autem eſt dictum, quia juſtum eſt, & in l.* 1. *ff. de juſtitia & Jure*, ibi: *Jus a juſtitia appellatum eſt; nam jus eſt ars boni, & æqui.* Nec in re diſcrepat, *cap. Jus dictum eſt* 12. *de verbor. ſignificat.* ubi dicitur: *Jus dictum eſt a jure poſſidendi, hoc enim jure poſſidetur, quod juſte*: quia ibi, ut recte notant Abbas *in d. cap. Jus dictum*, Reiffenſtuel. *lib.* 1. *decretal.* §. 1. *proœmii num.* 3. & alii, ponitur Etymologia Juris, non prout Jus eſt nomen generale, ſed prout applicatur ad rem certam, dicendo v. g. *Habeo Jus in tali re.*

Relictis variis aliis Juris acceptionibus, hic Jus potiſſimum 3
accipitur pro Lege, quæ eſt Regula juſtitiæ, ſeu juſti in genere; Cum enim Legibus non niſi id, quod juſtum eſt, ſive debitum inter Cives, vel erga Rempublicam ſtatuatur, hinc uſu receptum eſt, ut ipſæ leges tum divinæ, tum humanæ Jura appellarentur, & in hac ſignificatione accipitur Jus, *in cit. cap. Jus generale* 2. *diſt.* 1. ubi dicitur: *Jus generale nomen eſt, Lex autem Juris eſt ſpecies.* Unde Jus 4
pro Lege acceptum dividitur primo in Jus naturale, & Jus poſitivum. Jus naturale (quod alio nomine nuncupatur *Lex naturalis*) eſt illud, cujus obligatio non ex libera alicujus præcipientis Legislatoris voluntate, ſed ex ipſa rei præceptæ, vel prohibitæ natura oritur, *ut v. g. Quod tibi vis fieri, alteri feceris, & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & hujuſmodi; *Eſt in re Communis*, & colligitur *ex cap. Ius naturale* 7. *diſt.* 1. ubi dicitur: *Jus naturale eſt commune omnium nationum, eo quod ubique Jure naturæ, non conſtitutione aliqua habetur.* Et clariſſime inſinuatur *Ad Romanos cap.* 2. ibi: *Gentes, quæ legem non habent* (ideſt ſcriptam), *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt Lex; qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Et jam indicaverat Regius Pſaltes *Pſalm.* 4. ibi; *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Jus poſitivum eſt illud, quod non ex rei natura, ſed ex li- 5
bera Dei, vel hominis voluntate pendet, & vim obtinet; Et dicitur *poſitivum*, quia a Superiore, non ex quadam neceſſitate, atque intrinſeca exigentia objecti, ſed libere, & contingenter ponitur; *Eſt in re Communis.*

Jus poſitivum dividitur in jus poſitivum Divinum, & po- 6
ſitivum humanum. Jus poſitivum Divinum eſt, quod a Deo Supremo Legislatore, de iis, quæ ad jus naturale non ſpectant, in tempore latum, & hominibus poſitum fuit. Notanter autem dicitur, *De iis, quæ ad Jus naturale non ſpectant*, ut ab iſto jure Divino poſitivo excludatur jus naturale, quod certo reſpectu, & ratione, etiam divinum appellatur, quatenus a Deo tam quam auctore naturæ mentibus humanis eſt inditum. Jus poſitivum humanum eſt illud, quod ab auctoritate humana aliquid præcipiente, vel prohibente procedit.

Jus poſitivum Divinum ſubdividitur in Vetus, & Novum. 7
Vetus eſt, quod Deus in Veteri Teſtamento tulit, & triplicis generis præcepta continebat, ſcilicet Moralia, Cæremonialia, & judicialia. Jus poſitivum divinum novum eſt, quod Chriſtus Dominus verus Deus, & homo in novo Te-

ſtamento condidit, & obſervari mandavit; & continet præcepta Fidei, Spei, Charitatis, & Sacramentorum.

8 Jus poſitivum humanum ſubdividitur in jus Gentium, Ci-
9 vile, & Canonicum. Ius Gentium eſt illud, quo omnes gentes, vel ferme omnes utuntur, *l.* 1. §. *Jus Gentium ff. de juſtitia, & jure*, juncta *leg. Omnes ff. eod.* ubi dicitur: *Quod naturali s ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræque cuſtoditur, vocaturque jus Gentium, quaſi quo Iure*
10 *omnes homines utuntur.* Ius autem Gentium duplex ſolet a Iuriſtis aſſignari, ſcilicet Ius Gentium Primarium, & Secundarium. Ius Gentium primarium eſt illud, quod naturalis ratio omnibus gentibus dictat, quodque mentibus hominum a Deo naturaliter inditum eſt, & ab omnibus populis ſolo naturali inſtinctu rationis cuſtoditur, & ſic coincidit cum Iure naturali; §. *Jus autem, Inſtit. de iure natur. Gent. & Civil. & l. Omnes* 9. *ff. de juſtitia, & jure* cum ſimilibus. Ius gentium ſecundarium eſt illud, quod ex naturali quidem ratione proficiſcitur, at non ſimpliciter, & ab initio ſolo rationis inſtinctu nobis eſt inditum, ſed neceſſitate humani commercii poſtea ſic exigente uſu, ac moribus omnium, aut fere omnium gentium eſt introductum, ſive per modum Legis præceptivæ, aut prohibitivæ, ſive ſolum per modum poteſtatis, ſeu facultatis permiſſivæ quidpiam agendi, quod uſu, ſeu conſuetudine omnium, vel pene omnium Gentium præcipitur, prohibetur, aut conceditur tamquam neceſſarium, vel utile hominibus inter ſe ſocietatem, ſeu commercium foventibus, & de hoc Iure Gentium ſecundario eſt ſermo *in l. Ex hoc Iure ff. de juſtitia, & Iure, & §. Ius autem Gentium, Inſtit. eod. tit.* & afferuntur exempla. *in cap. Ius Gentium* 9. *diſt.* 1. præciſis his verbis: *Ius Gentium eſt Sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, ſervitutes, poſtliminia, foederæ, paces, inducieæ, Legatorum non violandorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita. Hoc inde Ius Gentium appellatur, quia eo iure omnes fere gentes utuntur.*

11 Ius Civile eſt, quod auctoritate Principis, ſive Magiſtratus ſæcularis eſt conditum ad Reipublicæ gubernationem & temporalem pacem, & ſalutem Civium conſervandam; *Eſt in re Communis* per textum *in cap. Ius Civile* 8. *diſt.* 1. ubi ſic præciſe dicitur: *Ius Civile eſt, quod quiſque populus, vel quæque Civitas ſibi proprium divina, humanaque cauſa conſtituit.*

12 Ius Civile dividitur primo in Ius ſcriptum, & non ſcriptum, *cap. Ius Generale* 2. *cap. Lex* 3. *cap. Mos* 4. *cap. Conſuetudo* 5. *diſt.* 1. *&* §. *Conſtat autem, Inſtitut. de iure natur. gent. & Civil.* Ius Civile *ſcriptum* eſt, quod expreſſo conſenſu Principis, ſeu Magiſtratus Legis condendæ poteſtatem habentis, conſtitutum eſt. Ius autem Civile *non ſcriptum* eſt Ius conſuetudinarium, ſive illud, quod diuturnis moribus, tacito utentium conſenſu, comprobatis, introducitur; *Communis, arg. citatis Iuribus.*

Ius Civile dividitur ſecundo in Ius commune, & particula-
13 re, ſeu municipale. *Ius Civile commune* eſt illud, quod eſt commune omnibus Provinciis, & incolis Romano Imperio ſubjectis, illoſque omnes obligat. *Ius autem Civile particulare, ſeu* municipale eſt illud, quod non ligat omnes ſubditos Imperii Romani, ſed ſolum ſubditos loci, vel Territorii, pro quibus hoc Ius conditum eſt; *Communis.*

14 Totum Ius commune Civile, ſeu Cæſareum dividitur in tres præcipue partes, ſcilicet in Digeſtum, Inſtitutiones, & Codicem. *Digeſtum*, quod alio nomine appellatur *Pandectæ*, ſeu libri *Pandectarum*, continet in ſe quinquaginta libros, qui omnes dividi ſolent in tres Tomos. Primus vocatur *Digeſtum vetus*, quia prius editum eſt, & continet priores viginti quatuor libros. Secundus vocatur *Infortiatum*, quia fortiorem ac pleniorem Legum cognitionem ſuppeditat & continet ſequentes quatuordecim libros uſque ad trigeſimum octavum inclusive. Tertius vocatur *Digeſtum novum*, quia poſtremo editum eſt, & continet reliquos duodecim libros. *Inſtitutiones Imperiales*, ſeu Juſtiniani Imperatoris dividuntur in quatuor libros, & ſunt quoddam Juris compendium. *Codex Juſtiniani* continet duodecim libros, quorum tres ultimi tractantes de Jure publico non ſolent explicari in omnibus ſcholis, Iſtis tribus Iuris Civilis partibus ſunt adjectæ poſtremo *Novellæ conſtitutiones* Iuſtiniani, & Leonis Imperatorum, & alio nomine dicuntur *Authenticæ*, & conſtant novem Authenticis Collationibus, quibus recens decima adjecta eſt, inſuper adjectæ ſunt *Conſuetudines Feudorum*, ſeu duo *Libri Feudorum*, & aliæ quædam Conſtitutiones Imperiales.

Ius Canonicum derivatur a verbo Græco *Canon*, quod 15
latine ſignificat Regulam, *cap. Canon.* 1. *diſt.* 3. Regula autem Eccleſiaſtica eſt ſic dicta, eo quod recte ducit, nec a- 16
liquando aliorſum trahit, quam ad rectitudinem, vel quod regat, vel quod normam recte vivendi præbeat, vel quod diſtortum, pravumque corrigat, *cap. Regula* 2. *diſt.* 3. Unde Ius Canonicum recte definitur, quod ſit Ius poſitivum ex ſacris Canonibus, ſeu Regulis Eccleſiaſticis collatum, & ad recte vivendum, æternamque ſalutem conſequendam, & juſtitiam in populo Chriſtiano conſervandam a Summis Pontificibus Eccleſiæ Catholicæ traditum, conſtitutum, vel approbatum, *Ita in re Communis.* Ius Canonicum vocatur 17
etiam alio nomine *Ius Eccleſiaſticum*, quia materia in ipſo contenta eſt Eccleſiaſtica, & agit potiſſimum de perſonis, & rebus Eccleſiaſticis. Item vocatur etiam *Ius Pontificium*, quia a Summis Pontificibus fuit inſtitutum, & approbatum. Item vocatur etiam *Ius divinum* large ſumendo Ius divinum, ſive quia inſtinctu, & gratia S. Spiritus Canones editi ſunt, ut dicitur *in cap. Violatores* 5. *cauſ.* 25. *quæſt.* 1. ſive quia Canones ſunt veluti concluſiones deductæ ex principiis Iuris, 18
ſeu Legis Divinæ, *cap. Qualiter* 24. *de accuſat.* & quædam ex ſacris Litteris excerpta continent, ſive denique quia Summus Pontifex poteſtatem condendi Leges ab ipſo Chriſto, veluti, ipſius Vicarius, & Petri ſucceſſor accepit, ut deſumitur *ex cap. Translato* 3. *de Conſtitutionibus.*

Jus Canonicum dividitur primo ad inſtar Iuris Civilis in 19
ſcriptum, & non ſcriptum, textu expreſſo *in c. Jus Generale* 2. *diſt.* 1. *& in c. Eccleſiaſticarum* 5. *diſt.* 11. Ius Canoni- 20
cum *ſcriptum* deſumptum eſt, partim ex Iure Divino, & Sacra Scriptura Veteris, & Novi Teſtamenti, partim ex decretis Conciliorum auctoritate Pontificia confirmatorum, partim ex diverſis Reſcriptis, & Conſtitutionibus Summorum Pontificum, partim ex placitis, ſeu Legibus Principum Sæcularium, & partim ex ſententiis Sanctorum Patrum.

Ius Canonicum autem *non ſcriptum* continet Traditiones, 21
& laudabiles Conſuetudines Eccleſiaſticas; *Communis.*; & clare patet ex *cap. Eccleſiaſticarum* 5. *cap. Conſuetudinem* 6. *cap. In his rebus* 7. *cap. Catholica* 8. *cap. Palam eſt* 9. *cap. Hoc veſtræ* 10. *& cap. Quis neſciat* 11. *diſt.* 11. *cap. Præceptis Apoſtolicis* 2. *cap. Scie Sancta* 3. *cap. Illud breviter* 4. *cap. Ridiculum* 5. *cap. Diuturni mores* 6. *cap. Conſuetudo* 7. *cap. Nos conſuetudinem* 8. *cap. Quemadmodum* 9. *cap. Novit* 10. *cap. Illa autem* 11. *& cap. Omnia talia* 12. *diſtin.* 12.

Ius Canonicum dividitur ſecundo in Ius commune, & 22
Ius ſpeciale. *Ius canonicum commune* eſt illud, quod pro univerſa Eccleſia latum eſt, & omnes Fideles obligat. *Ius canonicum ſpeciale* eſt illud, quod ſolum pro certo loco, Provincia, Diœceſi, vel Communitate latum fuit, & extra fines ipſius non obligat, ut ſunt diverſæ Conſtitutiones Synodales Diœceſum, aut Provinciarum; *Communis.*

Corpus Iuris Canonici dividitur in ſex partes, ſcilicet; 23
Prima eſt Decretum Gratiani; Secunda ſunt Decretales Gregorii IX. Tertia Decretales Bonif. VIII. Quarta Decretales Clem. V. Quinta Decretales Ioan. XXII. Sexta Decretales variorum Pontificum.

Prima igitur pars Iuris Canonici eſt Decretum Gratiani, 24
quod a ſuo Auctore Gratiano Religioſo Ordinis Sancti Benedicti nomen traxit, qui anno circiter 1150. tempore Eugenii III. hoc opus ex diverſis Sacræ Scripturæ ſententiis, Summorum Pontificum, & Conciliorum Decretis, Sanctorum Patrum ſcriptis, Imperatorum etiam Legibus, & Sanctionibus compilavit, ac *Concordiam diſcordantium Canonum* appellavit, & multa de ſuo adjecit. Hoc Gratiani Decretum componitur ex tribus partibus. Prima pars continet centum, & unam diſtinctiones, in quibus per Capita, ſeu Canones agitur de Iure Divino, & humano, & de perſonis Eccleſiaſticis. Et textus in hac prima Decreti parte contenti citantur ponendo numerum diſtinctionis, & initium Capitis, ſeu Canonis, v. gr. *diſt.* 1. *cap. Ius Generale*, ubi legendum eſt, *Ut habetur diſt.* 1. *Cap. ſeu Canone, qui incipit Ius Generale.* Secunda pars continet cauſas 36. in quibus tractatur de negotiis Clericorum, & Laicorum, & earum ferme quælibet plures continet Quæſtiones, & quælibet Quæſtio plures Canones, ſeu Capita. Et textus in hac ſecunda parte contenti citantur hoc modo, *cap. Nullius crimen* 1. *qu.* 4. lege *Capite, ſeu Canone, qui incipit Nullius crimen, Cauſa prima, Quæſtione quarta*, & ut facilius textus reperiantur, ſe-

solet a multis præponi ad Caput, seu Canonem proprius numerus in ordine, scribendo v. gr. *Nullius crimen 1. caus. 1. quæst. 4.* Inseritur autem causæ trigesimæ tertiæ de Matrimonio agenti, Tractatus de pœnitentia in quæstione tertia, quæ dividitur in septem distinctiones subdivisas per capita, seu Canones. Et textus in hoc Tractatu citantur sic, v. gr. *Cap.* seu *Can. Petrus doluit, de Pœnitent. dist. 1.* lege *ut habetur De Pœnitentia dist. 1. cap. seu Canon. qui incipit Petrus doluit.* Tertia tandem Decreti pars, quæ agit de consecratione Ecclesiarum, de celebratione Missarum, de Sacramentis Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ &c. continet quinque distinctiones, quarum quælibet complectitur varia Capita, seu Canones; Et textus in hac tertia parte contenti citantur hoc modo, *Capit. vel Canon. Omnes Basilicæ, de consecrat. dist. 1.* lege *Capite, vel canone Omnes Basilicæ, de consecratione dist. 1.* Vel citantur sic, *De consecrat. dist. 1. Omnes Basilicæ*, lege *de consecratione dist. 1. Cap. seu Canon. qui incipit Omnes Basilicæ.* His adjungi solent quadraginta septem Canones Pœnitentiales, qui sic citantur, *Canon. Pœnitential. 1.* vel 2: vel 3. vel 4. Item octoginta quatuor Canones, quos *Apostolicos* vocant, dicunturque collecti per Sanctum Clementem Papam, & sic citantur *Canon. Apost.* 1. vel 2. vel 3. vel 4. sicuti est proprius numerus in ordine.

25 Quamvis nec dum sufficienter constet, quod Decreto Gratiani universim fuerit attributa auctoritas Legis Canonicæ totum mundum obligantis; Nihilominus propter perfectam emendationem, & hujus emendationis approbationem a Gregorio XIII. factam meretur aliquam fidem, cum tamen Canones, aliaque ibidem contenta cum suis originalibus sine errore, aut falsitate correspondent, ut pluribus citatis tradit Barbosa *in Collectan. DD. ad proœmium Decreti nu. 6.*
26 *& sequent.* Pirhing *in Proœmio num. 32.* Engel *ibid. num. 6.* Reiffenstuel *ibid. n. 65.* & alii passim. (a) Hinc Canones, aliaque contenta in tali Decreto habent eamdem auctoritatem, quam de se haberent, & habent apud proprios Auctores, seu Conditores; nec majorem habent per hoc, quod referantur in ipso decreto. Sic Doctores supracitati, ac alii fere communiter, & expresse Sacra Rota Romana apud Peniam *decis.* 480. ubi inter alia sic habet: „ Nec refert illos „ Canones, recensèri in Decreto a Gratiano compilato, „ quia, cum Gratianus non publica auctoritate infinita quæ„ que illa Canonum Ecclesiasticorum, & Legum etiam„ „ sæcularium Capitula in suum Librum contulerit; Nec Le„ gis concedendæ auctoritatem habuerit, nec ab aliquo Ro„ mano Pontifice Liber ille (N. B.) tamquam authenti„ cus, & legalis approbatus fuerit, inde fit, quod quili„ bet Canon inibi relatus ex eo tantum, quod ibi referatur,
„ non habeat majorem auctoritatem, quam in primo loco
„ consistens de sui natura esset habiturus. Nec Greg. XIII.
„ Gratiani Librum tamquam Legalem authenticavit, cum
„ solum emendari jusserit, & emendationes sine additioni-
27 „ bus mandaverit observari.

Secunda pars Juris Canonici sunt Decretales jussu Gregorii IX. collectæ a Sancto Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum circa annum 1234. Istæ Decretales sunt sic dictæ; quia magis ex Summorum Pontificum Constitutionibus, & Epistolis Decretalibus coalescunt, quam ex Conciliorum Decretis. Decretum autem Gratiani e contra. Dividuntur istæ Decretales in quinque Libros, Libri in Titulos, & Tituli in Capitula, & citantur ponendo initium, vel numerum Capituli, & allegando Titulum, v. gr. *Canonum Statuta, De constitutionibus*; lege *Capite Canonum Statuta, tit. de Constitutionibus*, & ab aliquibus post initium Capituli ponitur, etiam numerus sui ordinis, ut facilius reperiatur, v. g. *cap. Canonum Statuta 1. De Constitutionibus*; Glossator Decretalium est *Bernardus Parmensis.* Materiam Decretalium Glossa proœmialis memoriæ causa sequentibus versiculis comprehendit:

„ Pars prior Officia parat, Ecclesiæque ministros,
„ Altera dat Testes, & cetera Judiciorum.
„ Tertia de Rebur, & vita Presbyterorum.
„ Quarta docet quales sint Nexus conjugiorum.
„ Quintaque de Vitiis, & Pœnis tractat eorum.

Et brevius hoc Versiculo.

„ Judex, Iudicium, Clerus, Sponsalia, Crimen.

Tertia pars Iuris Canonici est *Liber sextus Decretalium*, 28
qui post quinque Libros Decretalium Gregorii IX. auctoritate Bonifacii VIII. compilatus fuit a *Guilielmo Ebredunensi, Berengario Biterensi, & Richardo Senensi* circa annum Christi 1297. qui etiam dividitur in alios quinque Libros, qui subdividuntur in Titulos juxta ordinem in quinque Decretalium Libris observatum (omissis tamen illis Titulis, circa quos specialis controversia de novo non emerserat) ac Tituli in Capitula. Citatio in hac parte fit ponendo initium, vel numerum Capituli, & Titulum, ut in quinque Libris Decretalium, cum addito *in 6.* v. gr. *Cap. Ut super 4. De appellat. in 6.* lege, *Capite, quod incipit Ut super, & est quartum in Titulo De Appellationibus in Libro sexto Decretalium.* Glossator hujus Libri *est Joannes Andreas Bononiensis Iurisconsultus.*

Quarta pars Juris Canonici sunt *Clementinæ*, idest Consti- 29
tutiones, partim editæ a Clemente V. partim ejus jussu collectæ, & post ejus mortem promulgatæ a Joanne XII. circa annum Christi 1317. & dividuntur in quinque Libros, Libri in Titulos, & Tituli in Capitula. Citatio fit v. g. *Clement. Causam electionis 3. de electione*, lege *in Clementinis capite Causam electionis 3. De electione.* Glossator est dictus *Joannes Andreas Bononiensis Jurisconsultus.*

Quinta pars Juris Canonici sunt *Extravagantes* Joannis 30
XXII. idest *viginti* Constitutiones editæ a Joanne XXII. & distributæ in quatuordecim Titulos, & dicuntur *Extravagantes*, quia vagantur per varias materias ultra illas, quæ in Libris Decretalium habentur, & quia antea extra Corpus Juris Canonici incerta quasi sede vagabantur, quod nomen adhuc retinent, licet postea in ordinem Librorum Juris Canonici redactæ sint. Citatio fit addito nomine huius Papæ v. gr. *Extravag. Prodiens Joannis XXII.* lege *In Extravagante Constitutione Joannis XXII. quæ incipit Prodiens.* Glossator *est Zenzelinus de Cassanis.*

Sexta pars Juris Canonici sunt *Extravagantes Communes*, 31
idest Constitutiones, quæ post priora omnia emanarunt a diversis Pontificibus, & dividuntur in quinque Libros, Libri in Titulos, Tituli in Capitula, quorum singula novam, & distinctam continent Constitutionem, vel Constitutiones, seu Extravagantes; Vocantur *Extravagantes* propter supradictam rationem, & *Communes*, quia non ab uno solo Pontifice; sicut Extravagantes Joannis XXII. sed a pluribus, & diversis Pontificibus sunt editæ. Citatio fit ponendo initium Capituli, & Titulum, in quo reperitur Capitulum, v. gr. *Extravag. Ad regimen 13. de præbend.* lege, *In Extravagante, quæ incipit Ad regimen cap. 13. de præbendis.* Glossas addiderunt *Joannes Monachus, Guilielmus de Monte Lauduno, & Joannes Franciscus de Pavinis.*

Corpori Juris Canonici in quibusdam recentioribus exem- 32
plaribus ad finem reperitur adjectus *Liber septimus Decretalium* collectus *a Petro Matthæi Jurisconsulto Lugdunensi*, & Juxta ordinem Titulorum in quinque Decretalium Libris contentorum distributus. Ast hic, prout nunc est editus, non est auctoritate publica in Corpus Juris Canonici receptus, licet habeat Constitutiones reipsa obligantes, qualia sunt Decreta, & Canones posteriorum Conciliorum usque ad Tridentinum inclusive, & Constitutiones multas variorum Summorum Pontificum, quæ in ipso reperiuntur.

De alio *Septimo Decretalium Libro* memoratu dignam re- 33
lationem facit Prosper Fagnanus *lib. 2. Decret. in cap. Cum venissent 12. de Judiciis n. 61. & 62.* quæ prout ibi est, hic ad „ litteram datur, *ibi*: „ Cum Gregorius XIII. commisisset „ prius Flavio Ursino, Francisco Alciato, & Antonio Ca„ rafæ S.R.E. Cardinalibus licentiam compilandi septimum „ Librum Decretalium, multaque ipse manu sua exaratset, „ ac monuisset, sed e vivis ereptus inchoatum opus dimisis„ set; Sixtus V. ejus Successor eam Curam imposuit Domi„ nico Cardinali Pinello anno 1587. eique Collegas adjun„ xit Cardinales Aldobrandinum, Matthæum, Columnam. „ Ex quibus Cardinali Aldobrandino post obitum Sixti ad „ Pon-

(a) Vide tamen Antonium Augustinum *de emendatione* Gratiani, necnon Van-Espenii *Dissertationem Proemialem ad Decretum Gratiani*, cap. 10. cui titulus: *De Erratis Gratiani post correctionem Romanam*. T. 3. pag. 188.

„ Pontificatum assumpto, & creatis Cardinalibus ex Præla„ tis ipsius Congregationis Lucio Saxo, Laurentio Blanchet„ to, & Pompejo Arrigonio extremo anno 1593. factus est „ finis ea undequaque seligendi, & recognoscendi, quæ in„ ferenda in Canonum corpus essent. Magnopere autem has„ sitatum est, num in extrema hac compilatione inseri debe„ rent Oecumenicorum Concil. Florent. ac Trident. Cano„ nes etiam ad Dogmata pertinentes: & tandem optimis ra„ tionibus in eam itum est sententiam, ut insererentur, licet „ Collectiones tam Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Clemen„ tis V. quam in antiquioribus Isidori, Burchardi, Anselmi, „ Photii, & aliorum pauciss imis dogmatibus sint respersæ. „ Itaque volumen Pontificia Jura, & Conciliorum Decreta „ trecentorum prope annorum in quinque libros disposita, „ suis propriis distributa Titulis, compendiaria quadam „ Summa complectens, extremam manum accepit die 25. „ Julii anno 1598. Sed cum typis jam excussum sub nomi„ ne septimi libri Decretalium Clementis VIII. propediem „ esset publicandum, gravis emersit difficultas, quod cum „ Decreta fere omnia Concilii Tridentin. in eo inserta jam „ in Corpus Juris Canonici redacta essent, negandum „ non erat, quin Jurisperitis liceret eis applicare Glossas, & „ Commentarios; ita enim in præcedentibus compilationi„ bus factum videmus: nam, ut missas faciamus veteres „ Græcorum Collectiones, quibus suas addiderunt interpre„ tationes, non modo Alexius Aristenus, Joannes Zonaras, „ & Theodorus Balsamon, verum etiam Joannes Schola„ sticus, & Photius ambo Constantinopolitani Antistites, „ & Matthæus Bastens Monachus, Constantinusque Her„ menopolus, atque Arsenius; apud Latinos prima Decre„ talium compilatio, quam tempore Alexandri III. ex De„ cretis antiquorum Conciliorum, & Summorum Pontifi„ cum Constitutionibus a Gratiano omissis fecit Bernardus, „ Præpositus Papiensis, mox Faventinus Episcopus, & Bre„ viarium Extravagantium inscripsit, licet privato eius no„ mine edita fuerit: Glossatores tamen habuit Vincentium, „ Alanum, Tancredum, Laurentium, & Rogerium. Simi„ liter ad secundam privatam compilationem Gilberti, & „ Alani, quam suo nomine edidit Joannes Gallensis eorum „ discipulus, glossemata fecerunt idem Joannes, Hugo Fer„ rariensis Episcopus, & Bernardus major Compostellanus. „ Quemadmodum & ad tertiam, quę a Bernardo Archidia„ cono Compostellano propria auctoritate Romæ confecta, „ & ideo Romana appellata, ac deinde omnium prima Li„ ber Decretalium conscripta fuit, glossas fecerunt idem „ Vincentius, Alanus, Rogerius, Jacobus, & omnium co„ piosissime Tancredus, ut constat ex vetusto Codice anti„ quarum compilationum ab Anagnia Civitate in Bibliothe„ cam Vaticanam delato, licet Joannes Andreas putaverit „ glossas ad hanc compilationem composuisse Paulum Hun„ garum. Quartæ itidem compilationi, cui addita fuerunt „ Capita septuaginta, & unum Generalis Concilii Latera„ nensis paulo ante celebrati, glossæ fuerunt applicatæ, licet „ de Auctoribus variæ sint opiniones, alii enim illas tribu„ unt Joanni, alii Roberto, sive Rogerio. Et prætermissa „ quinta, quam idem Tancredus compaginavit ex Constitu„ tionibus Honorii III. ad sextam itidem compilationem „ quam Gregorius IX. ex quinque compilationibus præce„ dentibus in quinque libris Decretalium disposuit, opera „ scilicet Raymundi tunc ejus Capellani, & Penitentiarii, „ mox Tertii Ordinis Prædicatorum Magistri Generalis, „ glossas edidit Bernardus de Botono Parmensis, & Canoni„ cus Bononiæ. Sed & ad sextum Librum Decretalium Bo„ nifacii VIII. quæ septima fuit compilatio, Jo: Andr. Bo„ nonensis applicuit glossas Joan. Monachi Cardinalis, fue„ runt enim concurrentes, ut idemmet Joann. Andr. testatur „ *in præfatione ejus libri*. Ac demum ad compilationem „ Clementinarum Clementis V. a Joanne XXII. publica„ tam, glossas confecit idem Joan. Andr. Et ad Extravagan„ tes, quæ una cum Decretalibus Gregorii IX. Sexto, Cle„ mentinis, Corpus Juris Canonici constituunt, ut declara„ vit Gregorius XIII. in Constitutione, quæ incipit: *Cum „ pro munere*, Zenzelinus de Cassanis, & Guilielmus de „ Monte Lauduno glossas applicaverunt, & Apostillas Joan„ nes Franciscus de Pavinis Rotæ Auditor. Itidem vete„ rum Canonum Expositores, Ruffinus, Silvestrum, Jo: „ Hispanum, Joannem Faventinum, Gosfredum, Melen„ dum, Bartholomæum Brixien. Joannem de Deo, & alios „ quamplures recenset Guilielmus Durand. *in proœm. Spec.*

„ *num.* 14. & ibi fusius Jo: Andr. *in additione incip. B. Parm. „ littera M.*

„ Quod igitur ad veteres Canonum Collectiones factum „ est, nulla ratio suadebat, cur non idem esset permitten„ dum ad extremam hanc compilationem septimi Libri De„ cretalium. Id vero ex diametro adversabatur Constitutio„ ni Pii IV. prohibentis, ne super Decretis Concilii Tri„ dentini edantur glossæ, & commentarii, nullumque om„ nino interpretationis genus. Tanti autem hujusmodi pro„ hibitio habita fuit, ut hanc unam ob causam subsiterit hu„ jus voluminis publicatio miris elucubrata laboribus, ac „ vigiliis, & Præsulum, Gymnasiorum, totiusque Ecclesiæ „ vocibus efflagitata; ita ut propterea nullus restet dubitan„ di locus, quin Constitutio Pii IV. interdicat etiam pro„ babilem Glossatorum interpretationem. *Hactenus Fa„ gnanus.*

Extra corpus Juris plures alii libri Sanctiones habentes ex- 34
tant, scilicet *Concilia Generalia, & Provincialia a Summis Pontificibus approbata, Bullarium, Regulæ Cancellariæ, Declarationes Cardinalium, & Decisiones Rotæ Romanæ; De Conciliis*, vide verb. *Concilium*. De *Bullario* stat certum, quod Bullæ, seu Constitiones Pontificiæ in ipso contentæ si probantur authenticæ, & originali suo conformes, habeat vim obligandi, secus non, uti recte Pletemberg. *in Introductione ad Jus Canonicum cap. 19.* advertit, & alii passim. *De Regulis Cancellariæ*, vide verb. *Cancellaria*. De *Declarationibus Cardinalium*, vide verb. *Declarationes Cardinalium*. *De Decisionibus Rotæ Romanæ* est certum, quod, licet istæ faciant Jus inter partes ipsas litigantes, non tamen faciunt Jus universale, ut docet Franciscus de Pavinis *In præludio Extravagantium Joann. XXII.* & communis aliorum, vide verb. *Auditores Rotæ.*

Canones, & Leges mixtim allegantur in utroque Foro, 35
quando sibi non contradicunt; Colligitur *ex cap. Si in adjutorium 7. dist. 10. ibi*: „ Si in adjutorium vestrum etiam „ terreni Imperii leges assumendas putatis, non reprehendi„ mus. Fecit hoc Paulus, cum adversus injuriolos civem „ Romanum se esse protestatus est, „ concordat textus *in cap. De capitulis 9. & cap. Certum 12. eod. dist. 10.* juncto *cap. 1. de novi operis nuntiation.* cum similibus, & patet experien- 36
tia apud omnes Canonistas, & Legistas. Hinc casus in Jure Civili dubius, sed in Canonico clare decisus, procedit quoque in Foro Civili, & e contra, *c. 1. De novi operis nuntiation, ibi*: „ Sicut Leges non dedignantur Sacros Canones „ imitari, ita & Sacrorum Statuta Canonum Principum Con„ stitutionibus adjuvantur „ ubi Glossa verb. *Adjuvantur* no„ tabiliter infert: *Et ita in causa Ecclesiastica Leges possumus allegare, ut, etiamsi Canones deficiant, possit judicari secundum Leges.* Et Abbas *ibid. n. 3.* dicit expresse: *Causa Ecclesiæ debet decidi per jus Civile in defectum Canonum; omnes enim Leges Principum non contradicentes Canonibus sunt approbatæ per Ecclesiam, ut patet hic*; & Fagnanus in *cap. Cum esses n. 18. de Testam.* sic inquit: „ Ubicumque non reperitur „ aliqua dispositio Juris Civilis expresse immutata a Jure Ca„ nonico, non debemus inducere discrepantiam inter Jus „ Canonicum, & Jus Civile. Imo Lex Civilis servari de„ bet etiam in foro Ecclesiæ „ *ut cap. 1. & ibi* Abbas *num. 2.* Jo: Andr. *num. 6.* & alii communiter *de novi operis nuntiation.*

Quando inter Jus Canonicum, & Civile est aperta contra- 37
rietas, & diversitas, eaque est de re prophana, nec attingit conscientiam, vel peccatum, ut circa solemnitates testamentorum, judiciorum, contractuum, aliorumque similium actuum: Quodlibet Jus est in suo Foro servandum, scilicet in Terris Papæ subjectis Jus Canonicum, in terris Imperii Sæcularis Jus Civile; *cap. Quoniam 8. dist. 10. & cap. Cum ad virum 6. dist. 96.* & concordant *cap. Solitæ 6. de majorit. & obedient. c. Novit 13. §. 1. de Judiciis, & c. Per venerabilem 13. §. Rationibus, Qui filii sint legitimi.*

Quando autem inter Jus Canonicum, et Civile est aperta 38
contrarietas in materia conscientiæ, et peccati v.g. in præscriptione cum mala fide, in usuris, et hujusmodi materiis peccatum foventibus, standum est Juri Canonico, relicto Jure Civili etiam in terris Imperii Sæcularis; In spiritualibus enim, & ubi agitur de salute animæ Jurisdictio Papæ, tamquam Christi Vicarii, & communis animarum Pastoris, etiam in terras Imperii Sæcularis, & totum mundum extenditur; ut tenet Communis Catholicorum per textum *in c. Solitæ 6. de majorit. & obed. vers. Quod autem, & in c. Novit 13. de*

Judiciis. Extravag. Unam Sanctam, de majoris. & obed. & ratio est, quia tunc Leges Civiles fortes peccatum, censentur esse correctæ per Canones; Lex autem correcta, non dicitur amplius Lex, ut recte docet Glossa *in l. ult. ff. Ad Legem Cornel. de falsis*, Fagnan. *in c. Cum esses n.167. de Testamentis*, & communis aliorum, *arg. c. Licet Romanus, de Constitution. in 6. & leg. Sed & posterioris ff. De Legibus*, ubi statuitur, quod Lex posterior revocet priorem directe, contrariam, etiam non facta ejus mentione.

Adducuntur plures correctiones Juris Civilis factæ a Jure
39 Canonico. Jus Civile *in leg. Sicut, & leg. Omnes, & leg. Cum notissimi, Cod. De Præscript.30. vel 40. annor.* permittens præscriptum longissimi temporis cum mala fide, est correctum per Jus Canonicum *in cap. Quoniam 20. de præscriptionibus*, ubi Leges Civiles allegatæ velut nutritivæ peccati expresse revocantur, addita ratione: *Cum generaliter sit omni Constitutioni, atque Consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari*. Jus Civile *in leg.1. ff. De usuris, & leg. Eos, qui Cod. eod.* cum similibus, ubi censentur licitæ usuræ, vel saltem permittuntur, est correctum per Jus Canonicum *in cap. Super eo 4. cap. Cum tu 5. c. Præterea 7. de usuris*, juncta *Clement. unic. eod.* ubi usuræ expresse prohibentur sub gravissimis pœnis. Jus Civile *in leg. Patri, & seq. ff. Ad Legem Juliam de Adulteriis*, ubi licitum est Patri occidere adulterum in fragranti crimine, cum filia deprehensum, dummodo & filiam occidat, *& in l. Marito ff. eod.* ubi idem permittitur marito respectu certarum personarum, si deprehendantur in adulterio cum Uxore sua, est correctum per Jus Canonicum *in c. Si non licet 9. caus.23. q. 5. cap. Inter hæc 6. & c. Admonere 8. caus. 33. q.2.* cum similibus, ubi expresse prohibetur talis occisio, & concordat propositio 19. inter damnatas ab Alexandro VII. *Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam*. Aliæ plurimæ correctiones Juris Civilis factæ a Jure Canonico possent adduci, sed brevitatis gratia relinquntur videndæ apud Auctores, & præsertim apud Baptistam a S. Blasio *Tom.1. tract. Contradictionum juris Canonici cum jure Civili*, ubi de istis duas Centurias recenset.

40 In materia spirituali, & Sacramentorum, neglecta, seu relicta dispositione Juris Civilis, universim ad jus Canonicum est recurrendum. Hæc enim tractare, & definire non spectat ad potestatem sæcularem, sed ad spiritualem, & Ecclesiasticam, textu expresso *in c. Decernimus 2. de judiciis* cum similibus. Hinc, quamvis jure Civili *in l. Nuptiæ 2. & 18. ff. de ritu nuptiarum, & l. Nec filium Cod. de nuptiis, & §.1. Inst. eod.* declaretur invalidum Matrimonium, quod filii familias contrahunt sine consensu parentum, in quorum potestate existunt; standum tamen est juri Canonico, *in c. Sufficiat 2. caus.27. q.2. & c. Hoc Sanctum 16. caus.32. q.2.* cum similibus, ubi talis consensus non requiritur, nisi de honestate, juncto Concil. Trid. *sess.23. c.1. de reform. matrim.* ubi oppositum asserentes anathemate damnantur.

41 Item negliguntur, & relinquuntur Leges Civiles disponentes de personis, & rebus Ecclesiasticis, & quoad istas est omnimode standum dispositioni juris Canonici; *c. Bene quidem 1. c. Denique 5. c. Cum ad verum 6. cap. Satis 7. c. In scripturis 9. distinct. 96. c. Ecclesia 10. de Constitutionibus*; ubi expresse id statuitur, quamvis Leges Civiles favorem Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum concernant, ibi: „ A quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem; nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum.

42 Jura Juribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine necessitate, textu expresso *in c. Cum expediat 29. de elect. in 6.* ibi: „ Cum „ expediat concordare Jura juribus, & eorum correctiones, „ si sustineri valeant, evitari „ & concordat textus *in l. unic. De inoffic. dotibus*, ibi: *Leges Legibus concordare promptum est*, cum similibus. Unde *in l. Non est novum 25. & seq. ff. de Leg.* generaliter sancitur ad evitandas jurium correctiones, Leges priores esse trahendas, & explicandas per posteriores, & e contra has per priores, ibi: „ Non est novum, ut „ priores Leges ad posteriores trahantur &c. Sed & poste„ riores Leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint „.

43 Ubi tamen est manifesta jurium contrarietas non admittens congruam conciliationem, tunc standum est posteriori decisioni, seu Constitutioni: Lex enim posterior revocat priorem directe contrariam, etiam non facta ejus mentione, textu expresso *in c. Licet Romanus 1. de Constit. in 6.* ibi: „ Licet Ro„ manus Pontifex, qui jura omnia in scrinio pectoris sui cen„ setur habere, constitutionem condendo posteriorem, „ priorem (quamvis de ipsa mentionem non faciat) revo„ care noscatur &c. „ Concordat *lex Sed & posteriores ff. de Legibus*, ibi: *Sed & posteriores Leges ad priores pertinent, nisi contraria sint*. Unde etiam in Testamentis statur ultimo, quamvis in ipso non fiat mentio de priori, *l. Si mihi, & tibi ff. De Legatis 1. & c. Ultima voluntas 4. caus.13. q.2.*

Jus, prout est objectum justitiæ, est facultas legitima, 44
quam quis habet ad aliquam rem obtinendam, vel retinendam, aut ad aliquid faciendum, ita ut ab illius rei obtentione, seu retentione, vel ab illa actione facienda licite impediri non possit; *Est in re communis*. Et in hoc sensu dicitur quis *jure suo uti*, habere jus agnationis, vel cognationis ad hæreditatem, vel tutelas, quod jus necessitudinis appellatur, *in l. ult. ff. De just. & jure*. Item in hoc sensu dicitur hæres succedere in omne jus Defuncti; *Regul. juris 59. & 62. in ff.* Item in hoc sensu dicitur: *Nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur, l. Nullus ff. de Regul. jur.* Item in hoc sensu dicitur: *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur; Reg.79. juris in 6.* Item in hoc sensu dicitur: *juri suo quilibet renunciare potest, c. Si diligenti 12. de foro competent. c. Si de terra 6. de privilegiis*. Item in hoc sensu dicitur: *Qui juri suo semel renunciat, non potest postea ad illud redire, cap. Quam periculosum 8. caus.7. q.1. cap. Cum inter 16. de elect.* juncta Glossa *ibid.*

Jus taliter acceptum dividitur in jus in re, & in ejus ad rem 45
c. Quoniam 8. de concession. præbend. in 6. ibi: *Quibus jus non esset quæsitum in re, licet ad rem*. Jus in re, seu reale est il- 46
lud, quod per ipsam rei traditionem acquiritur; Jus autem ad rem, seu personale est illud, quod aliquo justo titulo habetur ad rem, ut ejus traditio fiat; *Sic in re communis*. Unde, 47
ut vides, *Jus in re*, seu *reale* dat actionem in ipsam rem; ita ut habens jus in re habeat actionem ad eam sibi vindicandam, a quocunque possideatur; sic v. g. Si equus Pauli fuit furto ablatus, poterit eum Paulus repetere, ubicunque invenerit, non obstante, quod alius equum bona fide emerit, quia talis equus est Paulo obstrictus, & ipse respectu hujus equi habet jus in re; §. *Omnium, Inst. De action.* & ibi *Glossa fin. leg. Officium 9. ff. De rei vindic. jus* autem *ad rem*, seu *personale* non dat actionem in ipsam rem, sed in personam impedientem consecutionem rei; sic v.g. si quis habeat jus ad rem sibi donatam, venditam, sed nondum traditam, seu per electionem, postulationem, aut præsentationem ad Beneficium Ecclesiasticum, nondum sibi collatum, non potest ipsam rem, seu Beneficium vindicare, atque in judicio repetere, quia res illa nondum esset facta sua ante actualem traditionem, sicuti nec Beneficium factum suum ante actualem collationem, sed solum poterit actionem personalem instituere adversus eum, qui ipsum fraudaverit, seu injuste impedit, vel impediverit ab illius rei, seu Beneficii consecutione; *l. penult. Cod. de action. & oblig.* Hinc patet, quod duo possint habere ejus respectu unius, & ejusdem rei, unus scilicet *jus in re*, & alter *jus ad rem*, v. g. Paulus vendens domum Titio, pretio nondum soluto, & domo nondum tradita, habet adhuc jus in domo, Titius autem jus solum ad domum.

Unde, ut totum hoc melius intelligatur, notandum est, 48
quod Actio ut sic, quæ ut habetur §.1. *Instit. de Action. est Jus persequendi in judicio, quod sibi debetur*, dividitur in Actionem realem, & personalem, ut docet *Communis*, & clarissimus Textus *in §. Omnium, Instit. de Action.* ibi: „ Omnium autem Actionum summa divisio in duo genera dedu„ citur, aut enim in rem sunt, aut in personam; Nam agit „ unusquisque, aut cum eo, qui ei obligatus est, vel ex con„ tractu, vel ex maleficio, quo casu proditæ sunt Actiones „ in personam, per quas intendit adversarium ei dare, aut „ facere oportere, & aliis quibusdam modis; Aut cum eo „ agit, qui nullo jure ei obligatus est, movet tamen ei de„ aliqua re controversiam, quo casu proditæ Actiones in„ rem sunt, veluti si rem corporalem possideat quis, quam „ Titius suam esse affirmet, possessor autem Dominum ejus „ se esse dicat, nam si Titius suam esse intendat, in rem„ Actio est „.

Justitia non semel pro virtute omni, ac sanctitate capitur; 49
sic Proverb.11. vers. *6. Justitia rectorum* (scilicet virtuosa, & sancta vita) *liberabit eos. Matth.3. vers.15.* dum Christus Joanni baptizare recusanti dixit: *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*, nempe omnem virtutem, & perfectionem. *Matth.*

Matth.5. vers.6. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam (videlicet, virtutem, & sanctitatem,) *quoniam ipsi saturabuntur*, Ibidem vers.20. *Nisi abundaverit justitia vestra* (idest virtus, religio, & sanctitas) *plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*; ut enim in hunc textum inquit meus Layrauus illi magis secundum opera justi appellari, quam secundum voluntatem affectabant; ad salutem autem non sufficit bona doctrina, nisi adsit bona vita; hinc viros Sanctos, & virtute præditos justos appellari ex sacris litteris, & Sanctis Patribus passim deprehendimus; estque justitia sic sumpta una ex octo Beatitudinibus, quas in Monte Christus docuit *Matth. cit. c.5.* At prout ad præsens spectat, justitia tanquam peculiaris virtus, & prima ex cardinalibus attenditur; sicque accepta describitur, quod sit constans, et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi; *Communis* cum Ulpiano *in legib. Justitia ff. de justitia, & jure*.

50 Justitia hæc communissime dividitur in Legalem, seu Universalem, et Particularem. Justitia *Legalis seu universalis est virtus ordinans hominem in suis actibus ad bonum commune Reipublicæ, seu Communitatis*, id est virtus, qua homo redditur, et præstat quod justum est debitum est ipsi Communitati ad sui conservationem. Justitia particularis *est virtus, quæ cuique particulari personæ Jus suum debitum reddit*, seu quod idem est, *virtus, quæ recte inter se ordinat & adæquat homines quoad commutationem bonorum particularium, & distri-*
51 *butionem bonorum communium*. Hæc justitia particularis subdividitur in distributivam, & commutativam; *Communis* ex Aristotele 5. *Ethicor. cap.2.* Justitia distributiva est, quæ distribuit bona Communitatis in singulas partes secundum debitam proportionem Dignitatis vel meriti cujusque, sicut e contra etiam onera Communitatis secundum proportionem facultatis cujusque. Justitia commutativa est, quæ commutat bona particularia inter ipsas partes Communitatis secundum æqualitatem debitam, sive ex contractu, sive ex delicto propter damnum alteri illatum. Et hæc justitia commutativa observatur inter partes, quando fit commutatio voluntaria, & ex contractu cum consensu utriusque, scilicet dantis, & accipientis, ut in emptione, venditione, mutuo, aliisque contractibus, considerando solum valorem rerum sine ullo respectu ad personas, ut videlicet tanti valeat res reddenda, quanti valeat accepta, ut centum reddendo pro centum, qualescumque sint personæ contrahentes, & commutantes, sive nobiles, sive ignobiles. Et observatur etiam, quando commutatio est involuntaria, et ex delicto, seu damno injuste illato, ut cum quis alicui invito aliquid suum aufert, seu damnum injustum infert in bonis fortunæ, famæ, vel vitæ. Si quis enim furatus sit alteri equum æstimatum 40. Scutis, injuste per injuriam combusserit alterius domum æstimatam centum Scutis, debet totidem ei restituere, etiamsi nullum pactum cum ipso inierit, quia rem ablatam reddere, & damnum injuste illatum resarcire cogitur; *Communis*.

52 Justitia distributiva, & commutativa varie differunt, præcipue vero in tribus, scilicet *in æqualitate, in alteritate, & in debito*. In *æqualitate* differunt, quia Justitia commutativa servat æqualitatem simpliciter, & Arithmeticam, idest rei ad rem, ut centum ad centum sine ullo habito respectu ad personas: Justitia vero distributiva servat solum æqualitatem secundum quid, & Geometricam, idest solum æqualitatem inter proportionem, & proportionem, ut nimirum talis sit proportio inter bona, & onera, quæ distribuuntur, qualis est proportio inter conditiones, & qualitates personarum, quibus fit distributio. In *alteritate* differunt, quia justitia commutativa proprie, & totaliter est ad alterum, sive ad personam adæquate, & totaliter distinctam: Justitia vero distributiva non est omnino ad alterum, seu ad personam adæquate, & totaliter distinctam, sed est totius Reipublicæ, seu Communitatis ad partem, seu membrum illius; pars autem non adæquate, & omnino distinguitur a toto, sed in toto includitur. In *Debito* differunt, quia justitia distributiva non continet proprie, ac stricte debitum, sicuti justitia commutativa. Nam ille, cui ex emptione v. gr. vel donatione res debetur, longe majus, & arctius jus habet ad illam, tamquam sibi jure proprio debitam petendam, quam ad petendam partem boni Communitatis; v.gr. Officium, Dignitatem, Beneficium &c. longeque gravior committitur injuria
53 contra Justitiam commutativam, quam contra justitiam distributivam. Sola enim justitia commutativa, si violetur, proprie, & per se inducit obligationem restitutionis; Justitia autem distributiva non inducit obligationem restitutionis ratione sui erga partem neglectam, sed ratione Justitiæ commutativæ, si ei sit adjuncta, & solum aliquando per accidens erga ipsam Communitatem, ut si Princeps contulit Officium indigno cum detrimento Reipublicæ, tenebitur ad compensationem damnorum &c. Card. de Lugo *de justitia, & jure t. 1. disp. 1. sect. 3. a n. 51.*, ubi testatur de communi, Lessius *lib. 2. c. 1. n. ult. & c. 32. dub. 3.* Rebellus *lib. 1. q. 3. n. 18.* Sporer *t. 2. tract. 4. Præliminar. ad præcept. secundæ Tabulæ cap. 1. sect. 3. n. 37.* & alii passim.

Non potest inter Deum, et hominem intercedere justitia 54
rigorosa, et stricta, sed solum Justitia latius sumpta; *Communis*. Justitia enim rigorosa, et stricta requirit ex parte debitoris perfectum debitum solvendi: implicat autem, ut sit in Deo perfectum debitum solvendi respectu Creaturæ, et in Creatura perfectum Jus exigendi respectu Dei, adeoque etc. Latius vero sumpta justitia potest intercedere inter Deum, et hominem, quia si Justitia sumatur præcise pro obligatione adimplendi promissa, potest Deus ex Justitia aliqualiter teneri Creaturæ, uti ex tali Justitia debet Justis coronam gloriæ, juxta illud Apostoli *2. ad Timoth. 4. In reliquo reposita est mihi corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Justus Judex*. Hinc S. Augustinus de talis Justitiæ debito loquens *in psalm.38. circa finem* dicit: *Debitorem Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed promittendo; & serm.16. de verbis Apostoli c.2.* quasi Deo recordans talis Justitiæ debitum sic ipsum alloquitur: *Redde quod promisisti, quia fecimus, quod Jussisti*.

Inter patrem, et filium, Dominum, et mancipium, Ma- 55
ritum, et Uxorem formaliter qua tales sunt, non potest esse Justitia proprie, et simpliciter, sed solum impropria, et secundum quid; *Communis*. Et ratio est, quia justitia perfecta debet esse ad alterum, qui scilicet natura, et jure sit ab altero distinctus, Filius autem, mancipium, seu servus, et Uxor quatenus tales sunt, non sunt natura, et iure a Patre, Domino, et Marito distincti, adeoque etc. Filius namque ut talis est quasi pars patris, et natura, quippe ex parenno semine natus. Unde ea, quæ debet filius Patri, non debet ut distinctus ab ipso, sed ut ejus pars, et ea, quæ Pater debet filio, non debet alteri, sed ut sibi ipsi, seu ut suæ parti. Sic Servus non censetur alter a Domino, cum non sit sui Juris, sed Domini, ipsiusque instrumentum animarum ad opera domestica, et quiddam ex ejus bonis, adeo ut possit illum, ut rem suam vendere, donare, commutare. Ita etiam Uxor est aliquid mariti, et e contra, cum sint moraliter unum corpus, et una caro, et sic non censentur distincti in ordine ad regimen domesticum, cum ius Uxoris ad illud sit ius viri, seu dependens a viro, adeoque inter ipsos non potest esse justitia proprie, et simpliciter, sed solum impropria, et secundum quid. 56

Inter supradictos autem materialiter sumptos, ac quatenus homines sunt, et singuli peculiare ius, vel dominium habent, potest esse justitia proprie, et simpliciter; *Communis*. Et ratio est, quia supradicti materialiter sumpti, quatenus homines sunt, sunt sui juris, & ab invicem independentes in multis rebus, nec accipitur unus, ut pars alterius, sed quilibet, ut persona singularis, & capax ex bonis sibi propriis ineundi contractus; Filius namque non solum jam emancipatus, tamquam verus dominus omnium bonorum suorum, sed etiam minorennis adhuc sub patria potestate constitutus, tamquam verus Dominus suorum bonorum castrensium, vel quasi castrensium, potest cum eodemmet suo Patre inire veros contractus emptionis, vel venditionis, vel alios ex justitia obligantes, iuxta *l.2. ff. De emptione*. Sic mancipium, seu servus, tamquam verus Dominus proprii peculii potest medio ipso inire cum Domino contractum redemptionis, ita ut Dominus peccaret contra justitiam, si eo pacto inito, acceptaque pecunia, servum non manumitteret. Ita etiam Uxor, tamquam vera domina bonorum suorum paraphernalium potest de ipsis cum Marito inire contractus ex justitia obligantes. Tum quia etiam quoad debitum conjugale, & dotis legitimam administrationem, est inter Uxorem, & maritum juris stricti æqualitas, adeoque justitia simpliciter, cum negatio debiti, & dotis dissipatio sint proprie contra justitiam, ut tenent omnes. Tum etiam quia singuli omnium supradictorum habent sibi proprium, et strictum ius famæ, & vitæ; unde universaliter delicta inter patrem, et filium, servum, et dominum, Uxorem, et maritum, ut homicidium, iniusta infamatio, furta de bonis non subjectis, sunt vere contra iustitiam simpliciter, imo sunt delicta contra iustitiam qualificata,

ficata, adeoque inter ipsos materialiter sumptos, quatenus homines sunt, potest esse iustitia proprie, et simpliciter.

57 Iustitia præmiativa, quæ pro meritis reddit præmia, & vindicativa, seu punitiva, quæ delictis reddit supplicia, utraque reducitur saltem per imitationem, et similitudinem ad iustitiam tam distributivam, quam commutativam, ut patet inductione; Tunc enim iustitia præmiativa reducitur ad distributivam, quando munera, officia, honores, et huiusmodi in præmium propriorum meritorum, et beneficiorum præstitorum distribuit, inæqualiter tamen iuxta inæqualitatem, ac proportionem status, et conditionis, dando scilicet plus personis dignioribus, et præstantioribus, quam minus dignis, et minus præstantibus, ut communiter fieri solet. Tunc autem iustitia præmiativa reducitur ad commutativam, quando præmia distribuit æqualiter iuxta æqualitatem meritorum, nulla habita ratione conditionis, dignitatis, et status personarum, quibus fit illa distributio. Ita etiam tunc iustitia vindicativa, seu punitiva reducitur ad distributivam, quando nocentes, ut par est, punit, habita tamen ratione dignitatis, seu status personarum; sic alapa data v. g. a persona potente, et magnæ dignitatis levius punitur, quam data a persona infimæ plebis, quamvis sit data eidem personæ; Tunc enim iustitia punitiva, seu vindicativa reducitur ad commutativam, quando servat æqualitatem inter pœnam, et delictum, æqualia inferendo supplicia pro æqualibus delictis, nulla habita ratione conditionis, dignitatis, et status personarum, quibus supplicia inferuntur; Mastrius *in 3. disp. 7. numer.* 177. Reiffenst. *Theol. Moral. tract. 6. de Just. & iure dist. 2. q. 2. n.* 19. post Scotum *in 4. dist. 46. q. unic.* §. *Hoc primo*, & plures alios.

Additio ex Auctore.

58 Adversus jus Divinum non præscribitur; Benedict. XIV.
59 tom. 2. Const. 3. incip. *Declarasti Nobis.* Nec adversus jus Ecclesiasticum in his, quæ præcepta sunt universalis Ecclesiæ; Idem *ibid.*

Novæ additiones ex aliena manu.

VIde, quæ paulo inferius, et fortassis opportunius, dicemus in additione ad verbum Lex *Art. 1.*

JUSPATRONATUS.

ARTICULUS I.

Juspatronatus quoad ea, quæ concernunt ejus naturam, divisionem, & acquisitionem.

1 NOmen Patroni, & Iurispatronatus in iure varie, præsertim tripliciter accipitur. Primo *Patronus* accipitur pro Advocato, & iuspatronatus pro iure Advocatiæ, unde Patroni dicuntur, qui aliorum causas in iudicio defendunt, eisque patrocinantur, de quibus fit mentio *in l. Rem 14. §. Patroni Cod. de Iudiciis, in c. Observandum 1. caus. 15. q. 2., & in cap. Ex litteris 6. De transactionibus.* Secundo *Patronus* accipitur pro illo, qui manumittit, seu liberum dimittit servum suum, & ius, quod pro beneficio manumissionis acquirit in personam manumissi, seu Liberti, *Juspatronatus* vocatur, et de hoc extat integer Titulus *in ff. De Iurepatronatus, & Cod. De bonis Libert. & Iurepatronatus.* Tertio *Patronus* accipitur pro eo, qui habet jus, seu potestatem a SS. Canonibus concessam præsentandi aliquem ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticum Beneficium, et tale ius, seu potestas vocatur *Juspatronatus.* Et solum de iurepatronatus hoc tertio modo sumpto habebitur sermo.

2 Unde iuspatronatus tertio modo sumptum definitur, quod sit *ius, seu potestas nominandi, sive præsentandi Clericum promovendum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans; Est in re Communis.* Seu iuspatronatus est *jus honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia, eo quod de Ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit, vel dotaverit; aut id a suis antecessoribus factum fuerit;* Ita Abbas *in Rubr. De Iure patronatus n. 3.* Jo: Andr. *ibid. n. 3. vers. Si Ius igitur sine calumnia;* Fagnan. *lib. 3. Decr. in cap. Quoniam 3. de Iurepatr.* *n. 31.* Barbosa *lib. 3. Iuris Eccles. univer. cap. 12. n. 2.* & alii apud ipsos. Dicitur autem ius *honorificum*, quia Patronus habet honorem, ut ad Beneficium sui iurispatronatus alius non admittatur, seu in ipso instituatur, quam ille, quem ipse præsentaverit Superiori; Dicitur *onerosum*, quia Patronus tenetur defendere Ecclesiam suam, ne eius bona depereant, eamque, cum opus fuerit, reparare, atque impensis necessariis regere, *cap. Filiis 31. caus. 16. q. 7.* cum similibus; Dicitur *utile*, quia, si Patronus vergeret ad inopiam, Ecclesia teneretur eum potius alere, ac iuvare, quam ceteros alios pauperes ex redditibus, qui detractis necessariis expensis, supersunt, *cap. Quicumque 3. caus. 16. q. 7. cap. Nobis 25. De Iurepatronatus* cum similibus.

Juspatronatus dividitur primo in hæreditarium, gentilitium, 3
seu familiare, & mixtum; *Communis. Hæreditarium* est illud, quod transit ad quoscumque hæredes etiam extraneos, 4
arg. cap. Quoniam 3. De jurepatronatus; Sic Communis cum Rota recent. *part. 5. tom. 1. decis. 175. n. 3. & seq. part. 7. decis. 72. n. 1. part. 10. decis. 193. n. 20.* Barbos. *loc. cit. n. 20.* Covarruv. *lib. 2. variar. resolut. cap. 18. n. 6. Gentilitium*, seu 5
familiare est illud, quod competit, & relictum est solum illis de tali familia, vel in quo vocantur solum illi, qui sunt de genere; *Communis*; cum Rota recent. *part. 3. decis. 581. n. 4. part. 11. dec. 220. n. 4. 5. 7. 8. 9. part. 14. decis. 462. n. 1.* & sæpe alibi, Barbosa *loc. cit. num. 22.* Ricc. *tract. de iurepatronat. resolut. 232. num. 1.* Mixtum ex hæreditario, & gentilitio est illud, quod competit, & relictum est solum illis, 6
qui sunt & hæredes, & de tali familia; *Communis*, cum Rota recent. *part. 6. decis. 267. n. 6. part. 7. decis. 208. nu. 1. part. 9. tom. 1. decis. 185. n. 7. part. 11. dec. 254. n. 16. par. 19. tom. 1. dec. 223. n. 16.* & sæpe alibi.

Juspatronatus esse gentilitium probatur, & constat ex plu- 7
ribus. Primo ex Fundatione, in qua Fundator illud reliquit descendentibus, & Successoribus de sua agnatione, familia, seu domo; Rota recent. *part. 1. decis. 482. n. 1. part. 3. dec. 581. n. 4. part. 14. decis. 462. n. 1.* & sæpe alibi. Secundo ex præsentationibus factis a solis masculis, exclusis fœminis, & extraneis, donec dicti masculi extiterint; Rota recent. *part. 12. dec. 204. n. 13. part. 13. dec. 103. n. 10: part. 14. decis. 515. n. 15. part. 19. tom. 2. dec. 662. n. 17.* Item quando in omnibus præsentationibus semper fuit facta mentio familiæ, seu domus, non autem qualitatis hæreditariæ; Rota *part. 4. tom. 1. decis. 287. n. 12. part. 12. dec. 204. n. 5. part. 13. dec. 237. n. 8. part. 14. dec. 515. num. 9. &* 10. Item ex præsentatione a Patre, & filiis simul facta, Rota *part. 4. tom. 1. dec. 287. num. 7. part. 5. tom. 1. dec. 385. num. 3. part. 6. dec. 166. n. 14. part. 13. dec. 103. num. 7. part. 14. dec. 515. num. 9.* Tertio probatur gentilitium ex ultimo statu; Rota *part. 12. dec. 204. n. 17.* Qui ultimus status ob lapsum 40. annorum sufficit ad probandum juspatronatus gentilitium; Rota *part. 13. dec. 237. num. 18. part. 14. dec. 515. num. 38.* Quarto probatur gentilitium ex sententia Ordinarii declarante illud esse de aliqua familia; Rota *part. 1. dec. 432. num. 5. part. 19. tom. 1. decis. 192. num. 7.* Quinto probatur gentilitium ex enunciativis, seu assertionibus antiquis dicentibus verb. grat. *ad illos de tali domo, & familia spectare*; Rota *part. 18. tom. 2. dec. 679. num. 4. par. 19. tom. 2. dec. 662. num. 5.* Sexto probatur gentilitium ex inscriptionibus antiquis in Ecclesia factis, vel etiam in Campanili existentibus; Rota *part. 14. dec. 515. n. 12. part. 18. tom. 2. dec. 679. num. 7.* Item ex sepulcro constructo, & ex insignibus familiæ insculptis, tam in pavimento, quam in pariete Capellæ; Rota *part. 19. tom. 2. dec. 630. num. 31.*

Juspatronatus esse hæreditarium probatur, & constat etiam 8
ex pluribus. Primo ex Fundatione, in qua a Fundatore sunt vocati ad illud hæredes, nulla facta mentione de agnatione; Rota *part. 7. dec. 275. nu. 5.* Secundo probatur hæreditarium, si in illo Filius, vivente Patre, nullum jus habet; Rota *part. 12. decis. 204. num. 11.* Tertio probatur hæreditarium ex pluribus præsentationibus factis titulo hæreditatis; Rota *part. 1. decis. 707. num. 6.* Quarto probatur, seu præsumitur hæreditarium, & non gentilitium, donec exhibeatur instrumentum fundationis; Rota *part. 19. tom. 1. decis. 181. nu. 9.* Juspatronatus enim de jure præsumitur hæreditarium potius, quam gentilitium; Rota *part. 1. dec. 707. n. 8. part. 3. decis. 492. num. 7. part. 6. decis. 89. num. 1. part. 7. decis. 280. n. 5. part. 11. dec. 268. n. 1.* & sæpe alibi.

Juspatronatus esse mixtum probatur, & constat etiam ex 9
pluribus. Primo ex Fundatione, in qua Fundator expresse vocavit ad juspatronatum solum illos, qui erunt, & hæredes,

des, & de tali familia una simul; Rota *part. 6. decis. 267. num. 6. part. 7. decis. 208. num. 1. part. 11. decis. 254. n. 16.* Secundo si juspatronatus reservatum fuerit pro hæredibus descendentibus per lineam masculinam; in ipso enim casu videtur Fundator considerasse utramque qualitatem, hæreditariam scilicet, & gentilitiam; Rota *part. 19. tom. 2. dec. 543. num. 6.* Tertio ex observantia plusquam centenaria, qua fuerint solum admissi ad præsentandum ii, qui habuerint utramque qualitatem, scilicet hæreditariam, & gentilitiam; Rota *part. 19. tom. 2. dec. 543. num.* 8. Quarto si ex institutione requiratur in vocatis qualitas filiorum, & hæredum; Rota *part. 6. dec. 217. num. 1.*, vel si fuerit reservatum pro successoribus, & hæredibus sanguinis; Rota *part. 11. dec. 254. num. 9.* Hinc ad effectum succedendi in Jurepatronatus mixto requiritur utraque qualitas, hæreditaria scilicet & gentilitia, seu hæredis, & sanguinis; Rota *part. 6. dec. 267. part. 9. tom. 1. dec. 185. num. 7. part. 11. decis. 254. num. 16. part. 19. tom. 1. dec. 223. n. 16.*

10 Juspatronatus dividitur secundo in Activum, & Passivum. *Activum* est ipsum Jus, quod Patronus habet præsentandi aliquem ad Beneficium. *Passivum* est Jus competens aliquibus de tali familia vel loco, quod si idonei sint, exclusis extraneis, per Patronum necessario debeant præsentari: *Communis* cum Rota recent. *part. 4. tom. 2. decis. 84. n. 11.* Barbosa
11 *lib. 3. Juris Ecclesiastic. univers. cap. 12. n. 25.* Moneta *de commutat. ultim. volunt. cap. 10. n. 200.* & alii passim. Juspatronatus Activum subdividitur in Personale, et Reale. *Personale* est, quod competit personæ Patroni independenter a re aliqua, vel loco, ubicumque exitat. *Reale* est, quod est annexum alicui certæ rei, vel loco, v. g. Castro, Prædio, Pago, et hujusmodi, et cum eo transit ad quemlibet, etiam non hæredem, qui rem talem emptione v. gr. vel donatione acquirit: *Communis.*

Juspatronatus dividitur tertio in Ecclesiasticum, Laicale, 12
et Mixtum: *Communis. Ecclesiasticum* est illud, quod de bo- 13
nis Ecclesiasticis fundatum, et erectum fuit, *arg. cap. Dilectus 6. de Officio Legati, & cap. Cum dilectus 28. de Iurepatronatus.* Rota *part. 8. decis. 106. num. 6.* Barb. *loc. cit. n. 4.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellari e gloss. 18. n. 5.* et alii passim. Vel est illud, quod, licet fundatum fuerit ex bonis Laicalibus, fuit tamen, vel ab initio, vel postea translatum fundatione, Testamento, Donatione, aut alio quovis modo in Ecclesiam, aut in Capitulum, seu Collegium Ecclesiasticum Canonicorum Regularium, aut Sæcularium, vel ad aliquam personam Ecclesiasticam ratione Ecclesiæ, Dignitatis, aut Beneficii; *cap. unic. §. Verum, de jurepatr. in 6.* Rota recent. *part. 2. decis. 541. n. 4.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellariæ, gloss. 18. n. 5.* Garzias *De Beneficiis part. 5. cap. 1. n. 553.* Barbos. *loc. cit. n. 10. & de Offic. & potest. Episcop. allegat. 72.*
14 *n. 28.* et alii communiter. *Laicale* est illud, quod Laico, vel etiam Clerico, non ratione Ecclesiæ, vel Ecclesiastici Beneficii, sed ratione proprii patrimonii competit: *Communis*, cum Glossa *in Clement. Plures De Iurepatronatus, verb. Præsentare*, Barbosa *cit. cap. 12. n. 13.* Moneta *loc. cit. cap. 10.*
15 *num. 220.* Mixtum est illud, quod partim nomine, seu ratione Ecclesiæ ad Clericum, partim Titulo Laicali, seu Sæcularis ad Laicum, vel etiam Clericum pertinet, ac proinde ex utroque est mixtum: *Est in re communis.*

16 Juspatronatus esse Ecclesiasticum constat, et probatur ex pluribus. Primo ex Fundatione, et Donatione de bonis Ecclesiasticis: Rota recent. *part. 8. decis. 106. n. 6.* Hinc censetur Ecclesiasticum, quando fuit fundatum a Clerico non habente bona patrimonialia, vel aliunde quæsita, quam ex Beneficio: Rota *part. 1. decis. 615. n. 4. part. 3. decis. 273. n. 1.* Barb. *cit. cap. 12. n. 5.* et alii *ibi* citati. Secundo quando Juspatronatus devenit ad Ecclesiam, seu Monasterium, et spectat ad Priorem ratione Ecclesiæ, et Monasterii: Rota *par. 2. decis. 541. n. 4. part. 9. tom. 1. decis. 298. n. 5. & decis. 329. n. 9.* Tertio quando est relictum Religioso, seu Monacho: Rota *part. 9. tom. 1. decis. 289. n. 12. part. 13. decis. 323. n. 7.* Et hoc procedit etiam, quando Juspatronatus est relictum eidem Religioso, non intuitu Ecclesiæ, sed intuitu ipsius personæ: Quia Religiosus ob resistentiam voti paupertatis nihil habet patrimoniale, aut proprium, sed quidquid acquirit, Monasterio acquirit, et eo ipso, quod est delatum Monacho, statim fit Monasterii: Rot. *cit. part. 9. tom. 1. dec. 289. n. 11. &* 12. per jura *ibi* adducta. Quarto quando præsentatio spectat ad Ecclesiasticum: Rota *part. 8. decis. 88. nu. 26.* at si fuerit reservatum ad favorem personarum Ecclesiastica-

rum; Rota *part. 8. decis. 106. num. 7.* Et hoc procedit etiamsi fundatum fuerit de bonis Laicalibus: adhuc enim censetur Ecclesiasticum, licet emanaverit a Laico, et de bonis Laici, si competit Ecclesiæ, vel personis Ecclesiasticis ratione Ecclesiæ: Rota *part. 7. decis. 157. num. 5.* Secus tamen, si fuerit relictum Clerico Seculari, non quidem intuitu Ecclesiæ, sed intuitu personæ: Rota *part. 9. tom. 1. decis. 289. num. 11. &* 12. Quinto Juspatronatus censetur esse Ecclesiasticum, quando est relictum Beguinis: Ipsæ enim Beguinæ, licet sæculares, religiose vivunt, et habitu Religioso amictæ incedunt: Rota *part. 5. tom. 1. decis. 144. num. 21.* Sexto censetur Ecclesiasticum Juspatronatus relictum Confraternitati cum Ordinarii auctoritate erectæ, cum Ecclesia, Campanili, usu sacci, et aliis, ex quibus vere Ecclesiastica reputanda veniat: Secus si Confraternitas sit erecta ad opera pietatis absque dictis requisitis: Card. de Luca *de Jurepatronatus disc. 59. sub num. 18.* Rota *part. 5. tom. 1. decis. 144. num. 1.*

Juspatronatus esse Laicale constat, et probatur etiam ex 17
pluribus. Primo quando est fundatum de bonis Laicalibus, ejusque præsentatio spectat ad Laicum: Rota *part. 9. tom. 2. decis. 329. n. 27.* Secundo quando Testator professus est se illud constituisse laicale; Rota *part. 19. tom. 1. decis. 242. num. 7.* Et hoc procedit etiamsi esset relictum Ecclesiæ: potest enim, hoc non obstante, a Testatore declarari, et effici, quod illud non desinat esse laicale; Rota *dicta decis. 242. num. 10.* Tertio ex sententia Ordinarii instituentis aliquem uti a Patronis Laicis præsentatum; Rota *part. 8. decis. 224. num. 8.* Quarto ex assertiva Papæ: Rota *part. 6. decis. 186. num. 4.* Quinto quando Laicus est in quasi possessione juris præsentandi; Rota *part. 3. decis. 233. num. 3. part. 9. tom. 3. decis. 329. num. 20.* Sexto quando nominatio est relicta Universitati Laicorum, licet electio unius ex nominatis spectet ad Ecclesiasticos. Rota *part. 1. decis. 481. num. 6.* Septimo, quando ad præsentandum concurrit major pars Laicorum, quamvis etiam aliqui Clerici præsentent. Rota *part. 12. decis. 250. num. 9. &* 10. Hoc tamen procedit ad effectum evitandi derogationes, & reservationes. Ad effectum autem temporis ad præsentandum, nempe semestris, dicitur Ecclesiasticum. Rota *loc. cit. num. 11, 12, 13. & sequent.* Octavo quando Juspatronatus spectat ad Confraternitatem Laicorum, cujus Confratres non induuntur, nec distinguuntur aliquo signo Religionis, et Beneficium fuit fundatum a Laico, et de bonis prophanis. Rota *part. 5. tom. 1. decis. 144. num. 1. & 2. & decis. 290. num. 1.* Barbosa *lib. 3. Juris Ecclesiastic. univers. cap. 12. num. 15.* cum plurimis aliis *ibi* citatis.

Juspatronatus esse mixtum constat, et probatur etiam plu- 18
ribus. Primo quando Fundatio fuit facta ex bonis Ecclesiasticis, et Laicalibus, seu patrimonialibus. Rota *part. 3. decis. 273. sub num. 4.* Secundo quando fundatio facta fuit ex bonis Ecclesiasticis, et dotatio ex bonis Laicalibus, seu e contra, verbi grat. Si Ecclesia ex bonis suis fundaverit aliam Ecclesiam, et eam dotaverit Laicus ex suis bonis Laicalibus, seu e contra. Rota *part. 12. decis. 162. num. 1.* et Doctores passim. Tertio, quando Fundator statuit expresse quod Juspatronatus spectet una simul ad Clericos, et Laicos, quamvis totum fuerit fundatum ex suis bonis Laicalibus, et patrimonialibus, potest enim Fundator remittere Juspatronatus, vel totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium heredum, prout eis libuerit, *arg. cap. Significavit 41. De Testibus, & cap. Unic. de Iure patron. in 6.* et ibi notant Doctores communiter. Quarto, quando quocumque alio titulo partim spectat ad Clericos, et partim ad Laicos, Rota *tom. 3. part. 4. decis. 655. num. 3. & part. 19. tom. 1. decis. 129. num. 4.*

Juspatronatus tribus potissimum modis de jure potest ac- 19
quiri, scilicet Fundatione, Ædificatione, & Dotatione. *Communis* cum Glossa *in cap. Piæ mentis 26. caus. 16. quæst. 7.* ubi ad rem dat sequentem receptum versiculum.

Patronum faciunt, Dos, Ædificatio, Fundus.

Hinc quilibet disjunctim, vel separatim sumptus ex tribus 20
dictis modis sufficit ad acquirendum Jus patronatus. *Communis* cum Rota *part. 4. tom. 3. decis. 630. num. 52. part. 5. tom. 2. decis. 432. num. 1.* & sæpe alibi. Fagnan. *in cap. Quoniam 3. De jurepatronatus num. 2.* Reiffenstuel *lib. 3. Decretal. titul. 38. num. 4.* Pirhing *ibidem n. 6.*

Et quidem quod sola fundatio sufficiat ad acquirendum Jus 21
patronatus, habetur clare *ex cap. Decernimus 33. caus. 16. quæst. 7.* 22

quæst. 7. cap. Quoniam 3. & cap. Nobis 25. de Jure patronatus. Fundasse autem Ecclesiam ad propositum proprie dicitur, sive quis eam in proprio fundo, seu solo suis sumptibus omnino construxerit; *cap. Abbatum 4. caus. 18. quæst. 2. cap. Nobis 25. de Jure patronatus*, sive etiam tantummodo fundum, seu solum ad eam ædificandam obtulerit, ac donaverit. Lambertin. de *Jure patronat. part. 1. lib. 1. quæst. 2. art. 2. num. 1. & 2.* Barbosa *lib. 3. Juris Ecclesiast. universf. cap. 12. num. 28. & Communis aliorum.*

23 Quod sola Ædificatio, seu Constructio Ecclesiæ sufficiat ad acquirendum Jus patronatus, habetur expresse *ex cap. Monasterium 33. caus. 16. quæst. 7. & cit. cap. Nobis 25. De jure patronatus*, ibi: *Si quis Ecclesiam cum consensu Diœcesani*
24 *construxit, ex eo jus patronatus acquirit*. Ædificasse autem Ecclesiam ad nostrum propositum proprie dicitur, qui eam cum consensu Ordinarii propriis sumptibus construxit, *arg. cit. cap. Monasterium 33. caus. 16. quæst. 7. & cit. cap. Nobis 25. De Jurepatr.* Qui vero sine consensu Ordinarii eam construit cum illicite agat, *argum. cap. Nemo 8. De consecr. dist. 1.* non acquirit Jusprepatronatus, ut cum communi Doctorum recte notat Fagnanus *in cit. cap. Nobis num. 4.* Item ædificasse censetur quantum ad præsens, qui Ecclesiam penitus destructam suis sumptibus cum consensu Ordinarii eam reædificat, in quo casu primus ædificans, si nolit eam reædificare, amittit, & reædificans acquirit Jusprepatronatus. Talis enim censetur Ecclesiam ædificare, cum perinde sit, ac si Ecclesiam primitus ædificasset, *argum. cap. Consuluit 7. de Judæis, & tenet Communis Doctorum* cum Glossa *in cap. Quoniam 3. de Jure patronatus, verb. Fundatores*. Si vero Ecclesia non sit penitus destructa, sed solum in aliqua parte, ex refectione, & reparatione illius, non acquiritur jusprepatronatus. *Communis* cum Glossa *loc. cit.* etiamsi succesive diversis temporibus per partes tota fieret nova, quia adhuc eadem Ecclesia esse censetur, adeoque primus Ædificator non desineret esse Patronus, *argum. leg. Quid tamen §. 1. verf. Plene, ff. Quibus modis usufructus amittitur* Azorius *p. 2. lib. 6. cap. 19. quæst. 10.* Pirhing *lib. 3. Decret. tit. 38. num. 8.* Reiffenstuel *ibid. numer. 8.* & alii passim.

25 Quod sola Dotatio sufficiat ad acquirendum Jus patronatus habetur clare *ex cap. Filiis 31. cap. 16. quæst. 7.* & Concil. Trident. *sess. 14. De Reformat. cap. 12. & sess. 21. eod. cap. 7.* ubi sola Dotatio pro sufficienti causa acquirendi *Jus-*
26 *patronatus* agnoscitur. Dotasse autem Ecclesiam quantum ad propositum censetur ille, qui ei sine Dote fundatæ, & constructæ, congruam Dotem assignat tribuendo ei sufficientes redditus, seu annuos census pro Ministris Ecclesiæ, pro paramentis, pro luminaribus, aliisque necessariis, *arg. cap. Quicumque 30. & cap. Filiis 31. caus. 16. quæst. 7.* Qui tamen non tribueret dotem sufficientem, non diceretur *Patronus*, sed tantum Benefactor Ecclesiæ, ut expresse declaravit Sacra Congregatio, apud Garciam *de Beneficiis part. 5. cap. 9. num. 52.* his verbis: *Dotans insufficienter, quod arbitrabitur Ordinarius, non acquirit Jusprepatronatus, sed dicitur Benefactor*. Item censetur quantum ad præsens quis dotare Ecclesiam, quando dos primitus ei assignata omnino perit, & antiquus Patronus non vult amplius illam dotare; Bene vero ipsam sufficienter dotat ille alius; tunc enim antiquus Patronus amittit Jusprepatronatus, & illud acquirit qui de novo sufficienter dotat Ecclesiam. Fagnan. *in cap. Quoniam 3. De Jurepatronat. num. 59.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 9.* Pirhing *loc. cit. num. 9.* & alii passim.

27 Quando unus, & idem simul fundat, ædificat, & dotat Ecclesiam, tunc solus ipse acquirit iusprepatronatus. Quando vero plures concurrunt, ita ut unus fundet, alter ædificet, & tertius dotet, tunc acquirunt omnes Jusprepatronatus in solidum. & una simul in solidum evadunt Patroni, *arg. c. Filiis 31. caus. 16. q. 7.* & tenet *Communis Doctorum* cum Fagnan. *in cit. Cap. Quoniam 3. de Jurepatronatus nu. 49.* Garcia *loc. cit. n. 52.* Abbat. *ad Rubr. de Jurepatronat. num. 6.* Pirhing. *loc. citat. num. 7.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 10.* Item quando plures concurrunt ad unam ex tribus causis, seu modis allegatis, v. gr. ad solam fundationem, vel ad solam ædificationem, vel ad solam Dotationem, evadunt omnes simul Patroni, & æquale iusprepatronatus acquirunt respectu illius Tituli; Sic expresse declaravit Sacra Congregatio apud Garciam *loc. cit. num. 53.* & tenent citati Doctores, aliique passim.

28 Jusprepatronatus, seu præsentandi Prælatum in Ecclesia Regulari, seu Collegiata etiam de Diœcesani Episcopi consensu non acquiritur ex fundatione, ædificatione, & dotatione sine particulari privilegio Apostolico; *Cap. Hinc est etiam 39. caus. 16. quæst. 1. & cap. Nobis 25. De jurepatronat.* Rota *part. 2. Recent. decis. 421. num. 2.* Fagnan. *lib. 3. Decretal. in cit. cap. Nobis numer. 14.* Lambertin. *lib. 1. quæst. 5. part. 1. art. 1. num. 10. & 11.* Puteus *lib. 2. decis. 366. num. 4. & seq.* Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. univ. cap. 12. num. 48.* citans 29
alias Rotæ decisiones, aliosque Doctores. Id tamen est intelligendum de jurepatronatus in tota Ecclesia; Secus vero in aliquo Altari constructo, vel construendo de ordine Testatoris in dicta Ecclesia Regulari, seu Collegiata, quia, tunc sufficit solum consensus Regularium, seu Capitularium, ut firmavit Rota *in Segobiensi Capellaniæ 26. Februarii 1626. coram bonæ memoriæ Ubaldo in vers. Non obstat secundo*, & ex aliis refert, & tenet Barbosa *loc. cit. num. 48.*

Præter supradictos tres modos, & causas acquirendi ius- 30
patronatus, potest idem acquiri adhuc aliis duobus modis, scilicet *Privilegio, & Præscriptione*. Jusprepatronatus acquiritur *privilegio*, quando Summus Pontifex alicui de Ecclesia benemerito, vel ob aliam causam illud concedit, quamvis Ecclesiam nec fundaverit, nec ædificaverit, nec dotaverit; Papa enim de plenitudine potestatis de cunctis Beneficiis habet plenariam potestatem, textu expresso *in Cap. Licet 2. de præbend. in 6.* Non potest tamen Jusprepatronatus acquiri 31
privilegio Episcopi, vel alterius Prælati Papa inferioris, ut clare patet *ex Cap. Hoc consultissimo 2. de rebus Eccles. non alienand. in 6.*, & fuit declaratum a Sacra Congregatione, apud Garciam *De Benefic. part. 5. cap. 9. num. 128.* Immo jus- 32
patronatus ex privilegio quocumque etiam Papali ante Concilium Tridentinum concessum, revocatum est in totum, etiam cum quasi possessione inde sequuta ab eodem Concilio *sess. 25. de Reform. cap. 9.* Parisius *De confident. q. 28. numer. 239.*, & *sequent.* Seraphin. *decis. 1395. num. 4.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellariæ glossa 18. num. 18.* Barbosa *super Trid. d. sess. 25. cap. 9. numer. 68.*, & *lib. 3. Juris Eccles. universf. cap. 12. num. 63. & 64.* Garcias *De Beneficiis part. 5. cap. 9. a num. 115.* ubi *num. 118.* ex declaratione Sacræ Congregationis addit, sublata esse omnia privilegia, etiamsi habeant clausulam, quod jusprepatronatus ex privilegio concessum sit ejusdem valoris, ac si esset ex fundatione, ædificatione, aut dotatione, cum sit adinstar, & non proprie ex fundatione, ædificatione, aut dotatione. Unde qui jusprepatronatus ex titulo solius privilegii manutenere vult, debet docere, quod illud habeat a Summo Pontifice post tempora Concilii Tridentini concessum cum clausula derogatoria eiusdem Concilii; Pirhing *lib. 3. Decretal. tit. 38. num. 12.* Reiffenstuel *ibid. n. 12.* Azorius *p. 2. lib. 6. c. 19. n. ult.* & alii.

Advertendum hic tamen venit, quod, quamvis Con- 33
cilium Tridentinum *d. sess. 25. cap. 9. de Reformat.* in totum prorsus abrogaverit iusprepatronatus ex privilegio una cum quasi possessione; Hoc tamen non procedit in iurepatronatus ex privilegio concesso 40. annis ante publicationem eiusdem Concilii, cum tale iusprepatronatus non cadat amplius sub revisione Ordinarii. Rota *part. 13. recent. decis. 492. numer. 8.* Barbosa *in Collectan. ad Concil. Trident. cap. 19. sess. 25. de Reform. num. 85.* ubi adducit alias Rotæ decisiones, Garcias *loc. cit. cap. 9. num. 124.* Addenda ad Gregor. *decis. 397. numer. 6. vers. prædicta indubitanter*, Fillinucius *tom. 3. tract. 14. cap. 2. num. 62.*, & alii passim. Neque procedit in iurepatronatus concesso ex titulo oneroso propter augumentum dotis. Rota *part. 13. recent. dict. decis. 492. num. 6.* Addend. ad Gregor. *cit. decis. 397. num. 6. vers. prædicta indubitanter*. Rota coram Seraphin. *decis. 490. num. 2.* Garcias *loc. cit. cap. 9. num. 120.* Gabriel *conf. 195.*, & *2. lib. 1.* Lotter. *de re benefic. lib. 2. quæst. 8. n. 12.*, & *seq. & n. 25.* & alii.

Jusprepatronatus acquiritur *præscriptione* contra Eccle- 34
siam liberam, seu nondum patronatam ex multiplicatis præsentationibus per tempus immemorabile; sic expresse statuit Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 9. de Reform.*, ibi: Si-
„ ve etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissi-
„ mum temporis cursum, qui hominum memoriam exce-
„ dat. Ad hoc autem, ut dicantur præsentationes multi- 35
plicatæ, duas sufficere asserunt Riccius *in Praxi fori Ecclesiastic. resolut. 127. in fine*, Castropalao *tom. 2. tract. 13. disp. 2. punct. 3. numer. 4.* Barbosa *in Collectan. ad Concil. Trid. d. sess. 25. cap. 9. de Reformat. num. 5.* cum pluribus aliis ibi citatis, *arg. cap. Pluralis 40. de Regul. Juris in 6.*, ibi: *Pluralis locutio duorum numero est contenta*. Tempus vero imme- 36
morabile, quantum ad præsens censetur tempus quadraginta annorum in personis, ubi non præsumitur jusprepatronatus es-

se ex usurpatione, *arg. Cap. de quarta 4. cap. Ad aures 6. Cap. Illud autem 8. &c. Quia indicante 9. De præscriptionibus*, ubi habetur clare decilum, quod contra Ecclesiam jura Episcopalia, Decimas, & hujusmodi quadragiuta annorum spatio præscribatur. Sic per doctrinam Glossæ communiter receptæ *in cap. 1. De præscriptionibus in 6.* tenent Baldus *de præscript. part. 2. Quintæ partis quæst. 6. num. 43.* Mascardus *de probat. Conclus. 138.* Moneta *de decimis cap. 5. numer. 77.* Aloysius Riccius *in tract. de novissim. probat. Jurispatronat. resolut. 70.* Barbosa *in Collectan. ad Tridentinum cit. sess. 25. cap. 9. de Reformat. num. 11.*, & *lib. 3. Juris Ecclesiastic. universf. cap. 12. num. 75.* cum pluribus aliis ibi citatis. Rota *in Sorana jurispatronatus 28. April. 1603. in Jacent. Parochialis 27. Junii ejusdem anni coram. Card. Pamphil. senior.*

37 Aliter autem discurrendum est de tali præscriptione in personis, ubi præsumitur jusprepatronatus esse ex usurpatione. Et ad hoc datur dispositio Concilii Tridentini *d. sess. 25. c. 9.*
„ *de reformat.*, ibi: In iis vero personis, seu Communita-
„ tibus, vel Universitatibus, in quibus id Jus (*Patrona-*
„ *tus*) plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsu-
„ mi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum
„ verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis
„ probatio eis aliter sufffragetur, quam si præter reliqua ad
„ eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non
„ minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quæ
38 „ omnes effectum fortitæ sint, authenticis scripturis proben-
„ tur. Personæ vero, & Communitates seu Universitates, in quibus præsumitur Jusprepatronatus esse ex usurpatione, sunt ex declaratione Sacræ Congregationis apud Gonzalez *in Regul. 8. Cancel. glossa 18. a num. 66.* omnes Potentes, & omnes perpetuam jurisdictionem habentes in loco Beneficii, seu Ecclesiæ jurispatronatus; ut Nobiles, Barones, Comites, Marchiones, Principes, Duces, Reges, Imperatores, Universitates, & Communitates.

39 Jusprepatronatus acquiritur *præscriptione* contra Ecclesiam non amplius liberam, sed jam patronatam, seu potius contra *Patronum* per tempus ordinarium, scilicet decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes cum titulo; Sine titulo autem triginta annorum cum bona fide, sicuti præscribi possunt alia jura, & bona immobilia contra privatos, *leg. Unic. Cod. de usucap. transformand.*, & *§. 1. Inst. de usuc. leg. Sicut in rem*, *Cod. De præscript. 30. vel 40. annor.*, & concordat textus *in cap. Sanctorum 3. de præscriptionibus*. Et ex communi docet Covarruvias in Regular. Possessor, *part. 2. §. 16. num. 6.* Lessius *lib. 2. cap. 6. dub. 10. numer. 31.* Molina *disp. 70. num. 2.* Lugo *disp. 7. num. 99.* Pirhing *lib. 2. Decretal. tit. 26. num. 118.* Et ratio est, quia hoc casu non præscribitur contra Ecclesiam, cujus parum interest hunc, vel illum habere *Patronum* privatum, & æque evenire possit, ut ille, qui præscribit, utilior sit Ecclesiæ; quam prior ejusdem Patronus, contra quem præscribitur, ut recte observat Molina *de justitia, & jure cit. disp. 70. num. 2.* Sed solum præscribitur adversus priorem Patronum, qui non gaudet speciali privilegio, ut longiore tempore, quam ordinario a jure statuto contra illum præscribi debeat.

40 Si quis autem quibusdam annis sit absens, & quibusdam presens, adjiciuntur ei super decennium, tot anni, quot annis ex decennio fuit absens, textu expresso *in Authent. Quod si quis, Cod. De præscription. long. tempor.* ibi: *Quod si quis qui busdam annis præsens sit, quibusdam absens, adiiciuntur ei super decennium tot anni, quot annis ex decennio fuit absens*; Hac tamen intelligentia, & advertential, ut communiter notant Doctores, quod unus annus præsentiæ æquivaleat duobus annis absentiæ, & vicissim duo anni absentiæ faciant unum annum præsentiæ. Unde si quis per octo annos fuerit præsens, & deinde per duos absens, alii duo anni sint superaddendi, ita ut hæc præscriptio ante annos duodecim non compleatur.

41 Ad hanc præscriptionem contra Ecclesiam jam patronatam seu potius contra Patronum, sufficit cum tempore debito unica præsentatio facta, & suum effectum sortita, & non requiruntur plures. *Communis* cum Rota *in Bergomen. Capellaniæ 18. Maii 1629.* coram Merlino, Barbosa *in Collectan. ad Concil. Trident. d. sess. 25. cap. 6. num. 22.* Reiffenstuel *lib. 3. Decretal. tit. 38. num. 16.* Et ratio est, quia de jure communi non requiruntur plures, sed sufficit unus actus præsentationis ad constituendum aliquem in possessionem, dummodo interea non evenerit alius casus præsentationis, ut recte observat Barbosa *loc. cit.* Nec officit, quod Concilium Tridentinum *loc. cit.* requirat ad hoc multiplicatas præsentationes, ibi: *Ex multiplicatis præsentationibus*; quia ut communiter advertunt Doctores, Concilium ibi loquitur de præscriptione, contra Ecclesiam liberam, & nondum patronatam, quam in libertate conservare summopere intendit; non autem de præscriptione contra Ecclesiam jam patronatam, seu potius contra Patronum, qui non gaudet speciali privilegio, sed sola ordinaria dispositione juris communis, ut jam fuit dictum supra *num. 39.*

Novæ additiones ex aliena manu.

DEfinit in hoc articulo *Auctor* jusprepatronatus, tum dividit & demum de modis agit originariis illud acquirendi.

Reale jusprepatronatus, de quo agit *Auctor num. 1.* subdividendum est in *Regium, feudale, & privatum*. Regium, *quod* 1
ad Imperatorem, & Reges, seu Regna possidentes, aliosque sublimes ac supremos Principes jura Imperii in dominiis suis habentes pertinet, ex Tridentin. *sess. 25. cap. 9. de Reformat.* 2
Feudale jusprepatronatus appellatur, quod Feudo, reique feudali adnexum est, & Feudatario competit ratione investituræ feudalis, vel universæ feudi possessionis, nequaquam vero intuitu Personarum, & sic ad Possessorem Feudi transit cum universitate illius. Privatum denique est, quod non 4
propter feudum, vel feudalem investituram, sed alio quovis titulo, possidetur nedum a Personis privatis, sed etiam a Feudatariis tanquam allodiale seu Bergensaticum. 5

Plura habet præcipua jusprepatronatus regium. Illud non comprehenditur sub quacumque reservatione non facta *ejus* speciali mentione; Rota *in Colonien. Præposituræ 1. Decembris 1727. §. Adjuvatur coram clar. memor. Calcagnin.* Minusque venit sub qualibet derogatione citra etiam specialem mentionem. Quinimo *quamvis* (ait idem supremum Tribu-
„ nal, in d. Colonien. Præposituræ 1. Decembris 1727. d. 6
„ §. Adjuvatur cor. clar. memor. Calcagnin.) Romani pro
„ tempore Pontifices absoluta Beneficiorum potestate fruan-
„ tur, nihilominus frequenter indulgent Curiæ stylo non de-
„ rogandi Regum supremorumque Principum patronatibus,
„ eorumque devolutiones non perquirendi, etiamsi vaca-
„ tiones in Curia contigissent; Et, ut alia missa faciamus,
nullum in jurepatronatus regio currit tempus ad præsentandum; *Antunez de donat. Reg. part. 3. cap. 27. numer. 124.* 7
Piton. de Controvers. Patron. alleg. 19. numer. 18. Rigant. in Comment. ad Regul. Cancellar. Regul. 42. num. 42. Sacrum Auditorium ind. *Colonien. Præposituræ 1. Decembris 1727. §. Animadvertebat, & sequent. coram clar. memor. Calcagnin. in Compostellana Parochialis 29. Martii 1756. §. 9.*, & *5. Julii 1756. §. 5. & 10. Decembris §. 9. cor. Emo Buffio.*

Feudale jusprepatronatus ob dominium directum Feudi quod 8
apud Regem est, & regium dijudicari debet; *Gagliard. de donat. Regis lib. 3. cap. 28. num. 1. Rot. in Compostellana Parochialis 29. Martii 1756. §. 9.*, & *5. Julii 1756. §. 5.*, & *10. Decembris 1756. §. 10. coram Eminentissimo Buffio*. At non 9
omnes effectus jurispatronatus regii tribui queunt iuripatronatus feudali. Notabile enim est, quod Feudatarii intra 10
quatrimestre præsentare tenentur. Reges enim, & Supremi Principes nullum habent tempus præfinitum ad præsentandum, eo quia maximæ curæ, quibus tum pacis tum belli tempore occupantur, quotidianum impedimentum præbere 11
censentur, quominus de præsentatione cogitent. Hæc autem ratio locum quoad Feudatarios haud sibi vindicat. *Gagliard. de Jurepatron. cap. 17. num. 28.* Rota vero in mox dicta 12
Compostellana Parochialis videtur sensisse, quod, & Feudatariis nullum currat tempus ad præsentandum. 13

De iurepatronatus privato reali plures occurrunt inspectiones. Potissima est illa, quando vere jusprepatronatus privatum sit reale; Vide Rota *in Viterbien Capellaniæ 3. Julii 1718. coram bon. memor. Gamach.*, & *in Pennen.*, *seu Adrien. jurispatronatus 12. Martii 1731. coram bon. memor. Ratto*. 14
Solet etiam maxime inquiri in quos transeat hoc jusprepatronatus privatum reale. Confer Rot. in *Carinolen. Canonicatus 2. Maii 1738. cor. clar. me. Millin.* 15

Inter originarios modos acquirendi jusprepatronatus Auctor 16
num. 22. refert, & fundationem, eam accipiendo pro simplici datione fundi seu Loci ad Ecclesiam ædificandam, adeoque distinguit fundationem ab ædificatione, & dotatione. Vetus est hic error *Glossæ in Can. Piæ Mentis 16. quæst. 7.* 17
At is confutatus jam fuit a *Francisco de Roy de Jurepatron. cap. 13. Rousseaud de la Combe in sua Bibliotheca Canonica* 18

Verb. Patronatus cap.5. num. ., & plur. sequent. aliisque.
19 Reædificatione, & redotatione quando acquiri possit jus patronatus jam constitutum, vide apud *Gagliard. de Iurepatron. cap.5. num.28.*

ARTICULUS II.

Juspatronatus quoad ea, quæ concernunt ejus in alios translationem, & ejusdem amissionem.

1 JUspatronatus quatuor modis ab uno in alium transferri potest, scilicet *Successione, Donatione, Permutatione, & Venditione*; *Communis* cum Glossa *in cap. Piæ mentis 26. caus.16. quæst.7., & in Cap. Cum sæculum 13. De Jurepatronatus verb. Emptorem*, ubi dat sequentes versiculos:

Jura patronatus transire facit novus hæres;
Et res permutata, donatio, Venditioque.

2 Primo igitur modo Juspatronatus transit per *Successionem hæreditariam* cum universitate bonorum ad quoscumque hæredes, tam mares, quam fœminas, tam necessarios, quam extraneos, sive ab intestato, sive ex Testamento succedant *arg. cap. Perlatum est 1. & Cap. Ex litteris 7. De Jurepatronatus, & Clementin. 2. eodem tit.*, & sic tenet Abbas *in cit. cap. Perlatum est numer. 2., & sequent.*, & ibi Fagnan. *num.12., & 13.*, & Barbosa *num.9.* Pirhing. *lib. 3. Decretal. tit.28. num.44.* Reiffenstuel *ibidem num.18.*, & *Communis aliorum*. Jura enim indistincte loquuntur de hæredibus Patroni, nulla expressa differentia, sive hæredes sint masculi, sive fœminæ, sive necessarii, sive extranei, sive hæredes sint ab intestato, sive ex Testamento; ubi autem Jura indistincte loquuntur, indistincte etiam sunt intelligenda, cum ubi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus, *cap. Quia circa 22. De privileg., & leg. De pretio ff. De Publiciana in rem action.*

3 Hinc si filia sit hæres cum fratre, æque cum illo succedit
4 in Jurepatronatus hæreditario; *Communis arg. Citatis Juribus*. Item, si filius, vel filia non sit hæres patris sui, ex quo vel exhæredetur, vel repudiet hæreditatem, non succedit in Jurepatronatus hæreditario, quia hoc veluti accessorium sequitur hæreditatem; *Communis*. Item, si filius,
5 vel filia instituatur a Patre in re certa, & extraneus instituatur hæres universalis, Juspatronatus hæreditarium transit ad extraneum hæredem, & non ad filium, nec filiam, quia transit cum universitate bonorum, quam hæreditas continet, & filius institutus in re certa habetur in loco Legatarii; *leg. penultim. Cod. De hæred. instit.* adeoque, cum non sit hæres, non potest consequi Juspatronatus hæreditarium; *Communis*.
6 Excipiendus est tamen casus, quo tali rei certæ, v. g. Castro, Pago, Palatio, vel Fundo, in quo instituitur, esset inseparabiliter annexum ipsum Juspatronatus, quia tali casu juspatronatus non transiret ad extraneum hæredem universalem, sed ad filium in tali re certa institutum; cum Juspatronatus transeat semper cum re, cui est inseparabiliter annexum, *arg. Cap. Ex litteris 7. De jurepatronat.*, & ibi Fagnan. *num.3.* Barbosa *num.3.* Canisius *in cap.1.*, & *2. numer.5. de jurepatronat.* Pirhing *lib.3. Decretal. tit.38. nu.44.* Reiffenstuel *ibidem num.18.*, & alii. *Accessorium* enim *naturam sequi congruit principalis*, ut expresse dicitur *in cap. Accessorium 42. de Regul. juris in 6.*

7 Quando plures sunt hæredes unius *Patroni* succedunt omnes æquali jure, quamvis in partibus inæqualibus sint instituti hæredes, unde in solidum tale Juspatronatus possidere debent, nec inter se illud dividere possunt; *cap. Perlatum est 1. de Jurepatronatus*, & Gloss. *ibid. verb. Dividi non debeat*, & Doctores communiter, *arg. leg. Via 17. ff. De servit. leg. Si sepulcrum Cod. de Religios., & sumpt. funer. leg.1. §. Si usufructus ff. Ad leg. Falcid., & leg. Usus ff. De*
8 *usu, & habit.* Possunt tamen dicti plures hæredes inter se pacisci, & convenire de Rectore alternis vicibus præsentando, hoc est, quod unus præsentet prima vice vacationis Beneficii, seu Ecclesiæ, alter secunda, & alter tertia; *Communus*, textu expresso *in Clementina, Plures 2. de jurepatronatus*, ibi: Et ut facilius provideatur Ecclesiis, non „ inconveniens reputamus, Patronos ipsos inter se posse „ libere convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præ„ sentando. Glossa *ibidem verb. Alternis vicibus*. Item possunt Compatroni, & hæredes eorum inter se dividere mensas, ita ut, si in mense Januario vacet Ecclesia, seu Beneficium, præsentet unus, si in Februario, præsenter alter, etc. Vel etiam si plura Beneficia conferenda habent, unus ad hoc, & alter ad illud præsentet; *Communis arg. cit. Clementina Plures*. Et has conventiones possunt Compatroni, ac hæredes inter se inire absque ullo consensu Episcopi, *arg. cit. Clementina Plures*, ibi: *Inter se posse libere convenire*, & ibi Glossa *verb. Libere*, Fagnan. *in cit. cap. Perlatum est 1. de jurepatronat. numer. 6.* Gonzal. *Ad Regul.8. Cancellar. gloss.46. §.1. numer.58.* Barbosa *de Offic., & potest. Episcop. part.3. allegat.71. num.28., & sequent.* Pirhing *l. 3. Dec. tit. 38. numer. 46.* Reiffenstuel *ibidem numer. 23., & Communis aliorum*. 9 10

Etiam juspatronatus gentilitium, scilicet reservatum illis, 11
qui sunt de familia, seu agnatione Fundatoris extincta familia, seu agnatione, transit ad hæredes extraneos, nisi in prima fundatione Fundator expresse, & taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem statuerit esse faciendam successionem; Rota *in causa Cremonensis Juris patronat. die 6. Junii 1578. coram Cardin. Seraphin.* ut in ejus impressis *decis.364.* quæ postea confirmata fuit sub die 21. Nov. ejusdem anni, ut *dec. 378.* & concordat Rota *decis.385. per tot. coram Robusterio part.1. diversar.* Cassad. *decis.1. num.3. de Jurepatronat.* Ancharanus *consil.81.* Fagnan. *in citat. cap. Perlatum est 1. de jurepatron. num.25.* Pirhing *loc. cit. num.53.* Reiffenst. *loc.citat. num.24.* & alii passim. Et ratio est, quia reservatio Juris patronatus facta in prima fundatione a Fundatore pro illis, qui sunt de familia, seu agnatione, non addita particula taxativa *tantum*, vel alia simili, intelligitur solum facta cum ea restrictione, ut tale juspatronatus non transeat ad hæredes extraneos, durante sua familia, seu agnatione, ergo secus intelligitur facta pro casu deficientis suæ familiæ; Tum quia casus a Fundatore omissus relinquitur dispositioni juris communis; *arg. leg. Commodissime ff. De liber. & posthum. leg. Si cum dotem ff. Solut. Matrimon. leg. Extraneus ff. De condict. ob caus.* Atqui casus deficientis suæ familiæ fuit a Fundatore omissus, ergo est relinquendus dispositioni juris communis, quo statutum est ut juspatronatus transeat etiam ad hæredes extraneos, juxta dicta supra *num. 2.* Sic enim dispositio hominis convenit cum dispositione legis, & utraque servatur in suo casu; scilicet dispositio hominis, quandiu duraverit sua familia; Dispositio autem legis, quando illa defecerit.

Si autem Fundator expresse statuit cum particula taxativa 12
tantum, quod tale juspatronatus transeat ad illos solum, qui sunt de sua familia, seu agnatione, non vero ad eorum hæredes extraneos, tunc ad ipsos non transit, & extincta familia extinguitur juspatronatus, & Ecclesia, seu Beneficium remanet liberæ collationis. Et ideo notanter fuit dictum in conclusione sub num. antecedente: *Nisi in prima fundatione Fundator expresse, & taxative ad suam tantum familiam, seu agnationem, statuerit, esse faciendam successionem*. Et ratio est, quia Fundator potest in fundatione remittere Juspatronatus vel in totum, vel ex parte, vel limitative illud inducere in præjudicium descendentium, vel extraneorum hæredum, prout ei libuerit, *arg. cap. Significavit 41. de testibus, & cap. Si Laicus unic. de Jurepatronatus in 6.* Sic tenet *Communis cum supracitatis*.

Juspatronatus, quamvis transitorium ad hæredes extraneos 13
regulariter non transit ad substitutum, seu Fideicommissarium etiam universalem, sed remanet penes hæredem directum, seu gravatum; Rota *part.5. recent. tom.2. decis.542. num.9. & 19. part.6. decis.89. num.27. part. 7. decis.72. a numer.7. usque ad 18. part.9. tom.1. decis.206. num.5. 8. & 14. part.12. decis.400. num.2. part.13. dec.64. num.4.* & sæpe alibi. Et sic tenet *Communis Doctorum*, cum Barbosa *in cap. Perlatum est 1. De Jurepatronat. num.10. & 11.* & Garcia *de Benefic. part.5. cap.9. num.17.* ubi *num.18.*, & 19. ait, Juspatronatus personale, & non annexum bonis, non transire ad Fideicommissarium, quamvis ex testantis judicio, & expressa voluntate possit Fideicommissarius consequi Juspatronatus, accedente licentia Episcopi. Et ratio est, quia ex præsumpta voluntate Testatoris ad Fideicommissarium transeunt sola bona, & jura afferentia commodum pecuniarum, non autem illa, quæ ad solum honorem pertinent, uti est Juspatronatus, ut censuit expresse Rota *part.9. tom.1. dec.279. num.9. & 10. & part.12. decis. 100. num. 8. 9.* adeoque Juspatronatus ex præsumpta Testatoris voluntate remanere debet apud primum, ac directum hæredem. Tum quia, quamvis Jura sepulcrorum veniant in universali alienatione, *leg. Si modicis 24. ff. De contrahend. Empt. leg. Quædam 62. ff. De acquirend. rerum dominio*; tamen non veniunt in translatione universali, quæ fit in Fideicommissarium, sed penes hæredem manent, ergo sicut ista Jura non comprehenduntur sub restitutione facienda Fideicommissario, cum non veniant Jure hæreditario, ita nec Juspatronatus Ecclesiæ, seu Be-
14 neficii.

Transit autem Juspatronatus ad Fideicommissarium, ubi id constet de voluntate Testatoris; Rota *part.5. recent. tom.2. decis.642. num.13. part.12. dec.100. num.10. part.13. dec.74. num.1. part.14. decis.153. num. 3. part.18. tom.2. decis. 589. n. 3.* Non enim repugnat naturæ Juspatronatus, quin illud possit transferri etiam in Fideicommissario; Rota *part. 7. decis.72. num.11. & 12. part.18. tom.2. decis.667. num.17.* Dummodo tamen non solum concurrat Testatoris voluntas, sed etiam forma primævæ acquisitionis non repugnet; Rota *part.10. decis.240. num. 10. part. 12. decis. 100. num. 11. & decis. 190. num. 1.* Itaut Juspatronatus, & jus præsentandi
15 pertineat substituto habenti qualitatem per Fundatorem desideratam; Rota *part.13. decis.136. num.2.* Ad effectum tamen cognoscendi, & eligendi voluntatem Testatoris non sufficit voluntas implicita, sed requiritur expressa; Rota *part. 5. num.2. & decis.542. num.16. part.7. decis.170. num.6., & 7.* Puta, si verbis expressis Testator declaraverit sub universali hæreditate, in qua Fideicommissum constituit, comprehendi juspatronatus, quo casu mentio juspatronatus facta in Institutione censetur repetita etiam in substitutione; Rota *p.18. t.2. dec.589. n.4.* vel quando verba Fideicommissi comprehendunt etiam jura, & actiones; Rota *part.12. dec.104. num.11. p.13. decis.152. num.1. & 2.* Seu quando substitutio facta fuit etiam de juribus, & actionibus; Rota *part.12. decis. 271. numer.4.*
16 *part.13. decis.64. num.6. & 7.*

Item Juspatronatus transit etiam ad Fideicommissarium universalem, quando est inseparabiliter annexum universitati bonorum fideicommissariorum, *arg. capit. Ex litteris 7. & cap. Cum sæculum 13. de Jurepatronatus*, per dicta *supra num.6.* Tunc enim Fideicommissarius velut universalis bonorum possessor succedit in omnia annexa ipsis bonis *per cit. cap. Accessorium 52. de Regul. Juris in 6.* succeditque pariter in universum Jus Defuncti Jure Prætorio, & in effectu est plenus hæres; *leg.2. & 3. §.1. num.2. ff. De bonor. possess.* Imo tale Juspatronatus transit etiam in usufructuarium universitatis bonorum; Barbosa *in cap. Ex litteris 7. De Jurepatronat. num.7. & lib.3. Juris Ecclesiastic. universf. cap.12. num.232.* cum pluribus ibi citatis, Pirhing *lib.38. Decretal. n.35. in fine*, Fagn. *in cit. cap. Ex litteris num.* 57. ubi adducit alios, & decisionem Rotæ.

17 Juspatronatus per hæreditariam successionem potest transire ad Monasterium, seu Religionem, idque duplici modo. Primo quando a Patrono Laico Monasterium capax bonorum in communi instituitur hæres; tunc enim cum universitate bonorum talis hæreditatis transit ad Monasterium etiam juspatronatus. Secundo, quando Patronus Laicus fit Religiosus, tunc enim Juspatronatus ad ipsum spectans cum omnibus ipsius bonis transfertur in Monasterium, & quidem perpetuo, si sit Juspatronatus hæreditarium; Tale enim Juspatronatus sequitur hæreditatem, & hæreditati Monachi succedit Monasterium, cum quidquid acquirit Monachus, acquirat Monasterio, *cap. Statutum 1. caus. 18. quæst. 1. Abbates 16. caus.18. quæst.2. cap. Quia ingredientibus 7. caus.19. quæst.3. cap. In præsentia 8. de probation.* cum similibus; Ita Tamb. *de Jure Abbat. tom.3. disp.9. q.28. num.1. & 2.* Pirhing *l.cit.*
18 *num.59.* & alii passim. Si autem Juspatronatus sit gentilitium, & jure sanguinis delatum ad Patronum, qui Religionem ingressus est, tunc tale Juspatronatus non transfertur in Monasterium perpetuo, sed solum ad tempus, idest durante vita Monachi, quia post ejus obitum defertur ad hæredes ipsius consanguineos; Tamburin. *loc. citat. num.2.* Pirhing *loc. cit. num.59.* Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 1. num. 555.* & alii.
19 Juspatronatus transit etiam probabiliter ad Fiscum saltem indirecte, & accessorie, quando ab ipso ob aliquod enorme Patroni crimen confiscantur omnia, vel aliquod specialia ejus bona, cui annexum est Juspatronatus; Tunc enim adveniente vacatione Beneficii, vice Patroni banniti, præsentat Fiscus; Abbas *in c. Quanto num. 6. de judiciis, & in cap. Nobis 25. de Jurepatronat. num.2.* Ferret. *consil.179.* Barbosa *in cap. Ex Litteris 7. de Jurepatronat. num.9. & lib.3. Juris Ecclesiastic. universf. cap.12. num.238. & part.3. de Offic. & potest. Episc.*

allegat.71, n.45. cum pluribus ibi citatis, Lotter. *de re Benef. lib.2. quæst.4. num. 21.* cum aliis Pirhing *loc. cit. num.57.* & alii. Secus autem juspatronatus personale, seu personæ, & 20
singulariter consistens, non annexum ulli Patroni bonis, quia tale juspatronatus, cum defectu jurisdictionis, nequeat confiscari per Judicem Laicum, manet penes delinquentem, donec per sententiam Judicis Ecclesiastici eo privetur tamquam indignus, & tunc Ecclesia fit libera; Barbosa *in citat. cap. Ex litteris num.10. & cit. lib.3. cap.12. num.239.* Abbas *in cap. Cum Laici 10. de Jurepatr. num.3.* Azorius *part.2. lib.6. cap.20. quæst.14.* Pirhing, *loc.cit. num.57.* Silvester *verb. Juspatronat. quæst.5. dist.6.* Garcias *de Benefic. part. 5. num. 26.*
& sequent. & alii passim. Imo secundum multos neque Jus- 21
patronatus reale, seu annexum bonis transit ad Fiscum laicale ex confiscatione talium bonorum, sed tunc Ecclesia libertatem acquirit; Ita Card. *in Clementin. Plures, de Jurepatronat. num.8.* Imola *in Clement. Pastoralis, de re judicat. n. 71, & sequent.* Joan. de Anania *in cap. Vergentis, de hæreticis numer. 6.* Lambertin. *de Jurepatronat. lib. 3. quæst. 8. art. 8. num.16. & 22.* Simancha *in Catholic. Instit. tit.4. numer. 96.* Rota *part. 1. recent. decis. 53. num. 5.* Et hanc Rota *part. 5. tom.1. decis.336. num. 17.* dicit esse opinionem magis communem, quam tenet ipsa Rota, quia Juspatronatus tamquam quid spirituale non venit in confiscatione facta a Judice laico; Rota *cit. decis.336. num.17.* ubi citat plures alias Rotæ decisiones, Glossam, & alios Doctores, *& ibid. num. 16.* cum Rocco de Curte dicit esse etiam opinionem æquiorem.

In translatione juspatronatus cum universitate bonorum, 22
seu cum specialibus aliquibus bonis, ut cum Castro, Villa, Pago, quibus ipsum juspatronatus est inseparabiliter annexum, non requiritur consensus Episcopi, *arg. cap. Ex litteris 7. de Jurepatronatus*, cum similibus Barbosa *de Offic., & potest. Episcop. part.3. allegat.71. num.10.* Vivian. *in Praxi Jurispatronat. part. 1. lib.4. cap.1. num. 2.* Piasecus *part. 2. cap.15. art.1. num.44. & communis aliorum*. Requiritur autem consensus Episcopi, quando juspatronatus de per se sine 23
ulla hæreditate transfertur in Laicum, seu Clericum nomine proprio, v. gr. per Legatum in Testamento, relictum, *arg. cap. Si Laicus unic. de Jurepatronat. in 6.* a sensu contrario, & communis Doctorum cum Barbosa *loc. cit. num. 12.* Tunc enim, antequam consensus Episcopi accedat, juspatronatus existit penes hæredem; quia per solam dispositionem Laici non potest hujusmodi jus de per se in alium Laicum, seu Clericum nomine proprio, & non nomine Ecclesiæ transferri, cum jura tantum permittunt, ut juspatronatus transferatur in filios, vel hæredes, non autem in Legatarios, *cap. Filius 31. caus.16. quæst.7.* Abbas *in cap. Cum sæculum 13. de Jurepatronatus num.6.* Ioan. Andr. *ibid. num. 2.* Pirhing *loc.cit. n.58.* Azorius *loc.cit.q.10.* Silvester *loc.cit.q.4. dicto 6.* & alii com- 24
muniter. Non requiritur tamen consensus Episcopi, quando juspatronatus etiam de per se transfertur in Ecclesiam, seu locum Religiosum, vel in Clericum nomine Ecclesiæ; *capit. Illud 8. de Jurepatronatus, & cap. Si Laicus unic. eodem in 6.* & communis Doctorum cum Barbosa *loc.cit. num.11.* Pirhing *loc.cit. num.58.* Sanchez *Consil. Moral. lib. 2. cap.3. disp. 76. num. 3.*

Secundo modo juspatronatus transit de uno in alium *per do-* 25
nationem; Glossa communiter recepta *in c. Piæ mentis 26. caus.16. q.7. & in c. Cum sæculum 13. de Jurepatronatus*; & est textus *in cap. Ex insinuatione 14. & cap. Nullus 17. de Jure-* 26
patronatus. Juspatronatus donatio, si fiat de Laico in Laicum, seu in Clericum nomine proprio, & non nomine Ecclesiæ, seu Dignitatis, quam obtinet, requirit necessario Episcopi consensum, *arg. cap. Si Laicus unic. de Jurepatron. in 6.* a sensu contrario, & tenent Abbas *in cap. illud 8. de Jurepatronatus num.5.* Barbosa *ibid. num.2. & part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat.71. num.23.23.* Pirhing *loc.cit. num.61.* 27
& alii communiter. Si autem donatio per Patronum etiam Laicum fiat Ecclesiæ, Monasterio, aut alteri loco pio, seu etiam Clerico nomine Ecclesiæ, vel Dignitatis, quam obtinet, Episcopi consensus non requiritur; *Communis* textu expresso *in cap. Illud 8. de jurepatronat. & cap. Si Laicus unic.* 28
eod. in 6. Si vero donatio fiat ab Ecclesia alteri Ecclesiæ, requiritur dictus Episcopi consensus, quia sine illo Ecclesia alienari non potest, *capit. Sine exceptione 52. caus. 12. quæst.2.* 29
Barbosa *cit. allegat.61. num. 27.* & alii. Et si talis donatio ab Ecclesia fiat Laico, requiritur Beneplacitum Apostolicum; Rota *part.2. decis.146. num. 6. & part.5. tom. 1. decis. 191. num.3. arg. Extravagant. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non*

30 *alienand.* Consensus Episcopi necessarius non est in donatione, qua unus Patronus alteri Patrono socio, seu Compatrono jus suum donat, remittit, seu renunciat; Rota *part.* 1. *recent. decis.*707. *num.*4. *part.*5. *tom.*1. *decis.* 191. *num.*5. *& decis.*225. *num.*9. *part.*7. *decis.*101, *num.*5. *part.*10. *dec.*238. *num.*1. Barbosa *cit.alleg.* 71. *num.* 28. cum plurimis aliis ibi citatis. Reiffenstuel *lib.*3. *decretal. tit.*38. *num.* 26. ubi dicit esse communem, *arg.Clement. Plures* 2. *De Jurepatronatus*, 31 *& ibi* Glossa *verb. Libere*. Non potest tamen sine consensu Episcopi tale juspatronatus donari Filio Compatroni, quia Filius in vita Patris, qui est Patronus, non reputatur Compatronus; Card. Pereira *de resolut. Emphyt. cap.* 6. *num.* 3. *& de potest.eligend. cap.*1. *num.*24. Barbosa *cit.alleg.*71. *num.*29. & alii.

32 Consensus Episcopi licet requiratur in donatione particulari, non requiritur tamen in donatione universali omnium bonorum; Rota *part.*6. *recent. decis.*207. *num.*12. *& sequent.* Annotat. *ad decis.*46. *a num.*121. *usque ad num.* 123. *usque ad* 33 *num.*125. *part.*9. *tom.*1. *& decis.*73. *num.* 30. *part.* 11. Imo Juspatronatus venit sub generali donatione omnium bonorum, Jurium, & Actionum; Rota *part.*19. *tom.*1. *dec.*181. *num.*3. Etiamsi juspatronatus non fuerit expressum; Rota *part.* 19. *tom.*2. *decis.*515. *num.*2. & neque in hoc casu requiritur consensus Episcopi; Rota *part.*19. *tom.*1. *decis.*181. *num.* 5. *& ead. part.* 19. *tom.*2. *decis.*615. *num.*2.

34 Consensus Episcopi, ubi requiritur in translatione juris-patronatus, debet esse expressus, nisi scienter translatio fuerit admissa ab ipso Episcopo; Barbosa *cit.allegat.*71. *numer.*15. 35 & alii passim. Ubi requiritur consensus Episcopi, ut in donatione particulari, si fiat sine ipso, donatio non valet; Rota *part.*1. *recent. decis.*311. *num.*1. *& decis.*576. *num.*1. *part.*2. *decis.*257. *num.*1. *& decis.*337. *num.*4. *part.*3. *decis.*555. *n.*1. *& decis.*606. *num.* 2. & sæpe alibi. Et talis juris-patronatus donatio absque consensu Episcopi facta, est taliter penitus irrita, ut donans possit præsentare non obstante donatione a se facta, imo potest talis Patronus cum consensu Ordinarii alteri donare; Annotat. *ad decis.*46. *a num.*56. *usque ad* 64. 36 *part.*9. *tom.*1. Neque ad hunc effectum sufficit consensus Vicarii Generalis absque speciali mandato, Rota *part.*1. *recent. decis.*302. *num.*3. *part.*2. *decis.*257. *num.*1. *& decis.*337. *n.*5. *part.*8. *decis.*224. *num.*9. *&* 10. *decis.* 228. *num.*2. & sæpe alibi; Etiamsi Episcopus fuerit absens; Rota *part.*2. *dec.*337. 37 *num.*5. Consensus in translatione juris-patronatus debet esse Episcopi illius Diœcesis, in qua sita est Ecclesia; *cap. Cura pastoralis* 11. *de jurepatronat.* Barbosa *cit.allegat.*71. *num.*17. 38 & alii passim. Consensus, seu confirmatio Episcopi non debet necessario intervenire in ipso actu donationis; Rota *part.*17. *decis.*80. *num.*3. sed etiam postea, & quandocumque supervenire potest etiam post donationem; Rota *part.* 3. *decis.*606. *num.*3. *part.*5. *tom.* 1. *decis.*191. *numer.* 7. *part.*11. *decis.*73. *num.*32. *& part.*17. *cit. decis.*80. *num.*2. Quinimmo supervenire potest etiam post obitum ipsius donatoris in præjudicium ejus hæredis, & habentium causam ab eo; Rota *part.*9. *tom.*2. *decis.*430. *num.*9. Quando nempe nullus adsit, cui fuerit interea Jus quæsitum; Rota *part.* 11. *decis.* 130. *num.*18. Ita ut res sit integra, neque agatur de præjudicio alterius, quam ipsius donantis, ejusque hæredum; Rota *p.*11. *decis.*372. *num.*26. Et sic Doctores communiter.

39 Donatio particularis juris-patronatus facta Laico sine consensu seu confirmatione Ordinarii est revocabilis, cum facta sine ejus consensu, seu confirmatione non valeat, ex quo nequeant Laici præsumptione propria disponere de eo, quod est Ecclesiastici juris, ad textus apertos *in c. Illud* 8. *c. Nullus Laicus* 17. *& cap. Suggestum* 20. *de jurepatronatus*; Rota *part.*1. *recent. decis.*311. *num.*1. *& decis.*576. *num.*1. *part.*2. *decis.*257. *num.*1. *& decis.*337. *num.*4. *part.*3. *decis.*606. *n.*2. *part.*9. *tom.*2. *decis.*430. *num.*2. *part.* 19. *tom.* 2. *decis.* 630. *num.*8. & novissime *in Bononien. Parochialis* 8. *Februar.*1706. §. *Nullitas enim*, *coram Scoto*, Lambertin. *de jurepatronat. lib.*1. *part.*2. *quæst.*6. *art.*4. *num.*2. Pitonius *de controversiis Patronorum tom.* 1. *alleg.* 40. *num.* 3. *&* 22. & alii passim. Hinc talis donator potest cum consensu Ordinarii alteri donare; *Annotat. ad decis.*45. *a numer.*56. *usque ad* 64. *part.* 9. *tom.*1. & communis Doctorum.

40 Est tamen valida, & irrevocabilis in præjudicium donantis talis particularis juris-patronatus donatio sine consensu, seu confirmatione Ordinarii, si facta sit cum juramento, promissione, & pacto expresso de eam non revocando; Rota *p.*17. *recent. decis.*80. *num.*5. *& in Lunen. Sarzanen. Beneficiorum* apud Bertachin. *Voto decis.* 47. *num.* 14. *&* 39. *& in Compostellana Parochialis* 25. *Junii* 1696. §. *Quandoquidem*, *&* 28. *Junii* 1697. §. *Non revelante*, *coram Priolo*, & pluribus adductis Pignatell. *tom.*6. *consult.* 97. *n.* 12. 15. *& seq.* & judicatum fuit per Judices commissarios in voto impresso apud Saminiat. *controv.*196. *num.*42. *& seq. tom.* 2. Et Rota Maceraten. *in una Maceraten. Beneficii* 1. *Junii* 1711. §. *In nihilo* §. *Quare*, *&* §. *Sic etiam*, *coram Tomano*, *loc.cit. num.* 11. *&* 22. ubi addit se ita judicari vidisse *in Sulmonen. seu Valven. Capellaniæ* per sententiam A.C. Cencii latam sub die 2. Octobris 1714. Et ratio est, quia licet talis donatio sit de sua natura revocabilis ante consensum, seu confirmationem Ordinarii ex dictis *num. antecedenti*, attamen per juramentum de eam non revocando evadit firma, & irrevocabilis in præjudicium ipsius donantis, cum in tali casu res non sit amplius integra, nec sit locus pœnitentiæ; Seraphin. *de jurament. privileg.*139. Cyriac. *controvers.*322. *num.*33. Pignatell. *l. c. num.*12. & sic alia præsentatio donantis contra suum juramentum non potest admitti per Ordinarium, ne fiat particeps ejus delicti confovendo ipsius perjurium; Rota *part.* 17. *recent. dec.*80. *a n.*5. Merlin. *decis.*443. *num.* 4. *& seq.* Gutierez *de juramento confirm. part.*3. *cap.* 14. Sperell. *decis.* 180. *num.*1. *&* 16. *usque ad.* 21. Rota Macerat. *in una Maceraten. Beneficii* 1. *Junii* 1711. §. *Quare cum donatio*, *coram Tomano*, impressa apud Pitonium *loc.cit.* Abhorrent enim Sacri Canones confoveri perjurium, *cap. Si vero* 8. *de jurejurando*, ibi: *Nec Nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne Auctores perjurii videamur*, & concordant *cap. Verum* 15. *& cap. Mulieri* 38. *cod. tit. de jurejurando*, ac etiam jus Cæsareum *in leg. Si minori* 1. *Cod. Si adversus venditionem*, *& leg. Ambiguitates* 2. *Cod. Si adversus venditionem*, *& leg. Ambiguitates* 2. *Cod. de indicta vinditate*. Unde ante consensum Ordinarii talis donatio in præjudicium donantis habet implicitum statum validitatis, usquequo superveniat confirmatio Episcopi; Rota Macerat. *in cit. Maceraten. Beneficii* 1. *Junii* 1711. §. *In nihilo*, impressa apud Piton. *loc.cit.* Saminiat. *controvers.*196. & alii passim.

Neque a tali juramento potest ab Ordinario absolvi dictus 41 Donator, Donatario, seu parte non citata, cum absolutio sit in præjudicium tertii; Gales *de obligat. Cum quæst.* 25. *num.*3. & ibi Zacch. *num.*11. Cyriac. *controvers.*7. *num.* 14. Altimar. *de nullit. rubric.*12. *num.* 92. Scop. ad Gratian. *dec.* 165. *num.*3. Rota Macerat. *in dict. Maceraten. Beneficii* §. *Nec ad præservandum*, *coram Tomano*; Sperell. *decis.* 180. *n.*60. ubi pluribus citatis testatur sic de stylo servari.

Post consensum, seu confirmationem Ordinarii talis juris- 42 patronatus donatio est irrevocabilis, etiamsi non fuerit jurata; Rota *part.*7. *recent. decis.* 36. *num.* 5. *& seq.* Pitonius *cit.allegat.*40. *num.* 22. ubi testatur, quod sic solet regulariter concludi, & sic tenent Doctores communiter. Et ratio est, quia per confirmationem, seu decretum Ordinarii evadit donatio inter vivos; Rota *part.*19. *recent. decis.*355. *num.*15. quæ ex sola pœnitentia donatoris revocari non permittitur, per text. *in leg. Possessionem* 3. *Cod. de revocandis donationibus*, cum donatio inter vivos irrevocabilis, & immutabilis sit, *leg. Perfecta* 4. *Cod. de donationibus, quæ sub modo*, & §. *Aliæ autem* 2. *institut. de donationibus*, cum similibus; Rota *cit. decis.*355. *num.*9.

Tertio modo juspatronatus transit de uno in alium per *per-* 43 *mutationem*; Glossa communiter recepta *in cap. Piæ mentis* 26. *causs.*16. *quæst.*7. *& in cap. Cum seculum* 13. *de Jurepatronatus*; & est textus *in cap. Nemini* 40. *caus.*16. *quæst.*7. Et quidem licite, & valide, saltem accessorie, & per accidens 44 petmutari potest etiam pro rebus temporalibus, si nempe universitas bonorum, vel alia res temporalis, ut Villa, Castrum, & hujusmodi, cui Juspatronatus est inseparabiliter annexum, permutatur cum aliis bonis temporalibus, dummodo hoc in æstimationem non veniat ita ut ratione illius in permutatione res temporalis pretiosior, quam alia commutanda exigatur, & detur. Et talis permutatio potest fieri 45 etiam sine consensu Episcopi; Contractus enim celebratur de solis temporalibus (ad quem contractum utique non requiritur consensus Episcopi, ut de se patet) cum quibus Juspatronatus, ut inseparabiliter annexum accessorie transit, Regula autem est, quod Juspatronatus transeat cum re, cui est inseparabiliter annexum, etiam absque consensu Episcopi, *arg. cap. Ex litteris* 7. *de Jurepatronatus*. & notant, & tenent ibi Abbas *num.*1. Innocent. *num.* 2. Barbosa *numer.* 3. Fagnan. *num.*3. & alii communiter. Nullatenus tamen neque; 46 cum

cum consensu Episcopi potest permutari Juspatronatus de per se, & solitarie sumptum pro re temporali; *Communis*, textu expresso *in cap. Quæsitum* 5. *de rerum permutatione*, addita ratione: *Quia circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem continet semper Simoniæ*, *& in cap. Exhibita* 9. *cod.* ibi: *Cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur*. Juspatronatus autem est annexum spirituali, textu expresso *in c. De Jure* 16. *de Jurepatronatus*, ibi: *Juspatronatus, quod est spirituali annexum*.

47 Juspatronatus permutari potest cum alio Jurepatronatu, 48 aut alia re spirituali; *Comm*, *arg. cit. c. Quæsitum* 5. *de rerum permut. & cit. cap. Nemini* 40. *caus.* 16. *quæst.* 7. Talis autem permutatio nequit fieri sine consensu Episcopi; quia spirituallium permutatio in materia Beneficiaria requirit Episcopi consensum, seu auctoritatem; *arg. cit. c. Quæsitum* 5. *de rerum permut.* Reiffenstuel *lib.* 3. *Decret. tit.* 36. *num.* 28. Pirhing *ibid. num.*79. Zoesius *ibid. num.* 25. Silvester *verb. Juspatronatus quæst.*5. & alii; Barbosa tamen *de Offic. & potest.* 49 *Episcop. part.*3. *alleg.*71. *num.* 31. cum aliis ibi citatis dicit, quod consensus Episcopi solum requiritur, si *permutatione* Juspatronatus transferatur in Laicum; Secus vero si transfe- 50 ratur in Ecclesiam, aut in Clericum nomine Ecclesiæ. Episcopi consensus pro tali permutatione requisitus non debet necessario intervenire in ipso actu permutationis, sed etiam postea, & quandocumque intervenire potest; etiam post permutationem; imo etiam post obitum permutantis; Barbosa *l. cit. num.* 32. cum aliis ibi citatis, & faciunt proportionaliter decisiones Rotæ, pro donatione adductæ *supra sub num.* 38.

Quarto modo Juspatronatus transit, seu transfertur de uno 51 in alium per *venditionem*; Glossa communiter recepta *in cap. Piæ mentis* 26. *caus.*16. *quæst.* 7. *& in cap. Cum seculum* 13. *de Jurepatronat.* & est textus *in dict. cap. Cum seculum*. Hoc 52 tamen non debet intelligi, quod juspatronatus per se, ac solitarie sumptum possit vendi, quia sic sumptum, nec licite, nec valide vendi potest, ut tenet communissima Doctorum, textu expresso *in cap. de jure* 16. *de jurepatronatus*. addita ibi ratione: *Cum inconveniens sit vendi juspatronatus, quod est spirituali annexum*. Imo vendens Juspatronatus sic sump- 53 tum, si sit persona singularis, subjacet Excommunicationi; Si vero sit aliqua Communitas, seu Universitas, subjacet Interdicto; Concil. Trid. *sess*25. *de reformat. cap.*9. Et tam 54 vendens, quam emens, etiamsi intervenerit consensus Episcopi, ipso facto privati existunt tali Jurepatronatus, *arg. cap. Quia Clerici* 6. *de Jurepatronatus*, & expresse Concil. Trid. *loc.cit.* ibi: *Si secus fecerint*, *Excommunicationis*, *& Interdicti poenis subjiciantur*, *& dicto Jurepatronatus ipso Jure privati existant*; Annot. *ad decis.*46. *Rotæ recent. num.* 3. *& seq. part.*9. *tom.*1. Barbosa *in cit. cap. Quia Clerici num.*2. *& in Trid. loc.cit.num.*81. *& de Offic. & potest. Episcop. part.*3. *allegat.*71. *num.*35. *& communis aliorum*. Nec talis venditor 55 potest retinere pretium acceptum, ne ex iniquitate sua commodum reportet; *arg. cap. Intelleximus* 7. *de Judiciis*, ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*. Sed teneretur illud restituere, non quidem Emptori, utpote qui mala fide contra Sacros Canones emit; *arg. c. De hoc* 11. *de Simonia*, *& leg. Fundum*, *Cod. de Evict.* sed Ecclesiæ, cui per Simoniam injuria fuit illata; Abbas *in cap. de jure* 16. *de Jurepatronat. num.*3. Barbosa *ibid. num.*5. Lambertin. *de jurepatronat. lib.*1. *part.*2. *quæst.*5. *art.*6. Vivian. *in praxi juris-patronat. lib.*4. *cap.*5. *num.*9. & alii.

56 Quando vendens ratione illicitæ, & invalidæ venditionis privatur Jurepatronatus, tunc Ecclesia patronata remanet libera, si unus tantum est Patronus, vel plures quidem, sed omnes pro tali venditione delinquentes; *Annot. ad dec.* 46. *num.* 7. *part.*9. *Rotæ recent. tom.*1. Barbosa *Collectan. in cap. Quia Clerici* 6. *de Jurepatronat. num.*2. *& in Trid. sess.*25. *de reform. cap.* 9. *num.* 81. cum pluribus ibi citatis. Si autem 57 plures sint Patroni, & unus solus, vel alter delinquat, tunc Beneficium non remanet liberum, maxime si sit hæreditarium, sed juspatronatus competit aliis Compatronis innocentibus, *cit. Annot. ad dict. decis.*46. *num.* 9. Cantera *in suis quæst. crimin. cap.* 1. *num.* 50. Socinus junior *consil.* 51. *num.* 6. *vol.* 2. Peregrin. *de jure Fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.*72. Bajard. *ad Clar. lib.* 5. *quæst.* 79. *num.* 26. Sanchez *in præcepta Decalogi lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 17. Barbosa *in Conc. Trid. loc. cit. num.*81. Reiffenst. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 38. *num.* 29. & alii.

58 Secus vero, si virtute, seu vigore fundationis ad aliquem devolveretur; siquidem tunc vendente tantum condemnato, si vacaret, pro ejus parte Ordinarius conferret; *cit. Annot ad decis.* 46. *num.* 10. & supradicti Doctores.

Juspatronatus, quamvis nequeat vendi de per se principaliter, ac solitarie sumptum; potest tamen vendi per accidens, seu accessorie, uti si vendatur universitas bonorum, cui inseparabiliter est annexum Juspatronatus; dummodo ratione illius non augeatur pretium; *Communis*, *arg. cap. Et litteris* 7. *& cap. Cum seculum* 13. *De Jurepatronat.* Neque hoc casu requiritur consensus Episcopi; Rota *part.* 7. *recent. dec.* 206. *num.* 28. *part.* 14. *dec.* 536. *n.* 183, *& Communis Doctorum*. Secus autem quando translatio fit rerum particularium, & signanter Juris-patronatus; tunc enim, non attenta tituli universitate, requiritur consensus Ordinarii; Rota *part.* 14. *dec.* 536. *num.* 184. Juspatronatus accessorie, seu 61 per accidens potest transferri in alium, non solum per venditionem universitatis bonorum, sed etiam per venditionem rei particularis, cui inseparabiliter sit annexum; dummodo ratione illius pretium non augeatur; Barbosa *Collectan. in cap. Ex litteris* 7. *de Jurepatr. num.* 2. ubi dicit hoc clarè colligi ex textu dicti *cap. Ex litteris*, Cardin. *in cap. Cum seculum* 13. *de Jurepatr. qu.* 5. Reiffenst. *loc. cit. numer.* 31. ubi dicit hanc opinionem esse veriorem, & Juri conformiorem, & in hanc inclinant etiam multi alii. Si enim Fundator 62 dicat „ Statuo, *seu* volo, quod juspatronatus semper inse„ parabiliter annexum sit huic Palatio, huic Domui, huic „ Fundo, huic Agro, & hujusmodi, ita ut in quemque tran„ sierit hoc Palatium, hæc Domus, hic Fundus, hic Ager, „ & hujusmodi, transeat etiam inseparabiliter juspatrona„ tus: „ videtur clarum, quod per venditionem, & translationem talis Palatii, talis Domus, talis fundi, talis agri, & hujusmodi, transferatur, & vendatur accessorie, & per accidens etiam ipsum juspatronatus inseparabiliter ipsi Palatio, Domui &c. a Fundatore annexum; quia, cum possit Fundator in limine fundationis apponere conditiones, & pacta sibi benevisa, etiamsi Juri communi sint contraria, dummodo accedat Episcopi consensus, ut tenet Rota *part.* 1. *recent. dec.* 530. *num.* 2. *Communis Canonistarum*, ideo ejus voluntas est servanda; Rota *par.* 2. *recent. decis.* 254. *num.* 2. aliter esset inutilis, & ridicula ejus facultas sic disponendi, & apponendi quascumque conditiones, & quæcumque pacta sibi benevisa, si non deberet ejus servari voluntas sic disponens; Tum quia jura, & rationes æque militant de tali re particulari, ac de universitate bonorum, ut consideranti patet; Et regula universalis, & illimitata ab ipsis etiam adversariis alibi illimitate sæpe posita, est, quod juspatronatus transeat cum re, cui est inseparabiliter annexum; *arg. cit. cap. Ex litteris* 7. *De jurepatr.* & universaliter accessorium sequatur naturam principalis; *cap. Accessorium* 42. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Accessorium naturam sequi congrui principalis*. Nec in- 63 tervenit Simonia, dum venditur res, in qua inest juspatronatus, sed illa res, cui inest, ut docet S. Th. 2. 2. *quæst.*106. *art.* 4. Abbas, & Bero *in cap. De jure* 16. *de jurepatr.* & alii plures, & *Annotatio ad decis.* 46. *Rotæ part.* 9. *tom.* 1. *num.* 15.

Plurimi tamen, & maximi Doctores, ut Innocent. *in* 64 *cap. Ex litteris* 7. *de Jurepatr. num.*3. *ibid.* Jo: Andr. *num.* 3. Hostiensis *num.* 7. Abbas *num.* 14. Fagnan. *num.* 19. Roch. de Curre *in tract. de Jurepatr. in verb. Ipse velis q.* 20. Lambertin. *in cod. tract. part.* 2. *lib.* 1. *quæst.* 5. *art.*17. & plures alii citati a Covarr. *lib.* 1. *Variarum resol. cap.*13. *n.*3. conclusionem limitant, dicendo, quod Juspatronatus transeat quidem cum re particulari, cui est inseparabiliter annexum, si vendatur res particularis continens Jura universitatis, cujusmodi secundum ipsos sunt Civitas, Castrum, Oppidum, Pagus, Villa, aut fundus, cui jura universitatis, aut jurisdictio, Servitutes, Onera, Actiones, & hujusmodi, sunt annexa, non sic autem, si vendatur res particularis talia jura universitatis non continens.

Juspatronatus annexum Castro, Villæ, & hujusmodi rei 65 datæ in dotem, transit cum ipsa dote in Maritum, itaut, stante Matrimonio, jus præsentandi competat Marito, & non Uxori; Garzias *de Beneficiis part.*5. *cap.* 9. *num.* 147. *& seq.* Menochius *consil.* 66. *num.* 27. Mantica *dec.*140. *num.* 2. *&* 13. Barbosa *in cit. cap. Ex litteris* 7. *de Jurepatr. num.* 3. *& de Offic. & potest. Episcop. part.*3. *allegat.*71. *num.*38. cum plurimis ibi citatis, & fere communi aliorum contra Abbatem, & Azorium. Et ratio est, quia Juspatronatus transit cum re in illum, qui eam cum dominio directo, vel saltem utili, acquirit; ut *arg. cap. Ex litteris* 7. *de Jurepatr.* & *cap.*

Cum Bertoldus 18. *de sententia, & re judicata*, tenet ex communi Fagnan. *in cit. cap. Ex litteris num.* 15. Sed maritus, durante Matrimonio, habet dominium saltem utile dotis; *leg. Dote ancillam C. De rei vendicat. cap. Per vestras 7. de donat. inter Vir, & Uxorem, & cap. Salubriter* 16. *de Usuris* ergo &c.

66 Iuspatronatus annexum inseparabiliter Castro, Oppido, Pago, Palatio, Prædio, & hujusmodi dato in Feudum, seu Emphyteusim, transit cum ipso in Feudatarium, seu Emphyteutam; *Communis, argum. cap. Cum sæculum* 13. *de Jurepatronatus*, & ibi Glossa verb. *Emptorum*; & ad hoc facit

67 ratio allata *supra num.*58. Secus autem, si tale Castrum, Oppidum, Palatium, Prædium, & hujusmodi, detur solum pro Pignore, aut Hypotheca, quia tunc Iuspatronatus non transit cum ipso Castro, Oppido, & hujusmodi in Creditorem habentem Pignus, aut Hypothecam, sed remanet apud Debitorem, ita ut eveniente tali tempore vacantia Beneficii patronati, Jus præsentandi competat Debitori, non Creditori, *arg. cap. Cum Bertoldus* 18. *De sententia, & re judicata*, & tenet *Communi. Doctorum* cum Fagnan. *in cit. cap. Ex litteris 7. de Jurepatronatus num.*16. Et ratio est, quia ad hoc, ut transeat Iuspatronatus cum aliqua re, requiritur omnino, quod ipsa res transeat quoad dominium directum, vel saltem utile, & non sufficit quod transeat solum quoad civilem, vel naturalem nudam possessionem, ut *arg. cit cap. Ex litteris 7. de Jurepatr.* & *cit. cap. Cum Bertoldus* 18. *de sentent. & re judicata*, docet ex communi Fagnan. *in dict. cap. Ex litteris num.* 15. In Creditorem autem habentem Pignus non transit dominium Pignoris, nec directum, nec utile, sed nuda ipsius possessio (nisi aliter conventum fuerit) & tenetur Creditor fructus perceptos restituere, vel in sortem computare, & peccat utendo; *cap. Cum contra 6. de Pignorib. c. Plures 1. de Usuris, & leg. Sed an via, ff. De pignoribus, & leg. Creditor. ff. de furt.* adeoque Iuspatronatus, nec accessorie transit cum Pignore, seu Hypotheca.

68 Iuspatronatus annexum rei concessæ ad firmam, seu locatæ ad longum tempus, v. g. saltem ad decennium transit ad Conductorum, itaut eveniente vacatione Beneficii tempore locationis, & conductionis, Ius præsentandi spectet ad Conductorem, & non ad Locantem; *Communis* cum Abbate *in cit. capt Ex litteris 7. de Jurepatronatus num.*5. Barbosa *ibid. n.*4. Pirhing. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 38. *num.* 76. *arg. citat. c. Ex. litteris 7. de jurepatronat. & cap. Vestra 2. De Locato, & Conducto*. Et ratio est, quia per talem concessionem ad firmam, seu locationem ad longum tempus transit possessio, & omnis utilitas rei locatæ in Conductorem, & consequenter etiam Iuspatronatus, seu ratio præsentandi, quæ est quædam

69 commoditas, & veluti fructus juspatronatus. Insuper secundum Barbosam *in cit. cap. Ex litteris 7. de jurepatronat. n.* 4. Glossam, & alios ibi citatos juspatronatus transit etiam in Conductorem cum re locata, & conducta ad modicum, seu breve tempus, quia etiam per locationem ad modicum, seu, breve tempus transit commoditas rei locatæ in Conductorem itaut illi liceat uti, & frui re conducta, ut habetur *in leg. Ex conducto 16. ff. Locati*. Ideoque videtur etiam transire in ipsum jus præsentandi, seu ipsam præsentationem, quæ est quædam commoditas, vel quidam fructus juris patronatus, juxta doctrinam Glossæ receptæ *in cap. Cum olim* 14. *de majorit. & obedient. verb. Capitulo*. & Glosa ultim. *in c. Cum Bertoldus* 18. *de sentent. & re judicata*.

70 At vero licet hæc sententia sit probabilis, ut etiam censet Abbas *in cit. cap. Ex litteris 7. de jurepatron. num.* 5. & alii; tamen, ut fatetur ipsemet Barbosa *loc. cit. num.* 4. *in fine*, receptior est, & melioribus nititur fundamentis sententia contraria, scilicet, quod juspatronatus non transeat ad Conductorem cum re locata, & conducta ad modicum, & breve tempus, sed maneat penes Locantem, quia tunc non transfertur utile dominium, nec possessio, sed nuda detentio rei, & jus percipiendi fructus, & notatur *in leg. Si certum, §. Si duobus, ff. Commodat. & in leg.* 3. §. *Ex contrario, ff. de acquirend. possess.* cum colonus conductus ad modicum, & breve tempus, non suo, sed Domini Locantis nomine, possideat rem locatam, *leg.* 2. *de præscript.* 30. *vel* 40. *annot.* Abbas *in cit. cap. Ex litteris num.* 5. Fagnan. *ibid num.* 14. Bero *ibid. num.*2. Cardin. *in Clementin.* 1. §. *Verum in 2. q. de rebus Eccles. non alienand.* Azorius *part.* 2. *lib.* 6. *cap.*20. *q.*11. Pirhing. *lib.* 3. *Decretal. tit.*38. *num.* 75. & alii plures citati a Barbosa *loc. cit. n.* 4. *in principio*.

71 Iuspatronatus amittitur, & penitus extinguitur variis modis, sive causis. *Primo*, juspatronatus cessat, & omnino ammittitur, si Ecclesia patronata sine spe reædificationis totaliter destruatur, vel redditus omnino deficiant, & pereant; *Communis arg. §. final. Instit. de Usufructu*. Rei enim non existentis, nullæ sunt qualitates; *cap. Ad dissolvendum* 13. *de desponsat. impuber. leg. Si non obtulit* 4. §. *Condemnatum ff. de re judicata*. *Secundo* quando causa, propter quam quis 72
erat Patronus, perempta est; Lambertin. *de Iurepatronat. lib.*3. *q.*7. *art.*1. Barbosa *lib.*3. *juris Ecclesiastic. universs. c.*12. *num.*254. & alii passim. *Tertio* deficiente, & penitus extin- 73
cta linea vocatorum ad tale Iuspatronatus; tunc enim Ecclesia, seu Beneficium libertatem consequitur, & libere ab Ordinario confertur; Barbos. *loc. cit. numer.*254. Pirhing. *lib.*3. *Decretal. titul.*38. *n.* 138. Reiffenst. *ibid. n.*125. Engel. *ibid. num.* 26. & alii communiter. *Quarto* per non usum longis- 74
simi vel longi temporis ad præscriptionem requisiti, si videlicet interea duabus saltem vicibus Rector Ecclesiæ fuerit absque præsentatione institutus, dummodo tamen *Patronus* non fuerit legitime impeditus; Abbas *consil.*106. *col. penult. lib.*2. Barbosa *loc. cit.* Pirhing. *loc. cit.* Reiffenst. *loc. cit.* & *Communis aliorum*. *Quinto*, si Patronatus patiatur Ecclesiam 75
patronatum erigi in Collegiatam, seu Monasterium, quia in his præsentatio aliqua locum non habet, sed electio; *cap. Nolis* 25. *de Jurepatronat.* & sic tenet *Communis* cum supracitatis. *Sexto* si Ecclesia patronata cum consensu Patroni al- 76
teri Ecclesiæ, vel Monasterio sine reservatione *Juris patronatus* uniatur, vel incorporetur, quia per talem unionem, seu incorporationem censetur Ecclesia extincta, consequenter etiam Iuspatronatus in illa competens Patrono; Pirhing. *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. c it.* Zoesius *tit. de Jurepatronat. n.* 68. Joan. Andr. *in cap.* 2. *de Religiosis Domibus*, & alii. *Septimo* extinguitur per liberam remissionem *Patroni*; quilibet 77
enim renuntiare potest Iuri suo; *cap. Si diligenti* 12. *de foro competent. & cap. Si de terra 6. de privileg.* & tenent Zoesius *loc. cit.* & alii; *arg. cap. Si Laicus unic De Iurepatronat. in 6.*

Octavo. Si Patronus Rectorem, vel alium Clericum ip- 78
sius Ecclesiæ per se, vel per alios occiderit, aut mutilaverit, eo ipso Juspatronatus amittit, textu expresso *in cap. In quibusdam* 12. §. *Sacris, De pœnis*. Nisi tamen id faceret ad sui necessariam defensionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et tale Juspatronatus ob hanc delicti causam extinctum non transit ad hæredes, sed Ecclesia sit libera. Glossa *in cit. cap. In quibusdam. verb. Prorsus amittant*, Barbosa *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Reiffenstuel *loc. cit.* Vivian. *in praxi Juris patronat. lib.*15. *cap.*2. *num.*10. & alii. 79
Nono, si Patronus fiat Hæreticus, Schismaticus, aut Apostata, seu Hæreticorum receptator, Fautor, & Defensor, quia in tali casu bonis omnibus spoliatur, & consequenter etiam Jurepatronatus eis annexo; *arg. cap. Absolutos* 16. *de Hæreticis*, Moneta *de Commut. ult. volunt. cap.*11. *num.*158. Vivian. *loc. cit. lib.*15. *cap.*2. *num.*6. Barbosa *loc. cit.* Engel *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* Reiffenst. *loc. cit. Decimo*, si Patronus se ingerat in perceptione fructuum Beneficii patronati, aut ejus bona usurpet, in tali enim casu ipso facto privatur Jurepatronatus, & incurrit excommunicationem reservatam, textu expresso *in Concil. Trid. sess.*22. *de reform. cap.*11. Vivian. *loc. cit. lib.*15. *cap.*2. *num.*13. Franciscus Leo *in Thesauro Fori Ecclesiastici part.*2. *cap.*21. *num.* 32. Barbosa *loc.* 80
cit. Reiffenstuel *loc. cit.* & alii. *Undecimo*, si Patronus modo a Sacris Canonibus prohibito vendat, aut alio modo in alium transferat Juspatronatus, quia in tali casu ipso facto privatur Jurepatronatus, & excommunicationi subiicitur, textu expresso *in Concil. Trid. sess.* 25. *de reform. cap.* 9. §. *Nec dict.* 81
Juspatronatus, Engel *loc. cit.* Reiffenst. *loc. cit.* & alii. *Duodecimo*, Jurepatronatus privandus est, qui illud simoniacè acquisivit; *arg. cap. Quia Clerici 6. De jurepatronatus*, Zoesius *loc. cit.* Pirhing. *loc. cit.* Reiffenst. *loc. cit.* & alii. *Ter-* 82
tiodecimo, si Patronus ingratus sit Ecclesiæ, perdit Juspatronatus. Vivian. *loc. cit. lib.*15. *cap.* 2 *num.*4. Barbosa *loc. cit.* Surd. *de aliment. tit.*7. *quæst.*32 *num.*9. *& 19. & qu.* 58. *num.* 2., & alii.

Novæ additiones ex aliena manu.

Differit hoc in articulo *Auctor* de modis derivatis, quibus acquiritur Iuspatronatus, tum de modis, quibus amittitur.

Agens *Auctor* de successione, qui est unus de modis de- 1
rivatis

rivatis, asserit *num.*7. plures hæredes pro inequalibus partibus institutos æqualiter in Iuspatronatus succedere. At si intelligit de exercitio Iurispatronatus, res haud caret difficultate; dum illud juxta hæreditarias partes dividatur. Confer *Galiard. de Iurepatron. cap.*10. *num.*4.

2 Quod inquit *Auctor num.*9. conventiones, in quibus jus præsentandi per turnum dividitur, opus haud habere consensu Ordinarii, accuratiori indiget discussione. Porro si conventio hæc sit inita inter eos, quorum aliquis nullam prorsus partem Iurispatronatus habeat, necessarius ad eius validitatem est consensus Ordinarii, isque non ratione juris præsentandi per turnum, sed alienationis in extraneum; *Rot. in Mediolanen. Juris patronatus 4. Junii* 1734. *coram bon. memor. Harrac.*

3 Quod si inita sit dicta conventio inter Patronos, sed sit inter eos aliquis, qui alienare quoquo modo prohibeatur, ut est Patronus Ecclesiasticus, opus est ad eius validitatem ratione dictæ prohibitionis confirmatione Pontificia; *Rot. in Paderbonen. Canonicatus* 25. *Junii* 1726. *cor. bon. mem. Cerr.*

4 Si inita sit dicta conventio inter Patronos, quorum nemo alienare prohibetur, sed Patronis in suo cuique turno adiectum sit onus præsentandi has vel illas Personas, ratione hujusce oneris ad illius validitatem accedere pariter debet Pontificia confirmatio; *Rot. in Valentina Beneficii 28. Junii* 1723. *cor. bon. mem. Gamach.*

5 At si dicta conventio inita sit inter Patronos, nec aliquis de ipsis alienare sit prohibitus, nec onus iis sit adiectum præsentandi aliquam de certo genere Personarum, subsistit sine ulla Ecclesiastici Superioris Auctoritate; *Rot. cor Dunozet. jun. dec.*702. *n.*1. *& in Compostellana Parochiali 22. Februarii* 1734. §. *Ubi, cor. Eminentiss. Crescentio*.

6 Utrum ad firmitatem dictæ conventionis requiratur consensus omnium Patronorum, an sufficit consensus maioris partis ipsorum, non incongrua hic quæstio est. Requiri consentum omnium Patronorum videntur affirmare *Piton. de controv. Patron. alleg.*100. *num.*318. *Rota in Pistorien. Beneficii 27. Martii* 1716. §. *Alia cor. bon. mem. Cerr.*

7 At ita intelligas, ut possit d. conventionem impugnare Patronus, qui non consensit, non item aliquis de Patronis, qui suum præstiterunt consensum, quibusque propterea vetitum esse debet factum proprium impugnare; *Rot. in Hydruntina Capellaniæ* 10. *Maji* 1679. §. *final. cor. bon. mem. dell'Olmo, & Bacrchionen. Beneficii 22. Februarii* 1704. §. *finali cor. bon. mem. Casarelli.*

8 Quænam requirantur, ut hæc conventio afficere possit ex persona propia vocatos ad juspatronatus, vide apud *Piton. de Controv. Patron. alleg.* 71 *num.*15.

9 Nec inutile est hic accuratius explicare, an & quando re non integra possit necne supervenire consensus Ordinarii, & validare actum, in quo fuit translatum juspatronatus. Plures vero distinguendi sunt casus. Enim vero ubi agitur de donatione simplici juris patronatus, inutilis est consensus Ordinarii superveniens re nondum integra; idque quia non obstante hujusmodi donatione liberum erat donanti ab ea resilire, & ad alios juspatronatus transferre; *Rot. in Pennen. Juris patronatus 2. Maji* 1733. §. 7. *& sequent.* & in confirmatoria 3. *Julii* 1744. §. 4. *coram clar. mem. Millin.*

10 Aliter se res habet quod donationem juris patronatus continentem pactum juratum de non revocando. Etenim quum hujusmodi donatio irrevocabilis maneat quoad donantem, etiam ante consensum Ordinarii; Inde fit, quod subsequentes translatio, utpote irrita ex defectu potestatis nullum præbere valeat impedimentum consentui Ordinarii, qui quandocumque supervenerit validat actum usque ab initio; *Rot. in Aquilana Beneficii 28. Junii* 1749. §. 3. *cor. Rever. P. D. Canilliac Decano, & in Compostellana Parochialis de Coiros 8. Maji* 1747 §. 7. *cor. Illustr. Clement.*

11 Quod in donatione juris patronatus continente pactum juratum de non revocando obtinet, id ex identitate rationis locum quoque sibi vindicat in dispositione ejusdem juris patronatus facta per legatum. Nam quum hæres nullatenus ex se impedire valeat, quominus adimpleatur voluntas Testatoris favore alterius de suo jurepatronatus disponentis; imo illam modis omnibus ad optatum finem perducere teneatur; Hinc est, quod si ipse hæres contra fas & jura voluntatem Defuncti eludat donando ante consensum Ordinarii juspatronatus, nullum ex hujusmodi irrita donatione oriri potest obstaculum supervenienti consensui Ordinarii, qui propterea indistincte retrotrahitur ad diem facti, & dispositionis in præjudicium cujuslibet actus interim gesti; *Rot. in Tuden. Parochialis de Theuton.* 20. *Junii* 1757. §. 13. & in confirmatoria 28. *Novembris* 1757. §. 12. *cor. R. P. D. Herreros*.

Articulus III.

Juspatronatus quoad ea, quæ concernunt ejus probationem.

CUm Beneficia præsumantur libera, alleganti Iuspatro- 1
natus incumbit onus illud probandi; Rota recent. *p.* 4. *tom.*2. *dec.*59. *num.*9. Alio autem modo probari debet juspa- 2
tronatus a personis suspectis de usurpatione, in quibus exactiores probationes requiruntur; Concil. Trid. *sess.*25. *de reform. cap.*9. Rota recent. *par.*4. *tom.*2. *dec.*59. *num.*11. Et alio modo a personis privatis, in quibus Concil. Tridentin. *loc. cit.* nihil innovavit circa hujusmodi probationem, sed illam reliquit in terminis Juris communis. Rota *part.*1. *dec.* 211. *num.*2. *& dec.*312. *num*2. *part.*5. *tom.*1. *dec.* 290. *num.* 10. *par.*12. *dec.*162. *num.*4. *part.*17. *dec.*220. *n.*11.

Personæ suspectæ de usurpatione Juris patronatus sunt om- 3
nes Domini Civitatum, Castrorum, aut Locorum, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Universitates, seu Communitates, & alii quilibet Domini perpetuam jurisdictionem habentes in loco Beneficii. Sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Gonzalez *ad Regul.*8. *Cancel. gloss.*18. *n.* 66. & sæpè sæpius tenuit Rota, & signanter *in Sorana Juris patronatus* 28. *Aprilis* 1603. *cor. Card. Pamphil., & in alia Iacen. Parochialis* 17. *Junii* 1603. *coram eodem, & in Lucana juris patronatus* 14. *Junii* 1621. *cor. Coccino, & part.*2. *rec. dec.* 412. *n.*4., *& decis.* 421. *num.*1. *p.*12 *dec.*187. *num.*1. *part.*14. *decis.*488. *num.*6. 7. & 8. Nec Jus- 4
patronatus præsumitur acquisitum ex usurpatione ex sola potentia acquirentium, nisi etiam probetur eorumdem temporalis jurisdictio in loco, ubi situm est Beneficium: Rota *part.*3. *recent. decis.*172. *num.*10. *& dec.*191. *num.*2. *part.*12 *decis.*187. *num.*1. & sæpe alibi. Ita ut jurisdictio, seu potentia 5
extra locum Beneficii non sufficiat; Rota *part.*5. *recent. t.*1. *dec.*197. *n.*37. *&* 38. Nisi potentia sit talis, quæ influat etiam in locum Beneficii: Rota *part.*7. *recent. decis.*282. *num.*22 *& sequent. part.*12. *decis.*90. *num.*26. Ceterum usurpatio non 6
præsumitur in personis privatis alicujus loci, quamvis sint potentes in alio: Rota *part.*12. *decis.*90. *num.*24. Immo, ut 7
usurpatio suspicari valeat de familia, requiritur, quod eadem familia sit in loco Beneficii cum tali jurisdictione, quæ incutiat formidinem Ordinario, eumque retrahat a vindicanda usurpatione Beneficii: Rota *part.*19. *tom.*2. *decis.*539. *num.*6 8
Neque ad hunc effectum potentia inducitur ex nobilitate, & antiquitate familiæ: Rota *part.*2. *decis.*90. *n.*21. *&* 22. 9

Juris patronatus usurpatio non solum præsumitur in Dominis temporalibus, & Familiis potentibus, ut supra, sed etiam in Universitatibus, seu Communitatibus; Concil. Trid. *cit. sess.*25. *de reform. cap.*9. ibi: *Seu Communitatibus, vel Universitatibus*; Rota *part.*5. *recent. tom.*1. *decis.*197. *n.*31. *&* 32 *& part.*17. *decis.*220. *num.*9 *part.*18. *tom.*2. *dec.*768. *num.*4. & sæpe alibi. Et hoc procedit etiam in Universitatibus, seu 10
Communitatibus parvis, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii relata, & fecuta a Rota *part.*5. *recent. tom.*2. *decis.* 477. *num.*14., & tenuit eadem Rota *coram Mantica decis.* 253. *num.*3. *& in Illerden. Beneficii* 11. *Martii* 1596. *coram Penia, & in Cremonen. Capellaniæ* 2. *Aprilis* 1601 *coram Coccino*, ac alias sæpe, & cum plurimis tenet Barbosa *lib.*3. *Juris Ecclesiastici universs. cap.*12. *numer.*144. *& part.*3. *de Offic. & potest. Episcop. allegat.*72. *numer.*62. *& in Trident. sess.* 25. *de reformat. cap.*9. *num.*50. Imo hoc itidem procedit in Univer- 11
sitatibus, seu Communitatibus parvis, quæ nullam jurisdictionem, seu imperium habent in loco Beneficii; Rota *part.*5. *tom.*2. *decis.*477. *num.*14. *part.*9. *tom.*1. *dec.* 345. *n.*6. *part.*11. *decis.*347. *num.*14. *part.*12. *decis.*279. *num.*3. & sic consuevit declarare Sacra Congregatio apud Rotam *part.* 5. *tom.*1. *decis.*197. *num.*36. & cum pluribus tenet Barbosa *cit. allegat.* 62. *num.*32. *& cit. cap.*12 *n.*144. *& sequent.* Etiamsi 12
essent Universitates, & Communitates paucorum Parochianorum: Rota *cit. part.*5. *tom.*1. *decis.*197. *num.*36. ubi citat varias alias Rotæ decisiones; Barbosa cum pluribus aliis, *cit. allegat.*72. *n.*32. *& cit. cap.* 12. *num.*144. *&* 145.

Cessat autem præsumptio usurpationis in Confraternitate, 13
seu Congregatione personarum, quæ nullam habent jurisdi-

dictio-

ctionem, aut publicam auctoritatem, aut potentiam; Rota *part. 5. tom. 1. decis. 290. num. 3. & 18. part. 9. tom. 2.*
14 *decis. 321. num. 10.* Item cessat præsumptio usurpationis, quando Juspatronatus spectat ad Præsidentes Confraternitatis, etiamsi ipsi eligantur a Communitate; Rota *ibidem num. 22.*
15 Barbosa *cit. allegat. 71. num. 64. & cit. cap. 12. num. 149.* Item Juspatronatus non præsumitur acquisitum ex usurpatione, si non totius Universitatis, sed illius partis esse pretendatur; Sic decisum fuisse *a Sacra Congregat. Concilii* referunt Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 18. num. 69.* Barbosa
16 *cit. allegat. 72. n. 64. & in Concil. Triden. cit. sess. 25. cap. 9. n. 51.* Item Juspatronatus non præsumitur ex usurpatione, quando una illius pars spectat ad Universitatem Parochianorum, & alia ad alias privatas personas; Rota *in una Aurien. Parochialis 5. Decembris 1603. coram Manzanedo*, & *in Fesulana Juris patronatus 8. Februarii 1610. coram Cavalerio, quæ est decisio 219. primæ partis recentior. num. 2.* Barbosa *in Concil. Trid. loc. cit. n. 54.*
17 Cessat quoque præsumptio usurpationis, si privata persona seu familia habeat Iuspatronatus simul cum familia potenti, vel Universitate; Rota *in Firmana Altaris de Doriis 15. Februarii 1610. coram Cardinal. Marquemont. & part. 2. recent. decis. 154. sub num. 7. & part. 18. tom. 2. decis. 768. num. 6.* Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 99. n. 15. & 16. &*
18 *consil. 654.* Barbosa *in Concil. Trid. loc. cit. n. 53. & cit. cap. 12. num. 147.* Item cessat præsumptio usurpationis, quando Communitas, seu Universitas possidet Iuspatronatus simul cum persona non suspecta; Rota *in Lauden. Juris patronatus 28. Junii 1630. coram Pirovano*, Barbosa *in Concil. Trident.*
19 *loc. cit. n. 54. & cit. allegat. 72. n. 64. & cit. cap. 12. n. 148.* Item cessat præsumptio usurpationis Juris patronatus, si sit mixtum septem Officialium Laicorum nomine Universitatis Laicalis, & trium Ecclesiasticorum privato nomine præsentantium, ratione mixturæ, & favore Ecclesiæ; Barbosa *in Concil. Trident. loc. cit. num. 52.* Sellius *in Select. Canonic.*
20 *cap. 27. n. 4.* ubi referunt decisum *in Pampilonen. 8. Augusti 1620.* Item cessat præsumptio usurpationis in Jurepatronatus competente Collegio Juristarum; Rota *part. 9. recent.*
21 *tom. 2. decis. 32. n. 12. part. 12. decis. 176. num. 4.* Item cessat præsumptio usurpationis in Ecclesia, seu Monasterio; Rota *part. 10. recent. dec. 321. numer. 10.* Etiamsi Ecclesia sit Domina Castri, aut Jurisdictionis temporalis; Ipsa enim est justitiæ cultrix; Rota *part. 5. tom. 1. decis. 401. n. 7. & sequent.* ubi refert alias decisiones, Barbosa *cit. allegat. 72. sub num. 64. & cit. cap. 12. num. 152.* ubi refert alias Rotæ
22 decisiones. Item usurpatio Juris patronatus non præsumitur in Abbate Jurisdictionem temporalem habente; *Sacra Congr. Concilii in Sublacensi Juris patronatus 12. Septembris 1631.* Rota *cit. part. 5. tom. 1. decis. 401. n. 10.* Barbosa *cit. allegat. 72. num. 64. & cit. cap. 12. num. 153. & cit. sess. 25. cap. 9. num. 45. & in Summa Apostolic. decis. verb. Usurpatio Juris patronatus num. 4.* ubi citat Rotæ decisionem.
23 Personæ privatæ, & non suspectæ de usurpatione Iuris patronatus sunt Patroni illi, qui non sunt Domini temporales loci, ubi fundatum est Juspatronatus; Rota *in Papien. Juris patronatus 17. Februarii 1611. coram Manzanedo*, Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. cit. allegat. 72. num. 66. & in*
24 *Concil. Trident. cit. sess. 25, cap. 9. num. 45.* Unde Juspatronatus talium personarum privatarum non admittit præsumptionem usurpationis. Rota *in Tuden. Parochialis 7. Novemb. 1611. coram Ubaldo, & part. 12. recent. decis. 90. n. 1.*
25 Barbosa *cit. alleg. 72. num. 66.* Hinc ad probandum tale Juspatronatus personarum privatarum non requiritur rigor a Concilio Trident. præscriptus *in cit. sess. 25. de reform. cap. 9.* sed pertinentia talis Juris patronatus satis probatus ex probationibus sufficientibus de Jure communi. Rota *part. 4. tom. 2.*
26 *decis. 275. num. 1.* & Doctores communiter. Item rigor Concilii Tridentini in probando Jurepatronatus non requiritur, si agatur non contra Ecclesiam, seu libertatem Beneficii, sed solum inter ipsosmet Patronos: Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 18. num. 59.* Piasec. *in praxi nova Episcop. part. 2. cap. 5. num. 7. vers. Non tamen*, Barbosa *lib. 3. Juris Ecclesiastic. univer. cap. 12. num. 149. & part. 3. de Offic. & potest. Episcop. alleg. 72. num. 67.* ubi adducit decisiones Rotæ.
27 Juspatronatus in personis potentibus, seu alias de usurpatione suspectis debet probari ex vero titulo fundationis, vel dotationis, quæ ex authentico documento ostendatur, vel ex immemoriali cum præsentationibus continuatis spatio quinquaginta annorum, quæ omnes effectum sortitæ sint, &
n authenticis scripturis probentur, & aliter facta probatio non suffragatur. *Sacr. Congr. Concil.* apud Rotam *in Sorana Juris patronatus 28. Aprilis 1603. coram Cardinal. Pamphil. senior* & sæpius Rota recent. & signanter *part. 1. decis. 481. num. 2. part. 4. tom. 2. dec. 275. n. 2. & 3. part. 5. tom. 1. decis. 290. num. 16. part. 10. decis. 367. num. 2. part. 19. tom. 2. decis. 539. n. 4.* & clare Concil. Tridentinum *sess. 25. de reformat. cap. 9.* Juris patronatus fundatio, & dotatio, ubi est probanda 28
in personis suspectis de usurpatione, tunc Concilium Trid. *dict. cap. 9.* requirens authenticum instrumentum intelligitur per authenticas scripturas tantum, & non sufficiunt testes, præsumptiones, et probationes a Jure: *Sacra Congregat. Concil. in Panormitana 19. Februarii 1633.* teste Bonfidin. apud Barbosam *in Summa Apostolicar. decisionum, verbo Jus-* 29
patronatus num. 11. Unde Juspatronatus in personis potentibus, et suspectis de usurpatione non probatur ex enunciativis antiquis cum quasi possessione præsentandi, quia observanda est forma tradita a Concilio Trident. *dict. cap. 9.* et æquipolens non sufficit: *Sacra Congreg. Concilii*, teste Rota *in Jacen. Parochialis 27. Junii 1603. coram Cardinal. Pamphilio senior.* et sic tenuit sæpius Rota recent. et signanter *part. 4. tom. 2. decis. 27. nu. 16. part. 5. tom. 1. decis. 197. nu. 62. & 63. part. 16. decis. 182. n. 12.*

Scriptura authentica ad probandum Juspatronatus censetur 30
Bulla Episcopi, seu consensus in scripto datus ad fundandum, construendum, seu dotandum: Vivian. *in praxi Juris patronatus part. 2. lib. 11. cap. 5. num. 12.* Piasec. *in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. num. 6.* Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. univers. cap. 12. nu. 118. & in Tridentin. sess. 25. cap. 9. nu. 62. & part. 3. de Offic. & potest. Episcop. allegat. 72. nu. 24.* cum 31
aliis ibi citatis. Scriptura, ut dicatur authentica, debet continere omnia requisita a Iure, tam in confectione, quam in extractione, Aloysius Riccius *in praxi rerum fori Eccles. resolut. 126. in 2. edit.* Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 9. n. 8.*
Barbosa *cit. cap. 12. nu. 119. & cit. sess. 25. cap. 9. num. 62.* 32
& cit. allegat. 72. nu. 27. Instrumentum regulariter, ut dicatur authenticum, non solum debet confici cum debitis requisitis ex dispositione Juris communis, sed etiam intervenire debent solemnitates Juris municipalis; Barbosa *cit. cap. 12. Juris Eccles. univers. num. 119.* cum Riccio *ibi cit.* & aliis. 33
Scripturæ authenticæ ad probandum Juspatronatus personæ suspectæ de usurpatione censentur ipsæ testium attestationes in antiqua acta redactæ, & in Archivo publico repertæ; Rota *decis. 542. & 580. part. 4. diversi.* Menoch. *consil. 336. num. 23.* Moneta *de commut. ultim. voluntat. cap. 10. num. 210.* Vivian. *cit. cap. 5. num. 18.* Barbosa *cit. cap. 12. n. 121. & cit. allegat. 72. num. 26. & cit. sess. 25. cap. 9. num. 63.* cum aliis ibi citatis.

Non sufficiunt tamen testium attestationes etiam in instru- 34
menta, & in scripturas authenticas redactæ, si non fuerint confectæ in actu ipso præsentationis, & cadant super ipsis præsentationibus primario, & directe, quia alias redderetur elusoria dispositio Concilii, quæ reficit testes, nam sequeretur semper posse admitti probationes factas per testes, quoties redigerentur in instrumenta, & in scripturas authenticas, quia hæc etiam posset dici probatio per scripturas authenticas; Rota *in Terracinensi Juris patronatus 10. Aprilis 1628. coram Merlino*, Barbosa *cit. cap. 12. num. 124. & cit. sess. 25.* 35
cap. 9. num. 65. & alii. Nec etiam ad authenticam probationem Juris patronatus sufficeret, si prætendatur authenticas scripturas deperditas fuisse, illas probare per testes juxta formam capitis *Cum olim 12. de privilegiis*; Rota *in Calagurritana Juris patronatus de Viana 2. Decembris 1624. coram Remboldo*, Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 18. num. 82.* Parisius *de Consid. quæst. 28. num. 258.* Riccius *in praxi fori Eccles. resolut. 136. & in tractat. de novis. probat. juris patronatus resolut. 119. & 121.* Barbosa *cit. cap. 12. num. 12. & cit. sess. 25. cap. 9. n. 66.*

Præsentationes per authenticas scripturas probandæ de- 36
bent esse continuatæ, ut expresse statuit ipsummet Concilium *loc. cit.* ibi: *Etiam continuatæ*, ut scilicet una sequatur aliam; Parisius *de Consident. quæst. 28. num. 255.* Riccius *in praxi for. Eccles. resolut. 133. vers. Amplia secundo, & in tract. de novis. probat. Iurispatronat. resolut. 113. num. 4.* Barbosa *cit. cap. 12. nu. 112. & cit. allegat. 72. num. 55. et cit. sess. 25. num. 56.* Non est tamen necessaria probatio con- 37
tinuati temporis in præsentando, si probetur extrema, cum tunc media præsumantur. Rota *in Florentina Capellæ 30. Maji 1616. coram Pirovano, et in Ianuen. Abbatiæ 13. Junii*

38 *nii 1625. coram Buratto*, & supracitati Doctores. Et debent probari continuatæ saltem per spatium quinquaginta annorum, textu expresso in ipso Concilio *loc. cit.* ibi: *Non mi-*
39 *nori saltem, quam quinquaginta annorum spatio.* Et prædicti quinquaginta anni sumunt initium ab illo die, quo apparet factam fuisse primam præsentationem, & antiquiorem productam in actis cum subsequenti institutione, sique numerari debent usque ad diem litis postremo motæ, in qua controvertitur, an sit, & constet esse de Jurepatronatus? Campanil. *in diversorio juris Canonici rubr. 11. cap. 13. nu. 426.*
Barbosa *cit. allegat. 72. numer. 59. et cit. sess. 25. cap. 9. n. 57.*
40 ubi id resolvunt ex Rotæ decisione. Nec sufficiunt præsentationes continuatæ, nisi etiam sint effectum sortitæ, textu expresso in ipso Concilio *loc. cit.* ibi: *Quæ omnes effectum sortitæ sint.* Dicuntur autem effectum sortitæ, si sint confirmatæ præsentationes; Riccius *in tract. de noviis. probat. juris patr. resolut. 115. et 116.* Parisius *loc. cit. quæst. 28. n. 256.*
Barbosa *cit. allegat. 72. num. 56. et cit. cap. 12. num. 14. et*
41 *cit. sess. 25. cap. 9. num. 58.* & alii. Nec sufficit unica præsentatio, licet fuerit effectuata spatio 50. annorum, & ultra, quia Concilium Tridentinum non contentatur unica præsentatione, cum requirat plures, easque effectuatas, ut dicit Rota *decis. 557. sub numer. 1. vers. Hic autem part. 4. diversi. et in Sorana juris patronatus 28. Aprilis 1603. coram Cardinal. Pamphilio senior.* Barbosa *cit. cap. 12. num. 116. et cit. sess. 25. cap. 9. num. 60.* Ferenti. *in annot. ad Burat. decis. 139. n. 12.*
42 & alii. Dicta exactior, & plenior probatio Juris patronatus in personis de usurpatione suspectis statuta a Concilio Tridentino *dict. sess. 25. cap. 9. de reform.* requritur tam in petitorio, quam in possessorio, ut declaravit Sacra Congregat. ejusdem Concilii interpres, teste Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 19. numer. 23.* apud Rotam *part. 5. recent. tom. 1. dec. 197. numer. 41.* & tenuit ipsa Rota sæpe sæpius, & signanter *in Reatinen. juris patronatus 23. Octobris coram Robusterio*, *in Valentina Capellaniæ 28. Aprilis 1595. coram Cardinal. Blanchetto*, *in Auximana juris patronatus 28. Maji 1595. coram Mellino*, *in Calagurritana juris patronatus de Viana 15. Martii 1599. coram Penia*, *in Romana Parochialis de Publicolis 31. Januarii 1600. coram Episcopo Pacen.*, *in Bononiensi Parochialis de Gadeo 17. Iunii 1615. coram Andrea*, quas omnes decisiones una cum aliis refert ipsa Rota *dict. part. 5. tom. 1. decis. 197. num. 41.* Unde non sufficit docere de quasi possessione præsentandi, ad effectum manutentionis, Gonzal. *dict. gloss. 18. nu. 23. vers. Ubi etiam*; Riccius *in dict. tractatu de noviss. probat. juris patronat. resolut. 84.* Barbosa *cit. cap. 12. nu. 109.* quia Concilium *dict. cap. 9.* sustulit omnem possessionem; Seraphin. *decis. 1395. nu. 4. vers. Neque obstat*, *& nu. 5. vers. Et ex eo*; Barbosa *loc. mox cit.* Rota *cit. part. 5. tom. 1. dec. 197. n. 42. & part. 19. tom. 1. dec. 8. n. 7.*

43 Juspatronatus in personis privatis, & non suspectis de usurpatione non requirit tam exactam, & plenam probationem, sicuti in personis potentibus, & de usurpatione suspectis, ut clare patet ex ipsomet Concilio *dict. sess. 25. cap. 9.* In illis enim Concilium nihil ibi alteravit, & innovavit, adeoque probatio talis Juris patronatus remanet adhuc sub dispositione Juris communis, ut sæpe sæpius dixit Rota, & signanter *decis. 798. num. 4. part. 1. diversi. & dec. 331. propè finem part. 2. etiam diversi. & dec. 360. nu. 2. & dec. 374. n. 1. part. 2. recent. et coram Cavalerio dec. 560. n. 1. coram Coccino dec. 25. et in Florentina Capellæ 30. Maji 1616. coram Pirovano, et in Bergomensi Capellaniæ 18. Maji 1629. coram Merlino*, quas omnes citat, & sequitur Barbosa *cit. cap. 12. juris Eccles. univers. n. 102.* adducendo etiam varios alios Doctores.

44 Hinc in ipsis personis privatis, Juspatronatus probatur variis modis. Et primo probatur ex præsentationibus per quadraginta annos effectum sortitis, dummodo cum hujusmodi quadragenaria possessione concurrat publica vox, & fama, vel aliæ præsumptiones, quæ habeant vim famæ; Rota *part. 1. dec. 312. nu. 3. part. 2. dec. 360. part. 4. tom. 2. decis. 332. num. 1. et 2. part. 5. tom. 1. dec. 290. num. 4. part. 10. decis. 321. num. 13. part. 12. dec. 224. num. 3. part. 15. decis. 148. num. 7. part. 18. tom. 2. dec. 576. num. 9. 10. et 26. part. 19. tom. 2. dec. 630. num. 1. 2. et 3.* & sæpe alibi, Cassad. *dec. 3. num. 4. cum sequent. de probat.* Barbosa *cit. cap. 12. num. 85.*
45 *& cit. sess. 25. cap. 8. num. 1.* cum pluribus ibi citatis. Et dicta quadragenaria potest compleri etiam in unico præsentato, si talis supervixerit, & fuerit in possessione per 40. annos, nec unquam evenerit casus novæ præsentationis; Rota *part. 18. tom. 1. dec. 315. num. 2. & 3.* Achill. *dec. 5. nu. 1. de Jure-*

patronat. Cardinal. *consil. 62. num. 8.* Federic. de Senis *consil. 234. nu. 4. in princip. vers. Ad id, quod quæritur*, Barbosa *in Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 9. nu. 22.* ubi citat Rotam *in Bergomensi Capellaniæ 18. Maji 1629. coram Merlino.*

Secundo probatur Juspatronatus per enunciativas centum 46
annos, & hominum memoriam excedentes; Rota *part. 19. recent. tom. 2. dec. 539. nu. 12.* & sæpe alibi. Et ad hunc effectum valde deserviunt enunciativæ Ordinariorum; Rota *part. 14. dec. 291. num. 5.* Cum enim Ordinarii præsumantur scire qualitates Beneficiorum, & soleant esse difficiles in canonizando Juspatronatus, & in admittendis præsentationibus in præjudicium libertatis Ecclesiæ; ideo plurimum attenduntur enunciativæ ab illis emanatæ; Rota *part. 8. decis. 221. nu. 3.* Barbosa *cit. sess. 25. cap. 9. nu. 24. & cit. allegat. 72. nu. 40. et 41. et cit. cap. 12. nu. 87.* ubi citat plures Doctores, & Rotæ decisiones.

Hic tamen advertendum venit, quod enunciativæ debent 47
esse ad minus duæ, quia regulariter una non probat, quamvis sit antiqua; Rota *part. 4. tom. 2. dec. 276. nu. 2. part. 12. decis. 341. num. 17.* Barbosa *locis cit.* ubi adducit alias Rotæ decisiones. Insuper enunciativæ debent provenire a diversis personis, & a diverso fonte, quia si provenirent ab eadem persona, licet plures, pro unica tantum haberentur; Baltramin. ad Gregor. XV. *decis. 407. nu. 6.* Caputaq. *dec. 337. n. 6. part. 3.* Barbosa *locis citatis*, ubi adducit varias Rotæ decisiones. Et tales enunciativæ debent esse plurium instrumentorum a diversis, Notariis confectorum, & requiritur, quod non emanaverint a personis suspectis, & interesse habentibus, ut statuit Rota relata, & secuta a Barbosa *cit. cap. 12. numer. 90. & sequent. & cit. sess. 25. cap. 9. num. 25.* & passim ab aliis.

Tertio, probatur Juspatronatus ex sententia antiqua Epi- 48
scopi, qua judicavit ad præsentationem alicujus Patroni Beneficium pertinere. Rota *recent. part. 1. decis. 413. num. 1. part. 4. tom. 1. decis. 276. numer. 1. part. 9. tom. 1. decis. 298.* 49
num. 3. part. 11. decis. 73. num. 2. part. 12. decis. 25. numer. 9. Etiam si sententia lata fuerit in alio Judicio ab Ordinario. 50
Rota *part. 3. decis. 172. numer. 2.* In cujus præjudicium, ejusque successorum ex illa probatur existentia, 51
& natura Juspatronatus. Rota *part. 1. decis. 482. numer. 5.* Dummodo tamen sententia transitum fecerit in judicatum. Rota *part. 9. tom. 1. decis. 23. numer. 11. part. 10. decis. 169. num. 11. part. 18. tom. 2. decis. 720. num. 6.* Immo sententia 52
antiqua Juspatronatus, seu lata super eo tamquam super statu Beneficii, & obtenta ab interesse habentibus, ac in judicatum transacta facit Jus quoad omnes. Rota *part. 3. decis. 319. num. 2. part. 9. tom. 1. decis. 213. num. 13. part. 10. decis. 321. num. 4.*, & *5. part. 17. decis. 149. num. 11.* Et facit Jus quoad omnes etiam non citatos. Rota *part. 17. dec. 333.* 53
num. 5. Quidquid sit in casu, quo constet adfuisse verum Patronum, eumque non fuisse vocatum. Rota *ibidem num. 6.* Prout facit Jus quoad alios postea præsentato. Rota *part. 18. decis. 143. num. 4.* Sententia autem censetur antiqua, si la- 54
ta sit ultra 40. annos ante motam litem. Rota recent. *par. 5. tom. 1. decis. 348. num. 8.*, & concordant Doctores passim cum Barbosa, *cit. sess. 25. cap. 9. num. 29.*, & *cit. cap. 12. n. 96.*, & *seq.*

Quarto, probatur Juspatronatus ex litteris institutionalibus 55
Antilitum, quibus attestantur Beneficium ad præsentationem alicujus Patroni pertinere; Per assertionem enim, & confessionem Ordinarii in institutione emissam habetur sufficiens probatio Iurispatronatus. Rota recent. *part. 3. decis. 753. num. 5. part. 15. decis. 296. numer. 3.*, & sæpe alibi; &
concordant Doctores cum Barbosa *cit. cap. 12. numer. 98.*, 56
& cit. sess. 25. cap. 9. num. 30. Ita ut assertiones Ordinariorum justificent, quod Beneficia in Ecclesia sint de Jure patronatus alicujus. Rota *part. 14. decis. 444. num. 17.* quibus plurimum deferendum venit. Rota *part. 14. decis. 509. n. 14.* Prout eis multum deferri solet propter eorum præjudicium. Rota *part. 2. decis. 694. num. 4.* Item probatur ex libris Epi- 57
scopatus, in quibus Beneficium est descriptum de Iurepatronatus. Rota *part. 3. decis. 172. num. 7.* Item probatur ex antiquis Episcoporum Visitationibus. Rota *part. 3. dec. 735.* 58
num. 6. part. 12. decis. 162. num. 6. Et sic Visitationes eorumdem probant pertinentiam Juris patronatus. Rota *part. 5. tom. 2. decis. 536. num. 16.* Quamvis dictæ Visitationes non fuerint factæ ab ipso Ordinario, sed a Visitatoribus per eum deputatis, præsertim si ex aliis sint adminiculatæ. Rota

ibi-

ibidem num.17. In Viſitationibus enim ſumuntur informationes a Teſtibus aſſerentibus Beneficium eſſe Juriſpatronatus. Rota *part.2. deciſ.360. num.11.*

Quinto, probatur Juſpatronatus ex proviſionibus, & Litteris Apoſtolicis. Rota *part.11. deciſ.203. num. 2. part. 12. deciſ.224. num.7.*, & ſæpe alibi. Eoque fortius probat, ſi Papa diſponat ex certa ſcientia quod Beneficia ſint Juriſpatronatus; quia tunc diſpoſitio præjudicat libertati Eccleſiæ. Rota *part.5. tom.1. deciſ. 197. num. 84.* Hinc Juſpatronatus probari dicitur ex proviſionibus a Pontifice factis tamquam de Jurepatronatus. Rota *part.12. deciſ. 224. numer. 7.* Et eo magis ex multiplicatis proviſionibus Apoſtolicis cum derogatione Juriſpatronatus. Rota *part.12. deciſ. 161. numer. 2.* Immo etiam probatur ex proviſione Apoſtolica quomodocumque habente clauſulam derogatoriam. Rota *part. 18. tom.2. deciſ.421. num.18.*, & 19. quia ex ea ſaltem conſtat noluiſſe Papam immutare ſtatum Beneficii. Rota *ibidem num.19.* Ad quem effectum ſufficit, quod litteræ Apoſtolicæ contineant ſimplicem enunciativam; Beneficium eſſe de Jurepatronatus. Rota *part.10. deciſ. 321. ſub num. 14.* Neque enim excluditur, ſed potius confirmatur Juſpatronatus ex proviſione Apoſtolica facta cum reſervatione, vel derogatione illius etiam pro una vice tantum. Rota *part. 10. deciſ.63. num.3.*, & *deciſ.321. num.12. part.11. deciſ.254. numer.1. part.14. deciſ.509. num. 39.* Et eo fortius Juſpatronatus probatur ex proviſione Pontificis pro executione Ordinario commiſſa, & ab eo poſtmodum executa. Rota *part.18. tom.1. deciſ.290. n.9. part.19. tom.1. dec.136. n.3.*

Sexto, probatur Juſpatronatus ex conſenſibus Patronorum reſervatis, & præſtitis in pluribus proviſionibus. Rota *part.4. tom.1. deciſ.197. num.2.* Conſenſus enim, ut ſupra præſtitus æquipollet præſentationi. Rota *part. 14. deciſ. 509. num.29.* Et ſic Beneficium probatur per conſenſum a Patronis præſtitum reſignationi. Rota *part. 7. deciſ. 221. num.5. part.12. deciſ. 148. num.18.*, & 19. Ex quo quidem conſenſu acquiritur quaſi poſſeſſio præſentandi. Rota *ibidem num.20. part.2. deciſ. 158. nu.4.* Et hæc quaſi poſſeſſio competit etiam Succeſſoribus. Rota *part.12. deciſ.148. num. 21.* Ita ut ex pluribus præſentationibus hoc modo factis reſultet probatio Juriſpatronatus. Rota *part.2. deciſ.154. num.5.*

Septimo, probatur Juſpatronatus ex confeſſione partis. Rota *part. 9. tom. 1. deciſ.5. n.1.* Puta ſi confeſſio partis adverſæ emiſſa fuerit in ſupplicatione. Rota *part. 3. dec.172. num.1.* eoque magis probat confeſſio partis adverſæ, ſi fuerit geminata. Rota *part.7. deciſ.221. num.1.* Unde non ſolum probatur ex confeſſione contra confitentem, ſed etiam contra habentem ex eo cauſam. Rota *part.11. deciſ.73. numer.33.* Sic etiam probatur ex confeſſione utriuſque partis per plures enunciativas adminiculata. Rota *part. 19. tom.2. deciſ.662. numer. 4.* Ita ut Juſpatronatus ex fundatione, & dotatione probatum ſatis dicatur per confeſſionem utriuſque partis adminiculatam. Rota *part.5. tom.1. deciſ.542. n. 1.*, & 2. Cum hac tamen declaratione, quod hoc tantum procedit, quoties Ordinarius non eſt in cauſa. Rota *part. 2. deciſ.274. num.1. part.11. deciſ.73. numer. 4. part.18. tom.2. deciſ.697. num.2. part.19. tom.2. deciſ. 662. num. 4.* Etiamſi confeſſio emanaverit inter Collitigantes, quæ quidem probat in præjudicium confitentis, & quando lis non eſt cum Ordinario. Rota *part.13. deciſ.529. num.2. part. deciſ. 291. num.4. part.19. deciſ.30. num.2.*, & 3. Nullatenus vero probat in præjudicium Eccleſiæ. Rota *part.6. deciſ.289. n.21.*, & ſæpe alibi.

Octavo, probatur Juſpatronatus ex fama, ſeu publica voce. Rota *part.4. tom.3. deciſ 530. num.6. part.18. tom.1. deciſ.146. num.6.* Hoc tamen debet intelligi de fama antiqua juncta longiſſima poſſeſſione, ſeu quaſi præſentandi pluribus præſentationibus continuata. Rota *ibidem num.7.*, & *part. 1. deciſ.195. num.1.*, & *part.2. deciſ.154. numer.3.*, & 4. Et ad hoc, ut ſufficiat fama in antiquis, debet eſſe cum præſentationibus effectuatis ſaltem per 40. annos. Rota *par. 16. deciſ. 299. num. 11.*, & *ſeq.* Fama autem probatur ex pluribus enunciativis. Rota *part.1. deciſ.148. num.2. par.9. tom.2. deciſ.321. num.35.* Ad quem effectum requiruntur plures enunciativæ ſupra 100. annos. Rota *part.9. tom. 2. dec. 321. num.36.*, & 37. Inſuper Juſpatronatus antiquum, in quo ſuffiſciunt probationes per indicia, & conjecturas probatur per teſtes de fama, & communi reputatione deponentes. Rota *part.2. deciſ.694. numer.6.*, & 7. Hoc tamen eſt intelligendum juncta quaſi poſſeſſione præſentandi per 40. annos. Rota *part.1. deciſ.77. num.2.*, & 3., & *deciſ.518. num.1. part.3. deciſ.172. num.6. part.9. tom.2. deciſ. 329. numer.7.* Nec enim probatur ex Teſtibus de ſola publica voce, & fama deponentibus, niſi adſit quaſi poſſeſſio. Rota *part. 18. tom.2. deciſ.781. numer.4.* Teſtes vero ad effectum probandi in antiquis deponere debent de publica voce, & fama, quod quis pro vero Patrono ſemper habitus fuerit. Rota *part.9. tom.1. deciſ.249. num.3.* Unde deponere debent de viſu per annos 40., & de auditu a Majoribus, qui pariter ab aliis audiverunt. Rota *part.1. deciſ.154. num.6. part.15. deciſ.101. num.13.*

Nono, probatur Juſpatronatus ex inſcriptionibus marmoreis, vel aliter antiquitus inſculptis in Eccleſia, ubi adeſt Juſpatronatus. Rota *part.2. deciſ.374. num.7. part.3. deciſ. 462. num.4. part.18. tom.2. deciſ.503. num. 1.*, & 2. Barboſa *cit. cap.12. Juris Eccleſ. univerſ. num. 65.*, & *cit. allegat.72. num.50.*, & *cit. ſeſſ.25. cap. 9. numer. 28.* ubi citat plures Rotæ deciſiones, multoſque Doctores.

Decimo probatur Juſpatronatus ex appoſitione armorum, & inſignium ſculptorum, & depictorum in Eccleſia; Rota *part.4. tom.2. deciſ.471. num.12. part.18. tom.2. deciſ.503. num. 3. 4.*, & 5. Et maxime ex inſigniis ejuſdem familiæ ſculptis in Eccleſia ab antiquiſſimo tempore; Rota *part. 1. deciſ. 518. num. 5.* Eoque magis inſignia probant, quando fuerint poſita in limine fundationis; Rota *part.16. deciſ.299. num.7.* Vel quando appoſita fuerunt de mandato Judicis, quo caſu bene probant quaſi poſſeſſionem Juriſpatronatus; Rota *part.4. tom.2. deciſ.471. num.11.* Barboſa *cit. cap.12. nu. 39. cit. ſeſſ.25. cap.9. num.20.* ubi citat varios Doctores, & Rotæ deciſiones: Imo Rota *part.1. deciſ.13. num.3.* vult ad hoc ſufficere inſignia prædicta, quamvis non appareant valde antiqua, quia præſumuntur per Patronos appoſita ad conſervationem ſui Juris, ſed hoc intellige junctis aliis adminiculis, ut explicat Rota *ibidem numer.3.* & *ſequent.* Et eo fortius probatur tale Juſpatronatus ex denominatione Cappellæ talis familiæ, cujus ſunt inſignia; Rota *part. 2. deciſ. 694. num.6.* Barboſa *cit. cap.12. num.95.*, & *cit. ſeſſ.25. cap.9. n.27.*, & alii ibi citati.

Noviſſimæ additiones ex aliena manu.

DE probatione juriſpatronatus Perſonarum Potentum, plura, eaque utilia habet *Auctor*, ſed vide nihilominus Rot. *in Prænestina Rectoriæ S. Laurentii 4. Decembris 1733. cor. bon. mem. Peralt.*, & *in Urbevetana Juriſpatronatus 21. Aprilis 1749. cor. bon. me. de Vais.*

Quoad vero probationem juriſpatronatus Perſonarum Privatarum, intereſt ſcire, utrum illud probetur ad omnes effectus, an ad effectus tantummodo honorificos. Mitius enim proceditur poſteriori hoc caſu quam priori illo caſu, ac propterea quæ poſteriori caſu ſufficiunt probationes, eæ nullam vim habent priori caſu.

Sic *enunciativæ*, *inſignia gentilitia*, *onus ornandi*, & *manutenendi Capellam*, & alia id genus probant utique juſpatronatus ad effectus honorificos dumtaxat non item ad omnes effectus; *Rota in Neapolitana Cappellæ*, & *Sepulchri ſuper bono Jure 17. Januarii 1724. coram clar. memor. Calcagnin.*, & *in Nepeſina Juriſpatronatus Capellæ 10. Decemb. 1725, cor. bon. me. Gamache.*

Hac igitur cum diſtinctione intelligi debet *Auctor* dum ait, probari juſpatronatus enunciativis, inſignibus &c.

ARTICULUS IV.

Juſpatronatus quoad ea, quæ concernunt Patronos, eorumque Jura, & onera.

PAtroni quoad propoſitum dicuntur, & ſunt, qui habent jus, ſeu poteſtatem a Sacris Canonibus conceſſam præſentandi aliquem ad Eccleſiam, vel Eccleſiaſticum Beneficium; *Sic in re Communis*. Patroni poſſunt eſſe, non ſolum Clerici, ſed etiam Laici; *Cap. Decernimus 32. cauſ.16. q.7.* & *Cap. Quoniam 3.* & *Cap. Cum autem 24. de jure patronatus*, ibi: *Si Laicus fuerit, cui jus competit preſentandi*. Et eſt Communiſſima, & patens quotidiana exprientia; Quamvis enim Laici jurium ſpiritualium (inter quæ eſt Juſpatronatus *ex Cap. De Jure 16. de jurepatronatus*) non ſint capaces; *Cap. Decernimus 2. De judiciis*, *Cap. Tua nos 25. de decimis*, cum ſimilibus; tamen hujus Juriſpatronatus, quod non eſt quid pure ſpirituale, ſed tantum ſpirituali annexum, ut dicitur *in cit. Cap. de jurepatronatus*, ibi: *Juſpatronatus, quod eſt ſpirituali annexum*, ſunt redditi capaces ex ſpeciali gratia, & permiſſione, ac tolerantia Eccleſiæ, ut dicitur *in cit. Cap. Quoniam 3. De jurepatronatus*, ibi: *In qua eos Eccleſia hucuſque juſtinuit*, & jam conceſſerat *in Cap. Decernimus 32. cauſ.16. quæſt.7.* ut inde Laici magis allicerentur ad fundandas, & dotandas Eccleſias, & ad erigenda Beneficia Eccleſiaſtica, ut recte advertit Hugo. *in cap. Piæ mentis 26. cauſ.16. quæſt.7.* Goffred. *in Cap. Sacroſancta, De election.* Gloſſa *in Clement. final. poſt med. verſ. Et fuit forte motivum*, *de reſcriptis*, Fagnan. *in cit. Cap. Quoniam 3. de Jure patronat. num.6.* Abbas *ibid. num.2.* & alii paſſim.

3 Patroni eſſe poſſunt non ſolum Mares, ſed etiam Feminæ; *arg. Cap. Cum Dilectus 16. De conceſſion. præbend.*, & *cap. Ex litteris 7. De jurepatronatus*, & docet Communis Doctorum, & praxis univerſalis.

4 Patroni eſſe poſſunt, non ſolum puberes, ſed etiam impuberes; *arg. Cap. Piæ mentis 26. Cap. Frigentius 27. Cap. Quicumque 30. Cap. Filii 31. Cap. Decernimus 32.*, & *Cap. Monaſterium 33. cauſ.16. quæſt.7.* ubi cuivis Fideli fundanti, ædificanti, vel dotanti Eccleſiam, & heredibus ejus conceditur *juſpatronatus*, *nec ibidem* nec *alibi* excipiuntur impuberes, & ſic tenent Doctores communiter. Eſt tamen hic
5 advertendum, quod, quamvis impuberes ante ſeptennium poſſint acquirere juſpatronatus, & eſſe Patroni, defectu tamen uſus rationis nequeunt pro tali tempore præſentare, ſed nomine ipſorum debent preſentare Tutores. Garcias *de Beneficiis part.5. cap.9. n.193.* Azorius *part.2. lib. 6. cap. 21. q. 14.* Pirhing *lib.3. Decretal. tit.38. n.18.* Reiffenſtuel *ibidem n.38.* Lambertinus, et alii. Si autem impuberes ſint majo-
6 res ſeptennio, poſſunt ipſi præſentare etiam ſine Tutorum ſuorum auctoritate, quia impuberes ſeptennio majores, præſumuntur habere uſum rationis. Unde ſicuti eo tempore valide contrahunt ſponalia, ita etiam valide præſentant. Rota *deciſ.6. de jurepatronat. in antiq.* Pirhing *loco cit. n.18.* Reiffenſtuel *loco cit. n.39.* Garcias *loco cit. num.186.*, & *ſequent.* Caſtropal. *part.2. tract.5. diſp. 2. numer.40.* Azorius *loc. cit.* Rebuff. *de Nomination. quæſt. 17. num. 40.*, et alii communiter, qui tamen omnes docent valde decens, et æquum eſſe, ut impuberes preſentent auctoritate, et aſſenſu Tutorum ſuorum. Hinc quamvis Tutores abſolute præſentare poſſint, etiamſi pupilli impuberes ſint majores ſeptennio, eo quod Tutores habeant poteſtatem, nedum in perſo-
7 nam, ſed etiam in bona pupillorum; *arg. Cap. Si annum 3. De judiciis in 6.* Tamen ſi tales pupilli ante inſtitutionem contradicant, et alios præſentent idoneos, iſti ſunt præferendi præſentatis a Tutoribus etiam dignioribus, quia cum tales pupilli ſint prædicti uſu rationis, et ſint Patroni Juriſpatronatus, ad illos pertinet præſentatio; *arg. Cap. Decernimus 32. cauſ.16. quæſt.7.* Sic Doctores *numero antecedenti citati*, et teſte Garcia *loc. cit. num.186.* alii communiter.

Si autem Patroni ſint puberes, quamvis minores 25. annis,
8 tunc non poſſunt præſentare Curatores, et ſi abſque mandato, aut expreſſo conſenſu præſentent, eorum præſentatio eſt invalida, quia Curatores non dantur Minoribus quoad Eccleſiaſtica, et ſpiritualia, et ipſi minores, ſeu puberes, vel majores quatuordecim annis *in Beneficialibus*, & *aliis cauſis ſpiritualibus*, & *dependentibus ab eiſdem* nullatenus dependent a Curatoribus, textu expreſſo *in cit. Cap. Si annum quartumdecimum 3. de judiciis in 6.* Garcias *leg. Cap. numer. 195.*, & *196.* Pirhing *loc. cit. ſub num. 18.* Reiffenſtuel *loc. cit. n.41.* Caſtropalao *loc. cit. n.21.*, et alii paſſim.

Sic etiam, ſi Filius familias ſit Patronus, præſentatio
9 ſpectat ad ipſum, et non ad Patrem, quia in ſpiritualibus, et quaſi ſpiritualibus, ſeu dependentibus ab eiſdem, non dependet Filius a Patre, nec illi ſubjicitur, textu claro *in cit. Cap. Si annum quartumdecimum 3. de judiciis in 6.* Garcias *loc. citat n.198.* Pirhing *loc. citat n.18.* Reiffenſtuel *loc.*
10 *citat n.41.*, & 42., et alii. Id tamen limitatur in *jurepatronatus*, quod competit Filio ratione bonorum adventitiorum, quia, cum uſusfructus talium bonorum ſpectet ad Patrem, *ex leg. Cum oportet*, *Cod. de bonis*, *quæ liberis*, ad ipſum Patrem ſpectare debet etiam *juſpatronatus* talibus bonis inſeparabiliter annexum. Garcias *loc. cit. part.5. cap. 9. nu.205.* Caſtropal *loc. cit. nu.22.* Reiffenſtuel *loc. cit. n.42.* et alii. Juſpatronatus enim tranſit cum re in illum, qui eam cum dominio directo, vel ſaltem utili acquirit, ut *arg. Cap. Ex litteris 7. de jurepatronatus*, & *Cap. Cum Bertoldus 18. De ſententia*, & *re judicata*, tenet ex communi Fagnan. *in cit. Cap. Ex litteris n.15.* Vide adducta ſupra *art.2. num.16.* & *61.*

Patroni eſſe poſſunt non ſolum legitime nati, ſed etiam 11
ſpurii, vel alii illegitimi; *arg. Cap. Piæ mentis 26. Cap. Frigantinus 27. Cap. Quicumque 30. Cap. Filii 31. Cap. Decrimus 32.*, & *Cap. Monaſterium 33. cauſ. 16. quæſt.7.* in quibus generatim cuicumque Chriſtiano fundanti, extruenti, vel dotanti Eccleſiam, & heredibus ejus conceditur juſpatronatus, nec *ibi*, nec *alibi* excipiuntur illegitimi; Tum quia, cum Spurii, & illegitimi ſint capaces hereditatis, vel Legati relicti ab extraneo, poſſunt una cum hereditate, vel Legato acquirere etiam Juſpatronatus ei inſeparabiliter annexum, uti pariter ſi ſpuriis, & illegitimis donetur, vel vendatur res aliqua, cui annexum ſit inſeparabiliter juſpatronatus, ad ipſos tranſit etiam juſpatronatus una cum re eis vendita, vel donata; quia juſpatronatus tranſit cum rerum univerſitate, ſeu cum aliqua ſpeciali re, cui ſit inſeparabiliter annexum per jura, & fundamenta adducta ſupra *art. ſecundo num.6. 25. 39. 40. 47. 55. 58. 61.* & *ſeq.* 12

Patroni eſſe non poſſunt Judæi, Pagani, & Infideles, quamvis Eccleſiam fundaverint, extruerint, vel dotaverint, ſeu Caſtrum, aut Villam emerint, cui annexum ſit juſpatronatus, quia propter id jura citata numero antecedenti dicunt acquiri quidem juſpatronatus, ſed a ſolis Chriſtianis, & Fidelibus. Unde Judæi, Pagani, & Infideles ſunt omnino excluſi. Sic *Communis Doctorum* cum Fagnan. *in Cap. Nobis 25. de jurepatronat. num.7.* Abbat. *ibidem nu.3.* Jo. Andr. *ibidem num.3.* Pirhing. *loc. cit. nu.20.* Reiffenſtuel *loc. cit. n.43.*, *arg. cit. juribus*. 13

Patroni eſſe non poſſunt neque Hæretici, quia, cum Hæretici ſint extra Eccleſiam, non poteſt eis competere Juſpatronatus, quod eſt Eccleſiaſticum; *arg. Cap. Didicimus 31. cauſ.24. quæſt.1.* Tunt quia omnia bona Hæreticorum ipſo jure ſunt confiſcata; *Cap. Cum ſecundum 19. de Hæreticis in 6.* adeoque etiam juſpatronatus eis annexum; *Cap. Acceſſorium 42. de Regul. juris in 6.*, ibi: *Acceſſorium naturam ſequi congruit principalis*, & faciunt dicta ſupra *art. 2. num. 19.*, 20., 21. Excommunicati, tolerati, & non vitandi poſſunt eſſe Patroni. Poteſt enim Epiſcopus conſentire, quod tales Excommunicati fundent, ædificent, aut dotent Eccleſiam, & ſic Juſpatronatus acquirant, quamvis exercitium, & uſum ipſius nequeant habere ante abſolutionem. Joan. Andr. *in Cap. Nobis 25. de jurepatronat. n.3.* Pirhing *loc. cit. n.21.* Fagnan. *in cit. Cap. Nobis n.12.*, & 13. ubi dicit, quod Excommunicatus acquirit juſpatronatus habitu tantum, ſed non actu ante abſolutionem, & citat plures alios; Tum quia Excommunicati non amittunt juſpatronatus, quod ante Excommunicationem habebant, ſed privantur ſolum ipſius uſu, & exercitio, donec fuerint abſoluti, Phiring *loc. citat. numer. 21.* Azorius *part.2. lib. 6. cap. 1. quæſt. 9.* & alii paſſim. 14

Succeſſio Patronorum in jurepatronatus hereditario, ſeu 15
mixto fit in ſtirpes, & non incapita, unde plures heredes unius Patroni defuncti, pro uno tantum ſimul Patrono reputantur, & unam tantum vocem habent; Sic ad dirimendas contrarias Doctorum opiniones fuit expreſſe ſtatutum *in Clem. Plures 2. De jurepatronatus*. Et ſic hodie tenet Communis cum Rota recent. *part.4. tom. 2. deciſ. 47. numer. 9. part.7. deciſ.72. num.21. part.13. deciſ.103. num.2.*, & *deciſ.272. num.1. part.17. deciſ. 99. numer. 8.*, & ſæpe alibi. 16
Hinc Filii, ſeu deſcendentes admittuntur in ſtirpes, & non in capita. Rota *part.4. tom.1. deciſ.77. num.1. part.7. deciſ. 275. num.3. part.11. deciſ.268. num.3.* Et ſic ſtirpes attendi debet in præſentatione juriſpatronatus, & non numerus perſonarum, ita quod plures ab uno deſcendentes procedant in ſtirpes, non autem in capita, & unius loco reputentur. Rota *part.4. tom.1. deciſ.657. num. 3.*, & *citat. Clementina*, 17
Plures. Et idem procedit in Jurepatronatus hereditario ad plures lineas ſpectante, in quo præſentatio fieri debet in ſtirpes, & non in capita. Rota *prat.18. tom.2. deciſ.424. nu.1.* Ita ut in jurepatronatus tribus perſonis relicto quælibet ex

ipsis suam constituat lineam, & vocem, Rota *ibidem nu.*3. Et descendentes ab una tantum partem habeant, quantam descendentes ab alia, Rota *ibid. n.*4.

18 Successio Patronorum in jurepatronatus gentilitio, seu familiari fit in capita, & non in stirpes. Rota *part.* 4. *tom.* 2. *decis.*47. *num.*2. *part.*5. *tom.*1. *decis.*284. *num.*10. *part.*7. *decis.*280. *num.*4. Et sic descendentes jure sanguinis succedunt in capita, & non in stirpes. Rota *part.*2. *decis.*251. *num.*5.

19 *part.*13. *decis.*103. *num.*3. Et omnes tenentur præsentare in capita. Rota *part.*13. *dec.*83, *n.*21.

20 Patroni a præsentatis nihil possunt exigere temporale, nisi quod in ipsa fundatione constat fuisse impositum; *Cap. Sicut* 2. *de supplenda negligentia Prælator.* & *Cap. Præterea* 23.

21 *de jurepatronatus*. Præsentatio est Simoniaca, quando aliquid datur, vel promittur pro habendis vocibus, seu præsentationibus Patronorum; *arg. Cap. Veniens* 19. *De Simonia*, ubi Abbas, & Decius *in not.*5. Roch. de Curte *De jurepatronat. verb. Et utile, q.*3. *n.*19. Lambertin. *in simili tractatu lib.*2. *part.*1. *quæst.*9. *art.*8. Navarr. *in Manual. cap.*23. *num.*100. *vers. Nam cum quis*, Barbosa *lib.*3. *Juris Eccles. univers. cap.*12. *num.*202. Rota *in Commensi Capellæ* 11. *Martii* 1595., *et in Romana Jurispatronatus* 29. *Januarii* 1601. *coram Cardinal Millino*. Quamvis id fiat etiam ipso Præsentato ignorante; *Cap. Si alicujus* 49. *de electione*, *Cap. Nobis* 27. *de Simonia*. Rota *decis.*285. *num.*3. *part.*1. *divers. et in dicta Comensi Cappellæ*, Barbosa *loc. citat. numer.*202., & alii passim.

23 Patroni Laici habent solum quatuor menses ad præsentandum; *cap. Quoniam* 3. *& c. Cum propter* 27. *De Jurepatron. & cap. Si Laicus, unic. de Iurepatron. in* 6. §. *Verum*, ubi sic „ præcise dicitur: „ Verum licet Patronus Laicus ad præ„ sentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat, *& in* „ *eius Summario*: Laicus quadrimestre tempus habet ad „ præsentandum; „ Et sic *Communis* cum Rota *p.* 9. *tom.*1. *dec.*19. *n.*13. *& eadem p.*9. *t.*2. *dec.*446. *n.* 16. *p.* 12. *dec.* 25.

24 *n.*4. & sæpe alibi. Quo quidem quadrimestri tempore elapso Patronorum auctoritas expirat, ita ut post illud non possint amplius præsentare, cum tunc collatio devolvatur ad Superiorem; *arg. c. Eam te decet* 22. *& c. Cum propter* 27. *de Iurepatron. c. Licet* 3. *De supplenda negligent. Prælat. & c. Nulla* 2. *de concessione præbendæ*; Rota *p.* 2. *recent. dec.* 10. *n.* 7.

25 & sæpe alibi. Non præjudicat tamen dictum quadrimestre Pupillo, quin eidem ob non petitam in tempore dispensationem competat restitutio in integrum; Rota *p.*13. *recent. decis.*290. *n.*14.

26 Patroni autem Ecclesiastici de jure habent semestre ad præsentandum; *cap. Eam te decet* 22. *De Iurepatron.* & *cit. c.p. Si Laicus, unic.* §. *Verum*, *De Iurepatron. in* 6. ibi: „ Ecclesia tamen (vel Monasterium, cui facta est a Laico juris „ collatio patronatus) tempus habet semestre, & in eius Summario sic præcise dicitur; *Ecclesia vero* (habet) *semestre,*

27 *licet a Laico acquisiverit Iuspatronatus*. Tali semestri elapso Patronorum Ecclesiasticorum auctoritas expirat, ita ut post illud non possint amplius præsentare, sed pro ea vice collatio devolvatur gradatim ad Superiorem, idest de Capitulo ad Episcopum, de Episcopo ad Metropolitanum, de Metropolitano ad Nuncium, de Nuncio ad Papam; *c. Licet* 3. *De supplend. negligentia Prælator. & c. Nulla* 2. *De concessione præbendæ*; & Rota *p.*2. *recent. dec.*186. *n.*1. *p.* 18. *tom.*1.

28 *dec.*180. *n.*3. Et quilibet eorum habet sex menses ad conferendum a tempore scientiæ; Rota *in Spoletana Beneficiorum* 31. *Januarii* 1694. *coram Mantica inter ejus impressas Decisiones* 260. *& p.* 18. *tom.*1. *recent. dec.*180. *n.*3. Quamvis devolutio esset facta a Laico Patrono, qui tantum habet quadri-

29 mestre; Garcias *de Beneficiis p.*10. *cap.*3. *n.* 9. Rota *dec.*6. *de Iurepatronatus in novis*, *& in Sabinens. Beneficii* 11. *Maii* 1584. *coram Captio*, *& in Salamantina Portionis* 13. *Junii* 1586. *cor. Vbaldo*.

30 Potest tamen Episcopus, & respective Metropolitanus, & Nuncius elapso tempore Patronis, & respective aliis, ad quos ius fuerit devolutum, gratiam facere, & tempus ad præsentandum seu respective conferendum prorogare; Rota *p.*17. *recent. dec.*13. *n.*2. Lambertin. *de Iurepatr. lib.*2. *c.*9. *n.*33. Castropalao *p.*2. *tract.*13. *disp.*2. *punct.*5. *n.*8. Riccius *in præxi resol.*195. Barbosa *p.*3. *de Offic.*, *& potest. Epis. alleg.*72. *n.*143, *&* 170. & alii; *arg. Sicut nobis* 2. *De supplenda negligen. Prælat.* ponderando ibi verbum *Liceat*, quod ponit

31 causam in voluntate illius, cui licet. Cum hac tamen advertentia, quod Episcopus, & respective Metropolitanus, & Nuncius non potest prorogare tempus ultra sex menses; *arg. c. Nulla* 2. *De concessione præb.* ubi ipsis in casu devolutionis conceduntur solum sex menses ad conferendum, ibi: *Infra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferantur*, quia, ut recte censuit Rota *l.c. n.*3. *&* 4. hoc solum ferre potest in præiudicium sui ipsius, non autem in præjudicium alterius Superioris; Castropalao *l.c.* Reiffenst. *lib.*3. *Decret. tit.*38. *n.*56. & alii. Quamvis autem possit Epi- 32
scopus, & respective Metropolitanus, et Nuncius supradictum tempus prorogare, ipsum tamen non potest abbreviare; Vivian. *in praxi Jurispatronat. p.* 2. *lib.*7. Castropal. *l.c. punct.*5. *n.*8. Barbosa *l.c. n.*143. Alphonsus de Leone *q.*4. *praxi* 5. *n.*87. ubi citat Rotam *in Salamantina Beneficii* 4. *Februarii* 1630. *cor. Ghislerio*, in qua fuit expresse resolutum, Ordinarium non posse restringere, neque abbreviare tempus Patronis concessum a Iure ad præsentandum, quia indultum a Iure beneficium non potest per Iudicem tolli, *c. Indultum* 17. *De Regul. juris in* 6. ibi: *Indultum a Iure beneficium non est alicui auferendum*.

Patroni jurispatronatus mixti possunt omnes præsentare 33
intra semestre; Rota *p.*19. *recent. t.*1. *dec.* 129. *n.*3. *&* 34
dec. 298. *n.*1. 4. *& seq.* cum communi Doctorum. Tale enim Iuspatronatus mixtum gaudet privilegio Iuspatronatus Ecclesiastici ad effectum præsentandi intra semestre, Rota *p.*12. *dec.*250. *n.*15. *& p.*13. *dec.* 376. *n.* 4. *&* 5. Etiamsi minor 35
pars sit Clericorum, Rota *p.*12. *dec.*250. *n.*13. *&* 14. Ita ta- 36
men, ut Patroni uti Laici intra Quadrimestre ad præsentandum ante Episcopi institutionem possint variare, Rota *ibid. n.*19. Quin amittant tamquam Clerici semestre ad præsen- 37
tandum, Rota *ibid. n.*20. *&* 21. Quia in Iurepatronatus mixto 38
semper attenditur qualitas favorabilior Patronis, Rota *ibid. n.*22. *&* 23.

Tempus ad præsentandum non currit Patronis, nisi a die 39
scientiæ, seu habitæ notitiæ vacationis, *arg. c. Quia diversi-*
„ *tatem* 5. *De concessione præbendæ*, ibi: „ Semestre autem,
„ tempus non a tempore vacationis præbendarum, sed noti-
„ tiæ ipsius potius volumus computari.„ Et sic *Communis* cum Garcia *de Benef. p.*10. *c.*2. *n.*34. Barbosa *l. c. n.* 134. & Rota *p.*2. *recent. dec.*10. *n.*7. *dec.* 173. *n.* 1. *& d.*406. *n.*1. *p.*3. *dec.*377. *n.*3. *p.*7. *d.*221. *n.*9. *p.*19. *t.*2. *d.*678. *n.* 12. Et 40
quidem dictum tempus currit solum a die scientiæ veræ, & certæ, nec sufficit dubia, Rota *p.*5. *t.*1. *d.*15. *n.*12. Ita ut probatio scientiæ debeat esse vera, & concludens, nec præsumptiva sufficiat, Rota *p.*2. *d.*173. *n.*1. Barbosa *l.c. n.*35. *&* 36. cum pluribus aliis ibi citatis, *arg. c. Præsumitur* 46. *de Regulis Iuris in* 6. ibi: *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur*. Nisi ignorantia vacationis sit inverisimilis, quo casu 41
tempus currit a die ipsius vacationis, Rota *p.* 3. *d.*377. *n.*3. Præsumitur autem ignorantia potius, quam scientia, si Beneficiatus decesserit extra locum Beneficii, et habitationis Patronorum, Rota *p.*3. *d.*21. *n.*1. Similiter non currit tempus 42
Patrono legitime impedito, aut absenti, ut si Patronus sit absens Reipublicæ causa, vel injuste carceratus, vel si non haberet tutum accessum propter perhorescentiam alicujus inimici; Tempus enim non currit legitime impedito, *arg. cit. cap. Quia diversitatem* 5. *De concessione præbenda*: in cujus Summario sic expresse dicitur: „ semestre ad eligendum, seu „ conferendum a Iure præfixum non currit legitime impedi-
„ to, cap. Ne pro defectu 41. de electionibus „ ibi: *Iusto impedimento cessante*. Rebuffus *De Patron. poss. n.* 304. Barbosa *cit. alleg.*72. *n.*138. *& lib.*3. *juris Eccles. univ. c.*12. *n.* 170. et communis aliorum. Præsentatio intra prædictum tempus 43
datum a jure potest fieri a Patronis quocumque die etiam feriato, et etiam Paschali, cum sit quid extrajudiciale, et sapiat spiritualitatem: *Communis* cum Barbosa *cit. alleg.* 72. *n.*144. *& seq.*

Patronus Ecclesiasticus semel, ac aliquem idoneum præ- 44
sentavit, non potest amplius variare, seu pro illa vice alium præsentare, etiam cumulative; Quod tamen, si fecerit, debet Episcopus primo præsentatum instituere, textu claro *in cap. Quod autem* 5, *cap. Cum autem* 24. *& cap. Pastoralis* 29. *De jurepatr.* Rota *p.*13. *recent. d.* 14, *n.* 18. *p.* 17. *d.* 250. *n.*17. Fagnan. *in citat. cap. Cum autem* 24. *De jurepatronatus n.*15. ubi expresse dicit, quod Patronus Ecclesiasticus non potest variare præsentando alium etiam cumulative. & sic tenent etiam alii communiter. Patronus autem Laicus potest 45
variare præsentando secundum accumulative, non tamen privative, & exclusive, hoc est, potest uni præsentato alium adhuc adjungere, & Episcopo, quem instituere velit, relinquere. Non vero potest primum penitus excludere, *arg. cit. c. Cum autem* 34. *de jurepatronatus*; ubi cum relinqua-
45 tur arbitrio Episcopi, quis ex duobus a Patrono Laico successive præsentatis instituatur, aperte declaratur primam præsentationem non fuisse revocatam; alioquin Episcopus non posset primum præsentatum instituere; Et sic *in cit. cap. Cum autem* tenent Joann. Andr. *n.*6. Abbas *n.*2. Ancharanus *n.*3. Barbosa *n.*2. Fagnan. *n.*6. ubi ex Lambertino testatur sic tenere Communem Canonistarum, & Legistarum. Et sic Rota *p.*9. *t.*1. *d.*235. *n.*5. *p.*14. *decis.*431. *n.*5. & sæpe alibi.

46 Ipse tamen Patronus Laicus potest semel tantum variare, *arg. cit. c. Quod autem* 5. *c. Cum autem* 24. *cap. Cum Dilectus* 28. *& Cap. Pastoralis* 29. *de jurepatron.* ubi tum Textus, tum Summaria loquuntur tantum de duobus successive, & non de pluribus. Et sic tenet Rota *p.* 13. *recent. d.*14. *sub n.* 18. *& d.*178. *n.*4. *p.*14. *d.*262. *n.*5. Fagnan. *in cit. Cap. Cum autem* 24. *de jurepatr. n.*8. & efficaciter probat Calderin. *cons.* 16. *An Laicus tit. de jurepatron.* Garcias *de Benef. p.* 5. *c.* 9. *n.*214. Roch. *de jurepatr. q.*10. *verb. Honorificum*; Lambert. *de jurepatr. lib.*2. *p.*2. *q.*7. *art.*23. Navarr. *in c. Placuit, de pœnit. dist.*6. *n.*167. *& seq.* & pluribus aliis citatis, Barbosa *p.*3. *de Offic. & potest. Epis. cit. alleg.*72. *n.* 162. ubi citat etiam Rotam *in Compostellana Parochialis* 20. *Februarii* 1630. *coram Merlino*.

47 Sunt autem multi, qui tenent, posse Patronum Laicum intra quadrimestre cumulative variare, non solum semel, sed bis, ter, quater, & quoties voluerit, Sic Glossa *in Clementin. Plures* 2. *De Iurepatronat. verb. Præsentare*; Abbas *in Cap. Quanto, de Iudic. & ibi* etiam Decius, Castropalao *part.* 2. *tract.*13. *disp.*2. *punct.*6. *n.*3. Azorius *p.*2. *lib.*6. *c.*2. Perez de Lara *de Anniv. lib.*2. *Cap.*9. *n.*8. Navar. *in Suis Sing. Canon. Conclus.*112. *n.*8. Alphonsus de Leone *q.*4. *praxi* 5. *n.*98. & probabilius Reiffenstuel *lib.*3. *decret. tit.*38. *sub n.*58. *arg. cit. Cap. Quod autem* 5. *Cap. Cum autem* 24. *& Cap. Pastoralis* Et ratio istorum est, quia talis cumulativa variatio non est odiosa, sed favorabilis Ecclesiæ quia quanto plures ei præsentantur, pinguiorem habet facultatem eligendi, et acquirendi digniorem Rectorem. Unde ad id, quod in contrarium adducitur, quod variatio sit restringenda, utpote odiosa, dicunt esse quidem odiosam variationem exclusivam, non autem cumulativam, quæ potius est favorabilis. Et licet in citatis Juribus, tum Textus, tum Summaria loquantur tantum de duobus successive, per hoc tamen non excluditur tertius, quartus, quintus etc. cum dicta Jura loquantur tantum de duobus, ex quo solum de duobus se obtulit casus, qui si de pluribus se obtulisset, de pluribus etiam dicta Jura locuta fuissent.

48 Conveniunt tamen communiter Doctores utriusque sententiæ, quod Patronus Laicus, sicut potest duos cumulative præsentare successivis temporibus, ita potest præsentare plures simul unico contextu, dummodo id agat etiam cumulative eo modo, ut Episcopus alterum eligat, et admittat; Rota *p.*16. *d.*240. *n.*10. Fagnan. *in citat. Cap. Cum autem* 24. *de Iurepatr. n.*5. et alii passim, *arg. Clement. Plur. de Iurepatr.*

49 *§. final.* Item conveniunt satis communiter Doctores, quod, si Patronus Laicus prima, vel secunda vice fecit præsentationem nullam, veluti si præsentavit coram non habente potestatem instituendi, possit intra Quadrimestre tertium præsentare, quia tunc sicuti Patronus potest præsentare secundum ex toto, recedendo a primo; *arg. Cap. Cum Laici* 10. *de Iurepatr.* per quem textum ita tenet ex Abbate, et aliis Fagnan. *in cit. Cap. Cum autem n.*10. *&* 24. eodem modo potest præsentare tertium: Prima enim præsentatio, cum sit nulla, non computatur in numero præsentationum, et sic non impedit, quin secunda præsentatio sit prima, et tertius cumulative præsentatus sit secundus, quia, ut expresse dicitur *in c. Non præstat* 52. *de Regul. Iuris in* 6. *Non præstat impedimentum, quod de Iure non fortitur effectum*, adeoque Patronus Laicus, qui sic nulliter præsentavit prima, vel secunda vice, poterit intra Quadrimestre tertium, qui erit secundus, præsentare. Fagnan. cum aliis *in cit. c. Cum autem nu.* 9. *&* 11.

50 Reiffenst. *l.c. n.*59. Rota *p.*12. *recent. d.*154. *n.*15. Idem dicendum venit, si Patronus prima, vel secunda vice ignoranter præsentavit inhabilem, seu indignum. Fagnan. *in cit. cap. Cum autem n.*12. cum Joann. Andr. & Card. *in cap. Cum vos* 4. *de Officio Ordin.* In tali enim casu Patronus est sine culpa, sine qua nemo est privandus Jure suo, *Cap. Sine cul-*
„ *pa* 23. *de Reg. Juris in* 6. ibi: „ Sine culpa (nisi subsit
„ causa) non est aliquis puniendus.

Non potest tamen Patronus, lite pendente, nec etiam cu- 51
mulando variare; Rota *part.* 5. *recent. tom.*2. *dec.* 607. *nu.*4. 52
Nec ea durante inter duos præsentatos alium tertium præsentare sine vitio attentati; Rota *part.* 2. *decis.* 504. *num.* 2. Barbosa *cit. allegat.* 72. *num.* 162. ubi citat plures alios, & adducit etiam decisionem Rotæ. Minus vero, lite pendente, 53
super titulo Beneficii inter Provisum Apostolicum, & Præsentatum, iterum alium præsentare potest; Rota *part.* 2. *de-*
cis. 206. *num.* 8. Ita ut, neque possit cumulando præsentare 54
collitigantem; Rota *ibidem*. Prout neque in locum mortui alium præsentare potest; Rota *part.* 3. *decis.* 336. *sub num.*3. Barbosa *loc. cit.* cum aliis.

Ratio autem, quare ex supradictis *Patronus Laicus* variare 55
possit, & non *Ecclesiasticus*, multiplex a Doctoribus assignatur. Prima, & verior est, quia præsentatio Ecclesiasticorum vim habet electionis, in qua electione non cadit variatio, cum statim electo acquiratur Jus in re, *cap. Publicato* 58. *De Electione* ibi: *Publicato scrutinio variare nequeunt Electores*; & ibi Glossa verb. *Variare*. Non sic autem præsentatio Laicorum, quia præsentatus ab istis acquirit tantum Jus ad rem. Unde sicut non tenet secunda electio, prima non cassata, *cap. Consideravimus* 10. *& cap. Auditis* 29. *de electione*. ita nec secunda præsentatio Ecclesiasticorum; Joan. Andreas *in cap. Cum autem* 24. *De Iurepatr. nu.* 7. Butrius *ibid. num.* 9. Abbas *ibid. nu.* 7. Ancharan. *ibid. nu.* 5. Innocent. *ibidem in fine*, Fagnan. *ibid. nu.* 19. Gonzal. *Ad regul.* 8. *Cancellar. glos.* 15. §. 2. *nu.* 1. Barbosa *cit. alleg.* 72. 56
nu. 154. ubi citat Rotam, & plures alios Doctores. Secunda ratio potest esse, quia Clerici facilius, & melius possunt invenire, & cognoscere Clericos idoneos, quam Laici, qui cum sint extra Clericalem militiam, possunt titubare; Lambertin. *De jurepatronat. lib.* 2. *part.* 3. *quæst.* 7. *art.* 1. Bar- 57
bosa *loc. cit. num.* 155. & alii. Tertia ratio potest esse, quia Clerici Patroni pinguius Jus habent, quam Laici, ut dicit Glossa *in cit. cap. Cum autem* 24. *De jurepatronat.* verb. *Per-*
sona, id est ex præsentatione Clerici plus Juris tribuitur præsentato, quam ex præsentatione Laici, ut explicat Cardin. *nu.* 4. *vers. Quæro quæ est ratio* cum Fagnan. *loc. cit. nu.* 15. firmius enim debet esse verbum Ecclesiasticorum, quam Laicorum, *cap. Inter corporalia*, *& spiritualia* 2. *De translation. Episcop.*, *& Clement. Cum Illusio unic. De renunciation.* ibi: *Cum illusio*, *& variatio in personis Ecclesiasticis maxime sint vitandæ*. Imo pactio, sive locutio, vel dictum etiam cujuscumque firmius est, si agatur in foro Ecclesiæ, ut notatur *in cap. Antigonus* 1. *& cap. Qualiter* 3. *de pactis*; 58
Fagnan. *loc. cit. nu.* 16. & alii. Quarta ratio potest esse, quia Laici habent tantum Quadrimestre ad præsentandum, Ecclesiastici vero semestre: unde æquum videtur, ut qui gravantur in uno, releventur in alio; *leg. Eum*, *qui ff. de jurejur.* *leg. jure succursum* 6. *ff. de jure dotium*; & sic cum Patroni Laici graventur in hoc, quod tantum habeant Quadrimestre, releventur in alio, id est in hoc, quod possint variare; Barbosa *cit. allegat.* 72. *nu.* 155. Reiffenstuel *lib.*3. *decretal. tit.*38. *n.* 57. & alii.

Inter varia jura, quæ Patrono ratione jurispatronatus com- 59
petunt, quatuor præcipue assignantur *in cap. Nobis* 25. *de jurepatronat.* & a Glossa *ibidem in fine* enumerantur sequentibus duobus versiculis.

Patrono debetur honor, onus, utilitasque.
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Patrono ita competit jus præsentandi, ut si Clericum ha- 60
bilem, & idoneum præsentet, Episcopus, vel alius, ad quem spectat institutio, eum admittere, & in Beneficio instituere teneatur, *cap. Significasti* 18. *De jurepatronat.* cum similibus, & *Communis Doctorum*. Dummodo tamen præsen- 61
tet in tempore a jure statuto, quod est Quadrimestre pro Patrono Laico ex dictis supra *num.* 23. & semestre pro Patrono 62
Ecclesiastico ex adductis *num.* 26. Nisi a Fundatore in fundatione cum consensu Episcopi fuerit tale tempus prolongatum, vel abbreviatum, uti posse sic prolongare, & abbreviare cum Episcopi consensu, & Episcopum non posse ipsum consensum denegare, aliter Superior suppleret, docet Lambertin. *De jurepatronat. part.* 2. *lib.* 1. *quæst. princip.* 28. *art.* 7. Ventriglia *tom.* 2. *De jurepatronat. annot.* 1. §. 3. *nu.* 33. *& Communis aliorum*. Cum Fundator Beneficii possit in limine fundationis cum consensu Episcopi apponere conditiones, & pacta sibi benevisa, etiamsi juri communi sint contraria, &

Episcopus teneatur illa admittere, alias Superior suppleret, ut docet, & testatur de communi Monacell. *part.* 1. *tit.* 2. *formul.* 1. *num.* 7. *& sequent.* et tenet Rota *part.* 1. *recent. decis.* 530. *nu.* 2. Card. de Luca *de jurepatr. disc.* 14. *sub num.* 6. *disc.* 20. *nu.* 16. *disc.* 68. *num.* 8. *de Benefic. disc.* 33. *num.* 6. *disc.* 94. *n.* 8.

63 Hinc sine consensu Patroni in tempore a jure, vel Fundatore statuto habilem præsentantis, Episcopus alteri conferre non potest Beneficium jurispatronatus, et si ipso Patrono contradicente, conferatur ab Episcopo, collatio est irritanda, et facienda ad præcisam præsentationem ipsius Patroni, *cap. Decerninus* 32. *caus.* 16. *quæst.* 7. ibi: *Quod si spretis eisdem Fundatoribus Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordinari; & argum. cap. Ex insinuatione* 14. *cap. Significasti* 18. *cap. Nobis* 24. *De jurepatronat.* cum similibus. Et sic tenet communis Doctorum.

64 Papa tamen si velit, potest libere disponere de Beneficiis Patronatis, nedum Ecclesiasticorum, sed etiam Laicorum, etiam invitis Patronis; *Communis* cum Glossa *in Clementina Per litteras* 2. *De præbend. verb. Apostolicis*; Fagnan. *in cap. Quoniam* 3. *De Jurepatronat. nu.* 9. Reiffenstuel *lib.* 3. *decretal. tit.* 38. *num.* 63. *argum. cap. Licet* 2. *De præbend. in* 6. Cum enim Jurispatronatus, quod Laici in Ecclesiis habent, gratiosum sit, eosque Ecclesia in tali potestate ex gratia sustineat, ut expresse dicitur *in cit. cap. Quoniam*, ibi: *Potestate, in qua eos Ecclesia huc usque sustinuit, abuntur &c.* stat clarum, quod Papa ex plenitudine potestatis possit tali Jurispatronatus derogare, *argum. cap. Omnis res*, 1. *de Regul. Juris*, ibi: *Omnis res, per quæcumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Sed non expedit, ut Papa de Jurepatronatus Laicorum sic ipsis invitis disponat, ne Laici a Fundationibus retrahantur, ut notant communiter Doctores, & quia *Patronorum Jura tollere, piasque Fidelium voluntates in eorum*
66 *institutione violare æquum non est*, ut dicit Concil. Trident. *sess.* 25. *de reformat. cap.* 9. Unde nunquam Papa censendus est velle derogare Juripatronatus proprio Laicorum, nisi id clare exprimat; Fagnan. *loc. cit. nu.* 11. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 63. Geminian. *consil.* 38. *pro clariori nu.* 13. *vers. Ex iis ergo patet*; Felin. *in tract. Quando litteræ Apostolic. præjudic. Patron. in princip.*, & alii passim.

67 Non sic autem de Jurepatronatus Ecclesiasticorum, cui Papa censetur derogare per simplicem concessionem, unionem, aut reservationem ab ipso factam; *Communis* cum supracitatis; In tali enim Jurepatronatus Ecclesiasticorum cessant motiva non libere ei derogandi, quæ occurrunt in jure-
68 patronatus Laicorum. Imo juripatronatus Ecclesiastico potest derogare etiam Legatus Summi Pontificis, qui potest sibi reservare nondum vacantia Beneficia *Jurispatronatus Ecclesiastici*, eaque vacantia conferre, etiam absque consensu Patroni; quamvis non sic Beneficia *jurispatronatus Laicalis*, *arg. cap. Dilectus* 6. *de Officio Legati*; *& cap. Cum Dilectus* 28. *de Jurepatronat.* & ibi Abbas *nu.* 2. Barbosa *num.* 1. & Communis aliorum. Et ratio adducitur *in cit. cap. Cum Dilectus*, scilicet, quia *Patronus Ecclesiasticus* subest jurisdictioni Legati
69 Pontificii, & non sic *Patronatus Laicus*. Si autem jurispatronatus sit mixtum, tunc Legatus Pontificius, nec reservare, nec conferre potest Beneficium invitis Patronis, quia *Patronus Clericus* participat de privilegio *Patroni Laici*, cum in jurepatronatus mixto semper attendatur qualitas favorabilior Patronis; Rota *part.* 12. *recent. decis.* 250. *num.* 22. *&* 23. & fuit dictum supra *a nu.* 33. *ad* 38.

70 Patronus potest nominare Laicum, dummodo iste reperiatur Clericus tempore præsentationis; Vivian. *de jurepatronat. lib.* 6. *cap.* 7. *nu.* 40. *part.* 2. Rota post eumdem *decis.* 148. *nu.* 14. *et sequent. et part.* 19. *recent. dec.* 621. *nu.* 22. *et in Farfen. Canonicatus* 8. *Iunii* 1711. §. *Postremo*, *coram Molines*, Garcias *de Beneficiis part.* 7. *cap.* 1. *nu.* 32. *& sequent.* Parisius *de Resignat. lib.* 4. *quæst.* 2. *nu.* 4. *et* 6. Piton.
71 *tom.* 2. *de controvers. Patronat. allegat.* 100. *nu.* 436. Imo Patronus potest etiam præsentare Laicum coram Ordinario sub conditione, quod clericetur intra tempus statutum ad præsentandum, cum in hoc casu præsentatio collata videatur in tempus, quo Præsentatus erit capax per assecutionem Clericatus ante institutionem; Parisius *de resignat. Benefic. lib.* 4. *quæst.* 2. *nu.* 4. *et* 6. citans Rotam *in Imolensi Jurispatronatus* 19. *Novembris* 1494. *coram Orano*, cujus Rote, & Parisii sententiam in sensu conclusionis videtur sequi etiam Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 27. *num.* 78. uti de facto pro se ipsum citat Pitonius *loc. cit. num.* 437. & sic tenet etiam Garcias *de Beneficiis part.* 7. *cap.* 1. *nu.* 28. *&* 29. De Luca *de Jurepatronatus discurs.* 45. *num.* 7. Modern. Roman. *discept.* 13. *num.* 45. Rota post Vivian. *de Jurepatronat. decis.* 147. *num.* 19. & admisit Rota *in Volaterana Beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Nec valuit*, *coram Crispo*, & sic tenuit etiam Rota *apud Peniam decis.* 4. *&* *dec.* 147. *nu.* 20. et in aliis, et Pirr. Conrad. *in praxi Benefic. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 31. *et* 32. ut refert Card. de Luca *cit. dec.* 45. *num.* 5. et alii plures.

Multi tamen, ut Ventriglia *tom.* 2. *annot.* 7. *nu.* 12. *et se-* 72
quent. citans alios, Reiffenstuel *lib.* 3. *decretal. tit.* 38. *nu.* 71. Castropalao, et Gonzal. apud ipsum, et alii tenent oppositum; scilicet, quod Patronus non possit præsentare Laicum sub conditione futuri Clericatus, nec alium aliunde incapacem sub conditione futuræ capacitatis intra tempus ad præsentandum statutum, v. gr. sub conditione ætatis, seu dispensationis acquirendæ, et hujusmodi, volentes, quod in Beneficiis attendatur capacitas tempore præsentationis. At hæc opinio non habet sequaces, uti dicit Pitonius *tom.* 1. *de controvers. Patronorum allegat.* 1. *sub nu.* 23. *in fine*, ubi expresse dicit, quod modus præsentandi inhabilem sub conditione habilitatis intra terminum Juris superventuræ est omnino licitus; Et sic etiam modus se se opponendi coram Institutore, quem servare possunt passive vocati, si per Patronos omittantur; possunt enim comparere, et instare pro Institutione, v. gr. *Si et postquam effecti fuerint Clerici*, *aut dispensati ab ætate*. Hæc enim præsentatio, aut oppositio, seu instantia non expletur pure, sed pendet ab eventu, seu conditione habilitatis purificanda intra quadrimestre, et interim remanet in pendulo; Unde aut non purificabitur conditio intra terminum, aut nulla adesse dicitur præsentatio, seu oppositio, aut purificatur, et tali casu Clericatus, seu dispensatio retrotrahitur ad diem præsentationis, & oppositionis, ut communiter dixerunt supracitati Doctores, & Rota *sub num.* 61. Hæc ille.

Quamvis autem modus sic præsentandi sit omnino licitus, 73
Cardinalis de Luca *de Jurepatronatus cit. decis.* 45. *num.* 8. dicit, quod melius esset, quod Patronus differret præsentationem usque ad ultimum diem, vel horam termini a lege præfiniti ad præsentandum, atque ita expectare capacitatem personæ sibi placitæ, quę ob superventam capacitatem posset tali tempore validissime adhuc præsentari, ut tenet Communis cum Pitonio *tom.* 1. *allegat.* 2. *num.* 24. *et allegat.* 4. *num.* 23.

Patrono recusante præsentare quem nominavit Fundator, 74
potest ille nedum irrequisito, sed imo etiam invito Domino comparere coram Superiore, & institutionem obtinere; *Communis* cum Card. de Luca *de Jurepatronat. disc.* 20. *nu.* 7. *vers. Etiam sine præsentatione*, Piton. *cit. tom.* 2. *allegat.* 82. *numer.* 10. Rota *coram Buratt. dec.* 755. *num.* 2. *& in recent. decis.* 68. *num.* 2. *part.* 12. *& decis.* 335. *num.* 1. *& sequent. part.* 15. *& in Valentina Beneficii* 9. *Januarii* 1693. §. *Moti*, *et* 3. *Aprilis ejusdem anni* §. *final. coram Molines* impressa apud Pitonium *disceptat. Ecclesiast.* 7. *n.* 31.

Patronus nequit præsentare seipsum, quamvis sit Clericus, 75
& undequaque dignissimus; *Communissima*, textu expresso *in cap. Cum ad nostram* 7. *de institutionibus*, *et cap. Per nostras* 26. *de Jurepatronatus*; Præsentatio enim sui ipsius sapit ambitum, seu vitium ambitionis, ut innuitur *in cit. cap.* 26. *De Jurepatronatus*; Tum quia, ut expresse dicitur *in cit. cap. Cum ad nostram* 7. *de Institutionibus*: *Inter dantem*, *et accipientem debet esse distinctio personalis*. Imo Patronus non 76
potest præsentari a Procuratore a se constituto ad præsentandum, quia virtualiter seipsum præsentare censeretur, *argum. Qui facit* 72. *de Reg. Juris in* 6. ibi: *Qui facit per alium, ipse perinde, ac si faciat per se ipsum*; *Communis* cum Rota *decis.* 185. *part.* 2. *diversar.* Castropalao *part.* 2. *tract.* 13. *disput.* 2. *punct.* 7. *nu.* 2. Barbosa *lib.* 3. *Juris Eccles. univers. cap.* 19. *nu.* 195. *et part.* 3. *de Offic. et potest. Episcop. allegat.* 72. *n.* 87.

* Potest tamen Patronus rogare Episcopum, ut si inveniatur dignus sibi illud conferat; sive debet jurispatronatus suum alteri donare donatione sincera, ex qua ipse perpetuo expectetur jure Patroni, quando donationem approbaverit Episcopus, vel saltem Episcopus conferat eidem absque prævia præsentatione Beneficium, & Beneficiatus illud acceptet, tum post collationem ipse præstet consensum suum. Benedict. XIV. *Instit. Eccles.* 95. §. 5. *

Po-

77 Potest tamen *Patronus* acceptare Beneficium, si hoc eidem absque prævia præsentatione sui ipsius, motu proprio confert Episcopus; Tunc enim non præsentat se ipsum, nec collatio habet originem a se ipso, sed ab Ordinario Superiore vocatur, cui vocationi ipse consentire potest: Alioquin Patronus esset deterioris conditionis, quam alii Clerici, ipsique obesset, quod Beneficium fundaverit, quod non est dicendum: Barbosa *cit. lib.* 3. *Jur. Ecclesiast. univ. cap.* 12. *nu.* 199. *et cit. alleg.* 72. *num.* 90. Abbas *in cit. cap. Per nostras* 26. *de Jurepatronat.* 31. Pirhing. *lib.* 3. *decretal. tit.* 38. *n.* 73.
78 & alii passim. Imo potest Patronus rogare, & supplicare Episcopum, ut ipsi conferat Beneficium, quo casu poterit Episcopus, illum gratificando, admittere: Lambertin. *de Jurepatronat. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 8. *art.* 3. Zerola *in praxi Episc. part.* 1. §. 21. Pirhing. *loc. cit. nu.* 91. Barbosa *cit. cap.* 12. *numer.* 199. Rota *in Regiensi Jurispatr.* 19. *Januarii* 1624. *coram Pirovano*, *et in ead.* 5. *Martii* 1625. *cor. Ubaldo*, *et in Barchinon. Beneficii* 2. *Maji* 1625. *Coram Pirovano*.

79 Patronus potest præsentare filium, aut alium consanguineum, vel conjunctum: Filii enim consanguinei, vel consanguinei, vel conjuncti ipsius Patroni non debent esse deterioris conditionis, quam alii; Alioquin Jurispatronatus quod est introductum in favorem Fundatoris, retorqueretur in odium ipsius, & suorum, quod nullatenus est dicendum, cum ist expresse contra *cap. Quod ob gratiam* 61. *de Regul. Juris in* 6. ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur*, *non est in ejus dispendium retorquendum*, & sic tenet Communis Doctorum, & docet praxis universalis.

80 Si plures sint *Patroni*, potest unus præsentare alterum, dummodo sit habilis, *argum. cap. Cum in Jure* 33. *de election.* ubi habetur, quod compromissarii unum ex seipsis eligere possint, & condordant *cap. Ne pro defectu* 41. *cap. Quia propter* 42. *de election.* cum similibus, ubi eligentibus permittitur unum ex seipsis eligere, ut servat praxis universalis, & sic tenet Communis Doctorum cum Glossa *in cap. Consuluit* 15. *de jurepatronatus*, *verb. Concedant*.

81 Patronus Ecclesiasticus tenetur sub mortali præsentare dignorem ad Beneficia Curata, seu Parochialia, sive præsentatio fiat in concursu, sive extra concursum; *Communis* cum Reiffenstuel. *lib.* 1. *decretal. tit.* 6. *de election.* §. 10. *a num.* 241. *et lib.* 3. *tit.* 38. *de jurepatronat. num.* 77. vide verb. *Beneficia art.* 5. *a num.* 17. *ad* 27. ubi late probata fuit hæc con-
82 clusio. Non sic autem Patronus Laicus, sed sufficit, quod præsentet dignum, seu idoneum; Fagnan. *in cap. Quoniam* 3. *de jurepatr. num.* 15. Garcias *de Beneficiis part.* 7. *cap.* 16. *n.* 19. Barbos. *in cap.* 18. *sess.* 24. *Concil. Trident. num.* 152. cum pluribus ab ipso citatis contra alios plures ibi ab ipso adductos, & contra Reiffenst. *lib.* 3. *decret. tit.* 38. *a num.* 78. *ad* 81. ubi ait, & probat, quod probabilior, & merito tenenda est sententia contraria, dicens etiam *Patronos Laicos* graviter obligari ad sic præsentandum digniorem - At vide *citat. verb. Beneficia art.* 5. *num.* 34. *et* 32. ubi cum plurimis fuit conclusum contrarium. Fateor tamen, opinionem Reiffenstuel, & aliorum adversariorum esse vere probabilem.

83 Hinc quando Patronus Laicus præsentat Clericum dignum ad Beneficium etiam Curatum, tenetur Episcopus eum instituere, non obstante, quod judicet aliquem alium fore digniorem; *arg. cap. Cum nobis* §. *Hic igitur* 10. *& cap.*
84 *Cum Dilectus* 32. *de elect. communis Doctorum*. Immo præferendus est præsentatus a majori parte Patronorum, dummodo sit idoneus, & dignus, licet alius præsentatus a minori parte sit dignior, quia non est facienda comparatio zeli ad zelum, aut meriti ad meritum, sed numeri ad numerum. Glossa *in cap. Quoniam* 3. *de jurepatronatus verb. Majoribus*, Fagnan. *ibid. num.* 15. Hostiensis *ibid.* 5. *in verb. Eligitur*; Lambertin. *tract. de jurepatronatus lib.* 2. *part.* 3. *q.* 4. *art.* 2. *&* 3. Barbosa *de Offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 72. *num.* 199. & alii ibi citati. Rota *part.* 9. *tom.* 1. *recentior. decis.* 235. *num.* 7. *& part.* 19. *tom.* 1. *decis.* 298. *numer.* 8. *&* 9.

85 Patronus tum Ecclesiasticus, tum Laicus non tenetur præsentare digniorem, sed sufficit, quod præsentet dignum ad Beneficia simplicia, & non curata; Vide *d. verb. Beneficia art.* 5. *n.* 28. *ad* 30. ubi est satis probata conclusio.

86 Patronus Ecclesiasticus præsentans scienter indignum privatur ea vice jure præsentandi, & devolvitur potestas libere conferendi ad Ordinarium. Fagnan. *in cap. Cum vos* 4. *de Officio Ordinar. num.* 27. *& sequent.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. cit. alleg.* 72. *num.* 105. & communis, ac certa aliorum; *arg. cap. Sicut nobis in fine* 2. *de supplenda negligentia Prælator.* & ibi Glossa *final.* Et faciunt textus *in cap. Cum in cunctis* 7. §. *Cleric. fane*, *& cap. Innotuit* 20. *de elect. & cap. Quamquam* 18. *eod. in* 6. ubi eligentes scienter indignum privantur ea vice jure eligendi. Secus vero, si ignoranter inculpabiliter præsentet indignum, quia tunc 87
præsentatione per Ordinarium rejecta, habet novum semestre ad alium præsentandum; *arg. cap. Si electio* 26. *de election. in* 6. ubi Juris terminus ad eligendum de novo concedi-tur, quando eligentes ignoranter inculpabiliter eligunt indignum, cujus electo ob vitium ab Electoribus sic ignorato cassatur. Sic *Communis Doctorum* cum Lambertino *p.* 1. *lib.* 2. *q.* 10. *art.* 4. *n.* 15. Fagnan. *in cit. cap. Cum vos n.* 32. Abbate *ibid. n.* 5. Jo: Andr. *ibid. n.* 13.

Patronus Laicus præsentans scienter indignum, privatur 88
probabilius etiam ipse ea vice jure præsentandi, & devolvitur potestas libere conferendi ad Ordinarium, sic habetur expresse *ex Constitut. Novell.* 123. *De Sanctissim. Episcopis* §. *Si quis Oratoriii Domum* 18. ubi sic statuitur: Si vero, qui ab eis (scilicet Patronis Laicis) eliguntur, tamquam indignos prohibent Sacræ Regulæ ordinari, tunc sanctissimus Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinari procuret. Et concordat *Novell.* 131. *cap.* 10. *Si quis ædificationem*. Item *l. Cum quidam ita*, *ff. de Legat.* 2. & ibi Glossa, ubi probatur eum, qui electionem ex dispositione Testatoris habet, privari potestate eligendi, si eligit indignum. Et sic tenet Abbas *in cap. Cum vos* 4. *de Offic. Ordinarii num.* 5. ubi dicit hanc sententiam esse verissimam, & allegat Doctores de Rota idem tenentes *decis.* 205. Card. de Luca *de Jurepatronat. disc.* 47. *a num.* 2. ubi adducit Rotæ decisionem, & dicit hanc sententiam esse magis communiter receptam, & eam solide probat solvendo contraria; Lambertin. *de Jurepatronat. par.* 1. *lib.* 2. *q.* 10. *art.* 4. citans plures alios, Joann. de Lignan. *in Clement.* 1. *de jurepatronat.* Geminian. *in cap.* 1. *de præbend. in* 6. Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. cit. alleg.* 72. *num.* 105. cum pluribus aliis ibi citatis, Rota *part.* 2. *recent. decis.* 206. *numero* 7. *part.* 14. *decis.* 291. *num.* 8. & alias repetitis vicibus tenuit Rota, teste Fagnano, *in cap. Cum vos* 4. *de Officio Ordinarii num.* 39. ubi citat alios Doctores pro ista sententia; quamvis ipse *ibid. a num.* 46. dicat contrariam esse æquiorem, & benigniorem, & videri etiam de jure veriorem. Reiffenstuel *lib.* 3. *Decr. cit. tit.* 38. *n.* 87. *ad* 89. & alii plures.

Et probatur a fortiori hæc nostra sententia, quia, si illi, 89
qui de jure communi habent potestatem eligendi, vel conferendi Beneficium, ipso facto privantur tali jure, seu potestate, quando eligunt, seu instituunt indignum, ut *in cap. Cum in cunctis* 7. §. *final. de electione*, ergo a fortiori, & multo magis debent privari tali Jure Patroni, qui illud habent ex sola gratia; *cap. Quoniam* 3. *de Jurepatronatus*, cum Jus commune difficilius tollatur, quam privilegium, *leg. Ejus militis* §. *Militia*, *ff. de militar. testament.*

Vere probabilis tamen est sententia contraria docens, 90
quod *Patronus Laicus* scienter præsentans indignum, seu inhabilem, ea vice nec privatus, nec privandus sit jure præsentandi. Et hanc tenent Glossa *in cap. Cum vos* 4. *de Officio Ordinar. verb. Minus idoneæ*; & ibidem late Fagnan. *a numero* 34. *usque in finem*; Imola *numer.* 5. Ancharanus *num.* 4. Pirhing *lib.* 3. *Decretal. tit.* 38. *num.* 104. & alii plures, *arg. cit. cap. Cum vos*, ubi certo præsupponitur indignum fuisse præsentatum a *Patrono Laico*, & tamen non devolvitur ad Episcopum jus providendi de Rectore Ecclesiæ, sed solum potestas constituendi Œconomum, quod satis demonstrat Patronum Laicum non fuisse privatum jure præsentandi, cum Episcopus non providerit de Rectore, seu Beneficiato Ecclesiæ, aut de Beneficio, sed solum de Œconomo, seu Administratore Beneficii adhuc vacantis. Et ratio est, quia, si licitum est *Patrono Laico* variare, & alium præsentare, quando præsentavit idoneum; *arg. cap. Cum antem* 24. *de Jurepatronatus*; multo magis licitum est, si præsentavit indignum, cum variatio præcipue concedatur a Jure, quando actus est illicitus, ut notat Jo: Andreas *in cit. cap. Cum vos* 4. *de Officio Ordinarii*, *arg. cap. Nostri* 9. *de election. & cap. Diversis fallaciis* 5. *de Clericis conjugat.* Tum quia in puncto Jurispatronatus initius est agendum cum *Laicis*, quam cum *Clericis*, ne ipsi Laici a fundationibus retrahantur. Glossa magna *in fine*, & Hostiensis *numer.* 10. *in cap. Cum Dilectus* 28. *de jurepatronatus*, & plene notatur *in cap. Dilectus* 6. *de officio Legati*: Tum quia nullibi reperitur

ritur in Jure ſtatuta hæc pœna, quod *Patronus Laicus* ſcienter præſentans indignum, ſit pro ea vice ipſo jure privatus poteſtate præſentandi; Quamvis enim hæc pœna privationis ſit expreſſa de eligentibus ſcienter indignum *in cit. cap. Cum in cunctis 7. §. final. de elect.* hinc tamen non ſequitur, ut locum habere debeat in præſentantibus indignum; *arg. cap. ſtatutum 22. de elect. in 6.* cum præſertim ſubſit etiam diverſitas rationis, nam eligentes tribuunt jus in re, præſentantes autem ſolum jus ad rem; *cap. Cum Bertoldus 18. de ſententia, & re judicata*, ut dicit Fagnan. *in cit. cap. Cum vos 4. de Officio Ordinarii num. 52.* ubi *n. 55.* ſubjungit hanc ſententiam fuiſſe approbatam a Sacra Congregatione Concilii, quæ ſi in forma authentica adduceretur, ob auctoritatem tot undequaque Eminentiſſimorum Patrum non eſſet ab ipſa recedendum.

91 Certum autem eſt, & communiter tenent Doctores utriuſque ſententiæ, quod, ſi *Patronus Laicus* ignoranter præſentet indignum, non privetur jure ſuo, ſed poſſit variare, quia, ſi an privatur jure ſuo *Patronus Eccleſiaſticus* præſentans ignoranter indignum, ut probatum eſt ſupra *numer. 87.* multo minus privabitur *Patronus Laicus*, utpote cui Jura in hoc puncto magis favent, quam illi, ut patet ex dictis *num. antecedenti. Communiſſima arg. cap. Cum vos 4. de Officio Ordinarii.*

92 Quando plures æque digni præſentantur ab eodem *Patrono Laico*, poteſt Epiſcopus ex ipſis libere inſtituere quem velit, textu expreſſo *in cap. Cum autem 24. de Jurepatronatus*, ibi: „ Cum autem Advocatus Clericum idoneum „ Epiſcopo præſentaverit, & poſtulaverit poſtmodum, „ eò non refutato, alium æque idoneum in eadem Eccleſia „ admitti, quis eorum alteri præferatur, judicio Epiſcopi „ credimus relinquendum, ſi Laicus fuerit, cui Jus com-
93 „ petit præſentandi. Sic *Communis Doctorum*. Si autem plures præſententur a Patrono Eccleſiaſtico, ille inſtitui debet, qui prius fuit præſentatus, textu etiam expreſſo *in cit. cap. Cum autem*, ibi: „ Verum, ſi Collegium, vel Ec- „ cleſiaſtica perſona præſentationem haberet, qui prior eſt „ tempore, jure potior eſſe videtur. Fagnan. *ibidem n. 1.* Abbas *ibidem n. 1.* Barboſa *ibidem n. 1.* & alii communiter. Et ratio eſt clara, quia cum Patronus Eccleſiaſticus non poſſit variare præſentando alium etiam cumulative per textum *in cap. Quod autem 5. cap. Cum autem 24. & cap. Paſtoral. 29. de Jurepatronatus*, ut fuit dictum ſupra *n. 44.* hoc ipſo
94 prima præſentatio valebit.

Quando plures inæqualis Dignitatis, aut meriti ſimul, vel ſucceſſive ab unico *Patrono Laico* præſentantur, Epiſcopus tenetur inſtituere digniorem; *arg. cit. cap. Cum autem*, ubi tunc præciſe relinquitur libertas Epiſcopo, quando æque idonei præſentantur, adeoque a ſenſu contrario ſi non æque idonei præſentantur, debet conformiter juſtitiæ diſtributivæ inſtituere digniorem; *arg. cap. Licet ergo 15. cauſ. 8. quæſt. 1.* Fagnan. *in cap. Cum autem n. 28.* Abbas *ib. n. 5.* Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 72. n. 201.* Caſtropalao *p. 2. tr. 13. diſp. 2. punct. 9. num. 3.* Azorius *part. 2. lib. 6. cap. 22. quæſt. 14.* Reiffenſtuel *lib. 3. Decretal. cit. tit. 38. n. 107.* & alii paſſim.

95 Item quando plures inæqualis Dignitatis, aut meriti præſentantur a pluribus Patronis cum æquali numero vocum Epiſcopus tenetur inſtituere digniorem; *cap. Quoniam 3. de Jurepatronatus*, ibi: „ Præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi „ forte in plures partes Fundatorum ſe vota diviſerint, ille „ præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis. Et ſic tenent Innocentius *ibidem in fine*; Joan. Andreas *in cap. Cum autem 24. de Jurepatronatus n. 3.* Barboſa *ibidem n. 8. & cit. alleg. 72. n. 201.* cum aliis ibi citatis. Caſtropalao *loc. cit. diſp. 2. punct. 9. n. 3.* Roch. de Curte *de Jurepatronat. in verbo Honorificum q. 16.* Lambertin. & alii plures apud Ricc. *in praxi part. 1. reſolut. 217. n. 1. & ſeq.* ubi cum aliis non excuſat a peccato mortali Epiſcopum, qui prætermiſſo digniore, inſtituit dignum, licet non teneatur ad reſtitutionem, quem ſequitur Ventriglia *tom. 2. de Jurepatr.*
96 *annot. 1. §. 3. num. 47.* ubi dicit hoc eſſe indubitatum. Et talis dignior prætermiſſus poſſet ab inſtituente appellare. Barboſa *cit. alleg. 72. num. 202.* Garcias *de Benefic. par. 9.*
97 *cap. 3. num. 32.* & multi alii, quos refert Riccius *loc. c. n. 4.* Contrarium tamen tenent Fagnan. *in cit. cap. Cum autem 24. de Jurepatronat. num. 23.* Abbas *ibidem num. 9.* Silveſter *verb. Juſpatronatus quæſt. 8.* Reiffenſtuel *lib. 3. Decretal. cit. tit. 38. num. 94.* & alii plures volentes, quod quando plures a pluribus Patronis præſentati in votis ſint pares, licet in Dignitate, & merito ſint diſpares, ſeu inæquales, neuter eorum acquirat Jus, nec teneatur Epiſcopus aliquem ex præſentatis, etſi digniorem inſtituere, adeoque neque digniorem prætermiſſum poſſe ab inſtituente appellare.

Quando plures æqualis dignitatis, & meriti præſentantur a pluribus Patronis cum æquali numero vocum, tunc 98
Epiſcopus poteſt ex ipſis ſic præſentatis inſtituere; quem maluerit, & ſic eſt locus gratificationi. Jo: Andreas, & Abbas *in cit. cap. Cum autem 24. de Jurepatr.* Barboſa *ibidem num. 8. & cit. alleg. 72. num. 200.* Lambertin. *de Jurepatronat. lib. 2. part. 3. qu. 5. princip. art. 1. num. 2.* Cæſar de Graſſis *de Jurepatronat. deciſ. 1. num. 9.* Marc. Antonius *variar. reſol. lib. 1. reſol. 104. n. 1. verſ. Tum demum*, Caſtrop. *l. c. diſp. 2. punct. 9.* & alii paſſim.

Quando Patroni litigant inter ſe ſuper Juſpatronatus, & li- 99
tem non finiunt intra terminum quatuor, vel reſpective ſex menſium a Jure conceſſum, & nullus ex ipſis eſt in notoria poſſeſſione præſentandi, tunc pro ea vice Beneficium libere confert Ordinarius, ad quem pertinet inſtitutio. *Communis* textu claro *in cap. Quoniam 3. cap. Si vero 12. cap. Eam te decet 22. & cap. Cum propter 27. de Jurepatr.*

Si vero unus ex litigantibus Patronis ſit cum bona fide 100
in notoria poſſeſſione præſentandi ad tale Beneficium vere Patronatum, tunc ipſe valide, & licite præſentat, & præſentatus, non obſtante lite, debet inſtitui, & firmiter manebit talis præſentatus ab ipſo, quamvis poſtea in judicio talis *Patronatus* ſuccumbat, textu expreſſo *in cap. Conſultationibus 19. de Jurepatronat.* & ibi Doctores paſſim, & ſignanter Fagnan. *num. 16. & 17.* ubi citat plures Rotæ deciſiones. Barboſa *num. 5.* cum plurimis ibi citatis. Et Rota *rec. par. 1. dec. 224. num. 1. part. 2. dec. 181. num. 1. par. 10. dec. 301. num. 13. par. 14. deciſ. 469. num. 5.* & ſæpe alibi. Ad quem effectum attenditur etiam unica præſentatio effe- 101
ctuata. Rota *part. 5. tom. 1. dec. 85. num. 4.* Vivian. *in praxi Juriſdiction. Patronat. lib. 5. cap. 4. num. 29.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancellar. Gloſſa 18. n. 86.* & Gloſſa *45. §. 2. n. 29.* Barboſa *l. c. n. 6.* cum pluribus ibi citatis.

Quando lis eſt inter Patronum, & Epiſcopum pugnantem 102
pro Eccleſiæ libertate, ſi lis non finiatur intra terminum quatuor, ſeu reſpective ſex menſium a Jure ſtatutum, nequit Epiſcopus aliquem pro libitu inſtituere, ſed debet interea ponere Eccleſiæ Oeconomum, donec lis finiatur; *arg. cap. Cum vos 4. de Officio Ordinarii*, Fagnan. *in cit. cap. Quoniam 3. de jurepatronat. num. 18.* Abbas *ibid. num. 7.* Hoſtienſis *ibid. num. 7.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. cit. alleg. 72. num. 141.* citas Rotam *deciſ. 411. num. 3. part. 1. diverſar. & in cap. Eam te decet 22. num. 6. de jurepatronatus*, & alii paſſim:

Item quando lis eſt inter Patronum, & præſentatum, vel 103
inter ipſos præſentatos; non poteſt Epiſcopus pro libitu aliquem inſtituere, quamvis lis duret ultra quatuor, vel ſex reſpective menſes; ſed interea, lite durante, debet deputare Oeconomum; Fagnan. *in cap. Quoniam num. 19.* ubi citat Rotam, Abbas *ibid. num. 7.* Barboſa *cit. alleg. 72. n. 141. & Communis aliorum*; Et ratio eſt, quia *cit. cap. Quoniam 3. de jurepatronat.* & alia Jura concedentia liberam collationem Ordinario tempore litis, loquuntur ſolum de caſu, quo lis eſt inter ipſos Patronos, adeoque tamquam odioſa, & exorbitantia non ſunt extendenda ad caſus ſimiles, etiamſi eſſet paritas rationis; *arg. c. Quæ a jure 28. de regul. juris in 6.* ibi: *Quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam ſunt trahenda, & c. Quod alicui 74. de regul. juris eod. in 6.* ibi: *Quod alicui gratioſe conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum*, Unde *cap. Is qui 1. de filiis Presbyterorum, §. Ille vero* dicit expreſſe Summus Pontifex: *Prætextu diſpenſationis hujuſmodi; quam exorbitantem a jure oportet veluti odioſam reſtringi.*

Ex verſiculis allatis *ſupra num. 59.* quatuor præcipue Jura 104
competunt Patrono, Unde viſis iis, quæ ad ipſum ſpectant ratione *juris præſentandi*, breviter adducuntur ea, quæ ſpectant ad ejus *jus honoris*. Jus igitur *honoris* competens Patro- 105
no, & indicatum in allatis verſiculis per verba *Honor*, & *Præſit* conſiſtit ſpecialiter in præcedentia Proceſſionis, ita ut in Proceſſionibus fieri ſolitis locus dignior præ aliis Laicis debeatur. Item quod in Eccleſia ſua *Patronata* debeat honorari in præcedentia nobilioris Sedis, & dignioris loci, atque præcedentia in ſuſcipienda pace, thurificatione, aquæ aſperſione, candela in die Purificationis B. V. M. Palmæ ramæ

mæ ramo in Dominica Palmarum, & in ſuſcipiendis Cineribus prima die Quadrageſimæ, & Carbonibus benedictis in die Sabbathi Majoris Hebdomadæ, & in aliis ſimilibus caſibus, *arg. cap. Piæ mentis 26. cauſ. 16. quæſt. 7. & cap. No-*
106 *bis 25. de jurepatronat.* Et ſic *Communis Doctorum*. Limitatur tamen hoc Jus honoris quoad Thurificationem, & Pacem *in Mulieribus*, quia illis non datur Thus, & Pax inter Miſſarum ſolemnia, ut decrevit *Sagra Congregatio Rituum in Placentina 28. Januarii 1612. & in Lucerina 3. Junii 1617.* ut refert Sellius *Select. Canonic. cap. 51. num. 17.* & Barboſa *in Summa Apoſtolicarum deciſionum verb. Mulieres num. 5.*
107 Item limitatur Jus honoris, debiti Patrono, quando adeſt præſens Dominus Territorialis loci, quia tunc præcedentia, & honorificentia in ſupradictis debetur ipſi Domino Territoriali ante *Patronum*, uti recte notant Fagnanus *in cap. Nobis 25. de jurepatronatus numer. 21. & ſequent.* Pirhing *lib. 3. decretal. tit. 38. num. 36.* Reiffenſtuel *ibidem numer. 111.* & alii. Cum enim talis Dominus Territorialis juriſdictionem contentioſam habeat in ſuo Territorio, etiam in ipſum Patronum, abſurdum eſſet, ſi ipſi Patrono exhiberetur major honor, quam illius Domino habenti in eum juriſdictionem.
108 Si autem *Patronus* eſſet Rex, vel Supremus Princeps, ratione prædictæ honorificentiæ tenerentur Presbyteri, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ Patronatæ occurrere ei uſque ad ambitum Eccleſiæ, dummodo hoc non ſemper, & quotidie, ſed raro fiat, ut docet Caſſan. *in Catalog. gloriæ Mund. 4. part. conſiderat. 8. circa med.* & alii multi, quos refert, & ſequitur Lother. *de re benefic. lib. 2. quæſt. 4. numer. 3. & ſeq.* & jam non verat Abbas *in cit. cap. Cum nobis 25. de jurepatron. num. 5.* & Gloſſa magna *in cap. unico eod. in 6.*
109 Patrono ratione Juris defendendi indicati in allatis verſiculis per verbum *defendat* competit præeminentia, ut poſſit defendere Eccleſiam, & inquirere, ne bona illius dilapidentur, & denunciare perſonas illa dilapidantes: Imo & perſcrutari, ne a Beneficiato ipſo dilapidentur, aut male alienentur, & revocare alienationem male, & indebite factam: Roch. *de jurepatr. verb. Oneroſum num. 3. & verb. Honorificum ſub n. 10.* Barboſa *lib. 3. juris Eccleſiaſtic. univerſ. cap. 12. num. 215.* Lambertin. *de jurepatron. lib. 3. quæſt. 2. principal. art. 5.* & alii. Quamvis tamen ſupradicta competant Patrono, & pro illis exequendis poſſit in judicio comparere, & inſtare, nihilominus ea ipſi competunt; nedum ex jure honorifico, & ex præeminentia, ſed etiam & potius ex jure onerolo, ut advertit Lambertin. *loc. cit. per plures articulos*, Ventriglia *tom. 2. de jurepatron. annot. 1. §. 4. num. 12.* & alii.
110 Alia Patronus Eccleſiaſticus de jure habebat cuſtodiam Eccleſiæ vacantis, *arg. cap. Cum vos 4. de Officio Ordinarii, cap. Bonæ memoriæ 51. de appellationib. cap. Relatum 12. de Teſtamentis §. Nomine, cap. Cum & plantare 3. de privilegiis.*
111 §. *In Eccleſiis*. Patronus tamen Laicus non habebat de jure talem cuſtodiam, ſed defenſionem tantum, ut *cap. Filiis 31. cap. Decernimus 32. cauſ. 16. quæſt. 7. cap. Cum vos 4. de Officio Ordinarii*; & ibi Gloſſa *penult. verſ. Ex hac littera*, Innocent.
112 *num. 1.* Hoſtienſ. *num. 3.* Joan. Andr. *num. 15.* Fagnan. *num. 5.* Poſt Concilium autem Tridentinum, tam Patronus Eccleſiaſticus, quam Laicus nullatenus poſt ſe ingerere in fructibus Beneficii Patronati: Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reform.*
113 *cap. 9. verſ. Patroni autem*. Imo Patronus ſe ingerens in perceptione fructuum Beneficii Patronati, aut bona ipſius uſurpans, privatus eſt ſtatim Jurepatronatus, & incurrit Excommunicationem Papæ reſervatam: Concil. Trid. *ſeſſ. 22. cap. 11. verſ. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ Patronus*, Barboſa *ibid. n. 13. & 14. & in cap. Præterea 23. de jurepatronatus num. 3.* Galet. *in Margarita caſuum conſcient. verb. Juſpatronatus penult.*
114 Patrono competit ultimo jus alimentationis indicatum in allatis verſiculis per illa verba *Alatur egenus, utilitaſque*, textu expreſſo *in cap. Nobis 25. de jurepatronatus*, ibi: *Et ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia illi modeſte ſuccurratur, ſicut in Sacris eſt Canonibus inſtitutum*. Et tales Canones, in quibus eſt id inſtitutum, ſunt, *c. Contra 29. cauſ. 16. q. 7.* ibi: *Si vero Fundatores Eccleſiarum ad inopiam vergere coeperint, ab eiſdem Eccleſiis temporalis vitæ ſuffragia percipiant, & c. Quicumque 30. eadem cauſa 16. & quæſt. 7.* ibi: *Quicumque fidelium propria devotione de facultatibus ſuis aliquid Eccleſiæ contulerint, ſi forte ipſi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant*; Et ſic *Communis Doctorum*.
115 Imo jus alimentationis in tali caſu competit Patrono, non ſolum pro ſe, ſed etiam pro Uxore, liberis, & familia, *arg. cit. cap. Quicumque 30. cauſ. 16. quæſt. 7.* ibi: *Ipſi, aut filii eorum*: Lambertin. *de jurepatronat. lib. 3. quæſt. 3. princip. art. 6. num. 3. & ſequent.* Surdus *de alimentis tit. 4. quæſt. 28. num. 18. & tit. 7. quæſt. 32. num. 30.* Barboſa *in cit. c. Nobis 25. de jurepatron.* & alii communiter. Et talis alimentatio debet 116
eſſe integra quoad cibum, potum, lectum, veſtitum, & omnia, quæ ad honeſtam ſuſtentationem ſunt neceſſaria, *arg. cit. cap. Nobis 25. de jurepatronat.*, ibi: *Ab Eccleſia illi ſuccuratur, cit. cap. Contra 29. cauſ. 16. q. 7.* ibi: *Ab eiſdem Eccleſiis temporalis vitæ ſuffragia percipiant, & cap. Quicumque 30. eadem cauſa, & quæſt.* ibi: *Ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis uſu percipiant*. Nomine enim 117
alimentorum veniunt, non ſolum cibus, & potus, ſed etiam veſtis, habitatio, & alia neceſſaria ad prædictam honeſtam ſuſtentationem, *arg. leg. Legatis ff. de alimentis, & cibar. & leg. Verbo Victus 43. ff. de verbor. ſignificat.* ibi: *Verbo Victus continentur, quæ eſui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini neceſſaria ſunt; Veſtem quoque victus, habere vicem Labeo ait*; *Communis* cum citatis Doctoribus.

Talia alimenta debentur Patronis, ſecundum qualitatem 118
perſonarum, ideſt ampliora, & pinguiora nobilibus, quam ignobilibus, & ruſticis, & ſic de aliis plus, vel minus indigentibus; Surdus *de Alimentis tit. 4. quæſt. 18. numero 15.* Barboſa *lib. 3. Juris Eccleſ. univerſ. cap. 12. num. 218.* Riccius *in praxi part. 1. reſolut. 164.* Ventriglia *cit. tom. 2. annot. 1. §. 4. num. 24.* & alii paſſim.

Et ea præſtanda ſunt Patronis in eorum domo propria, & 119
non in ipſa Eccleſia; Surdus *de Aliment. tit. 5. quæſt. 14. num. 21.* Rebuff. *in tract. Congruæ portionis n. 97.* Barboſa *l. c. n. 218.* Ventriglia *l. c. n. 26.* & alii.

Patronus eſt alimentandus a Beneficiato per eum præſen- 120
tato ad Beneficium, etiamſi ex poſt renunciaverit, vel donaverit Juſpatronatus, quia jus alimentorum nunquam cenſetur donatum, cum cohæreat inſeparabiliter perſonæ Patroni præſentantis; Lambertin. *lib. 3. quæſt. 3. princip. art. 13. num. 3.* Riccius *in praxi part. 1. reſol. 264. verſ. Ampliatur tertio*, Ventriglia *loc. cit. num. 20.* & alii.

Imo ratione talis inſeparabilitatis, nec ſi retineat Juſpa- 121
tronatus, poteſt Patronus tale jus percipiendi alimenta vendere, cedere, donare, vel alio titulo diſtrahere; Abbas *in cap. Præterea 23. de Jurepatr. in fine*; Surd. *de Alim. tit. 7. quæſt. 32. num. 13.* Tiraquell. *de retract. conſanguin. §. 36. gloſſa 1. num. 32.* Ventriglia *loc. cit. num. 20.* ubi teſtatur de communi, quia cum hoc ſit privilegium perſonale, cedi non poteſt, ſed debet ſequi perſonam, *cap. Privilegium 2. de regul. juris in 6.* ibi: *Privilegium perſonam ſequitur*.

Patronus pauper eſt alimentandus ab Eccleſia, etiamſi ſit 122
facta libera a Patronatu per renunciationem talis juris ipſi a Patrono factam, & hoc a fortiori, quia Eccleſia in tali caſu, non ſolum recipit eſſe a prædicto Patrono, ſed eſſe liberam, & proinde duplici favori debet correſpondere duplicata obligatio, cum benefacienti ſit benefaciendum; *cap. Cum in Officiis 7. de Teſtamentis, l. Sed eſſi. §. Conſuluit ff. de petit. hæredit.* quæ ratio, cum valeat apud omnes, multo magis debet valere apud Eccleſiam, quæ dicitur Mater, & refugium, ſeu confugium pauperum, *arg. cap. Ad Romanam Eccleſiam 6. cauſ. 2. quæſt. 6.* Lambertin. *loc. cit. num. 3.* Ventriglia *loc. cit. num. 21.* Pitonius *tom. 1. de jurepatr. 44. num. 48.* & alii paſſim.

Imo etiamſi dos Eccleſiæ data per Fundatorem tractu 123
temporis fuerit deperdita, ſeu conſumpta ſine culpa Patroni, & aliunde Eccleſia habeat redditus ſuos, adhuc de his redditibus propriis Eccleſia tenetur ad alendum Patronum, præſertim, ſi non fuerit ab alio dotante in ea Juſpatronatus acquiſitum; Paulus de Cittad. *par. 6. art. 4. num. 17.* Surd. *de aliment. tit. 1. quæſt. 54. num. 9. & tit. 7. quæſt. 34. num. 1. per totam*, Gratian. *diſcept. 552. num. 13.* Lagunez *de fructibus par. 1. cap. 32. §. 3. num. 80.* Ventriglia *loc. cit. numer. 23.* Riccius *in praxi par. 1. reſolut. 164. ampliatur primo*, Lambertin. *de Jurepatronat. lib. 2. q. 3. par. 3. art. 4.* Pitonius *l. c. num. 48.* & alii.

Jus alimentorum conceſſum ex benignitate Sacrorum Ca- 124
nonum Patrono, extenditur etiam ad ejus heredes, ſive conſanguineos, ſive extraneos, in quos Juſpatronatus tranſivit. Rota *in Alatrina juſpatronatus 7. Decembr. 1705. §. fin. coram Mellino, in Salernitana Alimentorum 11. Januarii 1712. coram Scoto, & in alia Salernitana Alimentorum 20. Junii 1712. coram Scoto* impreſſ. apud Pitonium *tom. 1. de contr.*

Pa-

Patronorum alleg. 46. num. 66. 78. & 79. & seq. & sic tenent Gonzalez, Butrius, Ancharanus, Zabarella, Vittalinus, Lambertinus, Mancinus, Reginaldus, & alii adducti a Rota, & Pitonio locis citatis.

125 Ut Patronus possit alimenta petere ab Ecclesia patronata, seu a Beneficiato, non est necesse, quod sit in summa egestate, seu extrema necessitate, ut voluit Glossa in *cap. Quicumque 30. caus. 16. quæst. 7. verb. Ad inopiam*, sed sufficit, quod ad talem inopiam vergere cæperit, ut non possit vivere secundum suum gradum, & conditionem. Lambertin. *de jurepatronat. l. 3. cap. 3. artic. 3. num. 6.* Covarr. *variar. resolut. l. 2. capit. 6. num. 8.* Barbosa *in cap. Nobis 25. de jurepatronat. num. 7. & lib. 3. Juris Ecclesiast. universal. cap. 12. numer. 116.* Ventriglia *loc. cit. num. 8.* Rota *in una Regien. Prioratus 1. Julii 1596. coram Penia, confirmata 19. Junii 1598. & in Neapolitana Alimentorum 11. Junii 1616. & 10. Aprilis 1617. coram Pirovano*, & sæpe alibi, *arg. cap. Contra 29. caus. 16. qu. 7.* ibi: *Si Fundatores Ecclesiarum ad inopiam vergere cæperint, & cap. Nobis 25. de jurepatr.* ibi: *Si ad inopiam vergat.*

126 Alimenta Patrono debentur ab Ecclesia, seu Beneficiato solum ex superfluis ad Ecclesiæ, seu Beneficiati necessitatem: Primo enim loco, & ante omnia Ecclesia, seu Beneficiatus debet providere propriæ necessitati, & cultui Divino, & deinde si ultra necessaria ad suam congruam, & honestam sustentationem, & Ecclesiæ, seu Beneficii reparationem, & manutentionem redditus adhuc supererint, de his subvenire debet Patrono, *arg. capit. Ita nos 25. in fine caus. 25. quæst. 2.* In simili enim casu, & non aliter etiam libertus ex gratitudine obligatus tenetur alere Patronum; *l. Si quis, §. Alimenta, ff. de agnoscend. & alend. liberis.* Sic Lambertin. *de jurepatronat. lib. 3. quæst. 2. artic. 3. num. 1. 7. & 8.* Riccius *in praxi par. 3. resolut. 293. num. 2.* Abbas *in cap. Nobis 35. de jurepatronat. num. 6.* Butrius *ibid. n. 22.* Surd. *de alimentis tit. 7. quæst. 32. num. 1.* Pirhing *lib. 3. decretal. titul. 38. numer. 37.* Reiffenstuel *ibidem. numero 115.* Barbosa *lib. 3. juris Eccles. universi. cap. 12. num. 217.* Pitonius *tom. 1. de contr. Patronor. alleg. 44. n. 20. & Communis aliorum.*

127 Immo hæc qualitas scilicet quod fructus Ecclesiæ, seu Beneficii supersint, deductis necessariis pro Beneficiato, & cultu Divino, reparationibus, instaurationibus, Vasis, ac ceteris rebus Ecclesiæ necessariis, est probanda per Patronum petentem alimenta, ad hoc, ut possit obtinere in judicio alimenta prædicta; *cap. Ita nos 25. in fine caus. 25. q. 2.* Glossa *in c. Quicumque 30. caus. 16. q. 7. verb. Ad inopiam*, Abbas *in c. Nobis 25. de Jurepatr. num. 6.* Bartol. *in l. Si quis a liberis §. De alimentis, ff. de liber. agnoscend.* & alii passim, & Rota *in Neapolitana Alimentorum 31. Maii 1606. coram Manzanedo, & in eadem causa coram Pirovano 11. Jan. 1616.*

128 Insuper licet Beneficiatus habeat ex patrimonialibus, vel alias per eum licite quæsitis, unde commode sustentari possit, adhuc ex fructibus Beneficii Juspatronatus potest detrahere victum, & alia necessaria, & deinde si aliquid supereset, succurrere Patrono. Lambertin. *de jurepatr. lib. 3. q. 3. principal. art. 4. n. 2. & 3.* Ventriglia *tom. 2. de jurepat. annot. 1. §. 4. n. 35.* & alii passim.

129 Si Patronus habeat Avum, aut Patrem, aut Fratrem divitem, a quo possit alimenta consequi, vel sit Religiosus professus, non debentur illi alimenta a Beneficiato; nec si posset sine præjudicio suæ salutis, gradus, & nobilitatis ex industria sibi victum quærere; Lambertin. *loc. cit. 3. nu. 4.* Lother. *de re benefic. lib. 2. quæst. 5. num. 35.* Ventriglia *loc. cit.*

130 *num. 30. & 36.* ubi citat Rotam, & sic alii plures. Item non debentur alimenta Patrono, cessante ejus inopia; cum enim inopia sit causa præstationis prædictorum alimentorum, stat clarum, quod, ea cessante, non sint illa amplius præstanda; *c. Cum cessante 60. de appellationib.* ibi: *Cum cessante causa cesset effectus.* Item Patrono non debentur am-

131 plius alimenta propter ejus ingratitudinem; Cum enim Patronus quidquid juris habet in Ecclesia, totum ex gratia possideat & de speciali gratia toleretur; *cap. Quoniam 3. de Jurepatron.* & ibi Fagnan. *num. 7.* & alii communiter, si evadat ingratus Ecclesiæ, debet ab ipsa tali jure alimentorum privari, sicut in casu ingratitudinis privatur Filius sibi debitis alimentis. Surd. *de alimentis tit. 7. q. 32. n. 6. & seq.* Rebuff. *in tract. Congruæ Portionis n. 135.* Paulus de Cittad. *tract. de Jurepatron. part. 6. art. 4. num. 164.* Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. universi. cap. 12. num. 218.* Ventriglia *loc. c. n. 2.* & alii.

Limitatur tamen hoc cum Patrono ingrato pœnitente, cui 132 benigna mater Ecclesia benigne parcit. Surdus *l. c.* Ventriglia *l. c.* & alii.

Alia ad rem, & signanter quæ ad onera Patronorum, 133 Vide verb. *Ecclesia art. 3. a n. 63. ad 73.* & verb. *Utensilia, a n. 8. usque in finem.*

Juspatronatus cujuscumque Altaris, vel Capellæ existen- 134 tis in Basilica Assisiensis S. Patris Francisci, inconsulto Pontifice, concedi non potest. Nec jus sepuleri, vel scamni apponendi. Benedictus XIV. Constitution. incip. *Fidelis Dominus §. 14.*

Si Patronus, Ordinario approbante, eam erecto a se Be- 135 neficio in limine fundationis, vel etiam ex intervallo, ob reservatam sibi facultatem, adjecit conditionem, ut deficientibus in vocata familia Clericis, possint etiam laici ejusdem familiæ fructibus Beneficii sic erecti gaudere, cum onere per Capellanum satisfaciendi Missarum oneribus, tunc poterunt etiam hi dictos fructus percipere, non jure, & titulo Beneficii, sed jure sæcularis administrationis, donec aliquis veniat de dicta familia qui sit Clericus, absque onere recitandi Horas Canonicas, ut ex rationibus allegatis, & receptis a *Sacra C. C. in Senogall. Capellaniæ 9. Maii, & 6. Junii 1750.* in qua ad sequentia dubia.

I. An erectio Juris patronatus, de quo agitur, sit verum Beneficium, vel potius juxta reservationes a fundatore appositas, sit merum legatum Pium laicale, ita ut Lælius, qui clericare non vult, suos facere possit fructus ejusdem juris patronatus, cumonere tantum per alium celebrandi Missas a fundatore præscriptas? Et quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.

II. An Lelius nolens clericare, perventus ad ætatem viginti annorum, possit percipere fructus Pii relicti, de quo agitur, absque eo quod teneatur ad recitationem Divini Officii in casu &c.

Et dicta Sacra Congr. die 6. Junii 1750. Respondit:

Ad I. Affirmative ad primam partem, quo vero ad secundam partem, facta per Lælium renunciatione Beneficii, & Clericatus, affirmative.
Ad II. provisum in primo.

Sic in Thesauro Resolutionum Sacræ Congr. Conc. dicti anni 1750. *in Senogallien. Capellaniæ*, ubi ad id adducitur consimilis Resolutio *in Derthonen. 15. Augusti 1730.* quæ jam fuerat allata in Thesauro dicti anni 1730. *in Segovien. Capellaniæ*, §. *Cæterum*, præcisis his verbis. „ Sacra Congre- „ gatio commisit Episcopo, ut ad erectionem præfati Be- „ neficii deveniat, omnesque supradictas conditiones ap- „ probet, atque confirmet, modificata tamen ea conditio- „ ne, in qua dicitur, quod Primogenitus frui possit Be- „ neficio etiam in statu laicali, & conjugali, in hunc mo- „ dum, videlicet, quod Primogenitus frui possit fructibus „ Beneficii vacantis, quousque superveniat alius capax de „ familia, satisfactis interim oneribus Missarum per Capel- „ lanum ab eo eligendum.
Vide ibi, ubi multa ad rem.
Alia ad rem, vide verb. *Patroni*, verb. *Præsentatio* signanter vero quoad onera Patronorum, vide verb. *Ecclesia art. 3. a num. 63. ad 73.* & verb. *Utensilia a num. 8. ad fin.* Vide etiam verb. *Juspatronatus Art. IV.*

Novæ Additiones ex aliena manu.

PRimarium jus, quod Patroni sibi vindicant, est præ- 1
sentatio. Distingui autem debet præsentatio a nomina- 2
tione. Hæc enim est designatio, & electio subjecti Episco- 3
po exhibendi pro institutione. Illa vero est exhibitio Epis- 4
copo hujus subjecti designati & electi pro institutione; Rota *in Augustana Canonicatus 6. Maii 1718. cor. bon. mem. Cerr.* Confer etiam eamdem *Rotam in Cæsenaten. Vicariæ 9. Maii 1727. cor. bon. mem. Gamach.* ubi clarius explicatur in quo 5 consistat, & quando dicatur expleta præsentatio.

A no-

6 A nominatione potest quilibet Patronus resilire, nequa-
7 quam vero a præsentatione. Num id ipsum obtineat in nominatione Compatroni, vide apud *Rotam in Auximana Juris patronatus 27. Junii 1718. cor. bon. mem. Gamaches*, Præsentatio vero præcedentis revocatoria nullitate laborat, non
9 *absoluta*, quæ ab omnibus opponi potest, sed *relativa*, quæ juxta indolem nullitatis *relativæ* ab eo tantum opponi valet, qui fuerat primitus præsentatus, & sic præjudicium sentit.

10 Nominatio quandoque fit a pluribus, ut si pluribus competat juspatronatus. At interest scire utrum iis qua Collegio,
11 an qua singulis juspatronatus competat. Priori casu vota majorum intuitu Collegii designant præsentandum, posteriori vero casu maiora simpliciter sufficiunt, hoc est non intuitu omnium Compatronorum, sed aliorum, qui simul ab aliis designantur, ut si fuerint quinque Patroni, & duo designent Cajum, tres reliqui vero alium, atque alium, Cajus nominatus censetur; *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 38. §. 70. Bruneman. jur. Eccles. lib. 2. cap. 8. §. 18.*

12 Inter jura honorifica Patronis debita primatum tenet honos precum in eo consistens, quod Patroni nominatim in precibus publicis Deo sint commendandi; *de Roye de Jur. honorif. in Eccles. lib. 1. cap. 6.*

Origo hujus juris peti debet ex antiquissimo illo more re-
13 citandi inter Missarum solemnia, nomina eorum, quorum insignia in Ecclesiam extabant merita. Meminit hujus moris
14 *Innocentius I. Epistol.* ad Decentium Episcopum Eugubinum apud *Justellum, & Voellium tom. 1. Bibl. Jur. Can. vet.* Etiam pro Patroni Uxore, & Liberis nominatim orandum esse tenet *Bohemer. in decr. lib. 3. tit. 28. §. 139.*

Hæ supplicationes, quæ in precibus publicis fiunt, sunt
15 ordinariæ. At quæri solet, An Patronus extra ordinem exigere possit solemnes supplicationes, & gratiarum actiones ad Deum per hymnum decantatum: *Te Deum laudamus*, si forsan a gravissimo malo morbove liberatus sit? Affirmat *Bohemer. in decretal. lib. 3. tit. 28. §. 131.* At male *meo judicio.*

Nihil enim amplius Patrono concedendum, quam quod
16 ei a jure concessum est. At a jure concessum Patronohaud est, ut extra ordinem exigere valeat canticum *Te Deum Laudamus.*

Quinimo *Cardinal. Petr. in commentar. ad Const. Apost.*
17 *Constit. 7. Gregorii IX. num. 57.* tenet, nec in supplicationibus ordinariis exprimi posse nomina Patronorum vivorum, sed tantum defunctorum. Sed standum hic est observantiæ,
18 ut non male tradit *Bohemer. in decretal. lib. 3. titul. 28. §. 126.*

Ad jura honorifica Patronorum refertur luctus Eccle-
19 siasticus morti Patroni, vel eorum, qui sunt de ejus familia dicandus.

Patrono etiam debetur honor Sedis in Ecclesia sua, tum
20 debetur primus locus in processione. Honor Sedis ex loco
21 honoratiori, & nobiliori æstimatur, qualis est chorus, seu sacrarium solis Clericis sacratis dicatum; *De Roye de jur. honorif. in Eccles. lib. 2. cap. 3.* ubi in primis provocat ad Synodum *Wigornien sem anni 1240. cap. 3.* ubi hæc fancita: *Ne Laici sint in cancellis dum celebrantur divina, salva tamen reverentia Patronorum, & sublimium Personarum.* Sed Patrono deberi sedem extra chorum, licet in digniori loco,
22 tenet *Card. Petra in commentar. ad Const. Apost. Constit. 7. Greg. IX. n. 55. & seq.*

Hoc etiam præterea honori Patronorum datum, ut possint 23 sedilia fixa, & propria habere, quod olim cæteris denegatum, ut indicat *Synodus Exoniensis anni 1487. cap. 2. apud Harduin. tom. 3. Concil.*

Huic accedit honor sepulturæ, ut non solum in ipsa Ec- 24 clesia, sed & ut in loco ejusdem honoratiore sepulchrum sibi suæque genti constituere valeat *Patronus; de Roye de jur. honorif. in Eccles. lib. 2. cap. 3.* Quinimo sine consensu Patro- 25 ni nemini sepultura concedi in Ecclesia potest; *Vanespen. jur. Eccles. univ. part. 2. tit. 25. cap. 7. §. 25.*

Hactenus de juribus honorificis Patrono debitis, de quibus 26 tamen, qui plenam cupit tractationem, adeat *du Perroy dans son traité des droits honorifiques & utiles des Patrons.* De alimentis Patrono debitis, vide quæ diximus in addit. ad 27
verb. *Alimenta.* Et an Patrono jus aliquod, in bona Ecclesiæ 28
competere possit, consule *Cardinal. Petr. in commentar. ad Constitut. Apostol. Constitut. 7. Gregor. IX. num. 18. & plur. sequent.*

IUSPATRONATUS.

JUspatronatus cujuscumque Altaris, vel Capellæ existen- 29
tis in Basilica Assisiensi S. Patris Francisci, inconsulto Pontifice, concedi non potest. Nec jus sepulchri, vel scamni apponendi; Bened. XIV. Constitut. incip. *Fidelis Dominus §. 14.*

Additiones alteræ ex aliena manu.

DE Jurepatronatus reali seu annexo aliqua hic addere 1
inutile haud est. Porro si agatur de Beneficio ab antiquo fundato, posito in Oppido cui annexum prætenditur, & dotato præterea, ex ejus redditibus, præsumptio est pro annexione juris patronatus Oppido illius, etiamsi desit instrumentum Fundationis, ita ut qui contrarium prætendit eam excludere teneatur; Confer *Bohemer. in Decretal. lib. 3. titul. 38. §. 107. Adde Piton. de Controvers. Patron. alleg. 100. num. 216. Fargn. de Jurepatron. part. 2. canon. 14. & 15. cas. 2. num. 12., & seqnent., Rota coram Caprar. decis. 214. num. 7. & 15. coram Molin. decis. 609. num. 16., & in Constantien. Juris nominandi 25. Junii 1751. §. 6. coram bon. mem. Vicecomit.*

Observantia quoque declarare potest, an Juspatronatus 2
sit annexum, nec ne. Si enim ii semper præsentarunt qui potiti sunt Oppido cui prætenditur annexum, pro annexione respondendum est, tum concurrentibus circumstantiis mox expositis, tum etiam iis non concurrentibus; *Loter. de Re Benefic. lib. 2. quæst. 4. num. 98. Dunod de Præscript. Bon. Eccles. pag. 33. edit. Paris. anni 1753. Rota coram Kaunitz decis. 204. num. 1. in Pennen. seu Adrien. Juris patronatus 12. Martii 1711. §. 16. coram bon. mem. Ratt.* inter impress. *decis. 300. n. 3. & seq.*

Posita vero adnexione dubitari solet, utrum juspatrona- 3
tus quoad exercitium spectet ex æquo ad omnes Possessores Oppidi illius, an pro partibus ejusdem. Ex æquo pertinere videtur sentire *Franciscus de Roye in Prolegom. ad tit. de Jurepatron. cap. 19. §. Sed eam.* At prævaluit opinio tenens, quod spectet pro partibus, *Card. de Luca de Jurepatr. discurs 61. num. 6. Rota coram Molino dec. 947. num.*

K

KALENDARIUM.

1 KAlendarium a Kalendis dictum est: Kalendæ autem sunt primi dies mensium, sic appellati a verbo Græco *Kaleo*, seu *Kalo*, quod idem significat ac latinè *Voco*: priscis enim temporibus sacrificio a Rege, & Pontifice celebrato, idem Pontifex, *Kalato*, idest *vocato populo* in Capitolium, quot numero dies a Kalendis ad Nonas supererent, pronunciabat, & quintanas quidem, quinquies dicto verbo *Kalo*, septimanas repetito septies prædicabat: & hunc diem, qui ex his diebus, qui Kalerentur, primus esset, placuit *Kalendas* 2
vocari: Calvinus *in magno Lexico Iuridico litt. K*, cum aliis ibi citatis; Durandus autem *lib. 8. cap. 4.* apud Gavant. & Merati *tom. 2. sect. 2. art. 5.* vult, *Kalendas*, seu *Calendas* esse quasi *Colendas*, quia tunc erat semper Junoni festus dies primus; sicque *Calendarium*, & *Colendarium* esse fere idem a cultu festorum. Nos vero hic sumimus Kalendarium Ecclesiasticum, prout est *quædam dierum, ac mensium, ex quibus annus constat, omniumque, quæ diebus, ac mensibus adjuncta sunt, coordinatio.* Unde in Kalendario observari oportet

tet diem, hebdomadam, menſem, annum, biſſextum, Cyclum ſolarem, & lunarem, & cætera alia, quæ ad temporum cognitionem ſpectant.

3 Dies dicitur a *Dio*, quod *apertum*, & *manifeſtum* ſignificat Solaribus enim radiis cuncta ſenſibilia *manifeſta* fieri omnes agnoſcunt; unde S. Auguſtinus *lib.* 4. *ſuper Geneſim cap.* 20. ſic habet: *Tunc Deus diem condidit, Solem, cujus præſentia eumdem exhibet diem.*

Dies generatim acceptus eſt ſpatium temporis a motu cœ-
4 li ab ortu in occaſum, qui proptera *diurnus* dicitur, definitum. Dies ſecundum Aſtronomos eſt duplex, *naturalis*, &
5 *artificialis*: Dies naturalis eſt integra ſolis revolutio ab ortu in occaſum, qua ad idem Cœli punctum, unde profectus erat, revertitur; Dies artificialis eſt intervallum illud temporis, quo ſol ſuper Horizontem exiſtit, nobiſque ſe prodit,
6 quodque nocti opponitur. Nox enim eſt illud ſpatium temporis, quo ſol intra Horizontem moratur. Alii tamen diem *naturalem* appellant, quem nos *artificialem* vocamus, & viciſſim quem nos dicimus *artificialem*, ipſi denominant *naturalem*, ut videre eſt apud Cenſorinum *de die natali cap.*10. Magnum Lexicon Calvini *loco. cit. litt. D.* & alios ab ipſis allegatos.

7 Dies juxta diverſa mundi nationes diverſimode incipit. Apud Babylonios, Chaldæos, & Perſas alioſque Orientales diei initum ſumitur a ſolis ortu. Apud Athenienſes, Italos, Auſtriacos, Bohemos, Sileſios, Polonos, Sinenſes, & alios a Solis occaſu. Apud Gallos, Hiſpanos, Anglos, Luſitanos, Belgas, plurimos Germanos, & fere omnes alios Europeos a media nocte, ita tamen ut dies in duas partes æquales dividant, partiendo horarum numerationem in bis duodenas, nempe duodenas a media nocte ad meridiem, & alias duodenas a meridie ad mediam noctem, taliter quod dies comprehendat viginti quatuor horas æquales; quem morem adhuc in dies Romana ſervat Eccleſia pro Divini recitatione Officii, jejuniorum obſervatione, aliiſque ſacris, ac profanis ritibus peragendis, textu expreſſo „ *in l. More Romano 8. ff. de feriis*, ibi: „ More Romano dies a media nocte „ incidit, & ſequentis nocti media parte finitur: itaque „ quidquid in his viginti quatuor horis (ideſt duabus dimi- „ diatis noctibus, & luce media) actum eſt, perinde eſt „ quaſi quavis hora lucis actum eſſet.

8 Dies in jure intelligendus, & accipiendus eſt ſecundum ſubjectam materiam: nam cum aliquid eſt agendum quod aliam rationem in luce, & aliam in tenebris habet, antiqua, & vulgaris diei appellatio retinenda eſt, qua nimirum dies in duodecim horas diviſus ſumitur ab ortu ad occaſum ſolis, & econtra nox in alias duodecim horas diviſa accipitur ab occaſu ad ſolis ortum, uti revera habitantes directe ſub Æquatore toto anno diem, & noctem retinent æqualem. Unde Deus *Gen.* 1. *diviſit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*, & Chriſtus Dominus *Joan.* 9. ait: *Me oportet operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt: venit nox, quando nemo poteſt operari; & Joann.* 11. inquit: „ Nonne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulaverit in „ die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt ſi autem „ ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. „ Et pro ſic numerando horas diei ab ortu ſolis ad occaſum, & horas noctis ab occaſu ad illius ortum favent *l. Titius* 25. §. 1. *ff. de liberis & poſthumis*, *l. Placuit* 1. *ff. de Manumiſſionibus*, *l. In annos* 2. *ff. de annuis legatis*, *l. Via* 5. *ff. de ſervitoribus*, *leg. Non minorem* 20. *Cod. de tranſactionibus*. Si autem ſermo ſit de continuo temporis ſucceſſu, ſequenda eſt Romana inſtitutio in *leg. More Romano* 8: §; *de feriis* allata in fine numeri antecedentis: Sic in materia præſcriptionum, ubi tempus ita noctu procedit, ac die ad complendam uſucapionem, *l. In uſucapionib.* 6, & *l. Ideoque* 7. *ff. de uſurpationib. & uſucapionib.* ibi: „ Ideoque qui hora ſexta die Ka- „ lendarum Januariarum poſſidere cœperit, hora ſexta no- „ ctis pridie Kalendas Januarias implet uſucapionem, „ & ſic de ſimilibus.

9 Hora, ut vult Macrobius *l.* 1. *Saturnalium cap.* 21. dicta eſt ab *Horo*: ibi enim de Ægyptiis loquens ait, *Apud eoſdem Apollo, qui eſt ſol*, Horus *vocatur*, *ex quo & horæ* 24. *quibus dies, noxque conficitur, nomen acceperunt*. Quælibet hora æqualis, quæ eſt vigeſima quarta pars diei naturalis æqualiter diviſi, dividitur in 60. *minuta prima* æqualia; Quodvis primum minutum dividitur in 60. *minuta ſecunda* itidem æqualia, atque ita deinceps quodvis minutum ſecundum in 60. *minuta tertia &c.*

Horæ, aliæ diei ſunt, aliæ noctis; *l. Aqua æstate* 5. *ff.* 11 *Qui teſtamenta facere poſſint*, *l. Ideoque* 7. *ff. de uſurpationib. & uſucapionib.* Illæ diurnæ, hæ nocturnæ vocantur; *leg. Si Diurnarum* 2. *ff. de aqua quotidiana*, *l. Capite quinto* 25. *ff. ad legem Juliam, de adulteriis*.

Horæ tam diurnæ quam nocturnæ, aliæ ſunt æquales, & aliæ 12 inæquales. Horæ æquales illæ dicuntur, quarũ unaquæque eſt vigeſima quarta pars diei naturalis æqualiter diviſi itaut ſi integra Æquatoris circa mundi polos revolutio quantitatẽ diei naturalis definiat, quælibet hora æqualis tantum temporis ſpatium comprehendat, ut quindecim gradus Æquatoris ſupra horizontem aſcendant. Horæ inæquales illæ appellantur, quarum unaquæque eſt pars duodecima tum diei artificialis æqualiter diviſi, tum noctis: dicuntur enim inæquales, eo quod neque toto anni tempore, neque ubique in ſphæra obliqua æquale ſpatium temporis ſingulæ comprehendant; Horæ enim diurnæ apud Iudæos, & Turcas, alioſque, qui diem, ac noctem ſeorſim in duodecim horas dividebant, longiores erant nocturnis æſtivo tempore, dum ſol a tropico hyemali ad æſtivum aſcendit, cum tunc dies artificialis continuo creſcat, & nox decreſcat, & ibi magis ubi major eſt ſphæræ obliquitas, & econtra horæ nocturnæ erant longiores diurnis tempore hyberno, dum ſol a Tropico æſtivo ad hyemalem retrogrado curſu progreditur; cum tunc dies artificialis continuo decreſcat, & nox creſcat.

Jam vero fere ubique horis inæqualibus obſoletis, ubique 13 horæ ſolum æquales adhibentur, quarum aliæ Babilonicæ, aliæ Italicæ, aliæ Aſtronomicæ, & aliæ Europeæ appellantur. Horæ Babilonicæ illæ vocantur quarum prima ab ortu ſolis inchoatur: Italicæ, quæ ab occaſu ipſius ſolis: Aſtronomicæ, quæ a meridie: Europeæ vero, quæ tum meridie, tum a media nocte incipiunt, ita ut tam in meridie, quam in media nocte ſemper hora duodecima completa habeatur, ſicque duodecim horæ a meridie ad mediam noctem, & duodecim etiam a media nocte ad meridiem perpetuo numerentur.

Quis primus diem, noctemque in horas diviſerit, quo 14 tempore hæc partitio in uſu eſſe inceperit, & quo inſtrumento facta fuerit; incerta res eſt. Alii enim horariam diviſionem tribuunt Abrahamo, qui primus Ægyptios in Aſtrologia, & Arithmetica inſtruxit; ut ſcribit Joſeph. Hebræus *l.* 1. *Antiquitatum Judaicarum c.* 16. ubi de Abrahamo loquens ſic ait; „ Arithmeticam quoque eis (*ſcilicet „ Ægyptiis*) contulit, & quæ de Aſtrologia ſunt, ipſe con- „ tradidit: nam ante adventum Abraham in Ægyptum hæc „ Ægyptii penitus ignorabant. A Chaldæis enim plantata „ noſcuntur in Ægypto, unde etiam perveniſſe noſcuntur „ ad Græcos„. Hinc Macrobius *lib.* 1. *Saturnaliorum cap.* 21. id Ægyptiis refert acceptum per verba lata *ſupra n.* 9. Alii autem id Babiloniis concedunt, dicuntque poſtmodum ab ipſis ad Græcos derivaſſe; ſic Herodotus *lib.* 2. ubi præciſe dicit: Polum, Gnomonem, & duodecim partes diei a Babiloniis didicerunt Græci. Dictam vero diviſionem, ſeu partitionem volunt aliqui factam fuiſſe per Clepſydram, ſicuti etiam hujus inſtrumenti ope peracta fuit diviſio Zodiaci in duodecim ſigna, ut refert Macrob. *lib.* 1. *in ſomnium Scipionis c.* 21. Clepſydra autem eſt quoddam vas vitreum, exiguum in fundo foramen habens, per quod aqua guttatim ſtillans elapſi temporis quantitatem demonſtrat. Unde Plinius *lib.* 7. *c.* 60. dicit *Scipio Naſica Collega Lenatis primus* (ſcilicet Romæ) *Aquadiviſit horas æque noctium, ac dierum, idque horologium, ſub tecto dicavit anno Vrbis DXCV.* Alii autem non Clepſydræ ope, ſed Gnomonis umbra factam fuiſſe dictam diviſionem, ſeu partitionem contendunt, ſic Laertius citatus, & ſecutus a Plinio *l.* 13. ubi ſic habet: *Umbrarum rationem & quam vocant Gnomomicem* ſive horologia ſciatherica, in quibus Diei partes umbra Gnomonis a ſole illuſtrati deſignantur) *invenit Anaximenes Mileſius, Anaximandri, de quo diximus, diſcipulus, primuſque horologium, quod appellant ſciathericum, Lacedæmone oſtendit*. At vero certum eſſe longe ante Anaximenem horarum uſum extitiſſe, ſicque dicendum eſſe non Gnomonis umbra, ſed Clepſydræ ope, primam horarum partitionem factam fuiſſe, eaque duntaxat ad horas deſignandas ad Anaximenis uſque tempora primo veteres uſos fuiſſe recte concludit eruditiſſimus Pater Fortunatus a Brixia in ſua eximia Philoſophia ſenſuum mechanica *tom.* 2. *tract.* 2. *diſſert.* 4. *ſect.* 2. *verb. Hora num.* 2.

Dictorum duorum horologiorum antiquitus genera fuiſſe 15 certo conſtat apud magnum *Lexicon Calvini tom.* 1. *litt.* H. ubi

ubi ſic habet: Horologiorum duo antiquitus genera fuiſſe conſtat; unum quod Gnomone umbras in ſole faciente horas indicabat; alterum quo horas æque noctium, ac dierum, aqua dividebat; Iſtud vocatur Clepſydrium, ſeu aquarium, & illud ſciatericum, ſeu ſolarium appellatur a Plauto in *Bœotia*, in qua eſuriens paraſitus ei imprecatur, qui primus horologium ſtatuiſſet, his verbis.

Vt illum dii perdant, primus qui horas reperit,
Quique adeo primus ſtatuit hic ſolarium.

16 Advertendum eſt inſuper aliam diei diviſionem apud Romanos olim in uſu fuiſſe, quam his verbis exponit Macrobius *lib.* 1. *Saturnaliorum cap.* 3. ibi: *Primum tempus dicebatur* media noctis inclinatio, *deinde* Gallicinium, *inde* Conticinium, cum & Galli conticeſcunt, & homines etiam tunc quieſcunt: *Deinde* Diluculum, ideſt *cum incipit dignoſci dies*. „ Inde *mane*, dum dies clarus eſt; Mane autem dictum, aut „ quod ab inferioribus lucis, id eſt a manibus exordium lu- „ cis emergat, aut quod verius mihi videtur, ab omine bo- „ ni nominis; nam & Lanuini *mane* pro *bono dicunt*, ſicut „ apud nos quoque contrarium eſt immane, ut immanis bel- „ va, vel immane facinus & hoc genus cetera pro non „ bono „. Deinde *a* mane *ad* meridiem, *hoc eſt* ad mediam diem. *Inde jam ſupra vocatur* tempus occiduum, *& mox* ſuprema tempeſtas, hoc eſt diei noviſſimum tempus, *ſicut expreſſum eſt in duodecim tabulis*: Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto, *Deinde* veſpera, *quod a Græcis tractum eſt*. *Illi enim Heſperam a Stella* Heſpero *dicunt*; *unde & Heſperia Italia quod occaſui ſubjecta ſit, nominatur*. *Ab hoc tempore* prima fax dicitur: *deinde* concubia, *& inde* intempeſta, quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. Hæc eſt diei civilis a Romanis obſervata diviſio.

17 Hebdomas ſive hebdomada græce, latine ſeptimana, dupliciter capitur; Uno modo pro hebdomada compoſita ex ſeptem annis, de qua habentur plura exempla in Sacra Scriptura, & ſignanter *Geneſis c.* 29. *num.* 28. *Levitici c.* 27. *num.* 8. Daniel. *c.* 9. *num.* 24. Alio modo pro hebdomada compoſita ex ſeptem diebus naturalibus, quæ Deum ipſum inſtitutorem habere videtur, quatenus cum ſex dierum ſpatio omnia creaſſet, *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patraverat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*; Geneſis *c.* 2. *num.* 2. & 3. Hinc Hebræi, a quibus hebdomadarum uſus profluxiſſe videretur, die illo ſeptimo ſeu ſabbatho quieſcebant, & penitus ab omni opere ſervili ceſſabant, juxta Dei præceptum ſibi impoſitum Exodi *c.* 20. *num.* 9. & 10. & ſæpe alibi.

18 Ille ſeptimus hebdomadæ dies hebraicè dicebatur *Sabbatum*, quod latinè *quietem*, ſeu *requiem* ſignificat. Nomine tamen Sabbati non intelligebatur a Judæis ſolus ſeptimus hebdomadæ dies, ſed interdum etiam tota hebdomada, ut habetur ex pluribus Sacris Evangelicis textibus, ut Lucæ 8. *num.* 12, de illo Phariſæi *Jejuniabis in Sabbato*; quod de jejunio bis in hebdomada ab eo obſervato communiter intelligitur. Sic Matth. *cap.* 20 *n.* 1. *Prima Sabbati*, Marc. *cap.* 16 *num.* 2. *Una Sabbatorum* Luc. *cap.* 23 *num.* 1. *Una autem Sabbati*. Ioan. *cap.* 20 *num.* 1. *Una autem Sabbati*, verba illa Evangelica non indicabant ſolum Sabbatum ſeptimum hebdomadæ diem, ſed inſuper totam hebdomadam, ſeu quamlibet hebdomadæ diem.

19 Sabbatum ſumptum pro ultimo hebdomadæ die, quod erat dies feſtus apud Hebræos, fuit abrogatum apud Chriſtianos, & pro eo inſtitutus dies *Dominicæ*, in qua Dominicæ die, & non in Sabbato ceſſandum nunc eſt ab operibus ſervilibus. Vide verba *Sabbatum a n.* 2. *ad* 7, ubi adducuntur Sacræ Scripturæ textus, Concilia, & Canones, & inſuper *dict. num.* 7, aſſignantur pro hujuſtinodi inſtitutione feſti diei Dominicæ loco Sabbati, quindecim rationes, & myſteria.

20 Singuli hebdomadæ dies apud Gentiles, ſeu Ethnicos appellationem, ſeu denominationem habebant a Planeta, quem primæ cujuſcumque diei horæ præeſſe finxerunt. Unde prima dies vocabatur ab illis *Dies Solis*: Secunda *Lunæ*: Tertia *Martis*: Quarta *Mercurii*: Quinta *Jovis*: Sexta *Veneris*, & Septima *Saturni*; quia ab ipſis hora prima diei primæ in hebdomada tribuebatur Soli, prima hora diurna ſecundæ diei tribuebatur Lunæ, prima tertiæ diei Marti, prima quartæ Mercurio, prima quintæ Jovi, prima ſextæ Veneri, & prima ſeptimæ Saturno.

21 Eccleſia tamen Romana ex inſtitutione S. Silveſtri Papæ retento nomine Sabbati, & Dominicæ, ceteros hebdomadæ dies feriarum nomine appellari voluit, ut patet in Lectione ſexta feſti ejuſdem S. Pontificis, ibi: „ Sabbati, & Domi- „ nicæ diei nomine retento, reſiquos hebdomadę dies, fe- „ riarum nomine diſtinctos, ut jam ante in Eccleſia vocari „ cœperant, appellari voluit, quo ſignificaretur quotidiè „ Clericos abjecta ceterarum rerum cura uni Deo prorſus „ vacare debere „. Feriarum autem dies jam ex tempore Apoſtolorum inſtitutos fuiſſe habetur ex Concilio Colonienſi II. *part.* 9. *cap.* 9. Hinc ritu Eccleſiaſtico dies Dominica intelligitur pro feria prima, cui ſuccedit feria ſecunda &c. ut patet de ſingulis hebdomadæ feriis.

Menſis a Græcis denominatur *Men* a Luna, eo quod ejus 22 curriculo determinatum tempore ſpatium conficiatur; Ab Hebræis autem dicitur *Jereach*, ideſt Luna, eo quod Luna ſuo circuitu menſem deſcribit; A Latinis vero deducitur a verbo *Metior*, eo quod ſit tempus numero dierum menſum. Unde Cicero *lib.* 2. *de natura Deorum*, ait: *qui quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur*. Hic menſis generatim 23 ſumptus deſcribitur, quod ſit *ſpatium temporis certo dierum numero ex motu Solis, & Lunæ periodico definitum, ex quo annus conſtituitur*.

Menſis aliud eſt *Aſtronomicus*, & alius *Civilis*. Menſis 24 Aſtronomicus, ſeu naturalis dividitur in Solarem, & Lunarem. Menſis Solaris *Aſtronomicus* eſt illud temporis ſpatium 25 quod Sol in uno Zodiaci ſigno perluſtrando inſumit: ſeu eſt naturalis Solis tranſitus ab uno Zodiaci ſigno ad aliud ſignum: quia vero Sol non æquali tempore ſingula Zodiaci ſigna percurrit, ſed diutius moratur in Ariete, Geminis, & ceteris aliis ſignis Septentrionalibus, ſeu Borealibus, quam in Sagittario, Capricorno, & ceteris aliis ſignis Auſtralibus; ideo non omnes menſes Solares Aſtronomici æquales ſunt inter ſe, ſed alii ſunt aliis longiores, nempe Æſtivi ſunt longiores hyemalibus, & inter omnes maximus eſt ſolſtitiaris æſtivus, qui comprehendit dies 31. horas 11. minut. 36. ac inter omnes minimus eſt ſolſtitiaris hybernus, qui continet ſolum dies 29 hor. 8. minut. 54. Unde quantitas media menſis ſolaris Aſtronomici, quo nimirum Sol motu medio unum Zodiaci ſignum percurrit, tamquam æqualis duodecima pars anni continebit dies 30. hor. 10. min. 30. Menſis enim abſolutè cum ſit mentio, triginta dies computari traditum eſt *l. Scimus* 22. §. 2. *Cod. de jure deliberandi*. Glo. *Menſem in addit. in c. Quam ſit* 6. *de elect. in* 6.

Menſis Lunaris *Aſtronomicus* eſt ſpatium temporis ex motu 26 Lunæ ſub Zodiaco definitum. Et dividitur in Periodicum, Synodicum, & apparitionis, ſeu illuminationis. Menſis Lunaris *Periodicus* eſt illud ſpatium temporis, quo Luna percurrit ab eodem Zodiaci puncto, donec ad eumdem redeat; Unde dicitur ambulatio, & circulus Lunæ, qui fit intervallo dier. 27. horar. 7. minutor. primarior. 43. & ſecundarior. 7. Menſis Lunaris *Synodicus* eſt illud temporis ſpatium, quod Luna inter acceſſum a Sole, & reditum ad ipſum inſumit. Unde vocatur congreſſus Lunæ, quia Luna cum Sole veluti congreditur & conjungitur, & hic menſis conſtat diebus 29. horis 12. minutis primariis 44. ſecundariis 3. Menſis Lunaris *apparitionis*, ſeu *illuminationis* eſt intervallum temporis a primo conſpectu novæ Lunæ in eodem menſe uſque ad conſpectum alterius, quod ſit ſpatio dierum 28, ut notat Beyerlinck *in Theatro vitæ humanæ verb. Menſis lit.* B, & alii plures, quamvis alii aliter ſentiant.

Menſis *Civilis*, ſeu *Politicus* eſt ille dierum numerus, quem 27 unaquæque natio, aut Civitas ad res ſuas Civiles, ſeu Politicas pertractandas, & regulandas, ſibi præſcriptum, ac accommodatum obſervat. Unde Romani a Kalendis Kalendas, menſes computabant. Græci vero a Neomeniis, ſeu Noviluniis ad Neomenias, ſeu Novilunia; non autem a Kalendis ad Kalendas, quarum uſu ipſi carebant: Quamobrem Auguſtus apud Svetonium in ejus vita *cap.* 87. *cum aliquos nunquam debita ſoluturos ſignificare vult, ad Kalendas Græcas ſoluturos ait*; Romani enim debita ſolvere tenebantur Kalendarum initio, ut plurimis teſtimoniis oſtendit Hoſpinianus *lib.* 3. *de origine feſtorum Ethnicorum*.

Menſis Civilis dividitur in Kalendas, Nonas, Idus, ut 28 patet ex praxi veterum Romanorum, adhuc in dies obſervata in Curia Romana; Gloſſa *Quinto Idus*, *in data libri ſexti Decretalium* Gloſſa 1, & 2. *in leg. Cum biſſextum* 98. *ff. de verb. ſignificat. Kalendæ* dicuntur primi dies cujuſque 29 menſis, dictæ a verbo Græco *kaleo*, ſeu *kalo*, quod latinè idem ſignificat ac *voco*, ſeu *appello*; ſeu ſic dictæ a *Colen-*

do, eo quod Veteres Romani omnium menſium diem primum ſpeciali cultu proſequerentur. Vide *ſupra num.* 1. 30
Nonæ, quæ vel in quintum, vel in ſeptimum diem menſis cadunt, ſunt ſic dictæ vel a particula *Non*, eo quod nullus Deorum coleretur *Nonis*; vel a voce *Novæ*, ideſt novæ Lunæ, eo quod Pontifex ipſis diebus novam Lunam obſervaſſet: Unde Nonæ quaſi novæ Lunæ initium ait Hoſpinianus *cap. 5. de origine Feſtorum Ethnicorum*: ſeu quia illis diebus leges dicerentur, ſuumque robur nova promulgatione reciperent: Vel ita dictę a *Nundinis* Gloſſa 1, *&* 2. *in leg. Cum biſſeſtum, 8. ff. de verb. ſignificat. &* Gloſſa *Quinto Idus*, *in data libri ſexti Decretalium*; Nundinæ enim teſte Macrobio *lib.* 1. *Saturnaliorum c.* 16. per novem dies agebantur; Vel demum ſic dictæ, quia incidebant in nonum diem ante *Idus*; quamvis enim non omnis menſis æqualem diet. numerum habeat ante *Nonas*, ſinguli tamen octo dies poſt *Nonas* numerant ante *Idus*. *Idus* autem eſt nonus dies menſis a *Nonis* numeratus, cum *Idus* contingant vel decimo tertio, vel decimo quinto die menſis, nempe octo diebus poſt *Nonas*. *Idus*, ut vult Macrobius *lib.* 1 *Saturnaliorum cap* 16 *ab Iduando* verbo derivantur. Iduare enim dividere eſt, unde *Idum* dies in duas fermè partes æquales Menſem dividit. Hinc Horatius *lib.* 4 *Carm. Ode* 2. 31

Idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Et ut facilius hæc omnia memoriæ mandentur, dantur ſequentes verſus: 32

Majus ſex Nonas, October, Julius, & Mars:
Quatuor at reliqui dat Idus quilibet octo:
Inde dies alios omnes dic ante Kalendas,
Quas retro numerans ſumes è menſe ſequenti.

Ad uberiorem, & clariorem ſupradictorum notitiam notandum eſt, quod in Menſibus Martii, Maji, Julii, & Octobris *Nonæ* cadunt in diem ſeptimum, adeoque *Idus* in quintamdecimam. In cæteris autem aliis menſibus *Nonæ* cadunt in diem quintam, & *Idus* in tertiam decimam; Unde dies, qui intercedunt inter *Kalendas*, & *Nonas* appellantur a *Nonis*, qui inter *Nonas*, & *Idus* appellantur ab *Idibus*, & dies omnes, qui ſuperſunt poſt *Idus*, appellantur a *Kalendis* proximi venturi menſis: Hinc quia Menſes Martii, Maji, Julii, & Octobris ſex habent dies ante *Nonas*, quod contingit in ipſis prima die, dicitur contingere *Kalendis* talis reſpective menſis; Quod ſecunda die *ſexto Nonas*, ideſt ſexto ante *Nonas*; Quod tertia die *quinto Nonas*, quod quarta die *quarto Nonas*, quod quinta die *tertio Nonas*, quod ſexta die *pridie Nonas*, & denique quod ſeptima die *Nonis*. Quia vero reliqui alii menſes quatuor tantum dies habent ante *Nonas*, quod contingit prima die horum menſium, dicitur contingere *Kalendis* cujuſque reſpective menſis, quod ſecunda die *quarto Nonas*, quod tertia die *tertio Nonas*, quod quarta die *pridie Nonas*, quod quinta die *Nonis*. In omnibus autem anni menſibus, cum omnes octo dies poſt *Nonas* numerent ante Idus, prima die poſt *Nonas* dicitur *octavo Idus*, ſecunda dies poſt *Nonas ſeptimo Idus*, & ſic deinceps, uti dictum eſt de *Nonis*. Et denique quia reliqui dies poſt *Idus* cujuslibet menſis a *Kalendis* menſis ſequentis denominantur, prima dies poſt *Idus* cujuſcumque menſis vocatur decimo nono, vel decimo octavo, vel *decimo ſeptimo Kalendas*, ideſt ante *Kalendas* proximi ſequentis menſis, cum hac advertentia, quod ſi menſis habet 31. dies, & 4. Nonas tantum, ſicut Januarius, prima dies poſt *Idus* talis menſis dicitur *decimo nono Kalendas*, ſecunda poſt Idus *decimo octavo Kalendas*, & ſic de reliquis ſecundum numerum dierum, quæ ab illa die ad diem Kalendarum menſis incluſive numerantur. Si vero menſis habet tantum 30. dies & quatuor *Nonas*, ſicut Aprilis, prima die poſt *Idus* ejuſdem menſis dicitur *decimo octavo Kalendas*, ſecunda *decimo ſeptimo Kalendas*, & ſic de ſingulis uſque in finem, uti ſupra: Si autem menſis habet tantum 28. dies, & quatuor *Nonas*, ſicuti Februarius, prima dies poſt *Idus* ejuſdem menſis dicitur *decimo ſexto Kalendas*; & ſic de reliquis uſque ad finem. Quod ſi autem menſis habet 31. dies, & 6. Nonas, ſicuti Martius, prima dies poſt *Idus* ejuſdem menſis dicitur *decimo ſeptimo kalendas*, & ſic de ſingulis ſecundum numerum dierum, quæ ab illa die ad diem Kalendarum menſis incluſivè numerantur, uti dictum eſt ſupra: Cum ergo dicimus *quinto decimo Kalendas Martii*, idem eſt ac dicere *quinta decima die ante Kalendas Martii*, *& quarta decima die exeunte Februarii*; ac ſic de ſingulis; & cum aliquid contingere dicimus die ſexta decima Martii, contingere dicimus *decimo ſemptimo Kalendas*, ſeu ante *Kalendas* Aprilis; nam intra hunc numerum comprehendi debent, & *dies ipſe Kalendarum*, & *dies*, qua aliquid contingere ſignificantur: Unde dies decima ſexta Aprilis dicitur *decima ſexta Kalendas Majas*, quia triginta tantum dies in Aprili continentur, ſed ſunt 31. in Martio; & ſic in aliis; Ita Gloſſa *Quinto nonas in data libri ſexti Decretalium*, & Doctores paſſim.

Ad facilius autem memoriæ mandandum, quot dies contineant ſinguli anni menſes, dantur ſequentes verſus. 34

Aprilis ter denos, Junius, Septemberque, November.
Uno plus reliqui; Viginti Februus octo.
Sed ſi biſextus fuerit, ſuperadditur unus.

Ideſt Aprilis, Junius, September, & November continent triginta dies. Januarius vero, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, & December continent dies 31. Februarius autem in annis communibus continet ſolum dies 28. In annis vero biſſextilibus continet 29.

Menſium nomina pro Nationum diverſitate varia fuerunt: 35
at hic placet ipſorum nomina breviter annotare, prout breviter traduntur a Beyerlinck *in Theatro Vitæ Humanæ tom.* 5. *verb. Menſis*.

Roma-

Romanorum.	Hebræorum.	Athenienſium.	Macedonum, & Græcorum.	Cypriorum.	Ægyptiorum.	Perſarum.	Arabum, & Saracenorum.
1. Januarius.	10. Thebet.	8. Gamelion.	Audinæus,	11. Eſtios.	5. Tebi.	5. Mardaimech.	Almuzaram.
2. Februarius.	11. Sebat.	9. Elaphebolion.	Gerithios.	12. Romeus.	6. Mechir.	6. Sarembemech.	Saphar.
3. Martius.	12. Adar.	10. Munychion.	Dyſtrus.	1. Aphrodiæus.	7. Phamenoth.	7. Mahemech.	Rabe 1.
4. Aprilis.	1. Niſan. Abib.	11. Thargelion.	Xanthicus.	2. Apogonicus.	8. Pharmuthi.	8. Ebenmech.	Rabe 2.
5. Majus.	2. Jiar.	12. Scirrophorion.	Artemiſius.	3. Ænicus.	9. Pachon.	9. Idramech.	Gemedi 1.
6. Junius.	3. Sivan.	1. Hecatombæon.	Deſius.	4. Junius.	10. Pauni.	10. Dimech.	Gemedi 2.
7. Quintilis. Julius.	4. Thammuz.	2. Metagitnion.	Panemus.	5. Cæſarius.	11. Epiphi.	11. Behmanech.	Rage.
8. Sextilis. Auguſtus.	5. Ab, vel Av.	3. Boedromion.	Lous, vel Dorus.	6. Sebaſtus.	12. Meſori.	12. Azſirdamech.	Suhaben.
9. September.	6. Elul.	4. Mæmacterion.	Gorpiæus.	7. Autocraticus.	1. Toth.	1. Phordimech.	Ramadan.
10. October.	7. Tiſri.	5. Pyanepſion.	Hyperboræus.	8. Dimarchezagius.	2. Phaophi.	2. Ardaimech.	Sarel.
11. November.	8. Marſcheſvan.	6. Anteſterion.	Dius.	9. Plythypatos.	3. Athir.	3. Cardaimech.	Dulchida.
12. December.	9. Chisleu.	7. Poſideon.	Apelleus.	10. Archireus.	4. Chiac.	4. Zirmech.	Dulcheja.

36 Afferuntur omnia menſium Hebræorum juxta ordinem ſervatum in ſacro, ſive Eccleſiaſtico, & in anno Civili, prout traduntur ab eruditiſſimo Calmet *in Dictionario litt. M. verb. Menſis*.

Nomina

Nomina Mensium Hebræorum juxta ordinem Anni Sacri.

1. Nisan respondens	Martio.
2. Jiar.	Aprili.
3. Sivan.	Majo.
4. Tammuz.	Junio.
5. Ab.	Julio.
6. Elul.	Augusto.
7. Tizri.	Septembri.
8. Maschevan.	Octobri.
9. Casleu.	Novembri.
10. Thebet.	Decembri.
11. Sebat, vel Sabat.	Januario.
12. Adar.	Februario.

Nomina Mensium Hebræorum juxta ordinem Anni civilis.

1. Tizzi. respodens	Septembri.
2. Maschevan.	Octobri.
3. Casleu.	Novembri.
4. Thebet.	Decembri.
5. Sebat.	Januario.
6. Adar.	Februario.
7. Nisan.	Martio.
8. Jiar.	Aprili.
9. Sivan.	Majo.
10. Thammuz.	Junio.
11. Ab.	Julio.
12. Elul.	Augusto.

Advertendum tamen hic est, quod menses Judæorum non ita respondent nostris Romanis quasi ex integro conveniant, quia cum menses Hebræorum per lunationes computentur, & menses lunares solaribus plenè congruere non possint, ideo menses Hebræorum pro varietate lunationis duos ex nostris interdum attingunt. Unde Æquinoctium vernum juxta ordinem anni solaris inter diem 20. & 21. Martii incidit; In anno vero Lunari Neomeniæ, seu Novilunia Martio, Plenilunia Aprili respondent, & sic de aliis. Hinc non mirum, quod juxta ordinem traditum a Beyerlinck *Nisan* respondeat nostro *Aprili*, & juxta ordinem assignatum a Calmet respondeat *Martio*, & sic de aliis; cum pro varietate lunationis *Nisan* aliquando magis concurrat cum *Aprili*, quam cum *Martio*, & aliquando magis cum *Martio*, quam cum *Aprili*, ut recte notant Tostatus *in Exod. cap.* 12. *quæst.* 3. cum aliis ibi allegatis, Calmet *in Dictionario verb. Annus, & verb. Mensis*, & alii passim.

37 Assignatur breviter unde desumpta sit Nomenclatura nostrorum Romanorum vulgarium Mensium. Januarius igitur dictus est a *Jano* bicipite, cui Rex Numa Pompilius, & Roma idololatra attribuebant fallam Deitatem. Februarius secundum aliquos dictus est a *Februo*, nam volunt institutum fuisse in honorem *Februi*, idest *Plutonis* lustrationum Dei: secundum vero alios a verbo *Februare*, quod significat purgare, nam dictus Numa instituit hunc mensem ad honorem Deorum Inferni, & animarum purgandarum, putans cum Idololatris antiquis Romanis suis superstitiosis Sacrificiis posse purgare animas jam corpore exutas, illasque, ac Inferorum Dæmones sic posse placari, ne sibi, ut timebat, apparerent, & nocumentum afferrent; & quia ista sacrificia vocabantur purgationes, quibus purgabantur habitacula humana, ne in illa ingrederentur Dæmones, & animæ Defunctorum; sicut nunc purgamus Domus aspergentes eas aqua benedicta contra Dæmonum insultus, ita tunc Februa, seu purgationes per domos aspergebantur, & quia purgationes vocantur *Februa*, vocatus est Mensis iste *Februarius*: unde Ovidius *lib.* 2 *Fastorum* canit; *Ipse Sacerdotem jactantem Februa vidi*, idest aspergentem purgatione, ut notat eruditissimus Tostatus *part.*2 *defensorii cap.*81 *columna* 2. *in fine*. Martius dictus est a *Marte*, qui fuerat a Romulo consecratus prætendenteesse ejus filium, atque hinc Romulus ipsum mensem primum Anni instituit; Unde Ovidius *lib.* 1 *Fastorum* cecinit: *Martis erat primus mensis, Veneriſque secundus*. Aprilis secundum aliquos dictus est a verbo *Aperire*, ex quo in hoc mense terra germinans suum sinum aperiat secundum vero alios dictus est a verbo græco Veneris, cui falsæ Deitati creditæ Matri Æneæ, seu Romuli, mensis erat sacratus juxta illud Ovidii jam adducti, *Veneriſque ſecundus*, cum primus esset Martius Marti sacer. Majus secundum Varronem & alios dictus est a Maja, cui ut creditæ Matri Mercurii ab Idololatris Romanis hoc mense sacrificia offerebantur; ab aliis vero censetur sic dictus *a Majoribus natu*, in quorum gratiam erat consecratus; Unde Ovidius *loc. cit.* cecinit; *Tertius a ſenibus* Junius dictus est, ut volunt aliqui, a *Junone*, cui tali mense sacrificia offerebantur: alii vero dicunt, quod sit sic dictus a *Junioribus*, in quorum juventutis gratiam erat dedicatus. Hinc Ovidius *loc.cit.* cecinit; *Juvenum de nomine quartus*: Et Beyerlinck *loc. cit.* §. *Quintus* ex Plutarc. *in quæſt. Roman.*19. *&* 84. quærens cur mense Majo uxores non ducant Romani? concludit: „ An ut „ quidam dicunt, quia Majus a Majoribus natu appellatus „ est, Junius a junioribus? Nuptiis vero accommodatior „ est junior, ut inquit Eurip. nam senectus Venerem vale„ re jubet, ipsaque venus senibus infensa est; Abstinent igi„ tur Majo nuptiis, junium expectantes, qui Majum ordine „ excipit„. Julius, qui vocabatur *Quintilis*, eo quod quintus esset a Martio, sic dictus est a *Julio Cæſare*, eo quod, ut ait Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. cap.*12. ipse Julius Cæsar natus sit tali mense ad quartum Idus Quintilis. Augustus qui appellabatur *Sextilis*, dictus est ab *Auguſto Imperatore*, eo quod tali mense primum iniisset Consulatum, triumphos tres in Urbem intulisset, Ægyptum subjecisset Romanæ ditioni, ac tandem civilibus bellis finem imposuisset. Alii autem quatuor sequentes Menses nominantur ab ordine numeri, quem habent a Martio, qui in anno a Romulo constituto, erat primus; Unde *September* dicitur, quia septimus erat a Martio; *October*, quia octavus: *November*, quia nonus, & *December*, quia decimus erat; Romulus enim annum constituerat ex solis decem mensibus, quibus Rex Numa Pompilius supradictos duos menses, nempe *Januarium*, *& Februarium* adjecit, ac præposuit: Hinc Ovidius *libro.*1. *Faſtorum* sic cecinit.

Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus.
Hæc generis princeps: ipſius ille pater;
Tertius a ſenibus; juvenum de nomine quartus;
Quæ ſequitur numero turba notata ſuo eſt.
At Numa nec Janum, nec Avitas præterit umbras.
Menſibus antiquis præpoſuitque duos.

Annus (ab Anulo dictus, eo quod in seipsum redeat, ut 38
ex Varrone tradidimus sub verb. *Annus num.*1. seu ex *Ana*, quod est circum, & *Nonas*, quasi circumiens, ut ex aliis *Ibid.* notavimus) universaliter loquendo est totum illud temporis spatium, quo astra quæque integram suam sub Zodiaco revolutionem perficiunt: Macrobius enim *lib.* 2. *in ſomnium Scipionis cap.* 11. sic expresse dicit: „ Annus non est is solum „ quem nunc communis omnium usus appellat, sed singulo„ rum, seu luminum, seu stellarum, emenso omni cæli cir„ cuitu, è certo loco in eumdem locum reditus, annus suus est. Unde sic qualibet cujusque Planetæ periodica revolutio *annus* vocari potest juxta divisionem anni in annum *Planetarium*, qui est tempus illud, quo quilibet Planeta suum cælum decurrit.

At relicta hac anni acceptione, & divisione, hic agimus, 39
de celebriori, & communiori anni divisione in Annum *Solarem*, & annum *Lunarem*. Annus solaris est illud tempus, quo sol Zodiacum perlustrat, suoque ad alterutrum ex tropicis accessu, annuam tempestatem *Veris*, *Æstatis*, *Autumni*, & *Hyemis* varietatem efficit, constatque hic annus diebus 365. horis 5. minutis primariis 48. & secundariis 55. Annus Lunaris est illud tempus, quo Luna girat, seu circuit per totum suum cœlum, seu per Zodiacum integrum: Constatque hic annus, si sit *communis*, duodecim Lunationibus, seu mensibus Lunaribus: Diesque subinde continet 354 horas 8. minuta primaria 48, & secundaria 37. adeoque brevior sit diebus 11. & aliquot fragmentis anno Solari: Si vero sit *Embolimæus* constat hic annus tredecim lunationibus, seu mensibus Lunaribus, dieque subinde continet 383. horas 21. minuta 34. 40
vel circiter. *Embolimæus* namque is dicitur propter Lunationem, quam supra *communem* annum continet, quæ Lunatio *Embolimæa*, sive *intercalaris*, vel *inſerta*, seu *interpoſita* vocatur; Siquidem Macrobio tradente apud Calvinum *in Lex-*

*gno Lexico tom.*1. *litt. E.* intercalare, interserere, seu interponere est, ut colligitur ex *leg. Denique* 3. §. 3. *ff. de Minoribus*.

41 Annus alius Naturalis est, & alius Civilis, seu Legalis; Annus naturalis ille dicitur qui computatur de momento ad momentum; *leg. Anniculus* 132. *ff. de verbor. ſignificationibus*; & hic in nuptiis exigitur, *Novell:* 74. *&* 100. In pupillis, & Minoribus *l. ultima Cod. Quando Tutores eſſe deſinant*, *l. Denique* 3. §. 3. *ff. de minoribus*; In præscriptionibus temporalium actionum *l.*6. *ff. de obligationibus, & actionibus*; In Carboniana possessione, *l.*1. *Cod. de Carbon. edict.* & in aliis similibus. Annus Civilis, seu Legalis ille dicitur, qui computatur non de momento ad momentum, sed solum de die ad diem, adeout qui ad extremum anni diem pervenerit, annum absolvisse videatur; *l.* 134. *ff. de verbor. ſignificat.* Et hic annus exigitur in muneribus, & honoribus; si damnum injuria datum sit in testamenti factione; *libr.* 5. *de teſtament.* in manumissione; *leg. Placuit* 1. *ff. de manumiſſionib.* in usucapione, *libr.* 5. *&* 7. *ff. de uſurpat.* in similibus.

42 Anni Civiles diversimode fuerunt a diversis nationibus usurpati; Alii enim utebantur annis Solaribus, & alii Lunaribus. Item alii annum æstatis unum determinabant, & alterum hyeme; Alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere; Alii anno menstruo, sæpe bimestri non raro trimestri utebantur, ut Ægyptii, apud quos aliquos millia annorum vixisse produntur, cum menses in numerum annorum collocarent; Vide *Magnum Lexicon Calvini tom.*1. *verb. Annus*, ubi ex aliis varias recensetur annorum diversitates juxta varias alias nationes.

43 Item annorum varia apud varias nationes fuerunt initia, quæ brevitatis gratia ad duo potissimum genera perstringo, *Hebræorum* nempe, & *Romanorum*. Apud Hebræos igitur annus sacer, seu Ecclesiasticus incipiebat a mense *Nisan*, qui nostro fere *Martio* respondet. Unde de hoc anni initio dicitur *Exod. Cap.* 12. *n.* 2. *Menſis iſte*, quo nimirum Hebræi egressi fuerunt de Ægypto, *ſit vobis principium menſium*, *primus erit in menſibus anni*. Annus autem Civilis incipiebat a *Thisri*, qui nostro fere *Septembri* respondet, ex eoque colligitur, quia Festum tubarum prima die Septembris celebrari solitum, dicebatur principium anni. *Levitic. Cap.*23.

44 Apud Romanos autem antiquitus secundum constitutionem Romuli annus incipiebat a Martio, eratque ab ipso divisus in decem menses duntaxat, ut jam fuit dictum, continebatque hic Romuleus annus dies 304. itaut sex menses ideste Aprilis, Junius, Sextilis, September, November, December tricenum essent dierum, quatuor vero Martius, Majus, Quintilis, October, tricenis, & singulis expedirentur. Sic Macrobius *lib.*5. *Saturnaliorum C.* 12. Numa autem Pompilius duos addidit menses, Januarium scilicet, & Februarium, constituitque ut hic duodecim mensium annus a Januario deinceps exordium haberet, eo quod hic mensis fuerit Jano bicipiti consecratus, sicque tamquam bicipitis Dei mensis, alter Janus biceps videretur, respiciendo finem anni antecedentis, et exordium sequentis; voluitque quod duodecim menses solares totidem Lunaribus adæquarentur, statuendo quod menses sex essent triginta dierum, et sex dierum viginti novem; Unde annum integrum 354. dierum constituit.

45 Cum autem hoc dierum numero integra Solis revolutio non absolveretur, idcirco Julius Cæsar dies addidit undecim, et sex horas, sicque annum 365. dierum, et sex horarum concluſit, ipsum adhuc inchoando a mense Martio, Mensibus autem imparibus, videlicet Martio, Majo, Quintili, seu Julio, Septembri, Novembri, et Ianuario dies dedit 31. Aliis vero sex paribus, nempe Aprili, Iunio, Sextili, seu Augusto, Octobri, Decembri, Februario dies solum triginta concessit; cum hac advertentia, quod ad complendum Ianuarium ultimum mensem imparem, diem unum subtraxit Februario ultimo, mensi pari, cui proinde superfuere dies tantum vigintinovem. Deinde Imperator Augustus ægre ferens mensem sibi cognominem, nempe *Auguſtum* uno die minorem esse Julio, unum adhuc diem subtraxit Februario, & Augusto adjecit; sicque Februarius, ut adhuc nunc in anno communi, remansit dierum duntaxat 28. quasi inferis, quibus erat sacratus, & diminutio, & par numerus conveniret, ut notat Macrobius *lib.*1. *Saturnaliorum C.* 13. Ne vero tres una ponerentur menses triginta, & unius dierum, unum idem Augustus surripuit Septembri, & addidit Octobri, ac unum detraxit Novembri, & dedit Decembri. Sic expresse eruditissimus Edmundus Purchotius *Inſtit. Philoſoph. t.*3. *p.*2. *ſect.*2. *cap.*9. Talem autem sic constitutum dierum numerum retinent adhuc impræsentarium omnes anni menses, ut patet ex versiculis datis *ſupra n.*42.

Anni initium quomodo calculetur in Curiis, & Tribunali- 46
bus, in Bullis, Brevibus, & Decretis Apostolicis, in actibus publicis, & instrumentis, in actibus privatis, & Epistolis, ac hujusmodi? Vide verb. *Annus a n.*10. *uſque in finem*: ubi *a numer.* 3. *ad nonum* traduntur etiam regulæ ad dignoscendum quando annus accipiendus sit pro incæpto, vel pro completo.

Supra recensitus annus solaris *Julianus* a Julio Cæsare, 47
communiter dictus, vel est communis, vel bissextilis. Annus communis ex ipsius Julii Cæsaris constitutione comprehendit die 365. & 6. horas integras. Annus vero bissextilis dies continet 366. Cum enim sex illæ horæ, quas annus communis præter dies 365. continet, quaternis quibusque annis collectæ, diem completum efficiant, uno die annus communis augetur, qui dies cum ex ejusdem Julii præscripto inter 24. 25. Februarii intercaletur, seu inferatur, & interponatur, bis eo anno secundum Romanam computandi rationem *Sexto Kalendas Martias* pronunciari debet. Unde annus ille *Biſſextilis* nomine appellatur; Centenarii autem & vicenarii anni juxta Julii constitutionem erant *biſſextiles*; Hinc duo notabilia vitia ex dicta Kalendarii Juliani constitutione evenisse progressu temporis compertum est.

Primum itaque Juliani Kalendarii notabile vitium fuit *an-* 48
ticipatio vernalis æquinoctii; Cum enim sex illæ horæ, quibus Julius supra dies 365. annum constare definierat, non essent integræ, sed undecim circiter minutis truncatæ, ideo statim primo anno a constituto Juliano Kalendario *Ver* anticipavit; sed undecim illis minutis, sicque singulis successive annis anticipando, effectum fuerat, ut circa ann. 1582. (quo ut infra dicetur observari cœpit Gregoriana Kalendarii emendatio.) æquinoctium vernum diebus decem antecederet sedem, quam tempore Iulii Cæsaris obtinebat, & a 21. Mensis Martii die ad undecimam fuisset redacta.

Secundum autem Iuliani Kalendarii notabile vitium fuit 49
noviluniorum, & pleniluniorum anteceſſio; ex quo enim Cyclum decem novennalem, seu numerum aureum ita constantem esse statuat, ut decimonono quoque anno redeunte *novilunia*, & *plenilunia*, in eosdem dies, horas, & minuta redeant, quæ tamen una hora, & minutis circiter 30. tempus anticipant, sicque post annos 312. uno die citius contingant, tanta fuit tempore Greg. XIII. *noviluniorum* anteceſſio, ut ea citius quatuor diebus peragerentur, quam *aureus numerus* illa in Kalendario demonstraret; itaut dies illa esset reipsa XVIII. Lunæ, quam Kalendarium XIV. designabat, & hujusmodi; ob idque Sacrum Pascha non amplius a 15. die in 21. Lunæ, sed a die ejusdem 19. in 25. celebraretur, contra præscriptum primi Nicæni Concilii celebrati anno Christi 325. quod *Canone* 20. statuerat Pascha in perpetuum esse celebrandum die Dominico proximo post Lunam 14. primi mensis, idest ejus mensis, cujus Luna 14. incidit in æquinoctium vernum, aut proxime post æquinoctium a die 15. Lunæ ad diem 21. ejusdem, itaut neque differre, neque anticipare liceret.

Ut autem dictis Iuliani Kalendarii vitiis succurreretur jam- 50
diu usque in Conciliis Constantiensi, & Basileensi res fuerat actitata, ac postea Romano Pontifici a Concilio Tridentino demandata; Demum Gregorius XIII. convocatis ex toto Orbe, peritissimis Astronomis, remedium optimum præstitit, ac correctionem absolvit anno 1582. ejusque correcti Kalendarii observantiam indixit Constit. incip. *Inter graviſſimas*; Unde *Gregoriana correctio* est communiter dicta.

Primum igitur Iuliani Kalendarii vitium sic correxit. De- 51
cem integros dies ab ipso detraxit, statuitque, ut post quartam diem Octobris S. Patri Francisco sacram sequens dies anno 1582. non esset quinta, sed pro quintadecima eo anno haberetur; sicque *vernale æquinoctium* suæ pristinæ Sedi diei 21. Martii restituit. Dicti autem decem dies de mense Octobri subtracti sunt, quia in ipsis paucissimi dies Festi occurrunt: In Gallia vero dies decimus Novembris, appellatus fuit vigesimus. Ne vero vernale æquinoctium a die 21. Martii versus initium mensis rursus revertetur, statuit, ut ex quatuor centenariis annis unus tantum *biſſextilis* esset, nempe 1600. minime vero 1700. 1800. 1900. qui *biſſextiles* esse deberent secundum Iulianum Kalendarium, sicque dies tres intercalares quadringentis quibusque annis omitterentur, ut

omit-

omissione horum trium dierum intercalarium *præcessio*, seu *anticipatio* compensaretur: Unde disticum:

Bissextilis adest annus quicumque quaternus.
Centenus tollet, quadringentesimus addet.

52 Ex quibus clara habetur regula ad dignoscendum quando occurrat post Gregorianam Kalendarii correctionem annus *bissextilis*. Detractis igitur centesimis, dividatur, quod supereſt per 4. si ex hac divisione nihil relinquitur, annus ille erit *bissextilis*; Secus vero si post illam divisionem aliquid remanserit; V.G. annus 1760. erit *bissextilis*, nam detractis centesimis remanent anni 60. quibus divisis per 4. nihil ex hac divisione relinquitur; unde annus 1760. debet esse *bissextilis*. Pro centesimis autem stat evidens ex quatuor centenariis, ab anno videlicet 1680. *exclusive* quartum dumtaxat esse *bissextilem*, nempe 2000. 2400. 2800. &c.

53 Secundum vero Juliani Kalendarii vitium in Cyclo decennovennali, quamvis correctione difficillimum prima fronte videretur, tamen facillime, & promptissime fuit correctum ex ingeniosissimo libro Aloysii Lilii celeberrimi Romani Medici, & Astronomi de propagando *Aureo numero in* 30. *Epactas*.

54 Epacta nomen græcum est, quod dies superinductos significat, eos scilicet, quibus annus Solaris communis continens dies 365. annum Lunarem communem continentem dumtaxat dies 354. superat, seu excedit. Epacta igitur primi anni erit 11. cum hoc numero annus communis Solaris Lunarem annum communem excedat; atque adeo sequenti anno Novilunia contingent 11. diebus prius, quam anno primo; Sicque Epacta anni secundi erit 22. cum eo anno rursum annus Solaris Lunarem annum excedat diebus 11. qui additi ad 11. dies primi anni, efficiunt 22. ac proinde finito hoc anno Novilunia contingent 22. diebus prius, quam primo anno; Epacta autem tertii anni erit 3. quia cum rursus 11. dies debeant adjici, ex quo continuus sit anni Solaris cursus undecim diebus superans continuum cursum anni Lunaris, efficietur numerus 33. a quo si rejiciantur 30. dies, qui unam Lunationem Embolismalem constituunt, relinquetur 3. & sic semper deinceps per continuum cujusque anni augmentum 11. dierum, abjectis tamen 30. quando rejici possunt.

55 Pro dignoscendis ex Epacta Lunæ diebus, debent ipsi addi tot dies, quoties fuerit mensium numerus, non a Januario, sed a Martio inclusive numeratus. Per hanc enim additionem habetur Epacta, seu ætas Lunæ pro prima die illius mensis, in quo Lunæ ætas quæritur: Si deinde huic numero numerus etiam dierum mensis adjiciatur, totalis summa ætatem Lunæ pro tali die indicabit, dummodo dicta summa tricenarium numerum non excedat, quia tunc Luna non erit nisi tot dierum, quot dies, abjectis 30. ex illa summa supersunt, V.G. si scire velis ætatem Lunæ pro prima die Aprilis v.g. anni 1760. sumenda erit Epacta 12. quæ dicto anno competit, & numerus mensis, nempe 2. cum Aprilis sit secundus a Martio numeratus, Sicque prima dies Aprilis erit 14. Lunæ: Si deinde scire velis ætatem Lunæ pro diæ decima ejusdem mensis Aprilis, debet addi supradicto numero Epactali 12. n.2. secundi mensis a Martio, & simul dies 10. ejusdem Aprilis: sicque dies decima Aprilis erit 24. Lunæ: Si autem scire velis ætatem Lunæ pro die 25. dicti Aprilis, debet addi dicto numero Epactali 12. num.2. secundi mensis a Martio, & simul dies 25. dicti Aprilis: Sicque cum totalis summa ex diebus 12. Epactæ, duobus secundi mensis, ascendat ad dies 39. detractis 30. supererunt 9. qui ætatem Lunæ pro tali die 25. ostendent.

56 Indictio est 15. annorum Solarium revolutio ab 1. usque ad 15. qua revolutione peracta, iterum redditur ad unitatem.

57 Indictionis nomen venit a pensitatione, seu solutione quorumdam tributorum, quorum *Canon*, & modus in Romano Imperio quotannis olim indicebatur. *Cum enim Romani*, inquit S. Eligius *homil.*3. (apud Bibliothecam PP. tom.2.) *totius mundi potirentur dominio, a subjecto sibi Orbe tripartito per tria quinquennia solutionem census indixerunt fieri: & hoc modo, ut aurum uno, argentum altero, æs vero tertio persolveretur quinquennio.* Unde ne horum tributorum solvendorum memoria laberetur, instituerunt Romani, ut nulla conventio scriptis exarata valeret, nisi haberet annum *Indictionis* notatum: Quonam autem tempore *Indictionis* usus incœperit, quamvis certo sciri non possit, probabilius tamen est incœpisse anno Christi 312. die 24. Septembris, qua die a Constantino Magno victus fuit Maxentius, & inde Christiana Religio fuit in libertatem asserta, in cujus gloriosi facti, & tanti beneficii memoriam feruntur Patres in Concilio Nicæno statuisse, ut deinceps nulla amplius fieret computatio per *Olympiades*, sed per *Indictiones*, ab ipsa die dictæ tam solemnis, & Christianis favorabilis victoriæ incipiendas: Petavius *lib.*11. *de doctrina temporum c.*40. *&* 41. Ricciolus *tom.*1. *Chronologiæ lib.*4. *Cap.*16. & alii; Et de facto eas incœpisse mense Septembri indicat *lex Si Provincia* 13. *Cod. de annonis, & tributis, & lex Omnem Canonem* 1. *Cod. de militari veste, ac Novella* 128. Indictiones vero nunc, præsertim in Bullis, ac aliis Pontificis Rescriptis incipiunt a Kalendis Januarii. 58

59 Olympias autem erat spatium 4. annorum completorum in orbem rediens, quo elapso in Olympia, olim Pisa Elidis, vel Eleæ, aut Pisatidis regionis in Peloponneso primaria urbe, agones, & ludi in honorem Jovis Olympii, Olympici idcirco dicti, maxima totius Græciæ solemnitate, & concursu celebrabantur. Ejusmodi ludos Pisus instituisse dicitur, de quo tamen præter nomen, ut notat Strauchius *in Brev. Chronolog. lib.*4. *Cap.*16. hodie parum constat: Pelops Tantali filius in honorem Jovis Olympii eos celebrare jussit, quos intermissos restauravere Atreus, & Hercules Alcmenæ filius, ac demum peculiaribus additis statutis, Iphitus Praxonidæ filius Elidis Rex illos iterum neglectos innovavit, a quo subinde *Iphitei* dicti sunt. Hi vero ludi quinto quoque anno ineunte, idest post quatuor annos completos sub initium ætatis, seu æstivi solititii, testibus Livio *lib.*27. Censorino in *lib. de die Natali Cap.*8. Pindaro *Ode 3. strop.* 2. & aliis celebrabantur a Luna 11. usque ad 16. inclusive, qua & judicum, sententia de victoribus ferebatur; Prioribus autem undecim diebus athletæ variis se prælusionibus exercebant. Olympiadibus singulis peracto judicio, pronunciata sententia, victoribus declaratis, victorum nomina statim per publicos Sacerdotes ei curæ præpositos tabulis publicis inscribebantur, quibus iisdem etiam alii notabiliores eventus ad singulos singularum Olympiadum annos summatim adnotabantur. Prima Olympias, a qua ceteræ ab Historicis numerantur, seu Olympiadum initium contigit sub prædicto Iphito Rege anno Periodi Julianæ 3938. Mundi 3228. ante æram communem Christianorum 776. ut notat Purchotius *part.* 2. *Physic. sect.*2. *c.*9. §. *Epactæ Profanæ*, & alii plures. Sed satis de his; cum ex dicto Concilio Nicæno nulla amplius fiat computatio per Olympiades, sed per Indictiones.

60 Unde pro invenienda cujuslibet anni Indictione, addendus est numerus ternarius anno, cujus quæritur ipsa Indictio, & totalis summa dividenda est per 15. & tunc numerus ex divisione relictus ostendet Indictionem quæsitam. Quod si ex divisione nihil supersit, Indictio erit 15. v. g. Anno 1760. addantur tres numeri, seu tres anni, summa totalis erit 1763. quæ cum divisa per 15. relinquat 8. annus 1760. erit 8. Indictionis Pontificiæ; Item anno 1761. addantur tres, summa erit 1764. quæ cum divisa per 15. 9. relinquat, Indictio anni 1737. erit 9. Unde distichum:

Si tribus adjunctis Domini diviseris annos,
Ter tibi per quinos Indictio certa patebit.

61 Cyclus solaris est revolutio 20. annorum, qua absoluta ad eumdem deinceps litterarum dominicalium ordinem regredimur. Non enim *solaris* dicitur, quod motum solis aliquem specialem indicet, sed quod ejus beneficio litterarum Dominicalium seriem cognoscamus: Sicque *solaris* est dictus, eo quod dies Dominica, quam *littera Dominicalis* designat, olim dies *solis* nominabatur.

62 Pro inveniendo numero Cycli solaris debent addi 9. anni anno currenti, & totalis summa dividenda est per 28. & tunc numerus ex divisione relictus ostendet annum Cycli solaris quæsitum; Quod si ex divisione nihil supersit, annus Cycli solaris erit 28. V. G. Si anno 1760. addantur 9. erunt 1769. quæ summa totalis divisa per 28. dabit in *quotiente* 61. & supererit 1. Hinc annus 1700. est primus Cycli solaris, eique e regione respondet littera Dominicalis in tabulis; Unde distichum:

Junge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo seca summam; Cyclus solaris habetur.

Ut

63 Ut autem sine tabella littera Dominicalis possit inveniri, dantur sequentes versiculi:

Astra dabit Dominus, gratisque beabit egenos,
Gratia Christicolæ feret aurea dona fideli.

Hæc verba respondent mensibus juxta suum ordinem, nempe *Astra* Januario, *dabit* Februario, *Dominus* Martio, & sic de reliquis: sola autem prima littera in illis consideratur, & ipsa est Dominicalis affixa primæ diei respectivi mensis. Unde *Astra* ut incipiens per *A.* indicat primæ diei mensis Januarii competere litteram dominicalem *A. Dabit* ut incipiens per *D* indicat primæ diei Februarii competere litteram Dominicalem *D* & sic de reliquis. Cognita igitur prima die alicujus mensis, quota nimirum in hebdomada illa sit, clare patebit quænam littera Dominicalis illi anno respondeat. Hinc quia Martius anno 1744. a die Dominica, seu die Domini incipit, secunda illius dies erit *Lunæ*, tertia *Martis*, & sic de reliquis. Unde cum primæ diei Martis competat *D* secundæ diei *E* tertiæ *F* quartæ *G* quintæ *A* sextæ *B* septimæ *C* littera Dominicalis anni 1744. a Martio incipientis erit *D* Quia vero annus 1744. est bissextilis, ac proinde duæ litteræ Dominicales illi competunt, si littera *D* est Dominicalis in Martio, littera *E* erit Dominicalis in Januario usque ad diem 25. Februarii, ubi nimirum fit diei intercalatio: atque adeo littera, quæ ab initio Januarii usque ad Festum S. Mathiæ in diem Dominicam incidebat, deinceps a Festo S. Mathiæ in feriam secundam cadit, & dies Dominica designatur præcedenti littera: eo quod orbis iste litterarum Dominicalium non septem annis, sed quater septem, idest 28. annis expletur.

64 Cyclus Lunæ, seu *Aureus numerus* est Cyclus 19. annorum in perpetuum revolubilis, a *Metone* quodam Athenienſi excogitatus, ut Lunaris motus cum Solari ad æqualitatem perduceretur. Cyclus enim est certus annorum numerus excogitatus per antiquos, ut certius de tempore rerum gestarum posteris constaret. Ut autem prompte sciatur quotus sit Cyclus Lunæ, sive *Numerus Aureus* cujuslibet anni, debet addi annus unus anno currenti, & totalis summa dividi per 19. & si quid residuum fuerit, id numerum Cycli Lunaris, seu *Numeri aurei* anno currenti debitum indicabit; Si vero nihil remanserit, Cyclus Lunæ, seu *Aureus Numerus* erit 19. V. G. si annus currens sit 1700. & ipsi addatur 1. habebitur 1701. quæ summa totalis si per 19. dividatur, invenientur in *quotiente*, seu *exponente* 89. & supererunt 10. qui demonstrant annum 1700. esse Cycli Lunaris, seu *Aurei Numeri* decimum, quod totum indicat sequens Distichum. 65

Unum addes annis Domini, summamque novenis,
Et denis tribues, Numerus tibi ut Aureus adsit.

66 Appellatur autem communiter hic Lunæ Cyclus *Aureus numerus*, quia tanti hujusmodi Cyclum fecit Antiquitas, ut aureis pingeretur, seu scriberetur characteribus, & signanter Athenienses aureis numeris illum in Foro præfigerent, & ut multi referunt Alexandrini in tabula argentea aureis litteris descriptum Romanis olim miserint.

67 Non possunt locorum Ordinarii, tam sæculares, quam Regulares addere suis Kalendariis Sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ a Breviarii Romani Rubricis, vel a Sacr. Rituum Cong. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur. Neque propria auctoritate, & quovis prætextu possunt mutare Ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii in altiorem Ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum; *Sacræ Rit. Congregationis* 8. *Aprillis* 1628. Vide verb. *Resolutiones Sacræ Congregat. in Indice* 2. *Merati numer.* 58.

Additio ex Auctore.

68 Kalendarium Gregorianum post distributionem Festorum, jejuniorum, & hujusmodi ab Italo-Græcis servari præcipitur, Benedict. XIV. tom.1. Constitution.57. incipien. *Etsi Pastoralis* §. 9.

KYRIE ELEISON.

1 KYrie eleison, seu eleeson est vox græca, & significat *Domine miserere*; Et fuit a Græcis translata ad Romanos eodem idiomate ob reverentiam antiquitatis, & Ecclesiæ unitatem inter Græcos, & Latinos, & sicuti eodem idiomate translatæ sunt ab Hebræis hæ voces Hebraicæ: *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Osanna*, ut ostendatur unam esse Ecclesiam, quæ ex Hebræis, & Græcis primum, deinde ex Latinis coadunata est; Quarti *Comment. in Rubric. Missal. p.* 1. *tit.*7. *n.*2. Merati *t.*1. *p.*1. *tit.*8. *Rubrica* 2. *n.*7. Hanc translationem a Græcis ad Romanos fuisse factam a S. Silvestro asserunt Rodulphus *propos.* 23. Gavant. apud Merati *l. c.* Quarti *l. c.* Hoc tamen incertum videtur, Amalarius enim, Strabo, Micrologus, & alii apud Merati *loc. citat.* id tribuunt S. Gregorio Magno: At vero fuisse in usu in tota Italia ante S. Gregorium annis 150. testatur Concilium Vasense II. *c.* 3. sub Felice IV. celebratum, ut ex Bellarmino, & aliis referunt Gavant. & Merati *l. cit.* 2

Ter autem repetitur *Kyrie*, ter *Christe*, & iterum ter *Kyrie* ad confessionem SS. Trinitatis, idest ter ad Patrem, ter ad Filium, ter ad Spiritum Sanctum; sed ad Patrem, & Spiritum Sanctum, sub eadem voce *Kyrie*, quia Pater, & Spiritus Sanctus sunt unius naturæ tantum, idest solius Divinæ. Ad Filium vero sub alia voce nempe *Christe*, quia præter naturam Divinam, habet etiam humanam. Dicitur etiam ter ad quamlibet Personam ad significandum, quod omnes Personæ sunt in se invicem; Sanctus Thomas 3. *part. quæst.*83. *articul.* 4. Quarti, Gavant, & Merati *loco citat.* 3 4

Novies in Missa reperitur contra novem genera peccatorum, idest contra Originale, Mortale, Veniale, Cordis, Oris, Operis, Infirmitatis, Ignorantiæ, & Malitiæ; Innocent. III. *lib.*3. *c.*19. Gavant. apud Merati *t.*1. *p.*2. *tit.*16. *num.* 4. 5

L

LÆSIO.

Vide verbum *Emptio*, *& Venditio*, *articulo* 5. ubi late de his.

LAICUS.

1 LAicus est penitus incapax juris spiritualis, seu Ecclesiastici *c. Messana* 56. *de elect. Cap. Causam quæ* 7. *de prescriptionibus*, cum similibus; Rota *p.*4. *recent. dec.*483. *numer.*16. & communissima Doctorum. Unde Laicus spiritualia, & Ecclesiastica negotia tractare non debet, textu expresso *c. Decernimus* 2. *de Judiciis*, ibi: *Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant* & concordat *c. Benc quidem* 1. *dist. 96. cap. Qua in Ecclesiarum* 7. *& cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de Constitutionibus*, *& cit. c. Messana & c. Causam quæ cum similibus*. Sicque Laicus nullam habet potestatem in personas, & res Ecclesiasticas, quia Laicis, quamvis Religiosis, disponendi de Ecclesiis, rebus & personis Ecclesiasticis, nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; *cap. Bene quidem* 1. *dist.*96. *Cap. Ecclesia S. Mariæ* 10. *de Constitutionibus*, ubi expresse dicitur: „ Nos attendentes, quod „ laicis etiam Religiosis super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi ma„ net necessitas, non auctoritas imperandi, & cap. Cum „ Laicis 12. de rebus Ecclesiæ alienand. vel non, *ibi*: Cum „ Lai- 2 3

„ Laicis quamvis Religiosis disponendi de rebus Ecclesiæ „ nulla sit attributa potestas, quos subsequendi manet neces- „ sitas, non auctoritas imperandi „.

4 Laici causas spirituales beneficiales, vel decimales ad se avocantes, vel eorum cursum impedientes, vel qui partes adstringunt ad revocandum citationes, inhibitiones, aut alia acta in causis præfatis, etiamsi id facientes sint Superiores, Cancellarii, Consiliarii, & Ministri cujuscumque Principis, incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, ibi §. 14.

5 Item similem Excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt Laici, qui personas Ecclesiasticas, Collegia, seu Capitula trahunt ad suum Forum, sive directe, sive indirecte, vel quomodocumque Juri Ecclesiastico præjudicant, ibi §. 15.

6 Item eamdem Excommunicationem incurrunt Laici, qui impediunt Episcopos, vel alios Prælatos Ecclesiasticos, ne suo Jure utantur in Ecclesiasticis, capiendo, vel persequendo agentes eorum, consanguineos, affines, vel Procuratores;

7 ibi §. 16. Item eamdem excommunicationem incurrunt Laici usurpantes Jura, fructus, & alia hujusmodi Sedis Apostolicæ, vel aliarum Ecclesiarum, vel qui ea sequestrant absque

8 licentia superioris competentis, ibi §. 17. Item eamdem Excommunicationem incurrunt Laici imponentes Decimas, talleas, collectas, vel alia onera Ecclesiasticis, vel eorum bonis absque licentia Papæ; vel qui sic imposita exigunt, aut recipiunt; Sic etiam, qui directe, vel indirecte ea exequi faciunt, vel procurant, aut dant auxilium, favorem, vel consilium, cujuscumque gradus, aut dignitatis sint, ibi §. 18.

9 Item eamdem Excommunicationem incurrunt Laici causas criminales Ecclesiasticorum judicantes, tractantes &c. ut Judices, Notarii, Scribæ, Executores, procedendo, banniendo, capiendo, vel contra eos sententiando sine licentia Papæ.

10 Laici omnes etiam Principes, & Reges in spiritualibus causis sunt subditi Judicio Ecclasiastico; *Cap. Quis dubitet 9. & cap. Si Imperator 11. dist. 96. Cap. Novit ille 13. de Judiciis, cap. Unam Sanctam de majorit. & obedient. inter Extravagantes communes.* Laici usurpantes res Ecclesiæ, coram

11 Episcopis conveniuntur, & ad satisfactionem compelluntur; *Cap. Conquestus 16. de Foro competent. Cap. Sicut 2. de privilegiis.* Laici pro re Ecclesiæ conveniri possunt coram Judi-

12 ce Ecclesiastico; *c. Si Clericus 5. de Foro competent.* Laici pro

13 juramentorum observantia conveniri debent coram Judice

14 Ecclesiastico, *Cap. final. de Foro competent in 6.* Laici in mere temporalibus, & prophanis non ligantur Constitutionibus Canonicis, nisi in terris Ecclesiæ, *Cap. Quoniam 8. dist. 10. Cap. Si duobus 7. de appellationibus §. Denique.*

15 Laicis personis de Mysteriis Fidei publice, vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis fe-

16 rendæ. Vid. verb. *Fides nu. 36.* Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem Fidei dubitativam, sed etiam

17 disputationem Fidei confirmativam. Vid. *ibidem n. 37.* Talis prohibitio comprehendit omnes Laicos nedum indoctos, sed etiam doctos (a). Vid. *ibidem n. 38.* Possunt tamen Lai-

18 ci docti de Fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis

19 utilitatis. Vid. *ibidem n. 39.* Possunt etiam Laici docti dis-

20 putare de Fide disputatione materiali, hoc est ficta. Vid. *ibidem n. 40.* Non autem disputatione formali, hoc est vera, nisi in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis. Vid. *ibidem num. 41.*

21 Laici non possunt prædicare. *Concil. Carthagin. VI. c. 68. cap. Cum ex injuncto 12. de Hæreticis.* Immo Laici prædicantes subjacent excommunicationi, & nisi quam citius resipuerint, alia competenti pœna sunt plectendi, textu expresso *in cap. Excommunicatus 13. de Hæreticis §. quia vero*, ibi: *Quia vero nonnulli sub specie pietatis virtutem ejus (juxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, (cum idem Apostolus dicat quomodo prædicabunt, nisi mittantur?) omnes qui prohibiti, vel non missi præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo*

22 *involventur, & nisi quamcitius resipuerint, alia competenti pœna plectantur.* Laici præsentibus Clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non possunt. *Concil. Carthagin. IV. c. 66. cap. Mulier 29. dist. 23.*, ibi: *Laicus autem presentibus Clericis, (nisi ipsis rogantibus docere non audeat).*

Laicus qui post commissum delictum sine ulla fraude fa- 23
ctus est Clericus, gaudet privilegio Fori tam quoad personam, quam quoad bona, quia privilegium superveniens universaliter eximit: *Cap. Fater noster, & ibi Glossa in verb. aliquid caus. 16. quæst. 1. cap. Cum Capella, de privilegiis*, & liberat ab obligatione quis antea tenebatur; *Cap. ex antiquis, Cap. Fraternitatem, & Cap. Si servus, dist. 54. leg. penult. §. Si post, & leg. Spadonem, §. Scire, ff. de excusat. tutor. leg. Is cui, ff. de alim., & cibor. legat.*, & sic expresse decisum fuisse a Sac. Congregat. Concil. refert Fagnan. *in cap. Magnus 1. de obligat. ad ratiocinia num. 64. vid.* verb. *Clericus art. 2. n. 23.* Si vero post commissum delictum 24
in fraudem Clericatum assumpsit, gaudet adhuc privilegio Fori quoad personam. Vid. *ibidem num. 24.* At non gaudet privilegio Fori quoad bona, si Judex Laicus post commis- 25
sum delictum ante illius promotionem prævenit in causa. Vid. *ibidem num. 25.* Judex tamen sæcularis præveniens non 26
potest in bonis talis Clerici procedere, nisi postquam Judex Ecclesiasticus pronunciaverit eum in fraudem Curiæ sæcularis promotum fuisse. *ibidem num. 26.*

Laicus, qui dum detineretur in Carcere Curiæ sæcularis 27
factus est Clericus vel professus, potest a Judice Laico distringi, & puniri etiam in persona: In tali enim casu præventa est causa, & persona. Tum quia Ordo, & Professio non invenit ipsum liberum. Tum etiam quia ex contrario nimium eluderetur Justitia. Jo: Andr. *in cap. Magnus 1. de obligatis ad ratiocinia num. 19.* Butrius *ibidem num. 9.* Card. *ibid. num. 9. quæst. col. 4. vers. Quæ dicta sunt de personali distinctione*, Ancharan. *ibidem num. 2. in fine*, Fagnan. *ibidem num. 52.*, & 85. ubi ex aliis dicit esse communem, quia sicut assumptio Clericatus in fraudem non eximit bona Clerici a jurisdictione Judicis Laici, quando causa est præventa, ita nec eximit personam, quando est præventa persona; utroque enim casu Jus Divinum sive Ecclesiasticum declaratur ab Ecclesia ad eam speciem non pertinere, ut expresse 28
dicit Fagn. *cit. num. 85. in fine.* Laicus inquisitus, & carceratus in Curia sæculari, & postea dimissus sub fidejussione de se repræsentando, si interim fuerit factus Clericus, potest pro causa illa a Judice Laico ad carceres revocari, & puniri etiam pœna corporis afflictiva. Talis enim a carceribus dimissus sub fidejussione de se repræsentando censetur adhuc carceratus, & in vinculis detentus; & sic cum in tali casu præventa sit a Judice Laico causa, & persona, & Ordo non invenerit ipsum liberum, remaneret adhuc ipse sub Judicis Laici jurisdictione, seu potestate. Sic ex variis aliis tenet Fagnan. *loc. cit. a num. 64. ad 87.* ubi refert sic in simili fuisse declaratum a Sac. Cong. Concilii.

Laicus in exilium pulsus a Judice Sæculari cum hoc, ut si 29
exilium non servaret, incideret in pœnam triremium, si postea ordinatus exilium non servaverit, & propterea ab eodem Judice in carcerem conjectus fuerit, si revera ante transgressionem exilii promotus fuerit, est remittendus ad Judicem Ecclesiasticum. Fagnan. *in cit. cap. Magnus numer. 91.* ubi refertur sic declarasse *Sacr. Congreg. Concil. die 14. Novembr. 1609.* Alia ad rem, vid. d. verb. *Clericus art. 2. a n. 27.*; *& verb. Habitus a n. 56.*

Laici non possunt offerre oblationes in Altaribus, *Cap.* 30
Sanctorum 14. caus. 10. q. 1. Laici non possunt sacrificare, nec 31
absolvere, aut ligare, *lib. 3. Constit. Apostolicarum cap. 10.* Leo X. Constitut. 40. incip. *Exurge*, Concil. Trid. *sess. 7. Canon. 10., & sess. 14. cap. 5., & Canon. 10. ejusdem sess. 14.* 32
Unde Laicus, seu etiam Clericus non Sacerdos audens celebrare, & Sacramentaliter absolvere, fit suspectus de hæresi, & est cogendus ab Inquisitoribus abjurare de vehementi, & licet esset minor 25. annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, & brachio sæculari tradendus, & ultimo supplicio afficiendus ex Clemente VIII. Constit. incip. *Et si alias*, & Urbano VIII. Constit. 33
79. incip. *Apostolatus officium*. Et si Laicus, vel Clericus non Sacerdos attentaret absolvere, nulla esset absolutio, non ob-

(a) Contrarium tamen eruitur ex Nota apposita in hac editione, Verbo *Clericus*, artic. 1. num. 1. tom. 2. pag. 108. & verbo *Fides*, num. 37. tom. 3. pag. 230., ubi ostendimus, laicorum nomine, eo tempore, quo editus est canon *Cap. Quicumque* relatus, intelligi contigisse indoctos, & illiteratos.

stante errore communi. Vid. *verb. Confessarius art. 1. num. 37.*

Laici neque possunt exercere ministerium Ordinum mino-
34 rum. *Concil. Colonien. I. part. 3. cap. 31. Concil. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 17.* laici non possunt regulariter inservire Ministris in altari. *Concil. Colonienf. II. part. 3. cap. 31.*
35 laici sub specie panis tantum possunt communicare. *Concil.*
36 *Constantiense sess. 13. cap. 1. Concil. Trident. sess. 21. cap. primo Canon. 1., & 2. ejusdem sess. 21.* laici non a se, sed a Sacerdotibus debent Eucharistiam accipere, *arg. cap. Tribus gra-* 37
dibus 22., & cap. Pervenit 29. dist. 2. de consecrat. Barbosa *in Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. num. 3. Communis*, & praxis universf. nisi essent in articulo mortis, & deficeret Sacerdos, vel Diaconus, cum in casu talis extremæ necessitatis præceptum humanum cederet præcepto Divino sumendi pro tunc Viaticum. Sic plurimi cum La Croix *lib. 6. part. primo num. 48. 4°. 2.*

Laici eligere non possunt ad dignitates, & Prælaturas Eccle-
38 siasticas; *Cap. Nullus 1. cap. Non est 6. cap. Non licet 8., & cap. Nosse 12. d. 63. cap. Contingit 8. de Arbitris, Cap. Decernimus 2. de Judiciis, cap. Sacrosanctæ 51. & cap. Massana 56. de election. cum similibus.* Et electio Episcopi per
39 Laicos etiam cum Canonicis facta, est nulla non obstante contraria consuetudine, quæ potius dicenda est corruptela, textu expresso *in cit. capite Massana 56. de election.*, & ibi
40 Doctores communiter. Laici non eligi possunt ad dictas dignitates, & Prælaturas Ecclesiasticas; qui enim necdum sunt Tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet Beneficium, ita-ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; *arg. cap. Ex litteris 6. de transactionibus*, & notat Glossa final., & Abbas *ibidem num. 3.*, & tenet Rota *part. 18. recent. tom. 1. decis. 40. num. 4.* Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico,
41 ut possit eligi, & postea quamprimum tonsurari, prout aliquoties contigisse cum Magnorum Principum Filiis, præsertim in Germania refert Sanig *cap. 2. numer. 2. de election.*
42 Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus Sancti, prout S. Nicolaus, S. Severus, & S. Ambrosius ex laicis fuerunt electi in Episcopos, ut habetur *in Cap. Statuimus §. 8. Econtra dist. 61.* Unde laici, ut vides, sunt
43 incapaces Beneficii Ecclesiastici; *arg. cit. cap. Ex litteris 6. de transactionibus*; sunt enim laici incapaces omnis Juris Ecclesiastici; *Cap. Cum adeo 17. de Rescriptis, cap. Causam 7. de Præscriptionib. cap. Contingit 8. de Arbitris, cap. Decernimus 2. de Judiciis, cap. In Ecclesia 2. de Institutionibus* cum similibus. Possunt tamen laici præsentari ad Benefi-
44 cia a Patronis coram Ordinario, sub conditione, quod clericentur intra tempus statutum ad præsentandum, ut dictum est verb. *Jurispatronatus art. 4. num. 71.* laici non possunt habe-
45 re pensiones Ecclesiasticas. S. Pii V. *Constitut. 73.* incipient. *Sacrosanctum.*

Laici etiam Patroni non possunt conferre clericis Benefi-
46 cia, aliasque Ecclesias, sed possunt ad ea præsentare si habent Jus; Et si concedunt sine licentia Episcopi, nulla est concessio; *Cap. Cum Laici 10. de Jurepatronatus, Concil. Lateranen. III. in append. titul. de Jurepatron. cap. 3.* laici non possunt alicui domui Religiosæ concedere Jurispatronatus
47 sine licentia Episcopi; *Cap. Cura pastoralis 11. de Jurepatr.*
48 *Concil. Lateran. III. eodem tit. cap. 6.* laici non possunt spoliare de Ecclesiis, seu Beneficiis Clericos delinquentes. *Concil. Constantiens. contra art. 16. Wicleff. Cap. Relatum 21.*
49 *de Jurepatr. §. Ad hoc.* laici, qui Clericos instituunt, & destituunt in ecclesiis etiam Patronatis subjacent Excommunicationi *cap. Præterea 4. de Jurepatronatus.*

Laici non possunt facere judicia in Ecclesiis. *Concil. Are-*
50 *latens. IV. cap. 22. cap. Ut in domibus 1. de immunit. Eccles.* Im-
51 mo laici nec possunt facere alia consilia in Ecclesiis, & Domibus earum: *cit. Cap. Ut in domibus Ecclesiarum 1. de im-*
52 *munit. Eccles.* laici non possunt frequentare Monasteria Monialium, alias excommunicationi subduntur, textu expresso *in cap. Monasteria 8. de vita, & honestate clericorum.*
53 laici non possunt tangere sacras Reliquias, neque Vasa sacra, & neque illa abluere. *Concil. Colonienf. II. part. 3.*
54 *cap. 31.* laici induentes se vestibus sacris sunt puniendi, & condemnatur mos in aulis Principum induendi laicos habitu Episcopali joci gratia. *Concil. Constantinopolitan. IV. cap. 16.*, ibi: *Colligere licet solemne fuisse in aulis Principum, statis quibusdam diebus componere aliquem Laicum insignibus Episcopalibus, qui, & Tonsura, & ceteris ornamentis personatum Episcopum ageret, & crasse etiam ridiculum Patriarcham, quo se oblectarent. Quæ omnia, ut in dedecus Ecclesiæ accersita prohibentur sub gravibus censuris.* laici non possunt indui superpelliceis. *Concil. Colonienf. II. part. 3.* 55
cap. 31.

Laici nequeunt habere Cryptas, & aditus subterraneos, 56
per quos e suis domibus ad Ecclesias, & loca immunia transeant; & ubi adsint, injungitur Episcopo, ut eos claudere faciat. *Sac. Congregat. Immunitatis in Aquilana 9. Martii 1632. lib. 2. decret. Pauluc. pag. 115.* Vide verb. *Ecclesia art. 6. num. 1.* laici, dum Divina celebrantur, non debent in- 57
ter Canonicos, & alios Ecclesiæ Præbendatos in Choro stare, vel sedere; *Cap. Sacerdotum 29. dist. 2. de consecrat. cap. Ut Laici 1. de vita, & honestat. Clericorum*; & sic expresse decrevit *Sacra Congregatio Rit. in Compostellana 4. Februar. 1600.* laicorum loca in Ecclesia distincta, & separata esse debent a locis Canonicorum, & Ministrorum in divinis inser- 58
vientium. *Sacra Congregat. Rit. in Elboren. 8. Jan. 1605.* laici non debent occupare stalla, seu loca Dignitatum, Ca- 59
nonicorum, & Præbendarum in Choro, vel Presbyterio, etiamsi sint illustres, & de Magistratu. *Sacra Congregat. Rit. in Compostellana 21. Februarii 1604. & Granaten. 24. Octobris 1609.*

Laici non possunt retinere sedilia in Presbyterio. Nec 60
possunt retinere Baldachinum in Ecclesia: Nec ejs est deferendum Evangelium ad osculandum. Vid. verb. *Ecclesia, art. 5. nu. 29. & 30.* ubi asseruntur ad hoc Decreta Generalia. Hinc Sacra Rit. Congregat. mandavit aptandum esse locum 61
Magistratui extra Presbyterium juxta designationem porrectam a Magistro Cæremoniarum, non obstante, quod Magistratus reperiretur in possessione, & allegaret alterius loci congrui deficieneiam. *Vide ibidem numer. 32.* Magistratus laicus non potest in Ecclesia habere retentionem sive usum 62
Tapeti, aut Stratus. *Vide ibidem a num. 32. ad 36.* ubi asseruntur varia decreta ad rem. Laici exceptis Personis Regalibus nequeunt sibi facere deferri strata ad Ecclesias. *Vide* 63
ibidem num. 28. ubi affertur Decretum id prohibens sub gravibus pœnis.

Laici an, & quomodo possint ponere, & retinere sedilia, 64
seu scamna propria in Ecclesia? Vide *ibidem a num. 7. ad 27.* Laici non sunt invitandi ad Synodum, nec locum præten- 65
dere possunt; *Sacra Congregat. Concil. in Lyciensi Synodi 10. Januar., & 10. Aprilis 1688. in responsione ad primum, & Sacra Congreg. Rit. in Urbinaten. 23. Januarii 1700. in responsione ad septimum.* Laici non possunt esse Vicarii Episcopi; 66
Concil. Hispalens. II. cap. 9. Laici non possunt esse socii Visitatoris in ingressu Clausuræ Monialium; Sic expresse statuit Gregorius XIII. *Constit. incipient. Dubiis*, ubi imponit gravissimas pœnas contra Visitatores transgressores, & pluries declaravit *Sacra Congregat. Episcop., & Regul.*, & signanter *in Tarvisina 20. Novembr. 1061.* etiamsi essent Officiales, seu Santesii ejusdem Monasterii, ut *in Genuensi 16. Januar. 1610. in Regesto fol. 15.* 67

Laici Magistratus jus non habent indicendi publicas preces. Benedictus XIV. tom. 1. Constit. 82. inc. *Quemadmodum* 68
§. 3., & 6.

Novæ additiones ex aliena manu.

REticendum hic haud est, quod in Concilio Romano 1
tit. 28. de Immun. cap. 4. Alias habetur: *Generali S. Sedis decreto Ecclesiis etiam Regularibus intra Presbyteriorum, & Altarium septa, dum Missæ ibi celebrantur, aliave divina Officia persolvuntur, sæcularium Personarum cujuscumque conditionis, & sexus assistentiam prohibitam fuisse non ignoratur. Verumtamen quum ad hoc Laici quidem in vetita temeritate nitantur, & ibidem stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant, id iterum juxta sacrorum Canonum, ejusdemque Apostolicæ Sedis mentem, sub Ecclesiarum Regularium etiam, & quomodocumque exemptarum interdicti poena ipso facto incurrenda, & Romano Pontifici reservata inhibemus; mandantes, ut si quæ sint pro Laicis, sacra intra loca prædicta, sedes, scamna, & genuflexoria, illinc auferantur, & removeantur omnino.*

LARGITIO MUNERUM.

Vide verb. *Regul.* verb. *Xenia*, & verb. *Poena art. 2. num. 147.*

LAXA PROPOSITIO.

Vide verb. *Propositiones damnatæ num.*40.

LAUDEMIUM.

Vide verb. *Emphyteusis art.*3. *a num.* 16. *usque ad finem.*

LECTORATUS.

Vide verb. *Ordo*, *art.*1. *num.* 31. 32. 33.

LATRONES CRUCI CUM CHRISTO AFFIXI.

Additamenta novissima Auctoris.

1 LAtrones crucifixi cum Christo, quinam fuerint? Hi latrones fortasse fuerunt ex iis, qui tunc temporis Judæam infestabant, nec alium sibi regem esse quam Deum asserebant, & Romano imperio propterea se non esse subjectos jactitabant. Circa autem eorum nomina satis variant Actores. In collectaneis enim quæ Bedæ falso adscribuntur, Latro bonus *Matta*, & latro malus *Joca* nominatur. In historia Xaveriana *pag.*480. unus dicitus *Vicimus*, & alter *Justinus*. In Evangelio apocrypho Infantiæ Christi *cap.*23. nuncupatur unus *Titus*, & alter *Dumachus*, & in Evangelio Pseudo-Nicodemi *cap.*9. Latro probus appellatur *Dimas*, & improbus *Gestas*; quod etiam tradidit Goffridus Vindocinensis *in fine sermonis decimi*. Sic expresse Card. Lambert. postea Benedictus XIV. de *Canonizat. lib.*4. *cap.*12. *num.*10. ubi insuper tradit, quod bonus latro cultum obtinet in utraque Ecclesia, Occidentali videlicet, & Orientali. Ad diem 25. Martii mentio ejus fit in Martyrologio Romano: Hierosolymis commemoratio Sancti Latronis, qui in Christum confessus ab eo meruit audire; *Hodie mecum eris in Paradiso*: subditque Cardinal Baronius *in Notis Dimam hunc plerique appellant, sed quoniam id ab Apocryphis proditur, ea de causa hic nomen proprium prætermissum videtur. Reperiuntur autem Sancti Dimæ Latronis nomini nonulla sacella dicata, & memoriæ erectæ eodem titulo.*

2 Sub nomine tamen Sancti Latronis soluminodo, reticito proprio nomine, in Religione Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum ex concessione Sixti V. recitatur Officium proprium de Confessore non Pontifice cum Oratione. & Responsoriis propriis, & primis Lectionibus desumptis ex Scriptura, secundis ex sermone Sancti Joannis Chrysostomi, & tertiis ex sermone 49. Sancti Ambrosii, in quo fit sermo de Sancto latrone. Cum autem a Congregatione Patrum Piorum Operariorum fuerit supplicata extensio dicti Officii, ex quo sanctum hunc bonum latronem in specialem Patronum, & Advocatum suum elegerit, propter expertas plurimas peccatorum conversiones ejus intercessione in suis sacris Missionibus factas; & orta difficultate, an de Confessore, aut de Martyre ejus officium recitari deberet, omnibus perpensis *Sacrorum Rituum Congregatio die* 23. *Septembris* 1724. adhærendo opinioni asserentium, hoc officium recitandum de Confessore, & non de Martyre, indulsit dictæ Congregationi Piorum Operariorum, ut illud possent recitare de Confessore non Pontifice sub nomine Sancti Boni latronis, prout cultum obtinet in Religione B. Mariæ de Mercede. Sic apud laudatum Lambertin. Benedict. XIV. *loco* proxime *citato* ubi multa tradit ad rem.

3 Quoad nomina Latronum fere consimiliter, ut supra, tradit Eruditissimus Calmet in Dictionario verb. *Latro*, ubi de ipsis sic insuper refert: Pseudo-Evangelium Infantiæ Salvatoris vetustissimum quidem opus refert, fugientem cum puero Jesu Virginem, & Sanctum Josephum in Ægyptum incidisse in turmam latronum resolutam in somnum, duobus tantummodo vigilantibus, e quibus alter in necem peregrinorum sese accingebat, sed a socio prohibitus est. Tunc puer Jesus ore fatidico prænunciavit; ambos illos latrones agendos esse secum in Crucem, alterum autem ex illis recipiendum in Paradisum, depellendum alterum ad Inferos. Hæc ille ad litteram.

An autem ambo hi Latrones bonus, & malus blasphemaverint in Cruce Christum, aut solus malus, videntur non convenire inter se Evangelistæ. Matthæus enim *cap.*27. 4, & Marcus *cap.*15. narrant, Christum ab utroque latrone fuisse maledictum, *idipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei; & qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei*. *Lucas* autem *c.*23. asserit, solum malum latronem blasphemasse eum, & fuisse reprehensum a bono, qui postea Christum rogavit ut cum ad suum perveniisset regnum, memor esset sui: *Unus autem ex his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens: si tu es Christus, salvum, fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum dicens; Neque tu times Deum, quod in eadem damnationes es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit; & dicibat ad Jesum: Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum; & dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*. Ast S. Hieronymus in *capitul.* 27. *Matth.* ostendit, quod nihil inter se discrepaverint Evangelistæ, dicens, quod in principio uterque quidem latro convicia, & maledicta in Christum conjecerit, sed postea bonus latro, ut vidit solem obscurari, tremefieri terram, & saxa disrumpi, resipuerit, ibi: *Non quod discrepent Evangelistæ, sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc, sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, & priorem negationem sequenti confessione emendaverit*. Sanctus autem Augustinus *lib.* 3. de *consensu Evangelistarum* alio modo eos conciliat. Dicit enim, quod Matthæus, & Marcus adhibuerit modum loquendi in Sacra Scriptura satis frequentem, ubi sæpe pluralis pro singularis numero ponitur, ut patet in epistola ab Hebræos: *Clauserunt ora leonum*, & tamen de solo Daniele ibi est sermo: *Sepulti sunt*, & tamen refertur ad solum Isajam; & psal. 2. *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*, quæ de Herode, qui erat Rex, & de Pilato, qui erat Princeps, intelliguntur; ut patet ex Act. Apostolorum *cap.*4. *num.*5., & hæc S. Augustini opinio communius sequitur a Sacris interpretibus, ut testatur Scriptor Synopsis Critic. Sacr. in Matt. *cap.* 27. *pag.* 677., ibi: *Pluralem numerum usurpari, ubi unus e multis, sed indefinite indicatur, veteres, novique interpretes monuerunt*. Sicque tenet peritissimus Cardinal Lambertin. Benedictus XIV. *de festis D. N. Jesu Christi part.*1. *num.* 286. expresse dicens: *Atque etiam multo verosimilius est de uno tantum latrone Evangelistas loqui, nam qui bonus potuisset latro alterum quod blasphemaret, increpare, si ipse etiam paulo ante blasphemasset?* Ita etiam Cornel. a Lapide in Lucam *cap.*23. *versicul.* 42.

Quo sensu intelligenda sint illa verba *Hodie mecum eris in* 5
Paradiso, variant Sacri Interpretes. Sanctus enim Justinus Martyr *quæst.*75. 76., & 85. ad Orthodoxos dicit, quod pro tali Paradiso intelligendus sit ille terrestris, e quo pulsus est Adam; sed hæc opinio cum petitione latronis non convenit, cum ille non terrestrem Paradisum, sed cælestem postulaverit. Verius tamen Sanctus Augustinus *epistol.* 187. *alias* 37. ad Dardanum tradit, verba illa *Hodie mecum eris in Paradiso* non de Paradiso interpretanda esse, quia illa eadem die non erat Christus venturus in Paradisum, ibi: *Non ex his verbis in Cælo existimandus est esse Paradisus, neque enim ipso die in Cælo futurus erat homo Christus Jesus, sed ita esse intelligenda, ut Paradisus esset in Inferno, quo anima Christi illa die futurum erat, ut descenderet. Restat igitur, ut, si secundum hominem dictum est: Hodie mecum eris in Paradisus, ubi erat ea die futurus secundum humanam animam Christus*. Cui consonat S. Thomas 3. *part. quæst.* 52. *articul.*4. *ad tertium* dicens: *Illud Verbum Domini est intelligendum non de Paradiso terrestri corporeo, sed de Paradiso Spirituali, in quo esse dicuntur quicumque divina gloria perfruuntur. Unde Latro loco quidem cum Christo ad Infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei: mecum eris in Paradiso; sed præmio in Paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut, & alii Sancti*. Tirinus in *cap.*23. *Luc. num.*43. sic expresse habet: *Hodie mecum eris in Paradiso*, non terrestri Adami, non etiam cælesti, vel in Cœlo Empyreo, sed generaliter in loco voluptatis, puta in consortio tot myriadum Sanctorum Patrum, & in clara visio-

visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim atque expiravit, concessa est omnibus in limbo. Et Maldonatus in *cap.*27. *Matth. num.*44. relatis variis ad id interpretationibus, concludit, Paradisi nomine intelligendum esse Abrahæ sinum, ubi animæ sanctorum ante Ascensionem Christi in Cælum, morabantur. Illuc enim illa eadem die Christus descendit, & illuc latronis animam secum conduxit; quod & probat Sapientissimus Lamy Harmon. Evangel. *lib.*5. *cap.* 34. Christi verba sic explicans: Non modo tui memor ero, cum Regnum meum suam plenitudinem consequetur; sed hodie magna tibi afferam solatia, & ad illam te sedem mecum adducam, ubi tranquille degunt animæ Abraham, Isaac, & Jacob. Ita apud numquam satis laudat. Card. Lambertin. Benedict. XIV. *loc. citat. num.* 289. Et egregie Cornel. a Lapide in *Luc. cap.*23. *vers.* 43., ibi: *Certum enim est, Christum cum latrone die illo, quo obiit, non ascendisse in Cælum, sed descendisse ad limbum Patrum*. Unde S. Augustinus *lib.*12. *de Genesi ad litt. cap.* 34., & Maldonat. per Paradisum hic accipiunt sinum Abrahæ; Ibique eis visionem divitatis suæ impertivisse; itaque eos beasse, quare tunc Christus rerum sortes mutavit, fecit enim, ut limbus esset Paradisus, ut inferi essent superi, & Infernus esset Cælum, ubi enim est Christus, ibi est Paradisus, ubi est visio Dei, & beatitudo, ibi est Cælum. Et cum aliis concordat etiam Hugo Card. in Lucam *cap.*25.

LEGATARIUS LEGATUM.

1 LEgatarius est, & dicitur ille, cui ab hærede est præstandum Legatum, seu res ei a defuncto legata, seu relicta;
2 *Sic in re communis Doctorum*. Legatarius, & hæres quis esse non potest. Rota *part.*5. *recent. tom.*2. *decis.*421. *nu.*30. *part.*13. *decis.*209. *num.*2. Cardinal de Luca *de Fideicommiss. disc.*211. *num.*2., & *de Legatis disc.*58. *num.*12. *disc.* 63.
3 *num.*6. *disc.*64. *num.*3., & alii passim. Immo cessat Legatum eo ipso, quod Legatarius efficitur hæres universalis. Card. de Luca *de Fideicommiss. disc.* 211. *num.*2., & *de*
4 *Legatis disc.*64. *per totum*. Hoc tamen est intelligendum durante titulo hereditario; secus isto cessato per restitutionem. Card. de Luca *de Fideicomm. disc.*131. *sub num.* 12.,
5 & *de Legatis disc.*564. *sub num.*3. Et hoc quoque est intelligendum quando unicus est hæres purus, & irrevocabilis, qui a se ipso legatum obtinere debeat, cum tunc intret ratio incompatibilitatis ob concursum passionis in eodem subjecto, incompatibile est enim, quod idem sit hæres, & legatarius, ac debitor, & creditor: Secus autem quando habet coheredes unum, vel plures, a quibus potest assequi legatum, citra dictam incompatibilitatem, ut aliis relatis firmatur apud Burat. *decis.*643. *num.*2., & *sequent.*, & *decis.*421. *nu.*31. *part.*5. *tom.*2., & *decis.* 229. *num.* 26., & 27. *part.* 10. *re*
6 *cent.* Sic expresse Card. de Luca *de Legatis disc.*64. *num.*3. legatarius carnaliter cognoscens uxorem Testatoris post ejus mortem, indignus est legato, & sic applicatur Fisco, quia si vivo defuncto hoc fecisset, ipsum ad iracundiam provocasset, nec ei tamquam indigno legatum reliquisset, adeoque &c. Glossa *in Leg. Sororem in fin. Cod. de his quibus ut indign.* Fagnan. *in Cap. Ut nobis* 28. *de sentent. excommunic. num.*18., & alii.

7 Legatum dupliciter sumi potest, scilicet vel pro actu, aut dispositione, qua res aliqua legatur, vel pro re ipsa,
8 quæ legatur. *Communis* legatum primo modo sumptum est donatio quædam a Defuncto relicta, & ab hærede præstanda, §.1. *Instit. de Legatis*. Legatum secundo modo sumptum est res aliqua particularis verbis ad legatarium directis
9 a defuncto, & ab hærede præstanda. *Est in re communis*.

10 Legatum aliud est profanum, quia est ad profanos usus relictum; & aliud pium, quia est relictum ad pios usus, & animæ suffragium, ut ad legendas Missas, ad celebranda Officia, ad subveniendos pauperes, & hujusmodi.

11 Legatum aliud est purum, aliud conditionatum, aliud in diem, aliud sub modo, aliud sub causa, aliud sub Demon-
12 stratione. *Communis*. Legatum *purum* est illud, quod fit simpliciter absque ullo adjecto tempore, conditione, vel modo, §. *Omnis* 2. *Institut. de verbor. oblig.* legatum *con-*
13 *ditionatum* est illud, quod fit, & relinquitur præstandum solum sub certa conditione de præterito, præsenti, vel futuro; Unde sub conditione de præterito sit, quando Testator dicit: lego Petro mille aureos, si navis auro, & argento pro me onusta jam ex India tuto advenit: *Leg. Conditio in præteritum* 110. *de verbor. obligat.* Sub conditione de præsenti fit, quando Testator dicit: lego Petro mille, si adhuc vivit; *leg. Cum ad præsens* 37. *ff. de rebus creditis, si certum petatur*. Sub conditione de futurosit, quando Testator dicit: lego Petro mille, si navis ad me directa auro, & argento onusta tuto pervenerit, & hujusmodi, *arg.* §. *sub conditione*, *Instit. de verbor. obligat.*, & *leg. Itaque*, *ff. decondit. & demonstr.* Legatum *in diem* est illud, quod 14
fit, & relinquitur præstandum certo post mortem Testatoris determinato tempore, v. g. quando Testator dicit: lego Petro mille aureos eidem tradendos mense post meam mortem elapso, *arg. tot. tit. ff. Quando dies legat. cedat*, & §. *Omnis* 2. *Instit. de verbor. obligat.*

Legatum *sub modo* est illud quod fit, & relinquitur cum 15
certo aliquo modo, onere, gravamine, vel moderamine, v. g. quando Testator dicit: lego Petro mille aureos, ita tamen ut de ipsis eroget quinque singulis annis pauperibus, vel faciat celebrare centum Missas, & hujusmodi, *arg. tot. Cod. de Donat. quæ sub modo*. Et legatum *sub modo* differt a legato *conditionato*, quia legatum *conditionatum* suspenditur usque ad purificationem conditionis, & inde evenescit, si ante conditionis adimpletionem legatarius moriatur, ut ex variis Juribus, notat Glossa communiter recepta 16
in cap. Verum 4. *de conditionibus appositis*. Econtra legatum *sub modo*, statim valet, & transmittitur cum onere ad hæredes, si per istos æque ac per legatarium modus impleri possit, ut recte advertit Glossa *loc. cit. arg. leg.* 1. 3. *Cod. de donat. quæ sub modo*, & communis Doctorum. Modus autem solet regulariter exprimi per dictionem Ut. Conditio per dictionem Si. Et causa per dictionem *Quia*, 17
ut notat Glossa *in cit. Cap. Verum* verb. *Conditione in fine*, ubi adducit sequentem versiculum:

Scito, quod Ut modus est, Si conditio, *Quia* causa.

Legatum *sub causa* seu ex certa causa est illud, quod fit, & relinquitur cum expressione causæ, ob quam præsentem, 18
vel præteritam, tale quid alicui legatur, v.g. Quando Te- 19
stator dicit: lego Petro mille aureos, quia mihi fideliter inservivit, quia me a tali mortis periculo liberavit, & hujus- 20
modi, *arg. leg. demonstratio falsa* 17., & *leg. Cum tale* 72. §. *Falsum* 6. *ff. de condit.*, & *demonstrat.* Et si talis causa non subsistat, subsistit adhuc legatum factum *sub tali causa*; quamvis enim Petrus non infervierit fideliter Testatori, vel non a tali mortis periculo ipsum liberaverit, legatum adhuc valet, §. *Longe* 31. *Instit. de legat.*, ibi: *Legato falsa causa adjecta non nocet*, & concordat *leg. Demonstratio* 17. §. *quod autem*, & *leg. Cum tale* 72. §. *Falsum* 6. *ff. de condit.*, & *demonstrat.*, tibi: *Falsa causa Legato non obesse* 21
verius est, addita ratione, *quia ratio legandi Legato non cohæret*. Nisi tamen hæres probet Testatorem legaturum non fuisse, si causam non subsistere sciviset, vel sit error circa substantiam personæ, quia tunc non subsisteret legatum, *arg. leg. Cum tale* 72. §. *Falsum* 6. *ff. de condit.*, & *demonstrat. leg. Si Pater* 4., & *leg. Quoties* 9. *princ. ff. de Hered. instit.* cum similibus.

Legatum *sub demonstratione* est illud, quod fit, & relinquitur cum expressione, seu demonstratione alicujus circumstantiæ, signi, vel accidentis circa rem legatam vel 22
personam, cui legatur v. g. quando Testator dicit: lego Petro mille aureos, qui sunt in tali mea capsa, in tali mea crumena, vel quos Paulus mihi debet, & hujusmodi, *arg. leg. Demonstratio falsa* 17. *de condit.*, & *demonstrat.* Tale legatum *sub demonstratione*, dummodo extet res legata, & constet de illa, quam Testator legavit, ac persona, cui legaverit, valet, quamvis Testator in demonstratione ali- 23
qualiter erret; ut si Testator dicat: lego Petro *Notario*, Petro *Causidio* agrum *A*, fundum *B.* mihi donatum a Paulo, quamvis Petrus non sit *Notarius*, nec *Causidicus*, nec Testator dono acceperit a Paulo illum agrum *A.*, & fundum *B.* dummodo adsit talis Petrus, & talis fundus, & constet aliunde Testatorem de tali Petro, & agro, seu fundo sensisse, valet legatum, non obstante tali Testatoris errore; textu aperto *in cit. leg. Demonstratio falsa* 17. *princ. ff. de condit & demonstrat.*, & §. 1. *ff. eodem*, ubi expresse dicitur, quod demonstratio falsa, sive sit circa rem, sive circa personam, non obsit legato; & concordat *leg. Quibus diebus* 40. *ff. eodem & leg. Proxima* 30. *instit. de legat.*

Si autem res quæ demonstratur, seu exprimitur a Testatore, omnino non existat. V. G. quando Testator dicit; le- 24
go

go Petro mille aureos, qui tali capsa, vel tali crumena sunt, & ibi nullæ pecuniæ reperiantur; Legatum est nullum, textu expresso *in leg.1. §. Sed, & si Dotem 7. ff. de Dote præleg.*, ibi: *Nam si quis ita legaverit centum, quæ in arca habeo, vel quæ ille apud me deposuit, si nulla sunt, nihil deberi constat, quia nulla corpora sunt.* Item si Testor dicat: lego Petro centum aureos, quos mihi debet Paulus, non valet Legatum, si Paulus nihil debeat Testatori, textu expresso in *lig. Si sic 75. ff. de Legatis*, ibi: *Si mihi quod Titius debet, fuerit legatum, neque Titius debeat, sciendum*
25 *est nullum esse Legatum.* Si tamen in demonstrata capsa vel crumena non omnes designati mille aurei, sed quingenti solum V.G. reperiantur, valebit Legatum quo ad istos; sicuti si Paulus non debeat Testatori centum aureos, sed solum quinquaginta, textu expresso *in leg. Si servus 108. §. Qui quinque 10. ff. de Legatis*, ibi: *Qui quinque in arca habebat, Legatum valebit, ita tamen, ut sola quinque ex testamento*
26 *debeantur.* Si vero in falsa demonstratione sit error circa substantiam Personæ, vel hæres sufficienter probet Testatorem legatorum non fuisse, si errorem cognovisset, tunc non valebit Legatum, *arg. leg. Cum tale 72. §. Falsum 6. ff. de condit. & demonstrat. leg. Si pater 4., & leg. Si quoties 9. princip. ff. de hæred. instit.* cum similibus.

27 Quodlibet ex supra recensitis Legatis potest fieri, nedum in Testamento, sed etiam extra Testamentum. *Communis ac certa, arg. leg.1. ff. de Jure Codicill., & leg. Ex testamento 20. Codic. de Fideicommiss.* cum similibus: cum hac tamen differentia, quod si sit Legatum profanum, & fiat in Testamento, requiruntur ad tale legatum regulariter loquendo eædem solemnitates, quæ requiruntur ad Testamentum nisi in testamento apposita sit clausula Codicillaris, Textu expresso in *leg.1. ff. de Jure Codicilli, & leg. Ex testam-*
28 *29. Cod. de Fideicommiss.* Et sic communis Doctorum. Et si tale Legatum profanum fiat extra Testamentum, seu sine testamento, quinque requiruntur, & sufficiunt testes, sive oretenus, sive in scriptis sint, textu expresso *in leg. final. §. final. Cod. de Codicill.*; ibi: *In omni autem ultima voluntate excepto Testamento quinque testes debent adhiberi.* Ad
29 legatum autem pium, sive fiat in Testamento, sive extra Testamentum, sive scriptis, sive solis verbis, sufficiunt duo testes quincumque rationis capaces etiam fœminæ, vel sola certa notitia ipsius heredis, vel si in scriptis, sola manus propria Testatoris, quia ad dispositionem pro causa pia penitus nulla requiritur Juris dispositio, sed tantum ut constet de voluntate Testatoris. *Communis, ac certa, arg. c. Relatum 11. de Testamentis*, cum similibus.

30 Quodlibet ex supradictis legatis de Jure civili valet, etiamsi sit factum de re aliena, nec ad Testatorem, nec ad hæredem spectante; *Communis* textu expresso in §. *Non solum 4. instit. de Legat.* ibi: *Non solum autem Testatoris, vel hæredis res, sed etiam aliena legari potest, ita ut hæres cogatur redimere, vel si eam non potest redimere, æstimationem ejus dare.*

31 Intellige tamen si Testator scivit eam rem esse alienam, secus vero, si hoc ignorans, putavit esse rem suam, textu expresso *in cit. §. Non solum* ibi: *Quod autem diximus alienam rem posse legari, ita intelligendum est, si defunctus sciebat rem esse alienam, non si ignorabat*, addita ibi ratione: *Forsitan enim,*
32 *si scivisset alienam rem esse, non legasset.* Si vero persona, cui legata est res aliena, sit ita proxima, & conjuncta Testatori, ut merito præsumatur eam rem adhuc ei legaturum esse, quamvis sciviset esse alienam, valet Legatum etiam de tali re aliena, non obstante, quod Testator putaverit esse suam, textu expresso *in leg. Cum rem alienam 10. Cod. de Legatis* ibi: *Quod si suam esse putavit, non aliter valet relictum, nisi proximæ personæ, vel uxori, vel alii tali personæ datum sit, cui legaturus esset, si sciviset rem alienam esse.* Unde si Testator in supradictis modis rem alienam cuidam legavit, tenetur hæres illam a Domino justo pretio emere, vel si Dominus eam vendere nolit, aut de ea pretium excessivum prætendat, tantum Legatario dare, quantum res illa æstimatur, textu expresso *in cit. §. Non solum* ibi: *Ita ut hæres cogatur redimere; vel si eam non potest redimere, æstimationem ejus dare, & leg. Non dubium 14. ff. de legat.3.* ibi: *Si redimere non*
33 *possit, quod Dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam æstimationem referat.*

Nedum de Jure Civili, sed etiam de jure Canonico probabilius valere Legatum rei alienæ, colligitur clare *ex cap. Si Episcopus 3. caus. 12. quæst. 5.* desumpto ex Concilio Agathensi, ubi Legatum rei alienæ, etiam ad Jus seu proprietatem Ecclesiæ spectantis, valere aperte statuitur, si æstimatio ejus domino solvatur, vel alia res ejusdem valoris ei detur, ibi: *Si Episcopus condito Testamento aliquid de Ecclesiastici Juris proprietate legaverit, non valebit, nisi tantumdem de proprii Juris facultate suppleverit*, & sic tenent *Covarruv. in cap. Filius 5. de Testamentis num.6.* Fachin. *lib. 5. controv. cap.38.* Pirhing *lib.3. decretal. tit.26. numer.84.* Reiffenstuel *ibidem num.673.* ubi dicit esse communem contra Panormitanum, & alios. Et ratio est, quia differentia inter Jus Civile, & Canonicum non est inducenda sine necessitate, sicuti sine necessitate a jure Canonico non est corrigendum jus Civile, *arg. cap. Cum expediat 29. de election. in 6.* ibi: *Cum expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari.* Jus autem Civile generaliter disponens, quod Testator possit legare rem alienam, ita ut sciens rem, quam legat, esse alienam, velit, ut hæres rem illam a Domino emat, vel si is vendere nolit, æstimationem illius Legatario solvet, injustum censeri non potest, ut corrigi debeat a jure Canonico, quia domino rei nulla injuria fit, cum is invitus rem suam vendere non cogatur, ut patet *ex citat. §. Non solum 4. instit. de Legat. & leg. Non dubium 14. ff. de legat.* per verba adducta supra *num. 32. in fine*. Sic Covarruv. *loc. cit.* Pirhing *loc. cit.* & alii passim. Tum quia si tale jus Civile tamquam injustum fuisset correctum a jure Canonico *in cap. Filius 5. de Testamentis*, ut prætendunt adversarii, ipsum non amplius attenderet, nec sequeretur Sacra Rota Romana, quæ tamen sæpe sæpius ipsum secuta est in suis sententiis, & signanter *pcrt.1. recent. dec. 453. num. 5., & sequent. in Romana de Maresciottis, & part.9. tom.2. dec.405. num.62. in eadem Romana de Maresciottis*, ubi semper sententiam protulit, quod Legatum rei alienæ cogit hæredem ad prætandum Legatario æstimationem rei legatæ, quam sententiam utique non protulisset, si jus Civile, cui innixa est, foret injustum, & esset correctum a jure Canonico, quod præ jure Civili servandum est in terris Papæ subjectis, etiam pro Testamentis, & Legatis profanis; *c. Quoniam 8. dist.10. cap. Cum ad verum 6. dist.96.* & concordat *cap. Solitæ 6. de majoritat. & obedient. capit. Novit 13. §. 1. de Judiciis, & cap. Per Venerabilem 13. §. Rationibus, Qui filii sint legitimi*; & fuit dictum verb. *Jus num.37.*

Quantum vero ad Legatum rei alienæ ad pias causas, certum est utroque jure valere; Menochius *lib.4. de præsumpt. 116.* Barbosa *in Collect. in cit. cap. Filius 5. de Testamentis n. 2.* Pirhing. *loc. cit. n.86.* in fine, Tiraquell. *de privilegiis piæ causæ privileg.66.* & alii passim. 34

Si Legatum sit pure factum de re aliqua singulari, & determinata, ut de hoc palatio, de hoc prædio, & hujusmodi, ejus dominium verum acquiritur a Legatario statim post aditam ab hærede hæreditatem, *lex Si tibi homo 86. §. 2. ff. de legat.1. lex Si Nemo 181. ff. de regul. Jur. & communis Doctorum.* Ejus tamen Dominium fictum acquiritur a Legatario statim a die mortis Testatoris, *l. Si post diem 5. 1. ff. Quando dies Legat. ced.* & Doctores passim. Ratio autem differentiæ de acquisitione dominii veri, & dominii ficti est, quia cum solus hæres præstare debeat Legatum, non potest ipsum præstare, nisi post aditam hæreditatem, adeoque dominium verum ipsius nequit ante acquiri a Legatario, cum pro tunc nemo sit, a quo Legatum petatur, secus autem est de dominio ficto, quia quando post aditam ab hærede hæreditatem, Legatarius acceptat Legatum, fictione jurisretrotrahitur Dominium ad diem mortis, eo quod dies legati statim a die testatoris cedat, *cit. l. post diem 5. §. ff. Quando dies Legat. ced.* ibi: *Itaque si pure legatum est ex die mortis, dies ejus cedit*, ideo debetur; *lex Cedere 213. ff. de verbor. significat.* ibi: *Cedere diem significat incipere debere pecuniam, venire diem significat, eum diem venisse, quo peti potest pecunia.* 35 36

Hinc fructus rei legatæ debentur Legatario a die mortis Testatoris, *arg. leg. Titia ff. de Furtis.* & ibi Glossa fin. *& l. Cum servus 86. §. 2. de leg.1.* Et ratio est, quia fructus sequuntur dominium rei, cujus sunt fructus per vulgaria Juris; Legatarius autem ex dictis statim ac hæres adiit hæreditatem, acquirit dominium verum Legati, & tale Dominium post acceptionem fictione juris retrotrahitur ad diem mortis Testatoris, adeoque a tali die debentur ipsi Legatario fructus rei legatæ. Sic Gomez *Variar. resolut. tom.1. cap.12. num.5. & 22.* Molina *disp.194. num.1.* Vasquez *cap.8. de Testamentis §. 1. n.5. & §.4. num.74.* Bartol. & alii, quos sequitur Molina *loc. cit.* & Lugo *de justit. & jure tom.2. disp.24. n. 233.* & alii contra Sanchez, Gotofred. & plurimos alios. 37

38 Incrementum totum, quod res legata habuit a die Testamenti conditi, pertinet ad Legatarium, sicuti & etiam fructus ipsi, quando per modum incrementi unum quid faciunt cum re legata, ut si legato grege, auctus is sit fœtibus natis, qui gregem etiam componunt, textu expresso *in leg.20. ff. de legat.1.* ibi: *Grege legato, & quæ postea accedunt ad legatarium pertinent; & §.10. Institut. de legat.* ibi: *Grege autem legato, etiam eas oves, quæ post Testamentum factum gregi adjiciuntur, Legato cedere Julianus ait.* Idem pariter dicendum est de fructibus fundi; seu agri legati pendentibus, aut hærentibus ante mortem Testatoris; *Communis arg. citatis Juribus.*

39 Legatarius, quamvis ex dictis acquirat dominium fictum rei legatæ singularis, & determinatæ statim a die mortis Testatoris, & dominium verum statim post aditam ab hærede hæreditatem, non potest tamen propria auctoritate illud sibi usurpare, & accipere, nisi accedat talis dispositio Testatoris, aut licentia hæredis, aliter amittit totum id, quod propria auctoritate accipit, seu usurpat, textu claro *in leg. Non est dubium 5. Cod. de Legat.* ibi: *Non est dubium, denegari actionem Legatorum ei proportione competenti in his, quas subtraxisse eum de hæreditate apparuerit. Et sic communis Doctorum.* Talis autem amissio Legati cum sit pœna, non incurritur ante sententiam; non etiam quando sine culpa ulla Legatarius rem acceperat; Et si occulte illam rem accepisset, licet male feciset, non teneretur tamen in conscientia ad eam restituendam: ut recte ex aliis advertit Card. de Lugo *loc. cit. num.* 240.

41 Legata debent in foro conscientiæ hæredes, & executores exequi, quam primum poterunt; *Communis arg. cap. Si hæredes 6. de Testamentis, & leg. Cum res 47. ff. de legat.1.* ubi expresse præcipitur, ut legata sine mora præstentur; Unde Layman, Silvester, & alii docent, mortaliter peccare executores, si ex negligentia diu differant exequi ultimam voluntatem Testatorum. Quamvis enim hæredibus, & Executoribus concedatur semestre ad implenda Legata pia; Novell.131. *cap.11. vers. Si autem Legatum*, & annus ad implenda Legata prophana, *capit. Nos quidem 3. de Testament. & leg. Null. Cod. de Episcop. & Cleric.* tamen conveniunt omnes, teste Card. de Lugo *loc. cit. num.296.* illum terminum non ita assignari, ut auferatur obligatio conscientiæ implendi Legata quam primum poterunt, sed solum in ordine ad incurrendas pœnas, si illo elapso hæredes, & Executores exequi negligunt defuncti voluntatem, ut recte advertit Reiffenstuel *lib.3. decret. tit.26. num.786.*

43 Hinc si cessante legitimo impedimento hæredes, seu Executores semel moniti a Judice, sive Ecclesiastico, sive laico voluntatem defuncti intra annum non adimpleant, perdunt omne id, quo eisdem alias ex Testamento competit, sive hæreditas, sive legatum sit, excepta legitima in hærede necessario; textu expresso *in authentic. Hoc amplius Cod. de Fideicommiss. & Novell.1. cap.1. §.1.* juncto *cap. Nos quidem 3. & cap. Si hæredes 7. de Testament.* ubi etiam additur ratio, nempe ut hac ratione *Vota defuncti adimpleantur*; Et ratio alia datur *in leg. Si patroni 55. §. Sed nec illud ff. ad S. C. Trebel.* ibi: *Cur enim non videatur indignus, ut quæ destruit supremas*
44 *defuncti preces, consequatur quæ ex voluntate?* Si autem hæredes, aut Executores bis moniti ab Episcopo legata ad pias causas legitimo cessante impedimento exequi neglexerint, etiam ante annum privantur commodis ex Testamento eisdem alias competentibus, textu expresso *in Novell. 131. cap.11.*
45 *vers. Si autem qui hoc jussi.* Et si hæredes, seu executores intra sex menses, cessante legitimo impedimento, legata pia etiam sine admonitione exequi negligant, debent possea in pœnam illa restituere cum omnibus fructibus, & emolumentis, quæ a tempore mortis Testatoris interea percipi potuissent, textu expresso *in cit. Novell.131. cap.51. vers. Si autem legatum. Et sic Communis Doctorum.*

46 Legata pro anima relicta tenentur hæredes sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus a Testatore præscriptum; Nobis enim prorsus occultum est, & solum Divino Judicio reservatum tempus, quo animæ in Purgatorio detinentur, unde non possumus absque gravi temeritate illud præfigere. Hinc Alexander VII. die 18. Martii 1666. merito damnavit inter alias sequentem propositionem 43. in ordine, ibi: *Annuum Legatum pro anima relictum*
47 *non durat plus quam decem annos.*

Legatum pium pauperibus in genere distribuendum debetur præ ceteris pauperibus Patriæ Testatoris, in qua habebat domicilium; *leg. Quæ conditio §. Cum ita ff. de condit. & demonstrat. lex. Si quis ad declarandum*, §. *ubi autem Cod. de Episcop. & Cleric.* Glossa *in cap. Si pater 1. de Testament. in 6. verb. Pauperes*, Menochius *lib.4. præsumpt.125. num.6.* Tiraquell. *de privileg. piæ causæ, privileg.56.* Reiffenstuel *lib.3. decretal. tit.26. num.812.* Ancharan. *consil.214. num.12.* Monacell. *tom.1. tit.10. form.19. num.13.* & alii passim. Et ratio est, quia nisi aliunde contrarium constet, merito præsumendum est Testatorem voluisse, quod succurratur magis his, quam exteris, *arg. leg. Præses, Cod. de servit. & aqua.* 48

Inter Pauperes Patriæ Testatoris magis, & prius succurrendum est plus indigentibus, quam minus egentibus: S. Thomas *2. 2. quæst.32. art.3. ad primum*, Menochius *loc. citat. num.10.* & alii passim: Talis enim merito est præsumenda rationabilis Testatoris voluntas. Si autem adsint pauperes 49
consanguinei, seu conjuncti Testatoris æqualiter, ac alii indigentes, isti juxta ordinem charitatis præferri debent, *c. Non satis 14. dist.86.* Rota *decis.86. numer.4. & decis. 171. coram Durano, & decis.14. num.21. coram Arguell. S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 9.* Castropal. *oper. moral. tract. 6. de Charitat. disp.1. punct.10. num.1.* & sequent. Mantica *de conjectur. ult. volunt. lib.7. ti.13. num.16. & 17.* & alii communiter. Et ratio est, quia merito præsumitur, quod Testator voluerit legata sua distribui secundum charitatem ordinatam: Charitas autem ordinata consanguineos, & propinquos præ exteris respicit, *arg. leg. Præses Cod. de servit. & aqua, &* 1. *ad Timoth.5.* Cum hoc tamen ordine, quod inter ipsos propinquos, seu conjunctos potius succurratur magis, quam minus propinquo, seu conjuncto, & prius magis, quam minus egeno; ut optime suo more advertit S. Thomas *2. 2. quæst. 32. art.9.* 50

Ceteris autem paribus præferendi sunt illi pauperes, qui sunt meliores, & præstentur illi, qui bono communi sunt utiliores: quinimo S. Thomas *2. 2. quæst.32. art. 9. in corpore*, ut isti præferendos esse aliis pauperibus, dummodo tamen nullos penitus redditus habeant, & vivant ex mera, & incerta Fidelium eleemosyna, ut Fratres Capuccini; & Minores de corpore Observantiæ. Insuper ceteris paribus similibus le- 51
gatis sunt succurrendæ pauperes fœminæ præ pauperibus masculis, & præcipue pauperes Moniales, quia paupertas est periculosior fœminis, quam masculis; Menochius *loc. cit. n.7. & sequent.* Baldus *in leg. Multis in fin. ff. de Statu hominum*, & alii passim.

Legatum relictum distribuendum pauperibus in plurali, 52
non potest totum dari uni soli, sed debet proportionaliter distribui in plures; Talis enim merito præsumitur voluntas Testatoris in plurali loquentis: Baldus *in leg.1. num.19. Cod. de SS. Eccles.* Jason *in leg. Gallus §. Quod si 15. num.12. ff. de liber. & posthum.* Felinus *in cap. Omnes leges 1. dist. 1.* Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.3. allegat.83. num.19.* cum plurimis 53
ibi citatis. Nec de tali legato potest plus dari uni soli, quam necessarium habeat: S. Thomas *2. 2. quæst. 32. art. 10.* Menochius *loc. cit. num.26. & communis aliorum.*

Legatum relictum pro pauperibus concurrentibus ad por- 54
tam Testatoris non potest distribui pauperibus infirmis in Hospitali. Hoc enim esset contra expressam mentem Testatoris; Genuensi *in Tract. Eccles. quæst. 214. per totum*, Barbosa *loc. cit. num.20.* & alii passim. Legatum distribuendum in 55
usum pauperum, applicari non potest Presbytero pro Missis celebrandis; Sic tenet Fagnanus *in cap. Recolentes 3. de Statu Monachor. num.46.* ubi refert ita decisum fuisse in Capella Tholosana, *ut in decis. 26. per cap. Nos quidem, de Testament. per Clement. Quia contingit, de Religiosis domib. per §. Si quis ædificationem in Authent. de Ecclesiastic. tit. collat.9. per leg. Si quis ad declinandam §. penult. Cod. de Episcop. & Clericis.*

Legatum distribuendum in causas pias in genere, nulla 56
specificata in particulari, potest applicari ab Executore Religioso suo Monasterio, & a Clerico suæ Ecclesiæ; Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 11. num.59.* Silvester *verb. Testamentum 2. quæst. 2. vers. Quintum*, F. Emmanuel *qq. Regul. tom. 3. quæst. 70. art. 4.* Layman *lib. 3. tract. 6. cap. 11. nu. 6.* Ancharan. *consil. 84. num. 9. & 10.* Barbosa *loc. cit. nu. 25.* Pirhing. *lib. 3. decretal. tit. 26. num. 109.* Reiffenstuel *ibid. num. 80.* Francisc. *Carp. de executor. Testament. lib. 1. cap.5. num. 41.* Mantica *de conjecturis lib. 8. tit. 5. in addit.* & alii; In tali enim casu jam adimpletur voluntas defuncti, cum tam Ecclesia, quam Monasterium revera veniant nomine causæ

piæ; Si autem Legatum sit relictum distribuendum in pauperes, non potest a Religioso executore applicari suo Monasterio, nisi sit tale, quod nullos penitus redditus habeat, & vivat ex mera, & incerta Fidelium eleemosyna; ex dictis *supra num.* 50. aliter non adimpleretur voluntas, & dispositio Testatoris, quæ tamen est in omnibus integre adimplenda, & pro lege habenda; *leg. Verbis* 120. *ff. de verbor. significat. et Novell.* 22. *cap.* 2. ibi: *Disponat unusquisque super suis, ut dignum est, et sit lex ejus voluntas, et cap. Ultima voluntas* 4. *caus.* 13. *quæst.* 3. ibi: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet*.

58 Legatum relictum distribuendum in pauperes generice, potest a quocumque executore applicari primo, & principaliter in suos conjunctos, dummodo sine fraude sint vere pauperes; Tunc enim vere adimpletur voluntas, & dispositio Testatoris, & aliunde pauperes consanguinei semper sunt præferendi in Legato generaliter pauperibus relicto; Barbosa *loc. cit. num.* 21. Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *quæst.* 54. *num.* 3. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 93. *num.* 5. Gironda *de privilegiorum, et exemptionum explicat. num.* 1503. Vezion. *tom.* 1. *commun. opinion. lib.* 6. *tit.* 21. *num.* 32. & alii
59 citati *sub num.* 56. Imo Legatum relictum distribuendum generice in pauperes, vel causas pias, potest ab executore applicari partim sibi ipsi, si revera sit pauper, & ejus pauperta tem Testator ignoraverit: Tunc enim etiam adimpletur vere, & realiter voluntas, & dispositio Testatoris, cum executor, ut supponitur, sit vere pauper sine ulla fictione, & fraude, & aliunde ipse executor non debeat esse deterioris conditionis, quam alii pauperes. Tum quia cum ipse executor debeat Legatum distribuere pauperibus, potest incipere a seipso vere paupere, cum charitas ordinata incipiat a seipso: *argum. leg. Præses Cod. de servit. et aqua, et cap. Non æstimemus* 19. *caus.* 13. *quæst.* 2. ibi: *Nemo unquam carnem suam odio habuit*; Et sic tenent S. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 9. *ad* 3. Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 125. *num.* 17. Gonzalez *ad regul.* 8. *Cancellar. glos.* 2. *num.* 55. Surd. *de aliment. tit.* 1. *qu.* 8. 94. *num.* 4. Card. Pereira *de potestat. eligendi cap.* 13. *n.* 9. Layman *loc. cit.* Pirhing. *loc. cit. n.* 109. Reiffenstuel *loc. cit. nu.* 801. Barbosa *dict. allegat.* 83. *num.* 22. cum pluribus aliis ibi citatis; *argum. leg.* 1. §. *ult. in fine ff. de coll. at. bonor. & Authent. de Sanctissimis Episcop.* §. *Presbyteris au-*
60 *tem coll. at.* 9. Nec facit, quod adducunt quidam adversarii, nempe quod non possit executor sibi partem talis Legati applicare, quia inter dantem, & accipientem debet esse distinctio; *argum. cap. Per nostras* 26. *de Jurepatronat.* ubi propterea non conceditur, quod Patronus possit præsentare seipsum. Non facit, inquam, quia in hoc casu videtur adhuc adesse sufficiens distinctio inter dantem, & accipientem, cum non executor, sed Testator revera dicatur dare eleemosynam, & ipse executor sit tantum minister, sicuti si in vivis quis per servum elargitur eleemosynam, non servus, sed Dominus revera dicatur dare eleemosynam; & in tantum *in cit. cap. Per nostros* prohibetur, quod Patronus præsentet seipsum: quia hoc saperet vitium ambitionis, ut patet ex textu, quod tamen non procedit in casu nostro, maxime cum talis executor supponatur vere pauper, omni fraude, seu fictione cessante.

61 Limitanda tamen est supradicta conclusio in casu, quo Testator cognita paupertate illius executoris, illi aliquid speciale legaverit, quia tunc non posset aliquam aliam partem ex distribuendis accipere, cum dando illi aliquid seorsim, videatur Testator illum excludisse a distributione ab ipso facienda, ut
62 ex communi docet Cardinal. de Lugo *tom.* 2. *de Justitia, & jure disput.* 24. *num.* 282. Et idem est dicendum in casu, quo Testator alicui pauperi legaverit V. G. 100. & alia 1000. mandaverit distribui pauperibus: tunc enim ille primus pauper excludus videtur ab hac distributione: Sic *communis Doctorum* cum Sanchez *lib.* 4. *consil. cap.* 1. *dub.* 57.

63 Legatum relictum dandum pauperibus, nullatenus est dandum malis, & otiosis pauperibus, nolentibus, cum possint laborare, quia id esset eorum spiritualem ruinam, & vitia alere, cum ex quotidiano otio ad maxima vitia, non sine magno proprio, & alieno etiam Reipublicæ detrimento prolabantur; Ut enim dicitur *Ecclesiastici* 33. *Multam malitiam docuit otiositas*, & ut scripsit Seneca *Epist.* 86. *Otium est sentina omnium malorum, noverca virtutum, & cujusvis hominis sepultura*; Unde merito S. Augustinus *Epistol.* 84. scripsit ad Vincentium Donatistam: *Melius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligit, quam esurienti panis fran-*
gitur, si injustitia seductus acquiescat. Et similibus pauperibus otiosis, qui ex acceptis eleemosynis nutriant vitia, videtur eleemosynam fieri expresse prohibere divinum Verbum, Ecclesiastici 12. *num.* 5. ibi: *Da bono, & non receperis peccatorem; benefac humili, & non aderis impio; prohibe panes illi dare*; Et sic tenet *Communis Doctorum*.

Legatum relictum puellis honestis, & civilibus debetur fi- 64
liæ Mercatoris, & Artificis; Sic expresse decrevit *Sacra Congregat. Conc. in Romana subsidii Dotalis* 29. *Martii* 1692. Le- 65
gatum relictum virgini ad effectum nubendi, debetur etiam si efficiatur Monialis, quia Matrimonium Spirituale cum Carnali pari, imo digniori passu ambulat; *Sac. Congreg. Episcopor. & Regular. in Pisaurien si* 26. *Augusti.* 1616. Si tamen sit factum cum conditione, ut solvatur in manibus Mariti pro dote, nec aliis, nec pro alia causa, vel quod decedente sine filiis Legatum redeat ad hæredes legantis, tunc non potest dari pro virgine monacanda, ut respondit *Sacra Congregat. Conc. in una Baren.* 15. *Septemb.* 1668. Legatum autem 66
relictum pro monacandis non potest applicari pro maritandis, quia favorabilior, & dignior est status cœlibatus, & Religionis, quam conjugii carnalis; Et sic decrevit *Sacra Congregat. Visitationis particulariter deputata quinque Cardinalium ab Innocentio XII. super reformatione distributionum Subsidiorum Dotalium Sanctissimæ Annuntiationis de Urbe, Visitatore Eminentissimo Cardinali Petrucio* 16. *Ianuar.* 1696. *& Sacra Congregat. Concil. in Romana subsidiorum Dotalium* 30. *Maji* 1699.

Legatum relictum simpliciter pro puellis monacandis, de- 67
betur etiam illis, quæ monacantur extra patriam Testatoris: Sic casu occurrente in una Amerina, & partibus informantibus respondit *Sacra Congregat. Episcop. & Regular. die* 15. *Maji* 1699. apud Monacell. *part.* 1. *tit.* 10. *formula* 19. *n.* 11. *&* 12. Legatum relictum uxori quandiu viduitatem servave- 68
rit, debetur ei si ingrediatur Religionem: Vidal. *de legat. inquisit.* 2. *n.* 35. Felix Potestas *tom.* 1. *nu.* 2564. Monacell. *part.* 2. *tit.* 14. *formul.* 1. *num.* 23. & alii passim.

Legatum relictum Juvenibus dantibus operam studiis lega- 69
libus, debetur etiam Clerico, seu Laico danti operam Sacris Canonibus; quia studium Sacrorum Canonum dicitur studium legale, cum sit medulla Legum, & praxis Juris Civilis; Menoch. *de arbitr. Jud. cap.* 425. *num.* 28. *& sequent.* & sic declaravit *Sacra Congregat. Concil. in Romana seu Nicoteren. Legat.* 14. *Februar. &* 30. *Maji* 1699. Legatum ali- 70
mentorum præstandum juxta præceptum Testatoris in domo tantum, si Legatarius fiat Religiosus, debetur Legatum Monasterio; Vivian. *de Jurepatronat. lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 68. Monacell. *loc. cit. n.* 20. & alii.

Legatum relictum puellis dotandis puellis, potest dari etiam 71
Virgini illi, quæ habeat dotem, sed non sufficientem, ut commode maritari possit; Vidal. *loc. cit. n.* 29. Felix Potestas *l. cit. n.* 2557. Monacel. *loc. cit. num.* 10. qui insuper dicit posse dari, & distribui pro augenda dote etiam maritatis. Legatum relictum pro dotandis pauperibus, potest dari etiam 72
pauperi nuptæ absque dote; reperitur enim ibi idem motivum Testatoris: Mendo *verb. Legatum n.* 20. Felix Pote- 73
stas *l. cit. n.* 2561. & alii. Legatum relictum virginibus acceptari, & retineri potest a puella occulte corrupta, si in foro externo habeatur pro virgine: nomine enim virginis venit publice, & in foro externo puella reputata virgo: Vidal. *l. cit. n.* 28. Felix Potestas *l. cit. n.* 2562. Diana in compendio *verb. Legatum n.* 21. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *n.* 604. *& lib.* 4. *n.* 40. cum aliis ibi citatis.

Legatum relictum Orphanis non debetur illis, qui carent 74
patre tantum, quando concurrunt orbati utroque parente; isti enim sunt præferendi, debetur tamen illis, quando isti non concurrunt; Gratian. *discept. 666. n.* 3. Velasco *de privileg. pauper. tom.* 1. *quæst.* 4. *n.* 9. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resolut.* 52. *vers. Quarto Legatum, & part.* 4. *resol.* 163. Monacell. *part.* 2. *tit.* 13. *formul.* 7. *n.* 3. Amostaz *de causis piis tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 43. cum variis aliis ibi citatis; Tale 75
Legatum potest dari etiam puellis habentibus patres inutiles, quando non concurrunt proprie Orphanæ parentibus orbatæ; Secus vero si istæ concurrant: *L. Orphanotrophos Cod. de Episcop. & Cleric.* ubi Doctores, Menoch. *de arbitr. casu* 66. *in addit. n.* 7. Castillo *lib.* 1. *controv. cap.* 25. *n.* 17. Amostaz *l. cit. n.* 46. cum aliis ibi citatis; Item Legatum relictum 76
pauperibus viduis, potest distribui habentibus viros inutiles, quoties non concurrant veræ viduæ; Sic supracitati Doctores, & alii passim; *arg. cap. Inter corporalia* 2. *de transla-*
tione

tione Episcop. ubi Ecclesia viduata censetur, si habeat Prælatum inutilem, *& leg.* 1. §. *Quod si nemo ff. quod cujusque universit.* ubi universitas censetur non habere Syndicum, si illum habeat inutilem.

77 Legatum relictum pro originariis alicujus oppidi debetur solum illis, quæ natæ sunt ibi non casu, sed quando Pater Domicilium ibi habuerit, aut sit locus, ubi Pater natus fuerit, aut de Jure communi, ubi Avus natus fuerit, & Neptæ natæ in ejus potestate: Non enim sufficit esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri; *ex l. Filios* 3. *Cod. de municip. & originariis lib.* 10. qui textus ad originem supponit domicilium esse necessarium, quapropter si casu alibi filius nascatur, ibidem non contrahit, sed sequitur domicilium Patris, ubi ipsum habet; Quamvis enim aliqua Jura dicant originem contrahi, ubi quis natus est, non expresse loquuntur ex sola nativitate; idcirco intelligenda sunt, quando quis natus fuerit in domicilio Patris, non vero alibi casu, aut quando peregrinus fuerit; Carleval. *de Judiciis lib.* 1. *tit.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 2. *n.* 93. Cevallos *commun. quæst.* 458. *n.* 17. Sanchez de Matrimon. *lib.* 3. *disput.* 23. *n.* 3. Trullench. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 18. *dub.* 7. *n.* 3. Marchin. *de Ordin. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 8. Amostaz *l. cit. n.* 7. *&* 11. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 2. *allegat.* 4. *n.* 7. ubi citat Rotam Romanam *decis.* 327. *n.* 3. *part.* 2. *divers.* & Doctores *in cap. Rodulphus*
35. *de Rescriptis*.

78 Legatum alicui sub conditione, *quod nunquam nubat, & semper maneat in statu cœlibatus*, debetur ipsi etiamsi nubat; quia talis conditio habetur pro non adjecta, cum sit contra favorem Matrimonii, & Reipublicæ bonum ex procreatione prolis proveniens; *Sic communissima Doctorum*, textu expresso *in leg. Quoties, leg. Cum tale* §. *Mævia ff. de condition. & demonstrat.* cum similibus.

79 Legatum relictum alicui sub conditione, *quod tali non nubat*, si a Matrimonio cum tali non abstinuerit, non debetur ei; quia per talem conditionem non prohibetur absolute Matrimonium, cum possit cuilibet alii satis commode nubere; *Communis, & certa*, textu expresso *in leg. Cum ita* 63. *ff. de*
80 *condition. & demonst.* Legatum relictum alicui sub conditione, quod nubat tali, adhuc ei debetur, quamvis ipsi non nubat, si per ipsum non stet, quod ipsi non nubat, vel ex quo talis persona designata nolit ipsi nubere, aut sit inhonesta, aut ipsius nuptiis indigna, aut cum ea contrahi non possit; in tali enim casu similis conditio habebitur pro non adjecta, textu expresso *in leg. Cum ita Legatum* 63. §. 1. *ff. de condition. & demonstr.*

81 Legatum relictum alicui sub conditione: *Si nupserit, vel liberos procreaverit*, est ei dandum, quamvis Religionem ingrediatur; *Communis arg. Authent. Nisi rogati Cod. ad S. C. Trebellian. et Novell.* 123. *cap. Si quis sub conditione* 37. ubi sic expresse statuitur: *Sancimus, si personæ totalibus conditionibus subjectæ sive masculi sive fœminæ Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant, tales conditiones invalidas, et pro non scriptis esse*; Si enim Testatori in mentem venisset de Religione cogitare, merito præsumitur nihilominus legaturum ipsi fuisse, adeoque censendus est noluisse excipere a conditione casum, quo Legatarius Religionem ingrediatur.

82 Item tale Legatum est dandum Legatario, quamvis non ingrediatur Religionem, sed manens in sæculo Sacros Ordines suscipiat; *Communis arg. cit. Novell.* 123. *cap.* 37. ubi in allegato textu loquitur divisive, *Si Monasteria ingrediantur, aut Clerici fiant*, adeoque aperte insinuat alterutrum sufficere, cum dictio divisiva *Vel* in quovis ex divisis membris veri-
83 ficetur, *arg. leg. Deo nobis* 55. *Cod. de Episcop. et Cleric.* Dummodo tamen talis Clericus usque ad mortem perseveret in Clericatu, & tale legatum ad causas pias expendat, & relinquat: ut tenent communiter Doctores per textum expressum *in cit. Novell.* 123. *cap.* 37. ibi: *Hoc autem solatio Clerici Ecclesiarum fruantur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas, aut relictas ad pia opera expendant, & relinquant*: & juremerito id statuit de Clericis in sæculo remanentibus, cum consimiliter ibidem statuerit de ingredientibus Religionem, ibi: *In personis enim, quæ in Monasterium ingrediuntur, Monasterio res sub tali conditione donatas, aut relictas cum alia eorum substan-*
84 *tia competere volumus*.

Limitanda tamen est conclusio posita *sub n.* 81. *&* 82. in casu, quo de Testatoris contraria voluntate aperte constet ut si dicat, uti valide, & licite potest: *Lego Titio decem mille aureos, si nupserit, vel liberos procreaverit*; *At si Religio-*
nem ingrediatur, aut Clericus fiat, lego solum mille aureos, & alii volo, quod tali casu dentur Sempronio. Tunc enim Titius ingrediendo Religionem, aut assumendo Clericatum amittit tale Legatum novem mille aureorum; quia præsumptio cessat, ubi versamur in claris, ut habet Barbosa *in Axiomat. Jur. verb. Præsumptio num final.* Et sic tenent Covarruv. *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 19. *a n.* 7. *usque ad* 11. cum pluribus aliis ibi citatis; Molina *disp.* 207. *num.* 14. *&* 15. Layman *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 10. *num.* 12. Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 16. *num.* 12. Pirhing. *lib.* 3. *decret. tit.* 26. *n.* 76. Reiffenstuel *ibid. nu.* 652. & alii passim.

Nec valet objicere, quod talis conditio sit turpis, & illici- 85
ta; cum retrahat a statu perfectiori, qualis est status Religionis, & Clericatus respectu status laicalis. Non valet, inquam, quia quamvis talis conditio esset turpis, & illicita, si apponeretur ex odio Religionis, aut Clericatus, vel absque honesta, & justa causa, ex solo fine; ut Legatarius a Religione, aut Clericatu retraheretur; Non est tamen turpis, & illicita, si apponatur, ut supponitur, & de facili fieri potest, ob honestum, & justum finem, V. G. ad nobiliorem, & splendiorem conservationem Familiæ, seu stemmatis, vel quia nubenti, & liberos procreanti pro liberorum educatione, & familiæ sustentatione majora bona temporalia esse necessaria, quam Religioso, aut Clerico, ipse Testator censuit, atque cognovit, & hujusmodi; ut recte advertunt Covarruv. *loc. cit.* Molina *loc. cit. num.* 14. Layman *l. cit. n.* 12. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 653. aliique passim.

Legatum relictum alicui sub conditione *Si Religionem in-* 86
grediatur, vel Clericus fiat, non est ei dandum, si non ingrediatur Religionem, aut non fiat Clericus: *Communis, arg. cap. Cum sit proprium* 2. *de conditionib. appos it. & leg. Titio* §. 1. *ff. de condit. & demonstr.* Licitum est enim sub spe lucri temporalis aliquem ad Religionem, vel Clericatum attrahere; *arg. cit. cap. Cum sit proprium*. Nec valet objicere, quod 87
sicuti ex dictis *num.* 81. *&* 82. conditio, *quod nunquam nubat, & semper maneat in statu cœlibatus*, habetur pro non adjecta, & legatum debetur etiamsi legatarius nubat, & non maneat in statu cœlibatus: ita debet haberi pro non adjecta conditio: *Si Religionem ingrediatur, vel Clericus fiat*, & legatum debetur etiamsi legatarius non ingrediatur Religionem, nec Clericus fiat; cum conditio, *Si Religionem ingrediatur, vel Clericus fiat* tacite involvat dictam conditionem, *quod nunquam nubat, & semper maneat in statu cœlibatus*. Non valet, inquam, quia ultraquamquod non currit paritas de utraque conditione, cum cœlebs Laicus non propaget Rempublicam sæcularem, nec Religiosam, nec Clericalem, & cœlebs Religiosus, aut Clericus saltem propaget Rempublicam Religiosam, vel Clericalem, in majus Dei obsequium, non est ullimode præsumendum, quod Jura per annullationem conditionis non nubendi, annullare etiam voluerint conditionem ingrediendi Religionem, vel assumendi Clericatum; cum tali statui Religioso, seu Clericali, ita in omnibus faveant, ut quantum ad præsens attinet, Legatum relictum alicui sub conditione, *Si nupserit, vel liberos procreaverit*, statuant esse nihilominus ei dandum, quamvis Religionem ingrediatur, vel Clericus fiat, ex dictis *n.* 81. *&* 82. *argum. Authentic. Nisi rogati Cod. ad S. C. Trebellian. & Novell.* 123. *cap. Si quis sub conditione* 37.

Legatum relictum Regulari in particulari sub conditione, 88
quod quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum independenter a licentia Superioris, non debetur ipsi Religioso, sed Monasterio; & talis conditio habetur pro non adjecta; Baldus *in cap. Clerici in fine de Judiciis*; Jason *in Authent. Ingressi n.* 37. *&* 39. *Cod. de SS. Ecclesiis*, Sanchez *lib.* 7. *moral. cap.* 17. *num.* 4. Fagnan. *in cap. Joannes Clericus* 19. *de Testament. n.* 20. *& sequent. & in cap. Monachi* 2. *de statu Monachor. a nu.* 47. & alii passim; *arg. cap. Non dicatis* 12. *qu. est.* 1. *cap. Abbates* 18. *quæst.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 19. *quæst. ult. cap. Cum ad Monasterium* 6. *de statu Monachorum*. Concil. Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 2. *de Regularibus*, & decret. Clement. VIII. pro reformatione Regular. incipient. *Nullus omnino*. Et ratio est, quia talis conditio est turpis, utpote repugnans paupertati promissæ, turpis autem conditio habetur pro non adjecta; textu expresso *in §. Impossibilis Institut. de Hæredum institut. & leg. Conditiones* 14. *ff. de condition.* 89
instit. Imo Legatum factum Regulari, nec momento temporis potest esse apud eum, sed illico acquiritur Monasterio; *arg. cap. Statutum* 1. *caus.* 18. *q.* 1. *cap. Abbates* 16. *caus.* 18. *quæst.* 2. *cap. Quia ingredientibus* 7. *caus.* 19. *quæst.* 3. *cap. In præ-*

præsentia 8. *de probat.* cum similibus; *cap. Cum ad Monasterium 6. de statu Monachor.* ibi: *Totum incontinenti resignet;* Concil. Tridentin. *cit. sess. 25. de Regularibus cap. 2.* ibi: *Statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Et sic tenent Abbas *in cap. Monachi 2. de statu Monachor. num. 8.* Navarr. *in cap. Non dicatis 12. quæst. 1. n. 34. & sequent.* Fagnan. *in cit. cap. Joannes 19. de Testamentis n. 20.* & alii.

90 Et hæc clarius, & expressius habentur in cit. Decret. Clement. VIII. pro reformat. Regular. incipient. *Nullus omnino*, ubi §. 3. sic præcise præcipitur: „ Quo Tridentini Con„ cilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius „ observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiam„ si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecu„ niam, proventus, census, eleemosynas sive ex concio„ nibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in pro„ pria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipso„ rum justo labore, & causa, & quocumque nomine acqui„ sita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum lar„ gitiones, Legata, aut donationes fuerint, tamquam pro„ pria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed „ ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incor„ porentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pe„ cuniis, ac proventibus, confundantur, quo communis in„ de victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

91 Nec Regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere Legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcumque suorum Superiorum; *cit. decret. Clement. VIII.* §. 4. ibi: „ Neque Superioribus, quicumque „ illi sint, ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum ali„ cui bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum, ad„ ministrationem, aut commendam etiam depositi, aut cu92 „ stodiæ nomine concedere „. Imo talis licentia etiamsi esset obtenta ab eorum Generalibus, qui dicerent, eam posse concedere, *non* excusaret Fratres a culpa, & pœna a Tridentino Concilio imposita, textu expresso *in cit. Decret. Clement. VIII.* §. 7. ibi; „ Nulla quorumcumque Superiorum „ dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona immobilia, „ vel mobilia, fratres excusare possit, quominus culpæ & „ pœnæ ab ejusdem Concilii decretis impositæ, & ipso fa„ cto incurrendæ, obnoxii sint, etiamsi Superiores asseve„ rent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere„ posse; quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus „.

Et sic sæpe sæpius respondit *Sacra Congregatio Concilii*.

93 Hinc diligenter advertendum est ad id, quod ex declaratione ejusdem Sacræ Congregationis refert Fagnan *in cap. Monachi 2. de statu Monachor. n. 62.* ibi; Præterea in causa Neapolitana propositum fuit Sacr. Congregationi dubium ut infra concepti.m. In aliquibus Monasteriis nonnullæ Moniales census, & annuos quosdam redditus, & proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus; nam aliquæ in ipsarum persona emerunt certos redditus a personis Laicis: aliquæ ab aliis Monialibus: aliquæ ab ipsis Monasteriis: aliæ vero dederunt pecuniam Monasterio ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterii ad rationem septem vel octo, pro centenario, & Abbatissæ dabant ipsis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis; Aliquæ Monasteriis, seu eorum Superioribus certas pecuniarum summas manualiter pro indigentiis Monasterii dederunt pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut Monasterium, seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat. Quæritur, an Moniales prædictæ in hujusmodi casibus incurrant in pœnas per Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 2. de Regular.* in proprietarios inflictas, etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conventus, seu Monasterii nomine percipiant; Sacra Congregatio censuit, in nullo supradictorum casuum licere Moniales dictos fructus, seu redditus percipere; & si perceperint incidere in pœnas *dict. cap. 2. sess. 25. de Regul.* Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ eam dict. Concilii decreto in supradictis casibus concedere quidem prohibetur, sed debet ex suo munere ex Monasterii redditibus, vel eleemosynis Monialium necessitatibus in dies subvenire. Ex quibus declarationibus apparet, non esse amplius locum opinioni Joann. Andr. *in Regul. Non est obligatorium*, Calder. *consil. 2. de Regul.* & Abbat. *cons.* 88. *part.* 1. existimantium licere professo de licentia superioris Prælati accipere aliquam annuam legem provisionem a Conventu, vel a Provincia, puta scutorum decem, ut exemplificat Joan. Andr. vel quinquaginta, ut inquiunt Calder. & Abb. persolvendam pro vestibus, & aliis personalibus necessitatibus.

Insuper attente notandum est, quod ipsemet Fagnanus 94
pleno Jure undequaque instructus *loc. cit. sub num. 75. & 76. concludit*, ibi: Concludendum est igitur, nemini prorsus Regularium tam virorum quam mulierum cujuscumque qualitatis, & conditionis existat, nisi sit Officialis, fas esse etiam nomine Conventus habere annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, aut peculium, etiamsi illud non sit superfluum, sed ad necessarios honestos, & pios usus, a superiore ex quacumque causa concessum, & dependenter ab ejus voluntate & nutu, nec quemquam excusari a lethali culpa, & pœna proprietariis inflicta ex quavis consuetudine Monasterii, vel Religionis, aut ex varietate, seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu, vel causa. Et Religiosis tam Prælatis, quam subditis cavendum esse ab hujusmodi palliamentis, quia Deus non irridetur, ad *Galat. c. 6. c. Erubescant dist. 32. cap. Humanæ 22. quæst. 5. cap. Tua nos, de simon. & cap. In civitate, de usur.* Et eo magis, quia Sac. Congregatio consulta, an liceat Regularibus interpretari Decretum *cap. 2. sess. 25. de Regul.* respondit: *Non licere*. Ad dubium, ut supra conceptum *num.* 1. Sacra Congregatio respondit, *Negative*, videlicet in nullo ex suprascriptis casibus licere Regularibus utriusque sexus habere prædictos annuos redditus, seu provisiones annuas, vel bonorum stabilium administrationem, seu peculium non superfluum nomine Conventus, ac de suorum Superiorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu; alioquin non esse immunes a culpa & pœna, de qua *in d. c. 2. sess. 25. de Regul.*

Legatum relictum Monasterio, seu Conventui bonorum 95
incapaci, pro Sacristia, Valetudinario, vel Ecclesiæ pro cera, & oleo, non dicitur irritum, sed debet per Syndicum investiri pro adimplenda Testatoris voluntate, ut decrevit *Sacra Congregatio Episcopor. & Regular. in Forosemponien. 21. Augusti* 1693. Imo si gravetur hæres, illud subministrare tenetur; *Sacra Congregatio Concilii in Faventina 2. Martii* 1697. *apud Mon. zell. part. 2. tit. 4. formul. 1. n. 17.*

Unde legatum relictum Minoribus de Observantia, Re- 96
formatis, & Capuccinis pro Anniversariis, Oleo, Lampadibus, Paramentis, Hostiis, Sacristia, Ecclesia, Fabrica, Luminaribus, Sindonibus, Linteis, Tunicis; Bibliotheca, Impressione librorum, Pane, Vino, Pitantia, seu pro victu, & vestitu, & aliis necessariis, est ipsis tradendum, seu solvendum ab hæredibus; ut adductis plurimis Decretis, & Decisionibus ad longum probat, & demonstrat Petrus Marcellinus de Luccia J. U. D. & in S. Theologia Professus, ac in Romana Curia causarum Patronus in sua dissertatione unica, *in* qua agitur de obligatione indispensabili hæredum satisfaciendi legata quomodocumque relicta supradictis Fratribus Minoribus ad formam Decreti R. Fabricæ 14. Februarii *1633.* auctoritate Apostolica confirmati, quod ut ab omnibus in promptu semper habeatur, hic ad litteram datur cum aliis Decretis, & declarationibus circa id exposi emanatis.

Adducitur igitur Decretum Rev. Fabricæ, & juxta illius dispositionem ponitur in claris, supradictos Minores Mendicantes S. P. Francisci esse capaces Legatorum juxta modum in eodem Decreto præscriptum. 97

Decretum Sacræ Congregationis Fabricæ Principis Apostolorum de Urbe super Legatis Minoribus de Observantia S. Francisci.

Cum sæpius fuerit habitus recursus ad Sacram Congregationem Ven. Fabricæ S. Petri super annuis Legatis factis, seu facien. ad favorem Fratrum S. Francisci Minorum de Observantia, cum onere Missarum, seu Officiorum, sive gratis, sive alio modo.

Prætendente Vener. Fabrica Sancti Petri ad illam spectare propter dd. Fratrum incapacitatem hujusmodi Legatorum.

Dictis autem Fratribus allegantibus posse annua Legata hujusmodi recipere tuta conscientia, quatenus hæres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in eleemosynam, & committere Fratribus dd. Missas & Officia, juxta sententiam S. Bonaventuræ, & Decreta S. Congreg. a S. D. N. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ Consultationibus propositæ sub die 4. Junii 1628. publicata.

Eadem Sacra Congregatio pro opportuna præmissorum provisione facta prius relatione S.D.N. Urbano Papæ VIII. ac de illius expresso ordine, & mandato, decrevit in futurum super hujusmodi Legatis observari, *ut infra*.

Quod hujusmodi legata per debitores, vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive fors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper, & perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti bene visos possint applicari: ita tamen, ut quamdiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua Legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Et quod quævis extinctio, reductio, seu diminutio capitalis, seu proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribns, aut aliis quibuscumque suffragetur.

Quodque Commissarii, aliique Ministri Ven. Fabricæ super hujusmodi capitale, seu proprietate supradicta se de cetero non intromittant, nec dictos hæredes, seu Debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti, seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in executionem applicationis auctoritate Apostolica fact. vel facien.

Et quod nolentibus dd. hæredibus, vel debitoribus dare supradictis Fratribus dd. eleemosynas, seu annuas præstationes, sive Legata ut supra solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc & eo casu lapsis duobus annis a die obitus Testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis eadem Fabrica, & illius Commissarii, & Ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit ut supra elapsum biennium, vel ultra, possit, & valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium juxta suas facultates, & Privilegia; salvo semper capitali, seu proprietate, ut supra ad effectum, quod hæredes, vel debitores (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint, quandocumque futuris temporibus, & sic deinceps in perpetuum dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut supra, nec Fabrica eosdem hæredes, vel debitores molestare possit, & valeat toties, & quoties casus contigerit, nisi pro præterito, & tunc in illis terminis tantum, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel ultra, ut supra, salva semper erectione Beneficiorum, & applicatione legatorum, seu quorumcumque bonorum, & redditumm, ac jurium eisdem Beneficiis, seu aliis usibus pijs auctoritate Apostolica facta, vel in posterum quandocumque, & quomodocumque facienda, & executione litterarum Apostolicarum desuper expeditarum, seu expediendarum; ita ut præfata Decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ, & illese remaneant, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri debeant, ita quod neque Fabrica, neque heredes, vel debitores prefati ullo modo illas impedire, retractare, vel controvertere valeant, & salvis semper Sedis Apostolicæ auctoritate, ac facultatibus competent. dictæ Sac. Cong. Ven. Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem Sacra Congregat. Fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat, seu præsumat per se, nec per alios Syndicos, Ministros, seu Procuratores, tam seculares, quam Regulares dictas annuas præstationes, seu legata, nec judicialiter, tam coram quocumque Judice Ecclesiastico, quam seculari Ordinario, vel Delegato, nec alias, nisi juxta formam dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctissimo D. N. deputatæ ab hæredibus, seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere, minusve dd. hæredibus, seu debitoribus facere aliquas receptas pro dd. annuis præstationibus, nisi pro rata, & pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere, & realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua vere fuerit iisdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio, & insuper, ne provisos Apostolicos pro tempore de Beneficiis, quibus Legata supradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores, & Ministros super exactione dd. legatorum directe, vel indirecte impedire, vel molestare quovis quæsito colore, vel prætextu audeant, vel præsumant. In quorum fidem &c.

Datum Romæ ex Collegio ejusdem Sacræ Congregationis die 14. Februarii 1633.

Domin. Card.

Loco ✠ Sigilli.

Verba Congregationis particularis ab Urbano VIII. Fratrum Minorum de Observantia Cismontanæ Familiæ Consultationibus propositæ in Decisionibus præcedentibus allegatæ. 98

Sacra Congregatio &c.

Sed quia in his casibus solet aliquando evenire, quod annuus redditus ob temporis antiquitatem non comperiatur habere aliquem Patronum, cui fieri debeat talis, ut supra, protestatio, decernimus, quod in tali casu servetur statutum Ordinis Minorum sub Paulo II. (Julio II.) *super cap. 6. Regulæ §. Inhibemus*, quod nimirum hujusmodi redditus assignentur Rectoribus spiritualibus, aut temporalibus Collegiorum, aut Communitatum, Terrarum, aut Civitatum, qui tales eleemosynas, sive fructus, vel redditus annuos nomine Ecclesiæ Romanæ, vel donantium sine Fratribus exigant, & recipiant, & a Fratribus, sive aliis Sacerdotibus quando Fratres noluerint, tales Missas, vel suffragia juxta piam intentionem Benefactorum in toto, vel in parte secundum quantitatem talium observationum, dici faciant.

Decretum Sacræ Congregationis Fabricæ S. Petri circa Legata relicta Minoribus de Observantia in locis, in quibus Venerab. Fabrica locum habet, promulgatum sub die 14. Februarii 1633. 99

Cum sæpius &c. eadem S. Congregatio censuit pro opportuna prædictorum provisione, facta prius relatione Sanctissimo Domino Nostro Papæ Urbano VIII. ac de illius expresso ordine, & mandato decrevit in futurum super hujusmodi legatis observari, ut infra. Quod hujusmodi legata per debitores, vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo; sed illorum capitale, sive fors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur semper, & perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benevisos possint applicari. Ita tamen, ut quandiu applicationem specialem auctoritate Apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint libere, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda.

Quodque Commissarii, aliique Ministri Vener. Fabricæ super hujusmodi Capitale, seu proprietate supradicta, se de cetero non intromittant, nec dictos hæredes, seu debitores aliquo modo molestent &c.

Et quod nolentibus dd. hæredibus, vel debitoribus dare supradictis Fratribus dictas eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata ut supra solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc & eo casu lapsis duobus annis a die obitus Testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis, eadem Fabrica, & illius Commissarii, & Ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito pro rata tamen in qua fuerit, ut supra, elapsum biennium, vel ultra possit, & valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium juxta suas facultates, & privilegia, salva semper proprietate, seu capitali ut supra, ad effectum quod hæredes, vel debitores &c. possint, si velint, etiam quandocumque futuris temporibus, & sic deinceps in perpetuum dare dd. Fratribus dicta annua legata in eleemosynam &c. *Et inferius præservatur Decretum*

Congreg. particularis sub Urbano VIII. superius relatum sequentibus verbis: Prohibuit tamen eadem S. Congregatio Fratribus supradictis sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrend. ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat, seu præsumat per se, vel per alios Syndicos, Ministros, seu Procuratores, tam Sæculares, quam Regulares dd. annuas præstationes, seu legata, nec judicialiter tam coram quocumque Judice Ecclesiastico, quam sæculari Ordinario, vel Delegato, nec alias nisi juxta formam dicti Decreti Congreg. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ a Sanctissimo D. N. deputatæ, ab hæredibus, seu debitoribus petere, minusve dd. hæredibus, seu debitoribus facere aliquas receptas pro dd. annuis præstationibus, nisi pro rata, & pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere, & realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, qua vere fuerit iisdem Fratribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio.

DECRETUM.

Ejusdem Sacræ Congregat. Fabricæ ad providendum indemnitati Fratrum in annuis Legatis, & occurrendum hæredum, vel Executorum malitiæ, editum die 15. Decembris 1646.

Sacra Congregatio Generalis Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe ad consulendum non minus indemnitati Fratrum Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci; quam providendum malitiæ hæredum, & aliorum quomodolibet obligatorum, qui differunt ultra biennium illis solvere annua legata pia cum oneribus Missarum, seu Officiorum, vel etiam gratis dictis Fratribus, seu eorum Ecclesiis relicta, ac in futurum relinquenda, sub spe postea super illis pro minori summa se componendi cum Commissariis, & aliis Rev. Fabricæ Ministris, & Officialibus, prohibuit, & expresse mandavit Commissariis, Œconomis, Secretariis, & aliis quibuscumque Officialibus, & Ministris Rev. Fabricæ præsentibus, & futuris, & tam Urbis, & Status Ecclesiastici, quam Regni Neapolis, & aliorum quorumcumque locorum sub pœnis arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis, ne de cetero cum hæredibus, vel aliis quomodolibet obligatis ad solutionem dictorum legatorum ad aliquam compositionem, remissionem, vel transactionem deveniant, sed ab illis omnes annatas supra biennium decursas, & non solutas integraliter exigant, & exigere faciant in beneficium dictæ Rev. Fabricæ sine relaxatione alicujus minimæ portionis, seu quantitatis, servato in reliquis tenore Decreti in hac materia ab eadem Sacra Congregatione editi sub die 14. Februarii 1633. & compositiones &c. eo ipso nullas, & irritas esse decrevit, mandans &c.

Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi annua & perpetua legata per modum simplicis eleemosynæ expresse comprobat Breve Urbani VIII. incipien: *Exponis nobis* emanat. 27. *Julii* 1637. favore Minorum de Observantia, ubi expresse approbatur, & auctoritate Apostolica confirmatur declaratio facta a Patre Didaco de Cea in Romana Curia pro Ultramontana Familia Commissario Generali in hæc verba in tali Brevi inserta §. *Insuper*, ibi: *Insuper ad serenandas Fratrum conscientias &c. Declaramus &c. Dictos Conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta, & salva conscientia tenere posse annua, & perpetua legata, vel certos alios redditus, aut proventus annuos, & perpetuos præfatæ puritati nostræ Regulæ consentanos per modum eleemosynæ &c.* in quo Brevi multa alia ad rem continentur, unde ut ab omnibus præ oculis habeatur, hic ad litteram datur, prout registratur a Pitonio *discept. 2. n. 62.* & a dicto de Luccia *tot. cit. pag. 146. num. 387.*

Breve S. M. Urbani VIII. editum post Decreta prædicta quæ ad tenorem ejusdem Brevis posterius editi intelligenda veniunt.

URBANUS OCTAVUS.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis fecit dilectus Elias Petiot Doctor Theolog. Parisiensis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Regularis Observantiæ Turoniæ Minister Provincialis cum omnibus Superioribus, et subditis ejusdem Provinciæ, quod ipsi a dilecto etiam Filio Didaco de Cea Ordinis eorumdem Minorum lectore Jubilato Almæ Angelorum Provinciæ, et Ordinis Patre, ac in Romana Curia pro Ultramontana familia Commissario Generali, et de mandato, et auctoritate dilecti Filii nostri Francisci S. Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S.R.E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex Fratre germano nepotis, dictique Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris; in præfatæ Provinciæ specialem Commissarium, pro alienandis bonis immobilibus, si quæ fuerint extra Conventum dictæ Provinciæ sepia, ac alias sub certis modo, ac forma, ibi expressis constitutus, & deputatus fuit, prout in dicti Didaci Commissarii Generalis hujusmodi desuper confectis patentibus litteris tenoris subsequentis, videlicet:

Frater Didacus de Cea Ord. Min. Regularis Observantiæ Lector Jubilatus Almæ Angelorum Provinciæ et Ordinis Pater, ac in Romana Curia pro universa Familia Ultramontana Commissarius Generalis et servus, Dilecto Nobis in Christo R. P. F. Eliæ Petiot ejusdem Ordinis, et Instituti, Provinciæ vero Turoniæ Provinciali Ministro, ac Doctori Theologo Parisiensi salutem et pacem in Domino sempiternam.

Cum Eminentissimo D. Cardin. Francisco Barberino S.R.E. Vicecancellario, nec non totius nostræ Seraphicæ Religionis vigilantissimo Protectori, Correctori, et Gubernatori, exponi feceris una cum omnibus, et singulis ejusdem Provinciæ Superioribus, et subditis, quod dicta Provincia, quondam Conventualium zelo suæ professionis ducta, et devotis accensa desideriis olim quidem Regulæ suæ observantiam amplexa fuerit, et formam vivendi, et disciplinæ Patrum Observantiæ, acceptaverit, nuper vero a S. D.N. Urbano VIII. in litteris suis Apostolicis sub datis hic Romæ 18. Junii præsentis anni declarata fuerit, et de novo incorporata Regulari observantiæ cum omnibus privilegiis, juribus, exemptionibus, et immunitatibus, quibus dicta Provincia, cum Provinciis Franciæ S. Bonaventuræ, et Conventus Parisiensis ab antiquo gaudere consueverunt.

Propterea ad felicius dictæ Provinciæ, et Fratrum conscientias serenandas, et Sanctæ Regulæ nostræ Seraphicæ nitorem, et observantiam restituendam supplicaveris, quatenus concedamus tibi licentiam, ut cum consilio Syndicorum Conventuum respective possessiones, prata, et alia immobilia (si quæ fuerint extra Conventum sepia) sic vel alienes, vel disponas, prout melius regimen dictæ Provinciæ, et Conventuum utilitas postulaverint; quia autem dicta alienatio, et dispositio non potest executioni mandari, absque singulari ejusdem Eminentissimi Protectoris mandato, et modo ab illo assignando, quo debite, et congrue omnia si quæ intervenerint, impedimenta tollantur, et quatenus dicta hujusmodi alienatio, vel dispositio suum tandem integrum, et plenarium sortiatur effectum; Hinc est, quod auctoritate ejusdem Eminentissimi Protectoris nobis in hac parte specialiter commissa, præsentium tenore, et vigore te, qui de Religionis zelo, morum integritate, et prudentiæ claritate plurimum in Domino commendaris, ejusdem dictæ tuæ Provinciæ specialem Commissarium nominamus, et instituimus omni meliori modo quo possumus, et opus fuerit, etiam cum plenitudine potestatis agendi, sollicitandi, et procurandi per te, vel per alium, seu alios dictæ Provinciæ benemeritos Patres, a te deputandum, vel deputandos, ad cujus, vel quorum nominationem, et ad facultatem eligendi, specialem licentiam, et auctoritatem concedimus, quatenus dictæ possessiones, prata, et alia immobilia, si quæ fuerint extra Conventuum sepia, intra unum annum, vel ad summum duos a debita præsentium notitia computandum, sic

sic vel alienentur, vel disponantur, ut dictæ Provinciæ felicius regimen, et Religionis decor postulaverint.

Et propterea eadem auctoritate Eminentissimi Protectoris et earumdem serie nostrarum prædictos Syndicos Conventuum respective tamquam generales per Sanctiones Pontificias Procuratores, & OEconomos Apostolicos, hortamur in Domino, & quantum in nobis est, injungimus, & mandamus, quatenus dictam alienationem, seu dispositionem, consilio, & auxilio suo promoveant, ut scilicet fiat secundum requisitas juris solemnitates, & debitum Seraphicæ nostræ institutionis modum, scilicet dictorum bonorum dominium, possessionem, & proprietatem in perpetuum abdicando, & ad quos de consilio Fratrum cujusque Conventus melius secundum Deum, & fructuosius secundum licitam utilitatem Conventuum videbitur expedire, transmittendo, & alienando.

Insuper ad serenandas Fratrum conscientias eadem auctoritate Eminentissimi facultatem tibi concedimus; quatenus Fratribus, & Conventibus dictæ Provinciæ vice nostra declares: imo nos nomine, & auctoritate dicti Eminentiss. Protectoris declaramus, dictos Conventus, Fratresque Minores respective licite, valide, tuta, & salva conscientia *tenere posse annua, & perpetua legata, vel certos aliquos redditus, aut proventus annuos, & perpetuos* præfatæ puritati nostræ Regulæ consentaneos per modum eleemosynæ, aut (juxta primam, & præcipuam S. Patris Francisci vivendi rationem, ejus consilio, & exemplo firmatam & roboratam) pretii, seu mercedis vice pro spirituali dictorum Fratrum nostrorum labore recipiendos, nempe pro Missarum solemnium, privatarumque Sacrificiis, aliisque divinorum Officiorum oneribus secundum pias Benefactorum, seu vivorum, aut defunctorum intentiones institutis, sive pro Fabricis, & reparationibus Ecclesiarum nostrarum, sive pro studiis Sacræ Theologiæ, & bonarum disciplinarum, necnon aliis Conventuum utilitatibus, sive pro prædictis omnibus causis, aut aliqua illarum divisim, vel conjunctim jam diu prædictos redditus, aut proventus fundatos, & constitutos, vel fundandos, & constituendos super hujusmodi bonis cujuscumque sint naturæ (nunc, & in perpetuum abdicandis, transmittendis, & alienandis) juxta prædictos modos licitos, & puritati Regulæ nostræ congruos reservando & retinendo, *facta prius ex animo, & optimo corde dictorum reddituum, aut proventuum, simili, vel efficaciori protestatione, & renunciatione a Doctore nostro Seraphico P. Bonaventura præscripta, atque observata*; & quod dicti redditus aut proventus in unoquoque Conventu non sint in tanta copia & excessiva quantitate, ut mendicitatem excludant, aliisque servatis clausulis, & circumstantiis, *necnon gratiis, & juribus contentis, & expressis in allegatione pro fulcienda validitate fundationis, & perpetuorum Legatorum conventus Victoriæ, Sancti Patris Nostri Francisci Recollectorum in Hispania, alias per Nos præsentata Eminentiss. Dominis Cardinalibus Sacræ Congregationis Concilii Tridentini, & ab eis approbata, & confirmata per Decreta edita sub datis hic Romæ vigesima Junii, & tertia decima Julii anno Domini* 1635.

Ut autem facilius, opportunius, & exactius injunctum tibi munus absolvere possis, ejusdem Eminentiss. Protectoris auctoritate, præcipimus omnibus, & singulis dictæ Provinciæ Fratribus Superioribus, & subditis in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis propriorum Officiorum nec non excommunicationis latæ sententiæ, & etiam prædictis Conventuum Syndicis Apostolicis, ut te, vel alium, seu alios intra prædictum, & præfixum tempus velut legitimum, seu legitimos dictæ Provinciæ Commissarium, seu Commissarios, ad prædicta (ut fertur) specialiter, & expresse deputatum, vel deputandum, aut deputandos cum omnibus gratiis, ac juribus aliis Commissariis concedi solitis recipere, recognoscere, & revereri velint, & debeant, tibi, aut illi, vel illis in his, quæ nec cultui Divino, aut Animæ suæ, nec evidenti, & Spirituali Conventuum utilitati contraria sunt, prompte, & hilariter obtemperaturi; Monentes, ut in hujusmodi muneris executione, nihil aliud penitus, nisi prædictorum Cultus Divini augmentum, Domorum Domini decorem, studiorum necessitatem, & demum cujuscumque Conventus utilitatem spiritualem nostro Minorum statui, & Regularibus Institutis, dictæque Provinciæ privilegiis nuper confirmatis (ut præfertur) congruentem præ oculis habeas. Vale, Deumque pro Nobis exora.

Datum Romæ in Conventu Aracœlitano die 10. Julii anno 1637. in quorum fidem manuali nostro Syngrapho, & majori officii nostri Sigillo præsentes munivimus.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat præfati Exponentes premissa pro illorum firmiori subsistentia, & validitate Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent; Nos dictum Eliam, aliosque præfatos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibuslibet excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, deputationem de persona dicti Eliæ in specialem Commissarium Generalem (ut præfertur) factam, ac desuper confectas præinsertas litteras cum omnibus, et singulis in eis contentis, expressisque, Apostolica auctoritate tenore præsentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti, quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, ut dictum Eliam aliosque præfatos præinsertarum præsentiumque literarum nostrarum commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec illos desuper a quoquam quomodolibet molestari, perturbari, vel inquietari permittant, ac decernentes, easdem præinsertas, patentesque litteras validas, firmas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari, dictisque exponentibus plenissime in omnibus, et per omnia suffragari debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinis, et Provinciæ, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus privilegiisque quoque, Indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum omnium tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus: ceteriisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Julii 1637. Pontificatus nostri anno decimoquarto.

M. A. Maraldus.

Ed ulterius pro legato relicto pro pitantia fuit semper servatus S. Congregationis Boni Regiminis Urbis, quæ ultra superius deducta sub die 22. Junii 1625. ita dedit litteras: *Viterbo Governatore. Mentre per il passato i Frati Minori Osservanti di S. Francesco di Canino siano stati sovvenuti di scudi dieci l'anno per la pietanza, e di altri scudi quindeci per il vino da quella Communità, la S. Congreg. si contenta che possa continuarseli la medesima limosina, onde piacerà a V. S.* concedernele *la facoltà opportuna*.

Ac pro vestiario habetur resolutio ejusdem S. Congregationis sub die 12. Novembris 1661. *Perugia Governatore. Questi Emin. Signori dopo avere veduta l'informazione di V. S. sono stati di parere, che ella proveda, che li Frati di S. Francesco Minori Osservanti di Nocera, siano sodisfatti dell'annua risposta di scudi sette, e baj. 50. che gli sono stati assegnati da quel pubblico sotto titolo di Vestiario; tanto eseguisca, e Dio la prosperi,*

Imo pro carne assignata Mendicantibus a Communitate, illamque posse a lanione illius licite exigi, habemus casum decisum per doctissimum, & vigilantissimum Opit. Cerrum A. C. Locumtenentem in causa Sabinen. præstationis Carnis inter RR. PP. de Observantia B. M. Virginis de Lilio, & Josephum Gentilem sustinentem jura Communitatis Malleani cum mandato de exequendo judicatum de Fratribus favore R. R. P. P. relaxato, ac cum sententia emanata sub die 24. Martii 1708. per acta Babucci Notarii A. C.

Hac

105 Ac S. Congregationis Concilii, quæ ita invariate pro observatione præfati decreti Rev. Fabricæ circa Legata pro pitantia relicta mandavit, & in specie in *Æsina Legati 4. Maji* 1697. cujus resolutio Magistralis hæc est.

Balthassar de Calvanis anno 1639. instituta hærede usufructuaria Pieria uxore gravavit tam ipsam, quam hæredes proprietarios ad tradendum in perpetuum P.P. Capuccinis eleemosynam Juliorum septem singulis hebdomadis pro duobus ferculis, seu pitantiis, injuncto onere eidem Pieriæ faciendi intra certum tempus investimentum æquivalens annuæ satisfactioni prædicti Legati per hæc verba: Lascia la medesima Sig. Pieria, mentre sarà viva, e gli infrascritti eredi, e successori in infinito siano obligati, si come esso Testatore espressamente comanda, di fare due volte la settimana l'Eleemosina alli Capuccini di Gesi di giuli tre, e mezzo per ciascheduna volta di Carne, o Pesce, e che per detto effetto pagati li scudi 100. di Legato fatto di sopra per l'Altare di S. Giuseppe della Sig. Pieria sua Consorte tra lo spazio di quattro, o cinque anni, o quanto prima si possa, si ponga a frutto quella quantità di denaro, che sarà bastante per il stabilimento perpetuo delle dette eleemosine delle due pietanze la settimana per li detti P. P., e che sino a detto cumulo, o stabilimento la Sig. Pieria si compiaccia si come esso Testatore la grava di tener comunicati li frutti della sua dote, e contradote pregando il medesimo Sig. Testatore li detti P.P. Capuccini per la detta carità di pregare nelle loro Orazioni per l'Anima d'esso, e de' suoi antenati morti &c.

Neglexerunt tam Pieria, quam primi hæredes nedum primum investimentum, verum etiam traditionem supradictæ eleemosynæ per plures annos. Quare Nicolaus, & Theodorus de Calvanis hæredes mediati condemnati fuerunt a Rev. Fabrica per viam compositionis ad solutionem scutorum 300. pro eleemosynis decursis, & non solutis.

Modo autem volentes iidem hæredes executioni demandare præfati Testatoris voluntatem quoad investimentum capitalis prædicti oneris eo sub fundamento, quod ubi ad formam Testamenti factum fuisset, illius ascendentes tunc ad annua scut. 36. vix hodie ascenderunt ad medietatem attenta notoria diminutione fructuum, censuum, aliorumque stabilium.

106 Verum audito desuper Episcopo comprobante narratorum veritatem excitata fuit difficultas: An onus investimenti tamquam adjectum executioni legati dicatur stare demonstrative, vel taxative, itaut investimentum modo faciendum sit ab hæredibus perpetuo manutenendum pro integra satisfactione summæ legatæ? Cumque placuerit EE. VV. demandare, ut instantia prædicta describeretur in folio; Hinc in presenti Congregatione informantibus prædictis hæredibus exquiritur.

I. An & in qua quantitate præfatum investimentum sit faciendum?

II. An post factum investimentum, ac superveniente aliqua diminutione tam in capitali, quam in fructibus, hæredes teneantur cum bonis hæreditariis perpetuo supplere summam deficientem?

107 Die 4. Maji 1697. S. Congreg. EE. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, ad primum faciendum esse investimentum in quantitate æquivalenti ad integrum onus.

Ad secundum respondit, Affirmative.

Faventina Legatorum: In assignatione bonorum facta per Constantiam Severolam de anno 1657. ad effectum fundandi in Terra Mutilianæ, vel Beneficium Ecclesiasticum, vel Monasterium Monialium, tria onera fundatrix imposuit. Primum annuæ præstationis libr. 100. Olei pro manutentione lampadis ante sacras Reliquias in Ecclesia PP. Capuccinorum dictæ Terræ; Secundum lib. 25. ceræ albæ pro usu ejusdem Ecclesiæ; & Tertium denique unius ferculi valoris solidorum 20. ipsis PP. Capuccinis per singulas hebdomadas subministrandi.

Secuta de anno 1686. Monasterii fundatione, recusarunt Moniales subministrare dictas præstationes sub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capuccinorum; quare ad instantiam Alexandri Bonconi, tamquam unius de populo, citatis, & informantibus quoque Monialibus, declarari humiliter supplicatur.

I. An Monasterium teneatur subministrare singulis annis dictas libras 100. Olei, & 25. albæ Ceræ pro usu Ecclesiæ Capuccinorum?

II. An similiter teneantur præstare singulis hebdomadis supradictum ferculum bon. 20. pro ipsis Capuccinis?

Die 2. Martii 1697. S. Congreg. EE. S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum respondit. Affirmative. 108

Ad II. censuit servanda esse decreta Congregationis Fabricæ die 4. Februarii 1633

Quæ procedunt etiamsi assignatio bonorum fieret in con- 109
tractu inter vivos, uti habemus casum decisum per *S. C. Fabricæ in Imolens. Legati, seu Donationis sub die 16. Mar.* 1707. ubi fuit dictum favore RR. PP. Observantium Imolæ ad exclusionem Tribunalis R. Fabricæ, *non intrare illius privilegia*; super qua controversia, quia elaboratissime fuerunt distributæ allegationes doctissimorum causæ Patronorum, & Advocatorum, merito pariter illas subnectere existimavi ad ostendendum, quod in hujusmodi controversiis omnia necessaria motiva hinc inde fuerunt perpensa, audito Commissario, & Fiscali ejusdem S. Tribunalis, & decisum *non intrare privilegia Fabricæ* attenta capacitate Religiosorum in recipiendis hujusmodi Legatis ex capite eleemosynæ; adversus quam resolutionem, cum denuo fuerit provocatum ad idem Tribunal, hoc perpensis denuo partium rationibus sub die 20. Julii ejusdem Anni eamdem resolutionem confirmavit cum rescripto *in Decisis*; Sic de Luccia *in Dissertatione de legatis num.* 402.

Insuper dictam Fratrum Minorum capacitatem expresse de- 110
monstrant variæ resolutiones Sacræ Congregationis Fabricæ; quarum prima fuit illa emanata die 28. Maji 1639. cum Episcopis directis Episcopo S. Angeli in Vado hujus lecturæ: „Ha „ avuto ricorso a questa S. C. della Fabrica il Procuratore „ Generale de' Minori Osservanti esponendo, che di un Le„ gato pio appartenente a detti Frati di S. Angelo in Vado „ V. S. intenda eriggere un Canonicato sotto pretesto della „ loro incapacità: Questa medesima Congregazione anche „ con partecipazione di N. S. fece Decreto (*quod est illud anni* 1633.) che questi P. P. potessero ricevere per modum eleemosynæ gli annui Legati pii, e che non si estinguessero, riservandosene la disposizione a N. S. conforme „ all' ingionto Decreto.

Roma 28. Maggio 1639.

Et quamvis Episcopus in sua informatione quamplurima 111
deduxisset ad ostendendam incapacitatem Fratrum, denuo S.C. rescripsit: „ Sendo stata letta in questa S. Congrega„ zione la risposta data da V. S. in materia dell'applicazione „ da lei fatta ad un Canonicato delli sc. 809. lasciati da Carlo „ Gualterucci alli Frati della Osservanza con peso di Messe, „ non son parse a questi Eminentissimi Signori sufficienti le „ ragioni addotte per sostenere detta applicazione, quale „ come che è fondata tutta nella incapacità de' Frati, così „ non sossistendo tale incapacità, almeno ad effetto di poter „ ricevere per via di limosina, conforme al Decreto fatto „ da questa S. C. dovrà V. S. sospendere, nè in essa proce„ dere più oltre in pregiudizio de' Frati.

Roma 30. Agosto 1639.

Secunda sub die 31. Decembris 1639. directa Episcopo Anconitano, ita: „Questa S. C. altre volte dichiarò detti „ Frati Capaci per modum eleemosynæ, però provede„ rete che il Legato si eseguisca, ne sotto il detto pretesto „ della loro incapacità gli Eredi ritardino il pagamento.

Tertia sub die 17. Martii 1640. lata ad favorem P. P. Mi- 112
norum de Magliano, in qua agebatur de legato sc. 1500. cum obbligatione injuncta hæredi de reinvestiendo dictam summam, & solvendo fructus annuos P. P. erogandos ab illis in perpetuum pro celebratione duarum Missarum, & pro emenda sacra supellectili Altaris, & applicatio R. Fabricæ pro Commissarium illius, & demandans talis applicationis revocationem ita: „ E perchè detti P. P. Osservanti credono „ detta sentenza non possa sussistere, sì per aver questa „ S.C. dichiarato nel 1633. che essi sono capaci di simili Le„ gati per modum eleemosinæ &c., e parendogli la domanda „ ragionevole, ne danno la facoltà di potere rivedere, co„ noscere, e terminare detta causa per giustizia con facoltà „ di reintegrare detti Osservanti,. Prout de facto Commissarius eosdem P. P. ad legatum reintegravit.

Demum adsunt consimiles declarationes emanatæ sub die- 113
bus 28. Julii 1640. 20. Decembris ejusdem anni, 5. Octobris, & 2. Novembris 1641. & aliæ, quas brevitatis causa omittendas censui, quæ omnes declarant capacitatem cum tali modificatione per viam eleemosynæ, & registratæ inveniuntur in eadem discept. Piton. *num.* 138. 139. 140. 141. & 142.

Hujusmodi capacitas censetur admissa per Summos Pontifices: cum enim de anno 1641. Commissarius Fabricæ applicaverit quemdam censum mille florenorum in sorte, & sc. 80. in fructu erogandorum in emptione Tunicarum, & Habituum pro dictis P. P. juxta donationem istis factam a Gaspare de Bartholomæo, comparuerunt coram S.M. Urbano VIII. iidem P. P. Minores. & ita eorum intentum exposuerunt: „ Supplicant &c. quatenus dignaretur declarare Fratres esse capaces dictæ donationis, & a Ministris Fabricæ non posse „ molestari, quia per modum eleemosynæ possint dari, & „ recipi fructus census &c. *& emanavit præfata signatio. Die* 12. *Novembris* 1641. *S.S.D.N.* audita relatione S. Suæ facta de ordine Eminen. Cardinalis Barberini Protectoris benigne annuit petitioni supradictæ, *& in illius executionem S.C. Fabricæ ita signatæ petitionis demandavit effectum*: Questi Eminentissimi miei Signori della S.C. della Fabrica vi ordinano, che lasciate liberamente pagare, e ricevere detti frutti alli medesimi Frati donati per „ modo di limosina, conforme la grazia fattagliene da N.S. „ revocando li sequestri, & ogni altro impedimento di questo „ Tribunale, e suoi Ministri.

Roma 21. Decembre 1641. Piton. *loc.cit. num.* 144.

114 Et indistincte pro legatis pro victu, & vestitu semper resolvit Sacra Congregatio Boni Regiminis, & signanter *sub die* 12. *Augusti* 1651. ibi: „ Ficulle Podestà. Comanda la „ S.C. mentre sia vero, che nell' ingresso de' P. P. Capuccini in cotesto luogo dal pubblico Consiglio fossero per „ loro sostentamento assignati per limosina scudi 50. l'anno, gli si continui conforme al solito tale sussidio caritativo, onde Voi le concederete la facoltà opportuna, „ oprando, che in tal conformità segua l'effetto.

115 *Ac sub die* 26. *Aprilis* 1678. Campagna. Governatore. „ La S. Congr. senza attendere la risoluzione presa dal pubblico Consiglio della Communità di Anagni, avendo ordinato, che si continui a somministrare il solito sussidio di „ 40. scudi annui a quelli Frati Capuccini, che con tal'assegnamento furono ricevuti dalla Communità suddetta, così „ si contenterà di ordinare che segua, e Dio la properi.

116 „ *Sicuti etiam sub die* 10. *Maji* 1692. Viterbo. Governatore. E' stata sentita anche dalla S. Congr. come necessaria l'instanza fatta dalla Communità di Valentano di potere „ ammettere li Frati Minori Osservanti di S Francesco nel „ Convento già suppresso della Madonna della Salute, perchè restino provisti quegli abitanti, di chi loro assista opportunamente con gli aiuti spirituali, per il di cui effetto „ s' è contentata la medesima S. Congr. che possa la predetta „ Communità in conformità della risoluzione del Consiglio „ somministrare scudi 500. per una sol volta da pagarsi in „ cinque anni colli sopravanzi della Tabella in ogni anno la „ rata, & altri 50. scudi annui in sussidio caritativo per pietanza, o vestiario de' Religiosi, che vi dimoreranno da „ pagarsi venticinque scudi in ogni semestre, onde V. S. nepotrà concedere la necessaria licenza.

117 Item hanc Minorum capacitatem obtinent, & recipiendi Legata perpetua per viam puræ, ac simplicis eleemosynæ, pluries comprobavit Sacra Congregatio Episcop. & Regul.; & signanter in Lucens. sub die 21. Martii 1677. pro Minoribus de Observantia hanc dedit declarationem: *Sacra Congregatio Episcopor. & Regular. sæpius declaravit Fratres Minores de Observantia S. Francisci, quamvis attenta dispositione*, Exiit de Paradiso, *& Const.* „ Nicolai II. & Clement. V. „ sint incapaces obtinendi census perpetuos, & bona stabilia, posse tamen per viam puræ, ac simplicis eleemosynæ „ recipere quidquid ab executoribus ultimarum voluntatum „ eis traditur pro celebratione Missarum pro ornamento Ecclesiæ, aliisque necessariis procurandis juxta doctrinam „ D. Bonav. relatam in Const. S. M. Urbani VIII. incipient. „ *Sacrosanct. Apostolatus Ministerium*.

118 Item eamdem capacitatem pluries approbavit Sacra Congregatio Concilii, & signanter *sub die* 12. *Junii* 1704. *in Salernitana Legati Fabritii Pinto* in famosa causa vertente inter PP. Theresianos hæredes, & Minores de Observantia, Reformatos, & Capuccinos Legatarios, ubi rescripsit: *Observent ur decreta Rev. Fabricæ emanata die* 24. *Februarii* 1633. hoc est recipiant per modum eleemosynæ. Quod & expresse in eadem causa decrevit *Sacra Congregatio Rev. Fabricæ sub die* 20. *Julii* 1707. *& 9. Februarii* 1708. in quorum decretorum observantiam fuit datum mandatum executivum sub *die* 28. *Junii* 1709. *& sub die* 12. *Augusti ejusdem anni* 1709. fuit lata sententia a R.P.D. Sinibaldo Judice Rev. Fabricæ declarans, & statuens, D.D. P.P. Theresianos in executionem præfatorum decretorum teneri, & obligatos esse solvere annuum legatum per viam eleemosynæ relictum per dictum Fabritium Pinto dictis Minoribus de Observantia, Reformatis, & Capuccinis, & tam dicta sententia, quam mandatum, datum a Collegio Eminentissimorum, & Reverendissimorum D.D. Cardinalium S.C. Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe deputatorum, refertur ad litteram a D. Petro Marcellino de Luccia *in sua dissertatione unica de Legatis pro victu Religiosis Mendicantibus relicto, a pag.* 207. *ad pag.* 210. *n.* 522. *& 523.*

Ex typis recensitis fiat clarum, quod legata relicta Fra- 119
tribus Minoribus per modum simplicis eleemosynæ sustinentur; & quod tales Fratres licet sint incapaces legatorum transferentium Dominium, & possessionem apud ipsos, sunt tamen capaces ipsorum legatorum per modum puræ, & simplicis eleemosynæ. Et quamvis dicti Fratres non sint capaces petendi legata perpetua per modum actionis judicialiter, sunt tamen capaces ipsa recipiendi per modum eleemosynæ ab hærede defuncti, licet iste hæres fuerit coactus ex officio per Judicem, vel ad instantiam alicujus de populo, vel Syndici Apostolici etiam tamquam unius de populo, qui ut talis potest comparere, & implorare officium Ordinarii, ut demandet executionem testamenti, & adimpleatur mens Testatoris, ut in articulo discusso pronunciavit *Rota in Turritana Eleemosynarum, seu Legatorum* 10. *Januarii* 1695. *coram Emerix recano pro Syndico Apostolico Conventus Sancti Petri de Syrchis Ordinis Minorum de Observantia cum Archidiacono Ecclesiæ Turritanæ* registrata apud Pitonium *part.* 1. *disceptationum Ecclesiasticarum*; *discept.* 2. *num.* 36. & apud D. Luccia *loc.cit. pag.* 117. *num.* 350.

Imo cum juxta communem Doctorum sententiam hæres 120
teneatur in conscientia adimplere onera, & pias dispositiones Testatoris potest etiam cogi per Syndicum Apostolicum, non tamquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ vigore Constitutionum Gregorii XIII. Martini IV. & Pauli IV. ut tradunt in puncto Emmanuel Rodriquez *quæst. Regular. tom.* 2. *quæst.* 127. *art.* 4. §. *Ad primum enim*, Port. *in dub. Regular. verb. Legatum num.* 8. *& melius in addit. n.* 2. *vers. De modo autem*, Hieronymus Rodriquez *resolution.* 88. Pellizar. *in manual. tract.* 4. *sect.* 2. *n.* 111. *& sequent. tom.* 2. Riciull. *de Jure personar. extra gremium Eccles. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 27. Amoltaz. *de causis piis lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 78. Pasqual. *de Sacrificio Miss. quæst.* 1091. *num.* 5. Villalob. *difficultat.* 34. *num.* 7. & alii; quæ Constitutiones Martini & Pauli fuerunt novissime revocatæ per Ven. Innocentium XI. Constitut. incipient. *Solicitudo pastoralis*, *sub dat.* 20. *Novembr.* 1679. *impress. in Histor. Orbis Seraphic. tom.* 4. *fol.* 224.

Plurima alia de capacitate Fratrum Minorum recipiendi, 121
& retinendi perpetua annua legata per modum puræ, & simplicis eleemosynæ videnda relinquuntur apud Pitonium *cit. part.* 1. *discept.* 2. *per tot.* & apud D. de Luccia *in cit. dissertatione unica de Legatis per tot.* ubi ultra adductas multæ afferuntur Apostolicæ sanctiones, & Sacrarum Congregationum responsiones, & declarationes; unde non amplius attendendi veniunt Doctores in contrarium scribentes.

Domus professæ Societatis Jesu licet sint vere Mendican- 122
tes, sunt tamen capaces legatorum, etiam bonorum stabilium, ita tamen ut si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui Domorum professarum, ea vendi debeant, & ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri; *Sic Rota in Romana legati* 10. *Maji* 1617. *coram Buratto*, *& communis Doctorum*; Nihil tamen obstat tempore non longo ea retinere, donec se occasio vendendi offerat, vel opportunitas aptandæ habitationis ad usum Domorum professarum; Sanch. *lib.* 7. *Moral. cap.* 26. *num.* 22 Layman *lib.* 3. *de Justitia tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 6. & alii. Vide quoad hæc legata *p.* 6. *Constitut. dictæ Societatis cap.* 2. §. 5.

Legatum relictum Ecclesiæ, quam Testator in specie non 123
expressit, adeo ut ignoretur quam voluerit intelligere, est validum; *Communis*. Si enim simpliciter nominavit Ecclesiam v. gr. S. Mariæ & plures sint Ecclesiæ ejusdem nomi- 124
nis, inter quas una sit Parochialis, legatum debetur Parochiali; *Authentic. de Eccles. tit.* §. *Si quis nomine*, *& ibi Glossa verb. Domicilium collat.* 9. Barbosa *de offic. & potestat. Episcop.*

Episcop. part.3. allegat.82. num.41. & lib.3. Juris Ecclesiast. universf. cap.27. num.90. & sequent. & plurimi alii ibi citati,
125 & alii passim. Si autem Testator duas habuerit Ecclesias Parochiales ejusdem nominis, & facultatis, in quibus promiscue, & æqualiter recipiebat Ecclesiastica Sacramenta, & nec ex electione sepulturæ, nec aliunde discerni possit, de qua Parochiali intellexerit, variant Doctores; Multi enim volunt, in tali casu legatum esse dividendum inter utramque Parochiam, *arg. cap.2. verf. Cum ab eo, de sepultur. in 6.* ubi habetur, quod si aliquis habuerit duo domicilia, in quibus æqualiter commoretur, & alibi sepulturam elegerit, portionem Canonicum esse dividendam inter Parochias utriusque domicilii; Sic Covarruv. *in cap. Judicante, de Testament. num.2.* Silvester *verb. Legatum 3. num.8.* Molina *de justitia tract.2. disp.196. num.3.* Garcia *in summ. tract. 3. differ. 11. dub.3. num.3.* Leon. *de Offic. Capellan. quæst.5. sect. 2. n. 36.* Amostaz *lib.1. de causis piis in genere cap. 11. numer. 19.* ubi citat alios, & dicit aptissimum esse textum *in l. Si quis Titio 17. §. final. ff. de legat. 2.* ubi si decem uni ex libertis legarentur, nec constet, cui certo legata fuerint, inter omnes distribuuntur. Quod idem dicitur, quando posthumo legaretur, & plures nascantur, uti subdit ipse *loc. citat.* Gomez *tit.1. var. cap.19. num. 19.* & Cancerius *3. part. capit. 20. num.285.* Et similiter observatur, si centum pro præmio assignentur primo ingredienti arcem obsessam, nam si plures simul ingrediantur, centum inter eo distribuuntur; Alciatus
126 *lib.9. Parerg. cap.10.* Amostaz *loc.cit.* & alii. Multi alii autem tenent, in tali casu electionem competere Executoribus Testamenti, seu arbitrio Episcopi, *arg. capit. Quoniam 13. verf. Alioquin, de decimis*, uti habetur, quod si res fuerit utrinque dubia, ita ut nulla conjectura comprehendi valeat, ad quam Parochiam Novalia pertineant, tunc in arbitrio Episcopi erit decimas, cui Ecclesiæ maluerit, deputare; & sic aptari in proposito locus erit gratificationi; *arg. cap. 1. verf. Quod si forte, de Paroch.* Sic Gamma *decis.185.* Lara *de Anniverf. lib.6. cap.10. num. 97.* & plurimis citatis Barbosa *lib.3. Juris Ecclesiastic. universf. cit. cap. 27. num.93.* ubi
127 ex ipsis dicit hanc esse communem, & veriorem. Quæ sententia est præsertim tenenda; quando legatum est individuum, nec admittit separationem, ut si Testator jusserit construi Capellam in Ecclesia Parochiali; Tunc enim ex quo Testator legaverit rem individuam, nec possit impleri ejus voluntas, quin uni Parochiali concedatur, in dubio erit electio Executorum, seu Episcopi: Rubeus *practic. cap.79. num.428.* Amostaz *loc.cit. num.20.* Sanchez *in consil. moral. part.2. lib.2. cap.2. dub.8. num.6.* Vasquez *in opuscul. de Testament. cap.8. §.5. dub.1. num.98.* & alii.

128 Si vero multæ sint Ecclesiæ sub eodem expresso nomine Sanctæ Mariæ, & nullo modo appareat quam Testator elegerit, tunc legatum dandum est Ecclesiæ pauperiori sub dicto nomine, textu expresso *in Authentic. de Eccl.tit.c. Si quis autem*, ibi: *Si quis autem unum Sanctorum hæredem scripserit, aut legatum ei reliquerit, & non specialiter nominaverit locum, in quo est venerabilis Domus; inveniantur autem in eodem loco, aut Civitate plura Oratoria ejusdem Sancti, illi magis domui, quæ pauperior est, præbeatur*, & sic tenent Tiraquell. *privil.56. ad medium.* Gomez *variar. tom.2. cap.11. num.8.* Molina *loc.cit. disp.177.* Layman *lib.3. tract.5. cap.11. n. 8. verf. Deinde statuitur*, & pluribus citatis Barbosa *lib.3. Juris Eccles. cap.27. num.92.* Tunc enim censetur Testator voluisse legare illi Ecclesiæ, respectu cujus sic legando majus opus charitatis exercet, & plus suæ animæ consulit; *arg. capit. Animæ Defunctorum, capit. Prohibentibus, cum multis ibidem 13. quæst.2. cap.ultim. de Sepulturis, cap. In litteris, de raptorib.* legando autem Ecclesiæ pauperiori majus opus charitatis exercet, & plus consulit animæ suæ, ut de se patet, adeoque &c.

129 Si Ecclesia nominata non reperiatur in Civitate Testatoris, bene vero in ejus Diœcesi, seu Territorio, tunc illi debetur legatum; *Communis* textu expresso *in cit. Authentic. de Eccles. tit. cap. Si quis autem*, ibi: *Si autem non est in Civitate Basilica nominati Sancti, inveniatur autem in Territorio ejus,*
130 *illi detur*. Si autem Ecclesia nominata non reperiatur, nec in Civitate, neque in ejus Territorio, seu Diœcesi, tunc legatum debetur Ecclesiæ Parochiali Testatoris; *Communis*, textu expresso *in cit. Authent. de Ecclesiast. tit. capit. Si quis autem*, ibi; *Si autem neque in Territorio ejus reperitur ejusmodi domus, tunc Ecclesiæ Civitatis* (sive Parochiæ) *in qua Testator domicilium habuerit, præbeatur.*

Legatum relictum v. gr. Titio, si duo sint Titii æquali 131
charitate, & amicitia cum Testatore conjuncti, nec discerni possit, quinam ex ipsis fuerit a Testatore electus, quamvis de Jure Civili corruat, & sit pro invalido habendum, *l. Si fuerit, leg. Si quis pluribus, ff. de rebus dubiis, l. Si duo sunt Titii; ff. de testam. tutel.*: In foro tamen conscientiæ tenetur hæres, seu Executor illud inter eos, dividere æqualiter, si in id consentiant, sic enim exigit æquitas naturalis; Molina *tom.1. disp.197. num.1. & 2.* Diana *part.3. tract. 5. resol.58.* Trullench *tom.2. lib.7. cap.18. d.1. num.23.* Busemb. *lib.3. part.2. cap.4. dub. 4.* & la Croix *ibid. sub num. 1129.* & alii.

Legatum relictum determinato pauperi, hic si moriatur 132
ante solutionem, hæres tenetur dare illud alteri pauperi; quia adhuc durat causa legati, scilicet pietas, & suffragium animæ Testatoris, cum tale legatum pium præsumatur factum causa pietatis, & in beneficium animæ ipsius Testatoris, & sic designatio pauperis facta demonstrative, & non taxative. Aliter tamen esset dicendum, si legatum fuisset relictum in solum commodum, & bonum talis determinatæ personæ, quia tunc causa legati esset affectus, qui cessat cessante persona, cujus specialem affectionem fuit relictum legatum; la Croix cum Busemb. *lib.3. part.2. cap.4. dub.4. sub n. 1129.* Felix Potest. *tom.1. part.2. num.2567.* & alii passim.

Repudiatio legati Ecclesiæ facti est illicita, & peccami- 133
nosa, si fiat absque justa causa, & sine debitis solemnitatibus, seu sine beneplacito Apostolico; & in tali casu tenetur Prælatus ad satisfaciendum Ecclesiæ; si habeat proprium, unde satisfaciat; *Communis*, teste Reiffenstuel *lib. 3. Decret. tit.10. num. 53.* Et ratio est, quia Prælatus vi officii sui, adeoque ex obligatione virtutis Justitiæ tenetur procurare commodum, & utilitatem Ecclesiæ sibi commisse, eidemque acquirere in quantum potest; *cap. Quicumque 2. caus.12. quæst.4. juncta Glossa verf. Aut neglectum* Prælatus autem repudiando legatum factum Ecclesiæ non procurat ipsius Ecclesiæ utilitatem, nam non acquirere est insidiari, *lib.1. Confertur, ff. de collat. bonor.* ubi præcise habetur; *Certum si idegerit, ne quid acquireret, hic etiam sibi insidiatus est.* Unde consequens est, quod Prælatus ille, qui sine justa causa, & debitis solemnitatibus repudiavit legatum Ecclesiæ relictum, non solum illicite egerit, atque peccaverit, sed etiam compelli possit, ut de suo, si proprium habeat, satisfaciat Ecclesiæ, cum ipsam injuste damnificaverit; Glossa *in cap. Illud statuendum 8. §. Si ergo caus. 16. quæst.6. verb. Meliorem*, Abbas *in cap. Tua Nos nuper num.9. De bis, quæ fiunt a Prælatis*, istud probans exemplo Tutoris, qui si potuit acquirere pupillo, & non acquisivit, tenetur de suo refundere; *leg. Quisquid, Cod. Arbitrium tutelæ.* Et sic Doctores passim; *Vid. verb. Alienatio art. 4. num.6. ad 10.* Imo quando Prælatus absque justa causa repudiavit legatum Ecclesiæ relictum, potest Ecclesia exinde graviter læsa petere beneficium restitutionis in integrum; *Communis, arg. cap. Requisivit 1. & cap. Cum venissent 2. de in integrum restitutione.* 134

Legata ad causas pias valent etiamsi Testamentum ad cau- 135
sam profanam factum ob defectum solemnitatis Civilis corruat; dummodo tamen constet de voluntate Testatoris, v. gr. si scripserit, aut subscripserit, si hæres agnoscat ejus manum, aut ab eo immediate audierit, & hujusmodi; *Communis*. In relictis enim ad cautam piam Jus Civile non attenditur; 136
arg. cap. Relatum 11. de testamentis; adeoque etsi defectu solemnitatis civilis Testamentum non valeat quoad profana, valet tamen quoad legata pia in eo contenta. Imo valent etiam Legata profana contenta in Testamento absque solemnitate Civili condito; *arg. cap. Accessorium 42. de Regul. Juris in 6.* ubi expresse dicitur, *quod Accessorium naturam sequi congruit principalis*: adeoque si Testamentum tamquam principale valet, *ex cap. Relatum 11. de Testament.* etiam legata quamvis profana utpote quid *Accessorium valebunt*. Hinc *Authentic. Quod sine, Cod. de Testament.* in Testamento Patris inter liberos sine solemnitate ordinaria facto, valent etiam legata extraneis relicta, sic Covarruv. *de Testament. cap.11. num.2.* Pirhing *lib.3. Decret. tit. 26. num. 22.* Reiffenstuel *ibid. num.161.* Engel. *ibid. numer.19.* Tiraquell. *privileg.80.* Molina *disp.134.* Layman *lib.3. tract.3. cap.2. n.10.* Julius Clarus §. *Testamentum q.6. num 9.* citans communem.

Falcidia, & Trebellianica non detrahitur a Legatis ad pias 137
causas: *Authentic. similiter, Cod. ad Leg.* Barbosa *l.3. Juris Ecclesiast. cap.27. n.84.* cum communi aliorum.

Pars autem Falcidiæ, quæ non potest detrahi a Legatis 138
profa-

piis, non est oneranda Legatis profanis, itaut heres integram Falcidiam percipiat, sed solum a Legatis profanis est detrahenda pars illa Falcidiæ, quæ ipsis pro rata competit, cum ad eam tantum sint obligata; Falcidia enim pro rata de quolibet Legato detrahitur; *l. Hæreditatem 68. §. final. l. In quantitate 73. §. fin. ff. ad l. Falcid.* Unde in tali casu integra Falcidia non deducitur, sed tantum rata de aliis Legatis profanis. Mantica *lib.9. conject. tit.3. n.24. & 25.* Amostaz *lib.1*
139 *de caussis piis c. 11 n. 34.* Falcidia non detrahitur ex Legatis relictis Ecclesiæ. *Communis* cum Card. Petra *t.2. comment.*
140 *ad Const. X. Innocent. III. n.75*, Neque detrahi potest Falcidia ex iis, quæ relinquuntur Confraternitatibus, sive cum Episcopi auctoritate, sive absque ea institutis. Bassi *tract. de sodalitiis, seu Confraternitatibus q.16. n.1* cum multis citatis, Barbosa *l.2. Juris Eccles. univ. cap.22. n.92.* ubi testatur de
141 communi. Falcidia nullimode detrahitur a Legatis cum onere Missarum, vel pro exoneratione conscientiæ relictis, quia certo supponitur Testatorem prævoluisse, & prædelexisse tale onus in suffragium suæ Animæ. Card. Petra *l. cit. n. 84.*
142 & 85. Vide verb. *Falcidia n. 24.* An autem Falcidia sit detrahenda ex Legatis piis, quando pia causa, seu Ecclesia est instituta heres? *Vid. d. verb. Falcidia a num.20. ad 23.*

143 Papa potest valide, & licite ex rationabili, & justa causa commutare Legata pia. *Communissima apud omnes*; *arg. Clement. Quia contingit 2. de Religiosis domib.* ibi: *Salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate*; & conflat ex Tridentino
144 *de reform. sess. 22. cap. 6. & sess. 25. c. 4.* An autem Papa etiam sine rationabili, & justa causa possit commutare Legata pia? variant Doctores: Multi enim tenent, & defendunt partem affirmativam, quia dicunt, Testatores quoties aliquod pium legatum relinquunt, id faciunt sub tacita conditione, si Papa aliter non disposuerit; *arg. cit. Clemen. Quia contingit*, ibi: *Salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate*; adeoque Papa etiam absque causa pro sua voluntate, & libertate poterit commutare ultimas pias voluntates, seu legata pia. Tum quia hac tacita conditione existente, quando fit legati commutatio non agit Papa contra voluntatem Testatoris, sed secundum ipsam, adeoque non erit necessaria ulla causa ad talem commutationem. Covarruv. *l.3. variar. c.6 n.7.* Marta *de jurisd. p.4 caus.74 n.5.* Sarmiento *select. l.1. c.8 n.21.* Felix Potest. *t.1 p.2 n. 2580.* Silvester, Armilla, & alii apud Sanch. *consil. l.4 c.1 dub. 1 n. 1.*

145 Plurimi autem alii sustinent negativam partem; quia dicunt ipsi, de Jure naturæ est observare, & ad unguem adimplere ultimas voluntates, & quamvis Papa sit administrator caussarum piarum, nequit tamen absque causa eas commutare, cum alias rectus administrator non esset, Sanchez *l. cit. dub.1. n. 4.* Wadingus *de contract. disp.4. dub.13. §.6. n.3.* Diana *par.8. tract.1. resol.63. in princ.* Carpio *de execut. testam. l.3. c.4. n.5.* Molina *de justitia tract.2. disp.249. n.4.* Lugo *eod. tract. disp.24 n.512.* Moneta *de commut. ultim. volunt. c. 6. n.29.* Jul. Cappon. *t.2. discept.103. n. 17.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. p.3. alleg.83. n.1.* cum plurimis ibi citatis; ubi dicit quod in Concilio Tridentino *sess. 22. de reform. c.6.* statuitur, hujusmodi commutationes neque ab Apostolica Sede fieri debere, nisi ex justa, & necessaria causa, & ex Molina *loc. cit. n. 9.* subdit ab ipso Concilio Tridentino *l. cit. sancitum esse, ut quando commutationes aliquæ a Sede Apostolica fuerint obtentæ, Episcopi tamquam Legati Sedis Apostolicæ summarie, & extrajudicialiter cognoscant, nihil precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur*; sunt verba
146 Concilii. Et revera si ex tali commutatione lædatur jus tertii, nequit Pontifex sine causa id facere; *l. Si quando 35. Cod. de inoffic. testam.* nec id tolet a Principe fieri: *l. Rescripta 7. Cod. de precib. Imperat. offic. l. fin. Cod. Si contra jus, vel utilit. publ.* Alterum enim non lædere est præceptum juris naturæ; *§. Juris præcepta, instit. de justit. l. Justitia 10. ff. eod. tit. lib.2. tit.1. p.3.* adeoque quoties fuerit damnum tertii, erit pro tali commutatione semper necessaria rationabilis causa, ne Jus naturale a Papa lædi, & impugnari videatur, quin potius commutatio illa per mutationem materiæ reducatur ad Jus naturale. Moneta *de commut. ultim. volunt. c. 11. n. 29. & q.7. n.7.* Peregrin. *de Fideicom. art.12. n.125.* Haibanus *de interesse lib.1. q.2. n.12. & 42.* Amostaz *lib.1. de caussis piis cap.14. n.8.* Spino *de Testam. p.1. rub. n. 20.* ubi dicit, quod causa non quælibet, sed publica requiritur, alias commutatio minime sustinebitur.

147 Quando Legatum non potest de jure, aut de facto imple-

ri in propria specie, seu usu resignato a Testatore, potest Episcopus de consensu hæredis, aut executoris deputati commutare *illud in alium pium usum*. *Communis*; *arg. cap. Nos quidem 3. de testam. & l. legatum, 16. ff. de usu, & usufruct.* Immo Episcopus de consensu heredis, aut execu- 148
toris ex justa causa, aut ex necessitate potest commutare legatum etiam quando potest de jure, & de facto impleri: Barb. *de offic. & potest. Episc. p.3. alleg.83. n.5. & lib.3. Juris universf. c.27. n.5.* Valquez *in opusc. de testam. c. 8. §. 5. dub.3.* Diana *p.8. tract. 3. resol.6. Moneta loc. cit. cap.5. numer.322.* Sanchez *l. cit. dub.2. n.3.* Tondutus *tom.1. cap.112. n.6.* Felix Potest. *tom.1. p.1. n.2584.* Amostax *l. cit. n.16. &* 149
19. Rota *lib.2. diverf. dec. 1123. p. 3. &* alii plures. Non potest tamen Episcopus tale Legatum commutare nequidem in melius, etiam de consensu heredis, aut executoris sine justa, & necessaria causa; *arg. Concil. Trid. cit. sess.22. de reform. c.6.* ibi: *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ nonnisi ex justa, & necessaria causa fieri debent, & Clementin. Quia contingit 2. de Religiosis domib.* ubi expresse statuitur, *quod ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate (converti*, & concordat *cap. Ultima voluntas 4. caus.13. q. 2. & cap. Nos quidem 3. de test.* cum similibus. Sic Barbosa *cit. alleg.83. n.2.* cum pluribus aliis ibi citatis. Amostaz *l. c. n. 19.* La Croix *lib.4. n. 845.* contra varios alios apud Barbosa *l.c. n.2.* volentes, posse Episcopum legatum commutare in æquale, aut in melius, etiam sine justa, & necessaria causa.

Patriarchæ, Primates, & Archiepiscopi ex justa, & ne- 150
cessaria causa possunt similiter commutare legata suorum subditorum, non tamen si fuerint Suffraganeorum, cum in subditis Suffraganeorum non habeant jurisdictionem; *cap.1. de officio legati, cap. Duo simul 9. de offic. Ordinarii*. Nisi causa per appellationem ad eos perveniat. Moneta *de commutat. ultim. volunt. c.5. n.286.* Amostaz *l.c. n.20.* & alii passim. Cardinales in eorum Titulis possunt commutare legata, & 151
ultimas voluntates in illis casibus, quibus possunt Episcopi respectu suorum subditorum, quia de Jure habent in suis titulis jurisdictionem Episcopalem. Moneta *l. c. cap.5. q.13. conclus.1. n.452.* Diana *p.5. tract. 2. de potest. & privileg. S.R.E. Card. resol.57.* Barbosa *cit. alleg. 83. n.5. in fine*, & alii passim.

Vicarius Capitularis, sede vacante, potest commutare 152
legata in iis casibus, in quibus potest Episcopus, quia jurisdictio ordinaria competens Episcopo Sede vacante transfertur in Capitulum, seu Vicarium Capitularem ipsum Capitulum repræsentantem; *c. Cum olim.14. de major. & obed. cap.1. in eod. tit. in 6.* Sic Moneta *loc.cit. cap.5. n.427.* Barbosa *cit. alleg.83. n.16. verf. Capitulum*, Diana *p.8. tract.4. resol.34.* Amostaz *l. c. n.25.* & alii passim.

Vicarius Generalis Episcopi, quando ipse Episcopus com- 153
mode haberi valet, non potest commutare legata, & ultimas voluntates; quia similes commutationes sunt de gravioribus, & quæ habent gravissimam difficultatem; adeoque nec censentur concessæ, nisi specialiter demandentur. Tum etiam quia commutatio involvit Juris dispensationem, & legis derogationem, quæ non committitur, nisi specialiter, & expresse, Sic Abbas *in cap. Cum Dilecti, de election. num. 10.* Cappon. *tom. 2. disceptat. 103. n. 11.* adeoque Vicarius nequit facere similes commutationes, nisi id ei specialiter & expresse committatur. Barbosa *cit. alleg.83. n.60. in fine.* Cappon. *l.c. n.11.* Moneta *l.c. cap.5. n.484.* Amostaz *l. cit. n.21.* & alii. Dicitur autem notanter, *quando ipse Episcopus* 154
commode haberi valet; nam si extra Diœcesim, & in remotis esset, ubi commode adiri non posset, tunc Vicarius Generalis ex justa, & necessaria causa posset commutare legata, & pias ultimas voluntates; cum in tali casu possit etiam difficiliora expedire, ut concedere Dimissorias ad Ordines; *cap. Cum nullus, de tempore Ordin. in 6.* Et Vicarius Archiepiscopi in tali casu Suffraganeos Censuris compescit, *cap.1. de offic. Ordinem in 6.* Sic Moneta *loco citat. numer. 22.* & alii.

Visitatores etiam absque speciali mandato nequeunt com- 155
mutare Legata, & ultimas pias voluntates propter rationem adductam de Vicario Generali; Moneta *loco cit. cap.5. n.486.* Amostaz *loc. cit. n.31.* & alii.

Abbates, aliique similes Prælati habentes proprium Ter- 156
ritorium, & Jurisdictionem quasi Episcopalem, possunt ex justa, & necessaria causa commutare Legata, & ultimas vo-

luntates suorum subditorum ; habent enim quoad hoc Jurisdictionem ordinariam in suo Territorio, adeoque &c. Moneta *loco citat. num.* 454. Barbosa *cit. allegat.* 83. *num.* 16. & alii .

157 Justæ causæ talium commutationum quatuor in genere referuntur a Moneta *loco cit. cap. 6. num.* 83. Cappon. *loco citat. disceptat.* 103. *num.* 18. & Amostaz. *loco cit. num.* 32. Scilicet causa necessitatis, utilitatis, pietatis, incommoditatis, aut majoris commoditatis. In specie autem plures referuntur a Barbosa *cit. allegat.* 83. *a num.* 7. & in Concil. Trident.
158 *sess.* 22. *de reformat. cap. 6. a num.* 6. & ab aliis. Prima igitur est, si pecunia Legata ad usum designatum non sufficiat, tunc enim in alium pium usum ab Episcopo converti potest; Barbosa *in Concil. Trident. loco cit. num.* 3., *& d. allegat.* 83.
159 *num.* 7. cum pluribus ibi citatis. Secunda si res Legata non possit pro usu destinato adimpleri impedimento juris, vel facti, quia tunc potest Episcopus commutare quæcumque Legata pia in alios pios usus; Barbosa *in cit. sess.* 22. *cap. 6. num.* 4. *& cit. allegat.* 83. *num.* 81. cum pluribus aliis ibi citatis. Tertia si Ecclesia seu Monasterium non possit construi,
160 ubi designavit Testator, quia tunc potest Episcopus concedere, ut alibi construatur; Barbosa *in cit. sess.* 22. *cap. 6. num.* 5. *& cit. allegat.* 83. *num.* 10. & plures alii ibi citati. Quarta si Legatum sit factum ad unum usum, non ita necessarium, ut si esset factum ad pingendam Ecclesiam, quæ minatur ruinam; tunc enim posset Episcopus pecuniam ad talem picturam destinatam in alium pium usum magis eidem Ecclesiæ necessarium commutare; Barbosa *in cit. sess.* 22. *cap. 6. num.* 6. *& cit. allegat.* 83. *num.* 12. cum pluribus aliis
161 ibi citatis. Quinta si urgeat aliunde necessitas commutandi ultimas defunctorum voluntates, neque adiri possit Summus Pontifex: tunc enim potest Episcopus illas commutare. Barbosa *in cit. sess.* 22. *cap. 6. num.* 9. *& cit. allegat.* 83.
162 *sub num.* 16. Moneta *loc. cit. cap.* 5. *num.* 348. Sexta si adsit necessitas gravis sublevandi Rempublicam; tunc enim potest Episcopus commutare Legata in ejus sublevamen; La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *num.* 1150. *& communis aliorum*. Quinimmo volunt multi, quod in tali casu ad sublevandam gravem necessitatem Reipublicæ, possint Legata commutare iidemmet executores sine facultate Episcopi; quamvis tamen non expediat, sed debeat expectari declaratio Episcopi, an necessitas Reipublicæ vere sit gravis, aliter possent
163 intervenire multi errores, abusus, & scandala. Septima si Ecclesia indigeat sacris vestibus, aut earum reparatione, tunc poterit Episcopus de consensu hæredis pro una vice tantum commutare, seu convertere Legatum relictum alicui Capellæ, seu Ecclesiæ pro Missis celebrandis, in paramentorum, seu sacrarum vestium emptione, vel reparatione; Barbosa *cit. allegat.* 83. *num.* 14. *cum aliis ibi citatis*, Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 2586. Amostaz *loco cit. num.* 37. ubi ex Riccio refert ita decisum fuisse.
165 Legatum tamen magnæ quantitatis Missarum una vice celebrandarum commutari, seu converti non potest in erectionem Capellaniæ perpetuæ; *Sacr. Congr. Concil. in Bononien. Legati Missarum* 7. *Decembr.* 1697. 9. *Augusti* 1698., *& 4. Septemb.* 1702. apud Ursayam *in Miscellaneo Sacro*,
166 *& Profano part.* 1. *litt. L. num.* 45. Legata pro celebratione Missarum nunquam patiuntur diminutionem; *Sacra Rota Romana Reddititionis Rationis* 20. *Januarii* 1708. §. *Etenim, coram Cafarell.*
167 Legatum relictum Capitulo pro Anniversario quotannis celebrando, debet applicari Mensæ Capitulari pro satisfaciendo in perpetuum tali Anniversario, & nullimode potest dividi inter Capitulares; Navarrus *lib.* 3. *de Testamentis consil.* 4. *num.* 2. *cum sequentibus*, & alii communiter. Et ratio est, quia mens, & voluntas disponentis est in primis servanda: *leg. In conditionibus* 19. *ff. de conditionibus*, *& demonstrationib. cap. Cum olim* 38. *de præbend. cap. Ultima voluntas quæst.* 4. *caus.* 13. *quæst.* 2. cum similibus. Mens autem, & voluntas dicti legantis, est ut Capitulum obligetur ad faciendum perpetuo singulis annis in suffragium suæ animæ unum Anniversarium, quod non posset fieri, si legatum ad id relictum divideretur inter præsentes Capitulares, cum successores Capitulares, in quibus conservabitur Capitulum, non essent habituri commodum, propter quod tenerentur ad onus illius perpetui Anniversarii: *Qui enim sentit onus, sentire debet commodum*, *& e contra*; textu expresso *in cap. Qui sentit* 55. *de Regul. jur. in 6.*, *& leg. Secundum naturam* 10. *ff. eodem*; adeoque tale legatum non potest dividi inter præsentes Capitulares, sed converti debet in bonis fructiferis, quæ reddant commodum futuris successoribus Capitularibus sensuris onus dicti perpetui Anniversarii.

Item legatum relictum Capitulo, etiam sine expresso 168
onere, censendum est esse relictum Mensæ Capitulari, & non Canonicis uti singulis, nisi aliud ex conjecturis de mente Testatoris colligatur. Et ratio est, quia mens Testatoris, quæ ex adductis juribus numero antecedenti semper est servanda, videtur in tali dirigi in Capitulum, prout est Communitas, quæ semper remanet eadem Communitas Capitularis, sive contempletur ut constituta ex Capitularibus præsentibus, sive ex successoribus, & futuris; adeoque tenendum est, tale legatum esse relictum Capitulo Canonicatum, ut Collegio, & non Canonicis uti singulis, sicque non posse divisi inter præsentes Capitulares, sed totum debere applicari Mensæ Capitulari ad commodum etiam futurorum Capitularium; Sic colligitur *ex leg. Pater filium* 38. §. 6. *ff. de Legatis* 3. & tenent, ac a fortiori tenere debent Covarruvias *in cap. Requisiti* 15. *n. ultim. de Testamentis*, Genuens. *in prax. Neapolit. cap.* 72. *num.* 7. Gratian. discept. *tom.* 3. *cap.* 533. *n.* 16. Thoro *in Summa privileg.* 176. *ad med.* Cevallos *Commun. quæst.* 278. *ad med.* Amostaz *lib.* 4. *de causis piis in specie cap.* 1. *num.* 70. *& 71.* & omnes alii citandi in numero sequenti.

Item legatum relictum Canonicis indefinite, censendum 169
est esse relictum Capitulo, seu Collegio Canonicorum, & non Canonicis uti singulis, adeout debeat applicari Mensæ Capitulari ad commodum etiam futurorum Canonicorum, & non possit dividi inter præsentes Canonicos, nisi ex conjecturis aliud de mente Testatoris colligi possit; Sic, ex *leg. Pater filium* 38. §. 6. *ff. de Legatis* 3. *& leg. Civilibus* 2. *ff. de rebus dubiis*, tenent ultra cit. Doctores *num. antecedenti*, etiam Card. *in cap. Requisiti* 15. *de Testam.* ibique Imola *n.* 30. Didac. *sub num.* 10. Mantica *de conjecturis ult. volunt. lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 22. *& 24. ad fin.* Riga *in cap. Cum M. Ferrariensis num.* 11. *de Constit.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 113. *num.* 6. Cassan. *consil.* 44. *num.* 20. Valenzuela *consil.* 190. *num.* 39. Valquez *in opuscul. de Testam. cap.* 8. §. 5. *dub.* 2. *num.* 100. Panimol. *part.* 2. *decis.* 98. *num.* 8. *& 9.* Ventriglia *tom.* 2. *de Legatis piis annotat.* 28. §. 1. *num.* 42. Barbosa *de Canonicis cap.* 42. *num.* 26. *vers. Cum sit mentio*, & alii plures. Et ratio est, quia verbum *Canonicis* indefinite prolatum Capitulum & Collegium eorum designat; *cap. Cum omnes* 6. *& cap. Cum accessissent* 8. *de Constitut.* Atque ita cum tale Legatum sit relictum Canonicis, censendum est potius a Testatore sub nomine collectivo contemplatum Collegium, seu Capitulum, quam Canonici uti singuli; Nisi, ut dictum fuit, aliud ex conjecturis de mente Testatoris colligatur ut si adessent conjecturæ demonstrantes, quod Canonici a Testatore fuerint contemplati uti singuli, puta si Canonici fuerint benemeriti *illius*, quia ipsum Testatorem a *gravi* malo, seu periculo liberaverint, aut aliter speciales ejus benefactores, seu amici, aut ejus consanguinei exciterint; *leg. Nec abjecit* 9. *ff. Pro socio*; Vel quod Legatum non possit convenire ipsi Collegio, sed singulis; quo quidem casu uti singulis relictum fuisse legatum esset censendum, ut recte docent Card. Mantica *de Conjectur. ultim. voluntat. lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 24. Genuens. *in praxi quæst.* 399. *num.* 2. *ad fin.* Gratian. *cit. cap.* 523. *num.* 19. Amostaz *loc. cit. num.* 71. Ventriglia *loc. cit. num.* 43. Barbosa *loc. cit. num.* 26., & alii supracitati dicentes, Doctores volentes dictum legatum censendum esse relictum Canonicis uti singulis, intelligendos esse in solo casu, quo interveniant dictæ, aut similes conjecturæ demonstrantes talem fuisse mentem Testatoris; Secus autem si nulla adsit talis conjectura, quia tunc censetur relictum Collegio, seu Capitulo, & non Canonicis uti singulis; cum rationabiliter credendum sit in favorem suæ animæ potius voluisse suam perpetuare memoriam, apud omnes futuros Canonicos, seu Capitulares, qui fruentes in perpetuum redditu sui legati, perpetuo memores beneficii, perpetuo pro Benefactore preces effunderent, quam in ictu oculi ipsam suam memoriam extinguere in solis tempore sui testamenti, & decessus existentibus Canonicis, sine ulla spe futuri suffragii. Unde cum in ambiguis inspicienda sit causa Legati; *leg. Uxori suæ* 33. *in princip. de Legat.* 3. merito propter dictam causam censendum est fuisse relictum tale legatum Collegio Capitulari, & Mensæ Capituli, non autem singulis de Capitulo, ut teste Ventriglia *loc. cit. num.* 43. omnes advertunt supra allegati Doctores. Qui

170 Qui *ibid. num.* 45. subjungit, advertendum esse, quod si fuerit relictum Canonicis legatum magnæ, & notabilis quantitatis pecuniæ pro Missis celebrandis, non solsunt Canonici post mortem Testatoris dividere inter se pecuniam, & celebrare Missas juxta eleemosynas solitas secundum morem Provinciæ dari pro celebratione Missarum, sed tenentur magnam illam pecuniæ quantitatem convertere in annuos redditus, & in perpetuum celebrare Missas juxta annuos redditus; quia talis certe præsumitur fuisse mens Testatoris, qui sic voluerit consulere suæ perpetuæ memoriæ, & perpetuis suffragiis pro se, & suis; Et sic revera esse censendum, nisi aliud ex conjecturis colligatur, vel nisi pecunia legata fuerit modica, tenent etiam Genuens. *in praxi cap.* 71. *num. ultim. in annotat. & practic. Eccles. quæst.* 41. *num.* 3., Maranta *part.* 1. *controv. resp.* 29. *per tot.* & alii.

171 Legatum relictum Ecclesiæ debetur totum illi; nec Episcopus, nec Rector illius potest aliquid prætendere: Nec si sit relictum Ecclesiæ Cathedrali, vel Collegiatæ, possunt Canonici aliquid de illo accipere: *cap. Requisisti* 15. *de Testament. Authent. seu Novella* 129. *de Eccles. titulis tit.* 14. *cap.* 13. Et ratio clara est, quia in tali casu legatum factum esse censetur solum contemplatione Ecclesiæ, & non contemplatione Episcopi, Rectoris, seu Canonicorum, adeoque non istis, sed soli Ecclesiæ debetur, ut multis decisionibus probat Rub. *practic. quæst.* 70. *a num.* 1. & sequitur Amostaz. *loc. cit. num.* 58. & alii passim.

172 Si legatum relictum sit Episcopo, seu Rectori alicujus Ecclesiæ, ad cognoscendum cui debeatur, attendendæ sunt conjecturæ. Vel enim legatum relictum est ab extraneo nulla præcedente amicitia, seu benemerentia Episcopi, aut Rectoris: & tunc legatum non debetur Episcopo, nec Rectori, sed Ecclesiæ, cum intuitu ipsius censeatur relictum a Testatore in favorem suæ animæ, utpote sic magis favorabile: & licet sit relictum Episcopo, seu Rectori Ecclesiæ cum expressione proprii nominis Episcopi, seu Rectoris, intelligitur tamquam administratoribus illius, non vero ut talibus personis: Vel legatum relictum est a consanguineo, propinquo, amico, familiari, beneficato, & hujusmodi: & tunc legatum debetur, non Ecclesiæ, sed Episcopo, seu Rectori: cum censeatur relictum solum intuitu personæ, non obstante quod expressum sit nomen dignitatis. Id tamen totum intelligendum est in utroque casu, *Nisi ex qualitate rei legatæ aliud colligatur*: Nam licet legatum relictum Episcopo, seu Rectori a consanguineo censeatur relictum intuitu personæ, & consequenter debeatur Episcopo, seu Rectori, & non Ecclesiæ; tamen si qualitas rei legatæ aliud demonstret, puta si legatæ sint vestes Ecclesiasticæ, Calix, Patena, Lampas, & hujusmodi, tunc legatum debetur Ecclesiæ; quia cum qualitas rei legatæ potius conveniat Ecclesiæ, quam personæ, sic legatum censetur potius relictum Ecclesiæ, quam personæ. Similiter e contra quamvis legatum relictum ab extraneo censeatur relictum intuitu Ecclesiæ, & consequenter ipsi Ecclesiæ debeatur, & non Episcopo, nec Rectori; tamen hoc non habet locum, quando ex qualitate rei legatæ aliud colligi potest; ut quando Testator legavit Episcopo, seu Rectori, Falconem, Canem, hujusmodi; *cap. Requisisti* 15. *de Testamentis*, & ibi Doctores passim, Mantica *de conjecturis ultim. voluntat. lib.* 6. *tit.* 12. *n.* 4. Surdus *de alimentis lib.* 1. *cap.* 1. *& tit.* 5. *quæst.* 6. *n.* 9. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 112. Soccin. sen. *in leg. Civibus* 2. *de rebus dub.* Ruin. *Consil.* 202. *n.* 13. *l.* 2. Amostaz. *loc. cit. n.* 61. Panimoll. *part.* 2. *dec.* 98. *n.* 21. *&* 22. Ventriglia *loc. cit. n.* 42. & alii fere communiter.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 FRequenter in Foro de eo disputari solet, utrum legatum demonstrative, an taxative relictum sit, idque ob diversos juris effectus; nam legato demonstrative relicto, deteriorata, vel perempta re, legata supplere tenetur hæres, non item eodem legato relicto taxative.

2 Regula qua Doctores in hac quæstione uti solent hæc est, ut scilicet legatum relictum intelligatur demonstrative, quoties dispositio incipit ab onere operis per Taltatorem demandati, subindeque progreditur ad expressionem rei, sive pe-
3 cuniæ in eam causam erogandæ. Maxime si opus demandatum, & expressio bonorum non stent sub unico verborum
4 contextu, sed in diversa separataque oratione legantur. Quinimo creditur satis esse rem quoquo modo esse dubiam, ut legatum maxime pium non taxative, sed demonstrative relictum censeatur. Vide Auctores relatos *a Clar. Mem. Cardinal. Lanfredin. in Respon. Eccles.* 42. *n.* 2. *& plur. sequent.*

Rectius vero mox laudatus *Auctor*, *Præmisse regulæ* (ait) 5
tum de inchoatione dispositionis ab onere, tum de diversitate orationis non sunt, nisi quædam argumenta ex communiter accedentibus deprompta in linea conjecturali, scilicet quia dum Testator primo loco, ac per orationem absolutam expressit, præceptum operis perficiendi, de omnimodo illius adimplemento principaliter sollicitus fuisse videtur, & opportunioribus quibusque mediis illius finis consequutionem exoptasse, nec propterea illud subordinare voluisse reputatur incerto eventui peremptionis, vel insufficientiæ particularium illorum bonorum expresse designatorum. Quamobrem non est præclusus aditus tutiori investigat. diversæ voluntatis Defuncti, quæ si ex aliis argumentis, & conjecturis appareat fuisse, ut non aliunde, quam ex talibus bonis specialiter designatis legatum adimpleretur, utique hæc Defuncti voluntas sequenda est, spreto rigore litteræ, neglectoque ordine scripturæ fortasse exulantes ab inconsulto jurisque imperito Notario &c. Parvi enim refert, quis voluntatem disponentis sermo exceperit, aut quæ prius quæve posterius verba calamus scribentis effuderit, ubi ex non dubiis argumentis conficitur vera animi sententia, quam sequi necesse est, etiam recedendo a proprietate verborum, & supplendo scripturæ defectum.

Neque admittit, ipsum legatum pium in dubio censeri re- 6
lictum demonstrative.

Plura autem idem *Doctor* cumulat argumenta, ex quibus 7
non obstante inchoatione dispositionis ab onere, tum diversitate orationis, legatum non demonstrative, sed taxative relictum censetur. Præcipuum autem est, si non quantitas pecuniæ in genere, sed certa species sit legata. 8

Vide, & de hac quæstione, & quidem in utramque partem Rotam *in Romana Fundationis Monasterii* 21. *Junii* 1717. *cor. bon. mem. Cerro*, *in Romana Supplementi*, *& applicationis* 11. *Junii* 1731. *cor. clar. mem. Aldrovando*, *& in Novarien. Capellaniæ* 2. *Julii* 1736. *& 6. Maji* 1737. *cor. bon. mem. De Vais*, sed potissimum vide doctissimum *Avenanium Interpetration. Jur. lib.* 2. *cap.* 27. *per tot.* ubi materiam pro dignitate tractat, conciliatque textus omnes, qui inter se contrarii videntur. 9

LEGATUS.

LEgati ita dicuntur, quia ut publice mittantur, leguntur, deindeque legantur, seu ablegantur; Reiffenstuel *lib.* 1. *decretal. tit.* 30. *num.* 2. & alii. Legati aliter vocantur, & accipiuntur in Jure Civili, & aliter in Jure Canonico; *Communis*. Legati in Jure Civili sunt illi, qui mittuntur, & quibus mandat Proconsul Jurisdictionem; *l. Legatus ff. de Offic. Proconsulis*. Solent enim Proconsules ob rerum gerendarum multitudinem in Provincia legatos statuere, qui non propria, sed mandata jurisdictione utuntur, & hoc modo intelligitur, & accipitur legatus *in ff. & Cod. tit. de Officio Proconsul. & Legat.* & de his fit mentio *in cap. Legatos* 2. *de Offic. Legati in 6.* Alii vero legantur, seu mittuntur a Principibus laicis Summo Pontifici, vel ab eisdem Principibus inter se, ad referenda videlicet mandata suorum Principalium, sicque ad exercendum nudum ministerium absque alia jurisdictione; & vocantur *Oratores*, seu vulgo *Ambasciatori*. Legati in Jure Canonico sunt in triplici differentia, nempe legati a latere, legati Missi, seu Nuncii Apostolici, & legati nati: *Communis*, & colligitur *ex cap. Cum non ignoretis* 1. *cap. Excommunicatis* 9. *de officio Legati*, *& cap. Officii nostri* 1. *eod. in 6.* & Glossa *ibidem verb. Legati*. In ipso enim *cit. cap. Cum non ignoretis* fit mentio de legato nato, *in cit. cap. Excommunicatis* fit mentio de legato a latere, ac misso, *& in cit. cap. Officii nostri* fit mentio de omnibus tribus, scilicet tam de legatis a Papa missis, sive sint de latere, sive non, quam de legatis natis. 3

Legati a latere alii sunt ordinarii, & alii extraordinarii. 4
Legati a latere ordinarii sunt Cardinales illi, qui a Summo Pontifice mittuntur ad obeundum in aliqua Provincia legationis officium cum jurisdictione, seu potestate Ordinaria ad instar Presidum Provinciarum, ut sunt legati Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ &c. Et dicuntur *a Latere*, quia Cardinales ad latus Summi Pontificis assistunt, & sic dum mittuntur, quasi a latere extrahi videntur. Papa enim, & Cardinales unum corpus mysticum faciunt, cujus caput est Papa, & 5

membra, ejus sunt Cardinales; *arg. cap. Si quis cum militibus 22. caus. 6. q. 1.* ibi: *Nam & ipsi pars corporis nostri sunt*, ac propterea legati a latere nuncupantur *c. Decreto 11. caus. 2. q. 6.* ibi: *Ante legatos nostros ex latere missos, & c. Si quis Episcopus 30. ead. caus. & quæstione* ibi: *ut latere suo Presbyteros mittat*; Sic Cohell. *in notitia Card. cap. 16. privil. 16. in princip.* Tondet. *q. benefic. part. 3. c. 20.* Barbosa *libr. 1. Jur. Eccles. univers. c. 1. n. 3.* Card. Petra *t. 2. Comment. ad Constitut. 3. Alexand. III. sect. 1. n. 7.* & alii passim. Legati a
6 latere extraordinarii sunt illi, qui mittuntur occasione alicujus emergentis necessitatis Ecclesiæ universalis, ut ad Concilia convocanda, vel etiam apud Reges pro pace promovenda, sive pro Summi Pontificis paterno amore alicui Regi in ejus adventu testificando, vel alia simili gravi causa; *Communis*.
7 Et quamvis pluries a Summis Pontificibus pro similibus causis fuerint missi Episcopi, & alii non Cardinales; Nunc autem constans praxis obtinuit non mitti nisi Cardinales legati a latere, ut observat Eminentissimus Petra *l. c. n. 9.* Et
8 dato, quod contingat, ut contigit, mitti alios non Cardinales, non datur eis titulus legati a latere, sed missus nominatur Nuncius *cum potestate legati a latere*, quæ clausula de Stylo Curiæ Romanæ consuevit adjici mandatis legatorum, qui simbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo mandatum vivæ vocis oraculo receperunt, ut ex aliis notat Bar-
9 bosa *l. c. nu. 5.* Hinc solis Cardinalibus proprie competit nomen legati a latere; a quibus magis Pontificia auctoritas, & majestas repræsentatur; non autem Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatis in Curia Papæ existentibus, & ab illo missis; ut tradunt Glossa *in cit. c. Cum non ignoretis 1. de offic. legati, verb. legationis, & in cit. Cap. Excommunicatis 9. eod. tit. verb. Commissam*; Speculator *tit. de legat. §. Sequitur n. 1. & 2.* Boerius *de potest. legati a latere num. 12.* et plurimi alii cum Barbosa *l. c. n. 4.*

10 Legati missi, seu Nuncii Apostolici dicuntur, et sunt illi Prælati, non Cardinales, qui a Papa mittuntur ad alios Principes pro obeundo apud ipsos munere legationis; *Cap. Volentes 8. de officio legati*. Et tales sunt Nuncii Germaniæ, Franciæ, Hispaniæ etc. et olim Apocrisarii dicebantur Græco vocabulo, quasi Secretarii, ut *in cap. Septuaginta 12. dist. 26. & in cap. Significasti 4. de election.* et Glossa *ibidem verb. Apocrisarii*, ubi expresse dicit: *Apocrisarii dicuntur Nuncii Domini Papæ quasi secretarii*; et in Regnis, seu Provinciis sibi commissis, in negotiis agendis personam gerunt, et auctoritatem Romani Pontificis; *capitulo Valde necessarium 1. dist. 94.*

11 Legati nati dicuntur, & sunt illi, quorum dignitati, quam in Ecclesia obtinent, munus Legationis est annexum, & dicuntur Legati nati, non quod a Sede Apostolica non hauriant auctoritatem, sed quod hanc illa dederit fixæ cuidam Ecclesiæ, & quicumque illi fuerit præfectus una simul etiam fiat, ac veluti nascatur *Legatus Apostolicus*, utpote cujus munus suæ dignitati de Jure annexum habet; Sic legatus natus a Jure dicitur Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, ut expresse habetur in *cap. Cum non ignoretis 1. de officio Legati*, Archiepiscopus Eboracensis item in Anglia, ut habetur *in cap. Per venerabilem 13. §. Verum qui filii sint legitimi*, (a) & sic de aliis.

12 Omnes supradicti legati tum de latere, tum Missi, tum Nati, habent jurisdictionem ordinariam in Provinciis sibi concreditis, & talis Jurisdictio ipsorum legatorum non expirat per mortem Papæ legantis, quamvis ipsa Jurisdictione nondum uti cœperint, imo Provinciam suam necdum ingressi fuerint; Sic desumitur *ex cap. legatos 2. de offic. legati in 6.* & Glossa *ibidem verb. Declaramus*. Legati enim Papæ sunt, & esse dicuntur Legati Sedis Apostolicæ, *ut cap. Dilectus 6. & cap. Nemini dubium 10. de Offic. legati*, & sæpe alibi. Ipsa autem Sedes Apostolica nunquam moritur; *cap. Si gratiose 5. de rescript. in 6.* adeoque &c. Sic Glossa *in cit. cap. legatos verb. Declaramus*, Fagnan. *in cap. Cum olim 14. de majoritat. & obed. n. 67.* cum variis aliis; Barbosa *l. cit. n. 90.* & alii ibi citati, Reiffenstuel *l. cit. num. 11.* Layman, & alii passim.

Omnes supradicti legati possunt causas ad se pertinentes 13
aliis delegare, cum hac tamen advertentia, quod jurisdictio delegatorum ab ipsis legatis expiras una cum Legatorum officio, seu finita horum legatione, quando res est adhuc integra; Secus vero quando res non est amplius integra, sed causa delegata jam incæpta est; *Cap. licet undique 30. de officio Delegati*, & concordat *cap. Relatum 19. cap. gratum 20. de officio Delegati, & cap. Quamvis 6. eod. in 6. cap. Nemini dubium 10. de officio legati, & l. Et quia ff. de jurisdiction. omn. Judic.* Ut res non sit amplius integra sufficit citatio par- 14
tis facta per delegatum ante cessationem legationis legati; Vide *verb. Delegatus n. 45.* Imo sufficit, quod ante cessatio- 15
nem legationis legati præcesserit citatio, licet talis citatio ad partes antea non pervenerit; *vid. citat. verb. Delegatus a num. 46.*

Omnes supradicti legati possunt causas suorum Proviacia- 16
lium per appellationem ad ipsos devolutas cognoscere, & debito fine terminare; *Communis*, textu expresso *in cit. c. Cum non ignoretis 1. de offic. legati*. Imo de Jure antiquo ex 17
cit. cap. Cum non ignoretis poterant olim legati cognoscere, & definire non solum causas per appellationem, sed etiam per simplicem querelam etiam in prima instantia ad ipsos delatas. A jure novo Concilii Tridentini *sess. 24. de reformat. §. legati quoque etiam de latere, Nuntii & c.* est limitata eorum facultas, & est expresse statutum, quod causæ omnes 18
Fori Ecclesiastici in prima instantia coram Ordinariis locorum sint cognoscendæ, ac terminandæ; nec legati etiam de latere, & Nuncii quarumcumque facultatum vigore possint in prædictis causis Episcopos impedire, aut alio modo jurisdictionem iis præripere; alias eorum actus, & processus nullius momenti sint, & ad damni satisfactionem partibus illati teneantur; Unde nisi speciali facultate post Concilium sint muniti, in prædictis causis nullatenus se ingerere possint; *Sic Sacra Congr. Concil. in Nullius 24. Augusti 1640. & in Pisaurien. 14. Martii 1648.* Imo omnes supradicti legati neque se intromittere possunt in causis illis, quæ per Papam specialiter cuipiam alteri delegantur, cum mandatum speciale deroget generali, *Communis*, textu expresso in *cap. Studuisti 2. de officio legati*.

Legati Papæ in hoc differunt ab ejus Delegatis, quod De- 19
legati Papæ dicantur illi, quibus una tantum, vel certæ causæ delegantur terminandæ, extra quam, vel quas non extenditur ejus jurisdictio, cum sit limitata, & solum delegata, & non ordinaria vi proprii officii, *arg. l. 1. §. Qui mandatam ff. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*. E contra vero legati Papæ habent jurisdictionem, & facultatem cognoscendi de omnibus causis concreditæ sibi Provinciæ; nec eorum jurisdictio est limitata, & delegata, sed vere ordinaria vi proprii Juris, officii, & dignitatis, *arg. l. More majorum, & l. Quia ff. de jurisd. omnium Judic.* Et sic *communis Doctorum*.

Legati a latere excellentiorem, & ampliorem jurisdictio- 20
nem præ aliis legatis habent; *Communis*. Unde legati a late- 21
re de jure possunt absolvere quoscumque excommunicatos ob percussionem Clerici etiam enormem, imo, & ob eædem ejusdem, & hoc non solum intra Provinciam suæ legationis quoad suos subditos, sed etiam extra suam Provinciam quoad omnes extraneos undecumque ad ie accedentes a die egressus sui ex Urbe usque ad diem reditus in eamdem; *cap. Quod translationem 4. & cap. Excommunicatis 9. de offic. legati, arg. a sensu contrario desumpto*, & expresse *cap. Ad eminentiam 20. de sent. excommunic.* Glossa *in cit. cap. Excommunicatis 9. de offic. legati, verb. Mittuntur*, Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. cap. 5. numer. 27.* cum pluribus ibicitatis, Azorius *part. 2. libr. 5. capitulo 32. quæst. 6.* Reiffenstuel *loco citat. numer. 28. & 45. in fine*, & alii passim.

Legati autem non de latere, seu Missi, vel Nuncii sine 22
speciali facultate nequeunt de Jure extra Provinciam sibi commissam absolvere a tali excommunicatione ob percussionem Clerici, vel Monachi; & intra suam Provinciam possunt absolvere solummodo subditos suos, non autem extraneos

(a) Et Archiepiscopus Genuensis, cujus Archiepiscopatui annexa est legatio transmarina, ut constat ex Epistola 418. l. 1. Registri Honorii III. apud Raynald. ad an. 1217. n. 99. et seqq., ubi ita Archiepiscopo idem S. P. scribit: *Communicato Fratrum consilio ad exemplum jam dictorum Alexandri, Clementis, Cœlestini & Innocentii prædecessorum nostrorum legationem transmarinam tibi tuisque successoribus in perpetuum duximus concedendam.*

neos aliunde accedentes; *Communis*, textu expresso in *cit. cap.*
23 *Excommunicatis 9. de offic. legati*. Legati autem nati nequeunt sine speciali facultate neque intra suam Privinciam absolvere suos subditos a tali excommunicatione ob percussionem Clerici, vel Monachi; *Communis*, textu expresso *in cit. c. Excommunicatis*.

24 Legati a latere possunt concedere licentiam Abbati exempto, ut eligi possit in Episcopum, & transire possit ad Ecclesiam sibi concessam; *Communis*, textu expresso *in cap. Si*
25 *Abbatem 36. de election. in 6.* Id tamen non possunt alii legati sine speciali concessa facultate; *Communis*, textu claro
26 *in cit. cap. Si Abbatem*. Legati a latere possunt confirmare electiones Episcopor., Archiepiscoporum, & Exemptorum; *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Si Abbatem §. Hujusmodi 36. de election. in 6.* Id autem non possunt alii legati si-
27 ne speciali sibi concessa facultate; *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Si Abbatem §. Hujusmodi in fine*, ibi: *Alii autem legati hoc nequeunt, nisi id eis a Sede ipsa (Apostolica) specialiter sit commissum*.

28 Legati a latere possunt conferre Beneficia, quæ vacant tempore suæ legationis in Provincia sibi concredita, *Communis*, textu expresso *in cap. Dilectus 6. de offic. legati, & cap.*
29 *Officii nostri 1. eod. in 6.* cum similibus. Imo spectato Jure communi legati a latere concurrunt cum quolibet Ordinario suæ Provinciæ in collatione Beneficiorum itaut inter ipsos simul, & Papam locus sit præventioni, *cap. Si a Sede 31. de præbend. in 6.* Rota *in una Assisiensi Beneficii 9. Martii 1587. coram Orano*, Glossa *communiter recepta in cap. Officii nostri*
30 *1. de Offic. legati in 6. verb. Ampliori*. Id tamen sine speciali Pontificia concessione nequeunt alii legati; *Communis* textu expresso *in cit. cap. Officii nostri 1. de offic. legati in 6.*
31 Excipiuntur tamen legati Missi, seu Nuncii Apostolici, qui ex facultatibus sibi concessis possunt conferre quæcumque Beneficia etiam reservata, dummodo non excedant valorem
32 ducatorum 24. Rota *part. 15. recent. dec. 259. n. 3.* Legati autem nati in sua Provincia extra suam Diœcesim sine speciali Pontificia concessione nequeunt ulla Beneficia utcumque minima conferre; *Communis, arg. cit. cap. Officii nostri 1. de offic. legati in 6.*

33 Alia de iis, quæ possunt legati a latere, & Nuncii Apostolici circa collationem Beneficiorum; Vide *verb. Beneficia artic. 5. a numer. 10. usque ad 29.* Et de iis, quæ non possunt; *Vide dict. verb. Beneficia cit. art. 5. a numer. 51. usque ad 60.*

34 An autem legati a latere, & Nuncii Apostolici possint in sibi commissis Provinciis conferre Ordines, & approbare Confessarios: *Vide verb. Approbatio art. 1. a num. 26. usque ad num. 38.*

35 Quibus adde sequentia tredecim dubia proposita, & resoluta in Sacra Congregatione *Concilii 26. Februarii 1707.* videlicet:

1 An Nuncius Apostolicus apud Helvetios possit concedere facultatem audiendi Confessiones personarum sæcularium, vel etiam Regularium, immo & Monialium in Diœcesi Comen. sine licentia & approbatione Ordinarii *loci*?

2 An idem Nuncius, Sacerdotibus non approbatis ad audiendas confessiones concedere possit facultatem absolvendi *in foro interno* ab Hæresi, Censuris &c.?

3 An possit concedere facultatem generalem absolvendi a casibus Ordinario reservatis, & quatenus affirmative?

4 An expediat adhiberi aliquod moderamen in hujusmodi facultatum communicatione, tam circa numerum, quam circa qualitates personales eorum, quibus conferuntur?

5 An possit concedere suis Commissariis, subditis Diœcesis Comen. facultatem eligendi sibi Confessarium, etiam non approbatum ab Ordinario?

6 An possit concedere licentiam retinendi, & legendi libros Hæreticorum, seu alios quomodolibet prohibitos?

7 An Commissarii Nunciaturæ accedere possint ad Monasteria Monialium, easque alloqui, etiam citra necessitatem Officii, absque licentia Ordinarii?

8 An iidem Commissarii concedere possint aliis ad eos recurrentibus licentiam alloquendi Moniales sine licentia Ordinarii?

9 An dicti Commissarii obligati ad residentiam ratione Canonicatus, vel alterius Beneficii, possint ab illa abesse pro negotiis Commissariatus, & nihilominus lucrari distributiones, aliaque omnia emolumenta, tamquam si essent præsentes?

10 An idem Reverendissimus Nuncius concedere possit dictis Commissariis licentiam retinendi famulas, quamvis non annosas, cum derogatione quarumcumque Ordinationum per Ordinarios locorum quomodolibet factarum?

11 An concedere possit facultatem exorcizandi independenter ab Ordinario?

12 An iidem Commissarii concedere possint licentiam laborandi in diebus Festis?

13 An Commissarii Nunciaturæ punire possint etiam in prima instantia Festorum violatores, blasphematores, aliosque contra Dei, & Sanctæ Sedis præcepta temere agentes?

Die 26. Februarii 1707. propositis in Sacra Congregatione Concilii dictis tredecim dubiis; eadem Sac. Cong. Concilii respondit ut infra.

Ad 1. 2. 3. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Negative. Ad 4. provisum in 1. 2. & 3. Ad 6. ad Congregationem Sancti Officii*.

Sic refert Ursaya *tom. 2. part. 1. discept. 31.* ubi in fine ad- 36
ducit alia 16. dubia, quæ dicit non fuisse in eadem Sacra Congregatione Concilii proposita, & ea ipse, variis adductis, negative resolvit *a n. 19. usque ad nu. 92.* unde videri possunt apud ipsum, qui post plurima solida fundamenta pro tali negativa resolutione adducta *sub n. 93.* sic præcise concludit: *Adversus quæ in universum non valet asserere quod S. R. E. Cardinales legati a latere, & Apostolicæ Sedis Nuncii, uti Ordinarii Ordinariorum possint in suis Provinciis omnia ea, qua Episcopi possunt in eorum Diœcesibus, & proinde cum illis possint concurrere, eosque prævenire ex ratione, quia gerunt vices Apostolicæ Sedis, & Summi Pontificis personam repræsentant. Quia (sunt verba Pignatell. consult. 187. n. 14. t. 9.) hæc & similia non procedunt in iis, quæ a Sacris Canon. & Sacr. Conc. Trid. & Const. Apostol. expresse proprio Ordinario reservata sunt*.

Nuncius Apostolicus si absque facultate Sanctæ Sedis pro- 37
moveat ad Sacros Ordines Clericos suæ Provinciæ, ipse, et ordinati incurrunt in pœnas impositas *a Sacro Concilio Trid. cap. 8. sess. 23. de reform.* Sic *Sacra Congregatio in Taurinen. 16. April. 1633. teste Bonfandino in Thesauro Ecclesiast. dec. resol. 31. num. 4.* et Barbosa *summa Apostolic. dec. verb. Nuncius Apostolicus num. 4.* Nuncius Apostolicus non debet exercere 38
Divina in Ecclesia Archiepiscopi absque ejus licentia. *Sacra Congregat. Rituum in Taurinen. 9. Martii 1593.* quam refert Sellius *in Select. Canon. cap. 22. numer. 3.* et Barbosa *loc. citat. numer. 2.*

Legati, et Nuncii Apostolici non possunt pro se, vel pro 39
suis consanguineis procurare a Principibus, ad quos destinantur, favores vel eis uti ad consequendas dignitates apud Sedem Apostolicam, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ reservatæ. Pius IV. Constit. 96. incipient. *Et si Romanum*. Legati, et Nuncii Apostolici non possunt procedere 40
contra Clericos, nisi Episcopo prius requisito, et negligente: alias acta, et processus nullius sunt valoris, et tenentur ad restitutionem, et damna. *Concil. Tridentin. sess. 24. de reform. cap. 20.*

Legato præsente in Civitate Episcopus non potest populo 41
benedicere, nec uti Mozzetta, vel Rocheto discooperto; Intra vero propriam Ecclesiam potest, si ibi non sit præsens legatus, vel eo annuente. *Sacr. Congr. Concil. in Perusina 2. Octobr. 1601.* quam refert Sellius *l. cit. Cap. 2. n. 83.* et Barbosa *l. c. verb. legatus n. 2.* Legato a latere præsente, ceteri lega- 42
ti deponunt sua insignia, et suspenditur, pendente præsentia ipsius, exercitium potestatis eorum. *Communis*, textu expresso *in c. Volentes 8. de Officio legati*.

Legatus a latere potest cognoscere de causis contra exemp- 43
tos; *cap. Si Abbatem 36. de elect. in 6.* ibi: *Ei tamen ab alio, quam a Nobis, vel ab Apostolicæ Sedis Legato, si sit in Provincia de Latere nostro missus*: Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiast. univers. capitulo 5. numer. 77.* cum plurimis aliis ibi citatis, Diana *part. 1. tractat. 2. resolution. 16.* Donatus

prax. rerum Regular. tom. 1. tract. 13. quæst. 9. num. 1., & alii passim.

44 Alii autem legati non possunt de Jure, sine speciali facultate Pontificia in exemptos Jurisdictionem exercere; *cit. cap. Si Abbatem*: Barbosa *loc. cit. num. 8.* Diana *loc. cit.* Donat. *loc. cit.* cum aliis ibi ab ipsis adductis. Dicitur autem notanter *de Jure sine speciali facultate Pontificia*; quia legati missi, seu Nuncii Apostolici jam solent talem facultatem a Sede Apostolica obtinere; Unde ex Rota *part. 11. recent. decis. 345. num. 14.* Nuncius est Judex Exemptorum, & potest alios Judices Exemptis subdelegare.

45 Legatus in sua Provincia valide assistit Matrimoniis: validum enim est Matrimonium contractum coram ipso; Sic pluries declaravit *Sacra Congregat. Concilii*, & signanter *in Nullius 4. Julii 1602. ut in lib. 10. Decret. fol. 36.*, *& in alia Nullius 3. Junii 1628. ut in lib. 13. Decret. fol. 36.*, *& in alia Nullius 3. Junii 1628. ut in lib. 13. Decret. fol. 467.*, *& in dub. Jurisdict. 22. Martii 1681. ut in lib. 31. Decret. fol. 363.* apud Urlayam. *tom. 1. part. 2. disceptat. 2. numer. 156.* ubi plures citantur Doctores, & tenent alii passim.

46 Legati, & Nuncii Apostolici possint subditis suæ legationis; & Nunciaturæ pro quocumque opere pio concedere centum, & plurium dierum Indulgentiam, attamen semper minus, quam annum. Pro templo autem, seu Capella, possunt concedere Indulgentiam 7. annorum, & 7. quadragenarum pro illis, qui confessi communicaverint, & in eo loco de more oraverint ad intentionem Ecclesiæ: *Vide verb. Indulgentia art. 2. num. 22.* Et tales Indulgentiæ concessæ a
47 legatis, & Nunciis sunt perpetuæ, & durant etiam legatione, & Nunciatura finita, & post mortem concedentis; Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiastic. universi. cap. 5. numer. 86.* cum plurimis ibi citatis.

48 Legatus, absque speciali facultate Apostolica non habet auctoritatem extrahendi a loco immuni, nec consignandi rem Curiæ Sæculari, *Sacra Congreg. Immunitatis in Bononien. 19. Augusti 1630. lib. 2. decret. Pavluc. pag. 53.* Quare Eminentissimus legatus extrahere faciens homicidas ab Ecclesia, mandet reponi; *Sacra Congregæ Immunit. in Ferrarien. 29. Decembr. 1635. lib. Scripturar. veterum p. 77.* Eminentissimo legato petenti facultatem a Sanctissimo procedendi contra Sacerdotem indicatum, ut mandantem occisionem, *Sacra Congreg.* respondit non expedire; *Eadem Sacra Cong. in Bononien. 15. Junii 1688. lib. decret. Mart. p. 303.*

49 Legatus, & Nuncius Apostolicus absque speciali facultate Apostolica nequit absolvere ab Excommunicatione ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam; Unde absolutio concessa ab Eminentissimo legato sine facultate Apostolica non suffragatur; & injungitur Episcopo, ut denuo absolvat auctoritate Sacræ Congregationis; *Eadem Sacra Congregat. Immunit. in Papien. 11. Julii 16,6. lib. 1. decret. Altovit, pag. 1302.*

50 Legatus duarum, vel plurium Provinciarum, potest in una jurisdictionem exercere de negotiis, & causis alterius; *Communis*, textu expresso *in cap. Novit ille 7. de Officio Le-*
51 *gati*. Legati Papæ statuta durant etiam finita legatione; *Communis*, textu expresso *in cap. Nemini 10. de Offic. Legati*.

52 Legati jurisdictio, seu Officium cessat quatuor modis, ut observat Glossa communiter recepta *in cap. Præsenti 3. de Offic. Legati in 6. verb. Finitur*. Primo, per mortem ipsius legati, si legatio fuit personalis. Secundo, per expletum sibi præfixum tempus, si legatus fuit destinatus ad determinatum tantum tempus; *arg. cap. De causis 4. de Offic. Delegati*. Quarto per ejusdem legati revocationem a Papa factam, Dummodo tamen talis revocatio fuerit jam ipsi legato intimata: alias dum legatus ipsam revocationem ignorat, perseverat ejus jurisdictio, & valida sunt, quæ interim gerit; *arg. Cap. Audita 4. vers. Quia tamen, de restitutione spoliatorum*.

Novæ Additiones ex aliena manu.

1 DE legato quæri solet, an ei asserenti munitum se specialiter a S. Sede esse quibusdam facultatibus, credendum sit?

2 Affirmavit Rota in *Polocen. Bonorum 21. Junii 1726. §. Porro, coram bon. memor. Cornel.*, *& 7. Februarii 1729. §. 9. & plur. sequent. coram clar. mem. Aldrovand.*, *& 14. Maji 1751. §. 6.*, *& sequent. coram bon. mem. Vicecom.*

Negasse autem videtur idem supremum Tribunal in *Nullius, seu Piscien. Beneficii 5. Martii 1719. §. 7. coram bon. mem. Gamaches, in Salamantina Beneficii 19. Junii 1744. §. Eodem, & 25. Januarii 1745. §. Pariter, coram clar. mem. Millin., & in Hildesimen. Manutentionis 17. Martii 1749. §. 19., & 4. Julii ejusdem anni 1749. §. 13. coram Eminentiss. Elephantut.* 3

Non male autem *Cardinalis Petra in Comment. ad Constit. Apostol. Constit. 3. Alexandri III. sect. 2. numer. 12.*, *& sequent. Ego vero* (iniquit) *in hoc distinguendum puto, aut agitur de re, quæ non sit directa in præjudicium Tertii, etsi generaliter influat, & agatur de actu, qui regulariter concedi solet Legatis, & tunc debet eisdem credi, quia eo ipso quod legatus est a latere habet ea omnia, quæ de Jure, vel consuetudine illi debentur, etsi consequenter jus Alterius lædatur, quia est præjudicium consequens actui necessario. Si vero actus, quem præstat, non sit a jure permissus legatis, & insuper agatur de re alteri præjudiciali, tunc debet ostendere facultatem exercens, quæ non præsumitur*: Confer etiam *Faghan. in cap. Quum in jure anum. 49.*, *& 50. de offic.*, *& Poresi. Judic. delegat.* 4

LEGISLATOR.

Vide verb. *Lex art. 2. per tot.*, *& art. 3. a num. 13. ad 25.*

LEGITIMA.

LEgitima est portio illa hæreditaria, quæ necessariis hæredibus, scilicet, liberis, Nepotibus, & aliis descendentibus, iisque deficientibus, ascendentibus in Testamento necessario relinqui debet; *Communissima*. 1

Legitima hoc modo debetur liberis, quod si non sint plures, quam quatuor, *Legitima* inter eos dividenda erit *Trienis*, seu tertia pars totius hæreditatis relictæ, deductis prius expensis funerum, & ære alieno, computanda; Si autem sint quinque, aut plures, *Legitima* inter eos dividenda erit *Semis*, seu media pars totius hæreditatis, ut supra inter eos æqualiter dividenda; Novell. 18. *cap. & Authent. Novissima, Cod. de inoffic. Testament.*, ibi: *Novissima lege cautum est, ut si quatuor sunt Filii, vel pauciores, ex substantia deficientis Triens; Si plures sint, Semis debeatur &c. ex æquo scilicet inter eos dividenda*. De aliis autem partibus extra legitimam Parens potest disponere ad suum arbitrium, unde dantur sequentes versus. 2 3

Quatuor, aut infra dant natis Jure Trientem.
Semissem vero dant natis quinque vel ultra.
Arbitrium sequitur substantia cætera Patris.

In supradicto descendentium numero, computandi sunt etiam, qui hæreditati renuntiarunt, seu Religionem capacem bonorum professi sunt; Tunc enim Monachus jus petendi legitimam transmittit ad Monasterium; Menochius *consil. 77. num. 8.* Castrens. *cons. 34. Ego Paulus ad fin. num. 4. lib. 1.* Boer. *decis. 250. numer. 4.* Gratian. *Discept. forens. cap. 271. num. 15. tom. 2.* Panimoll. *part. tertia posthuma dec. 151. adnot. 7. num. 43.*, & alii. Non computandi tamen sunt in tali numero, qui legitime sunt exhæredati ex aliqua ex quatuordecim causis legitimis exhæredandi assignatis *sub verb. Exhæredatio a num. 10.* nec qui Religionem bonorum incapacem professi sunt; cum tales sint omnimode incapaces, & ratione Personæ, & ratione Monasterii, ut de se patet. 4

Liberi immediati de illa portione legitima participant in capita, Nepotes autem si plures sint Filii unius ex liberis, tamquam unius partis Personam repræsentantes, etiam unius sit nepos filius alterius liberi, tantum participat, ac omnes illi plures, idest si extribus v. g. liberis Testatoris unus solus superstes existat, & alii duo præmortui sint, remanente unico solo filio ex uno duorum præmortuorum, & quinque remanentibus ex alio, tunc una tertia pars *Trientis*, seu tertiæ partis totius hæreditatis Testatoris, quæ erat legitima pro tribus suis Filiis, debetur suo filio superstiti: Et altera tertia pars debetur illi unico filio relicto ab uno duorum præmortuorum, & alia tertia pars debetur quinque illis 5

lis relictis ex altero. Unde, ut vides, cum isti quinque repræsentent solum unius Patris Personam, solum tantum de legitima acquirunt inter omnes, ac ille unicus, qui de se solo unam etiam repræsentat personam æque bene, ac omnes illi quinque simul; *Communis, arg. Authent. de Triente, & semisse, & Instit. de hæredibus ab intestato*, §. *Cum Filius*.

6 Si autem nullis extantibus liberis Testatoris, extent plures Nepotes, filii unius solius liberi prænortui, tunc omnes isti Nepotes succedunt in capita, & faciunt tantum numerum ad computandam legitimam, ac si essent immediati Filii Testatoris. Unde si non sint plures, quam quatuor, legitima inter eos æqualiter dividenda, est *Triens*, seu tertia pars totius hæreditatis; & si sint quinque, aut plures, legitima inter eos æqualiter dividenda est *Semis*, seu media pars totius dictæ hæreditatis; *Communis arg. cit. Authentic. de Triente, & Semisse, & instit. de hæredibus ab intestato* §. *Cum Filius*.

7 Si vero nullis extantibus liberis Testatoris, plures extent Nepotes, filii non unius tantum, sed diversorum liberorum dicti Testatoris; tunc omnes isti Nepotes non succedunt in capita, sed in stirpem, & quantitas eorum legitimæ metienda est a quantitate suorum Genitorum, itaut si eorum Genitores non fuerint plusquam quatuor, eorum legitima sit *Triens*, & si fuerint quinque, vel plures, eorum legitima sit *Semis*. Cum hac tamen advertentia, quod si unius liberi testatoris sit unicus filius, & alterius liberi testatoris sint duo filii, vel tres, vel quinque, vel decem; tantum participat de legitima ille unicus ex se solo, quantum illi duo, vel tres, vel quinque, vel decem omnes simul, cum ex dictis non succedant in capita, sed in stirpem; & ille unicus æque bene repræsentet unam stirpem ex se solo, ac unam tantum stirpem repræsentent omnes dicti alii simul; *Communis, arg. cit. Authentic. de Triente, & semisse, & cit. Instit. de hæ-*
8 *redibus ab intestato* §. *Cum Filius*. In solo defectu descendentium debetur ipsa legitima ascendentibus, scilicet immediate parenti utrique, vel uno superstiti; & neutro superstite, in locum Patris succedunt Avus, vel Avia paterna, & in locum Matris Avus, vel Avia materna; *Novell. 110. cap. 1.*, & communis Doctorum, teste Reiffenstuel *liber. 3. decret. ad. tit. 16. numer. 114.* Et talis portio legitima debita ascendentibus universaliter est *Triens*, seu tertia pars illius hæreditatis, quam nullo existente testamento ab intestato accepissent; *arg. Authentic. de hæredibus ab intestato, Authentic. de Triente, & semisse, & Novell. 115. cap. 4.*

9 Fratribus, & sororibus nunquam debetur legitima, nisi in casu, quo instituitur turpis Persona; *Communis*. Et ratio est, quia legitima debetur solummodo hæredibus necessariis, Fratres autem, & sorores nunquam sunt hæredes necessarii, nisi in dicto casu, ut habetur expresse *in* §. 1. *Instit. de inofficios. Testament.*, *& leg. Fratres 27. Cod. eodem* ubi statuitur, quod Fratres, & sorores consanguinei (idest ab eodem Patre nati) non sic tamen Fratres, & sorores uterini, idest ab eadem Matre sed diversis Patribus progeniti, possint in dicto casu tale testamentum per querelam inofficiosi testamenti impugnare, & rumpere, ibi: *Fratres, & sorores uterini ab inofficiosi actione contra Testamentum Fratris, & sororis penitus arceantur; consanguinei autem durante agnatione, vel non, contra Testamentum Fratris sui, vel sororis de inofficioso quæstionem movere possunt, si scripti hæredes infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ*
10 *macula aspergantur*. Et sic *communis Doctorum*. Fratrum autem, & sororum *Legitima* in tali casu esset quarta pars illius, quod ab intestato accepissent; *Communis, arg. leg. Papinianus, §. Quarta ff. de inofficios. Testament.* ubi generaliter legitima erat statuta quarta pars; & licet talis lex fuerit correcta quoad legitimam descendentium, & ascendentium *in authentic. Novissima, Cod. de inofficios. Testament. & in Authentic. de Triente, & semisse*, & alibi; Nullibi tamen invenitur correcta quoad Fratres, & sorores.

11 Legitima debetur ex solis bonis propriis testatoris, deducto prius ære alieno, & expensa Funeris; *Communis*, textu expresso *in cit. leg. Papinianus*, §. *Quarta autem ff. de inofficios. testament.*, ibi: *Quarta autem* (hodie est tertia, vel media pars, seu *Triens*, vel *Semis* excitatis Juribus *sub-*
12 *num. 2.*) *accipietur deducto ære alieno, & funeris impensis*. Legitima debetur ex omnibus, & singulis bonis testatoris, ita ut non sit in libertate hæredis universalis eam tradere in rebus sibi beneviis, aut in numerata pecunia, nisi testator expresse aliter disponat, vel ille, cui legitima competit, cum hærede conveniat; *Communis* cum Rota *part. 3. recent. decis. 116. num. 4. decis. 514. num. 4. decis. 776. num. 8.*, & sæpe alibi, *arg. Novellæ 18. cap. 1.*, *& leg. Scimus*, *Cod. de inofficios. Testament.* Et ratio est, quia legitima est tertia, seu media pars totius substantiæ relictæ a testatore; *cit. Novell. 10. cap. 1.*, *& Authent. Novissima, Cod. de inofficios. Testament.*, *& Authentic. de Triente, & Semisse*. Adeoque non certæ partis talis substantiæ, cum plurimum interfis, unam rem præ alia habere, præsertim cum ille, cui legitima competit, ad rem aliquam effectus est, *eo quod Majorum fuerit; leg. Si in emptione 35. ff. de Minor.*

Pro deducenda legitima computari debent non solum bo- 13
na post mortem testatoris, deducto ære alieno, & expensa funerum, extantia, sed etiam illa, quæ hæredes necessarii in vivis jam receperunt, sive per modum dotis, sive per donationem, & hujusmodi, nisi testator contrarium expresse statuerit; Decius *ad leg. 17. Cod. de Collation.* Molina *disp. 237.*, Sichard. *ad ruber. Cod. de Collation. num. 11.*, & alii communiter; *arg. tot. tit.*, *& Cod. de Collation. bonor.*, & præsertim *Novella 18. cap. 6.* Excipiuntur tamen expensæ 14
factæ a Parentibus in educandis liberis, seu studiorum, vel opificii, aut artis addiscendæ causa, & hujusmodi, ut tenet *Communis Doctorum*. Legitima debetur Filiis non solum 15
ex bonis Patris, ut est certa, & communis cum Rota *part. 24. recent. decis. 181. num. 6.*, *& decis. 246. numer. 13.*, & sæpissime alibi, sed etiam ex bonis Matris, ut etiam est certa, & communis cum eadem Rota *part. 3. recent. decis. 103. num. 1. part. 6. decis. 49. num. 5. part. 7. decis. 220. numer. 4. part. 10. decis. 192. num. 6.*, & sæpe alibi. Tam ex bonis 16
dotalibus, quam ex extradotalibus, libera ab omni onere; Rota *part. 12. decis. 225. num. 1.*, & sæpe alibi, & communis Doctorum. Legitima enim de omnibus bonis Parentum, 17
est debita Filiis de Jure naturæ; *Authent. Ut cum de appellat.* §. *Aliud quoque*, *Collat. 8. cap. Rainutius 16. de testamentis*, ubi expresse dicitur, quod. *Legitima portio est debita Jure naturæ*, & sic Rota *part. 5. tom. 1. decis. 47. num. 1. decis. 62.* 18
num. 14. 15. & sequent. legitima debetur etiam Filio legitimato; Rota *part. 3. decis. 401. sub num. 1. part. 4. tom. primo decis. 38. numer. 6. part. 5. tom. 1. decis. 360. num. 15.*, & Doctores passim.

Legitima de omnibus bonis non solum debetur Filio, sed 19
etiam Nepoti, & Nepti ex bonis Avi, vel Aviæ, non existente tamen eorum Patre vel Matre, respective referendo; Rota *part. 1. decis. 479. n. 7. part. 4. tom. 1. decis. 543. num. 1. part. 5. tom. 1. decis. 329. num. 1. part. 6. decis. 355. numer. 2. part. 10. decis. 193. num. 9. part. 12. decis. 311. num. 4.*, *& 7. part. 18. tom. 1. decis. 190. numer. 8.*, & sæpe alibi, *& communis Doctorum*.

Legitima liberis, & Parentibus relinqui debet titulo insti- 20
tutionis, seu hæredis, adeout si alicui relinqueretur alio titulo, v. g. legati, Fideicommissi, donationis, & hujusmodi, posset is testamentum, quoad hæredis institutionem dicere nullum; *Communis* textu claro *princip. Instit. de exhæredand. lib.*, *& §. 5. Instit. eodem*, *& Novella 115. cap. 3.* ubi expresse habetur non sufficere, *si per quamlibet donationem, vel Legatum, vel Fideicommissum, vel aliam quemcumque modum eis dederit Legibus debitam portionem*.

Si alicui descendenti, aut ascendenti relinquatur pro le- 21
gitima minor portio, quam supra assignata, competit ei actio ad petendum complementum legitimæ, quæ actio durat ei usque ad triginta annos; *Leg. Omnimode Cod. de inofficios. testament.*, *& Auth. Ut cum de appellat. cognoscitur*, §. *Hæc autem disposuimus*, & sic ex communi sententia Gomez *resolut. cap. 11. num. 23.* Molina *disp. 177.* Layman. *lib. 3. de justitia tract. 5. cap. 5. num. 11.* Si autem sine justa exhæ- 22
redandi causa non solum minor portio, quam assignata, sed nulla relinquatur pro legitima, testamentum ipso Jure est nullum, quoad extranei hæredis institutionem (non item quoad legata, Commissa, & alia) *Authentic. Ex causa Cod. de Liberis præteritis*. Si vero legitima causa exhæredationis sit testamento inserta, sed ab hærede instituto probari non pos- 23
sit, tunc competit hæredi necessario querela inofficiosi testamenti, per quam poterit evacuare testamentum, quoad hæredis extranei institutionem, sed necessario absolvenda intra quinquennium: *leg. Si quis Filium 34. leg. Scimus 35. Cod. de inofficios. testam.*, & ex communi docet Jul. Clarus *quæst. 40. num. 5.*

Legitimæ supplementum peti potest, etiamsi Pater ali- 24
quid

quid reliquerit Filio, vel Filiæ pro legitima, cum expressa prohibitione, ut nihil aliud possit petere; In quantitate enim legitimæ lex non confidit de singulari affectione Patris; & sic quod deficit, ipso Jure suppletur etiam contra dispositionem, & voluntatem Patris; *leg. Scimus, post princip. vers. Repletionem, Cod. de inofficios. testament.*, & §. *Hæc autem disposuimus, vers. Cæterum in Authent. Ut cum de appellat. cognoscitur*, & tenent Sallicet. *in leg. Quoties num.*13. *Cod. de hæred. inst.* Aret. *in leg. Ex facto numer.*15. *vers. Est tamen hodie casus, de vulgar. subst.* Socin. Senior. *consil.*1. *num.*3., & 4. *lib.*4. Mantica *de tacit.*, & *ambigu. convent. lib.*12. *tit.*23. *num.*1. Alexander. *consil.*69. *numer.*4. & *consil.* 128. *in princip. lib.*1. Panimoll. *part.* 3. *posthum. decis.*151. *adont.*7. *num.*44., & alii passim. Rota *part.* 10. *recent. decis.* 103. *num.*35. *part.* 16. *decis.* 187. *num.* 2., & *dec.*185. *num.*2., & sæpe alibi.

25 Legitima debita heredibus necessariis, sive descendentibus, sive ascendentibus, debet relinqui sine ullo onere, aut gravamine; alioquin appositæ onera, & gravamina habentur pro non appositis. *Communis*, textu expresso *in leg. Quoniam*, & *leg. Scimus*, *Cod. de inofficios. testam.* cum similibus, & *in cap. Raimundus* 16. *de testamentis*. Rota *part.* 1. *dec.*201. *p.*8. *dec.*289. *n.*8. *p.*11. *dec.*311. *num.*8. *part.*12. *decis.*426. *num.*8., & sæpissime alibi.

26 Legitima debetur Filis statim post obitum Patris; Rota *part.*4. *tom.*1. *decis.*302. *numer.* 3. *part.*5. *tom.* 1. *decis.* 272. *num.*6. *part.*5. *tom.*2. *decis.*579. *num.*15., & sæpissime alibi legitima debetur statim a die obitus Patris, seu testatoribus

27 una cum fructibus. Rota *part.*2. *recent. decis.*528. *num.* 3. *part.*9. *tom.*2. *decis.*459. *num.*10. *part.*13. *decis.*536. *num.*2.,

28 & 13. *part.*17. *decis.*592. *num.*5., & sæpe alibi. Legitima sicuti debetur descendentibus una cum fructibus a die mortis, ita etiam debetur ascendentibus. Rota *part. recent. dec.*759.

29 *num.*3. *part.* 5. *tom.*2. *dec.*62. *num.*65. *part.* 11. *dec.* 149. *numer.*2. Fructus ex legitima debentur, quando hereditas consistit in stabilibus, aliisque bonis fructiferis; licet legitima relinquatur in quantitate. Rota *part.*10. *recent. decis.*39. *numer.*11. *part.*12. *decis.*20. *num.*24. *part.*16. *decis.*188. *num.*7.

30 *part.*19. *tom.*1. *dec.*190. *num.*2. Hujusmodi fructus, ubi debentur, taxantur ad relationem quinque pro centenario, & anno. Rota *part.*12. *dec.*20. *num.*26. *part.* 13. *decis.* 46. *num.*3. *part.*16. *dec.*188. *num.*8. *part.*17. *dec.* 192. *num.*6., & 7. *part.*88. *tom.*2. *dec.*774. *n.*16.

31 Legitima debetur statim non solum a die mortis naturalis, sed etiam a die mortis civilis; Unde debetur Filio, vel Patri statim emissi Monachi professione, non expectata morte naturali, etiamsi agatur de Monasterio in communi capaci bonorum. Rota *part.*5. *tom.*1. *dec.* 267. *num.* 1., & *seq. part.*5. *tom.*2. *decis.*503. *num.*1., & *seq. part.*17. *decis.* 100. *num.*14. *part.*18. *tom.*1. *num.*144. *num.*7. *part.*18. *tom.* 2. *decis.*691. *num.*18. Fagnan. *in cap. Cum simus* 14. *de Regularibus num.*7. ubi dicitur, quod sic tenent Canonistæ communiter, quamvis legistæ videantur sentire contrarium Panimoll. *loc. cit. num.*22. ubi plurimos alios citat contra multos alios ab ipso citatos *ibidem sub num.*10. tenentes deberi legitimam non a die mortis civilis professi in aliqua Religione, sed solum a die mortis naturalis ejusdem; At vero nostra sententia est æquior, & æquitati Canonicæ convenit, adeoque servanda in utroque Foro, & crebrius recepta; ut expresse concludit. Rota *recent. part.* 1. *tom.* 1. *decis.* 267. *num.* 4.

32 Legitima debetur etiam Matri a die emissæ professionis Filii. Sic Rota *part.*5. *decis.* 116., *num.* 16., & *seq.* ubi dicit quod hæc opinio est verior, & æquior; Et quamvis plurimi Doctores contrarium sentiant per dispositionem Juris antiqui *in Authent. Si qua mulier*, *Cod. de Sacrosanct. Eccles.* tamen dicta Authentica fuit correcta *per Cap. Cum simus* 14. *de Regularibus*; Immo Glossa *in dicta Authentica* est illi contraria, ut observat, & tenet Rota *part.* 5. *tom. primo decis.*267. *num.*9. Et ab hac sententia recedendum non esse firmavit eadem Rota *in Tridentina Legitimæ* 3. *Januar.*1608. *coram Ottembergo* relata *in decis.*116. *num.*16. *decis.* 267. *numer.*2., & *seq. part.*5. *tom. primo decis.*100. *num.*14. *part.* 17. *in recent.* juxta firmata *in decis.* 138. *numer. primo*, & *seq. part. prima recent.* Et hanc sententiam tamquam æquiorem, & æquitati Canonicæ consonam in utroque Foro servari debere dicit Covaruv. *in cap.*2. *de testam. nu.*7. Tondut. *Resol. Civil.*194. *num. primo part.*2. Ferentil. *in addit. ad Burat. decis.*451. *num.*16. Sperell. *decis.*32. *num.*21. Panimoll. *part.*3. *posthum decis.*162. *num.*18. ubi pro hac sententia plurimos alios citat.

Si vero Mater, & Pater tempore Professionis ad secundas 33
nuptias convolaverint, Legitimam acquirere non possunt, nisi quoad simplicem usumfructum, non autem quoad proprietatem propter pœnam secundo nubentium inflictam, *in leg. Fœmina Cod. de secundis nuptiis*, eamque reservare tenentur Filiis primi Matrimonii juxta dispositionem dictæ *leg. Fœminæ Cod. de secundis nuptiis*; Rota *decis.* 41. *num.* 2. & *decis.*676. *num.*2. 3. & 4. *coram Amat. Dunozet. dec.*534. *num.*3. *usque ad finem coram Martino decis.* 96. *a numer.* 1. & *pluribus seq. post Pacific. de Salvian. Interdict. dec.*144. *num.*9. & 10. *par.*18. *tom.*1. & *decis.*691. *a num.*10. *usque ad* 13. *ead. part.*18. *tom.*2. *in recent.* & Doctores passim, quos sequitur Card. Petra *tom.*3. *Comment. ad Constit.*4. *Innoc. IV. sect.* 1. *a num.*86. *ad* 92. Vid. *ibi*.

Intellige tamen in casu quo adhuc existant Filii primi Ma- 34
trimonii; secus autem si sint præmortui, & amplius non existant, nec descendentes ex ipsis; quia tunc Mater, & Pater transeuntes ad secundas nuptias, non censentur privati Filiorum hæreditate, & legitima, etiam quoad proprietatem, quæ eo casu consolidatur cum usufructu; Rota *part.*1. *recent. decis.*479. *num.*9. *vers. Sed cessat omnis difficultas*, Baldus *consil.*317. *lib.*5. Aretin. *consil.*50. *num.*4. Decius *in c. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ col.*16. *num.*122. *vers. Secunda Conclusio*, *de Constit.* Amat. Dunozet. *decis.*641. *num.* 3. *tom.* 1. & alii passim.

Si vero præmortuis Filiis, existant adhuc Nepotes, & alii 35
descendentes, proprietas talis legitimæ erit servanda pro ipsis, textu expresso *in leg. Fœminæ* §. *Illud Cod. de secund. nupt.* ibi: *Nullum ex priori Matrimonio habuerit successorem*, & *leg. In quibus* 7. *Cod. eod. tit.* ibi: *Filio*; *vel Filiæ Nepote*, & *Neptæ*; *vel pluribus relictis*, & *in leg. Si quis prioris* 8. *Cod. eod. tit.* ibi: *Filiis a se, vel a Nepotibus, vel Pronepotibus relictis*. Et ratio est, quia pœnæ secundo nubentium inductæ fuerunt nedum favore Filiorum, sed totius posteritatis; Bertrand. *consil.*166. *num.*1. *lib.* 1. Ruin. *in consil.* 58. *num.*8. *lib.*5. Panimoll. *part.*3. *posthum. decis.*151. *numer.* 34. & *seq.* cum pluribus aliis ibi citatis.

Quando Monasterium tenetur solvere legitimam Filiis Pa- 36
tris professi, debet eam tradere, etiamsi Filii præcedant Patri, cum jus exigendi legitimam transmittatur ad ejus hæredes, etiamsi non fuerit petita: Merlin. *de legitima lib.*5. *tit.*3. *q.*3. *n.*15. Honded. *cons.*50. *lib.* 2. Panimoll. *l. cit. n.* 41. et alii. 37
Imo transit ad hæredes etiam extraneos, quamvis Filius in vita legitimam, vel supplementum non petierit, Cravet. *Consil.*312. *n.*4. Alexander *cons.* 55. & *cons.* 250. *libr.* 3. Decius *cons.*81. & *cons.*303. Antonell. *de tempore legali lib.*2. *c.* 98. *n.*18. Salicet. *in leg. Scimus Cod. de inofficif. Testam.* Panimoll. *loc. cit. n.*42., et alii adducti a Gratian. *discept. forens. c.*271. 38
*n.*14. *tom.* 2. Quinimo hoc Jus petendi legitimam etiam Filius Monachus transmittit ad Monasterium, quamvis ignoraverit: Menoch. *cons.*77. *n.*8. Castr. *cons.*34. *Ego Paulus ad fin. n.*4. *lib.*1. Boer. *dec.*250. *num.* 4., quos refert Gratian. *dicta discept.*271. *numer.* 19. *tom.* 2. Panimoll. *loc. citat. num.*43. & alii.

Legitima non debetur, nec peti potest a Filio, viventibus 39
adhuc Parentibus; Rota *recent. p.*4. *tom.*2. *dec.* 203. *n.* 10. & *dec.*459. *n.*7. *p.*5. *tom.*1. *dec.*141. *n.*5. *p.*11. *dec.*180. *numer.*8. *p.*14. *dec.*417. *n.*25. Panimoll. *loc. cit. num.*17. & alii communiter. Et hoc procedit etiam respectu Nepotis in bo- 40
nis Avi; Rota *p.*3. *recent. dec.*446. *sub n.*3.

Quamvis autem Filio non debeatur legitima ante obitum 41
Patris, potest tamen a Patre vivente persolvi; Rota *p.*4. *tom.*1. *decis.*623. *sub num.*4. & *annotat. ad dec.*29. *num.* 27. *p.*8. Dummodo interveniat consensus Filii; Rota *p.*19. *t.*1. *dec.*343. *n.*1. & 2. Quo casu si legitimam Filius acceptavit in 42
vita Patris, amplius reclamare non potest, etiamsi augeantur postea facultates Paternæ; Rota *p.*18. *t.* 1. *dec.*385. *n.*5. Et in eo casu Pater ad nihil ulterius tenetur, si legitimam ab eo vivente assignatam Filius dilapidet: Rota *p.* 19. *tom.* 1. *dec.*344. *num.*9.

Legitima sicuti non debetur Filiis ex bonis Parentum adhuc 43
viventium: ita non debetur Parentibus ex bonis Filiorum 44
pariter viventium. Rota *p.*10. *dec.*326. *n.*41. In casu autem, quo Pater in vita dissiparet bona sua, posset cogi ad assignandam legitimam Filio, & in simili casu posset cogi Filius ad assignandam legitimam Patri; Rota *p.*8. *dec.*488. *n.*5. & *Annotat. ad dec.*29. *n.*29. & *late seqq. p.*1.

Nova

Novæ additiones ex aliena manu.

1 DE legitima tria hic omittenda haud sunt; Primum est, quod si legitima ex nuda juris dispositione debeatur, pro ea nonnisi *Condictio ex Lege* competit, non item actio
2 hypothecaria. Quod si debeatur præterea legitima ex judicio Defuncti, competit pro ipsa hypothecaria actio; Dummodo tamen Legitimarius obsequendo judicio Defuncti legi-
3 timam detrahere velit juxta formam ab ipso præscriptam, secus è contra; *Rot. in Romana, seu Senen. Legitimæ* 20. *Februarii* 1747., & 2. *Junii eiusdem anni* 1747. *cor. Eminentissimo Bussio*.

4 Alterum est, quod dispositio Textus *in Leg. Jubemus*, quod soli filii non teneantur imputare fructus in Trebelliani-
5 cam, ulteriores vero descendentes teneantur, trahi haud potest ad legitimam, nam nec Filii, nec ulteriores descendentes, quibus legitima debetur, imputare tenentur fructus in legitimam: *Rot. in Bononien. Pecuniaria* 3. *Martii* 1747. & 1. *Junii ejusdem anni* 1747. *cor. bon. mem. Vicecom.*

6 Tertium est, quod nonnisi cum *cautela Soccini* prohiberi
7 a Patre filiis potest legitima. Quando vero adhibita dici possit necnon *cautela Soccini*, tradit „ Rota in Romana Immissio-
„ nis 16. Februarii 1742., & 4. Maji ejusdem anni 1742. co-
„ ram Illustrissimo Molino, in Civitatis Plebis manutentio-
„ nis 29. Januar. 1745. & 30. Aprilis ejusdem anni 1745.
„ coram bon. mem. De Vais, in Bononien. Pecuniaria 3. Mar-
„ tii 1747. & 16. Junii ejusdem anni 1747. coram bon. mem.
8 „ Vicecom. & 4. Maji 1748. coram Illustrissimo Clement.„
Ceterum si Filius nec tacite acceptet prohibitionem legitimæ, tametsi factam cum *cautela Soccini*, non excluditur a jure ipsam petendi; *Rota in Romana Hæreditatis* 5. *Martii*
9 1742. *cor. bon. mem. Nunez*. Quando vero Filius acceptasse dici possit, necnon prohibitionem legitimæ cum *cautela Soccini*. Vide tum apud paulo ante citatas Decisiones, tum apud Decisiones *in Civitatis Plebis Manutentionis super legitima Joannis Philippi* 2. *Julii* 1745. & 10. *Decembris ejusdem anni* 1745. *coram bon. mem. De Vais*.

LEGITIMATIO.

* Per subsequens matrimonium non legitimari prolem, quando copula habita est inter impeditos, & proles nata est eodem impedimento perseverante, communis est sententia. Si vero constet prolem natam esse sublato impedimento, dubitetur vero, num concepta sit eodem impedimento perseverante, tunc in favorem prolis judicium ferendum est. Benedictus XIV. Epistol. ad Archiepiscopum Hispaniolæ, Bullar. *Tom.*1. *n.*13. incip. *Redditæ nobis*.

LEGITIMUS. Vide verb. *Filius*.

LEX.

ARTICULUS I.

Lex quoad ea, quæ concernunt ipsius naturam, divisionem, & eos, qui ipsam condere possunt.

1 LEx secundum Etymon nominis dicitur vel a *Legendo*, ut vult S. Isidorus *lib.* 2. *Etymolog. cap.*10., eo quod Leges apud Veteres solebant in publicis tabulis scribi, & populo legendæ proponi, ut in ipsis legerent, quæ practicare, & a quibus abstinere deberent; *Vel ab eligendo*, secundum Ciceronem *lib.*1. *de legib.* & S. Augustinum *quæst.* 15. *Novi Testamenti* dicentem; *Lex ab electione dicta est, ut è multis quod eligas sumas*; vel potius a *ligando*, eo quod homines Legibus ligentur, seu obligentur ad aliquid faciendum, vel omittendum, ut vult S. Thomas 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. & Scotus *in* 4. *dist.*15. *quæst.*2. §. *Hic sunt quatuor*.

2 Lex solet variis aliis nominibus appellari. Interdum enim vocatur *Jus*, eo quod definiat, ac præscribat quod justum est; *cap. Jus generale* 2. *dist.*1. ibi: *Jus autem est dictum, quia justum est*. Quamvis tamen stricte loquendo inter Legem, & Jus nonnulla sit Differentia, quia, ut dicitur in *cit. cap. Jus generale* 2. *dist.*1. *Jus generale nomen est, Lex autem Juris est species*. Sub uno enim Jure Divino, vel Huma-

no, Canonico, vel Civili, Leges plurimæ continentur; Aliquando Lex appellatur *Constitutio*, quia illam præcedere solet plurium consilium, & consensus quidpiam simul statuentium, quasi communis statuitio; Quandoque Lex dicitur *Statutum*, eo quod per ipsam statuatur aliquid stabile, atque firmum. Dicta autem nomina in hoc differunt, quod 3
Leges supremi Principis Sæcularis dicantur *Jura*: Summi Pontificis vero Decreta appellentur *Constitutiones*; & Decreta inferiorum Principum, Civitatum, & Populorum dicantur *Statuta*, quamvis sæpe sæpius soleant confundi, & sumi promiscue.

Ad Legem variæ requiruntur conditiones, quas ex Divo 4
Isidoro assignantur in *cap. Erit autem Lex* 2. *distinct.*4. ibi:
„ Erit autem Lex honesta, justa, possibilis, secundum na-
„ turam, secundum patriæ consuetudinem, loco, tempori-
„ que conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque,
„ ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo
„ privato commodo, sed pro communi Civium utilitate
„ conscripta„. Debet igitur Lex primo esse *honesta*, & 5
justa, quia ideo Lex conditur, ut genus humanum informetur honeste vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere: §. *Juris*, *Instituta. de Justit. & Jure*, ibi: „ Juris
„ præcepta sunt hæc: Honeste vivere, alterum non lædere
„ jus suum cuique tribuere, & *cap.* Consuetudo 5. *dist.* 1.
„ *ibi*: Lex erit quod ratione constituerit, Religioni conveniat,
„ disciplinæ congruat, saluti proficiat „.

Debet secundo esse *possibilis*, nam, ut habetur *in l. Impos-* 6
sibilium 185. *ff. de Regul. Juris*, *Impossibilium nulla est obligatio*, & *cap. Nemo* 6. *de Regul. Juris in* 6. *Nemo potest ad impossibile obligari*. Et ad litur *secundum naturam*, quia lex non debet præcipere supra vires & possibilitatem naturæ, sic ipsa naturali ratione dictante, cui lex conformari debet; *cap. Consuetudo* 9. *dist.*1. Et subjungitur *Secundum patriæ consuetudinem*; quia rationabiles Patriæ consuetudines non facile per legem contrariam sunt abrogandæ: ut enim expresse habetur *in l. De quibus ff. de legibus*: *Invetcrata consuetudo pro lege non immerito custoditur*, & in dubio Lex secundum Patriæ consuetudinem est intelligenda, & interpretanda, *l. Si de interpretatione ff. de legib.* cum consuetudo sit optima legum interpres, *cap. Cum Dilectus* 8. *de consuetudin.*

Debet tertio esse loco, temporique conveniens, quia le- 7
ges condi debent & moderari juxta diversitatem locorum, qualitatem temporum, atque hominum, quibus dantur, textu expresso *in cap. Sciendum est* 1. *cap. Regulæ* 2. & *cap. Necesse est* 3. *dist.*29. Et de facto nostra Fratrum Minorum Regula a S. P. Francisco divinitus accepta habet modificationem *in cap.*4. ibi; *Secundum loca*, & *tempora*.

Debet quarto esse *necessaria*, & *utilis*, quia Jus novum 8
statui non debet nisi instante necessitate, *capit. Regulæ* 2. *dist.*29. & *l. Ergo omne* 39. *ff. de legibus*, & in *l.*3. *ff. de Constitut. Princip.* expresse dicitur, quod *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet*, alioquin tamquam sine ratione & causa lata, superflua censeretur, & potius quam de novo condenda, esset rursus abjicienda, si jam fuisset condita, textu claro *in cap. Omnia talia* 12. *dist.*2.

Debet quinto esse *manifesta quoque*, *ne aliquid per obscu-* 9
ritatem in captionem contineat, quia propter ejus obscuritatem posset captiose, & perperam interpretari, & inde multa possent mala evenire, ad quæ evitanda merito statuitur etiam *in cap. Abbate* 25 §. *Contra de verb. significat.* quod *Lex non debeat esse obscura*, *vel captiosa*, *sed certa & manifesta*.

Debet sexto esse *nullo privato commodo*, *sed pro communi* 10
Civium utilitate conscripta, quia Lex primario, & principaliter debet esse ordinata ad bonum commune Reipublicæ, ut expresse habetur *in l.*1. *ff. de legibus* ibi: *Lex est commune præceptum*, *communis Reipublicæ sponsio*, & *l.*2. *ff. eod.* ibi: *Lex est Communis sponsio Civitatis*, *ad cujus præscriptum omnes*, *qui in ea Republica sunt*, *vitam instituere debent*, & *l.*8. *ff. eod.* ibi: *Jura non in singulas personas*, *sed generaliter constituuntur*.

Brevius tamen, & clarius omnes necessariæ legis condi- 11
tiones continentur in definitione, quæ de ipsa generatim sumpta, & prout est quid commune ad Constitutiones humanas tam Ecclesiasticas, quam Civiles, traditur his verbis: *Lex est recta agendorum ratio a publica Potestate Communitati denunciata*, *cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum*, *vel omittendum*; sic in *re communis Doctorum*.

Primo igitur ad veram legem requiritur, quod sit *recta* 12

agentium ratio, ideſt *juſta, & honeſta*, quia ſi non ſit juſta, non eſt abſolute dicenda lex, ut expreſſe dicit S. Auguſtinus *lib. 1. de liber. arbitr. cap. 5.* ibi: *Mihi Lex eſſe non*
13 *videtur, quæ juſta non fuerit*. Secundo requiritur, quod ſit lata *a Publica Poteſtate*, ſcilicet a Legislatore habente legitimam, & publicam auctoritatem ferendi legem, aliter talis lex poſſet ſine incurſu culpæ, & pœnæ non obſervari, *cap. ut animarum 2. de Conſtitutionibus in 6.* ibi: *Cum extra Territorium*
14 *Jus dicendi non pareatur impune*. Tertio requiritur, quod ſit *Communitati denuntiata*, ideſt quod ſit promulgata, aliter ignorantia merito excuſaret ſubditos ab obſervatione legis; *cap. 1. de Præbend. in 6.* ibi: „ Lex, ſeu Conſtitutio, & „ mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam „ pervenerint eorumdem, Authent. Ut factæ novæ conſti„ tutiones §. Sancimus, collat. 5. „ ibi: *Cur enim* (inquit Imperator) *culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignoraverint*
15 *Conſtitutiones?* Quarto quod ſit lata *cum voluntate perpetuo obligandi*, ideſt quod Legislator intendat ſubditos obligare ad obſervantiam talis legis, aliter non erit Lex, ſed conſilium. Et quidem *obligandi perpetuo*, quia Lex, quantum eſt de ſui natura, niſi poſtmodum legitime revocetur, eſt, ut obligiet in perpetuum; *arg. cap. Nemini dubium eſt* 10. *de officio Legati*, *& cap. Ex reſcripto* 1. *de Locato*, cum ſimilibus, & quidem merito, cum ea quæ ad Jus pertinent, perpetua eſſe debeant; *l. Fal ſo Cod. de diverſis reſcriptis*.

Hinc Lex differt a ſimplici Præcepto. Primo, quia,
16 Lex durat etiam poſt mortem Legislatoris, & ſemper ſuam vim habet donec revocetur, aut per contrariam conſuetudinem legitime abrogetur, *argum. cit. Juribus*: ſimplex vero Præceptum expirat morte præcipientis, & abſque nova revocatione ceſſat ceſſante vita, aut officio præcipientis, ut de ſe patet, & tenet Menoch. *lib. 1. de Arbitrar. judic. q. 69. num. 4.* Sanch. *lib. 8. de Matrim. diſp. 28. num. 47.* Layman *in cap. Gratum* 20. *de offic. Delegat. in 6.* & alii paſſim. Secun-
17 do differt, quia lex cenſetur immediate afficere locum, ſeu Territorium Legislatoris, & inde in ſubditos inibi exiſtentes tranſire. Unde leges Territorii non obligant Cives ab ſentes; *cap. Ut animarum 2. de Conſtit.* & ſic tenent Doctores communiter *arg. l. Omnes populi ff. de Juſtitia & Jure*. Simplex vero præceptum e contra immediate fertur in perſonas ſingulares, earumque oſſibus inhæret, quocumque locorum abierint: & hoc patet de præceptis ſuperiorum V. G. Prælatorum Regularium, quæ obligant ſubditos ubicumque exiſtant, cum eis competat Juriſdictio in ipſos ſubditos, non ratione loci, ſed per ſe, ac ratione perſonæ propter votum
18 Obedientiæ. Tertio differt, quia Lex imponitur toti Reipublicæ, ſeu Communitati, & loquitur non tantum ad præſentes, ſed etiam ad futuros, *l. 1. ff. de legibus*, ibi: *Lex eſt commune præceptum, l. Leges 7. God. de legibus, & cap. Quoniam* 13. *de Conſtitutionibus*, ibi: *Cum leges, & Conſtitutiones futuris certum eſt dare formam negotiis*. Simplex vero Præceptum *imponitur perſonis ſingularibus*, & præſentibus, cum quibus ordinarie extinguitur, nec tranſit ad ſucceſſores, ut patet de præcepto Patris impoſito huic, vel illi Filio; de Præcepto Superioris huic, vel illi Religioſo, & hujuſmodi.

19 Lex ut ſic dividitur immediate in æternam & temporalem. *Lex æterna* eſt ordinatio quædam divinæ voluntatis ab æterno fixe determinantis quæ ſint agenda, vel cavenda a creatura rationali, ut debitum finem aſſequatur. *Lex temporalis* eſt quæ ad dictum finem eſt condita in tempore. Et in hoc differunt, quod prima ſit increata, & in Deo, ſecunda autem creata, & extra Deum.

20 Lex temporalis ſubdividitur in naturalem, & in poſitivam. *Lex naturalis* eſt regula obligans creaturam rationalem ad practicandum ea, quæ ex ſe neceſſario conveniunt naturæ rationali. & omittendum ea, quæ eidem diſconveniunt. *Lex poſitiva* eſt, quæ ab aliquo Legislatore poſitivo, ſive Deo ſive homine poſita eſt, tamquam regula obligans creaturam rationalem ad practicandum, vel omittendum ea, quæ non ex ſe, nec neceſſario conveniunt, aut diſconveniunt naturæ rationali, Et in hoc differunt, quod in lege naturali objectum ex ſe, neceſſario, & ab intrinſeco habet, quod ſit conveniens, aut diſconveniens bonum, aut malum. In lege vero poſitiva objectum ſolum ab extrinſeco libere, & contingenter a voluntate Legislatoris poſitivi habet, quod ſit conveniens, aut diſconveniens, & quod ſit obligans; unde quæ lege naturali ſunt prohibita, ideo ſunt prohibita, quia ex ſe mala. Quæ autem lege poſitiva prohibentur, ideo ſunt mala, quia prohibita.

Lex poſitiva ſubdividitur in Divinam, & humanam. *Lex* 21
Divina poſitiva eſt, quæ a Deo in tempore lata, & condita eſt. *Lex humana poſitiva* eſt, quæ lata & condita eſt ab homine,

Lex Divina poſitiva ſubdividitur in legem veterem, & 22
in legem novam. *Lex vetus*, ſeu Moſaica eſt, quæ a Deo per Angelos Moyſi, & per Moyſen Iſraelitis pro tempore veteris Teſtamenti tradita fuit. *Lex nova*, ſeu Evangelica eſt, quæ a Chriſto fuit condita, & partim per ipſummet, partim per Apoſtolos fuit publicata.

Lex Divina poſitiva alia eſt mere Divina poſitiva, & alia 23
eſt Divina poſitiva naturalis. *Lex divina mere poſitiva* eſt, quæ mere præcipit ea, quæ non ſunt præcepta a lege naturali, ut quod Confeſſarius debeat eſſe Sacerdos, quod Confeſſio peccatorum mortalium debeat præmitti ſumptioni Euchariſtiæ, & hujuſmodi. *Lex Divina poſitiva naturalis* eſt, quæ præcipit eadem quæ præcipiuntur a Lege naturali, ut quod Deus ſit colendus, parentes ſint honorandi, non ſit mentiendum, non ſit occidendum; & hujuſmodi.

Lex poſitiva humana ſubdividitur in legem, ſeu Jus gen- 24
tium, in legem Eccleſiaſticam, ſeu Canonicam, & in legem ſæcularem, ſeu Civilem. *Lex ſeu Jus gentium* eſt illa, ſeu illud, qua, vel quo omnes gentes, vel ferme omnes utuntur. *Lex Eccleſiaſtica*, ſeu Canonica eſt, quæ a ſummo Pontifice, & aliis ſuperioribus Eccleſiaſticis pro recta gubernatione Eccleſiæ, & ad Spiritualem animarum profectum, eſt legitime condita. *Lex ſæcularis* ſeu Civilis eſt, quæ auctoritate Principis, ſeu Magiſtratus ſæcularis eſt condita ad Civium politicam gubernationem, & ad rem publicam in pace, & juſtitia conſervandam.

Lex; ſeu Jus gentium ſubdividitur in primarium, & ſecun- 25
darium. *Lex, ſeu Jus gentium primarium, & Lex, ſeu Jus gentium ſecundarium*, quæ, & qualia ſint? Vid. *verb. Jus num.* 10.

Lex Eccleſiaſtica ſeu Canonica quomodo ſubdividatur? 26
Vid. *verb. Jus a num.* 19. *ad num.* 34.

Lex Sæcularis, ſeu Civilis quomodo ſubdividatur? Vide 27
verb. Jus a num. 12. *ad* 14.

Lex ſeu Jus gentium in hoc differt a lege Eccleſiaſtica, ſeu 28
Canonica, & a lege Sæculari, ſeu Civili, quod lex, ſeu Jus gentium concernat ſemper univerſalem, ſeu fere univerſalem hominum ſocietatem; Lex autem Eccleſiaſtica, ſeu Canonica, & Sæcularis, ſeu Civilis, concernat aliquando unicum Regnum, unicam Provinciam, imo & interdum unicam Civitatem. Et Lex ſeu Jus gentium in hoc differt a lege, 29
ſeu Jure naturali, quod lex, ſeu Jus naturale ſtricte ſumptum dirigat hominem præſertim ſolitarie ſpectatum; Lex autem, ſeu Jus gentium præciſe illum dirigat, ut in aliorum conſortio commorantem; imo ita in reguland is hominibus ſimul convenientibus occupatur, ut ejus diſpoſitiones concernant univerſalem, ſeu fere univerſalem hominum ſocietatem;

Quando inter leges Eccleſiaſticas, ſeu Canonicas, & Sæ- 30
culares, ſeu Civiles eſt aperta contrarietas, quænam ſint ſervandæ? Vide *verb. Jus a num.* 37. *ad num.* 41.

Summus Pontifex poteſt condere leges Eccleſiaſticas, ſeu 31
Canonicas in materia ſpirituali, & concernente animarum ſalutem, obligantes pro toto Orbe Chriſtiano; *Communis* per textum *in cap. Solitæ 6. de majoritate, & obedient.* & patet clare ex verbis Chriſti *Matt.* 16. ibi: *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis*, cum ſimilibus. Legatus Pontificis poteſt leges Eccleſiaſticas ferre intra fines ſuæ 32
Legationis; *cap. Nemini dubium* 10. *de Officio Legati*. Cardinales poſſunt ſimiles leges ferre in Eccleſiis ſui Tituli, in 33
quibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent; *cap. His quæ* 11. *de majoritat. & Obedient.* Patriarchæ, Primates, 34
Archiepiſcopi, & Epiſcopi poſſunt dictas leges ferre pro ſuis reſpective Diœceſibus; cap. *Si quis venerit 2. de majoritat. & obedient.* cum ſimilibus. Item Abbates exempti, aliique 35
Prælati habentes in ſuis Territoriis juriſdictionem quaſi Epiſcopalem; Hoſtienſ. *in Summa de Conſtitutionibus num.* 3. *& 4.* Suarez *lib. 4. de legib. c. 3. & cap. 4. num. 2. & ſeq. & cap. 5. num. 3. & 4.* Pirhing. *lib. 1. decretal. tit. 2. n. 4.* & alii paſſim *arg. cap. Annis ſingulis diſt. 18. & cap. 1. de conſecrat. diſt. 2. & cit. cap. Si quis venerit 2. de majorit. & obedient.* cum ſimilibus. Item Abbates, Priores, Abbatiſſæ, 36
Prioriſſæ, & Præfectæ Monialium, ſuperioreſque ſimiles independentes pro ſuis Monaſteriis, La Croix *lib. 1. tr. 2. cap. 1. num.* 562. & alii paſſim.

Concilium generale legitime congregatum poteſt con dere 37
Leges

Leges Eccleſiaſticas obligantes totam Eccleſiam, dummodo Summus Pontifex conſenſum præbeat, ealque confirmet; *Communis, & certa*. Et patet in habitis Conciliis Generalibus, & ſignanter in Concilio Tridentino, ubi præter Articulos Fidei, plura decreta circa reformationem morum condita fuerunt: Et quod debeant eſſe approbatæ, & confirmatæ a Summo Pontifice, habetur clare *ex cap. Significaſti 4. de electione*, ibi: „ Cum omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ „ auctoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eo„ rum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auc-
8 toritas, „ & expreſſe patet ex *cap. Regula 2. diſt.* 17. cum ſimilibus. Item Leges Eccleſiaſticas condere poteſt Concilium Provinciale, & Synodus Diœceſana obligantes proprios ſubditos intra limites ſui Territorii exiſtentes; *Communis*, per text. *in Catholica 8. diſt. 11. cap. Quod dicitis* 14. *diſt. 16.* cum ſimilibus.

Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Sede vacante poteſt con- 9
dere leges totam Diœceſim obligantes etiam poſt electionem novi Epiſcopi, donec ipſe illas revocaverit; *arg. cap. Cum olim 14. de majoritat. & Obedient. & cap. unic. eod. in 6. n. 6.* Capitulum Sede vacante ſuccedit Epiſcopo in his, quæ ſunt juriſdictionis; poteſtas autem condendi Leges, ut patet, pertinet ad poteſtatem juriſdictionis, adeoque &c. Et ſic tenent Aabas *in cit. cap. Cum olim n. 2. §. Septimo dubitatur*, Fagnan. *ibid. num.* 57. Layman *ibid. n. 6.* Felinus *in cap. Cum omnes 6. de Conſtitutionib. n.* 10. Pirhing. *lib. 1. decretal. tit. 2. num. 6.* Reiffenſt. *ibid. num.* 89. & alii paſſim.

Nec valeat objicere, quod ſicut Collegium Cardinalium 10
nequit condere leges, vacante Sede Papali, *ex cap. Ubi periculum 3. §. Iidem quoque Cardinales, de election. in 6. & Clementin. Ne Romani, §. 1. de election.* ita multo minus leges condere poteſt Capitulum, vacante Sede Epiſcopali. Non valet, inquam, quia id eſt peculiariter ſtatutum de Collegio Cardinalium, ne forſan cum gravi univerſalis Eccleſiæ periculo, & detrimento Romani Pontificis electio diutius protraheretur, ſi interim Collegium Cardinalium poſſet exercere Juriſdictionem Papalem; Secus autem eſt de Capitulo Sede Epiſcopali vacante, quod ubi ipſi competit electio Succeſſoris, habet a Jure præfixum ſibi ſolum trium menſium ſpatium. Tum quia Sede Papali vacante Juriſdictio Papalis non tranſit ad Collegium Cardinalium, *ex cit. Juribus cum ſimilibus*; bene vero juriſdictio Epiſcopalis tranſit in Capitulum Sede vacante Epiſcopali; *cap. Cum olim 14. de Majoritat. & Obedient. & cap. unic. eod. in 6.* cum ſimilibus.

Capitula Generalia Regularium, poſſunt condere leges, 41
& ſtatuta propria pro tota Religione ad ſucceſſores tranſeuntia juxta modum in unaquaque reſpective Regula præſcriptum, & conſuetudines proprias, ac privilegia, & ſic Capitula Provincialia reſpective pro quaque ſua Provincia; *Communis*.

Leges Civiles, ſeu Politicas condere poteſt Summus Pon- 42
tifex pro Ditione temporali ſuo Dominio ſubjecta, Imperator pro Imperio, Reges pro ſuis Regnis, & alii Duces, ſeu Principes, aut Reſpublicæ ſuprema Juriſdictione temporali gaudentes pro ſuis reſpective Ditionibus; *l. 1. ff. de Conſtitu-*
43 *tionibus Principum*. Principes autem alii Inferiores, & Civitates, ſeu Communitates ſuprema Juriſdictione temporali non gaudentes, ſed Juriſdictionem dependentem habentes, nequeunt leges, & ſtatuta condere, niſi accedat ceſſio, ſeu confirmatio ſupremi Principis, cui ſubjiciuntur, aut conſuetudo legitimè præſcripta; *Communis*.

Nulla poteſtas legislativa humana, ſive Eccleſiaſtica, ſi- 44
ve Laica, poteſt condere leges, vel ſtatuta contra jus naturale, vel Divinum præceptivum, vel prohibitivum, ſive ſtatuere aliquid contra id, quod Lex naturalis, aut Divina præcipit, ſeu prohibet; *Communis, arg. cap. Inferior. 4. diſt. 21. cap. Cum Inferior. 16 de Majoritat. & Obedient. 7. Cle-*
45 *ment. Ne Romani §. 1. de Election.* ibi: *Lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt*. Quinimmo nulla poteſtas Legislativa humana, Summo Pontifice excepto, poteſt leges ferre, & quidpiam ſtatuere contra Jus commune Canonicum, aut alias Conſtitutiones Apoſtolicas; *Communis* per text. *in citatis Juribus*, & in *cap. Inſtitutionis 7. cauſ. 25. quæſt. 2. & cap. quod ſuper his 9. de majorit. & obedient.* cum ſimilibus.

Novæ additiones ex aliena manu.

Lex non male definitur. *Norma liberarum actionum a Su-* 1
periore Inferioribus ſub præmio, vel pœna præſcripta.

Ex hac autem definitione facile eſt judicare de diverſis le- 2
gis ſpeciebus. Si enim de eſſentia legis eſt, ut feratur a Superiore Inferioribus, quot ſunt Hominibus Superiores (intelligo de Supremis), tot ſunt Leges.

Homines autem in ſtatu naturali conſiderati ſunt inter ſe 3
æquales, ita ut nemo alteri Superior ſit; unum tamen habeat 4
Superiorem *Deum*. In ſtatu vero civili eum habeat Superiorem, qui pro forma Reipublicæ, in qua ſunt, Summum ob- 5
tinet Imperium. Quinimo iis qui Chriſtianam Religionem am- 6
plexi ſunt accedit, & alter Superior in ſtatu civili, nimirum Vicarius Chriſti, ſcilicet Summus Pontifex.

Patet hinc, legem optime dividi in *Divinam*, & *Huma-* 7
nam. *Divina* vero prout a Deo promulgatur Hominibus eſt 8
vel *naturalis*, ſi lumine rationis promulgetur, vel *revelata*, ſi promulgetur per revelationem. Quomodo autem lumine 9
rationis aſſequi poſſimus hanc quam dicimus *naturalem* legem 10
plures poſt *Grotium* adlaborarunt. Sed fruſtra. Meo judicio 11
ſatis eſt ſimul conſiderare ideam Dei, & ideam Hominis, ut noſcere poſſimus, & quidem facili negotio, omnia noſtra 12
erga Deum, erga nos ipſos, & erga alios homines officia. Et ſumma ratione, Nequit enim Deus quidquam Hominibus præſcribere, quod conſentaneum non ſit ſuis attributis, tum proprietatibus Hominum; ſed hæc inquiſitio non eſt hujus loci.

Lex *humana* ſi ab eo qui potitur Summo Imperio in ſtatu 13
civili feratur, dicitur *civilis*, ſin autem a Summo Pontifice *Eccleſiaſtica*.

Habes diverſas legis ſpecies. Nec mireris quod nihil dixerim 14
de *jure gentium*. Si enim *jus* hoc *gentium* diverſum eſt a *Lege naturali*, commentitium eſt. Sunt enim ut dictum eſt Homi- 15
nes in ſtatu naturali inter ſe æquales. Quomodo igitur ferre potuerunt Gentes Gentibus dictantes Leges, quæ nonniſi a Su- 16
periori Inferioribus ferri poſſunt? Quod ſi nomine juris gentium intelligas quaſdam conſuetudines inter nonnullas cultas gentes tum tempore pacis, tum tempore belli receptas, abuteris nomine *juris*; nam hæ conſuetudines non in vim Legis, ſed potius in vim pacti obligant. Sed hæc jam noſtra tempeſtate excuſſa ſunt a tot viris doctis.

Articulus II.

Lex quoad ea, quæ concernunt ejus promulgationem, acceptationem, & obligationem.

Ad hoc ut Lex obliget quoad culpam, vel quoad pœ- 1
nam, requiritur ejus ſufficiens promulgatio. *Communis* per textum in *cap. Quia cunctis 1. de conceſſ. præbend.* ubi expreſſe dicitur, *quod Lex, ſeu Conſtitutio, & Mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam pervenerint eorumdem & Authent. Ut factæ novæ Conſtitutiones §. Sancimus collat. 5.* ubi Imperator ſic inquit: *Cur enim culpabimus eos, qui poſitas noſtras ignoraverint Conſtitutiones?* Et ratio eſt, quia cum Lex ſit præceptum rationale, nemo poteſt, aut teneatur illi parere, ſi ipſi non ſit ſufficienter promulgata, & ſine ſua culpa non ſit cognita; ignorantia enim tollit voluntarium, & ubi non eſt voluntarium, ibi nulla eſt culpa, & conſequenter neque pœnæ locus eſſe poteſt, cum culpa, & pœna ſint correlativa; *arg. cap. Satis 7. diſt. 56. & cap. Cognoſcentes 2. de conſtitutionibus*, ibi; „ Rem, quæ culpa „ caret, in damnum vocari non convenit, & cap. Sine cul„ pa 23. de Regul. Juris in 6. ibi: Sine culpa (niſi ſubſit „ cauſa) non eſt aliquis puniendus.

Ut Lex dicatur ſufficienter promulgata, ſufficit, quod ta- 2
liter promulgetur, ut ea ad notitiam Communitatis deveniat, quamvis ſingulorum auribus ſpecialiter, & ſingillatim non inculcetur; *Communis*, textu expreſſo in *cap. Ad hæc 1. de poſtulatione Prælator.* ubi dicitur „ quod nec ſit neceſſa„ rium, cum Conſtitutio ſolemniter editur, aut publice pro„ mulgatur, ipſius notitiam ſingulorum auribus per ſpeciale „ mandatum, vel litteras inculcare; ſed id ſolum ſufficit, „ ut ad ejus obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſole„ mniter editam, aut publicè promulgatam, „ & concordat *cap. Quod dicitis 14. diſt. 16.* cum ſimilibus

Si Lex juxta Legislatoris mandatum promulganda ſit tali 3

loco, & tempore, a quo velit ipsam obligare, V. G. statim ac in Curia, in Metropoli, vel postquam in singulis Civitatibus, vel Parochiis promulgata fuerit, vel statim elapso uno mense a die publicationis, & hujusmodi, tunc ipsa sive sit Civilis, sive Canonica, non incipit obligare, nisi post promulgationem factam in loco præscripto, & elapso tempore a Legislatore statuto; *Communis*, per varia exempla similium Legum, quæ habentur tum in Jure communi, ut in *cap. Cum singula* 32. *in fin. de præbend. in 6.* ubi statuitur executio ipsius Legis infra mensem postquam ad notitiam pervenerit; Tum in Concilio Tridentino *sess. 24. de reformat. Matrim. cap.* 1. ubi statuitur, talem legem non habere vim, nisi post triginta dies a die primæ publicationis in singulis Parochiis factæ numerandos; Tum in *Authent. Ut in privatis domibus, & capit. §. Hæc enim, Collat.* 5. ubi statuitur tempus trium mensium; Tum *in Authentic. Ut neque Miles, §. Sint igitur Collat.* 8. ubi statuuntur triginta dies computandi ab insinuatione, seu promulgatione dictarum Legum.

4 Leges Imperiales, seu Cæsareæ latæ pro pluribus Provinciis non incipiunt obligare, nisi post duos menses elapsos a die promulgationis factæ in cujuslibet Provinciæ Metropoli; *Communis*, textu expresso *in Authent. Ut factæ novæ Constituiones, Collat.* 5. Leges Regum, aliorumque Principum Romano Imperio non subjectorum, nisi aliud certum præfixerint tempus pro observantia, aut aliud legitima consuetudine præscriptum fuerit, incipiunt obligare statim ac sufficienter sint promulgatæ, & ad notitiam subditorum pervenerint, *arg. cap. Quia cunctis* 1. *de concession. præbend. §. Nec obstaret*, ubi expresse dicitur „ quod Lex, seu Constitutio, „ vel Mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad noti„ tiam pervenerint eorumdem; aut nisi post tempus, infra „ quod ignorare minime debuissent. „ Dicta enim *Authent. Ut factæ novæ constituiones*, est respectiva, ut in ipsa patet, ad solas Leges Imperiales latas pro pluribus Imperii Provinciis; Unde cum de Legibus Regum, aliorumque Principum Romano Imperio non subjectorum, nihil quoad hoc reperiatur in Jure statutum non est quid speciale temere asserendum; *Erubescimus enim sine Lege loqui*, inquiunt Jurisconsulti; *arg. Authent. de Triente, & Semisse, Collat.* 3. *& l. Si vero, §. De viro ff. Soluto Matrim. cum similibus*; & concordat *cap. Consuluisti* 20. *caus.* 2. *qu.* 4. ibi; „ Quod Sanctorum Patrum documento sancitum non „ est, superstitiosa ad inventione non est præsumendum, „ & sic tenent Abbas *in cap. Cognoscentes num.* 7. *de Constitutionib.* Pirhing. *l.* 1. *Decretal. tit.* 2. *num.* 30. Engel. *ibid. num.* 46. Reiffenstuel *ibid. num.* 113. Suarez *lib.* 3. *de Legibus cap.* 16. *num.* 7. Navarr. Palao, & alii passim.

6 Leges Pontificiæ, seu Constitutiones Apostolicæ incipiunt obligare quantum est ex se totum Orbem Ecclesiæ subjectum statim ac Romæ in curia, aliisque consuetis locis solemniter fuerint promulgatæ, & ad aliorum cognitionem pervenerint; nec est necesse quod etiam promulgentur in singulis Provinciis, ac Episcopatibus, nisi in ipsis aliud exprimatur; Colligitur clare *ex cap. Al. hæc* 1. *de postulatione Prælatorum*, ubi, ut patet ex propriis verbis adductis *supra num.* 2. expresse dicitur, *quod id solum sufficit, ut ad ejus (scilicet Constitutionis Pontificiæ) observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam*. Hoc autem jam fit, si Constitutio Pontificia Romæ solemniter promulgetur, & de tali promulgatione cuipiam certo constet. Et quod magis certam reddit nostram sententiam, est, quia ibi Pontifex per allatam rationem solemniter reprobat excusationem adductam de non servando Interdicto in Diœcesi Antisiodorensi, ex quo in tali Diœcesi non fuisset promulgatum Pontificium Decretum; adeoque Pontifex aperte declaravit decreta Pontificia esse observanda, quamvis in tali Diœcesi non fuerint promulgata; & colligitur etiam *ex cap. Quia cunctis* 1. §. *Nec obstaret, de concession. præbend. in 6.* per propria verba adducta *supra sub num.* 5. Et consequenter ad hoc ut Leges Pontificiæ obligent non requiritur, quod publicentur in singulis Provinciis, seu Diœcesibus, sed sufficit quod solemniter promulgentur Romæ in locis consuetis, & alibi de ipsis sufficiens notitia habeatur; *arg. cap. Eum qui* 31. *de Regul. Juris in 6.*

7 ibi; *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*.

Tum quia veritas hujus nostræ sententiæ aperte constat ex recepta praxi, consuetudine, ac Stylo Curiæ Romanæ, ubi omnes Judices Urbis, ut experientia constat, judicant contra omnes totius Orbis Christianos secundum Leges, seu Constituti ones Pontificias in locis Romæ consuetis promulgatas, quamvis non fuerint promulgatæ in singulis Provinciis, dummodo ver illas non ignoraverint; Consuetudo autem, est optima Legum interpres; *cap. Cum Dilectus* 8. *de consuetudin. & l. Si de interpretatione ff. de Legibus*. Quinimmo ipse Stylus Curiæ Romanæ habet vim Legis; *arg. cap. Quam gravе 6. de crimine falsi*.

8 Et hanc sententiam tenent Abbas Panormitan. *in cap. Noveritis 49. de sentent. excommunicat. num.* 3. ubi expresse dicit, quod „ Constitutio Papæ non est necessario publicanda „ in qualibet Provincia, quia satis est, quod publicetur in „ Curia Romana „; Vallensis *de Constitutionibus* §. 2. *num.* 2 Card. de Luca *tom.* 1. *part.* 1. *de Benefic. disc.* 76. *n.* 7. allegans Rotam *decis.* 365. *n.* 13. *&* 14. Antoninus Burgosius *in Repetit. ad c. Cognoscentes num.* 207. *de Constitutionibus*, Quintillianus Mandosius *in Repetit. ad cap.* 2. *de Constit. num.* 79. Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 2. *num.* 32. ubi citans Suarez, Silvestrum, Azor. Navarr., & alios dicit, quod hæc sententia sit communior; Reiffenstuel *ibid. num.* 118. ubi dicit, quod hæc sit communior, La Croix *lib.* 1. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 579. ubi aliis citatis dicit, quod ita docent communiter Canonistæ, Cardena *in* 1. *Crisi disp.* 9. *cap.* 20. *art.* 12. ubi dicit hanc esse certam; Farinaccius cum pluribus aliis *part.* 1. *Fragmentorum Criminalium num.* 653. dicens, quod hæc opinio sit verior, magisque communis, & recepta in Rota, Castropalao *par.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 12. *num.* 2. citans Suarez, Valquez, Silvestrum, & alios, ubi vocat hanc certam, & omnino tenendam sententiam. Et sic plurimi alii, contra plures alios tenentes contrarium.

9 Ad intrinsecam Legis constitutionem non requiritur acceptatio populi, unde ante populi acceptationem Lex ceteroquin justa jam obligat; sic late Fagnanus *in cap. Tregas* 1. *de Tregua, & pace num.* 48. *& sequent.* Pirhing *lib.* 1. *Decretal. tit.* 2. *num.* 37. ubi dicit, quod hæc est Theologorum sententia magis recepta, & per se loquendo absolute vera, Suarez *lib.* 3 *dict. cap.* 19. *num.* 6. Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. ubi cum multis aliis ibi citatis dicit, quod hæc sententia absolutè & per se loquendo est vera; Castropalao *part.* 1. *tract.* 3. *disp.* 1 *punct.* 13. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 1. *numer.* 193. ubi dicit hoc esse certum Busemb. *de Legibus tract.* 2. *c.* 1. *dub.* 3, & la Croix *ibidem*, Viva *in proposit.* 28. *damnat. ab Alexand. VII. num.* 6, *& sequent.* Reiffenstuel *lib.* 1. *Decret. tit.* 2. *n.* 136 ubi dicit, quod hæc communior Doctorum, & jam post propositionem 28. damnatam ab Alexandro VII. infra adducendam est fere indubitata, quamvis antea multi oppositum docuerint.

10 Et ratio nostræ Conclusionis est, quia ad hoc, ut intrinsece censeatur constituta, & vim de se habeat obligandi subditos, duo solum requiruntur, & sufficiunt ex parte Legislatoris, scilicet potestas, & voluntas obligandi subditos ad Legis observantiam, prout desumitur *ex cap. Cum super* 23. *de offic. Delegati*, Neutrum autem horum deficit in legitimis Legislatoribus, quia quantum ad potestatem, si sit sermo de supremo Legislatore Ecclesiastico, scilicet de Pontifice, habet eam absolutam ferendi Leges sine consensu, & acceptatione populi Christiani, immediate a Christo *Mat.* 16. ibi; *Quodcumque ligaveris super terram &c. & Joann.* 21. ibi; *Pasce oves meas*, Et si sit sermo de supremis Legislatoribus Laicis, habent talem potestatem ferendi Leges absque consensu, & acceptatione populorum, *leg.* 1. *ff. de Constit. Princip. §. Sed & quod Principi, instit. de Jur. nat. gent. & Civ.* & potestatem etiam habent obligandi, & cogendi subditos ad illarum observantiam; *l. Leges 7. ff. de Legibus, & cap.* 1. *ad finem dist.* 20 Quantum autem ad voluntatem, quod scilicet Legislatores eam habeant obligandi subditos independenter ab eorum acceptatione; & non sub pretensa ab adversariis conditione, *si subditi velint acceptare*, de se clare patet, quia alias essent potius consilia, seu exhortationes, quam Leges, seu Præcepta, textu claro *in cap. Quisquis* 3. *caus.* 14. *q.* 1. Tum quia cum Legislatores ferunt Leges, cogunt subditos independenter ab eorum voluntate, pœnis & suppliciis ad earum observantiam; *cap. Præceptis 2. dist.* 12. *cap. non frustra* 18. *& cap. De Liguribus* 43 *caus.* 23. *quæst.* 5. *cap. Clericorum* 13. *de vita & honestat. Cle icor.* cum similibus *leg. Leges 7. ff. de Legibus* cum concordantiis; adeoque eo ipso censentur habere voluntatem subditos obligandi absolute, & non solum sub conditione *si subditi velint Legem acceptare*, ac per consequens cum ex citatis Juribus possint Legislatores subditos coercere independenter ab eorum consensu ad Legum observantiam, & punire transgressores, stat clarum, quod possint etiam independenter ab eorum acceptatione ferre Leges obligantes, quia in tantum possunt subditos sic coercere, & punire, in quantum possunt eos obligare.

11 Nec valet objicere *cap. In istis* 3. *dist.* 4. ubi dicitur, *quod Leges instituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur*. Non valet, inquam, quia ultra quam quod dictum illud cum sit Gratiani non habeat Canonis auctoritatem: textus ille aperte favet nostræ conclusioni, quia si *Leges instituuntur cum promulgantur*, ergo cum promulgentur ante populi acceptationem, antecedenter ad hanc acceptationem, sunt jam institutæ, & jam obligant, adeoque si Leges sunt jam institutæ ante populi acceptationem, populi acceptatio non requiritur ad intrinsecam Legis constitutionem. Id autem quod sequitur, scilicet, *firmantur cum moribus utentium approbantur*, debet intelligi, ut cum aliis recte notat Fagnanus *in cap. Tregas* 1. *de Tregua, & pace num.* 48. *&* 49. quod Leges firmantur moribus, quoad firmitatem stabilitatis, seu de facto, non autem quoad firmitatem auctoritatem, seu de jure, nam de jure, & quoad auctoritatem obligandi sunt jam satis firmatæ ab ipsa legitima institutione, seu firmantur moribus, & usu, non firmitate intrinseca, & essentiali, ut incipiant obligare, cum usus ipse ex obligatione nascatur, sed firmantur quadam firmitate extrinseca, & accidentali, ut sic moribus utentium comprobatæ stabiliores sint, & non facile per desuetudinem abrogentur.

12 Hinc subditi peccant mortaliter, si sine rationabili causa non acceptent Legem obligantem sub mortali: Habetur clare ex illo Apostoli Pauli ad Roman. 13, ibi; *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, & ideo merito fuit damnata ab Alexand. VII. *die* 24. *Septemb.* 1665 sequens propositio, ordine 28, ibi; *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat*

13 *Legem a Principe promulgatam*. Ex qua damnata propositione aperte infertur, quod Lex sine rationabili causa non acceptata, adhuc perseveret obligare, præsertim si Legislator instet pro Legis acceptatione, & observantia, & Lex sit justa, & Legislator sit legitimus ex illis assignatis *art.* 1. *a numer.* 31. *ad* 43.

14 Si Lex non acceptetur, nec observetur, & id sciat, & taceat Legislator, quamvis primi sine rationabili causa ipsam non acceptantes, nec observantes peccaverint, tamen ipsi, & alii a die, quo cognoscunt id scire & tacere Legislatorem, non peccant, quia tunc rationabiliter censetur hoc ipso Legem revocare, si cum possit pro acceptatione, & observantia

15 instare, non instat. Si Legislator nesciat Legem non acceptari nec deduci ad observantiam, durat Legis obligatio, donec elabatur decennium, quo elapso, habet locum contra eam, præscriptio, & non amplius obligat, sive sit Lex, Civilis, sive Canonica.

16 In dubio, an Lex sit acceptata, nec ne, præsumi debet, quod sit acceptata, & observari debet, quia cum constet de Lege, pro ea fit possessio. Tum quia ipsa debuit acceptari ex dictis. *num.* 12. *&* 13. adeoque præsumendum est fuisse acceptatam. Bonacina, Sanchez, & alii cum la Croix *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 1. *dub.* 1. *num.* 592. Busemb. *ibid. dub.* 3. *in fine*, Viva *ad propositon. damnat.* 28. *Alexandr. VII. n.* 14. & alii.

17 In dubio, an Superior habeat potestatem ferendi hanc, vel illam Legem obligatoriam, talis Lex debet acceptari, & observari. Possessio enim stat pro absoluta potestate Superioris ad ferendam omnem justam, & rationabilem Legem, nisi habeatur certitudo, quod hæc, vel illa Lex sit supra ejus potestatem; in casu autem nostro non haberetur certitudo, sed sola dubietas, uti supponitur, adeoque &c. Sanch. *in*

18 *Decalog. lib.* 6. *c.* 3. *n.* 6. la Croix *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 1. *n.* 594. & alii passim. In dubio an Lex sit justa nec ne? Debet acceptari, & observari; Superior enim est in possessione imperandi omne id, quod judicat justum, & licitum, & subditus tenetur observare omne tale præceptum, quod non scit certo esse injustum, & malum, Ovied. *de conscient. controv.* 3. *punct.* 5. *n.* 61. la Croix *loc. cit. n.* 595; & alii passim; *arg.*

19 *c. Quid culpatur* 5. *caus.* 23. *qu.* 1.

Populus habens rationabilem causam non acceptandi Legem latam a Supremo Principe, potest, & debet ad ipsum recurrere per remedium supplicationis pro sublatione Legis; Et si Lex sit lata a Legislatore inferiore potest appellare ad

20 Superiorem. *Communis*, *arg. c. Si quando* 5. *de Rescriptis*. Et durante tali supplicatione, vel appellatione, licitum est populo suspendere obligationem Legis, sic enim habet usus & praxis; neque ideo puniuntur subditi, si pendente *tali* supplicatione, vel appellatione Legem non observent; Et revera sic convenit suavi Reipublicæ gubernationi, ne subditi illico premantur nimia Legis gravitate, ad quam alias non tenentur ex rationabili causa a Legislatore ignorata, quæ si 21
ab ipso cognita fuisset, talem Legem non condidisset; Tum quia subditi allegantes justam causam ob quam nequirent propter peculiares circumstantias loci, temporis, consuetudinis, & hujusmodi, talem Legem observare, sibi ipsis ipsomet facto contradicerent, si ipsam interea observarent. Sic Rodriquez, Salas, Bonacina, Granad. & alii apud Moyam *in Sel. tom.* 6. *p.* 1. *q.* 6. *n.* 16. Herincx *part.* 2. *Summæ Theologicæ disp.* 3. *de Legibus n.* 116. cum aliis ibi citatis, Illsung. *tract.* 1. *d.* 2. *n.* 5. la Croix *lib.* 1. *tract.* 2. *c.* 1. *n.* 639. Reiffenst. *lib.* 1. *Decretal. tit.* 2. *n.* 145. & alii plures; *arg. c. Si quando* 5. *de Rescriptis*, ubi Alex. III. rescribit Ravennat. Archiepiscop. præcisis his verbis: „ Si quando aliqua „ tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare „ videntur, turbari non debes. *Et infra*, Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur diligenter considerans, aut man„ datum nostrum reverenter adimpleas, aut per Litteras tuas „ quare adimplere non possis, rationabilem causam præten„ das, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod „ prava Nobis fuerit insinuatione suggestum. „ Suarez tamen *lib.* 4. *de Legibus cap.* 16. *num.* 8. Castropalao *part.* 1. *disput.* 13. *num.* 14. Valquez, Lorca, Garcias, teste Leurenio *part.* 3. *q.* 170. *num.* 5. tenent oppositum, volentes interim esse observandam legem, quia certo possidet, & excusatio est dubia.

Si Legislator audita populi supplicatione, vel alius Supe- 22
rior audita populi appellatione, taceat, nec ulterius pro Legis observantia instet; cum possit, censetur populi supplicationi vel appellationi tacite annuere, & eo ipso Legem revocare; *arg. cap. Qui tacet* 43. *de Regul. Juris in 6.* ibi: *Qui tacet consentire videtur* Reiffenstuel *loc. cit. n.* 146. Bonacina *disp.* 2. *de Legibus*, *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 43. Castropalao *loc. cit. punct.* 13. *n.* 15. la Croix *loc. cit. num.* 640. Salas, 23
& alii plures. Limitanda tamen est conclusio in casu, quo aliunde satis colligeretur, quod talis taciturnitas Legislatoris, seu Superioris, esset per modum repulsæ, aut indignationis, quia tunc potius firmaretur lex, ut, recte notat la Croix *loc. cit. n.* 640.

Leges humanæ justæ, tum Ecclesiasticæ, tum Civiles 24
obligant in conscientia, itaut earum transgressio culpabilis in materia gravi sit peccatum mortale. *Communis*. Et ratio est, quia leges humanæ continent præceptum Superioris, & consequenter obligant in conscientia, cum lex naturalis præcipiat esse obediendum Superioribus justa imperantibus; Unde Apostolus *ad Roman.* 13. sic expresse habet; *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & infra subdit; *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram; sed etiam propter conscientiam*, id est non solum metu pœnæ, quam posset infligere Princeps iratus transgressoribus, sed etiam metu culpæ, quam incurrerent subditi ejus legem transgrediendo, quæ Scriptura expressius loquitur de Superioribus temporalibus, illque etiam Gentilibus, & Ethnicis. Unde Apostolus ibidem loquendo de Regibus, Principibus, & aliis Superioribus Sæcularibus, ait; *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, quæ autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt*. Damnatio autem non incurritur nisi ob peccatum mortale, adeoque &c. Et quod nedum leges Ecclesiasticæ, sed etiam Civiles sic obligent, habetur etiam *ex cap. Quo jure* 1. *dist.* 8. ubi sic dicitur; *Ipsa Jura humana per Imperatores, & Reges sæculi Deus distribuit humano generi; cap. Nemo* 15. *caus.* 16. *q.* 4. ubi dicuntur; *Venerandæ* Romanæ leges Divinitus per ora Principum promulgata &c. Unde *c. Quæ contra* 2. *dist.* 8. dicitur expresse; *Generale pactum est societatis humanæ, obedire Regibus suis*.

Non sic tamen obligant ad culpam Leges mere pœnales; 25
quia istæ obligant ad solam pœnam transgressoribus taxatam. *Sic Communis* S. Th. 2. 2. *q.* 189. *art.* 9. *ad* 1, ubi id probat ex Regula Patrum Prædicatorum, in qua dicit dari aliqua, quorum transgressio, vel omissio ex genere suo non obligat ad culpam, neque mortalem, neque venialem, sed solum ad pœnam taxatam subeundam. Et ratio est, quia Lex non obligat ultra mentem Legis latoris; ergo si Legislator intendat, & declaret expresse se solum quoad pœnam velle subditos obligare, jam clare patet talem Legem non obligare quoad culpam; nam actus agentium non operantur ultra eorum intentio-

tionem ; *c. ult. de præbend. & l. Non omnis, ff. si certum petatur*, cum similibus.

26 Hic juvat notare quomodo differat Lex mere pœnalis a Lege mixta. Unde *Lex mere pœnalis* ea est, quæ ad culpam per se loquendo non obligat, sed ad solam pœnam trasgressoribus taxatam. Lex *moralis* ea est ; quæ expresse nullam pœnam transgressoribus imponit, sed mores dirigit, obligando ad actum, vel omissionem illius ; unde tunc, ne crimina remaneant impunita, pœna non taxata a Lege potest imponi transgressoribus prudenti arbitrio Judicis. Lex *mixta* ex morali, & pœnali ea est, quæ obligat ad actum, seu commissionem illius, & simul ad poenam transgressoribus taxatam.

27 Lex Penalis alia est latæ sententiæ, & alia sententiæ ferendæ. *Lex penalis latæ sententiæ* est illa, per quam posito delicto statim vi ipsius legis poena irrogatur, & Legislator pœnam per ipsammet legem delinquenti imponit, atque ad eam condemnat. *Lex poenalis sententiæ ferendæ* è contra est illa, per quam Legislator pœnam solummodo comminatur delinquenti, nondum autem per se, ac vi Legis suæ imponit, sed primum per sententiam Judicis imponenda decernit.

28 Pro cognoscenda lege pœnali an sit latæ, vel ferendæ sententiæ, attendendæ sunt sequentes regulæ. Prima, quoties est dubium, an verba Legis contineant sententiam latam, vel ferendam, tunc censendum est, quod contineant solum sententiam ferendam. *Communis, argument. cap. Odia restringi 15. de Regul. Jur. in 6., & cap. In poenis 49. eod. in 6.* ibi : *In poenis benignor est Interpretatio facienda, & l. Interpretatione 42. ff. de pœnis*, ibi : *Interpretatione legum poe-*
29 *næ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ*. Secunda regula est, quod quando lex solum comminatur pœnam, tunc continet solum sententiam ferendam, ut si dicat ; *Sub poena Excommunicationis, sub pœna Interdicti ; sub poena privationis Officii ; sub poena privationis vocis activæ, & passivæ*, & hujusmodi, dummodo tamen non addatur alia particula importans poenam latæ sententiæ ; ut si dicatur ; *Sub poena Excommunicationis, seu privationis Officii, aut vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrenda. Sic communis* cum Farinac. *par. 2. fragment, verb. lex n. 69.*

30 Tertia Regula est, quod Lex pœnalis, utitur verbis futuri temporis, tunc est solum sententiæ ferendæ, ut si dicat : *Excommunicabitur, officio, seu voce activa, & passiva privabitur*, & hujusmodi. *Communis* cum Farinaccio *loc. cit. n. 63* Reiffenstuel *lib. 1 Decretal. tit. 2. n. 210. arg. Clementin. Sæpe verb, Irritandus, de verb. significat.* ubi verbum illud *irritandus* expresse opponitur verbo *irritus*, quod importat nullitatem actus ipso Jure.

31 Quarta Regula est, quod quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ non afficiunt immediate ipsam pœnam, sed ipsam actionem Judicis, ut si dicat. *Excommunicetur: privetur voce activa, & passiva*, & hujusmodi, tunc est solum sententiæ ferendæ ; nisi tamen addatur alia particula importans pœnam latæ sententiæ, Farinac. *loc. cit. n. 63.* Herincx
32 *part. 2. disput. 6. de legibus n. 5.* Reiffenst. *loc. cit. num. 211.*, & alii passim. An autem quando lex utitur verbis imperativi modi, quæ afficiunt immediatè ipsam pœnam, ut si dicat: *Sit Excommunicatus, anathema sit, sententiam excommunicationis incurrat. subjaceat Excommunicationi, seu Interdicto*, & hujusmodi, sit latæ sententiæ, vel ferendæ ? variant Doctores. Multi enim volunt, quod per dicta, & similia verba importetur pœna latæ sententiæ ; *arg. c. Et si pignorationes 1. de injuriis in 6.* & ibi *Glossa in fine*, ubi notatur quod ly *sententiam excommunicationis incurrat.* & ly *subjaceat Interdicto* pœnam latæ sententiæ importet. Sic notat etiam Abbas *in cap. Quia in omnibus, de usuris n. 9.* Et ita etiam verba illa : *Anathematis vinculo subjaceat, in cap. Si quis suadente 24. caus. 17. quæst. 4.* volunt plures, quod importent poenam latæ sententiæ ; & quod ly *sit anathema*, importet pœnam latæ sententiæ docet Felinus *in cap. Rodulphus, de Rescriptis num. 33.* post Glossam *in cap. Guilisavius 23. quæst. 4.* Et id ostendunt Doctores hujus opinionis ex Conciliis Generalibus, & præsertim ex Tridentino, quod contra quemcumque de definitionibus Fidei a se factis contrarium sentiat, absolutè pronuntiat *Anathema sit*, idest *sit ipso facto excommunicatus*.

33 Plurimi tamen alii tenent, quod dicta, & similia verba, de se importent solum sententiam ferendam, & non sententiam latam, nisi alia adjecta verba, vel Jura id declarent. Sic Navarr. *cap. 17. Manual. num. 12.* ubi ex professo docet quod hæc verba *sit excommunicatus*, non denotent sententiam latam, sed ferendam, nisi cum alia adjecta verba, vel Jura id declarant. Idem tenet Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 12. num. 2.* & post Baldum *in cap. At si Clerici num. 20. de Judiciis*, & alios, docent quod ly *Excommunicatus sit, Anathema sit* non continent sententiam latæ Excommunicationis, nisi hæc aliunde habeatur. Idem docet Layman. *lib. 1. tractat. 2. part. 1. num. 3.* Herincx *part. 2. disp. 5. de legibus numer. 7.* Reiffenst. *loc. cit. num. 215. & sequent.* & alii. Quinimmo licet Abbas *cap. 2. num. 13. de Foro competent.* post Glossam *in cap. Quicumque, verb. Imodetur, de Hæretic. in 6.* & quosdam alios teneat per hæc verba : *Sit excommunicatus, innodatus*, & hujusmodi significari Excommunicationem ipso facto ; illico tamen addi ob Jura in oppositum pugnanti a ; hujusmodi verba esse intelligenda juxta subjectam materiam, nec continere latam sententiam, quando per alia Jura patet, quod non inferatur sententia ipso facto. Et ratio hujus opinionis est, quia plurimi Canones habent illa verba : *Anathema sit*, & tamen continent solummodo sententiam ferendam juxta Glossam *final. cap. 2. de Foro competent.* Quæ etiam censet in simili, verba illa, *Ab Ecclesia Dei sit sequestratus*, significare sententiam ferendam. Tum quia verbum *sit* est futuri temporis, & potest commode explicari per ly *Fiat excommunicatus*, prout Glossa *final. in cap. Si quis ex Clericis, de vita, & honestat. Cleric.* explicat ly *Anathema sit* dicens, *hoc est, fiat : non enim est excommunicatus ipso Jure* ; Et si explicanda esse dicit Layman *loc. cit.* ista verba, *excommunicatus sit, anathema sit, quasi præcipiatur Judici : ut ab ipso criminosus excommunicatus fiat* : Unde per similia verba non videtur ferri sententia ipso Jure, seu ipso facto, nisi aliquid aliud addatur, V. G. *ipso facto sit excommunicatus, ipso Jure sit suspensus* ; *Ipso Jure innodatus existat, & hujusmodi*. Tum etiam quia dicta verba, & similia, uti liquet ex ipsa Doctorum varietate sentiendi, & ex allatis rationibus, dubia sunt, an contineant sententiam latam, vel solum ferendam ; atqui quoties dubium est, an verba Legis contineant sententiam latam vel ferendam, tunc censendum est, quod contineant solum sententiam ferendam, ut tenet Communis per Jura adducta *sub n. 28.* ergo &c. Tum tandem quia, si Conditor Legis voluisset præfata, & similia verba esse intelligenda de sententia lata, cum potuisset exprimere, expressisset; *arg. cap. Inter corporalia 2. de translation. Episcop. §. Sed neque istud, cap. Quia circa 22. de privilegiis, & cap. Ad audientiam 12. de Decimis*.

34 Ad auctoritates pro prima opinione adductas, præsertim *ex cap. Si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.* ubi verba illa ; *Anathematis vinculo subjaceat*, intelliguntur communiter de sententia lata : respondetur, quod in tantum ibi sic intelliguntur, quia verba immediate sequentia, quibus ibidem absolutio reservatur Papæ, & plures alii Sacri Canones clare significant Excommunicationem ob injectas manus violentas in Clericum esse latæ sententiæ. Et ad illud de Conciliis Generalibus, & signanter in Concilio Trident. ubi ly *Anathema sit*, contra Hereticos, seu contra sentientes contrarium de definitionibus Fidei ab ipso Concilio factis, fulminatum, importat sententiam latam, Respondetur quod ibi de tali sententia lata sic intelligitur, quia Heretici ipsomet Jure jamdudum fuerant excommunicati Excommunicatione latæ sententiæ, ut patet *in cap. Achatius 1. & in capit. Majores 2. caus. 14. quæst. 1* cum similibus. Unde ob hujusmodi instantias notanter in conclusione posita *sub num. 33.* additum fuit, verba illa non denotare sententiam latam, sed ferendam, *nisi alia adjecta verba, vel Jura id declarent*, prout accidit in allatis exemplis *de cap. Suadente, & de Concilio Tridentino*, & de aliis similibus, quæ possunt afferri : Sic fere literaliter Reiffenstuel. *loc. cit. n. 216.*

35 Quinta Regula est, quod quando lex utitur verbis, quæ nullam dilationem temporis admittunt, v. g. *mox, statim, illico, ex tunc, ipso facto*, & hujusmodi, tunc est latæ sententiæ. Item lex latæ sententiæ est, quando Legislator sibi, vel legi suæ adscribit sententiam, dicendo, v. g. *Auctoritate nostra, Virtute præsentium ipso Jure subjaceat tali pœnæ*. Item lex latæ sententiæ est, quando utitur verbis indicativi modi præsentis, vel præteriti temporis, dicendo v. g. *Excommunicamus, Suspendimus, Interdicimus, sciat se esse excommunicatum, sciat se Excommunicationem incurrisse, noverit Suspensionem, Interdictum, seu Excommunicationem se incurrisse*, & hujusmodi Farin. *cit. part. 2. Fragment. verb. Lex n. 74.* Card. Tuschus *litt. T. conclus. 719. num. 15.* Herincx *loc.*

loc. cit. num. 7. Layman *loc. cit. num. 3.* Suarez *lib. 5. de Legib. c. 6.* & alii passim.

36 Lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam Judicis. *Communis*. Reus enim non obligatur ad amplius, quam lex ipsi imponit ; lex autem ferendæ sententiæ solum imponit reo, ut pœnam subeat postquam ad ipsam per sententiam Judicis fuerit condemnatus, adeoque lex pœnalis sententiæ ferendæ non obligat ante sententiam Judicis.

37 Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ aliam executionem externam non requirunt (ut v. g. in Censuris latæ sententiæ, in Irregularitatibus, impedimentis Matrimonii, & hujusmodi) obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. Sic Suar. *lib. 5. de legibus c. 5.* Sanch. *lib. 9. de Matrim. dis. 27. n. 2. & disp. 30. n. 2.* Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit. 2. n. 226.* Engel. *ibid. n. 43.* Mastrius *Theol. moral. disp. 2. qu. 5. art. 3.* cum Cajetan. Bannez, Medina, Valentia ab ipso citatis. Castropal. *part. 1. tract. 3. disp. 2. punct. 2. n. 1.* & alii passim. Et ratio est, quia valde expedit, ut Ecclesia ad augendum spiritualem fidelium profectum utatur non solum pœnis in Foro externo infligendis, sed etiam pœnis in Foro interno illico incurrendis ob peccata etiam occulta, ut hac ratione ipsi Fideles magis, magisque retrahantur ; & hoc patet ex pluribus sacris Canonibus ; *in cap.* enim *Si quis suadente 29. caus. 17. q. 4.* Excommunicatio lata in percussores Clericorum, & Monachorum incurritur ipso facto, & idem est de aliis Censuris Ecclesiasticis ipso Jure latis ; *c Cum Desideres 15. de sent. excommunic. c. Illud Dominus, & sequen. de Clerico excommunicat. ministrant.* & alibi, & idem est de Irregularitate ; *cap. ult. de temporibus Ordinat. & c. Presbyterum ac sequent. de homicid.* & idem est de impedimentis Matrimonii, ut de affinitate ex copula illicita, impedimento criminis, & hujusmodi, quæ ipso facto oriuntur, quamvis crimina sint occulta.

38 Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ externam executionem requirunt (ut v. g. est amissio dominii, confiscatio bonorum, privatio Beneficii, aut Officii Ecclesiastici, aut privationis alicujus rei propriæ etiam acquisitæ, & hujusmodi) non obligat in conscientia ante Judicis sententiam declaratoriam de crimine commisso, nisi lex in specie addat clausulam, *alia etiam declaratione non secuta*. Sic Menochius *de arbitrar. Iudic. casu 416. n. 2.* Sanch. *lib. 2. in Decalog. c. 27. num. 7.* Silvest. *verb. Hæresis 1. n. 31.* Navarr. *tom. 2. comment. de datis, & Episcopis, notab. 31. n. 44.* Reiffenstuel *lib. 1. decret. tit. 2. n. 277.* Engel. *ibid. n. 45.* Laym. *lib. 1. tract. 4. c. 15. n. 6.* Mendo, *verb. lex n. 31.* Felix Potestas *tom. 1. part. 5. n. 180.* Mastrius *loc. cit.* Herincx *disp. 5. q. 2.* Kazenberget *in supplement. Theol. Moral. Patr. Sporer. c. 1. sect. 3. q. 5. n. 265.* Silvius *in resol. variis par. 1. verb. Beneficium cas. 5.* Illsung. *tom. 1. dist. 2. n. 73.* La Croix *lib. 1. tract. 2. cap. 1. dub. 2. n. 612.* ubi citat Granad. Molin. Covarruv. Vasq. Lezan. Less. Suarez., & alios, & plures alii apud Leuren. *part. 2. quæst. 288.* Farinac. *part. 2. Fragment. verb. lex num. 158.* & alii ; *arg. cap. Cum secundum 19. de Hæreticis in 6.* ubi quamvis bona Hæreticorum decernantur ipso Jure confiscata, tamen ipsi non illico in conscientia obligantur bona sua tradere Fisco ; Immo ibi Bonifacius VIII. condidor illius decretalis expresse prohibet fieri dictæ confiscationis executionem, seu bonorum occupationem ante sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici super crimine Hæresis commisso ; adeoque idem est dicendum de aliis similibus legibus pœnalibus externam executionem requirentibus, cum de similibus idem judicium sit habendum *c. Inter corporalia 7. de translation. Episcop.* Et ratio est clara, quia lex debet esse possibilis moraliter observatu, ac secundum naturam humanam, scilicet naturæ humanæ accommodata, *cap. Erit autem lex 2. dist. 4.* est autem ab hominum natura, & moribus alienum, ut quis seipsum ante omnem Judicis sententiam etiam declaratoriam in conscientia spoliare debeat rebus jam possessis, aut Juribus acquisitis, cum sic delinquens teneretur suum occultum delictum propalare, seipsum infamare, & condemnare, quod esset naturæ humanæ durissimum, adeoque &c.

39 Imo Illsung. *tom. 1. disp. 2. num. 72.* universaliter concludit, quod quamvis Legi addatur clausula *ipso facto ante declarationem* ; tamen de facto nulla datur lex pœnalis, quæ nulla præmissa Judicis sententia denunciante, vel pœnam, vel crimen, obliget, exceptis legibus statuentibus Censuram Ecclesiasticam, Irregularitatem, reservationem absolutionis, impedimentum criminis in Matrimonio, privationem petendi debitum conjugale ratione incestus intra secundum gradum, privationem fructuum ob neglectas Horas. Et idem tenent Dominicus Soto *lib. 1. de justit. q. 6. art. 6.* Covarruv. *de Matrimon. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 9. & 13.* Henriquez *de Excommunicat. cap. 26.* Paulus Mezgor *tract. 8. dip. 35. art. 2. num. 4.* Lessius *lib. 2. de justitia cap. 29. dubitat. 8. num. 63.* & ipso teste multi alii recentiores ; Herincx *loc. cit. num. 14.* Kazemberger *loco cit. num. 267.* & alii, qui docent quod si Lex dicat: *ipso facto absque alia declaratione*, seu *nulla declaratione præmissa*, vel *nulla alia declaratione expectata*, & hujusmodi ; tales clausulas esse intelligendas de declaratione, qua declaret ut pœnam esse incursam, non autem qua declaretur crimen commissum ; idest intelligendæ sunt de declaratione pœnæ, non negata declaratione criminis. Et quamvis hæc expositio videri posset non parum torta, & violenta, & minus congruens menti Legislatoris, & ideo rejiciatur a Suarez, & pluribus aliis, illam tamen confirmat usus, ut dicunt Lessius, Herincx, Kazemberger *loc. cit.* & alii ; ex quo usus constat non teneri reos, seu possessores se abdicare bonis, vel officiis ante declarationem criminis, quamvis leges pœnales dicant pœnam incurrendam esse *ipso facto absque alia declaratione*, quia licet prima Legislatoris mens fuisset alia, non quidem obligaret ex hoc capite ; cum similes leges non videantur receptæ in illo rigore, ut sponte teneatur se reus spoliare, sed potius est eis per contrariam consuetudinem in hac parte derogatum, & praxis habet, ut nulla alia pœna proprie dicta (qualis est privatio alicujus rei jam cœpta possideri, vel alicujus, Juris quæsiti) incurratur ante sententiam declaratoriam criminis, uti post Farinaccium, & alios asserit Castropalaus *disp. 2. punct. 2. numer. 12.* Kazemberger *loc. cit.* adeo ut nullatenus alioquin possit mandari executioni ; Reiffenstuel *loc. cit. num. 233.* cum *aliis* ibi citatis. Declaratoria autem requirit citationem partis, teste Julio Claro, & Reiffenstuel *loc. cit. num. 234.* & ab ea dari potest appellatio, ut docent *Farinaccius*, & alii apud Kazemberger *loc. cit. num. 267. in fine*.

Dices, si lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ externam executionem requirunt, non obligat in conscientia ante Judicis sententiam, juxta dicta *supra num. 38.* ergo nulla erit differentia inter legem pœnalem latæ sententiæ, & legem pœnalem sententiæ ferendæ, cum in utraque ad inducendam obligationem æque requiratur sententia Judicis. Respondetur negando sequelam cum sua probatione, adest enim inter ipsas sua vera, & realis differentia ; nam pro incurrenda pœna legis poenalis ferendæ sententiæ, requiritur sententia condemnatoria Judicis, & talis pœna debetur solum a tempore latæ hujus sententiæ, pro incurrenda autem pœna legis pœnalis latæ sententiæ nullimode requiritur sententia condemnatoria, sed sufficit sola sententia declaratoria Judicis super admisso crimine, & hæc pœna debetur non solum a die latæ hujus sententiæ declaratoriæ super admisso crimine, sed etiam a die perpetrati delicti cui pœna a Jure imposita fuit : cum per juris fictionem a tale tempus retrahatur sententia declaratoria, quod non verificatur de sententia condemnatoria. Sententia enim condemnatoria cadit supra pœnam, quæ cum sit sententiæ ferendæ, non incipit currere, nisi a die hujus latæ sententiæ. Sententia vero declaratoria cadit supra culpam, cui cum a Jure fuerit imposita pœna statim, ac fuerit commissa, statim, ac habita declaratione de tali culpa commissa, incipit currere a die talis commissionis, seu perpetrationis, Reiffenstuel. *loc. cit. num. 230. & seq.* cum aliis ibi citatis, Kazemberger *loc. cit. 269.* & alii.

Instabis : Ergo si non obstante clausula *ipso facto incurrenda* adhuc requiritur sententia declaratoria Judicis, frustra apponitur in lege pœnali dicta clausula *ipso facto incurrenda*. Respondetur negando consequentiam, quia talis clausula denotat, quod post Judicis declarationem de commissa culpa, seu delicto, non requiratur alia sententia condemnatoria circa pœnam subeundam, sed tunc ipso facto debere delinquentem subire eam, quæ in lege ipso Jure designata est ; Sic Mendo *verb. lex num. 32.* Felix Potestas *tom. 1. part. 1. num. 180.* & Doctores omnes supra citati.

Urgebis : Ergo saltem superflua erit illa addita clausula *absque alia declaratione*. Respondetur negando consequentiam, quia ut dictum est *supra num. 39.* talis, & similis clausula intelligenda est de declaratione, qua declaretur crimen esse commissum ; Unde quamvis talis, & similis clausula videatur superflua ; quoad declarationem incurrę pœnæ, non est tamen superflua, quoad declarationem commissæ culpæ, seu

seu delicti, cui a Jure imposita est talis pœna, Sic Doctores citati *dict. num.39.* Vide Nicolium in *Flosculis verba Pœna num.14.* ubi dicit, hanc opinionem probasse *Sacr. Congreg. Episcop. & Regular. 5. Octobr.1646. & 26. Novemb. 1649.*

45 * Legi Episcopali, vel Synodali non tenentur illi, qui in Diœcesi quidem degunt, sed extra Diœcesim abeunt mox redituri, si interim extra fines Diœceseos aliquid agant contra illam legem, quia lex per se & immediate territorium respicit. Verum si quis e Diœcesi se absentet animo declinandi Synodale statutum, fraudem illi patrocinium præstare non est æquum, quare tunc peccant contra eamdem legem, ita Clemens X. in Constitut. incip. *Superna* edixit, pœnitentes recedentes e territorio in fraudem non esse absolvendos a reservatis sui territorii. Bened. XIV. *de Synodo Diœcef. lib.6. cap.8. §.10.*

46 Lex ab Episcopo lata extra Synodem, audito tamen consilio Capituli, longe probabilius perseverat etiam post obitum ejusdem Episcopi, neque enim habet quid diversum a lege in Synodo lata, quam etiam defuncto Episcopo preservare satis constat. *Ibid. l.8. c.5. §.1.* Lex Synodalis si non accepterur a populo, quamvis peccant non acceptantes; tamen si id sciat Superior post paucos actus ab eo neglectos, & non punitos, ligare desinit ex quadam ejus conniventia. *Ibidem*

48 *lib.8. cap.5. §.3.* Si vero id nesciat Episcopus, tunc decennium sufficere censetur; hoc enim sufficit, ut consuetudo longi temporis dicatur. *Ibid.*

49 Si vero jam acceptata sit, præscriptio contra illam inducitur per decennium, neque enim agitur de præscriptione, qua aliquod jus proprietatis ab Ecclesia auferatur, quæ præscriptio annos quadraginta exigit. Requiritur tamen ut a majori communitatis parte libere sit inducta, continuis actibus frequentata, animo legem tollendi, & adsit consensus legislatoris juridicus saltem & legalis, qualem scilicet leges requirunt. *Ibid. lib.8. cap.5. §.5.*

50 Lex Synodi Diœcesanæ obliguns totam Provinciam si obtinuerit confirmationem a S. Sede Apostolica in forma communi, ut plerumque fit, quæque his verbis concipi solet: si juste, canonice, ac provide facta sunt, & dummodo sacris Canonibus Concilii Tridentini decretis, & constitutionibus Apostolicis non adversatur: tunc utique abrogari ab Episcopo potest, cum maneat lex ejusdem tantummodo. Si vero confirmatio fiat in forma specifica cum causæ cognitione, singulis statutis expensis, & in confirmatione addatur ex *motu proprio, atque ex certa scientia*, tunc utique fit lex Pontificis, in qua Episcopus dispensare non potest. *Ibid. lib.8. cap.5. §.11.* *

Novæ additiones ex aliena manu.

1 DE Lege nova a Summo Pontifice promulgata utrum ea obliget statim, an post duos a promulgatione menses, juxta *Authent. ut factæ novæ Constitutiones* quæri solet;

2 Negant communiter *Doctores apud Soll. de legib. part. 1. cap.1. §.1. num.47. Pontifex* (ait laudatus Auctor loco mox citato) *in modo ferendi Legem suam, & obligationem inducendi non acceptavit Authent. Ut novæ Constitutiones, quoad primam partem, scilicet quoad publicationem faciendam in qualibet Provincia, ut supra ostendimus. Ergo, nec quoad secundam, nempe duorum mensium; quia hæc acceptatio, neque aliquo textu juris Canonici, quo Pontifices declarant, velle se adhibere leges civiles pro modo ferendi, vel obligandi Ecclesiam per suas leges, neque probatur consuetudine, ut fidem suam interponunt graves Auctores, & specialiter Vasquez &c. Et Navarrus &c. docet de consuetudine & stylo in Urbe servari, ut Constitutionum Apostolicarum Transgressores, ante duos menses a promulgatione puniantur, non solum qui probantur scivisse promulgationem, sed etiam, qui non potuit illam ignorasse. Quod autem hanc consuetudinem aliqui Navarrum sequuti restringendam putent ad Forum tantum externus, & Urbicolas, seu Incolas Romæ, profecto tanquam naturæ repugnans probari non potest. Ecclesia enim non punit nisi propter delictum, aut verum, aut præsumptum. Sed neutrum adesset hoc casu. Non verum, quia, ubi non datur vera transgressio legis, non potest dari verum delictum; sed antequam obliget lex non datur vera transgressio. Ergo. Sed neque præsumptum invenitur delictum; nam certo ponitur non constare, nondum esse elapsum tempus duorum mensium. Ergo si sciens legem judicatur ut transgressor, ex nulla præsumptione judicatur, sed ex certa probatione delicti. Unde consuetudo ita transgressores puniendi aperte supponit legem obligare Romæ ante duos menses, quæ suppositio, utpote in voluntate Pontificis modum & stylum Curiæ Romanæ utique non ignorantis fundatur. Altera vero restrictio facta ab Urbicolas, quæ afferitur a Navarro non impliciter, sed sub particula: Forte: non probatur, neque apparet Suario esse verisimilis, nec immerito sit opinionem hanc rite ponderemus.*

Negativæ huic opinioni standum & ego censeo, unice 3 motus consuetudine illa puniendi transgressores novæ legis Pontificiæ ante duos menses. Cæterum reposita hac consuetudine, lex nova Pontificia, uti & lex nova civilis non 4 obligaret, nisi post duos menses a promulgatione; idque quia Jus canonicum ubi contrarium aperte haud decernit, imitari profitetur jus civile. Et obligare statim debet lex Pontificia nova, non solum Incolas Urbis, sed & alios, ad quos ipsius notitia pervenerit.

ARTICULUS III.

Lex quoad, quæ concernunt personas ad ipsam obligatas.

AD Leges Ecclesiæ obligantur omnes Christifideles; *Communissima* per textum *in cap. Canonum statuta 1. de Constitutionibus*, ibi: *Canonum statuta custodiantur ab omnibus, Et nemo in actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis suo sensu. sed eorum auctoritate deducatur*, cum similibus. Ad tales 2 leges obligantur infantes, seu pueri post septennium, in iis quorum materia ætati est conveniens: *Communis*. In tali enim ætate communiter censentur capaces rationis, & leges positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt; *leg. Nam ad ea ff. de legibus*. Imo ad leges Ecclesiæ in iis, quorum materia eorum ætati est conveniens, secundum multos 3 obligantur etiam infantes, seu pueri habentes perfectum usum rationis ante septennium; Sic Ausemb. *lib.1. tract. 2. cap.2. dub.1. num.* 3. Navarr. Henriq. Azor. ab ipso citati, Bosco *de poenitent. d.7. num.42.* ubi docet, tales pueros obligari ad confessionem annuam, & sic tenent plures alii, & hæc sententia est satis probabilis, teste la Croix *lib.1. n.676.* ubi dicit, hanc sententiam saltem esse suadendam in praxi (a). Et

(a) Nota. Non solum suadenda est Pueris, in quibus usus rationis obtinet ante septennium, ac malitia supplet ætatem, Confessio Sacramentalis, sed inculcanda, ac omnino præcipienda. Fac enim hos Pueros inter bonum, & malum discernere, ac peccati conscios esse, quis neges necessarium iis esse Sacramentum pœnitentiæ, ut a peccato surgant? Si Confessarium adire tenentur nondum expleto septennio, ergo divino præcepto de expiando per Sacramentalem Confessionem peccato revera adstringuntur. Cum itaque Ecclesia, ne fideles salutare, ac necessarium post peccatum remedium negligant, generatim præcipit, ut omnes saltem semel in anno confiteantur, idque sub Ecclesiasticis quoque pœnis, ut fortius negligentes excitet, omnesque moveat ad reconciliationem cum Deo saltem semel in anno procurandam, manifestum est tempus determinasse, ultra quod nulli prorsus peccati capaci Confessionem differre liceat. Itaque si Pueri, in quibus usus rationis acceleratur, ac malitia ætati prævalet, peccati, ac gravis culpæ capaces sint, quis unquam eos poterit ab illo Ecclesiæ præcepto eximere, quoad annuam Confessionem omnes Fideles obligantur? Vides ergo, quam longe a vero aberrent Benigni illi Theologi, qui probabilis opinionis usu, aut hortandos tantum, aut omnino excusandos a Confessione hujusmodi Pueros docent. Atque hæc in causa sunt, ut apud peritiores ac de æterna hominum salute magis sollicitos Theologos, doctrina probabilissimi male audiat. Nam admissa etiam opinione, quæ tradit Ecclesiæ præcepta homines non obligare ante septennium, quod leges positiva ad ea referuntur, quæ generatim accidunt; nihilo tamen minus de annuæ confessionis præcepto in Puero peccati capace ante septennium aliter philosophandum est: Nisi velimus asserere, Ecclesiam de horum Puerorum salute sollicitam non esse, vel leges suas non extendere ad omnes, quibus congruunt, ac etiam necessarias sunt. Congruit vero, ac necessarium est, ut Puer capax peccari, & qui gravis esse possit culpæ reus, pœnitentiæ Sacramentum recipiat.

Et ratio hujus sententiæ est, quia cum tales pueri sint capaces præcepti non requirentis certos annos, si plenum usum rationis habeant, ut supponitur, lex procedit contra eos, adeoque &c. Alii tamen dicunt tales pueros, seu infantes 4 non teneri ad ipsas leges ante septennium completum, quamvis plenum rationis usum habeant, quia leges Ecclesiasticæ in obligando procedunt humano modo, & ideo nemine non obligant, nisi habentem plenum usum rationis, quem non præsumunt, nisi post septennium completum, quia leges positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt, *cit. l. Nam ad ea, ff. de legibus*; communiter autem non contingit plenus usus rationis ante septennium completum, adeoque &c. Sic Diana *part.10. tract.12. resolut.* 37. Burghaber *Centur.2. casu* 24. Illsing *tom. 1. d. 2. num.* 18. Castropalao *tract.4. disp.1. punct.14. §.2.* Kazenberger *loc.cit. num.* 238. Joannes Sanchez & alii, & hæc sententia est etiam satis probabilis, teste la Croix *loc.cit. num.676.*

5 Pueri, & Puellæ post septennium completum, & ante pubertatem, id est ante annum 14. completum in masculis, & ante annum duodecimum completum in fœminis, possunt incurrere Excommunicationem latam in eos, qui frequentiuntur Monasteria Monialium. Concilium enim Tridentinum *sess. 25. cap. 5. de Regularibus*, expresse addit *cujuscumque ætatis sint*; Unde cum post septennium completum, licet ante pubertatem pueri, & puellæ sint dolli, & malitiæ capaces, si ingrediantur cum cognitione talis prohibitionis Monasteria Monialium, incurrunt Excommunicationem. Sic tenent Suares, Vasquez, Dicastill. cum la Croix *lib.7. n.41.* Kazenberger *loc. cit.n.241.* & colligitur ex declaratione *Sacræ Congregat. Episcop. & Regular.* quæ sæpe sæpius censuit, quod introducens infantes cujusvis sexus, vel ætatis incurrit Censuras violatæ Clausuræ, & signanter *in Tudertina 7. Apr.* 6 1579. *in Neapolitana 22. Martii* 1580. *in Taurinen. 10. Junii* 1650. Et sic dicendum est de puellis, quæ in simili ætate ingrediuntur Monasteria, seu Conventus virorum; ut habetur ex Constitutione Eugenii IV. edita pro Congregatione S. Justinæ de Padua incipien. *Et si quaslibet personas, Vide verb. Conventus art.3. num.18.* ubi adducuntur præcita ejus verba.

7 Etiam probabilius est, tales impuberes incurrere Excommunicationem latam in percussores Clerici, uti ex Jure probant Castrop. *de Legibus d.1. p.24. §.2. num.9.* Delbene *c.15. dub.3.* Dicastill. *d.1. num.228. & 231.* La Croix *lib. 7. c.41.*

8 Kazenberger. *loc.cit. n.241.* & alii. Item valde probabile est, tales impuberes incurrere alias Censuras a jure, vel ab homine latas. Suarez, Dicastill. cum la Croix *loc. cit. n. 42.* Kazenberger *loc.cit. num.241.* Et ratio est, quia ætas illa est de se capax Censuræ, uti, quamvis sit contrariæ sententiæ, fatetur etiam Krimer *l. 5. num. 1662.* & nullo Jure probatur exempta. Immo ut fatetur etiam Delbene *loc. cit.* videtur certum in praxi, quod quando fertur Censura Interdicti in totum populum, obligentur etiam impuberes, cum & illi abstineant a Divinis, adeoque communis sensus est, quod incurrant Censuram Interdicti, & consequenter & alias, quamvis non tam facile, cum eorum actio sæpius excutetur a peccato.

9 Amentes non perpetui, sed delirantes per intervalla tantum, sicuti & Ebrii obligantur ad leges humanas. *Communis* Ipsi enim absolute pollent usu rationis, adeoque non eximuntur absolute a Legibus humanis, sed solum tempore delirii, & ebrietatis per accidens excusantur a formali, & imputabili earum transgressione, cum careant tunc usu rationis

10 ad peccatum formale necessario requisito. Non tenentur tamen ad ipsas humanas leges amentes perpetui. *Communissima*. Perpetuo enim amentes sunt perpetuo incapaces usus rationis necessario requisiti ad peccatum formale.

11 Ad Leges, & statuta inferiorum Prælatorum Ecclesiasticorum, aliorumque Superiorum obligantur solum subditi proprii Territorii. *Communis*. Ad obligationem enim legis necessaria est Jurisdictio, quam non habet Legislator in non suos subditos; *argum. l.ult. de jurisdict. omn. Judic.* ibi: *Extra Territorium Jus dicenti non paretur impune*; & concordat *cap. Ut animarum 2. de Constitutionibus in 6.* ibi: *Cum*

12 *extra Territorium Jus dicenti non pareatur impune*. Immo neque ad tales leges tenentur subditi, quando actu existunt extra Territorium Legislatoris; quia leges non feruntur in personas absolute, sed dependenter a Territorio, *leg. Omnes populi, ff. de justitia & jure*, & expresse habetur *in cit. cap. Ut animarum 2. de Constitutionibus in 6.* ibi: *Statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicatio-*

nis sententia promulgatur; subditi ejus furtum extra ipsius Diœcesim committentes, minime ligari noscuntur, cum extra Territorium Jus dicenti non pareatur impune, & concordat *cit. l.ult. de jurisd. omn. Jud.*

Legislator humanus tenetur ad proprias leges, in quibus 13 continetur Jus naturale, vel Divinum, qui hæc Jura, cum procedant ab Auctore Deo, sunt supra Legislatorem humanum, quamvis ab eo sint populo proposita, & declarata, adeoque nequit ab ipsis se eximere, cum inferior in legem Superioris nullam habeat potestatem, *cap. Inferior 4. dist.21. cap. Cum inferior 16. de majorit. & obedient. & Clement. Ne Romani, de election.*

Legislator humanus Monarchicus non tenetur legibus quo 14 ad vim coactivam, neque quoad vim directivam directe, sed tantum indirecte. Sic cum communi Theologorum, & Canonistarum S. Teomas 1. 2. 2. *qu.96. art.5. ad* 3. Fagnan. *in cap. Canonum statuta num.* 57. *de Constitutionibus*; Barbosa *lib.1. Juris Ecclesiast. universi. cap.2. num.* 187. cum pluribus ibi citatis. Pirhing *lib.1. Decret. tit.2. n.67.* Reiffenst. *ibid. num.268.* Engel *ibid. n.* 28. Navarr. *in cap. Si quando, de excess.8. num.* 12. *de Rescriptis*, Covarruv. *in cap. Almæ mater, part.1. §.1. num.5.* Fachineus *lib.1. Controvers. Juris cap.1.* Mastrius *Theol. Moral. disp. 1. quæst. 4. art. 4.* & alii passim.

Ad faciliorem captum conclusionis præmittendum est, 15 quod in legibus duplex vis obligandi distingui solet, scilicet una directiva, & alia coactiva: *Vis directiva* est, quæ obligat ad solam culpam in conscientia incurrendam; *Vis coactiva* est, quæ obligat non solum ad culpam in conscientia incurrendam, sed etiam ad pœnam ratione transgressionis subeundam. Vis autem directiva alia dicitur *directa*, & alia 16 *indirecta*. *Directa* est illa, cujus obligatio provenit ex vi ipsiusmet legis, & hæc proprie non obligat, nisi subditos Legislatoris. *Indirecta* est illa, cujus obligatio non provenit ex vi ipsiusmet leges, sed ex naturalis æquitate, ac dictamine rectæ rationis post latam ejusmodi legem; & hæc obligat etiam ipsummet Legislatorem ad se conformandum suis subditis in observantia suæ latæ Legis. Hic prænotatis.

Probatur prima pars conclusionis, scilicet quod Legisla- 17 tor humanus Monarchicus non teneatur suis legibus, quoad vim coactivam, quia nemo sibi imperare, aut prohibere potest; textu expresso *in penult. ff. de receptis arbitris*, ibi: *Neque autem imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest*, adeoque cum Legislator Monarchicus non habeat superiorem, a quo vi coactiva obligetur ad leges, & neque possit seipsum sic ad illas obligare, stat clarum, quod quantum ad obligationem pœnæ subeundæ solutus est, textu expresso *in l. Princeps 30. ff. de legibus*, ibi: *Princeps legibus solutus est.* 18 Immo supremus Monarchicus Legislator quoad vim coactivam neque obligatur legibus suorum Antecessorum; *cap. Innotuit 20. de election. §. Quamvis autem*, ibi: *Successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generari, pari post eum, immo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem, & c. Exiit 3. de verborum significat. in 6. §. Cæterum Sanctæ memoriæ*, ibi: *Nec successorem suum quomodolibet obligavit, cum non habeat imperium par in parem.*

Probatur secunda pars conclusionis, scilicet quod Legisla- 19 tor humanus Monarchicus non teneatur suis legibus neque quoad vim directivam directe; quia omnis obligatio directa, etiam directiva supponit in imponente superioritatem, & in faciente subjectionem, ut habet communis Doctorum, *arg. l.ult. de jurisdict. omnium Judic. & cap. Ut animarum 2. de Constitutionibus in 6.* cum similibus, adeoque cum Legislator respectu sui ipsius non sit Superior, nec subditus, suis legibus non tenebitur directe etiam quoad vim directivam, *arg. cit. l. penult. ff. de receptis arbitris, & cit. l. Princeps 20. de legibus.*

Probatur tertia pars, scilicet quod Legislator humanus 20 Monarchicus teneatur suis legibus quoad vim directivam indirecte; quia Legislatorem teneri suis legibus quoad vim directivam indirecte, nihil aliud est quam etiam ipsum posita simul lege pro bono totius Communitatis, teneri consecutive hanc observare ex Jure naturali, ac Divino, ad se conformandum suis subditis in observantia legum, ne pars a toto discrepet, & ne subditi scandalizentur. Ad hoc autem revera Legislator tenetur ex ipsa naturali æquitate, & rationis ordine, ut colligitur *ex cap. Quæ contra 2. dist.8.* ubi sic dicitur: *Turpis est enim omnis pars universo suo non congruens*, &

Conc. Trident. *sess.24. de reform. cap.* 1. ubi sic habet: *Totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite*, quia ut dicitur *Ecclesiastici* 10. *Qualis Rector est Civitatis, tales, & inhabitantes in ea*. Unde si qui forent Legislatores, qui suas leges ita non observarent, posset illis merito improperari illud, quod tamquam omni Juri repugnans improperavit Christus Scribis, & Phariseis *Matth.*13. dicens: *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere*. Hinc *cap. Justum est* 2. *dist.*9. sic expresse insinuatur: *Justum est Principem legibus obtemperare suis, tunc enim Jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam præbet. Principes legibus teneri suis convenit; nec in se posse damnare Jura, quæ in subjectis constituunt, justum est. Justa est enim vocis auctoritas eorum, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur, & cap. Cum omnes* 6. *de Constitutionibus*, expresse dicitur: *Patere legem, quam tu ipse tuleris*, & ibi Glossa verb. *Patere legem*, sic habet: *Nec debent aliis legem imponere, quam ipsi negligunt observare*, ut similiter habetur *in cap. Pro illorum* 22 *de Præbendis*, ibi: *Cum nobis legem imponere non debeant, quam ipsi negligunt observare*, & *l.*4. *Cod. de legibus*, sic præcise dicitur: *Digna vox est majestate regnantis, legibus obligatum se Principem profiteri*. Adeoque &c.

21 Ex adductis sequitur, quod Papa exemptus sit omnibus poenis Canonicis Jure humano introductis; & Episcopus exemptus sit a poenis per se, suosque Antecessores statutis, cum enim & dictis Legislator non teneatur legibus suis, & Antecessorum quoad vim coactivam, & tale poenæ proveniant a vi coactiva legum Pontificiarum, & respective Episcopalium, Papa, & respective Episcopus est ab ipsis exemptus. Non sunt tamen exempti a culpa, nec Papa, nec respective Episcopus, si suas, vel suorum Antecessorum leges non observent: cum ex dictis teneatur ad earum observan-
23 tiam quoad vim directivam. Hinc Papa quamvis non teneatur ex præcepto Ecclesiastico, *cap. Omnis utriusque sexus, de pœnitentiis, & remissionibus* ad annuam Confessionem, & Paschalem communionem vi coactiva, itaut subjaceat poenis ibidem in transgressores taxatis; tenetur tamen vi directive, itaut si id facere negligeret, peccaret. Geminian, *in cap. Justum est* 2. *dist.*9. Joann. Andreas *in cap. Significasti. de foro competent.* Fagnan. *in cap. Canonum statuta* 1. *de Constitutionibus num.*17. *& sequent. cum aliis ibi citatis*, Covarruv. *in cap. Alma mater part.*1. §.1. *num.* 6. Barbosa *pare.*1. *tur. Eccles. univers. cap.*2. *num.*87. Reiffenstuel *loc. cit. num.*212. & alli passim. *arg. Citatis Juribus. & c. Confidimus* 1. *caus.*25. *quæst.*2. ubi Gelasius Papa sic dicit: *Id quod universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi sed in præ-*
24 *teris oportere, quam primam*, cum similibus. Et sic salva proportione dicendum est de aliis Legislatoribus, hoc tamen, quod secluso scandalo, & damno, seu injuria tertii, peccatum Legislatoris Monarchici propriam legem, seu suorum Antecessorum transgredientis, raro sit mortale, ut tenet Tanverus *t.*2. *disp.*5. *q.*6. *num.*22. Reiffenst. *loc. cit. num.*273. Kazenberger *loc. cit. n.*229. & alii.

25 Si Legislator sit ipsa Communitas, v. gr. Respublica, Capitulum, vel alia Universitas, tunc singuli de tali Republica, Universitate, seu tali Religione, vel Communitate repræsentata per Capitulum, adeoque etiam ipsimet Senatores, Capitulares, aliique conditores ipsarum legum tenentur ad earumdem observantiam non solum quoad vim directivam, sed etiam quoad vim coactivam; quia Senatores tota Republica, & Capitulares tota Religione, vel Universitate, seu Communitate simul sumpta sunt inferiores, & vere subditi. *Communis, arg. capit. Cum omnes* 6. *de Constitutionibus*, §. *Cum igitur*, ibi: *Cum igitur quod quisque Juris in alterum statuit, ipse debeat uti eodem. Et sapientis dicat auctoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris*, cum similibus.

26 Hæretici quamvis de facto resistant legibus Ecclesiasticis, seu Constitutionibus Pontificiis pro toto Christiano Orbe latis, de Jure nihilominus ad earum observantiam sunt obligati, *Communis*. Hæretici enim per Baptismum, ac Fidem Christi susceptam, jam sunt ingressi Ecclesiam Catholicam, ejusque membra effecti, adeoque manent obligati legibus ipsius; Nec ex quo ipsis legibus de facto resistant, per hoc liberantur ad obligationem eas observandi, quia, ut expresse dicitur *l. Nemo ex suo, ff. de Reg. Juris*: *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest*, & concordat *cap. Intelexinus* 7. *de Judiciis* ibi: *Ne videatur de sua malitia commodum reportare*.

Judæi, Pagani, & Cathecumeni non tenentur legibus Ecclesiasticis. *Communis*. Leges enim nequeunt obligare non 27
subditos Legislatoris; *arg. l. ultim. de jurisdiction. omn. Jud. & cap. Ut animarum* 2. *de Constitutionibus in* 6. cum similibus. Judæi autem Pagani, & Catechumeni non sunt subditi Ecclesiæ, cum necdum per Baptismi Januam in ipsam sint ingressi; adeoque &c. Hinc Apostolus 1. *ad Corinth.* 5. dicit *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit*, & concordat *cap. Gaudemus* 8. *de Divortiis*, ubi expresse Papa fatetur, quod Infideles, & Pagani, *Constitutionibus Canonicis non arctantur. Quid enim ad nos, secundum Apostolum eundem, de his qui foris sunt judicare?* Et idem: supponere videtur Concilium Tridentinum *sess.*14. *cap.* 2. ibi: *Cum Ecclesia in neminem jus dicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus*.

Peregrini, & Advenæ existentes extra Territorium suum 28
non obligantur ad leges speciales sui Territorii; *Communis* per textum *in leg. ultim. de Jurisdict. omn. Judic.* ibi: *Extra Territorium Jus dicenti non paretur impune, & cap. Ut animarum* 2. *de Constitutionibus in* 6. ibi: *Cum extra Territorium Jus dicenti non pareatur impune*. Leges enim non feruntur in personas absolute, sed dependenter a Territorio; *leg. Omnes populi ff. de justitia & jure*. Imo Peregrini, 29
& Advenæ existentes extra suum Territorium, non solum non obligantur ad leges speciales sui Territorii, sed nec ad leges communes in suo Territorio vigentes, si istæ non vigeant in loco, ubi per modum hospitii reperiuntur, aut morantur; *Communis, arg. cap. Illa autem* 11. *dist.*12. Tunc enim quilibet potest se accomodare rationabilibus consuetudinibus locorum, in quibus existit, cum privilegio locali frui possint omnes in eo loco existentes; Hinc Itali, dum hospitantur, aut morantur in Germania, possunt licite vesci lacticiniis diebus jejunii, quamvis hoc in Italia pro talibus diebus non liceant; & sic de similibus.

Peregrini, & Advenæ exeuntes e suo Territorio, & nacti Domicilium in alio loco cum animo ibidem permanendi, 30
illico adstringuntur legibus illius loci tam communibus, quam specialibus; *Communis, arg. leg. Domicilium ff. Ad Municipalem, l. g. Cives Cod. de incolis lib.*10. *cap. Ex par.*15. *& cap. Licet* 20. *de foro competent.* cum similibus.

Peregrini, & Advenæ discedentes mane ex oppido, ubi 31
non est jejunium, possunt ibi comedere carnes, quamvis vesperi, vel meridie venturi, seu redituri sint ad locum, ubi est jejunium de præcepto; quia in priori loco constituti, nondum tenentur lege jejunii posterioris loci; *Comm.* Neque domum reversi amplius tenebuntur juxta Probabilistas 32
illa die servare jejunium, quippe jam violatum, & servatu impossibile *Comm.* Tenebuntur tamen adhuc abstinere a carnibus, quia hæc abstinentia est divisibilis, et adhuc tunc illam pro reliqua diei parte servare possunt; *Communis*. Item 33
tenentur abitinere a carnibus in loco Domicilii, ubi est jejunium, si inde mane discedant, perventuri ad locum, ubi non 34
est jejunium, quia tenentur legibus proprii domicilii, quandiu in eo reperiuntur; *Communis*.

Peregrini, et Advenæ se transferentes in fraudem jejunii 35
de loco, ubi viget præceptum jejunandi, ad locum ubi non jejunatur, peccant graviter, quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent; *cap. Sedes* 15. *& cap. Ex tenore* 16. *de Rescriptis, cap. Tua* 12. *de Clericis non residentib. cap. Ex litteris* 2. *de Dolo, & contumacia, leg. In fundo, ff. de rei vindic. leg. Cum hi ff. de transact. leg. Si Legatarius Cod. de Legatis*, cum similibus. Vide *verb. Jejunium art.*2. *n.* 29. & 36. ubi solide probatur hæc conclusio, tum ex Concilio Mediolanensi, tum ex Constitutione Clementis X. incipient. *Superna*, tum ex ratione intrinseca, plurimis etiam adductis Doctoribus. Vide etiam verb. *Impedimenta Matrimonii art.*2. *num.* 98. ubi affertur Decretum Urbani VIII. confirmativum Decreti Sacræ Congregationis Conc., in quo declaratur nullum Matrimonium illorum, qui in fraudem legis e loco proprii Domicilii, ubi est publicatum Concilium Tridentinum, non mutato realiter Domicilio, transeunt ad locum, ubi non est publicatum Tridentinum, eo solo animo, et fine, ut absque Parocho, et testibus contrahant. 36

Peregrini autem, et Advenæ, qui de loco, ubi jejunatur, 37
non in fraudem jejunii, sed bona fide, V. G. peregrinationum causa, transeunt ad loca, seu per loca, ubi non jejunatur, non tenentur jejunare, quia lex illa jejunii e l atäxa

loca

38 loco. Vide *dict. verb. Jejunium*, *art.*2. *n.* 31. Sic qui non in fraudem jejunii, sed peregrinationum, aut negotiorum causa, de loco proprii Domicilii, ubi ob discrepantiam novi, et veteris Calendarii, nondum est incœpta Quadragesima, pergit ad locum, ubi per hebdomadam est Quadragesima jam incœpta, & observatum jejunium, non tenetur illo anno jejunare illic per adhuc alios octo dies Paschæ ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accomodare moribus eorum, apud quos est (a).

39 Vide *d. verb. Jejunium num.*32. E contra vero si talis in loco sui domicilii complesset Quadragesimam, non teneretur postea alibi observare illos octo dies, quia præceptum illud jam implevit, & Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam, dummodo tamen caveat, ne alii scandalizentur. Vide *d. verb. Jejunium n.*33.

40 An Peregrini, & Advenæ exeuntes e loco, ubi est Festum de præcepto, transituri ad alium locum, ubi non est Festum, teneantur ante discessum audire Missam? variant Doctores; Auctores enim 18. apud Pasqualigum *de Sacrificio quæst.*1296. teste la Croix *lib.*1. *tract.*2. *cap.*2. *dub.* 2. *numer.* 684. tenent partem affirmativam. Alii autem undecim apud eumdem Pasqualigum, Busemb. & varii alii tenent absolute partem negativam. At placet distinctio, quam multi alii afferunt; Vel enim antequam discedant e suo Territorio, nullum ibi celebratur Sacrum; & tunc non tenentur expectare, sed possunt discedere, & non audire Sacrum. Vel antequam discedant, celebratur Sacrum, quod sit unicum in tali loco: & tunc ante discessum tenentur illud audire, quia pro tali differentia temporis tenebantur illa die audire Sacrum, quod, cum ibi supponatur esse unicum, non poterat ibi audiri alia hora, adeoque tenebantur illud audire ante suum discessum, cum ante suum discessum eos urgeret præceptum audiendi illud unicum Sacrum tali tempore celebratum (b); Vel tandem in loco, a quo discedunt, celebrantur plura Sacra; & tunc quamvis unum, vel duo Sacra celebrentur ante suum discessum, si alia Sacra remaneant celebranda, postquam discesserint, non tenentur Sacrum audire antequam discedant, quia si ibi mansissent, potuissent licite expectare aliud Sacrum, & etiam ultimum ibi celebrandum, adeoque cum ante elapsum tempus illius sint deobligandi, eo quod migraturi sint in aliud Territorium, in quo non est talis obligatio, etiam non tenebuntur prævenire. Et ratio est, quia quando præcipitur auditio Sacri, subintelligitur tacita conditio, si toto illo tempore, quo Sacra celebrantur, permanserit quis in loco diei Festi, & consequenter subditus præcepto; in supposito autem nostro casu tales Peregrini, & Advenæ non remanent in loco Festi pro toto tempore, quo Sacra celebrantur, sed eodemmet mane antequam omnia Sacra celebrentur, exeunt fines illius loci, & perveniunt ad alium locum, ubi non currit Festum de præcepto, adeoque &c. Sic Sanchez, Lessius, Castropalaus, Bonacina, Henriquez, Præpositus, Amicus, Reiffenstuel, Delbene, Moya, Illsung., aliique multi apud La Croix *loco cit. num.*684. & Kazenberger *loc. citato numer.*252.

Tenentur tamen tales Peregrini, & Advenæ ante discessum a Territorio, ubi currit Festum, toto illo tempore, 42
quo permanent ibi, abstinere a labore servili, quia hoc præceptum obligat divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei; Paulus Mezger *tract.*8. *disp.*35. *art.* 5. §. 4. *num.* 28. Kazenberger *loco cit. num.*252. & alii passim. Cum autem perveneriut ad locum, ubi non est Festum, dummodo il- 42
luc non se consulerint in fraudem legis, possunt laborare, quamvis in loco sui domicilii propter peculiare Festum ibi currens, debeant ex præcepto abstinere a labore servili; statuta enim, & consuetudines locales sunt veluti loco affixæ; adeoque tale peculiare Festum sui domicilii, non ligat ipsos, dum existunt sine fraude legis extra districtum dicti sui domicilii; Lessius *lib.*4. *de Justitia, & Jure cap.*2. *num.*55. Navarr. *cap.*13. *Manualis num.*5. Reiffenstuel *Theolog. moral. tract.*2. *de Legibus dist.* 3. *q.* 4. *n.* 33. & alii passim. Vide dicta supra a *n.*34. *ad* 36.

Peregrini, & Advenæ tenentur ad leges locales in celebratione contractuum; *cap. Licet* 20. *de foro competent. l.* 43
Hæres absens, & l. Omnem obligationem, ff. de judiciis.

Unde si Sponsus, & Sponsa e loco, ubi non est promulgatum Tridentini Concilii Decretum de contrahendo Matri- 44
monio coram Parocho, & testibus, peregrinentur ad locum, ubi est promulgatum, tenentur contrahere coram Parocho, & testibus, alias Matrimonium esset invalidum, ex quo semper sit habenda ratio loci, ubi Matrimonium per verba de præsenti contrahitur; *Communissima*, & sic declarasse Sacram Congregationem Concilii referunt Vvamesius *in consil. tom.*2. *consil.*530. Pignatell. *tom.*5. *consult.*79. *n.*23. La Croix *lib.*6. *part.*3. *num.*714.

Peregrini, & Advenæ tenentur ad leges locorum, ubi reperiuntur, quando tales leges latæ sunt specialiter ob bonum 45
commune illorum locorum, uti sunt V. G. leges, quæ prohibent, ne certæ merces ex oppido evehantur, ne certæ pecuniæ expendantur, ne certa genera armorum deferantur, & hujusmodi; aliter si ipsas leges scienter transgrederentur, possent puniri, ut alii inquilini, cum tunc ratione delicti fiant subditi, & fortiantur Forum loci, ubi delinquunt; *Communis*, per textum *in cap. Postulasti* 14. *& cap. Licet* 20. *de*

(a) Lucius Nostet cum suis Probabilistis opinatur, eum, qui in loco domicilii Quadragesimam jejunando absolverit, non teneri ad jejunium, si in locum veniat ubi nondum expletum Quadragesimale jejunium sit ob diversum Kalendarium ibi usurpatum; contra vero eum, qui in loco domicilii octo, vel decem dies jejunare adhuc debuisset secundum illius Kalendarium, non teneri ad jejunium, si ad locum venerit ubi Quadragesima transacta, ac Pascha celebratum sit. Non video quomodo hæc duo invicem cohæreant. Si in loco ad quem perrexerit Peregrinus Christianus jejunandum sit, non tenetur sese conformare moribus ac loci institutis, quia Ecclesiæ præceptum jam implevit, at si ibi non sit jejunandum potest optime sese accomodare moribus, et regionis institutis, etsi juxta Ecclesiæ præceptum de Quadragesimali jejunio octo aut decem dies adhuc jejunare deberet. Numquid ergo ita sunt cum loco in quo versamur præcepta conjuncta, ut a loco nullo modo pendeant, dum res sit de jejunando, vel festo servando, pendeant vero dum liberandi homines sint a jejunio, festoque celebrando, secundum Ecclesiasticam legem? Vide quæst. hanc a nobis tractatam tom.2. Theologiæ Moral. Patris Antoine pag.58. edit. Romanæ an.1757., ubi Verricellum id asserentem, quod Ferraris tuetur, confutavimus.

(b) Vide, amice Lector, quam stupendum sit horum Theologorum studium, ut homines a legibus solvant; Peregrinus, et Advena e loco discessurus ubi festum celebratur, si una tantum in eo celebranda sit Missa, eam audire tenentur, dum ante ipsorum discessum celebretur. Si vero plures adsint celebrandæ ibi Missæ, licet duæ, aut tres celebrentur ante eorum discessum, nullam audire tenentur. Ubi majus est satisfaciendi præcepto commodum, ibi minor, imo nulla obligatio est. Quis idin animum inducat suum dum recte cogitet? Audi ergo Antoine pag. 40. tom. suprait. qui hanc ait esse praxim, et persuasionem fidelium timoratorum, ut ante discessum a loco præceptum audiendi sacrum impleant, si prævideant postea impeditum iri, ac revera ita agere tenentur: qui Lex Peregrinum illum obligat, tempus vero, quo adhuc in suo domicilio versatur, unicum est ei aptum ad illam observandam: quare perinde est ac si eo solo tempore obligaretur: Quisque vero tenetur servare præceptum quo adstringitur. Rursus præceptum affirmativum debet impleri quando potest, præsertim si prævideatur postea non implendum; neque enim temporis spatium concedit, pro quo differri possit ejus observatio; sed obligat, ut quam primum potest observetur, si postea non possit impleri; alioquin non esset satis efficax, et sæpe eludi posset; Ita sapientiss. Suarez. *Hinc qui abit die festi ad locum ubi non est festus, tenetur audire sacrum priusquam exeat si possit absque gravi incommodo, & nequeat alibi audire, sicut si non exiret, teneretur audire primam missam, si prævideret postea impeditum iri. Quia præceptum obligat simpliciter eo die, & non potest impleri, nisi audiendo primam Missam: Nam hic & nunc & respectu talis hominis, illa est unica, & præsens hora est ultima ipsi apta ad audiendum præceptum.* Hæc Antoine.

Foro competent. cap. De illis 1. de Raptoribus, & cap. Placuit 6. q.3. & Authentic. Qua in Provincia, Cod. Vbi de criminibus agi oportet, ubi sic expresse habetur; *Qua in Provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus fit, illic etiam Juri subjaceat.*

46 An Vagi, seu Vagabundi, qui nullibi habent domicilium, obligentur legibus, & consuetudinibus locorum, per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur, variant Doctores. Affirmant enim Sotus, Suarez, Mastrius, Herincx, Mezger, Bonacina, Mendo, Felix Potestas, & alii plures; *arg. cit. cap. Postulasti 14. de Foro competent. cum aliis numero antecedent. allegatis, & cit. Authentic. Qua in Provincia Cod. Vbi de criminibus agi oportet*. Vagi enim, seu Vagabundi possunt a loci Magistratu capi, atque puniri, nedum ob delicta alibi perpetrata, unde colligitur eos in quovis loco, ubi hospitantur, sortiri Forum, ac eisdem legibus subjici, alias nullis legibus localibus ligarentur, quod esset absurdum; Unde Parochus proprius Vagorum, seu Vaga-
47 bundorum in ordine ad Matrimonium, est Parochus illius loci, ubi Vagi actu versantur; Sanchez *lib.3. disput.20. numer.5. 8. & 11.* Pirhing *lib.4. decretal. titul.15. numer. 19.* Reiffenstuel *loco cit. num.88.* & alii communiter. Vid. verb. *Impedimenta Matr. art.2. n.75. ad 78.* & verb. *Vagus, seu Vagabundus num.4.*

48 Multi alii tamen, ut Lessius *lib.4. cap.2. dub.7. num.49.* Layman *lib.1. tract.4. cap.12. num.7.* Busemb. *lib.1. tract.2. cap. 2. dub. 3.* cum pluribus aliis ibi citatis, Kazenberger *cit. cap.1. sect.3. num.258.* Sairus, & alii satis probabiliter docent eandem esse rationem Vagorum, quæ Peregrinorum, ut scilicet Vagi, seu Vagabundi obligentur, vel non obligentur illis legibus particularibus locorum, per quæ transeunt, quibus obligantur, vel non obligantur Peregrini, seu Advenæ. Et ratio istorum est, quia sunt tantum quatuor modi ordinarii, seu speciales sortiendi Forum, scilicet, vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione domicilii, vel ratione rei, sive possessionis sitæ in Territorio; textu expresso *in cap. Licet 20. de Foro competent.* ibi: *Ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, Forum regulariter quis sortitur*. Vagi autem, seu Vagabundi nulli horum modorum subjecti sunt, ut supponitur, adeoque non sortiuntur Forum in locis, per quæ transeunt, & consequenter nec obligantur illorum particularibus legibus (a). Unde Vagi, & Vagabundi transeuntes per locum, in quo sit particularis lex jejunandi, seu festandi, & audiendi Sacrum, possunt ibidem, secluso scandalo, comedere carnes, labori servili se applicare, & Missam non audire; Et ad rationem prioris opinionis respondent, quod per consuetudinem est introductum, ut etiam Vagi, seu Vagabundi, cum proprium Judicem non habeant, puniri possint, ubicumque reperiantur, ne eorum crimina omnino impunita maneant; ex quo tamen non sequitur, eos simpliciter, & in omnibus sortiri Forum, sive Jurisdictionem, & leges loci, in quo existunt; Nec est absurdum, quod nullis specialibus locorum legibus teneantur, quia ipsi adhuc tenentur servare leges communes, seu Juris Communis, imo etiam illas ex municipalibus, quæ respiciunt specialiter bonum commune illius loci, per quem transeunt, uti dictum est supra *num.44. de Peregrinis, & Advenis*. Item servare tenentur leges illas particulares, quæ concernunt contractus, uti dictum est supra *num.42. & sequent.* & ideo ut dicebatur *supra sub num. 46.* Parochus proprius Vagorum, & Vagabundorum in ordine ad Matrimonium, est Parochus illius loci, ubi Vagi actu versantur, & sic de similibus.

Clerici, & Regulares nullatenus tenentur ad Leges Civiles, quæ sine Apostolica approbatione de personis, locis, & 49
rebus Ecclesiasticis specifice, hoc est expresse, vel nominatim disponunt; etiamsi eorum commodum, vel favorem contineant, & tanto minus si contineant eorum præjudicium, & incommodum; *Communissima*, textu expresso *in cap. Quæ in Ecclesiarum 7. & cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de Constitutionibus*, ibi: *Nos attendentes, quod Laicis (etiam Religiosis) super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus, si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel Urbanis, ministeriis, & ornamentis Ecclesiarum, illa reprobatum fuit potissima ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum*, & concordat *cap. Bene quidem 1. dist. 96.* cum similibus. Et ratio est clarissima, quia Lex lata sine Jurisdictione, seu erga non subditum, vim obligandi non habet, *cap. A nobis 21. de sentent. Excommunic. cap. Vt animarum 2. de Constitutionibus in 6. & l. ultim. de Jurisdiction. omnium Iudic.* cum similibus: Personæ autem Ecclesiasticæ, ac Ecclesiæ, eorumque res sunt exemptæ a Jurisdictione sæculari, gaudentque privilegio Fori, & Immunitate Ecclesiastica; *cap. ultim. de rebus Eccles. non alienand. cap. Nimis, de Jurejurando, cap. Non minus, de Immunitat. Eccles. cap. Quemquam, de censibus in 6.* cum similibus & patet ex dictis *verb. Clericus art. 2.* verb. *Forum*, seu *Forus*, & verb. *Immunitas*. Adeoque &c.

Clerici, & Regulares quoad vim coactivam, nec tenen- 50
tur legibus Civilibus, & statutis laicorum, quæ non specifice, seu non expresse, vel nominatim disponunt de Ecclesiis, rebus, & personis Ecclesiasticis, sed generaliter, seu communiter ob publicam utilitatem, seu necessitatem quidpiam præcipiunt, aut prohibent, quamvis id non repugnet statui Clericali, aut Immunitati Ecclesiasticæ. *Communissima*, textibus claris *in cap. Bene quidem 1. cap. Denique 5. cap. Satis evidenter 7. cap. In scripturis 8. cap. Quis dubitet 9. cap. Si Imperator 10. cap. Nunquam 11. dist. 96. cap. Decernimus 1. cap. At Clerici 4. cap. Clerici 8. & cap. Qualiter 17. de judiciis, cap. Sæculares 2. de Foro competent. in 6. & cit. cap. Ecclesia S. Mariæ*, ibi: *Nos attendentes, quod Laicis etiam Religiosis super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi &c.* cum similibus. Clerici enim, & Regulares ob privilegium Fori ipsis competens, sunt omnino exempti a Jurisdictione Sæcularium: adeo *ut nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant*, ut fatetur ipsemet Imperator *in l. Placet Cod. de Episcop. & Cleric.*

An autem Clerici, & Regulares teneantur dictis legibus 51
civilibus, & Statutis laicorum quoad vim directivam, non satis conveniunt Doctores. Plurimi enim docent, Clericos, & Re-

(a) Si vagi non tenerentur legibus locorum, in quibus versantur, dici posset nec ulla lege etiam communi vivere posse, cum locus dari queat, *in quo communis Lex non* vigeat; ut optime animadvertunt doctissimi censores. Sunt ne hæc æquo animo ferenda? Itaque vagi leges servare debent etiam speciales locorum *in quibus* versantur. Primum quia Peregrini & vagi eo ipso quod exeunt ex proprio territorio solvuntur ab illius legibus, dum ergo ingrediuntur territorum alienum subjecti illius legibus fiunt, præsertim cum gaudeant illius privilegiis, & qui sentit commodum, & onus sentire debeat, *ex reg. juris 55. in 6.* Deinde Peregrini, & vagi subjiciuntur regiminii & jurisdictioni Territorii ratione suæ præsentiæ in illo; Nam juxta omnes quibusdam legibus subditi sunt V. G. ne quis noctu arma ferat, ne triticum efferat, ne Peregrinus ultra triduum commoretur &c. ergo titulo subjectionis etiam Vagi leges servare debent Territorii, in quo degunt, ac vere subditi sunt Principis illius Territorii transeuntes & actu, alioquin nec legibus supradictis adstringerentur. Præterea Pax, ordo, ac bonum commune postulat, ut leges locales serventur ab omnibus, qui in Territorio versantur, quandiu in illo morantur; & Princeps cum potestatem habeat ad bonum commune, & rectum ordinem tuendum, non videtur dubitandum, quin suis legibus etiam vagos in eodem commorantes obligare velit. Vide S. Augustinum in Epist. ad Januarium, & lib.3. Confess. cap. 8. ubi ita rem hanc comprobat, *quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut Peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.*

& Regulares teneri dictis legibus, quoad vim directivam, si non directe, & per se, saltem indirecte, & per accidens: Ita Abbas *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de Constitutionibus num.1.*, Fagnan. *ibid. num. 29.* cum multis ibi citatis, Card. de Luca *tom.1. discurs. 8. Miscellanei Ecclesiastici num.6.* Mastrius *Theolog. Moral. disp. 2. qu. 4. art. 4.* Kazenberger *loc. cit. n.232.* ubi testatur de communi, Suarez *lib. 3. de Legibus cap.33. num.6.* Bellarmin. *lib.1. de Clericis cap.28.* Covarr. *Practicar. quæst. cap. 33. num.7.* Reiffenstuel *lib. 1. decretal. tit.2. num.301. & sequent.* Pirhing. *ibid.num.79.* testans ita tenere communiter Canonistas, & Theologos. Et ratio est, quia licet Clerici, & Regulares nequeant obligari a dictis Legibus Civilibus, & Statutis Laicorum ex vi propria ipsarum Legum, seu Statutorum ob defectum Jurisdictionis in Clericos, & Regulares: quod quidem requiritur ad obligationem directivam directam, & per se, ex notatis *supra num. 16. & 19.* Tamen obligantur a dictis Legibus vi directiva indirecte, & per accidens, in quantum positis dictis Legibus Civilibus pro bono communi Reipublicæ latis, tenentur ad earum observantiam ex ratione naturali, cui Leges illæ innituntur, ipsaque naturali æquitate dictante, quod pars non debeat discordare a toto, *nam turpis est omnis pars suo universo non congruens*, ut expresse dicitur *capit. Quæ contra 2. distinct. 8.* Tum etiam obligantur ad earumdem observantiam ex Jure naturali, & Divino de vitando scandalo proximi, quod nimis facile eveniret, si sæculares viderent Clericos, qui potiori perfectioni sunt obligati, & alios ad integram Legum observantiam alioquin exhortantur, palam, & libere ipsas leges transgredientes, seu negligentes; Tum pariter ad ipsarum observantiam obligantur ex auctoritate Sanctæ Matris Ecclesiæ ejusmodi Leges pro bono publico approbantis, seu recipientis; *cap. Si in adjutorium 7. dist. 10. cap. Intelleximus 1. de novi operis nuntiation.* ubi Lucius tertius Summus Pontifex expresse dicit: *Sicut Leges non designantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur*. Unde in defectum Canonum recte allegantur hujusmodi Leges Civiles in utroque Foro, videlicet tam Canonico, quam Civili; & ipsis Legibus Civilibus pluries sunt usi ipsimet Summi Pontifices, ut patet *in cap. 1. & 2. de novi operis nuntiatione*, & sæpe alibi, & ideo *in cap. Super specula 21. de privileg.* notanter dicitur, *quod Sancta Ecclesia Legum Sæcularium non respuit facultatem, quæ æquitatis, & justitiæ vestigia imitantur*.

52 Alii autem, ut Navarrus *Consil.3. de Constitut. num.4.* cum quibusdam aliis ibi citatis, Decius *in dict. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de Constitutionib. n.24.* tenent, quod Leges Civiles, seu Laicales etiam favorabiles, & generaliter loquentes non includant, & obligent Clericos, & Regulares, si præcipiendo, vel prohibendo loquantur, cui sententiæ favere videtur Sperellus *decis. 13. Fori Ecclesiastici num. 4. 6. & sequent.* ea motus ratione, quod Clericorum actiones sint extra sphæram activitatis, & Jurisdictionis, etiam directivæ Principum Sæcularium; cum Clericorum, & Regularium directio ad suos pertineat Prælatos: *cap. Si Imperator 11. dist. 96.* cum similibus. Idem tamen *sub num. 10.* exemplificans de statuto, seu Edicto Laicali taxante justum pretium frumenti, vini, aliorumque victualium ad vitam necessariorum, dicit cum *aliis ibi citatis*, quod licet ex defectu potestatis Clericos non comprehendat, tamen illo statuto posito, debent Clerici taxatum pretium non præterire, non quidem obligatione orta ex *vi statuti*, seu Edicti Sæcularis, sed ex vi Juris naturalis, ac Divini præcipientis, ne quis ultra justum pretium vendat; quale justum pretium dignoscitur, vel ex communi æstimatione *hominum consensione*, vel ex Legis, seu statuti declaratione, vel aliunde: ad quam notitiam justi pretii, per accidens est, ut ex Principis declaratione perveniamus: adeoque est ratio naturalis, vel Divina, quæ, posito statuto, Clericos dirigit; non autem Lex Principis, quæ illos nullatenus dirigere potest, ut *ibi multis citatis* subjungit, postquam dixerat, quod vendentes ultra pretium a statuto taxatum, quatenus faciunt contra Justitiam, tenentur ad restitutionem, quatenus vero contra rationem, ac legem Divinam, mortaliter peccant, plures ad hoc citans Doctores; Unde sub *n. 13.* concludit, quod non peccant contra legem Principis Laici, sed contra regulam Charitatis, & Justitiæ, qua Jure Divino, & naturali tenentur ad ea observanda, quæ ad convenientem Reipublicæ ordinem, gubernationem, conservationem, & pacem sunt necessaria; & ita vult esse intelligendos Doctores, qui docent, Clericos vi directi-
va teneri ad observantiam talium, & similium legum Principum sæcularium.

Hinc in praxi ad bonum publicum promovendum, & pec- 53
catorum pericula, aliave mala evitanda, consultissimum, & maxime opportunum est, quod Prælati, seu Superiores Ecclesiastici tempore caritatis, pestis, aut alterius publicæ necessitatis coadjuvent similibus suis Edictis Principum Sæcularium Proclamata, ut notant Navarrus *cap. 23. Manual. n.88.* Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 12. in fine* Sperell. *decis. 13. Fori Ecclesiastici num. 14.* Reiffenstuel *lib.1. decretal. tit.2. n.310.* & alii plures. Et de facto id practicavit Sanctus Carolus Borromæus Cardinalis zelantissimus, & vigilantissimus Archiepiscopus Mediolanensis, qui cum a Gubernatore illius Urbis per litteras requisitus fuisset, ut cogeret Clericos ad observandum Edictum a se pro publica utilitate conditum, *die 27. Aprilis 1576.* eidem in hæc verba rescripsisset; *Hoc Excellentiæ Vestræ, quam Paterna Charitate unice in Christo diligimus, primum persuasum esse debet in Ecclesia Dei novum, atque inusitatum esse, & Canonum sanctionibus, sanctæque Ecclesiæ Immunitatis ratione alienum, Ecclesiasticos Edictis ejusmodi Laicorum Principum, Magistratuumve servandis adstrictos teneri, ad eaque exequenda per Episcopos compelli*. Nihilominus ut publicæ utilitati melius, & opportunius consuleretur, statim ex ipse super eodem negotio Edictum a se confectum promulgari fecit, prout patet ea eadem sua Epistola, ibi: *Nihilominus tamen nos, non ut decreta Laici Principis exequeremur, sed ut in re, quæ ad utilitatem publicam spectare aliquo modo posse videtur, omni cautione uteremur, superioribus proximis diebus pro nostro Pastorali munere de ea ipsa Orizæ satione, tum Edictum auctoritate nostra confectum promulgari jussimus, tum alia prout expedire censuimus, opportuna officia adhibuimus &c.* Sic refert Sperellus *decis. 12. n.20. & decis. 13. num.14.* & latius legitur post *Consil. 1000. Menochii*.

Et hoc itidem est de mente Sacræ Congregationis Episco- 54
porum & Regularium, quæ teste Sperello *cit. decis. 13. n.14.* pluries Ordinariis locorum rescripsit, ut quoad annonam, & ad extractionem frumenti conformet se cum ordinationibus Magistratuum sæcularium, similes facientes ordinationes, quas postea servari curent, & signanter ita rescripsit *D. Nuncio Neapolitano sub die 13. Septembris 1591. & 23. Augusti 1593.* 55
Domino Episcopo Parmensi de anno 1599. & alias passim. Et sæpe sæpius quoad hæc, & similia idem rescripsit, & decrevit *Sacra Congregatio Immunitatis*, ut patet ex variis Decretis adductis verb. *Frumentum*, & ex aliis, quæ hic ad litteram dantur, prout referuntur a D. Petro Andrea Riccio *in sua* 56
Synopsi verb. Edicta Laicalia, & verb. Edicta Ecclesiastica, ibi: Edicta, & Banna Eminentissimi Legati comprehensiva Ecclesiasticorum, tum Sæcularium, tum Regularium, sunt repugnantia Immunitati, & libertati Ecclesiasticæ, et injungitur, ut ea revocet; *Ferrarien. 18. Octob. 1633. lib.2. decr. Paul. pag.175.* 57

Edicta sanitatis publicata a Laicis contra Ecclesiasticos tempore contagionis, et simul continentia pœnas etc. revocantur tamquam contraria Immunitati, et Jurisdictioni Eccles., et injusta, et ideo tamquam nulla, irrita, et invalida censuit, et declaravit Sac. Congregat. quæ tamen injungit Episcopis, ut dicto tempore contagionis summa concordia, et diligentia eorum Tribunalia una cum Sæcularibus publicæ sanitati, et securitati incumbant, et communibus consiliis hanc rem gerant; *Neapolitana, & Mediol. 10. Julii 1657. lib. decr. Rocci part.16. 18.*

Edictum Magistratus Sanitatis tempore suspicionis pestis 58
comprehensivum omnium Ecclesiasticorum, est revocandum, et Episcopus debet se conformare, seu se unire Potestati Laicæ, edendo Edictum pro eo, quod respicit Ecclesiasticos: *Mantuana 11. Novembr. 1679. lib. 2. decis. Altovit. pag. 1870.* Hoc edictum Magistratus pie reformavit opera Episcopi ad formam debitam Canonicam; *In eadem 20. Januar. 1680. lib.2. decr. Altovit. pag.1910.*

Senatus Mediolanen. revocat Edictum Sanitatis tempore 59
contagionis editum læsivum Immunitatis, et Jurisdictionis Eccles., ut ex litteris dicti Senatus ad Sanctissimum, et ex Brevi Sanctissimi eidem Senatui patet; *Mediolanen. 26. Februarii 1658. lib. decr. Rocci pag.65.*

Edictum Laicorum prohibens extractionem frumenti, et si- 60
milium, Episcopus revocet per Decretum registrandum in actis suæ Curiæ ad perpetuam rei memoriam, et deinde publicet demo aliud Edictum prohibens Ecclesiasticis talem extra-

tractionem ad formam Edicti publicati a laicis, nulla tamen facta mentione de illo; *Parmen. 26. Martii 1658. libr. decr. Rocci pag.* 80.

61 Edictum Principis Laici prohibens Ecclesiasticis extractionem bladarum, et Animalium, ac venditionem ipsorum sine ejus licentia, est delendum, et ad hoc fer. fer. Princeps est cogendus, *Sarzanen. 17. Decembr. 1624. lib. Script. Veterum pag. 46.*

62 Edictum, Consuetudo, vel Statutum Principis Sæcularis, quo prohibetur extractio fructuum extra Territorium, non comprehendit Ecclesiasticos: *Casalen. 14. Februar. 1628. lib. 1. decret. Paul. pag. 84.*

63 Edictum super bladis ex trahendis Judicis Laici non comprehendit Ecclesiasticos; *Papien. 10. Sept. 1629. lib. 2. decret. Paul. pag. 6.*

64 Edictum Generale Magistratus Urbis Alcaniæ Regni Aragoniæ prohibens ex motivo publicæ necessitatis extractionem frumenti, quoad omnes habitantes, absque exceptione Ecclesiasticorum, est irritum: *Cæsaraugustana 23. Novembris 1688. lib. decret. Martelli pag. 379.*

65 Edictum per Communitatem publicatum super prohibitione pascendi, non comprehendit Ecclesiasticos, sed Episcopus ob necessitatem boni publici, hoc idem Edicto publico mandare debet: *Sutrina 13. Augusti 162. lib. 2. decr. Paul. pag. 2.*

66 Edictum in materia Annonæ a laicis publicatum comprehensivum Ecclesiasticorum, est moderandum quoad ea, quæ tangunt Ecclesiasticos; *Mantuana 3. Mart. 1676. lib. 1. decr. Alt. pag. 1212.*

67 Episcopus curet declarari, Edictum Regium, quo prohibetur, ne quisquam emat, aut vendat res cujuscumque generis sine mensura bullata a Communitate, non comprehendere nec directe, nec indirecte Ecclesiasticos: *Lycien. 27. Maji 1687. lib. decr. Martelli pag. 105.*

68 Edictum vulgo *Crida* jussu Ducis Sabaudiæ facta, præcipiens describi omnes personas sui status, non comprehendit Ecclesiasticos, nec Personas exemptas; *Casalen. 9. Maji 1690. lib. decr. Martelli pag. 607.*

69 Edictum Gubernatoris Mediolani circa omnes Censualistas nequit afficere Loca Pia; *Cremonen. 31. Julii 1691. lib. decr. Martelli pag. 748.*

70 Edictum Regium quoad taxas impositas causa monetæ novæ non afficit Ecclesiasticos; *Aprutina 1. April. 1695. lib. 1. decr. Vallemani pag. 180.*

71 Syndicus Communitatis potest cogi ad declarandum, quod sub Edicto prohibitivo contractionis farinæ non comprehenduntur Ecclesiastici ad removenda omnia impedimenta contra Ecclesiasticos: *Ruben. 11. April. 1690. lib. decret. Mart. part. 599.*

72 Quoad Edicta generalia, quæ poterant afficere Ecclesiasticos, publicata a quodam Sacerdote Ministro Baronis, quæ fuerant affixa in prædiis Ecclesiasticorum, absque tamen mandato dicti Sacerdotis, decernitur, quod prævia declaratione de non comprehendendo Ecclesiasticos, et abolitis actis respicientibus affixionem, quatenus adsint, Episcopus absolvat ad cautelam dictum Sacerdotem: Ministri vero publicantes, et affigentes præfata Edicta non absolvantur, nisi prævia revocatione, eo modo, quo fuit facta publicatio, *Oritana 22. April. 1698. lib. 2. decr. Vallem. pag. 149.*

73 Præcipitur confectio novi Edicti exclusivi Ecclesiasticorum, tam directe, quam indirecte; *Spoletana 13. Maji 1698. lib. 2. decr. Vallem. pag. 154.*

74 Quoad Edictum Magistratus prohibens tabernariis appendere res venales in columnis porticus, quos Ecclesia S. Laurentii habebat jus locandi, Episcopus procedat prout de Jure; *Imolen. 5. Maji 1699. lib. 2. decr. Vall. pag. 218.*

75 Jubente Sanctissimo injungitur Archiepiscopo Neapolitano publicare Edictum pœnale, ne aliqua persona Ecclesiastica Sæcularis, & Regularis audeat tempore suspicionis pestis ingredi Civitatem Neapolitanam absque speciali licentia in scriptis ejusdem Archiepiscopi gratis concedenda; *Neapolitana 20. Junii 1656. lib. 5. decr. Paul. p. 100.*

76 Et injungitur Nuncio, ut quinque Canonicos lateranenses, qui fuerunt ingressi, puniat rigorose, necnon Abbatem, qui illos recepit; *ibidem.*

77 Archiepiscopus edere debet Edictum separatum ab Edicto laicali quoad personas Ecclesiasticas, prohibitivum circa immunditias; *Tarentina 12. Decemb. 1651. lib. 4. decr. Paul. pag. 171.*

Episcopus publicet Edictum conforme ad statutum Civita- 78
tis circa qualitatem, & quantitatem animalium detinendorum in Territorio Spoletano; *Spoletana 16. Julii 1686. lib. 3. decret. Altoviti p. 586.*

Leges Sæculares, sive communes, sive municipales ali- 79
quorum locorum generaliter disponentes circa contractus, aliasque res profanas, si sint favorabiles, extenduntur, & procedunt etiam quoad Clericos, & Ecclesias, earumque res; Secus si sint iltis prædiciales; *Communis*, cum Menochio *lib. 2. de Jurisd. cap. 1. casu 3. & 4.* Card. de Luca *Miscellan. Eccles. disc. 8. n. 6. & 10.* Pirhing. *lib. 1. Decr. tit. 2. n. 74.* Reiffenst. *ibid. n. 315.*

Clericus iniens contractum cum laico, ut valeat contra- 80
ctus, debet observare solemnitatem, & formam a lege sæculari pro tali validitate præscriptam, aliter contractus currit; Abbas *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de Constitutionibus n. 43.* Felinus *ibidem n. 81.* Maranta *disp. 8. Quæstionum legalium n. 33. & 48.* Federicus *de Senis cons. 85.* Sperellus *decis. 10. n. 3.* Reiffenst. *l. c. n. 342.* & alii passim. Et ratio est, quia tali contractui resistit lex sæcularis, utpote inhabilitans laici consensum ad taliter contrahendum; *l. Cum lex ff. de Fidejussorib.* adeoque corruit contractus in totum, & nulla ex eo oritur obligatio; Cum enim contractus claudicare nequeat veluti importans ultro, citroque obligationem, *leg. labeo §. Contractum ff. de verbor. signif.* neque Clericus quamvis ipse tali legi adstrictus non sit, tali informi contractu juvari, & contra laicum uti poterit. Validus tamen est con- 81
tractus, si Clericus, ubi viget talis lex, contrahat cum alio Clerico; quia tali casu utraque pars contrahentium est persona non subdita legi Sæculari, seu laicali, adeoque non tenetur ad ejus observantiam, cum leges Sæculares, seu laicales nequeant adstringere, neque sub nullitate actus obligare personas Ecclesiasticas, ex quo iltæ vi privilegii Fori sint exemptæ a Jurisdictione laicali: *cap. Bene quidem 1. c. Satis evidenter 7. c. Si imperator 10. & c. Nunquam 11. dist. 96. c. Decernimus, c. Ac Clerici 4. c. Clerici 8. & c. Quoniam 17. de Judiciis, c. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de Constitutionibus, Cap. ultim. de rebus Eccles. non alienand. Cap. A nobis 21. de sententia Excommunic. c. ut animarum 2. de Constitutionibus in 6. c. Sæculares 2. de foro competen. in 6. l. ult. de Jurisd. omnium Judic.* cum similibus. Ita Felinus *in cit. Cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ n. 94.* Maranta *cit. disp. 8. n. 51.* Reiffenst. *l. cit. n. 343.* & alii passim cum Sperello *dec. 15. n. 10.* ubi dicit, hoc esse indubitatum, si in Clerici Testamento alter Clericus sit institutus, vel ab uno Clerico fiat donatio in favorem alterius Clerici, cum tunc lex laicalis in Clericos sic testantes, vel donantes nullam habeat jurisdictionem, nec ratione rerum, nec ratione personarum.

Novæ additiones ex aliena manu.

DE legatis, tum Studiosis disputari solet, an ii durante 1
legatione, & peregrinatione studiorum causa ligati sint legibus illius Regionis, in qua morantur?

Quod concernit legatos, eorumque comites, quum consi- 2
derandi ii haud sint ex sua persona, sed repræsentent Absentes a quibus sunt missi, perinde ac Absentes illi, haud tenentur jure civili ejus Populi, apud quem legationis causa degunt: *Voet in commentar. ad Pandect. lib. 1. tit. 3. n. 12.*

Quod vero attinet ad Studiosos, diversa sane esse debet 3
eorum causa. Etenim quum in his haud militet maxima illa utilitatis publicæ ratio, & jure gentium introducta Sanctitas: Inde fit, ipsos quoque communi jure censeri, ac parere legibus illius loci, in quo causa studiorum morantur, eo tamen modo, & eatenus, quatenus & Peregrinantes alii dum sunt in Territorio tenentur: *Idem Auctor ubi supra n. 13.* 4

Articulus IV.

Lex quoad ea, quæ concernunt intentionem, modum, & tempus eam adimplendi.

IN exequtione operis a lege præcepti, duplex potest ha- 1
beri intentio, una scilicet præstandi opus, quod præcipitur, & alia satisfaciendi legi, seu præcepto per tale opus; *Communis.* Ad impletionem legis, seu præcepti non requiri- 2
tur

tur intentio ei satisfaciendi: Vasquez *1. 2. q. 100. art. 9.* Sanchez *lib. 1. Decal. cap. 13. num. 9.* Herinc. *disp. 3. de Legibus n. 80.* Reiffenst. *Theol. Moral. tract. 2. de Legibus dist. 3. q. 5. num. 45.* & alii communiter. Et ratio est, quia lex humana præcipit solum liberam, seu voluntariam operis externi exe-
cutionem, v. g. auditionem Missæ, non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem, seu ut alio peculiari
3 actu quis velit, vel intendat præcepto satisfacere. Hinc infertur, quod si quis die Festo Missam audiat, immemor esse diem festum, is nihilominus satisfaciat præcepto: Neque necesse est, ut postea intelligens esse diem Festum, velit tunc satisfacere per Missam jam auditam, quia implevit substantiam actus præcepti; *Communis.*

4 Quamvis autem ad satisfaciendum legi, seu præcepto non requiratur ex dictis intentio satisfaciendi ipsi legi, seu præcepto, requiritur tamen intentio præstandi opus, quod præcipitur, Sanch. *lib. 1. Decalog. cap. 13. n. 2.* Bonacina *de legibus disp. 1. q. 1. punct. 10. n. 2.* Reiffen. *l. cit. n. 44.* & alii passim. Et ratio est, quia opera præcepta debent præstari modo humano; non præstantur autem humano modo, nisi adsit vo-
5 luntas & intentio ea præstandi, adeoque etc. Hinc infertur, quod si quis curiositatis gratia, aut fine inveniendi amicum, et alio hujusmodi fine intret in Ecclesiam, nihil cogitans de Missa audienda, quæ interim celebratur, is non satisfacit præcepto audiendi Missam, quia cum non habuerit intentionem et animum ipsam audiendi, non censetur eam audivisse. Item si quis recitet Horas Canonicas solo fine, et animo legendi, vel discendi, non satisfacit præcepto Divini Officii persolvendi, quia ad id requiritur intentio saltem recitandi Horas Canonicas, seu orandi: Sic *Doctores citati*, et alii communiter.

6 Legi, seu præcepto satisfacit, qui faciens opus præceptum, expresse intendit per illud non satisfacere: Sanchez *lib. 1. moral. Cap. 13. n. 9. & 12.* Lessius *lib. 2. Cap. 7. dubit. 10.* Suarez *lib. 2. de legib. lib. de Horis Cap. 26. & 3. p. t. 3. disp. 88. sect. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 10. in fine*, Reiffenstuel *l. cit. num. 46.* Vasquez *1. 2. q. 100. art. 9.* Busemb. *lib. 1. de legibus tract. 2. cap. 3. dub. 3. num. 693.* la Croix *ibid.* Lat-
man *Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. Cap. 4. num. 7.* & alii plures contra Navarr. *de orat. Cap. 16. num. 73.* Azor. *t. 1. lib. 7. Cap. 2. q. 6.* & alios. Et ratio est, quia leges, & præcepta obligant solum ad substantiam operis injuncti, adeoque illa posita satisfit legi etiam contra expressam intentionem ope-
rantis, cum non sit amplius in potestate operantis, ut non
7 satisfaciat. Nec valet objicere, quod actus non operentur ultra intentionem agentis, *l. Non omnis 19. ff. de Rebus creditis*: quia id debet intelligi, quando est in potestate operantis, V. G. satisfacere, vel non; Nec item valet dicere, quod ficuti voto obligatus ad faciendam eleemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit; ita a pari in casu legis adimpletæ cum animo illam non adimplendi, non satisfacit: Non valet, inquam, quia in tantum obligatus voto ad faciendam eleemosynam, si illam faciat animo non adimplendi, non satisfacit, quia talis, & similis obligatio provenit ex voluntate promittentis, qui sicut ab initio debitorem se libere constituit, sic in debito libere permanere potest, obligatio autem parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem, & voluntatem, nempe ultra substantiam operis præcepti, qua posita non est in potestate operantis, nolle per ipsam satisfacere, quia cum legislator hoc solum præceperit, ut opus humano modo impleatur eo opere præstito, extinguitur statim obligatio independenter ab intentione satisfaciendi operantis: Busemb. *l. cit. num. 693.* Coninch. *n. 309.* Laym. *l. citat. numer. 7.* Lessius *loc. cit.* & alii. Vide verb. *Missa art. 17. n. 11. & 12.*

8 Hinc infertur, quod licet quis die Festo Missam attente audiens, habeat expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, sed aliam Missam postea audiendi, is nihilominus satisfacit, ita ut non teneatur postmodum
9 aliam audire. Item qui recitavit divinum Officium, vel partem ejus, non ea devotione, & attentione, qua voluit-
set, & ideo proposuit repetere ad satisfaciendum præcepto, non tenetur repetere, quia per illam primam recitationem
10 satisfecit præcepto. Item, qui die festo Missam audivit, Divinum Officium recitavit, Pœnitentiam Sacramentalem peregit, & alia hujusmodi cum expresso animo non satisfaciendi non tenetur postea mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus satisfecisse, quia vere satisfecit, Lugo *de Eucharistia disp. 22. sect. 2. num. 12.* Salas *D. 9. num. 33.* Busemb. *l. c.* Sanch. & alii supra citati.

Leges, & præcepta impleri possunt sine charitate, seu gratia sanctificante; *Communis.* Et ratio est, quia præ-
cipitur solum substantia actus inclusi in præcepto, non 11
autem modus præcepti; æque enim adimplet legem, qui eam observat in peccato, ac qui eam observat in gratia; quis enim diceret, quod non satisfaciat præcepto audiendi Missam, præcepto jejunandi, præcepto festandi, præcepto honorandi parentes, & hujusmodi, qui talia, & similia præcepta exequatur existens in peccato? Unde falsissimum est, charitatem esse necessariam ad implenda omnia præcepta, ut perperam docuerunt Bajus, Jansenius, & alii, & ideo a S. Pio V. die 1. Octobris 1567. Constitut. incipien. *Ex omnibus*, a Gregorio XIII. die 29. Januarii 1579. Const. incip. *Provisionis Nostræ*, & ab Urbano VIII. die 6. Martii 1641. Const. incip. *In eminenti* inter 79. propositiones Michaelis Baji, & aliorum, merito damnata fuit sequens propositio in ordine 16. *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.*

Quinimmo potest etiam satisfieri legi, seu præcepto per 12
actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam, & vitiatam; Sanchez *libr. 1. Moral. cap. 14.* Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 4. num. 6.* Lugo *disp. 22. sect. 2. num. 23.* Reiffen. *l. cit. num. 48.* & alii communiter apud Mastrium *Theol. Moral. disp. 2. q. 5. n. 169.* Et ratio est, quia lex præcipit tantum substantiam actionis ex objecto suo honestæ; non autem finem, vel circumstantias, adeoque potest quis ponendo substantiam legis, seu præcepti, satisfacere ipsi legi, seu præcepto etiam per actionem ex fine, vel circumstantia extrinsece malam, & vitiatam, quamvis peccet pro ratione pravi finis, aut circumstantiæ malæ. Hinc infertur, quod si 13
quis jejunet, vel interfit Missæ ob vanam gloriam, vel etiam, ut furetur, vel ob alium pravum finem, potest nihilominus implere præceptum, etiam per tales, & similes actus ex fine, seu circumstantia peccaminosos, quia implet substantiam illius præcepti, licet peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur. Item Sacerdos, qui Missam celebrat in 14
statu peccati mortalis, satisfacit, & suæ obligationi, & præcepto audiendi Missam die Festo, non obstante quod gravissime peccet; ponendo enim actum præceptum, jam adimplet quod ei erat injunctum, & consequenter satisfacit etiam præcepto. Item adimpletur votum, Juramentum Deo fa- 15
ctum, Pœnitentia Sacramentalis, & hujusmodi, quamvis actus, per quem adimpletur, sit malus, & peccetur contra aliud præceptum, cui actus ille malus opponitur; *Omnes citati Doctores*, & alii passim.

Nec valet objicere, quod adimplens legem, seu præce- 16
ptum per actum peccaminosum, non adimpleat modum, ac finem præcepti, qui est honorare Deum per actum præceptum; Non valet, inquam, quia modus, & finis non cadit sub præcepto, nisi sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, & expresse requisitus: *Sic Communis Doctorum Sententia.* Si autem mo- 17
dus, & finis sit de intrinseca ratione actus præcepti, seu in aliqua lege, vel præcepto sit specialiter, & expresse requisitus, nequit utique adimpleri præceptum, non adimpleto modo, ac fine: Sic sacrilege confitens non satisfacit præcepto annualis Confessionis, & sacrilege communicans non satisfacit præcepto Paschalis Communionis, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ necessario requiritur dolor de peccatis commissis, propositum de cætero non peccandi, & Confessio omnium peccatorum; Finis enim talis præcepti est, ut peccatores per tale Sacramentum remittantur in Dei gratiam, sicuti finis, & modus recipiendi Sacram Communionem est, ut recipiatur in statu gratiæ, & gratia per ipsam in communicante augeatur: Unde merito ab Alexandro VII. die 24. Septembr. 1665. inter alias fuit damnata sequens propositio 14. in ordine: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*, & ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. merito inter alias fuit damnata sequens propositio 55. in ordine: *Præcepto Communionis satisfit per Sacrilegam corporis Domini manducationem.* Sic etiam si quis dormiens die 18
Festo assistat Missæ, non satisfacit præcepto Ecclesiæ, quia de intrinseca ratione præcepti audiendi Missam die Festo est, ut quis ei assistat modo humano, seu cum advertentia rationis, quod a dormiente non fit, adeoque &c. Et sic dicendum est de similibus.

Leges, seu præcepta quamvis sine charitate, seu gratia 19
san-

sanctificante possint adimpleri satisfactorie, ideſt ipsis satisfieri; non tamen sine charitate, & gratia sanctificante possunt adimpleri meritorie, ideſt per talem impletionem præmium mereri; *Communis*, *arg. Epist.1. ad Corinth. cap.13. num.1.* ibi: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*, & infra *num.3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*.

20 Potest eodem tempore satisfieri pluribus legibus, & præceptis per diversos actus, quando unus actus non impedit alium debite exercendum: *Communis*. Et ratio est, quia qui facit id, quod lege, vel præcepto præscribitur, legi, vel præcepto satisfacit, sed potest quis eodem tempore facere quod præscribunt diversæ leges, seu diversa præcepta, ergo potest quis eodem tempore satisfacere pluribus legibus vel præceptis, quoties unus actus non impedit alium debite
21 exercendum. Hinc infertur, quod qui die Festo audiendo Missam recitat Horas Canonicas, vel alias preces obligatorias, satisfacit eodem tempore præcepto audiendi Missam, & præcepto recitandi Horas Canonicas, seu obligationi recitandi alias preces aliunde debitas, quia recitatio Horarum, seu aliarum precum, non impedit attentionem requisitam
22 ad Missam; *Communis*. Item satisfacit præcepto, qui tempore Missæ conscientiam suam examinat, elicit actus doloris, vel aliis piis actionibus se præparat ad Confessionem, quia istæ actiones non impediunt attentionem requisitam ad
23 Missam: *Communis*. An autem ille, qui per notabilem partem Missæ confitetur sua peccata, sati faciat præcepto audiendi Missam, *Vid. verb. Missa art.17. num.27.* ubi alia ad rem per totum articul.

24 Unico, & eodem actu potest satisfieri pluribus legibus, seu præceptis, extra tamen materiam Justitiæ, & nisi aliud colligatur ex mente Legislatoris, seu præcipientis; Sanchez *lib.1. in Decalogum cap.14. num.5.* Reiffenst. *l. cit. num.51.* Herincx *disp.3. de legibus num.85.* Salas, Bonacina, & alii apud Mastrium *Theol. Moral. disp.2. q.5. num.170.* Et ratio est, quia obligatio legis, seu præcepti pendet a mente legislatoris, seu præcipientis, ipsiusque voluntatem non excedit, ergo si legislator, seu præcipiens unico actu intendit, & permittit pluribus simul satisfieri legibus, seu præceptis, sequitur unico actu pluribus legibus, seu præceptis satisfieri
25 posse. Hinc sequitur, quod qui obligatur ad recitandas Horas Canonicas ratione Ordinis Sacri, similque Beneficii Ecclesiastici, satisfacit unica recitatione. Item, qui tenetur jejunare ex voto die Veneris, si tali die occurant Quatuor anni Tempora, & Vigilia alicujus Sancti, unico jejunio satisfacit tribus obligationibus, scilicet voto, & duobus Ecclesiæ
27 præceptis. Item quando Festum alicujus Sancti incidit in Dominica, non tenetur quis audire duas Missas, sed unica audita Missa satisfacit duplici præcepto, scilicet & præcepto pro Dominica, & præcepto pro Festo talis Sancti. Et sic de similibus.

28 Notanter autem fuit dictum in conclusione *sub num. 19. extra tamen materiam Justitiæ*, quia, si sint plures obligationes Justitiæ, iis satisfieri non potest unico actu; Si enim Petrus debeat Paulo centum aureos ex contractu, et alios centum ex damnificatione injusta, non satisfacit utrique obligationi, semel dando Paulo centum, sed tenetur dare ducentos, quia in materia Justitiæ commutativæ, seu in debitis Justitiæ, attenditur æqualitas rei ad rem: non potest autem unum centum esse æquale debitis plurium centum: Secus autem est in materia legali, seu in debitis legalibus, quia ibi attenditur mens, et intentio Legislatoris, quæ sæpius terri potest in unum, idemque opus: *Ita Doctores omnes citati*.

29 Notanter etiam fuit dictum in eadem conclusione, *nisi aliud colligatur ex mente Legislatoris, seu præcipientis*, quia si circumstantiæ, seu verba legis denotent legislatorem velle exigere actum non debitum, tenebitur subditus illum actum non debitum præstare, et non poterit satisfacere actu alias
30 debito. Hinc si Confessarius injungat pœnitenti Rosarium pro Pœnitentia, et talis Pœnitens sit voto obstrictus ad Rosarium recitandum quotidie, Pœnitens non satisfacit præcepto Confessarii per recitationem Rosarii debitam ex voto; quia Confessarius, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, obligare intendit Pœnitentem ad rem non de-
31 bitam. Item si Confessarius pro Pœnitentia injungat auditionem Missæ, nisi oppositum exprimat, vel aliunde colligi possit, censetur velle obligare Pœnitentem ad aliam additionem 32
Missæ ab ea, quam die Festo audire tenetur. Secus autem esset, si Confessarius injungeret pro Pœnitentia auditionem quotidianam Missæ pro uno Mense, pro uno anno, et hujusmodi, quia ex benigna interpretatione censetur contentus esse Missa debita ex præcepto diebus Festivis; neque enim censendus est velle obligare ad audiendas duas Missas diebus Festivis, nisi id exprimat; Cum enim sit grave onus, si id voluisset, expressisset; *arg. cap. Inter corporalia 2. de translation. Episcop. §. Sed neque istud, cap. Quia circa 22. de privilegus, & cap. Ad audientiam 12. de Decimis*; Sic Castropalaus *disp.1. punct.19. num.1. & seq.* Lazemberger *Supplement. Theolog. Decal. Cap.1. sect.1. q.4. num. 46.* Reiffen. *l.c. num.53.* & alii supracitati.

Nullatenus tamen potest unica numerice recitatione Divini Officii satisfieri duplici præcepto, V.G. pro die præsenti, 33
& pro die crastino, quando hora licita anticipandi Matutinum, & Laudes, recitatur hodie Officium diei sequentis; Adstricti enim ad Horas Canonicas tenentur legere Officia singulis diebus affixa; Unde Alexander VII. die 18. Martii *1666.* merito damnavit inter alias sequentem propositionem 35. in ordine: *Unico Officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino*.

ARTICULUS V.

Lex quoad ejus cessationem.

LEX humana cessat, vel per cessationem ejus causæ finalis; vel per ejus abrogationem, vel per interpretationem, seu Epichejam; vel per dispensationem, vel per privilegium; vel per consuetudinem contrariam; *Communis*. Lex igitur cessat per cessationem ejus causæ finalis, scilicet lex cessat, omnisque ejus obligatio, quando cessat universim totalis ejus causa finalis; Suarez *lib.6. de legibus capitulo 9. numer. 5.* Silvester *verb. Lex qu.9. §.8.* Layman *lib.1. tract.4. Cap.21. n.3.* & communis aliorum *arg. l.Adigere §.2. ff. de Jurepatr.* ubi aperte habetur, quod cessante ratione, & causa legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; *& cap. Cum cessante 60. de Appellation.* ibi: *Cum cessante causa, cessat effectus*. Et ratio, est quia 3
sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit, cum ratio legis sit anima legis: *L. Cum ratio ff. de bonis damnatorum*, ita etiam posita desinit desinente ratione ejus, quandoquidem tunc ejus observatio inutilis, atque supervacanea esse incipit. Unde hac ratione Apostolus *ad Hebræos 7.* ait: *Reprobatio fit præcedentis mandati* (ideſt legis Mosaicæ) *propter infirmitatem ejus, & inutilitatem*. Sic in primitiva Ecclesia Apostoli *Actorum 15.* Legem constituerunt, ut omnes abstinerent ab immolatis, sanguine, & suffocatis, eo solo fine, ut Judæi ab iis abhorrentes tanto facilius in Fide, & Religione cum Gentilibus jungerentur. Quo fine successu temporis cessante, cessavit quoque illa Lex talis abstinentiæ, ut docet S. Augustinus *lib.32. contra Faustum cap. 13.* Nicolaus primus *in responsione ad Bulgaros C.p.90.* S. Thom. *1.2. q.130. art. 4. ad 3.* ubi addit, *Procedentem autem tempore, cessante causa, cessavit effectus*, scilicet obligatio illius legis Apostolicæ; Et sic docent Doctores communiter.

Notanter autem dictum fuit, *quando cessat totalis ejus causa finalis*. Nam si cesset tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex, cum tunc perseveret adhuc alter finis, seu aliud legis motivum sufficiens ad conservandam ejus obligationem, ut recte observat Abbas *in Cap. Cum cessante 60. de Appellat. num.2.* Layman *l. cit. n.3.* la Croix *lib. 1. num.866.* Herincx *disp.3. q.16. n. 202.* Paulus Mezger *disp.36. num.5.* Mastrius *cit. q. 6. num. 209.* & alii plures apud ipsos. Et ratio est, quia quando sunt plures fines, licet simul sumpti faciant unicum finem totalem, tamen deficiente uno, si alius maneat, manet quoque adhuc legis obligatio; adeoque si cessat tantum finis partialis, seu partiale motivum legis, non ideo cessat ipsa lex.

Notanter etiam dictum fuit, quando cessat causa *universim*; 4
quia cessante causa, seu fine legis in particulari homine, non ideo cessat obligatio ipsius legis, Et ratio est, quia finis legis humanæ non potest cessare quoad aliquem in particulari, si adhuc maneat quoad communitatem, finis enim legis in præsumptione periculi fundatæ, non est evitare, quod

quodcumque periculum in particulari, sed periculum in communi, & generaliter, adeoque quamvis cesset periculum in aliquo particulari, cum non cesset periculum in communi, & generaliter, non cessat obligatio legis: Si enim V.G. Princeps lege lata interdicat Civibus usum armorum ad vitandas rixas, & homicidia, fas non erit alicui particulari arma prohibita gestare, quamvis in ipso ob tenuitatem, vel pacificam naturam, seu morum probitatem, vel simplicitatem cesset rixarum, & homicidiorum periculum, quia interest boni publici, ut leges communes ab omnibus communiter observentur, quandiu non occurrit aliquod impedimentum contrarium, quod per Epichejam excuset, aliter orirentur multa incommoda in damnum Reipublicæ, si tali, & similibus casibus tribueretur licentia agendi contra legem, nam quisque facile sibi posset blandiri, causam, & finem legis hic & nunc in se cessare: Et sic tenent D. Thom. 2.2. *qu.* 154. *art.2. tom.3.* Suarez *lib.6. de Legibus Cap.9. n.6.* Laym. *l. cit. num.3.* Mastrius *l. cit. num.210.* Herincx *l. cit. num.203.* la Croix *l. cit. num.314.* Paulus Mezger *l. cit. n.6.* Kazemberger *l. cit. num.314.* ubi testatur de communi, Amicus, Aversa, Cardensis, Sotus, Salas, Reding, aliique plurimi contra Granad. Henriquez, Dianam, & alios.

Lex in præsumptione fundata, cessat obligare, si de contraria veritate constet, quia ex communiter recepto axiomate Præsumptio cedit veritati; *argum. cap. Super hoc 5. de renuntiation. leg. Continuus 137. ff. de verb. significat. leg. ultim. ff. Quod metus causa; leg. Imperatores ff. de probationib.* ibi: *Respondi, veritati locum superfore*, ex quibus aperte deducitur, quod mens Legislatorum nunquam fuit per leges in præsumptione fundatas aliquid disponere contra veritatem; adeoque veritate cognita, sive per propriam Confessionem, sive per alias legitimas probationes, cessant tales leges obligare, etiam in Foro externo; & multo magis cessant obligare in Foro interno, seu conscientiæ, ubi talis veritas est manifesta: quia ut Apostolus 2. *ad Corinth.* 1. dicit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Tum quia talibus præsumptione a parte rei falsa infestatis, non deficit suum verum Jus, sed solum probatio, *arg. l. Duo sunt ff. de Testament. Tutel.* adeoque cum leges debeant esse justæ, *cap. Erit autem Lex 2. dist.4.* cum similibus, nullimode potest dici mentem legum in præsumptione fundatarum fuisse Jus suum alicui adimere, etiam cognita veritate, cum Jus suum unicuique tribuere, pertineat ad tria Juris præcepta §. *Juris, Institut. de Justit. & Jur.* his verbis expressa: *Juris præcepta hæc sunt, honeste vivere, alterum non lædere, Jus suum cuique tribuere*. Et sic tenent Abbas *in cap. Quia plerique num. 18. de Immun. Eccles.* Covarruv. *in cap. Cum esses numer. 9. de Testament.* Navarr. *in cap. Ita quorumdam, de Judæis, notab.10. n° 29.* Layman *lib.1. tract.4. cap.21. n. 4.* & alii passim.

6 Lex cessat per ejus abrogationem, cum a Legislatore, seu legitimo Superiore in totum tollitur: *Communis*. Hic tamen advertendum venit, quod datur differentia inter abrogationem, derogationem, & irritationem legis. Abrogatio enim legis fit, cum lex in totum tollitur: Derogatio vero cum lex tollitur solum ex parte; textu expresso *in l. Derogatur* 102. *de verb. significs.* ibi: *Derogatur Legi, cum pars detrahitur*:
7 *abrogatur Legi, cum prorsus tollitur*. Irritatio autem legis fit cum lex ab inferiore instituta, auctoritate Superioris irritatur, seu rescinditur, & nullius valoris efficitur, ut si lex ab Episcopo lata a Summo Pontifice annulletur, irrita, & inanis, ac nullius roboris declaretur; *Communis*.

8 Legem abrogare potest Legislator, qui eam tulit; *Communis, arg. cap. Omnis res 1. de Regulis Juris*, ubi expresse di-
9 citur, quod *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Item legem abrogare potest Legislatoris successor in officio, vel in Jurisdictione Superior; quia voluntas Successoris equivalet in Jurisdictione voluntati Antecessoris; & voluntas Superioris etiam prævalet, adeoque quod in Jurisdictione licuit Antecessori, etiam licebit Successori, vel utriusque Superiori; *Communis, arg. cap. Innovavit 20. de elect.*
10 *§. Quamvis, cap. Exiit 3. de verb. signific. in 6. §. Ceterum Sanctæ memoriæ*, cum similibus. Inferior tamen nequit abrogare legem Superioris, cum voluntas inferioris nullum habeat Jus, seu nullam potestatem supra voluntatem Superioris; *cap. Inferior 4. dist. 21. cap. Cum Inferior 16. de majorit. & obed. Clement. Ne Romani, de elect.*

11 Nova lex, seu Constitutio Principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem; *Communis*, textu expresso *in cap. Licet 1. de Constitut. in 6.* ibi:

Licet Romanus Pontifex (qui Jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare, noscatur &c. & concordat Jus Civile; *l. Sed & posteriores, ff. de Legibus*, ibi: *Sed & posteriores Leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint*. Hinc pariter in Testamentis statur ultimo, etiamsi in ipso non fiat mentio de priori: *l. Si mihi, & tibi ff. de Legatis 1. & cap. Ultima voluntas 4. caus. 13. quæst.2.* ubi dicitur, *quod ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet*.

Lex nova, seu Constitutio Principis generaliter lata, non 12
tollit, nec revocat rationabiles consuetudines, & particularia statuta locorum, nisi id exprimat: *Communis*, textu expresso *in cit. cap. Licet 1. de Constit. in 6.* ubi post verba *num. antecedenti* allegata, statim subjungitur: *Quia tamen locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & Statuta (cum sint facti, & in facto consistant) potest* Romanus Pontifex *probabiliter ignorare; ipsis, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare*. Expres- 13
sio autem talis abrogationis, seu derogationis sufficit, quod fiat per clausulas generales in lege appositas, v. g. *Nulla obstante consuetudine contraria, vel non obstantibus quibuscumque Statutis particularium locorum, seu non obstantibus quibuscumque statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus*, & hujusmodi; Gailus *lib.1. pract. observ. 18. num.2.* Layman *cap. 1. num. 12. de Const. in 6.* Reiffenst. *lib.1. Decretal. tit.2. num.499.* & alii passim.

Leges non sunt abrogandæ, seu immutandæ, nisi ex gra- 14
vi, & justa causa; *l. 3. ff. de Constit. Princip.* ibi: *In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum visum est*, quia (ut expresse dicit Benedictus XI. Summus Pontifex in Extravag. *Inter cunctas 1. de privil. §. Sane*) *plerumque pariunt novitates discordiam præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est, per novam Constitutionem receditur: nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest; Ita communis Doctorum*.

Justa autem, & gravi interveniente causa pro varietate 15
temporum, & circumstantiarum valide, & licite possunt mutari leges, eas, vel in totum abrogando, vel ipsis ex parte derogando; *Communis*, textu expresso *in cap. Non debet 8. de consanguin. & affinit.* ibi; *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque mutentur humana, præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo*. Item *in cap. Alma mater 24. de sentent. excomm. in 6.* ibi: *Alma mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subjectorum utilitate postmodum consultius, & rationabilius revocat, in melius que commutat*.

Sine justa vero, & gravi causa possunt quidem abrogari le- 16
ges, valide, at non licite; *Communis*. Et quidem quod possint abrogari valide, stat clarum, quia cum obligatio legum dependeat a voluntate Legislatorum in fieri, & conservari tamquam a causa adæquata, sublata hac voluntate peribit obligatio legum, et consequenter earum abrogatio erit valida; *argum. cap. Omnis res 1. de Regul. Juris.*, ibi: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Quod autem nequeant abrogari licite, clare patet, quia Legislator, seu ejus Successor, vel Superior peccat agendo contra exigentiam boni publici, abrogare autem leges sine justa, & gravi causa, est contra exigentiam boni publici; *arg. cit. Juribus sub n.14.* adeoque &c.

Lex cessare potest per veram interpretationem, & Epiche- 17
jam; *Communis*. Interpretatio autem nihil aliud est, quam 18
congrua per aliud clarius explicatio verborum legis ordinata ad concipiendum verum legis sensum a Legislatore intentum; *Est in re Communis*. Interpretatio juxta Gloss. *in l. 37. ff. de* 19
Legibus est triplex, scilicet Authentica, Usualis, & Doctrinalis. Interpretatio *Authentica*, seu necessaria, cui nempe necessario est acquiescendum, est illa, quæ fit a Legislatore, seu ejus Successore per aliam legem prioris declarativam, & obtinet eamdem auctoritatem, ac ipsa lex, quam declarat; & de hac interpretatione intelligendum est id, quod habetur *l. 11. Cod. de Legibus*, juncto Summario *ibid. Ejus est Legem interpretari, cujus est condere, & cap. Inter alia 31. de sentent. excomm.* ibi: *Ut unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat*. Interpretatio *Usualis* est, quæ per usum, & consuetudinem introducitur, nam consuetudo, ut dicitur *cap. Cum dile-*

ctus 8. *de consuetudine, est optima Legum interpres*, sed de hac infra. Interpretatio *Doctrinalis*, seu scholastica, vel Magisterialis est, quæ a Doctoribus, seu Magistris dari potest, & solet; *l. unic. Cod. de Professorib. Urbis Constantin. l.* 22. & hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed dumtaxat probabilitatem; Unde huic interpretationi non est necessario inhærendum, nisi fiat a communi Doctorum consensu, ac alia meliora, & solidiora Juris fundamenta non suppetant.

20 Interpretatio Doctrinalis, seu Magisterialis subdividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam. Interpretatio *Declarativa* est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio. Interpretatio *extensiva* est ea, per quam fit ampliatio legis ad non expressa; Et hæc vel est *mere extensiva*, per quam dispositio legis ob paritatem, vel similitudinem rationis, extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehensum, vel est *etiam comprehensiva*, per quam lex extenditur ad personam, vel casum, verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem. Interpretatio *restrictiva* est ea, per quam verba legis, aut Statuti suadente sic æquitate in sua generali significatione coarctantur, & restringuntur.

21 Authentica legis interpretatio fieri potest a legislatore, ejusque Successore, vel utriusque in Jurisdictione Superiore; *Communis, arg. l.* 11. *Cod. de legibus*, ubi Summarium inquit: *Ejus est legem interpretari, cujus est condere, & cap. Inter alia* 31. *de sentent. excomm.* ibi: *Ut unde jus prodiit, inter-*
22 *pretatio quoque procedat*. Non potest tamen Authentica legis interpretatio fieri ab inferiore, nisi ad hoc ipsum a Superiore habeat potestatem; *Communis, arg. cap. Inferior* 4. *dist.* 21. *cap. Cum inferior* 16. *de majorit. & obed. & Clement. Ne Romani, de elect.*

23 Usualis legis interpretatio fieri potest ab ipso usu communi, & consuetudine legitime introducta; *Communis* per textum *in l. Si de interpretatione* 26. *ff. de legibus*, ibi; *Si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum est, quo Jure Civitas retro in hujusmodi casibus usa fuisset; optima enim est legum interpres consuetudo; & cap. Cum dilectis* 8. *de consuetudine*, ibi; *Contra consuetudinem approbatam, quæ est optima legum interpres*.

24 Doctrinalis legis interpretatio fieri potest etiam a privatis Doctoribus, seu Magistris, si observent regulas communiter præscribi solitas. Cum enim lex sæpe sæpius quid obscurum, & ambiguum in sua significatione contineat, necesse erat, ut Doctoribus, seu Magistris tribueretur facultas eam interpretandi, & per quid clarius explicandi; *Communis* per textum in *l. unic. de Professoribus Urbis Constantinop. l.* 12. *& in cap. Cum de diversis* 2. *de privilegiis in* 6.

25 Pro interpretatione Doctrinali, seu Magisteriali observandæ sunt sequentes Regulæ. Prima Regula; *Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam; communis*, cum Glossa *in cap. Cum Dilectus* 8. *de consuetudine, verb. Nec juri communi*, ubi sic præcise dicit; *Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio*, & colligitur ex *l.* Licet Imperator *ff. de legatis* 1. *& l. Ille, aut illa ff. de Legatis* 3.

26 Secunda Regula; *Verba legis sunt intelligenda secundum proprium significationem, nisi aliud constet sensisse legislatorem; Communis*, per textum *in cap. Audientiam* 12. *de Decimis, & in l. Non aliter ff. de legatis* 3. ibi; *Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse Testatorem. Et l.* 1. *§. Si is, ff. de exercitatoria actione*, ibi; *In re dubia melius est verbis Edicti servire*.

27 Tertia Regula; *Si de mente legislatoris constet, interpretatio est facienda potius secundum ipsam, quam secundum legis verba, quidquid aliud ipsa verba sonare videantur; Communis*, per textum *in cap. Humanæ aures* 11. *caus.* 22. *qu.* 5. ibi; *Non debet aliquis verba considerare (intellige nude, & simpliciter) sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni*. Hinc *l. Scire* 16. *ff. de Legibus* dicitur: *Scire leges non est earum verba tenere, sed vim, & potestatem, & cap. Certum est* 88. *de Regul. Juris in* 6. ubi expresse dicitur: *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra le-*
28 *gis nititur voluntatem*. Mens autem legis, sive Legislatoris desumi debet, tum ex materia legis, tum ex circumstantiis temporum, locorum, & personarum, & præcipue ex ratione in lege posita; *cap. Intelligentia* 6. *de verbor. significat.* ibi: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non fermoni res, sed rei est sermo subjectus*.

Quarta Regula: *Lex generaliter, & indistincte est intel-* 29
ligenda; *Communis*, per textum in *cap. Quia circa* 22. *de privileg.* ubi additur hæc ratio: *Cum nihil exceperit, & potuerat excepisse*. Unde commune Juristarum axioma juxta Summarium in *l. De pretio, ff. de publiciana in rem actione*, sic expresse habet: *Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*.

Quinta Regula; *Exceptio firmat regulam in contrarium in* 30
casibus non exceptis; *Communis*, per textum *in l. Quæsitum §. Denique, ff. de Instructor.* ibi; *Nam qui hæc excepit, non potest non videri de cetcris rebus, quæ in ea essent sensisse*, & concordat *l. Cum Prætor* 12. *ff. de Judiciis, cap. Qualis hinc dist. cap.* 25. *Dominus* 32. *quæst.* 7. *cap. Nonne, de præsumption. & cap.* 2. *de Conjug. Leprosor.* cum similibus, & tenet expresse Fagnan. *in cap. Illa n.* 31. *Ne Sede vacante*. Barbosa *Axiomat.* 85. *n.* 4. & Glossa communiter recepta, *l. in iis, quæ, ff. de legibus*, ubi ait; *Exceptio a regula firmat regulam in aliis*.

Sexta Regula; *Ubi eadem est ratio, eadem est Juris dispo-* 31
sitio; *Communis*, per textum *in l. Ideo, ff. de legibus*, ibi; „ Semper quasi hoc Legibus inesse credi oportet, ut ad eas „ quoque personas, & ad eas res pertineant, quæ quando„ que similes erunt „. Et *l. Non possunt ff. eodem*, ibi; „ Non possunt omnes articuli singillatim, aut legibus, aut „ Jurisconsulto comprehendi, sed cum in aliquo casu sen„ tentia eorum manifesta est, is qui Jurisdictioni præest, ad „ similia procedere, atque ita Jus dicere debet „. *Et cap. Inter corporalia* 2. *de translation. Episcop.* ibi; *Cum de similibus idem judicium sit habendum*.

Septima Regula; *In omnibus causis potior debet esse ratio* 32
æquitatis, quam stricti Juris; *Communis*, per textum *in l. Placuit Cod. de Judiciis*, ibi; „ Placuit in omnibus rebus præ„ cipuam esse justitiæ, æquitatisque scriptæ, quam stricti „ Juris rationem, & l. In omnibus ff. de regul. Juris, ibi; „ In omnibus quidem, maxime tamen in Jure, æquitas spe„ ctanda est. Et l. Quod si Ephesi §. Interdum, ff. de eo „ quod certo loco, ibi: *In summa æquitatem ante oculos habere debet Judex, & cap. Ex part.* 13. *de Offic. Delegati*; ibi: *Et in causa juxta Juris æquitatem procedere*. Ubi 33
autem deficit æquitas scripta, & in Jure circa aliquam causam nihil habetur expressum, tunc servanda est æquitas non scripta, & Judex procedere debet prout æquum, & justum esse censuerit; *cap. Ex parte tua* 11. *de transactionibus*, ibi: „ In his vero super quibus jus non invenietur expressum, „ procedas (æquitate servata) semper in humaniorem par„ tem declinando secundum quod personas, & causas, loca, „ & tempora videris postulare „. Æquitas vero est justi- 34
tia dulciore misericordiæ temperata, ut eam definit S. Cyprianus relatus ab Abbate *in cit. cap. Ex parte tua* 11. *de transactionibus n.* 7. Vel æquitas est quædam factorum convenientia, & rectitudo judicii naturalem sequens rationem, ut eam definit Baldus *in l. Omnes populi n.* 19. *ff. de justitia, & jure*. Barb. *Axiom.* 15. *n.* 5.

Octava Regula: *Argumentum a sensu contrario est satis* 35
validum; *Communis*, per textum *in l.* 1. *ff. de Officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, ibi: *Hujus rei fortissimum argumentum est, quod Lege Julia de vi nominatim cavetur &c. Non aliter igitur mandare poterit; & cap. Qualis hinc dist.* 25., ibi: *Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur*. Unde Glossa *in c. Cum Apostolica, verb. Datur intelligi; de his quæ fiunt a Prælatis* expresse dicit, quod *a contrario sensu datur fortissimum argumentum*. Dummodo tamen ex tali argumento a sensu contrario nullum sequatur absurdum, aut inconveniens, seu Jurium correctio; quia argumentum a sensu contrario non valet, quando ei alia Jura resistunt, ut expresse dicit Glossa communiter recepta, *in cap. Significasti, verb. Clerici, de Foro competent.*, ibi: *Argumentum a sensu contrario non habet locum, cum alia Jura contradicunt*.

Nona Regula: *Non censetur plus de priori Lege mutatum,* 36
quam est expressum in posteriori; *Communis* per textum *in l. Præcipimus, Cod. de appellat.*, ibi: *Quidquid autem hac Lege specialiter non videtur expressum, id veterum Legum, Constitutionumque regulis omnes relictum intelligant, & leg. Si vero §. De viro, ff. soluto Matrimon.* ubi Summarium sic habet: *Provisio Legis contra Jus commune non extenditur ultra*

ora illud, quod exprimit, licet eadem sit ratio. Accedit ratio, quia correctio legum, utpote odiosa, non facile est præsumenda; Jura enim Juribus, quantum fieri potest, sunt concordanda, neque eorum correctio est inducenda sine necessitate, textu expresso *in cap. Cum expediat* 29. *de election. in* 6. ibi: *Cum expediat concordare Jura Juribus, & eorum correctiones, si fieri valeant, evitari*, & concordat textus *in leg. unic. de inofficios. Dotibus*, ibi: *Leges Legibus concordare promptum est*, cum similibus; Unde *in leg. Non est novum* 23., *& sequent. ff. de Legibus*, generaliter sancitur ad evitandas legum correctiones, leges priores esse habendas, & explicandas per posteriores; & e contra has per priores, ibi: *Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur &c. sed, & posteriores leges ad priores, nisi contrariæ sint*.

37 Decima Regula: *Lex pœnalis, & omnis alia odiosa in dubio est stricte interpretanda; nec regulariter extendenda ultra casum, & personas expressas*; *Communis* per textum *in leg.* 42. *ff. de pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ mollendæ sunt potius, quam exasperandæ, & cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6., ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari; & cap. In pœnis* 49. *eodem in* 6., ibi: *In pœnis benignior est interpretatio facienda*; dicitur autem notanter in dubio; quia si ipsa verba legis pœnalis, aut alterius odiosæ, ejusque mens adeo clara sint, ut salva ratione recti sermonis, non possint aliam interpretationem habere, non obstante quod lex apparet nimis dura, & odiosa, adhuc erit observanda, *leg. Prospexit, ff. Qui, & a quibus manumiss.*, ibi: *Quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est*.

38 Undecima Regula: *Leges favorabiles ampliori interpretatione sunt intelligendæ; seu in materia favorabili verba Legis accipi debent secundum amplam suam significationem. Communis* per textum *in cit. cap. Odia* 15. *de Regul. Juris in* 6., ibi: *Favores convenit ampliari*. Dummodo tamen nihil aliud exprimatur, vel appareat ex verbis legis, seu alterius dispositionis, nec exinde illusio legis sequi possit; *in cap. Si Sententia* 16., *& cap. Si Civitas* 17. *de sent. excommun. in* 6.

39 Duodecima Regula: *In Beneficiis plenissima est interpretatio facienda*; *Communis*, textu expresso *in cap. Cum Dilecti* 6. *de Donationibus*, ibi: *In contractibus plena; in testamentis plenior; in Beneficiis plenissima est interpretatio facienda*, *& cap. Olim* 16. *de verbor. significat.*, ibi: *Cum Beneficia*
40 *Principum sint interpretanda largissime*. Excipienda tamen sunt Rescripta ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda, quæ sunt sunt strictæ interpretationis, textu expresso *in c. Quamvis* 4. *de Præbendis in* 6., ibi: *Quamvis plenissima sis alias in Beneficiis interpretatio facienda; litteræ tamen super obtinendis Beneficiis debent, cum sint ambitiosæ, restringi*.

41 Epicheja est benigna legum interpretatio secundum æquum, & bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum. *Est in re communis*; *arg. leg. Placuit, Cod. de Judiciis*, ibi: *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ, æquitatisque scipæ, quam stricti Juris, & leg. In omnibus, ff. de reg. Juris*, ibi: *In omnibus quidem, maxime tamen in jure æquitas spectanda est*, cum aliis Juribus adductis supra *num.* 32., *& 33*.

42 In hoc autem differt Epicheja ab interpretatione legis, quod per interpretationem interpretantur verba legis, quando sunt obscura, & ambiguum sensum reddunt; Per Epichejam vero interpretatur mens legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu; dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem ob certas circumstantias voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione Legis; Unde tunc speciatim verificatur textus *cit. cap. Intelligentia* 6. *de verbor. significat.*, ibi: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non fermoni res, sed rei est sermo subjectus, & cap. In his* 15. *Cod. de verbor. signific.* ubi Pontifex factæ a se interpretationis allegat hanc rationem: *Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire; interpretamur &c.*

43 Hinc quandoque esse locum Epichejæ in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes, tenet *Communis Doctorum*; *arg. leg.* 4. *ff. de Legibus*, ubi dicitur, quod *ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possint, Jura non constituuntur*; Neque sic præjudicium in-

tertur potestati Legislativæ; cum præsumatur Legislator in simili casu, eadem fuisse dicturus, ut colligitur *ex l. Nulla Juris, ff. de Legibus*, ubi habetur; *Nulla Juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem*.

Lex cessare potest per dispensationem factam ab habente 44
legitimam dispensandi potestatem. *Communis*. Quo autem
ad ea, quæ speciatim concernunt dispensationem, *Vid. verb.* 45
Dispensatio per tot.

Lex cessare potest per Privilegium concessum ab habente 46
legitimam potestatem ipsum concedendi. *Communis*. Privilegium enim est, quod Princeps contra communes regulas Juris, seu contra communes leges cuipiam concedit, seu rescribit, juxta illud Esther 15. *Non enim pro te, sed*
pro omnibus hæc lex constituta est. Dicitur enim Privilegium, 47
quasi *lex privata*; neque esset privata, nisi aliquod speciale indulgeret; *Cap. Privilegia* 3. *dist.* 3., *& cap. Abbate* 25. *de verbor. significat. §. Contra*.

Quia igitur Privilegium est contra Jus commune, & omnis recessus a Jure est odiosus, *Cap. Is qui* 1. *de Filiis Presbyterorum §. Ille vero, in* 6., ibi: *Quam exorbitantem a*
Jure oportet veluti odiosam restringi. Hinc Privilegium est 48
stricte interpretandum, ac restringendum, dummodo ex hoc non reddatur inutile. *Communis, arg. cit. Cap. Is qui, & cap. Odia* 15. *de Regulis Juris in* 6., ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari*, cum similibus.

Lex cessare potest per consuetudinem contrariam legitime 49
introductam. *Communis*. Circa autem ea, quæ speciatim 50
quoad hoc concernunt consuetudinem. *Vid. verb. Consuetudo per tot.*

Novæ additiones ex aliena manu.

Pertinet, & ad Jurisconsultos, Judicesque leges inter- 1
pretari. Tripliciter autem interpretari possunt Jurisconsulti, & Judices leges. Primo ad casus simile producendo legis dispositionem. considerata ratione ejus in aliis ad eam- 2
dem utilitatem tendentibus militante, idque etiamsi taxativis verbis lex uteretur, quippe quia taxatio tantum ad casus dispares excludendos pertinet, non item ad eos, in quibus militat similis, aut eadem, aut major ratio. Secundo restringendo generaliora legum effata ad casus illos, in qui- 3
bus solis manifesta, & adæquata ratio legis locum habet. Tertio denique explanando verba legis obscura vel ambi- 4
gua, & dubium ipsius legis sensum eruendo.

Id autem ut recte fiat, servanda sunt quædam universa- 5
lia præcepta. In primis, & ante omnia de mente legis non est judicandum, nisi tota lege perspecta, quum ex antecedentibus, & subsequentibus ut plurimum evidens evadat Sententia legis; *l. 24. ff. de legib.*

Deinde semper adhiberi debet ea interpretatio, quæ caret 6
vitio, & aptior est rei gerendæ, & convenientior menti Legislatoris; *leg. 19. eodem tit. leg. 67., & leg. 96. ff. de* 7
Regul. jur. non calumniosa; *leg. penult. ff. Ad exhibend.* non talis, quæ circumveniat mentem legis, dum fieret quod 8
lex fieri noluit, fieri tamen expresse non vetuit; *leg. 29., & leg. 30. ff. de leg. leg. 5. Cod. eod.* quæve redderet legem 9
inutilem, nullis accommodatam casibus, & sic omni effectu destitutam, *arg. leg. 1. §. ultim. ff. ad municipal.*, aut quæ 10
in favorem alicujus inventa torqueret severius in ejusdem dispendium, ac læsionem; *leg. 25. ff. de leg., & leg. 6. Cod. eodem*.

Sed nec petenda est interpretatio ex iis, quæ constituta 11
sunt jure singulari, aut necessitate quadam in certis solummodo casibus; *leg. 14. ff. de leg., & l. 16. ff. de Regul. jur.* 12
aut errore sunt introducta; *l. 39. ff. de leg.*

Recedendum nec aliter est a propria verborum significa- 13
tione, quam quum manifestum est id Legislatorem voluisse, *arg. leg. 69. ff. de legat. 3.* magisque in dubio verbis edicti 14
serviendum ait Ulpianus *in leg. 1. §. 20. ff. de exercitor. action.* Recedere autem voluisse Legislatorem a propria significatio- 15
ne verborum, erui valet cum ex antecedentibus, & sub- 16
sequentibus verbis legis, præfatione, epilogo, & similibus 17
tum ex ratione legis ipsi legi subjuncta, tum etiam ex eo 18
quod verba in proprio significatu accepta, involverent absurditatem, impossibilitatem, vitium, vel significationem non satis aptam rei gerendæ.

Omittendum haud est etiam ex argumentis desumptis a con- 19

trario sensu legis sensum eruì posse, & interpretationem fieri, ut servarunt ipsi Jurisconsulti *in leg.*1. *ff. de Officio ejus cui mandat. jurisd. leg.*18. *ff. de Testib. leg.*20. §.6. *ff. qui testiam. facere poss. l.*26. *ff. de pact. dotal.*

Quod si hisce, similibusque præceptis observatis nec dum manifesta reddi possit legis sententia, aut evitari absurditas, iniquitasque, quam videbatur involvere dispositio legis, haud poterit Judex prætextu æquitatis arrogare sibi licentiam spernendæ legis tanquam duræ, & iniquæ, ac judicare contra perspicuam legis decisionem, quum Judicis sit secundum legem, nequaquam vero de legis justitia, vel injustitia judicare, & facti quidem quæstio, non item juris auctoritas in ejus potestate sit; *leg.*1. §.4. *ff. ad Senatusconsult. Turpillian.* juncta *leg.*12. §.1. *ff. Qui, & a quib. liberi non fiant*, solumque supereſt, ut catur ad Legislatorem; *leg.*11. *ff. de leg.* 2. §.18. *Cod. de veter. jur. enucleand. leg.*1. *l.*9. *l. penult. & ultim. Cod. de leg.*

LEX COMMISSORIA.

Vid. verb. *Emptio, art.* 3. *a num.*40. *ad* 45., & verb. *Hypotheca n.*34. *&* 35.

LIBELLUS FAMOSUS.

1 LIbellus famosus est chartula quædam in quocumque loco reperta, ad alterius infamiam scripta, vel picta: colligitur *ex leg. unic. Cod. de Libell. famos., & cap. Si quis famosum* 5. *quæst.*1., *& est in re communis* cum Mosca tell. *de cognition. delict. tit. de injur., & Libell. famos. num.*8., *&* 9. Raynald. *com.*1. *cap.*11. §.1. *numer.*4. Urtaya *institut.*
2 *crimin. lib.*2. *tit.*9. *num.*78. Unde, ut vides, libellus famosus sit scriptura, vel pictura. Nomine, & appellatione chartulæ veniunt, nedum scripturæ, sed etiam Carmina, Epigrammata, & similes cantiones in detractionem famæ alterius compositæ: Farinacc. *quæst.* 105. *numer.* 467., *& sequent.* Urtaya *loc. cit. numer.*80., & alii passim; Nomine, & appellatione picturæ veniunt nedum picturæ obscenæ, & turpes in alterius injuriam, & infamiam factæ, sed etiam stercorationes factæ, seu appositæ in portis, fenestris, seu Domo alterius, & omnes turpitudines, & multo magis cornua ibidem in alterius injuriam, & infamiam affixa; Clarus *in Praxi §. final. quæst.*68. *num.*25. Panimoll. *decis.* 52. *annotat.* 1. *num.*22. *&* 23. Urtaya *loco cit. num.*82., *& sequent.* Farinacc. *quæst.*105. *num.*469. *&* 471. Bertazin. *consil.* 237. *n.*2., & alii apud ipsos.
3 Ad constituendum Libellum famosum, quinque requisita copulative debent concurrere, ut recte observat Urtaya *l. c. a n.*86. Raynald. *lib.*1. *c.*11. §.1. *a num.*7.
4 Primo requiritur, quod occultetur nomen Libellantis, idest, quod Auctor non exprimat nomen suum, ut habetur *in leg. unic. Cod. de famos. Libell. &* tenent Engel. *in l. Lex Cornelia §. Si quis libellum num.* 3. *ff. de injur.* Clarus *quæst.* 68. *n.m.*25. Urtaya *loco cit. num.*86. Reginald. *loc. cit. num.* 7. & plures alii apud ipsos.
5 Secundo requiritur, quod in illo exprimatur nomen Libellati, seu injuriati; Sarno *in Praxi crimin. part.* 2. *formul.*10. *verf. Et primo*, Maresca *apud Sarn. loc. mox cit. verf. Et primum in fine*, Raynald. *loc. cit. num.* 10. Urtaya *loco cit. num.*87. Nisi tamen aliunde constet, quod de eo Auctor loqui voluit; Farinacc. *quæst.* 105. *num.* 47. Conciol. *resolut. crim. verb. Læsæ Majestatis crimen, resolut. unic. numer.*19. Raynald. *loc, citato numer.* 11. Urtaya *loc, cit. n.*88. & alii.

Tertio requiritur, quod Libellus famosus publicetur; est 6
enim de substantia Libelli famosi, quod ex eo sequatur diffamatio, quæ sine publicatione non datur; Farinacc. *loc. cit. num.*486. Sanctor. *de pœnis part.*2. *cap.*12. *quæst.*3. Urtaya *loco cit. num.*89. Raynal. *loc. cit. num.* 13. cum pluribus *ibi citat.*, Conciol. *resolut. criminal. verb. Libellus famosus, resolut. unic. num.*10. & plures alii apud ipsum.

Quarto requiritur, quod interveniat dolus, quia, si ali- 7
quis non animo injuriandi, sed vel per simplicitatem, vel per jocum Libellum componat, & publicet, vel libidinis motivo cantiones canat, non erit reus Libelli famosi; Conciol. *resolut. criminal. verf. Læsæ Majestatis crimen, resolut. unic. num.*20. Urtaya *loc. cit. nu.*92. *& sequent.* Raynald. *loc. cit. num.*18. cum plurimis *ibi citatis*, per textum *in l. Lex Cornelia §. Si quis libellum ff. de injur.* ibi: *Dolove malo fecit, vel curavit, & leg.*1. *ff. ad Legem Jul. Majestat.* ibi: *Fuerit ve dolo malo, cap. Si qui inventi fuerint* 3. *caus.*5. *qu.*1. ibi: *Sed vim earum dolose manifestaverit.*

Quinto requiritur, quod Libellus contineat non solum 8
contumeliam, sed & simul delictum aliquod considerabile; quia si contineret solum contumeliam, non Libellus famosus, sed injuria in scriptis dicenda esset; Theodoric. *de delict. privat. cap.*2. *aphorism.*16. *nu.*32. Urtaya *loc. cit. n.*95. Raynald. *loc. cit. numer.* 19. *& sequent.* & plures alii apud ipsum.

Dicta requisita debent cumulative concurrere ad hoc, ut 9
quis dicatur reus Libelli famosi; quia si unum, vel alterum ex his deficiat, deficit nomen, & crimen libelli famosi; et remanet crimen, et actio injuriarum; Binsfiad. *de injur. & damno dato, cap.*1. *quæst.*13. *conclus.*3. & 4. Carpzov. *pract. crim. quæst.*98. *num.*50. Maresca penes Anell. De Sarno *in prax. crim. part.*2. *verf. Debet sane*, Raynald. *loc. cit. n.*23. et alii passim.

Unde qui joco facit Libellum famosum, non incidit in 10
crimen, & pœnam libelli famosi; *arg. leg. Si non convicii, Cod. de injur. & leg. Item apud Labeonem §. Meminisse*, ubi Glossa, *ff. eod. tit.* et sic tenent Surd. *decis.*89. Thorvot *decis.*50. *num.*6., *&* 7. Novarr. *collect.*2. *ad pragm.*1. *de injur. num.*4. Carpzov. *loc. cit. quæst.* 68. *num.*58. Gargareus *tractat. de libello famoso cap.*4. *num.*10. *& cap.*7. *nu.* 50. Raynald. *loc. cit. num.*26. *& sequent.* et plures alii apud ipsos. Qui omnes ajunt, præsumi joco factum, quoties non appa- 11
ret de causa, propter quam quis moveri potuerit; Et quo- 12
ties imputatus sit juvenis lætus, et ut dicitur, *allegro, e faceto*, seu bonæ famæ.

Item non incidit in pœnam libelli famosi, qui mittit Epi- 13
stolam alicui in injuriam, et infamiam alterius cum expressione, et mandato, quod illam teneat secreto. Vel etiam 14
mittit ipsi injuriato, qui præsumitur eam secreto retenturus; Farinac. *quæst.*105. *num.*487. *& concl. sf.* 123. *num.* 5. Urtaya *loco cit. num.*133. Marta *consil.*51. *num.* 18. *& seq.* Berlich. *conf.*67. *num.*38. *verf. Quinta ratio part.*5. Raynald. *loc. cit. num.*24. *& seq.* et alii plures apud ipsos.

Item non incidit in crimen, et pœnam libelli famosi, qui 15
provocatus, et lacessitus libello famoso (a) Libellum in Auctorem primi conficit, et crimina in ipsum retorquet; *leg. Qui*

(a) Nota. Auctor, ut ego opinor, de foro externo e criminali judicio loquitur, quo spectant leges, quas citat, non vero de foro conscientiæ. Sed si de foro conscientiæ sermo sit, quis unquam probare poterit licitum esse homini Christiano libello famoso per libellum famosum respondere? Lex enim Christi diligere inimicos jubet, eisque benefacere; percutienti consulit alteram maxillam præbendam, et tollenti pallium dandam quoque tunicam esse. Item cum eadem Christi Lex, tum etiam Lex ipsa naturæ odio habere proximum vetat, iram compescere jubet, ac ea omnia prohibet, quæ homines ad iram, et odium apta sint provocare. Age vero: Fac hominem libello famoso lacessitum, libello alio famoso, ac recriminatione publica respondere, dum tamen id necessarium ita non sit ad propriam defensionem, ut alia via non suppetat, quis non videat, præceptum illud infringere, quo jubemur inimicos diligere, eisque benefacere; quo tenemur patienter injurias ferre, ac injuriam irroganti parcere; quo denique odium proximi prohibetur, et ea omnia interdicuntur, quæ ad iram, et odium proximum incitare possit, et debeant? Si res ita se habet, ut revera est: qua ratione probari poterit usus libelli famosi in homine Christiano, qui per libellum antea lacessitus fuerit? Atque hinc liquet, quam inepte ad suam comprobandam assertionem attulerit Lucius Sanctos Ecclesiæ Patres; qui non libellis, neque injuriis usi sint in refutandis adversariis; sed veritatis studio, ac virtutis amore; fervore quodam incitati, adversus Hæreticos, vel Novatores, aut scandalosos homines, objurgationes, ac tales phrases adhibuere, quæ vel detestandos errores, vel noxias novitates, vel improbatos, ac perniciosos mores, aut obstinatam perversorum hominum malitiam exprimerent, ac veluti horrendam Christianæ plebi prædicarent. At ita scribere non est *injuriis* respondere, nulla enim injuria fit homini perverso, dum publici ipsius errores, ac perversi, et humano generi noxii mores objurgantur, ac Maledictis etiam palam reprehenduntur. Si vero quispiam Patrum injuriis lacessitus, injuriis in adversarium responderint, secus ac patientia, et charitas Christiana postulat; a culpa in illa actione liberari non potest; sed prædicanda potius erit pœnitentia eximia, qua culpam illam expiavit, at pœnitentes imitandi erunt, non vero irati, ac injuriis proximum afficientes.

Qui cum §. Idem ff. de Bon. libert. ibi: *Et si ab copetitus retorsit in eum crimina; ignoscendum est enim ei; qui voluit se ulcisci provocatus*, ibique Glossa *verba Retorsit*, ibi: *Ignoscendum ei, qui non facit sponse, & cap. Ad limina* 30. *qu.*1. ibi: *Inculpabile judicandum est, quod necessitas intulit.* Hinc
16 multi Sancti Patres scriptis lacessiti, cum mordacitate, et cum aliis injuriis pariter in scriptis responderunt, ut patet de S. Gregorio Nazianzeno *in ejus vita, & oratione de Episcopis*, de S. Hieronymo *in Apologia contra Rufinum*, de S. Bernardo *lib.*4. *de consideratione*, de S. Thoma *in opusc.*19. de S. Bonaventura *in Apologia contra Guglielmum de Sancto Amore*; et de aliis pluribus. Et sic tenent Urtaya *loco cit. a num.*111. cum aliis ibi citatis; Farinacc. *quæst.*105. *num.*488. Raynald. *loco cit. a num.*26. cum pluribus ibi citatis.
17 Libellos famosos facientes, publicantes, consulentes, seu mandantes fieri, seu publicari, et hujusmodi, committunt crimen gravissimum, et detestabile, ut recte notant Farinacc. *quæst.*105. *num.*490. Raynald. *loc. cit. num.* 2. et alii communiter, et comprobatur ex Const. S. Pii V. incipient. *Romani Pontificis providentia, in princip.*
18 Insuper rei hujus detestabilis criminis subjacent gravissimis pœnis; Jure enim Canonico sancitum est, quod tales rei anathematizentur, fustibus, ac verberibus carpiantur; *cap. Qui in alterius* 1. *cap. Quidam* 2. *& cap. Si qui inventi fuerint* 3. *caus.*5. *q.*1. Farinacc. *quæst.*105. *num.*422. *& sequent.* Panimoll. *decis.*52. *adnotat.* 1. *sub num.*42. Urtaya *loc. cit. numer.*108. et alii. Et secundum citat. Constitutionem S. Pii V. incipient. *Romani Pontificis providentia*, Libellos famosos retinentes, facientes, dictantes etc. in Statu Ecclesiæ gravissimis pœnis sunt puniendi, et bonorum confiscatione, et aliquando etiam ultimo supplicio.
19 De Jure autem Civili hujusmodi rei efficiuntur infames, intestabiles, *leg. Ob carmen ff. de testibus, & l. Lex Cornelia*, §. *Si quis*, ubi Glossa *verb. Intestabilis, ff. de injuriis*, Urtaya *loco cit. num.*107. et alii. Insuper aliquando fustigantur, aliquando ad triremes transmittuntur, et aliquando ultimo supplicio condemnantur; *leg. unic. Cod. de Famoso Libello*, Panimol. *loco cit. sub num.*42. et alii apud ipsum. Urtaya *loco cit. num.*103. *& sequent.* ubi refert exemplum de quodam Cremonensi, qui ob malos versus, et similes cantilenas contra Clementem VIII. prædefunctum, et nonnullos Cardinales fuit decapitatus, et confiscatione bonorum plexus. Idem evenit Abbati Francisco Dominico Rivaloe, qui ob similes libellos contra Clementem XI. fuit capite punitus in Urbe *die* 4. *Augusti* 1708. Necnon Cajetano Vulpino *die* 3. *Februarii* 1720.
20 Eadem pœna puniuntur mandantes, cooperantes, et consulentes fieri Libellos famosos; omnes enim illi concurrunt in genere causæ efficientis, et dicuntur illos componere, et facere; *l. Lex Cornelia §. Si quis libellum ff. de injur.* Gargareus *de Libello famoso cap.*9. *num.* 3. *&* 18. Farinacc. *q.* 105. *num.*442. *& sequent.* Urtaya *loco cit. num.*125. Raynald. *loco cit.* §.4. *&* 5. *n.*50. et alii plures apud ipsos.
21 Eadem pœna puniuntur invenientes Libellum famosum, et illum non lacerantes, nec comburentes, et aliis manifestantes; *leg. unic. Cod. de Famos. Libell.* ibi: *Si vero non statim eas dem chartulas, vel corruperit, vel igne consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat se quasi Auctorem hujusmodi delicti, capitali sententiæ subjugandum*, et late Farinacc. *quæst.*105. *num.*450. *& sequent.* Raynald. *loc. cit.* §.2. *num.*4. *& sequent.* ubi tres rationes assignat.

1. Quia retinens Libellum famosum præsumitur illius Auctor.

2. Quia videtur habere animum manifestandi.

3. Tertio dat occasionam, ut Libellus ab aliis possit inveniri; et videri.

22 Eadem pœna puniuntur dictantes, scribentes, & exemplantes Libellum famosum; *l. Lex Cornelia*, §. *Si quis libellum, verb. Scripserit ff. de Injuriis, leg. Item apud Labeonem* §. *Hæc, verbo Scribit ff. eodem*; & expresse cavetur in cit. Constitut. S. Pii V. incipient. *Romani Pontificis Providentia*; Panimoll. *decis.*52. *adnotat.* 1. *num.*17. Farinacc. *quæst.*105. *num.*446. Burlat. *cons.*20. *num.*55. & communis aliorum.

Eadem pœna puniuntur componentes carmina, cantiones 23
& similia in detractionem famæ alicujus; *l. Lex Cornelia §. final.* & ibi Glossa in verbo *Epithesia*, & in verbo *Sive Scripturam ff. de injuriis*. Farinacc. *quæst.*103. *num.*467. *& sequent.* cum multis aliis a se citatis, Panimoll. *decis.*12. *adnot.*1. *num.*30. & alii passim. Item eadem pœna puniuntur 24
eas cantiones cantantes, textu expresso *in leg. Item apud Labeonem §. Hæc autem*, ibi: *Vel cantat aliquid, quod pudorem alicujus ladat, ff. de injuriis*. Farinacc. *loc. cit. n.*468. Panimoll. *loc. cit. num.*31. & alii.

Eadem pœna puniuntur facientes Libellum famosum con- 25
tra mortuum, quia non est minor injuria, quæ infertur mortuo, quam vivo, *leg.*1. *ff. de his, quæ ut indignis.*, Urtaya *loc. cit. num.*138. Muta *ad pragm. tit.*40. *de pœn. eden. famos. Libell. num.*37. & alii; Et patet exemplo adducto supra *sub num.*19. de quodam Cremonensi, qui fuit decapitatus ob malos versus, & similes cantilenas confectas contra Clementem VIII. prædefunctum.

Eadem, & majori pœna puniuntur, qui Libellum famo- 26
sum faciunt non sub nomine suo, sed sub nomine alterius; ipsi enim magis delinquere videntur, cum alium ad se excusandum de hujusmodi crimine falso inculpare intendant, *l. Lex Cornelia §. Si quis librum*, ibi: *Etiamsi alterius nomine*, & ibi Glossa, *ff. de injuriis* Farinacc. *qu.*105. *n.*472. Panimoll. *loc. cit. n.*23. & alii communiter.

Eadem pœna puniuntur, qui faciunt cadere in terram 27
Libellum famosum, ad effectum ut publicetur; Hoc enim idem est, ac si illum publicassent, sive illum confecerint ipsi, sive ab aliis acceperint; *leg.*1. *Cod. de famos. Libell.* ibi: *Sed vim earum manifestaverint*, & ibi Glossa, Farinacc. *quæst.*105. *n.*458. *& sequent.* cum aliis ibi citatis, Panimol. *loc. cit. n.*26. & alii passim.

Eadem pœna puniri possunt Bibliopolæ, & Mercatores 28
librorum, emientes, retinentes, & vendentes Libellos famosos: sunt enim causa, ut ab aliis legantur; Gargareus *de Libello famoso cap.*8. *n.*50. Coler. *dec.*154. *n.*8. *& sequent.* Urtaya *loc. cit. n.*139. & alii passim.

Ex dispositione cit. Constitutionis S. Pii V. incipient. *Ro-* 29
mani Pontificis providentia, & Constitutionis Greg. XIII. relat. a Novarr. *in Summ. Bull. parv.*2. *comm.*83. *numer.* 1. appellatione Libelli famosi continentur pariter, nedum, ut vulgo dicitur, *li Avvisi secreti*, ut plurimum continentes Læsionem alterius famæ, in quibus Constitutionibus contra illos conficientes imponitur pœna mortis, sed etiam Pasquilli, vulgo *Pasquinate*; Urtaya *loc. cit. nu.*147. cum aliis ibi adductis.

Si famosus Libellus respiciat statum alicujus Religionis in 30
communi, V. G. Ordinis Prædicatorum, Minorum, Augustinensium, Carmelitarum, Societatis Jesu, & hujusmodi, ultra supradictas pœnas, Auctor est ipso facto excommunicatus excommunicatione majori Papæ reservata, ut observat Navarr. *in Summ. Bullar. part.*2. *comm.*83. *num.*7. Urtaya *loc. cit. num.*143. ubi, quod in eamdem excommunicationem non incurrit conficiens Libellum famosum contra privatum Religiosum ejus personam tantum infamando, quia Constitutiones Apostolicæ respiciunt favorem Religionis in communi, non autem alicujus Religiosi in particulari; Navarr. & Urtaya *loc. cit.* Medina *de Confess. lib.*1. *cap.*15. *numer.*35. & alii passim.

Pœna Libelli famosi habet locum etiam si quis in eo ve- 31
rum dixerit, *l.*1. *Cod. de famoso Libello*, ubi Glossa *in verbo Sane*, Oldrad. *consil.*53. *num.* 2. *verf. Si per Libellum*, Azor. *in summ. de famos. Libell. num.*2. *in fin.* Bost. *tit. de injur. num.*4. *post princip. verf. Nec obstat*, Covarruv. *variar. resol. lib.*1. *cap.*11. *num.*6. *circa med.* Panimoll. *dec.*52. *ad-*

adnot. 1. num. 9. & alii adducti per Farinac. *in praxi crimin. tit. de var. diverſ. crimin. quæſt. 101. num. 24. & 244.* & aperte id diſponitur in cit. Conſtitut. S. Pii V. incipientib. *Romani Pontificis providentia*, et comprobat Guazzin. *de confiſcat. concluſ. 13. ampliat. 91. num. 2. & 4.* ubi teſtatur, diſpoſitionem dictæ Conſtitutionis S. Pii V. eſſe in viridi obſervantia, et in diverſis caſibus occurſis ita fuiſſe deciſum, prout etiam refert Farinacc. *conſil. 30. num. 106. to. 1.* et ex ipſo Panimoll. *deciſ. 52. adnot. 1. nu. 11.* adducens diverſa exempla.

32 Non deſunt tamen Doctores tenentes contrarium, ſcilicet pœnam Libelli famoſi non habere locum, quando ſunt vera in Libello expreſſa; Sic multi apud Farinac. *loc. cit. quæſt. 105. num. 242. & ſeq.* Reginald. *loc. cit. num. 14. & ſeq.* Famian. Centolin. *in adnot. ad conſil. crimin. 30.* Farinac. *litt. V. verſ. Contrarium videtur voluiſſe ſpecul.*

33 Qui detraxerunt aliis Libello famoſo, continente vel falſum crimen, vel verum occultum, ad quid teneantur? Vide *verb. Detractio artic. 2. per tot.* ubi ſalva portione abunde dictum eſt de ſimili obligatione.

Novæ Additiones ex aliena manu.

1 PUblicum Judicium ex *Senatus conſulto* redditum eſt ob Libellum famoſum; *l. 6. ff. de injur.* cujus pœna capitis eſt; *l. unic. C. de Famoſ. Libell.*

2 Non male vero noſtri Interpretes pœnam hanc capitis reſtrinxerunt ad famoſum libellum, quo alicui objiciuntur gravia & capitalia crimina ab eo, qui fœvitiæ judicum, aut
3 Principis adrepere ſatagit. Abſurdum namque foret ob quamcumque contumeliam ſcripto factam imminere Reo pœnam
4 capitis. Confirmatur communis hæc ſententia tum per verba mox citatæ *legis unicæ C. de Famoſ. libell.* tum per Conſtitut. quæ ſunt in Codice Theodoſiano eod. titul. Potiſſimum vero *vide 4. 5. 8. & 10.*

5 Puniunt *Imperatores Valentinianus & Valens* eos quoque
6 capite, qui libellum inventum non illico conſumpſerint, ſed aliis ſenſum ejus manifeſtaverint. Id ſane durum videtur.
7 Sed reſtringenda verba ad eum ſunt, qui contenta libello crimina differt dolo malo ut periculum ex ea re capitis creet infamato. Quod qui fecit cum eo non valde duriter agetur, ſi ea pœna afficiatur ipſe, cujus ſpectaculo, in alterius cervicem crudelem animum ſatiare voluit. Cæterum ſi quis non
8 dolo id faciat, ſed *vitio linguæ atque impotentia*, dum cogitata tacere neſcit, duriſſimum foret pœnam capitis *garrulitati* ſtatuere. Injuria enim ſine dolo, atque affectu injuriandi nequaquam committitur; garrulitas autem non dolus ſed
9 culpa eſt.
10
11 Reſtat ut diſſeramus de pœna ejus, qui non appetierit famoſo libello vitam et ſalutem alterius, ſed famam tantummodo, atque exiſtimationem. Nihil autem nominatim ſcriptum eſt, niſi quod damnatus ob carmen famoſum fiat inteſtabilis; *l. 5. §. Si quis librum ff. de injur. l. 2. ff. de Teſtib.* Sed quum Juriſconſultus dicat in *d. l. 5.* ſi condemnatus ſit
12 qui id fecit intestabilem ex lege eſſe juberi, ſatis indicat aliam fuiſſe pœnam, quæ ſententia judicis infligeretur. Quæ
13 quum prodita non ſit, dicamus puniendum Reum extra ordinem arbitrio Judicis. Hæc de pœna famoſi Libelli de jure civili. Quid autem innovatum ſit Summorum Pontificum conſtitutionibus, indicat *Auctor*.

LIBERALITAS.

Vide verb. *Avaritia num. 12.*

LIBRI.

1 LIbros novi, et veteris Teſtamenti a Concilio Trident. *ſeſſ. 4.* *in decreto de Canonicis* enumeratos, qui integros cum omnibus ſuis partibus prout conſueverunt legi in Eccleſia Catholica, et habentur in veteri a vulgata Latina editione, non ſuſcipit pro Sacris, et Canonicis, eſt excommunicatus;
2 *Concil. Trident. loc. cit.*

Libros de rebus Sacris ſine nomine Auctoris nullus imprimat, vel imprimere faciat, & illos non vendat, vel apud ſe retineat niſi prius ſint examinati, & approbati ab Ordinario, ſub pœna excommunicationis, & pecuniaria appoſita in Canone Concilii Lateranenſis *ſeſſ. 10. de impreſſione Librorum ſub Leone X.* Sic expreſſe Concil. Trident. *citat. ſeſſ. 4. in Decreto de editione, & uſu Sacrorum librorum.*

Regulares ultra examinationem, & approbationem hujuſmodi, licentiam quoque a ſuis Superioribus impetrare tenentur, recognitis per eos libris juxta formam ſuarum ordinationum; Concil. Trid. *loc. cit.* & ſic habetur etiam in Inſtructione Clementis VIII. Auctoritate, *Regulis Indicis adjecta §. 2. de impreſſione librorum*; Ubi additur, quod *utramque ceſſionem, quæ apparet, ad principium operis, imprimi faciant.* 4

Libros ſcriptos communicans, vel vulgans ante examen, & approbationem, ſubjiciatur pœnis quibus & impreſſores. Et eos habentes, vel legentes niſi prodant Auctores, pro Auctoribus habebuntur; Sic expreſſe *Concil. Trid. loc. cit.* 5

Librorum approbatio danda eſt in ſcriptis; atque ideo in fronte libri vel ſcripti, vel impreſſi authentici appareat: idque totum, hoc eſt, & probatio, & examen, gratis fiat; Sic expreſſe Concil. Trident. *loc. cit.* 6

Libri non ſunt imprimendi ſine nomine Auctoris, vel certi Collegii; Concil. Trid. *loc. cit. & cit. Inſtructio Clemen. VIII. de impreſſione librorum §. 1.* ubi ſic expreſſe habetur, ibi: „ Nullus liber impoſterum excudatur, qui non in fronte „ nomen, cognomen, & Patriam præferat Auctoris. Quod „ ſi de Auctore non conſtet; aut ob juſtam aliquam cauſam, „ tacito ejus nomine, Epiſcopo, & Inquiſitori liber edi „ poſſe videatur, nomen illius pro nomine Auctoris deſcri- „ batur, qui librum examinaverit, atque approbaverit. In „ his vero generibus librorum, qui ex variorum ſcriptorum „ dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari ſolent, is „ qui laborem colligendi, & compilandi ſuſceperit, pro „ Auctore habeatur „ Hæc ibi. 7

Libri imprimi non poſſunt Romæ abſque licentia Cardinalis Vicarii Papæ, & Magiſtri Sacri Palatii; Leo X. Conſt. 12. incipient. *Inter ſollicitudines*, quæ eſt Concil. *Lateran. V. ſeſſ. 10. Conſtit. 3.* 8

Alibi vero imprimi non poſſunt abſque licentia Ordinarii, & Inquiſitoris hæreticæ pravitatis; Leo X. in cit. Conſtitut. incipient. *Inter ſollicitudines* & Concil. *Lateran. V. ſeſſ. 10.* & Concil. Trid. *ſeſſ. 4. in Decreto de editione, & uſu Sacrorum librorum.* 9

Librarii, ſeu Impreſſores imprimentes abſque his licentiis incurrunt excommunicationem, & pœnam amiſſionis librorum, & centum ducatorum applicandorum Fabricæ S. Petri Romæ; Leo X. cit. Conſt. incip. *Inter ſollicitudines*, et Concil. *Lateranenſ. V. cit. ſeſſ. 10.* 10

Libri Auctorum degentium in Statu Eccleſiæ, imprimi non poſſunt extra Statum ſine licentia Cardinalis Vicarii, & Magiſtri Sacri Palatii, & extra, ſine licentia Inquiſitorum; aliter impreſſi ipſo facto ſunt prohibiti, & aliæ pœnæ ab imprimente incurruntur, Urban. VIII. Conſtit. 50. incip. *Sanctiſſimus.* 11

Libri de Miraculis, Gratiis, Beneficiis, & aliis, quæ dicuntur accepta ope alicujus defuncti cum opinione Sanctitatis, a Sede Apoſtolica non Canonizati, nec Beatificati, inprimi non poſſunt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ; Urban. VIII. Conſtitut 37. incipient. *Sanctiſſimus.* 12

Impreſſores, & Bibliopolæ habentes libros Lutheranos, aut aliorum hæreticorum; ſeu de hæreſi ſuſpectos quas pœnas incurrant, niſi eos Inquiſitoribus tradant, aut conſignent? Pius IV. Conſtitut. 76. incipient. *Cum pro munere.* 13

Libri ſine nomine Typographi, vel loci impreſſionis, vendi non poſſunt ſub pœna confiſcationis librorum; *Concil. Mogunt. IV. cap. 99.* Concil. Colonienſ. II. *part. 12. cap. 9.* 14

Libros furto extrahere, ſeu ſubtrahere ex Bibliothecis Regularium eſt prohibitum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Papæ reſervatæ, ut conſtat ex pluribus Pontificiis Conſtitutionibus pro variis Religionibus diverſis temporibus emanatis; quæ ſummarie hic ſubnectuntur, prout referantur a Pitonio in Collectione Conſtitutionum Pontificiarum ad Regulares. 15

1568. 4. Novembris Univerſis & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis Sæcularibus, & Regularibus mandatur, ne ex Bibliothecis Ordinis S. Francisci aut earum aliqua librum aliquem, aut Quinternum furto ſubrahere quoquo modo præſumant, ſub pœna Excommunicationis, cujus abſolutionem Romano Pontifici (excepto mortis articulo) reſervat S. Pius V. *in Conſtitut. quæ incipit: Cumſicut accepimus*, apud *Flavium Cherubin. in Compend. Bullar. tom. 2. pag. mihi* 129. & refert etiam Roderic, *in Collect. Privilegiorum Regular. t. 2. Bulla* 17. 16

17 1587. 3. Octobris. Miniſter, ac Commiſſarius Generales, Miniſtri Provinciales, Commiſſarii, Guardiani, ceterique Fratres Minores de obſervantia S. Franciſci, aliæque omnes Perſonæ Eccleſiaſticæ Sæculares, & Regulares nullo prætextu audeant per ſe, vel alios amovere, vel amoveri facere de Bibliothecis dicti Ordinis libros ibidem exiſtentes, Quinterna, Folia, nec res aliquas, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna (reſervata Papæ abſolutione) ipſo facto incurrenda, neque conſulere, vel alicui auxilium præſtare præſumant, ſub eadem pœna, nec non privationis vocis activæ, et paſſivæ, ac inhabilitatis perpetuæ ad quælibet officia dictæ Religionis obtinenda; Monaſteriorum Guardiani munus Guardianatus non aſſumant, niſi prius in præſentia Diſcretorum loci, in quo fuerit aliqua Bibliotheca, ſubſcripſerit cum dictis Diſcretis Inventarium dictorum Librorum, quod erit etiam a quolibet Miniſtro Provinciali, et dictæ Provinciæ Commiſſario ſingulis annis revidendum: Si prædicta non fuerit facta, Guardianus, et Miniſter, ac Commiſſarius ſint ſtatim privati, et inhabiles ad quævis Officia; Sixtus V. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom. 2. Conſtitut. 67.* quæ incipit; *Cum ſicut.*

18 1593. 29. Maji. Amoventes, et ſubtrahentes ex Bibliothecis Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Libros, et monumenta, ſive impreſſa, ſive manuſcripta, Excommunicationis ſententiæ ipſo facto incurrendæ (a qua ab alio, quam a Romano Pontifice, niſi in mortis articulo abſolvi non poſſint) ſubjacent; Clemens VIII. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom. 3. Conſtit. 24.* quæ incipit; *Quæ ad tuenda §. 1.*

19 1621. 13. Februarii. Interdicitur, et prohibetur, ne de cætero quiſquam quoſvis Libros, vel Quinterna, aut Folia ſive manuſcripta, ſive impreſſa, Bibliothecæ Genuenſi Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula aſſignata, et aſſignanda quovis quæſito colore audeat ex dicta Bibliotheca extrahere, vel præſumat permittere ut extrahantur, vel removeantur ſub Excommunicationis. ac privationis vocis activæ, et paſſivæ pœnis per contrafacientes incurrendis; Urbanus VIII. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtitut. 44.* quæ incipit; *Conſervationi*, et refert etiam Peirin. *de Privilegium Regular. tom. 2. Conſtitut. 4. ejuſdem Pontificem pag.* 1278.

20 1626. 25. Martii. Nemo de cætero quavis auctoritate fungens libros, vel Quinterna, ſeu Folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta Bibliothecis Domorum Regularium Ordinis Fratrum Prædicatorum hactenus donata, ſeu aſſignata, & in poſterum donanda, ſeu aſſignanda, ex eiſdem Bibliothecis extrahere, ſeu ut extrahantur permittere, aut conſentire ſub quovis prætextu audeat, ſeu præſumat ſub Excommunicationis, nec non privationis vocis activæ & paſſivæ per contrafacientes eo ipſo incurrendis pœnis, prout interdicit, & prohibet Urbanus VIII. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. to. 4. Conſtit. 55.* quæ incipit: *Cumſicut accepimus.*

21 1628. 31. Octobris. Vicarius Generalis, & Fratres Minimi pro tempore exiſtentes Collegii S. Franciſci de Paula ad Montes in Alma Urbe, & aliæ Perſonæ quæcumque tam Sæculares, quam Regulares nullas Reliquias, nec libros, ſeu Volumina, & Scripta ab Eccleſia, & Bibliotheca dicti Collegii ullo modo amovere, tranſportare, diſtribuere, ſeu mutuo dare audeant, ſeu præſumant, Urbanus VIII. apud Cherubin. *in Bullar. Rom. tom. 4. Conſtit. 95.* quæ incipit: *Juſtis & honeſtis.*

22 1637. 13. Octobris. Nemo libros, aut Quinterna, vel Folia, ſive impreſſa, ſive manuſcripta Bibliothecis, aut Paramenta & Ornamenta quæcumque Eccleſiis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia Recollectorum Provinciæ Granatenſis donata, vel donanda audeat, vel præſumat ex dictis Bibliothecis, & Eccleſiis reſpective extrahere, ſeu quibuſvis alii Eccleſiis, & Monaſteriis, ac locis Piis, aut Perſonis commodare, ſive aut extrahantur, ſeu commodentur permittere. Et hoc ſub Excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & paſſivæ pœnis per contrafacientes incurrendis intendit ac prohibit Urbanus VIII. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtit. 235.* quæ incipit *Conſervationi.*

23 1638. 20. Julii. Interdicitur, & prohibetur ſub Excommunicationis, ac privationis vocis activæ & paſſive pœnis per contrafacientes incurrendis, ne de cætero quiſquam libros, vel Quinterna, aut Folia ſive impreſſa, ſive manuſcripta ex Bibliothecis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Capuccinorum extrahere, ſive ut extrahantur permittere audeant, ſeu præſumant. Provincialibus tamen, & Diffinitoribus dicti Ordinis conjunctim procedentibus permittitur, ut per eorum Syndicos poſſint libros inutiles cum aliis utilibus commutare; Superioribus vero ſingularum hujuſmodi Domorum conceditur, ut dictos libros valeant extrahere pro uſu Prædicatorum Ordinis: ac Fratribus facultas tribuitur illos ad ſuas Cellas deferendi, relictis tamen in Bibliotheca nominibus ſuis, & librorum. Poſtquam autem dicti Prædicatores, & Fratres illis uſi fuerint, illico ad Bibliothecas ſub eiſdem poenis reportent; Urbanus VIII. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtit. 249.* quæ incipit: *Conſervationi.*

1642. 25. Martii. Nullus ex Religioſis Diſcalceatis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Congregationis Hiſpaniæ audeat, vel præſumat ex Bibliothecis domorum Regularium hujuſmodi Ordinis libros, vel Quinterna, aut Folia impreſſa, ſive manuſcripta extrahere, ſeu commodare, aut donare, ſub Excommunicationis majoris poena, etiam a quovis Sæculari, vel alterius Religionis, ſeu Congregationis Regulari, qui prædicta extraherit, vel utenda acceperit, aut ſibi retinuerit, ipſo facto incurrenda; Urbanus VIII. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtit. 302.* quæ icipit: *Conſervationi.* 24

1643. 6. Februarii. Interdicitur, & prohibetur, ne de cætero quiſquam libros, vel Quinterna, aut Folia ſive impreſſa, ſive manuſcripta ſub quovis prætextu e Bibliothecis, & domibus Regularibus Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Diſcalceatorum extrahere, ſeu aſportare, aut ut extrahantur, ſeu aſportentur permittere ſub Excommunicationis, ac privationis vocis active & paſſivæ poenis per contrafacientes eo ipſo incurrendis, audeat, ſeu præſumat; Urbanus VIII. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtitut. 319.* quæ incipit: *Conſervationi.* 25

1643. 23. Decemb. Nullus ſive Generalis ſive Provincialis Miniſter, aut alius quivis Superior Ordinis Minorum S. Franciſci Recollectorum e Sacriſtiis & Bibliothecis Conventuum eorumdem Fratrum Recollectorum de Provincia Granatenſi audeat, vel præſumat ulla Paramenta, & Ornamenta Eccleſiaſtica, aut libros, vel Quinterna, vel Folia amovere, aut cuiquam commodare in virtute Sanctæ obedientiæ &c. prout prohibet Urbanus VIII. *in Bullar. Rom. t. 5. Conſtit. 332.* quæ incipit: *In his quæ.* 26

1651. 27. Julii. Interdicitur, & prohibetur, ne de cætero quiſquam libros, Quinterna, Folia, aut Scripturas, tam impreſſa, quam manuſcripta Bibliothecis Domorum Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia Reformatorum donata, vel donanda, quibuſvis perſonis commodare, aut ſub quovis quæſito colore e dictis Bibliothecis, ſeu earum aliqua extrahere, & aſportare, ſeu ut commodentur, vel extrahantur, & aſportentur permittere, aut conſentire præſumat, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ (reſervata Papæ abſolutione) ac privationis vocis activæ & paſſivæ poenis per contrafacientes eo ipſo incurrendis. Permittitur tamen dictarum Domorum Fratribus Verbum Dei Prædicantibus, & ſtudiis operam navantibus libros, Quinterna, & Folia hujuſmodi e dictis Bibliothecis extrahere, & illis in eorum Cellulis tantum uti, ſed finito uſu hujuſmodi, illos ſeu illa ad dictas Bibliothecas reſpective ſub eiſdem poenis referre teneantur: Innocentius X. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtitut. 47.* quæ incipit: *Conſervationi.* 27

1656. 3. Julii. Sub Excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis vocis activæ & paſſivæ pœnis per contrafacientes eo ipſo incurrendis interdicitur, & prohibetur, ne de cætero quiſquam libros, aut Scripturas, ſeu Quinterna, vel Folia tam impreſſa quam manuſcripta Bibliothecis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum donata, vel donanda quibuſvis perſonis (præterquam Fratribus dicti Ordinis, qui quidem libro a Bibliothecis hujuſmodi reſpective de Superioris, ſeu Bibliothecarii pro tempore exiſtentis licentia extrahere, & eis pro communi Conventuum hujuſmodi, & particulari Fratrum dicti Ordinis uſu in ſuis Cellulis, Fratribus quoque ejuſdem Ordinis Verbum Dei Prædicantibus, qui etiam extra ſuos Conventus uti poſſint, ſed finito uſu hujuſmodi ad dictas Bibliothecas reſpective ſub prædictis poenis ſubito reportare omnino debeant) commodare, aut ſub quovis quæſito colore a dictis Bibliothecis extrahere, & aſportare, ſeu ut commodentur, aut extrahantur, & aſportentur permittere, aut conſentire audeat, ſeu præſumat; Alexander VII. *in Bullar. Rom. tom. 5. Conſtitut. 21.* quæ incipit: *Conſervationi.* 28

1657. 2. Octobris. Univerſis, & ſingulis perſonis Eccleſiaſti- 29

siasticis, tam Sæcularibus, quam Regularibus, ac etiam Laicis interdicitur, & prohibetur, ne sub quovis prætextu per se, vel alios è *Bibliotheca S. Martini de Senis* Ordinis Eremitarum S. Augustini libros sive typis editos, sive manuscriptos, nec non Picturas, & Antiquitates extrahere, seu extrahi facere, vel ut extrahantur permittere audeant, seu præsumant, sub Excommunicationis late sententiæ (reservata Papæ absolutione) & insuper quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrendæ; Alexander VII. *in Bullar. Rom. tom.* 5. *Constitut.* 43. quæ incipit: *Cum sicut*.

30 1658. 24. Septembris. Interdicitur, & prohibetur sub Excommunicationis latæ sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis per contrafacientes eo ipso incurrendis, ne quisquam libros, quinterna, folia, Scripturas publicas, & privatas, Indulta, Privilegia, tam impressa, quam manuscripta ex Archivis, & Conventibus, ac Bibliothecis Canonicorum Regularium Congregationis S. Augustini in Regno Portugalliæ existentibus extrahere, aut aliis commodare audeat, seu præsumat; Alexander VII. *in Bullar. Rom. tom.* 5. *Constit.* 56., quæ incipit: *Conservationi*.

31 1708. 21. Novembris. Interdicitur, & prohibetur, ne quisquam extrahat quomodolibet libros, chartas, & mobilia quæcumque ex Bibliotheca Monasterii SS. Fabiani, & Sebastiani extra muros Urbis sub poena Excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ; Clemens XI. *Constitut. incipient.. Cum sicut Dilectus*.

32 1713. 19. Maji. Interdicitur, & prohibetur sub poena Excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ, ne quisquam extrahat libros, & quinterna Bibliothecæ Conventus S. Mariæ Majoris Tyburis Ordinis Fratrum Minorum de observantia S. Francisci extra ipsum Conventum absque auctoritate Apostolica; Clemens XI. *Constit. incipient. Cum sicut dilecti*.

33 1720. 12. Julii. Interdicitur, & prohibetur sub poena Excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ & passivæ eo ipso absque alia declaratione incurrenda, ne quisquam præsumat extrahere, vel asportare Libros, & Scripturas ex publica *Bibliotheca* nuper a Sanctitate Sua in Conventu Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Civitatis Urbinatensis instituta; Clemens XI. Constitut. incipient. *Cum Nos*.

LIBRI PROHIBITI.

1 LIbri prohibiti ex Indice sunt triplicis Classis; *Communis*,
& patet ex ipsomet Indice jussu Concil. Trident. edito,
2 & a Pio IV. approbato *in Constit. Dominici gregis*. Libri prohibiti propter eorum Auctore, quatenus ipsi sunt hæretici, aut de hæresi pubblice, & communiter suspecti; unde omnes istorum libri tam editi, quam edendi, de Religione ex professo tractantes, quamvis de ea bene tractent, & nullam hæresim contineant, sunt prohibiti in prima classe, quia ut expresse habet Summarium *in cap. Fraternitatis 4. de hæreticis*, ibi: *Damnato Auctore, damnantur ejus scripturæ, & libri, & opera*.

3 Libri prohibiti in secunda classe sunt illi, qui sunt prohibiti non propter eorum Auctores, qui sunt Catholici; sed propter non sanam, & moribus Fidelium repugnantem Doctrinam; aut aliquam, quam incidenter continent hæresim aut falsi dogmatis suspicionem.

4 Libri prohibiti in teria classe sunt illi, qui sunt prohibiti propter ignotum nomen Auctoris, & ob doctrinam, quam continent malam, sive in genere *moris*, sive in genere *Religionis*, sive in genere *Fidei*.

5 Libri prohibiti in prima, & secunda classe dupliciter differunt inter se. Primo quia libri prohibiti in prima classe sunt prohibiti principaliter propter eorum Auctores, qui sunt hæretici, ideoque omnes eorum libri de Religione tractantes, etiamsi sanam Doctrinam contineant, sunt prohibiti. Libri vero prohibiti in secunda classe sunt prohibiti principaliter propter materiam pravam, quam continent, & non propter eorum Auctores, qui sunt Fideles Catholici. Secundo quia libri prohibiti in prima classe, sunt prohibiti duplici excommunicatione, scilicet & excommunicatione Bullæ Cœnæ, & excommunicatione Indici, & Pii IV. incipient. *Dominici gregis*. Libri vero prohibiti in secunda classe sunt prohibiti sola excommunicatione Indicis, & Pii IV.

Libri prohibiti in tertia classe, non ideo in tertia, & ultima 6
classe ponuntur, quasi sint minoris periculi, & malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut olim plures etiam ex classicis Doctoribus existimarunt, putantes quod gravitas malitiæ, periculi, & consequenter prohibitionis, desumenda esset ex ordine classis, itaut magis essent pernicioli, & proibiti, qui in prima classe, minus qui in secunda, & multo minus qui in tertia classe. Nam contrarium a parte rei se habet, cum plures libri ob ignotum Auctorem in tertia classe prohibiti, sint multo perniciosiores, quam libri prohibiti in prima, & secunda classe, uti expresse dicit Alexander VII. in Constitutione super observatione librorum prohibitorum incipient. *Speculatores Domus Iſrael*, ubi §. 1. postquam dixit, quod „ illa Classium (trium scilicet supra specificatarum) distinctio plurimos non modo vulgares, sed etiam eruditos de„ cipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem „ æstimabant, quasi severius actum semper videatur cum „ legentibus anteriorum, quam posteriorum classium libros; „ quod tamen secus esse ex ipsa classium institutione a Concil. „ Trid. facta colligi facile potest. *Addit. prope finem*; Con„ tigit, ut plerique libri ignoti Auctoris, qui tertiæ Classi „ assignantur, multo pejores sint, quam in prima, aut se„ cunda recensiti „.

In qua Constitutione dictus Pontifex ad evitandam confu- 7
sionem, quam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio; Novum librorum prohibitorum Indicem fieri decrevit, in quo omissa illa trium classium distinctione reponentur ordine Alphabetico non solum libri prioris Indicis sed etiam illi, qui de novo in dies prohibiti fuerint. Quem Indicem, et Successores Pontifices servari, et continuari fecerunt usque in præsens, cum sola significatione illorum librorum, qui sunt primæ classis, utpote speciali nota digni per ly 1. *Classis* ad denotandum, quod libri in hoc novo Indice tali signo notati, sunt prohibiti in prima classe. Quoad Regulas autem generales nihil a dicto Pontifice in tali Constitutione fuit immutatum; imo easdemmet veteris Indicis stricte observari præcepit, & adhuc impræsentiarum adamussim observantur, & ad hunc finem in novo Indice reponuntur, cum quibusdam observationibus Clementis VIII. ad Regulam decimam; quas ut ab omnibus tali novo Indice carentibus in prompta habeantur, hic ad litteram dantur, prout ibi continentur una cum ipsis Regulis,

REGULÆ INDICIS.

Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu editæ.

REGULA I.

„ LIbri omnes, qui ante ann. M. D. XV, aut Summi Pon„ tifices, aut Concilia Œcumenica damnarunt, & in „ hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censean„ tur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

„ Hæresiarcharum Libri tam eorum, qui post prædictum „ annum hæreses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui hæ„ reticorum Capita, aut Duces sunt, vel fuerunt, quales „ sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthasar, Pacimontanus, Schuvenefeldius, & his similes cujuscum„ que nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino „ prohibentur.

„ Aliorum autem hæreticorum libri, qui de Religione „ quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

„ Qui vero de Religione non tractant, a Theologis Ca„ tholicis, jussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, „ & approbati permittuntur,

„ Libri etiam Catholicè conscripti, tam ab illis, qui postea „ in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum, ad „ Ecclesiæ gremium rediere, approbati a facultate Theolo„ gica alicujus Universitatis Catholicæ, vel ab Inquisitione „ generali, permitti poterunt.

REGU-

REGULA III.

„ Versiones Scriptorum etiam Ecclesiasticorum, quæ ha„ ctenus editæ sunt a damnatis Auctoribus, modo nihil „ contra sanam doctrinam contineant permittuntur.

„ Librorum autem veteris Testamenti versiones viris tan„ tum Doctis, & piis, judicio Episcopi concedi poterunt, „ modo hujusmodi versionibus tanquam elucidantibus vul„ gatæ editionis, ad intelligendam Sacram Scripturam, non „ autem tanquam sacro textu utantur.

„ Versiones vero novi testamenti ab Auctoribus 1. Classis „ hujus Indicis factæ, nemini concedantur, quia utilitatis pa„ rum, periculi vero plurimum lectoribus ex eorum lectione „ manare solet.

„ Si quæ vero annotationes cum hujusmodi, quæ per„ mittuntur, versionibus, vel cum vulgata editione circum„ ferrentur, expunctis locis suspectis a facultate Theologica „ alicujus Universitatis Catholicæ, aut Inquisitione general„ li, permitti eisdem poterunt, quibus & versiones.

„ Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod „ vulgo *Biblia Vatabli* dicitur; aut partes ejus concedi vi„ ris piis, & doctis poterunt.

„ Ex Bibliis vero Hisdori Clarii Brixiani prologus, & pro„ logomena, præcidantur ejus vero textum nemo textum vul„ gatæ editionis esse existimet.

REGULA IV.

„ Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulga„ ri lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, „ ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis „ oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris ste„ tur; ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum „ a catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lin„ gua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujus„ modi lectione non damnum, sed Fidei, atque pietatis aug„ mentum capere posse, quam facultatem in scriptis ha„ beant,

„ Qui autem, absque tali facultate ea legere, seu habere „ præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, pec„ catorum absolutionem percipere non possit.

„ Bibliopolæ vero, qui prædictam facultatem non haben„ tes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel „ alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus „ pios ab Episcopo convertendum, ammittant; aliisque „ pœnis pro delicti qualitate ejusdem Episcopi arbitrio sub„ jaceant.

„ Regulares vero, nonnisi facultate a Prælatis suis habita „ ea legere, aut emere possint.

REGULA V.

„ Libri illi, qui hæreticorum Auctorum opera interdum „ prodeunt, in quibus nulla, aut pauca de suo apponunt, „ sed aliorum dicta colligunt, cujusmodi sunt Lexica, Con„ cordantiæ, Apophtegmata, similitudines, Indices, & „ hujusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatio„ ne indigeant, illis, Episcopi, & Inquisitoris, una cum „ Theologorum catholicorum consilio, sublatis, aut emen„ datis, permittantur.

REGULA VI.

„ Libri vulgari ediomate de controversiis inter Catholi„ cos, & hæreticos nostri temporis differentes, non passim „ permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vul„ gari lingua scriptis statutum est.

„ Qui vero de ratione bene vivendi, contemplandi, con„ fitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscri„ pti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur pro„ hibeantur, sicuti nec sermones populares, vulgari lingua „ habiti.

„ Quod si hactenus, in aliquo Regno, vel Provincia „ aliqui sint prohibiti, quod nonnulla contineant, quæ sine „ delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores „ catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab „ Episcopo, & Inquisitore poterunt.

REGULA VII.

„ Libri, qui res lascivas, seu obscenas ex professo tra„ ctant, narrant, aut docent, cum non solum Fidei, sed & „ morum, qui hujusmodi librorum lectione facile corrumpi „ solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur, & qui eos „ habuerit, severe ab Episcopis puniantur.

„ Antiqui vero ab Ethnicis conscripti propter sermonis „ elegantiam, & proprietatem permittuntur; nulla tamen „ ratione pueris prælegendi erunt.

REGULA VIII.

„ Libri quorum principale argumentum bonum est, in „ quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim „ seu impietatem, divinationem, seu superstitionem spectant „ a catholicis Theologis inquisitionis Generalis auctoritate „ expurgati concedi possunt.

„ Idem Judicium sit de prologis, summariis, seu anno„ tationibus, quæ si damnatis auctoribus, libris non damna„ tis appositæ sunt: sed posthac non nisi emandati ex„ cudantur.

REGULA IX.

„ Libri omnes, & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, „ Æromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, „ Necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, ve„ neficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus „ rejiciuntur.

„ Episcopi vero diligenter provideant, ne Astrologiæ Ju„ diciariæ libri, translatus, indices legantur, vel habean„ tur, qui de futuris contigentibus successibus, fortuitisve „ casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pen„ dent, certo aliquid eventurum affirmare audent.

„ Permittuntur autem judicia, & naturales observationes, „ quæ navigationis, agriculturæ, sive medicæ artis juvandæ „ gratia, conscripta sunt.

REGULA X.

„ In librorum, aliarumve scripturarum impressione ser„ vetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10 „ factum est.

„ Quare si in Alma Urbe Roma liber aliquis sit imprimen„ dus, per Vicarium Summi Pontificis, & Sacri Palatii Ma„ gistrum, vel personam a Santiss. D. N. deputandam prius „ examinetur.

„ In aliis vero locis ad Episcopum, vel alium habentem „ scientiam libri scripti imprimendi ab eodem Episco de pu„ tandum, ac Inquisitorem hæreticæ pravitatis ejus Civitatis, „ vel Dioecesis, in qua impressio fiet, ejus approbatio, & „ examen pertineat, & per eorum manum, propria subscri„ ptione gratis, & sine dilatione imponendam, sub poenis „ & censuris in eodem decreto contentis, approbetur: hac „ lege, & conditione addita, ut exemplum libri imprimendi „ authenticum, & manu Auctoris subscriptum apud Exami„ natorem remaneat.

„ Eos vero, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante „ examinati, probatique fuerint, iisdem poenis subjici de„ bere judicarunt Patres deputati, quibus impressores. Et „ qui eos habuerint, & legerint, nisi Auctores prodierint, „ pro Auctoribus habeantur.

„ Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, „ & in fronte libri, vel scripti, vel impressi, authentice ap„ pareat, probatique, & examen, ac cetera gratis fiant.

„ Præterea in singulis Civitatibus, ac Dioecesibus, Do„ mus, vel loci, ubi ars impressoria exercetur, & bibliothecæ „ librorum venalium sæpius visitentur a personis ad id depu„ tandis ab Episcopo, sive ejus Vicario, atque etiam ab „ Inquisitore hæreticæ pravitatis, ut nihil eorum, quæ pro„ bentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

„ omnes vero Librarii, & quicumque librorum venditores „ habeant in suis bibliothecis Indicem librorum venalium, „ quos habent, cum subscriptione dictarum personarum; „ nec alios libros habeant, aut vendant, aut quocumque

„ ratione tradant sine licentia eorumdem deputatorum sub
„ poenam amissionis librorum, & aliis arbitrio Episcoporum,
„ vel Inquisitorum imponendis. Emptores vero Lectores,
„ vel Impressores eorumdem arbitrio puniantur.

„ Quod si aliqui libros quoscumque in aliquam Civita-
„ tem introducant, tenantur iisdem personis deputandis enun-
„ ciare, vel si locus publicus mercibus ejusmodi constitutus
„ sit, ministri publici ejus loci, prædictis personis significent
„ libros esse adductos.

„ Nemo vero audeat librum, quem ipse, vel alius in Civi-
„ tatem introducit, aliqui legendum tradere, vel aliqua ra-
„ tione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro,
„ & habita licentia a personis deputandis, aut nisi notorie con-
„ stet, librum jam esse omnibus permissum.

„ Idem quoque servetur ab hæredibus, & exequutoribus
„ ultimarum voluntatum, et libros a defuncto relictos, sive
„ eorum Indicem illis personis deputandis offerant, ab iis li-
„ centiam obtineant priusquam eis utantur, aut in alias per-
„ sonas quacunque ratione eos transferant.

„ In his autem omnibus, & singulis, poena statuatur, vel
„ amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorumdem Episco-
„ porum, vel Inquisitorum pro qualitate contumaciæ, vel
„ Delicti.

„ Circa vero libros, quos Patres deputati, aut examina-
„ runt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditioni-
„ bus, ut rursus excuderunt, concesserunt, quidquid illos
„ statuisse constiterit, tam bibliopolæ, quam ceteri ob-
„ servent.

„ Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus gene-
„ ralibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam
„ libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si
„ hoc in suis Regnis, aut Provinciis, vel Dioecesibus expe-
„ dire judicaverint.

„ Ceterum nomina eorum librorum, qui a Patribus de-
„ putatis purgati, tum eorum, quibus illi hanc provinciam
„ dederunt, eorumdem deputatorum Secretarius Notario Sac.
„ universalis Inquisitionis Romanæ descriptâ Sanctiss. D. N.
„ jussu tradat;

„ Ad extremum vero omnibus Fidelibus præcipitur, ne
„ quis audeat contra harum Regularum præscriptum, aut hu-
„ jus Indicis prohibitionem, libros aliquos legere, aut
„ habere.

„ Quod si quis libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris
„ scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem
„ damnata, usque prohibita legerit, sive habuerit, statim in
„ excommunicationis sententiam incurrat.

„ Qui vero libros alio nomine interdictos, legerit aut ha-
„ buerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, ju-
„ dicio Episcoporum severe puniatur.

Observationes ad Regulam quartam, & nonam.

CLEMENTIS PAPÆ VIII.

Jussu factæ.

Circa quartam Regulam.

„ ANimadvertendum est circa supradictam quartam Re-
„ gulam Indicis fel. rec. Pii IV. nullam per hanc impres-
„ sionem, & editionem de novo tribui facultatem Episco-
„ pis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus, con-
„ cedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia
„ vulgari lingua edita, cum hactenus mandato, & usu San-
„ ctæ Romanæ universalis Inquisitionis sublata eis fuerit fa-
„ cultas concedendi licentias legendi, vel retinendi Biblia
„ vulgaria, aut alias Sacræ Scripturæ tam novi, quam ve-
„ teris Testamenti partes, quovis vulgari lingua editas: ac
„ insuper summaria, & compendia etiam historica eorum-
„ dem Bibliorum, seu librorum Sacræ Scripturæ, & quo-
„ cumque vulgari idiomate conscripta, quod quidem inviola-
„ tè servandum est.

Circa nonam Regulam.

„ Circa Regulam IX. ejusdem Indicis ab Episcopis, & In-
„ quisitoribus Christifideles sedulo admonendi sunt, quod in
„ legentes, aut retinentes contra Regulam hanc libros hujus-
„ modi Astrologiæ, Divinationum, sortilegiorum rerumque
„ aliarum in eadem Regula expressarum, procedi possit
„ non modo per ipsos Episcopos, & Ordinarios, sed etiam
„ per Inquisitores locorum ex Constit. fel. rec. Sixti Papæ
„ Quinti contra exercentes Astrologiæ Judiciariæ artem, &
„ alia quæcumque divinationum genera, librosque de eis
„ legentes, ac tenentes promulgata, sub Datum Romæ apud
„ S. Petrum anno Incarnat. Dom. M. D. LXXXV. Nonis
„ Jan. Pontificatus sui anno primo.

De Talmud, & aliis Libris Hebræorum.

„ Quamvis in tertia classe Indicis prædicti Pii Papæ IV.
„ sub littera T. Thalmud Hebræorum, ejusque glossa, anno-
„ tationes, interpretationes, & expositiones omnes prohi-
„ beantur, sed, quod si absque nomine Thalmud, & sine in-
„ juriis, & calumniis in Religionem Christianam aliquando
„ prodiissent, tolerarentur, quia tamen Sanctiss. D. Noster
„ Dominus Clemens Papa VIII. per suam Constitutionem
„ contra impia scripta, & libros Hebræorum, sub datum
„ Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Dom. MDXCIII.
„ pridie Kal. Martii, Pontific. sui anno Secundo, illo pro-
„ hibuit, atque damnavit; mens ipsius non est eos propterea
„ ullatenus etiam sub illis conditionibus permittendi, aut to-
„ lerandi, sed specialiter, & expresse statuit, & vult, ut
„ hujusmodi impii Thalmudici, Cabalistici, aliique nefarii
„ Hebræorum libri omnino damnati, & prohibiti maneant,
„ & censeantur; atque super eis, & aliis libris hujusmodi
„ prædicta Constitutio perpetuo, & inviolabiliter observetur

De Libro Magazor.

„ Ad hæc sciant Episcopi, Ordinarii, & inquisitores lo-
„ corum, librum Magazor Hebræorum, qui continet partem
„ Officiorum, & cæremoniarum ipsorum, & Synagogæ,
„ Lusitanica, Hispanica, Gallica, Germanica, Italica, aut
„ quavis alia vulgari lingua, præterquam Hebræa editum,
„ jamdiu ex speciali decreto rationabiliter prohibitum esse;
„ Idcirco provideant illum nullatenus permitti, aut tolerari
„ debere, nisi Hebraica lingua prædicta.

De Libris Joannis Bodini.

„ Cum in appendice 2. classis sub littera I. dicatur (Joanni
„ Bodini Andegavensis Dæmonomania omnino prohibetur,
„ liber vero de Republica, & Methodus ad facilem historia-
„ rum cognitionem tamdiu prohibita sint, quousque ab Au-
„ ctore expurgata cum approbatione Mag. Sac. Palatii pro-
„ dierint) id quidem per errorem fortasse Librarii factum
„ creditur; nam liber de Republica ejusdem Jo: Bodini pri-
„ mum die XXV. Mensis Octobris MDXCII. deinde liber
„ Dæmonomaniæ die 1. Mensis Sept. MDXCIV. ab eodem
„ Sanctiss. D. N. Papa simpliciter damnati sint, ac proin-
„ de uterque damnatus, & prohibitus censendus est.

Observationes ad Regulam Decimam.

ALEXANDRI PAPÆ VII.

Jussu additæ.

„ OBservandum est circa Regulam decimam, quod de-
„ gentes in Statu Sedi Apostolicæ mediate, vel im-
„ mediate subjecto, non possunt transmittere libros a se
„ compositos alibi imprimendos sine expressa approbatione
„ & in scriptis Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardin. San-
„ ctiss. D. N. Vicarii, & Mag. Sac. Pal. Apost. si in Urbe;
„ si vero extra Urbem existant, sine Ordinarii loci illius, si-
„ ve ab his deputatorum facultate, & licentia opera in-
„ figendâ.

„ Qui vero sub impressione librorum ordinariam, aut de-
„ legatam auctoritatem exercent, dent operam, ne ad exa-
„ men librorum hujusmodi personas affectui auctorum quo-
„ modolibet addictas, præsertim vero propinquitate illos,
„ aut alia quantumvis a longe petita ea sit (veri, & sinceri
judi-

„ judicii corruptrice) necessitudine contigentes admittant;
„ super omnia autem ab oblatis sibi in hanc operam per eos-
„ dem Auctores Censoribus caveant; Sed iis demum utantur,
„ quos doctrina, morumque integritate probatos ab omni
„ suspicione gratiæ intactos, ac si fieri potest, Auctoribus
„ ipsis ignotos, & unius boni publici, Deique gloriæ stu-
„ diosos cognoverint; Quo vero ad Auctores Regulares cu-
„ juscumque Ordinis, & Instituti sint, illud præterea obser-
„ vandum, ut ne eorum scripta, vel opera aliis ejusdem Insti-
„ tuti Regularibus examinanda commitantur, sed alterius
„ Ordinis, & Instituti viri piis doctique, & a partitum studio
„ atque ab amoris, & odii stimulis prorsus remoti eligantur;
„ per hoc autem non tollitur, quin intra eorumdem Regula-
„ rium Ordinem per Religiosos ejusdem Ordinis, Superio-
„ rum suorum jussu, præfati libri examinari non debeant.

9 Hic advertendum venit, quod dictus Alexander VII. in cit. Constit. incipient. *Speculatores Domus Israel*, omnes poenas, & Censuras contra legentes, & retinentes &c. libros prohibitos hactenus latas, exceptis latis in Bulla Coenæ, reduxit ad poenas contentas in Constitutione Pii IV. quæ incipit *Dominici Gregis*, super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita. En verba praecisa dictae Constitutionis Alexandri VII. *Indicem* (supple tu) *librorum prohibitorum observari mandamus, & præcipimus sub poenis in Constitutione fel. mem. Pii IV. etiam prædecessoris nostri super dicti Indicis Tridentini confirmatione edita contentis, ad quas varietatis veterum decretorum in proponendis transgredientium poenis tollendæ gratia, omnes, & singulas poenas per Constitutiones Apostolicas, & Decreta anteriora hujusmodi quomodolibet inflictas harum serie relicimus; Firmis tamen manentibus his quæ de Auctoribus, & libris damnatis in Litteris Apostolicis die Coenæ Domini publicari solitis sancita sunt, circa quos nihil omnino mutare, ac ne contingere quidem intendimus.*

10 Poenæ autem, & Censuræ contentæ in dicta Constitutione Pii IV. exprimuntur per praecisa ipsius verba: *Si quis autem adversus eas regulas, prohibitionemque fecerit; his qui-dem qui hæreticorum libros vel cujusvis Auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipso jure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum uti de hæresi suspectum, inquiri, & procedi liceat; præter alias poenas super hoc ab Apostolica Sede, Sacrisque Canonibus constitutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio severe se noverint puniendos;*

11 Unde, ut vides, haec Constitutio Pii IV. percutit solummodo excommunicatione latae sententiae non reservata libros quoscumque haereticorum, & libros, aut scripta propter haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibita, sive sint hereticorum, sive Catholicorum; Nulla autem excommunicatione percutit libros Catholicorum prohibitos ob aliam causam, V. G. quia sunt contra bonos mores, pacem, & charitatem, & hujusmodi, sed solum declarat ipsos legentes, & retinentes incurrere peccati mortalis reatum, & esse severe Episcoporum arbitrio puniendos.

12 Caeterum licet legentes, tenentes &c. libros prohibitos solum quia sunt contra bonos mores, pacem, & charitatem, seu hujusmodi, nullam incurrant excommunicationem, sunt tamen denuntiandi, ut clare patet ex Bulla Gregorii XV. incipient. *Apostolatus Officium edita* 30. *Decemb.* 1612. & innovata ab Urbano VIII. 2. April. 1631. ut sequitur.

13 „ Apostolatus officium &c. Cum librorum lectio magno
„ sincere Fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut
„ accepimus nimis excessiva sit hujusmodi libros legendi li-
„ centiarum copia; Nos &c. omnes, et singulas licentias le-
„ gendi, et habendi libros quoscumque ob haeresim, vel
„ falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apo-
„ stolicas, etiam Astrologiae Judiciariae, vel alios quomodo-
„ libet prohibitos, quibuscumque personis Laicis, et Eccle-
„ siasticis tam Saecularibus, quam Regularibus, cujuscum-
„ que Ordinis, Societatis, et Instituti existentibus, ac qua-
„ cumque dignitate, etiam Ecclesiastica, fulgentibus &c.
„ etiam speciali nota, et mentione dignis &c. ex quacumque
„ causâ &c. concessas &c. revocamus, cassamus, et annul-
„ lamus &c. quinimmo libros per licentias hujusmodi permis-
„ sos legentes, aut habentes poenas in sacris Canonibus,
„ Constitutionibus Apostolicis, et Indicibus librorum pro-
„ hibitorum contentas incurrere volumus, et declaramus.

„ Decernentes, ut praesentes litterae, postquam in valvis
„ &c. affixae fuerint, infra duos citra montes, ultra vero mon-

„ tes infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, et
„ singulos, ad quos spectant, arctent, et afficiant, perinde
„ ac si unicuique personaliter intimatae fuissent, quodque
„ dictis duobus, et respective quatuor mensibus durantibus
„ iis qui libros prohibitos habuerint, eos ad Episcopum, seu
„ Inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, de-
„ ferre; quique aliquos similes libros prohibitos habere sci-
„ verint; eos denunciare teneantur. Neque de caetero simi-
„ les licentiae, nisi a Congregatione S. Officii, dum singulis
„ hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per Nos
„ etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, con-
„ cedantur &c. Dat. sub die 2. Aprilis 1631.

Ubi, ut vides, haec ultima verba, *Aliquos similes libros prohibitos*, referuntur ad priora: *Libros quoscumque ob haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas etiam Astrologiae Judiciariae, vel alios quomodolibet prohibitos.* Unde praefati Summi Pontifices praecipiunt, denuntiandos esse a scientibus detinentes libros quomodolibet prohibitos etiam ob aliam causam, quae non sit haeresis, aut falsis dogmatis suspicio.

Hinc qui assereret, posse in conscientia retineri libros pro- 14
hibitos non ob haeresim, nec ob falsi dogmatis suspicionem, sed solum ob aliam causam, V. G. quia sunt contra bonos mores, et hujusmodi, esset denuntiandus ut Assertor propo- 15
sitionis temerariae, et scandalosae. Item denuntiandus esset, qui assereret, quod libri non perpetuo prohibiti, sed donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur; sicuti etiam denuntiandi essent retinentes tales libros; Alexander enim VII. die 18. Martii 1666. merito damnavit inter alias sequentem propositionem 45. in ordine *Libri prohibiti, donec ex purgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.*

Habentes libros quomodocumque prohibitos, non satisfa- 16
ciunt, illos comburendo, sed necessario eos deferre debent Inquisitoribus; Sic statuit Iulius III. Constit. incipient. *Cum meditatio*, & Pius IV. Constit. incipient. *Pro munere*, & tenent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 56. Palao *de Fide tract.* 4. *disp.* 2. *punct.* 10. §. 2. *num.* 12. Barbosa *de Offic. & potest. Episcopor. par.* 3. *allegat.* 90. cum pluribus ibi citatis, & alii passim.

Unde libros prohibitos propria auctoritate comburentes, 17
& ipsos non consignantes Inquisitoribus, cum possunt sine gravi suo incommodo, & periculo, peccant mortaliter, quia faciunt contra praeceptum obedientiae impositum a Julio III. & confirmatum a Pio IV. *in citat. Constitution.* ibi: *in virtute S. Obedientiae.* Et sic tenent Doctores citati, & alii communiter. Non incurrunt autem excommunicationem, aliaque poenas latas *in cit. Constitutionibus* a Julio III. & Pio IV. 18
quia Alexander VII. in citat. Constitut. incipient. *Speculatores Domus Israel*, supra adducta *sub num.* 9. omnes poenas, & Censuras in materia librorum prohibitorum hactenus latas exceptis latis in Bulla Coenae reduxit ad poenas contentas in Constitution. Pii IV. incipient. *Dominici Gregis*, in qua Constitutione, ut patet ex ipsius verbis adductis supra *sub n.* 10. non infligitur excommunicatio, aliave poena non consignantibus, sed retinentibus, aut legentibus. Tum quia dicti Pon- 19
tifices Julius III. & Pius IV. in citatis Constitutionibus non percutiunt excommunicatione, aliisque ibi latis poenis ipsos non consignantes, ut non consignantes, sed solum ut retinentes, in quantum scilicet supponuntur retinere libros, quos non consignant; quod non verificatur de comburentibus, cum ipsi ex quo libros comburant, aperte constet, quod non retineant; Sic Bordonus *in Manual. consult. sect.* 48. *n.* 54. Puteronus apud Dianam *part.* 10. *tract.* 12. *resolut.* 48. Felix Potestas *tom.* 2. *part.* 2. *num.* 472. *& seq.*, & Sanchez, Filiucc. Pignatell. apud la Croix *lib.* 7. *num.* 355. & alii contra Suarez, Barbos. Dicastill. Ktimer, & alios. Et constat ex verbis ipsius Constitutionis Julii III. confirmatae a Pio IV. ibi prope finem: *Volumus autem, quod ii, qui libros Lutheranos, seu alios praedictos infra spatium, & terminum hujusmodi, dictis Inquisitoribus consignaverint, nisi ipsi alias, quam ex retentione librorum hujusmodi, haeretici, seu de Fide suspecti, fuerint, eo ipso etiam absque aliqua desuper facienda abjuratione, a censuris, & poenis propterea forsan incursis in utroque Foro absoluti sint], & esse censeantur, prout Nos &c.*

Et colligitur etiam ex duabus Constitutionibus Innocen- 20
tii XI. una incipient. *Cum sicut accepimus*, edita die 16. *Septemb.* 1680. & alia incipient. *Cum sicut nobis*, edita die 26 *Februarii* 1687. in quibus sub excommunicatione majori interdici lectionem, & retentionem quorumdam librorum,

deinde absque ulla expressione Censuræ, præcepit, ut qui eos habuerint, *Teneantur tradere, atque consignare locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui exemplaria sibi tradita illico flammis aboleri curent.*

21 Nec etiam incurrunt excommunicationem Bullæ Coenæ, quia licet Alexander VII. in cit. Constitut. incipient. *Speculatores Domus Israel*, reducens omnes pœnas, & Censuras contra legentes, & retinentes &c. libros prohibitos ad pœnas contentas in Constitutione Pii IV. incipient. *Dominici gregis*, excipiat expresse pœnas, & censuras latas in Bulla Cœnæ, ut patet ex ipsius verbis adductis supra *sub num. 9.* in fine; Bulla Coenæ tamen exprimit solum legentes, retinentes, imprimentes, & deferentes libros hæreticorum, et nullam mentionem facit de comburentibus, de quibus etiam si voluisset, expressisset, quod enim voluit, expressit; *arg. cap. Inter corporalia 2. de translatione Episcop. §. Sed neque istud, & cap. Quia circa 22. de privileg. & cap. Ad audientiam 12. de Decimis*. Eo vel maxime, quod ex Regula 15. *Juris in 6. Odia restringi, & favores convenit ampliari*, et ex Regul. 49. *eod. in 6. In poenis benignior est interpretatio facienda, & ex leg. Interpretatione 42. ff. de poenis; Interpretatione Legum poenæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ.*

22 Qui vero consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam, seu facultatem illos legendi, non abdicantes a se Dominium, sed tantum deponentes ad tempus, incurrunt excommunicationem, quia reipsa tales libros retinent apud alios. Ugolin. Graff. Syrus, Facund. Sanch. Bonac. Sousa, Piguatell. citati. & secuti a La Croix *lib. 7. num. 253.* Ubi subdit, quod econtra si illos ipsis tradant abdicantes se Dominium, & possessionem, licite faciunt: Religiosi autem, immo & alii Sæculares satisfaciunt, si tradunt in locum sequestratum, qui solet esse assignatus in singulis Monasteriis;

23 & dicitur carcer hæreticorum, seu infernus. Hæc ille. Et sic tenent Veruvys *tract 5. art. 7.* Riffenst. *lib. 5. Decretal. tit. 7. a num. 129.* & alii plures, volentes, quod consignatio, & conservatio librorum prohibitorum in Bibliothecis Regularium, ubi solent adesse Religiosi habentes licentiam seu facultatem ipsos legendi. non repugnet nec Bullæ Cœnæ. nec Indici librorum, immo quod plerumque melius, & consultius sit, libros prohibitos modo supradicto in ipsis Regularium Bibliothecis asservari, quam comburi; quia si juxta verborum corticem omnes libri hæretici, & suspecti de hæresi. vel falso dogmate, postquam ab aliquo fuerunt lecti, statim deberent comburi, & non possent pro ulteriori lectione ab eodem, vel ab aliis similes ipsos legendi licentiam habituris, asservari, hoc cederet in magnum Ecclesiæ, & Religionis Catholicæ præjudicium, & detrimentum; quomodo enim, possent ad defensionem veritatis infallibilis nostræ Fidei, & Religionis objurgari, & impingi ad oculum ipsis hæreticis falsitates, errores, deceptiones, contradictiones, discordiæ, mutationes. mutilationes; quas etiam in substantialibus Fidei, & Religionis articulis, & Sacræ Scripturæ textibus ipsi ad fundandas, & tuendas falsas suas Sectas adinvenerunt, fecerunt & commiserunt, si combusti fuissent, & in dies comburentur eorum libri, tractatus, confessiones, concinabula, & scripta, in quibus supradicta omnia apparent, ut de facili reperiuntur? Et ex quibus hactenus fuerunt deprompta ad eorum confusionem, & confutationem non sine ingenti nostræ Catholicæ Fidei incremento?

24 Tum quia, si, ut volunt aliqui, juxta corticem textus quivis liber prohibitus postquam ab aliquo lectus est, non amplius retineri posset, sed statim comburi deberet, seu consignari ad comburendum, omnes libri prohibiti cito perirentur & sic superfluæ, & inutiles redderentur facultates, & licentiæ libros prohibitos legendi a Sacra Indicis Cangregatione de mente Sanctissimi in dies concedi solitæ; quod non est dicendum, cum omnia privilegia, facultate, & rescripta gratiæ aliquid operari, & effectum aliquem fortiri debeant, *arg. c. In his 30. de privilegiis*, cum similibus. Unde expediens, & satis proficuum videtur pro licita, & utili lectione, eos, ut supra ante asservari posse in Bibliothecis Monasterium ubi adsunt, & solent adesse Religiosi habentes licentiam illos legendi; non obstante quod cortex verborum aliud insinuare videatur, quia etiam ad *Rescripta* applicari bene possunt, quæ de Legibus dicuntur pluribus in locis, & signanter *in cap Humanæ aures 11. caus. 22. q. 5.* ibi; *Non debet aliquis verba considerare* (intelligi, nude, et simpliciter) *sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire sed verba intentioni; & cap. Intelligentia 6. de verbor significat.* ibi; *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, & c. In his 15. eodem tit.* ibi: *Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur &c. Hinc Scire 27. de Legibus dicitur; Scire Leges non est earum verba tenere sed vim, & potestatem.* Petra autem, & quidem tutius sentit contrarium *in tom. 3. comment. ad Constit. 2 hunoc. IX. sect. 1. n. 15.* Vide *ibi*.

Licentiæ legendi libros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a Summo Pontifice, & a Sacra Congregatione S. Officii, aut a specialiter deputatis ab ipsis; Sic expresse statuit Urbanus VIII. 2. Aprilis 1631. Constitut. incipient. *Apostolatus Officium*, ibi; „ Neque de cætero similes licen„ tiæ, nisi a Congregatione S. Officii, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam „ in eadem Congregatione specialiter deputandis, conce„ dantur „. Unde eas concedere non possunt Cardinales, 26 Episcopi, aut Inquisitores, vel Generales Ordinum; Imo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi a Sede Apostolica, seu per dictam Sacram Congregationem sit eis specialis aut id concessa facultas; Sic colligitur ex Constitutione Julii III. incipient. *Cum meditatio cordis*, quæ expresse revocat omnes, & quascumque facultates legendi libros damnatos, concessas quibuscumque personis, cujuscumque status, ordinis, & conditionis, etiamsi Episcopali, vel Archiepiscopali, vel alia majori dignitate Ecclesiastica, seu sæculari præeminentia fulgeant; Cum qua concordat Constitutio Pii IV. incipiens. *Quia in futurorum eventibus*, & alia ejusdem incipiens; *Cum pro munere*, & citat. Constitutio Urbani VIII. incipiens; *Apostolatus Officium*, ubi sic præcise habet; „ Motu proprio &c. omnes, & singulas licen„ tias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, „ vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones „ Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ Judiciariæ, vel „ alias quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis „ Laicis, & Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam Regu„ laribus cujuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti exi„ stentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica „ fulgentibus cujuscumque status, gradus, conditionis, qua„ litatis, & præeminentiæ etiam speciali nota, & mentione „ dignis, ac per Litteras Apostolicas ad tempus seu ad vi„ tam, & aliter quomodocumque a prædecessoribus nostris „ Romanis Pontificibus, seu a quibuscumque aliis a Nobis, „ vel ab eis facultatem, & auctoritatem habentibus; non „ tamen a Nobismetipsis per Litteras Apostolicas etiam in„ forma Brevis, seu Chyrographum manu nostra signatum „ concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & „ insertis habentes, hac nostra perpetuo valitura Constitu„ tione revocamus, ea damus, & annullamus &c. Sic Suarez *de Fide disput. 20. sect. 2. n. 28.* Sanchez *in Præcepta Decalog. lib. 2. cap. 10. num. 46.* Ricciul. *de Jure personar. lib. 5. cap. 25. num. 4.* Bordon. *in Manual. Consult. sect. 50. num. 22.* Felix Potestas *tom. 2. part. 2. num. 386.* Barbosa *de Offic. & potest. Episcop. part. 3. allegat. 90. n. 7. & 8.* & alii passim.

Ad incurrendam excommunicationem Papæ reservatam, 27 latam *in Bulla Coenæ §. 1. his verbis*; „ Excommunicamus, „ anathematizamus &c. omnes, & singulos Hæreticos quo„ cumque nomine censeantur &c. ac eorumdem libros hære„ sim continentes, vel de Religione tractantes, sine aucto„ ritate nostra, aut Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut „ retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, „ ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, „ vel colore &c. quinque simul conditiones requiruntur, ita ut una deficiente excommunicatio non incurratur; Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 15. num. 1.* Busemb. *lib. 7. cap. 2. dub. 4. art. 5. num. 1.* Felix Potestas *tom. 2. part. 2. num. 353.* & alii passim.

Prima requisita conditio est ut liber sit alicujus veri Hæ- 28 retici, seu ut Auctor sit vere Hæreticus; Unde Excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrunt, qui legunt librum Pagani, Turcæ, Judæi, vel alterius Infidelis non baptizati, quamvis de religione tractet, & hæresim contineat. Nec illi, qui legunt librum Auctoris Catholici, qui unam, vel plures hæreses ex ignorantia, seu imprudentia, aut inadvertentia inspersas habeat, vel Hæreticorum hæreses ad ipsas impugnandas, etiam ad longum referat. Bulla enim excommunicat solum illos, qui legunt librum Hæretici, unde si Auctor libri non est verus *Hæreticus*, illum legentes non incurrunt talem excommunicationem, cum lex pœnalis, & omnis alia odiosa sit stricte interpretanda; *cap. Odia 15. de Regul. Juris in 6.* ibi: *Odia restringi, & favores convenit ampliari, & cap. In poenis 49. eod. in 6.* ibi: *In poenis benignior est interpretatio facienda, & l. Interpretatione 42. ff. de poenis*, ibi: *Interpretatione legum poenæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ*; Navarr. *Manual. cap. 27. num. 56.* Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 15. n. 1.* Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 10. n. 25.* Castropalao *de Infidelitate tract. 4. disput. 2. punct. 10. §. 1.* Reiffenstuel *lib. 5. Decretal. tit. 7. n. 36.* & alii passim.

29 Secunda requisita conditio est, ut liber, vel expresse contineat hæresim, vel de Religione tractet, itaut alterutrum horum sufficiat, quia Bulla loquitur disjunctive per dictionem *Vel*, quæ alterutrius subsistentia verificatur; *arg. l. Eum ff. Quando diei Legati*; *l. Si illud ff. de legatis, cum similibus*. Unde hanc excommunicationem incurrunt legentes librum Hæretici de Religione ex professo tractantem, V. G. de Theologia scholastica, Morali, vel Mystica, quamvis nullam contineat hæresim; & eamdem incurrunt legentes librum Hæretici, si contineat hæresim, etiam in singulari, quamvis de religione non tractet, sed de Medicina, Philosophia, & hujusmodi. Bulla enim plus non requirit, quam ut liber, vel de Religione tractet, vel Hæresim contineat; In nostro autem casu liber vere de Religione tractat, quamvis non contineat Hæresim, & vere continet Hæresim, quamvis unam solam in singulari contineat, & tractet de Religione. Et sic conditio Bullæ adimpleta habetur, adeoque Excommunicatio incurritur; Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. n. 34.* Diana *part. 6. tract. 6. resolut. 55.* Castropalao *de Infidelitate tract. 4. disp. 2. punct. 10.* Leander *de Censuris tractat. 3. disp. 1. quæst. 39. num. 342.* Bonacina *de Censuris disp. 2. qu. 5. punct. 4. num. 19.* Farinac. *de Hæresi quæst. 180. num. 22.* Felix Potestas *tom. 2. part. 2. num. 357. & seq.* Suarez *part. 3. tract. 5.* & alii plures contra Filiucc. Graff. Sayr, Carenam, & alios.

30 Tertia conditio requisita est, ut scienter liber legatur, retineatur etc. adest sciatur talem librum esse Auctoris Hæretici, et tractare de Religione, vel Hæresim continere; textu

31 expresso in eadem Bulla, ibi: *Scienter legentes, aut retinentes &c.* Unde qui, vel non scit Auctorem libri esse *Hæreticum*, vel si id sciat quidem, ex tenore tamen, vel aliunde deceptus ignoret illum de Religione tractare, vel Hæresim continere, Excommunicationem Bullæ Cœnæ non incurrit, etiamsi ignorantia esset crassa, aut supina, ut tenet *Communis* cum Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 38.* Layman *lib. 2. tract. 1. cap. 24. num. 4.* Busembau *lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. num. 7.* Reiffenstuel *loc. cit. num. 55.* Felix Potest. *loc. cit. num. 379.* Et ratio est, quia universaliter, quando in lege ad incurrendam Censuram requiritur scientia, ut in præsenti, illa ignorantia excusat, quæ opponitur scientiæ; talis autem est ignorantia crassa, & supina, nam crasse, & supine ignorantes, non dicuntur scientes; Covarr. *in cap. Alma mater part. 1. §. 10. num. 17.* Silvester *verb. Ignorantia quæst. 3. dist. 4.*

32 Reiffenstuel *loc. cit.* Sanchez, & alii communiter. Imo Diana *part. 3. tract. 6. resolut. 7. & part. 5. tract. 5. resolut. 11.* Bonacina, Tamburin. Hurtad. & alii cum La Croix *lib. 7. n. 345.* tenent, quod excusat etiam ignorantia affectata, ideest cum quis data opera vult ignorare, ut in casu nostro, cum quis data opera non vult scire, an hic liber sit Hæretici; ut

33 liberius illum legat, aut retineat. Quod tamen de hac ignorantia affectata negant melius Felix Potestas *loc. cit.* & alii, quia ignorantia affectata æquiparatur scientiæ, & æquivalet dolo, cum sic affectati ignorantes dolose nolint intelligere, ut liberius peccent, juxta illud Psalmistæ, *Psal. 35. Noluit intelligere, ut bene ageret*, Fraus autem, & dolus nemini patrocinari debent, *cap. Sedes 15. & cap. Ex tenore 16. de Rescriptis, cap. Tuæ 12. de Clericis non residentib. cap. Ex litteris 2. de dolo, & contumac. & l. In fundo ff. de rei vindicat., & l. Cum hi ff. de transact. l. Si legatarius Cod. de Legatis* cum similibus.

34 Quarta conditio requisita est, ut legatur materia notabilis sufficiens ad mortale; Qualis autem sit materia notabilis, & sufficiens ad mortale? multum controvertitur inter Doctores. Toletus enim dicit sufficere unam, vel alteram lineam legi, cum in ea contineri possit Hæresis; At hæc opinio, ut nimis rigida, paucos adinvenit Patronos. E contra Croisers apud Dianam *in Summa verb. Hæreticorum libri* dicit requiri eam libri partem, quæ per se sumpta vere dici possit liber, & quod infra est, dicit esse veniale; At hæc, ut nimis laxa, pauci sunt, qui eam sequantur. Sanchez, Sa, Vivald. Krimer, & alii volunt minus, quam paginam in folio non sufficere ad mortale. Marchant. autem *in Tribunal. tom. 1. tract. 2. tit. 2. quæst. 2.* Sporer *in Moral. tract. 1. cap. 5. num. 23.* La Croix *lib. 7. num. 340.* & alii melius dicunt in hac re attendendam esse materiam, non secundum se, sed secundum finem 35 prohibitionis, qui præcipue est periculum perversionis. Unde, cum quis aperit librum hæreticum, & statim incidit in unam, vel alteram lineam continentem formalem, & veram apertam Hæresim, dicendum est, si non statim desistat, ac cognoscit, ipsum peccare mortaliter, & incurrere Excommunicationem, quamvis legat paucas lineas, quia et periculo se exponit, et agit contra totum finem legis; Si vero incidat in materiam indifferentem, et ut talem cognoscat, dicendum est ipsum non peccare mortaliter, quamvis legat integram paginam talis materiæ indifferentis, quia sic, cum non se exponat periculo perversionis, non agit directe contra finem legis.

Hinc graviter peccant, et Excommunicationem incurrunt legentes Hæretici Epistolam, Concionem, Orationem, vel aliam similem parvam scripturam de Religione tractantem, aut Hæresim continentem; Et ratio est, quia in his eadem ratio, idem, et majus periculum perversionis invenitur; ubi autem eadem est ratio, eadem est legis dispositio, *leg. illud ff. Ad legem Aquiliam, & capit. Inter corporalia 2. de translation. Episcop.* Unde sicuti, ubi cessat ratio, et finis Legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; *leg. Adigere §. 2. ff. de Jurepatron.* cum ratio legis sit anima legis, *leg. Cum ratio ff. de bonis damnator.*, ita a sensu contrario, ubi perseverat; & etiam viget finis legis, vel prohibitionis, perseverat, et etiam viget Lex, seu obligatio ipsa,

Nec valet dicere, quod tales Epistolæ, Conciones, Ora- 36 tiones, seu aliæ similes scripturæ separatæ non veniant nomine *Libri*, de quibus solum loquitur Bulla Cœnæ; *Ac eorumdem libros*. Non valet, inquam, quia ex declaratione facta in simili materia a *Sac. Cong. Concilii* etiam supradicta veniunt nomine *Libri*; Cum enim esset interrogata circa Decretum Concilii Trid. *sess. 4. de editione librorum* emanatum, quænam comprehendantur ibid. nomine *libri*? Respondit comprehendi sub illo etiam *Conciones*, *lectiones*, *Disputationes*; et similia. Sic testatur Reiffenstuel *loc. cit. nn. 43.* et cum aliis Barbosa *Collect. in Trid. sess. 4. n. 8.* Tum quia Bullæ Cœnæ prohibendo Hæreticorum Libros, revera intendit, et voluit prohibere omnia illorum opera, sive magna, sive parva, sive impressa, sive scripta, quorum lectio posset esse periculum perversionis legentibus; Unde cum etiam ex lectione similium Epistolarum, Concionum, modicarum Scripturarum idem, ac forsan majus periculum subsit, dicendum est, quod etiam similes Epistolæ, Conciones, et parvæ Scripturæ cadant super eadem Bullæ Cœnæ Censura, sive in stricto, ac communi sensu Libri dici possint, sive non, quia propter verba Legis non debemus judicare contra intentionem illius, *cap. Humanæ aures 2. caus. 22. quæst. 5.* ibi: *Non debet aliquis verba considerare* (intellige nude, et simpliciter) *sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni, cap. Intelligentia 6. de verb. signif.* ibi; *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus, & cap. In his 15. eod. de verb. signif.* ibi: *Considerantes nihilominus, quod non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire, interpretamur; & cap. Certum est 38. de Regul. Jur. in 6.* ibi; *Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem, & l. Scire 16. ff. de legibus*, ibi: *Scire leges non est verba earum tenere, sed vim, & potestatem*; et sic tenet Farinac. *de Hæresi quæst. 80. num. 30. & 31.* Suar. *disput. 20. sect. 2. num. 10.* Stoz *lib. 2. part. 3. num. 536.* et alii plures *ibi* cit. la Croix *lib. 7. num. 337.* cum Pignatel. et aliis *ibi* citat. Reiffenstuel *loc. cit. a num. 41.* et hanc opinionem probabiliorem, et in praxi tenendam censet Palao *de Infidelitate tract. 4. disput. 2. punct. 10. §. 1. num. 4. & 5.* Et probabilissimam vocat Dicastill. *d. 3. num. 1164.* et vere probabiliorem dicunt Spor. Krimer, et plurimi alii.

Alii autem tenent contrarium; Sic Lugo *de Fide disp. 21.* 37 *num. 33.* Alberghinus *cap. 32. num. 5.* Diana *par. 1. tract. 11. resolut. 34.* Busemb. *lib. 7. cap. 2. dub. 3. art. 5. numer. 4.* Felix Potest. *tom. 2. p. 2. num. 336.* Sanchez *libr. 2. moral. cap. 10. num. 29.* Bonacina *disp. 2. de Censur. q. 5. punct. 4.* Durandus

lib.2. in cauſ.1. q.44. num.6. Herincx *diſp. 9. de Fide qu. 8. num.86.* Layman. *lib. 2. tract.1. cap. 15. n.3.* & alii plures, quorum aliqui contrariam ſententiam tenent eſſe veram, & alii ſaltem probabilem eſſe putant, hac ducti ratione, quod tales Epiſtolæ, Conciones, & aliæ ſimiles parvæ ſcripturæ ſæparatæ non ſint proprie *Libri*, de quibus ſolum loquitur Bulla Cœnæ, adeoque ſub ejus Cenſura non comprehendantur, cum verba legis pœnalis, & odioſæ, ſint ſtricte interpretanda, *cap.15. de Regul. Jur. in 6.* ibi: *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari, & cap. In pœnis 49. eod. in 6.* ibi: *In pœnis benignior eſt interpretatio faciendæ*; Quæ ſententia revera non caret ſua probabilitate.

Quinta conditio requiſita eſt, ut legatur, & retineatur ſine auctoritate, ſeu licentia Sedis Apoſtolicæ, ut expreſſe 38
habet ipſa Bulla Cœnæ, ibi: *Sine auctoritate noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ.* Unde qui habet licentiam legendi ipſos libros Hæreticorum, vel a Summo Pontifice, vel ab aliis ab ipſo ad id deputatis, non incurrit dictam Cenſuram Bullæ Cœnæ legendo, aut retinendo ſimiles libros prohibitos; Qui autem tales licentias concedere poſſint, vel non? Vide *ſupra num.23. & 26.*

Per ly *legentes* ad incurrendam Cenſuram Bullæ Cœnæ 39
intelligitur omnis, qui non ſolum voce legit, ſed etiam qui
40 tacitus oculis librum percurrit; *Communis*; Legens autem voce, ſeu oculis librum percurrens, ſi non intelligat libri Idioma; aut linguam, non incurrit talem Cenſuram, quia is proprie non legit, niſi materialiter (a); Ad lectionem enim ab Eccleſia prohibitam requiritur, quod Scriptura mente percipiatur, cum ſolum talis lectio inducat periculum perverſionis Catholici, & communicationem cum Hæretico in Doctrina; Sic Diana *p.1. tract.11.* Bordon. *in Manual. conſult. ſect.49. n.12. & 72.* Felix Poteſt. *tom.2. p.2. n.403.* La Croix *lib.7. n.341.* cum Suarez, Sanchez, Filliuc. Tambur. Krimer, Pignatell. Caſtrop. Dicaſtill. Stoz ibi citatis contra Bonacinam, & alios.

An autem audiens alium legentem librum prohibitum in- 41
currat Cenſuram? Variant Doctores; Quidam enim tenent, ipſum Cenſuram non incurrere, ſi audiat caſu, at vero eam incurrere, ſi conſilio, petitione, juſſu, aut mandato inducat alium, ut ſibi legat, quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, *cap. Qui facit 72. de Regul. Jur. in 6.* ibi: *Qui facit per alium, perinde eſt, ac ſi faciat per ſe ipſum.* Tum quia talis audiens non ſe habet mere paſſive, ſed active influendo, cum enim mandato, ſeu conſilio inducat alium, ut ſibi legat, eſt ipſe cauſa lectionis, & cenſetur ipſe legere; E contra ſe ipſe non induxerit, non cenſetur legere, ſed tantum audire? Sic tenent Nald. Azor Sayr. Graff. Reginald. Silveſter, Pignatelll. Vetivys, cum la Croix *l. cit. nu. 342.* ubi dicit, hanc ſententiam videri probabiliorem, & alii apud Leandr. *de Cenſuris tract.3. diſp.1. q.59.* Alii autem abſolute tenent Cenſuram incurrere, ſive audiat caſu, ſive conſilio, petitione, aut mandato, quia idem eſt periculum infectionis in audiente, ac in legente, & idem odium Hæreſeos, quæ fuit ratio prohibitionis ſub tali Cenſura, adeoque &c. Sic Leander *l. cit. q.58. & 59.* Suarez, Roccaſul., & alii. E contra alii abſolute docent, ipſum Cenſuram non incurrere, ſive audiat caſu ſive conſilio, petitione, aut mandato, quia proprie ille tantum dicitur legens, qui viſu, & mente ſcripta percurrit, & ex Jure verba legis pœnalis ſunt in propria, & ſtricta ſignificatione accipienda, *cit. cap. Odia 15. & Cap. In pœnis 49. de Regul. Jur.* Sic Diana *p.1. tract. 11. reſol. 133.* cum multis ibi citatis, Portell. verb. *Librorum prohibitio in addit. n.11.* Tambur. *lib. 2. Decal. Cap. 1. §. 7. n.32.* Felix Poteſt. *tom.2. p.2. ſub n.471.* ubi cum aliis ſolvit rationes opinionum contrariarum, Ugolin. Sanchez, Coninch. Dicaſtill. Stoz, Krimer, & alii cum la Croix *l. cit.* ubi hanc etiam tenet probabiliter.

Legens librum de mandato alterius, a quo prudenter timet 42
grave damnum, non incurrit Cenſuram, quia metus gravis in conſtantem virum excuſat a tranſgreſſione præcepti Eccleſiaſtici, cum præceptum Eccleſiaſticum non obliget cum tanto detrimento: Bordonus *in Manual. conſult. ſect.49. n.41.* Leander *de Cenſuris tract.3. diſp.1. q.57. & diſp.9. q.23.* cum
43 pluribus aliis ibi citatis. Incurrit tamen Cenſuram, ſi legat de mandato alterius ſolum ex metu levi, quia metus levis non excuſat a tranſgreſſione præcepti Eccleſiaſtici; *Communis.*

Per ly *retinentes* ad incurrendam Cenſuram intelligitur 44
omnis, qui habet apud ſe librum, ſive proprium, ſive alienum quomodocumque illum habeat, ſive retineat illum nomine proprio, ſive nomine alieno. Imo etiamſi in aliena Domo retineat, quia ſemper dicitur vere retinens; Buſem. *lib.7. cap.2. dub.4. art.5. n.8.* la Croix *ibid. n.347.* Bonacina *t.3. diſp.1. q.2. punct.4. n.15.* Felix Poteſtas *l. cit. n.428.* Pignatell. & *Communis aliorum.* Hinc tam Deponentes librum 45
apud alium, ſeu alteri commodantes, aut in pignus tradentes, quam Depoſitarii, ſeu, comodato, aut in pignus accipientes incurrunt Cenſuram: la Croix *l. cit.* cum Pignatell. & *Communis aliorum.*

Item Cenſuram incurrunt vendentes ſcienter libros Hære- 46
ticorum, ſeu aſportantes de uno in alium locum, quia iſti nedum ſunt retentores, ſed etiam fautores Hæreticorum; Leander *de Cenſuris tract.3. diſp.1. q.88.* & alii communiter, Item Cenſuram incurrunt librum retinentes ad confutandum, 47
quia Bulla Cœnæ abſolute prohibet retentionem, & factum reſpicit, non affectum, & intentio bona non poteſt cohoneſtate actum abſolute prohibitum; Bordon. *in Manual. conſult. ſect.49. num.13.* & *Communis aliorum.* Item Cenſuram 48
incurrunt, qui retinent libros Hæreticos ſolum ad ornatum in Bibliothecis, licet ſine animo legendi, & quamvis idioma non intelligant, quia talis retentio eſt in periculum infectionis aliorum, & contra finem adæquatum prohibitionis factæ a Bulla, nempe, ultra periculum infectionis, ut tales libri plene abolerentur in odium Auctoris Hæretici, & hujuſmodi, Sanchez *lib.2. moral. diſp.10. n.52. & ſeq.* Caſtropal. *de Fide tract.4. diſp.2. punct.10. §.2. n.7. & ſeqq.* & ipſo teſte, *Communis aliorum.* Item Cenſuram incurrunt tales 49
libros retinentes, quamvis cognoſcant nullum eſſe perverſionis periculum, quia talis prohibitio non eſt facta ſolum ob periculum perverſionis, ſed, ut, dictum eſt, etiam in odium Hæreticorum, & ut ſui libri penitus exterminentur; *Communis.*

Item Cenſuram incurrunt Bibliopolæ, & Bibliopegæ, 50
qui hujuſmodi libros ad diſtrahendum, & compingendum retinent, Sanchez, Reiffenſtuel. *à 2. Decret. tit. 7. n.72.* cum pluribus ibi citatis, la Croix *l.7. n.353.* cum Ugolin Sanchez, Pignatell. *ibi cit.* Item qui librum antequam prohiberetur, 51
redegit in compendium, incurrit Cenſuram, ſic hoc ſolum compendium manuſcriptum legat, vel retineat poſt prohibitionem, quia eſt moraliter idem ipſe liber compendiatus, & a fortiori, ſi redactus ſit in Compendium poſt prohibitionem; La Croix *l. cit. n.350.* Pignatell. *ibi cit.* & alii. Item 52
Cenſuram incurrit, qui partem libri retinet, quia is vere dicitur retinere librum, ſicuti dicitur legere librum, qui partem illius legit; Sanchez *l. c. num.54.* Reiffenſtuel. *l. c. n.73.* & alii paſſim. Hinc Sanchez, Filiucc. Caſtropalao, 53
Dicaſtill. Pignatell. Verivys, Krimer, apud La Croix *l. c. n.349.* excommunicatos cenſent Aromatarios, Mercatores & quoſvis alios, qui hujuſmodi libros, aut partes eorum retinent ad involvendas merces, aut ſimilia.

Retinentes librum per unum, vel alterum diem cum pro- 54
poſito poſtea tradendi excuſantur a peccato mortali, & a Cenſura; La Croix *l. cit. num.348.* cum Sanchez, Duard. Reginald. Caſtropal. Diana, Pignatell. Sporer ibi citatis. 55
Item excuſantur a peccato, & Cenſura, qui longiori tempore libros tales retinent ex eo quia non habent opportunum tempus, & occaſionem illum tradendi Inquiſitoribus, vel habenti licentiam eos legendi, & retinendi; Layman *lib. 2. tract.3. cap.15. n.7.* Caſtrop. *tract.4. de Fide diſp.2. punct.10.* 56
§.2. num.10. Reiffenſt. *loc. cit. tit. 7. n.75.* & alii. Si tamen tandiu expectarent ad conſignandum, ut conſerentur non velle conſignare, peccarent mortaliter, & incurrerent Cenſuram; La Croix *l. cit. n.348.* Verivys *tract.5. art.8.* & alii. 57
Si autem haberent voluntatem abſolute retinendi, & paulo poſt mutarent hanc voluntatem, & vere proponerent quam primum poterunt, conſignare, peccaſſent quidem mortaliter ratione habitæ abſolutæ voluntatis retinendi contra gravem prohibitionem Eccleſiæ, & probabilius non incurriſſent

(a) Nota. Et *ſi non incurrit* perluſtrando oculis librum, cujus idioma ignoretur, incurrere tamen in cenſuram videtur retinendo illum; cum etiam retentio ſit ſub hac pœna prohibita.

ſent Cenſuram, quia Cenſura non incurritur ob voluntatem, ſed ob ipſam retentionem, adeoque ſi retentio de ſe non ſit mortalis, & longa, non eſt materia ſufficiens ad Cenſuram; Sicut ſi quis habuiſſet abſolutam voluntatem occidendi Clericum, & paulo poſt mutaverit ipſam voluntatem, nec Clericum occiderit, nec vulneraverit, quamvis peccaſſet mortaliter ratione talis habitæ abſolutæ voluntatis, non eſſet tamen excommunicatus; Sanchez, Reginald. Caſtrop. Sporer, Diana, Verivys, Dicaſtil. Krimer citati, & ſecuti La Croix *l. cit. num.348.*

58 Per ly *Imprimentes* ad incurrendam Cenſuram intelliguntur, & veniunt omnes, qui ad libri impreſſionem propinque concurrunt, & veræ illius cauſæ ſunt, ut Typographus, aut Patronus Officinæ, cujus auctoritate libri typis mandantur, qui humectat, ſeu præparat chartam, imponit atramentum, typos ordinat, & componit, chartam madefactam ſupponit torculari, torcular premit; *Communis*, cum Reiffenſtuel *lib.5. Decretal. tit.7. num.77.* Leandro *de Cenſuris tract. 3. diſp.1. q.82.* La Croix *l. cit. num.356.* Sanchez *lib. 2. moral. diſp.10. num. 57.* Item eamdem Cenſuram incurrunt tranſcribentes libros Hæreticorum, quia nulla eſt in ſubſtantia 59
diverſitas; Leander *l.cit. q.87.* Felix Poteſtas *l. cit. n.448.* & alii. Imo tranſcribentes incurrunt etiam Cenſuram tamquam legentes, & detinentes librum Hæreticorum, & tamquam fautores Hæreticorum: *Communis.*

60 Qui facit expenſas pro impreſſione, incurrit Cenſuram, ut fautor Hæreticorum, non autem ut impreſſor, quia non dicitur proprie imprimere, ſed ſolum remote concurrit ad impreſſionem: Leander *l. cit. q.84. & 86.* La Croix *libr.7. num. 356.* cum Ugolin. Sayr. Filiuc. Dicaſtill. Pignatell. *ibi*
61 *citatis*, & alii plures. Item Corrector exemplaris impreſſi non incurrit Cenſuram ut imprimens, quia non eſt proprie impreſſor, ſed impreſſi inſpector: Unde incurrit Cenſuram ut legens, & quidem toties, quoties legit magnam partem,
62 & etiam ut fautor Hæreticorum: *Citati Doctores*. Item vendentes impreſſoribus characteres, atramentum, aut alia neceſſaria ad impreſſionem incurrunt ſolum Cenſuram ut fautores Hæreticorum, ſi talia ipſis vendant animo favendi Hæreſi, non autem ut imprimentes, quia non concurrunt, niſi
63 valde remote ad impreſſionem; *Citati Doctores*. Imo nullam Cenſuram incurrunt, ſi talia vendant, non ut faveant Hæreſi, ſed ſolum negotiationis, & juſti lucri gratia: La Croix *l. cit. n.356.* cum Caſtropal. Tamburin. krimer, Pignatell. ibi citatis, & alii paſſim.

64 Per ly *Defendentes* ad incurrendam Cenſuram intelliguntur, & veniunt omnes, qui quocumque prætextu, vel cauſa librum Hæretici, quatenus talem, defendunt, & tuentur verbis, vel factis, laudando v.g. & exaltando talem librum, probando ea, quæ in eo ſcripta ſunt, eſſe vera, abſcondendo illum, aut impediendo, ne Inquiſitoribus tradatur, aut ne comburatur, & hujuſmodi; Sanchez *l. cit. n.58.* Caſtrop. *l. cit. num.14.* Reiffenſtuel *l. cit. n. 78.* & alii communiter, textu expreſſo *in ipſa Bulla Cœnæ §.1.* ibi: *Seu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore &c.*

65 Hinc qui talis libri ſtylum, vel doctrinam, ſeu ingenium Auctoris laudat eo fine, & animo, ut damnationem, ſeu conſignationem impediat, Cenſuram incurrit, quia ad Cenſuram incurrendam non requiritur, quod defenſio fiat præciſe ob Hæreſim, vel hæreticum, ſed ut expreſſe loquitur Bulla: *Ex quavis cauſa publice, vel occulte, quovis ingenio, vel co-*
66 *lore*; La Croix *l.cit. n.359.* Pignatell. *ibi cit.* & alii. Non incurrit tamen Cenſuram, ſi laudet ſtylum libri, vel ingenium Auctoris, vel Catholicam doctrinam, quæ in eo eſt, ſed non quatenus in eo eſt, nec in ordine ad tuendum, ne damnetur, ne Inquiſitoribus tradatur, aut comburatur, quia hæc laudat ſecundum ſe, non ut opera hæretica, & Auctoris Hæretici, adeoque non defendit librum Hæretici, Sanchez *loco citat.* Reiffenſtuel *loco citat.* Buſemb. *libr. 7. capit.2. dubitat. 4. articul. 5. numer. 8.* Leander *de Cenſuris tractat.3. diſputat. 1. q.94. & 95.* Bonacina, Layman, & alii paſſim.

Additio ex Auctore.

67 Libri, & Scripturæ de Ritibus Sinenſibus publicari prohibentur; Benedict. XIV. tom.1. Conſtit.59. incip. *Ex quo* §.8.
68 Libri Gentilium de falſa Religione, ſeu de rebus obſcenis, & ſuperſtitioſis tractantes, fidelibus prohibentur. Idem Conſtit.107. incip. *Omnium ſolicitudinem* §.3. & 14. Libro- 69
rum quorumque editio ſuper argumento imminutionis Feſtorum de præcepto, prohibetur ſub graviſſimis pœnis; Idem tom.2. Conſtit. incip. *Non multi menſes*.

Libri noxii tam a Congregatione Univerſalis Inquiſitionis, 70
quam a Congregatione Indicis proſcribuntur; Et utraque ſumma maturitate, & conſilio utitur in proſcriptione evulganda. Benedict. XIV. Conſt. incip. *Sollicita*, in qua Methodus præſcribitur in examine, ac proſcriptione librorum a Congregationibus Univerſalis Inquiſitionis, & Indicis ſervanda, certæque Romanæ Relatoribus, ac Conſultoribus proponuntur Regulæ, quas in examine, judicioque ferendo ſequantur; Quæ Conſtitutio eſt merito tota attente legenda, & plene obſervanda.

Secretum, ſive ſilentium, quod in Congregatione Sancti 71
Officii præſcriptum eſt, eodem prorſus modo in examine, ac proſcriptione librorum in Congregatione Indicis, a Cardinalibus, Reviſoribus, & Conſultoribus cuſtodiendum præcipitur a Bened. XIV. Conſtit. incip. *Sollicita §. 12.*

APPENDIX.

Sive Novus de Librorum prohibitione

ARTICULUS.

In quo de Eccleſiæ poteſtate in Libris proſcribendis; de antiqua, & nova diſciplina circa hujuſmodi prohibitionem, de auctoritate decretorum Apoſtolicæ Sedis Libros vetantium, deque pœnis in eos latas, qui hujuſmodi libros legant, retineant, ac de nonnullis ad hanc materiam pertinentibus quæſtionibus.

§. I.

De conceſſa Chriſti Eccleſiæ poteſtate prohibendi Libros; deque antiqua circa rem hanc diſciplina, quæ ad inventam uſque artem Typographicam perduravit.

IMprobatæ lectionis libri ſunt, qui Religioni, bonis moribus, pietatique obſint. Hos vero ex hominum manibus eripiendos, proſcribendoſque eſſe, ipſa recta ratio ſuadet, atque exemplis cujuſque bene ordinatæ Reipublicæ comprobatur Conſtat enim ex Laertio, Græcos Protagoræ libros in foro juſſiſſe comburi; atque in Romana Reipublica plures ex Senatus Conſulto libros, qui homines *vel a divino cultu* avocarent, vel ad ſuperſtitionem, quam pravam, ipſi crederent, provocaſſent, fuiſſe combuſtos, ut legere eſt apud Valerium, aliosque. Eademque lex ita apud Romanos viguit etiam poſtquam ſumma rerum penes Imperatores eſſet, ut Ulpianus *L. Cetera ff. Famil. Erciſcund.* ſcripſerit, improbatæ lectionis libros, dum hæreditaria res ſit dividenda, *non* dividi, ſed a Judice aboleri oportere, non ſecus ac mala medicamenta, & venena. Hæc autem animadvertenda duxi, non ſolum ut Lector intelligat, conſentaneum eſſe rectæ rationi, ut noxii libri interdicantur, ſed etiam ut inde faciant, quinam fuerit in Republica uſus circa hujuſmodi libros, dum Chriſtiana Religio cœpit, & quam majus fuerit ſervandæ, Religionis ſtudium apud Idololatras ipſos, quam apud Novatores ætatis noſtræ, e quorum officinis prodiere Hobeſii, Tollandi, Spinoſæ, Bælii, aliorumque male feriatorum hominum opera, quæ Chriſtianam, ac Religionem omnem omnemque pietatem evertunt.

Eccleſiæ autem feciſſe Chriſtum Dominum poteſtatem proſcribendi libros, tum ex munere Paſtoribus concredito, tum etiam ex uſu, quem ejuſdem poteſtatis ſemper fecit, eſt omnino exploratum. Voluit enim, ut in ea eſſent Paſtores, qui eamdem regerent uſque ad conſummationem ſæculi; atque hos Epiſcopos vocat Lucas in Actis Apoſtolorum, *quos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam ſuam*. Iiſdem Chriſtus paſcendi oves ſuas onus, poteſtatemque clavium indidit, quæ paſſim in Scripturis ad ſupremam deſignandam poteſtatem adhibetur. At munus Chriſti Paſtoris eſt, ſanam doctrinam, quæ viam ſalutis demonſtret, edocere, ea proponere, quæ æternæ ſalutis conſequutionem faciliorem faciant,

faciant, quæque obstacula tollant, quæ impedimento esse possint. Huic autem muneri conveniens ac necessaria est potestas eripiendi ab hominum manibus noxios libros, qui non solum maximo obstaculo sunt æternæ saluti, sed ad certam perniciem homines trahunt. *Quis* ergo dubitet, quin Christus Dominus hanc ei fecerit potestatem, quin auctoritatem dederit proscribendi perniciosos libros, ac opportunis etiam pœnis ab horum lectione homines avocandi? Ex solo Pastoris munere intelligi id facile posset; sed ut inexcusabiles omnino Novatores essent, hanc potestatem notissimis ætate illa phrasibus, ac luculentissimis verbis in Scripturis novi Testamenti, explicavit. Quid enim aliud innuit Scriptura, dum hos ait a Spiritu Sancto positos ad regendam Ecclesiam Christi; dum iis ligandi, & solvendi, & clavium potestatem concessam tradit; dum ita eos missos fuisse declarat *Luc.* 10. *vers.* 16. ut qui hos loquentes, præcipientisque audiat, Christum audiat, qui vero eos contemnat, & spernat, Christum spernat; dum denique per Paulum ad *Hebræos* 13. *vers.* 17. eosdem Præpositos appellat, quibus parere, ac subesse oporteat? Hæ præses, hi loquendi modi satis superque declarant; Christum Ecclesiam suam instar Reipublicæ stabilisse, in qua Pastores præessent, auctoritate freti, ea prohibendi, præcipiendi, ac etiam certis pœnis interdicendi, quæ commune Ecclesiæ bonum postularet.

Hac vero hæc ambigua fore, atque in alium quoque sensum detorqueri posse. Si constet, hanc Apostolos, ac Episcopos deinde eorumdem Successores exercuisse potestatem, eamque in iisdem agnovisse ac fuisse veneratos primos Christianorum Principes, quis dubitet, quin eam revera a Deo habuerint? Neque enim est verisimile, Ecclesiam viventibus adhuc Apostolis formam a Christo stabilitam mutasse, eamque veluti a Deo sibi collatam Pastores sibi usurpasse, potestatem, quam non habuissent. At Ecclesia hanc semper exercuit potestatem. Nam, ut ea mittam, quæ *Actorem* 19. *vers.* 19. leguntur, de libris eorum, qui fuerant curiosa sectati, quorum ingens numerus Ephesi, Paulo prædicante, combustus fuit, Auctor Const. Apostolicarum *lib.* 1. *cap.* 7. ait: *Apostolos prohibuisse initio Fidelibus libros Gentilium, & falsorum Prophetarum, Canon.* 59. ex iis, qui Apostolorum nomen præferunt, *Si quis*, inquit, *falso inscriptos impiorum libros tanquam sanctos in Ecclesia publicat ad Populi, & Cleri perniciem, deponatur*. Hæc satis sunt ad ostendendum, Ecclesiam etiam dum sub Principibus infidelibus esset, auctoritate, quam a Christo habuerat, usam, libros noxios prohibuisse ac pœnas prout temporum circumstantiæ ferebant, adversus inobedientes statuisse.

Reddita vero Ecclesiæ pace, hanc potestatem liberius exercuit, probantibus, ac faventibus etiam ipsis Christianis Principibus. Nam in Concilio Nicæno I. Patres damnarunt Arii libros, eosque comburendos esse decreverunt. Constantinus vero Magnus indicta poena capitis in eos, qui illos occultassent, omnes comburi curavit; ut scribit Socrates *lib.* 1. *c.* 6. & *Nicephorus lib.* 8. *c.* 25.

Patres Concilii Ephesini damnatis Nestorii scriptis in Synodica Epistola, ita ad Theodosium scribunt: *Vestram autem majestatem iterum atque iterum rogatam cupimus, ut universam illam doctrinam e Sanctis Ecclesiis submoveri, ejusdemque libros, ubique locorum repertos jubeat flammis absumi*. Similem sententiam tulere Chalcedonenses Patres in scripta Eutychetis, quæ ex edicto Imperatorum fuere deinceps combusta. Hac via antiqui illi Patres auxilium eisdem præbentibus Imperatoribus, e Fidelium manibus hæreticorum libros præripere studuerunt. Imo piissimi Principes, ut promptiores essent ministri ad libros, quos Ecclesia Religioni inimicos declarasset, abolendos, leges quoque statuere, quibus hæreticorum libros comburi præcipiebatur. Id vero, non ut potestatem, quam non haberet Ecclesia, supplerent, ut falso scripsit Petrus Giannoni, sed ut necessarium ei præberent auxilium per pœnas temporarias ad facilius hujusmodi pestem extirpandam. Nam cum primum potuit libere Ecclesia horum librorum combustionem decernere, atque executioni mandare, id propria auctoritate fecisse constat. Sanctus enim Leo Magnus anno 443. propria auctoritate & sententia Manichæorum libros Romæ combussit. Et Epistola 93. quæ est ad Turibium Asturicensem Episcopum: *Apocryphæ*, inquit, *scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent Seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ, atque ignibus concremandæ*. Et infra, *Si quis Episcoporum, vel Apocrypha per domos non prohibuerit, vel sub Canonicorum nomine eos Codices in Ecclesiis permiserit legi, qui Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se noverit judicandum*. Symmachus quoque, & Hormisda Manichæorum libros combusserunt. Concilium Nicænum secundum *act.* 5. libros hæreticorum damnavit, comburique jussit. Nicolaus I. in respons. ad Consul. Bulgarorum noxios, blasphemosque Saracenorum libros igni tradendos, constituit. Nicolaus II. anno 1059. idem in Concilio Romano de Berengarii libris decrevit. Et, ut alia mittam, Concilium Romanum, & Constantiense igni tradidere Joannis Huss, atque Wiclephi libros. Atque hinc patet, Patres, ac Supremos Pontifices Apostolos imitatos, usque ad quintidecimi sæculi initium hæreticorum librorum combustione, malis occurrere consuevisse, quæ ex hujusmodi librorum lectione in Ecclesia oriri potuissent. Hæc præcipua Pastorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuit, atque hac unica via tot Hæreticorum libros perdere potuerunt. Mirum itaque non est, si Antiquæ Ecclesiæ nullus proscriptorum librorum Cathalogus occurrat; nam index ille librorum Apocryphorum a Gelasio Papa in Romana Synodo propositus, inquit Cl. P. Catalani, *nequaquam dici potest Index librorum prohibitorum juxta usitatam modernam phrasim, Index exhibens libros tam privatim, quam publice legi prohibitos*, cum scopus illius decreti esset libros proponere, qui *in Ecclesiasticis per anni circulum*, a nonnullis legantur *pro Fidelium ædificatione*. At inde injuria colligas, nunquam in Ecclesia privatam librorum lectionem fuisse prohibitam. Nam id vetitum fuisse constat ex supra *cit. Constit. Apostolicar. lib.* ex Sancti Leonis verbis, ex Conciliis omnibus generalibus, in quibus damnati fuere Hæreticorum libri, *ex canone* 16. *Conc. IV. Carthag.*, quo statuitur, ne *Episcopus Gentilium libros legat*; Hæreticorum *autem pro necessitate, ac tempore*, atque ex eo, quod Sanctus Epiphanius ann. 401. in Synodo Cypri librorum Origenis lectionem prohibuerit. Hæc sane ostendunt, privatam quoque librorum lectionem interdici consuevisse. Nec desunt gravissimi Theologi, qui Gelasianum quoque decretum ad privatæ quoque lectionis prohibitionem extendant librorum, qui Apocryphi declarantur; cum scripta eorum in illo catalogo se consignare voluisse declaraverit, *quæ a Catholicis vitanda sint*. Hactenus de disciplina, qua universa usa est Ecclesia in eripiendis, e Fidelium manibus Hæreticorum libri, noxiisque scriptis.

§. II.

De stabilita per Apostolicam Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum post inventam artem typographicam, ac post ortas Lutheri, Calvinique hæreses.

SUperiori in capite ostendimus, qua via Ecclesiæ Pastores e Fidelium manibus impiorum librorum eripuerint, cum nondum arstypographica inventa esset. Quanta vero eorum, ac præsertim Romanorum Pontificum cura fuerit, quantum Principum in Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis decreta obsequium, vel ex eo intelliges, quod ne vel unus quidem anti quorum hæreticorum liber supersit. At inventa arte typographica, ortis Lutheri, & Calvini hæresibus, atque divisa malis hæreticorum artibus in varia schismata Europa, alia rarione occurrendum fuit malis, quæ ex pravorum librorum lectione orirentur. Viguit etiam deinceps, & ipse Leo Decimus omnes lutheri libros sub gravissimis pœnis comburi jussit, ac etiam nunc viget usus comburendi per manus Carnificis certum librorum genus. At etsi id satis est ad conciliandum iniquis Auctoribus infamiam, & ad ostendendam Ecclesiæ voluntatem, quæ illos abolitos vellet: ac publicam præsefert execrationem, qua homines ad horrendum illius libri lectionem incitantur; tamen sufficiens non est ad omnia prorsus perdenda typis evulgata, & dissitis in multorum manus delata exemplaria. Quamobrem nova, atque aptiori disciplina Fideles ab horum librorum lectione deterrere oportuit.

Cæpit ars typographica circa annum 1460. Initio autem, cum omnes imprimendis selectioribus antiquorum scriptis intenti

tenti essent, commoda hujus novæ artis homines experiebantur, ac laudabant; quæ vero mala inde oritura essent, nec præsentiebant, nec suspicabantur. Sed postquam initio sextidecimi sæculi, ob nimiam in antiquis Theologis, Patribusque carpendis, atque sacris Scripturis interpretandis, libertatem, & ob novas Lutheri, Calvinique hæreses, plures noxii libri ederentur, inter quos nonnulli, mentito quoque nomine, hæretico fermento conspersi essent, nova Apostolicæ Sedis œconomia, majorque cura, & sollicitudo enituit. Nam Leo X. combustis nonnullis lutheri scriptis, interdictisque sub anathematis pœna illius operibus, in Concilio lateranensi anno 1515. *sessione* 10. vetuit, ne deinceps imprimerentur libri, nisi prius in Urbe, ab ipsius Vicario, & Magistro Sacri Palatii, aut a Personis ab ipso deputatis, examinati essent, in aliis locis vero ab Episcopo, vel ab ejus deputato, aut ab Inquisitore hæreticæ pravitatis ejus Civitatis, & Diœcesis, in qua impressio fieret. In transgressores vero, præter excommunicationem, suspensionem ab exercitio artis, amissionem librorum, aliasque pœnas arbitrio Ordinarii infligendas constituit. Deinde etiam Julius III. cavit, ne cui liceret, libros lutheranorum, aliorumque hæreticorum legere, aut habere apud se, idque sub pœnis spiritualibus, & temporariis, quæ in hæreticos latæ essent.

Sed cum plures quotidie prodirent hæretica labe conspersi libri, qui mentito plerumque Auctoris nomine, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos a Catholicorum libris secernere, ac simplices illorum lectione decipere, ac seducere possent, communi Orthodoxorum voto Catalogus, sive Index librorum, quorum lectio perniciosa foret, optabatur. Hinc etiam Carolus V. Facultati lovaniensi jussit, ut librorum, qui hæretici, vel hæreseos suspecti essent, cathalogum texeret, qui auctoritate ipsius Caroli V. anno 1546. vulgatus fuit. Cum vero assidue novi hæreticorum libri prodirent, fusioremque quoque edidit eadem sacra Facultas, quem addito speciali edicto Imperator publicari mandavit anno 1556.

Sed cum istiusmodi Indices summæ auctoritatis non essent, quæ omnes ubique Fideles obligaret, ac libri etiam, qui ab hæreticis Italica lingua editi essent, desiderarentur, Paulus IV. P. M. anno 1557. iis, qui sacræ Inquisitioni contra hæreticam pravitatem præsunt, mandavit, ut Indicem conficerent, confectumque eodem anno vulgavit. In quo etsi nullum extat decretum, *ita tamen a tergo faciei libri legitur*, inquit Catalanus *de Secret. Sac. Congreg. Indicis cap. IV. Index Alphabetico ordine distinctus est &c.* Edidit præterea idem Pontifex alium Indicem anno 1558. die 30. Decembris, quem initio anni 1559. vulgavit, latis censuris contra legentes, & tenentes libros prohibitos in Bulla Coenæ expressis, additis etiam aliis gravissimis pœnis. Pius autem IV. Pauli successor rigorem temperans totum illud Indicis librorum negotium ad Concilium Tridentinum detulit.

Quid vero deinceps actum fuerit paucis innuit Clemens VIII. in Const., cujus initium est *Sacrosanctum*, in qua ait: *Sed cum nostris hisce calamitosis temporibus antiquus humani generis hostis a sua malitia nunquam recedens, ad eamdem catholicam doctrinam labefactandam, pestiferas hæreses, & detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex inferis excitasset, Sacra Tridentina Synodus pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio excreverat coercere, aut auferre cupiens, primum quidem doctissimos aliquos viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent, & deliberarent: deinde vero cum ii in negotio illo parum profecisse essent, justis de causis eadem Synodus permota, ad ipsam Sedem Apostolicam, integram rem deferendam statuit*. Quid vero Romanus Pontifex egerit, iis verbis declarat: *Itaque fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, Prælatis quibusdam doctrina, & prudentia præstantibus adhibitis, Indicem librorum prohibitorum, & Regulas quasdam per suas Litteras informa Brevis promulgavit, & ejusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit*. Litteræ autem Pii IV. initium habent, *Dominici Gregis &c.* Clemens vero VIII. hac eadem Constitutione eundem Indicem, postea a Sixto V. auctum, Apostolica Auctoritate recognitum publicavit, *instructione adjecta de exequendo prohibitionis Decreto, deque sincere emendandi, & imprimendi Libros rationes*. Hujus Indicis confectionem commiserat Gregorius XIII. Sacræ Indicis Congregationi a S. Pio V. institutæ; Index vero auctus fuit sub Sixto V. ac ablolutus sub Clemente VIII.

Itaque Apostolicæ Sedis cura librorum improbatæ lectionis Indices plures prodiere, ac novis concurrentibus libris, iterum aucti in lucem mittuntur. Præter Congregationem supremæ Inquisitionis, aliam quoque Cardinalium Congregationem, quæ *Indicis appellatur, instituit San* Pius V., eamque novis facultatibus auxit Sixtus V.; noviscque privilegiis roboravit Clemens VIII. in supra citata Constitutione.

Hæc autem indicavi, ut inde omnes agnoscant, quæ fuerit, quæque nunc sit Romanæ Sedis pro impedienda noxiorum librorum lectione, sollicitudo; quantumque ejusdem hac de re Decretis debeatur obsequium. Ecclesiæ enim, unice munus est demonstrare Fidelibus, quinam sint noxii libri, quorum lectio homines seducere, ac depravare possit. Ubi vero nisi in Romana, ac Petri Sede id fieri potest? Quis non videat, Divina ei providentia concessum esse, ut in statum illum devenerit, in quo hac nostra ætate, & undique conquirere libros, & doctos cujusque facultatis Censores; & tanto dignitatis, & auctoritatis Judices, quantæ sunt Cardinales, habere possit? Si non aliam auctoritatem haberet, quam ab Ecclesia in Tridentina synodo congregata eidem collatam; an non omnes ejusdem Decretis obtemperare deberent? At eam habet, quam Christus Petro, supra quem Ecclesiam suam fundavit, contulit; quam Petrus ipse, eorumque Successores in universam Ecclesiam semper exercuere, quam denique agnovere semper Ecclesiæ omnes, veluti Fontem totius Sacerdotalis jurisdictionis, veluti Centrum unitatis, ac veluti Matrem, & Magistram omnium Ecclesiarum.

Sed videamus, quas regulas pro dijudicandis, vetandisque libris stabilierit, & qua ratione ad eosdem proscribendos procedat. Libri, qui in hujusmodi catalogum referri debent, inquit Pius IV. *Const. incipien. Dominici Gregis*, ii sunt, *qui vel Hæretici sunt, vel de hæretica pravitate suspecti, vel certe moribus, & pietati nocent*. Hæc sane præcipua, ac generalis regula est, atque ad hanc facile revocantur prohibitiones etiam librorum in odium Auctorum, eorumque, qui, ob non servatas in editione præscriptas ab Ecclesia regulas, vetantur; ut rem serio expendenti liquet. Quis vero non videat, Pastorum munus esse, hos ex illorum manibus, quorum animarum rationem sint Deo reddituri, præripere libros? Quæ autem methodus sit, quam Apostolica Sedes in iis examinandis, proscribendisque libris, servet, habes ex Const. fel. record. Benedicti PP. XIV. quam integram recensemus.

Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIV. Constitutio qua methodus præscribitur in examine, & proscriptione Librorum servanda.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

SOllicita ac provida Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christifideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti, ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus, ac doctrinis, quæ vel morum integritati, vel Catholicæ religionis dogmatibus adversantur. Nam, ut vetustissimum mittamus Sancti Gelasii I. Decretum, quæque jampridem a Gregorio IX., aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt; ignorare neminem arbitramur, quæ fuerint a prædecessoribus nostris Pio IV., Sancto Pio V., & Clemente VIII. diligentissime præstita, ut saluberrimum opus a sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitæ lectionis librorum Indice conficiendo, atque vulgando, non absolverent solum, atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis, ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget, ac promovet, ad id deputatis duabus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos, noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, & quibus pro-

scriptio debeatur ; Id muneris Congregationi quidem Romanæ universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus judicandum occurrit. Certum est autem, Sanctum Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII., Sixtus V., & Clemens VIII. confirmarunt, variisque privilegiis, & facultatibus auxerunt: ejusque proprium, ac fere unicum officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione, vel permissione capienda est deliberatio.

§. I. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione universalis Inquisitionis de proscribendis, vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus, & Consultoris ejusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus; postremo inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo Censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere, ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quæ singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias, atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire, & excipere consuevimus. Haud minoris diligentiæ testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione, decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi Censoris, seu relatoris officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem supremum Pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito Congregationis Secretario, qui libri materiem, revisorum censuras, Cardinalium judicia, & suffragia accurate nobis exponeret.

§. II. Sed quoniam compertum est nobis, atque exploratum, multas librorum proscriptiones præsertim quorumdam auctores Catholici sunt, publicis aliquando, injustisque querelis in reprehensionem adduci, tanquam si temere, ac perfunctorie in Tribunalibus nostris ea res ageretur; operæ pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, certas, firmasque regulas proponere, juxta quas deinceps librorum examen, judiciumque peragatur; tametsi plane affirmari possit, idipsum jam pridem, vel eadem prorsus ratione, vel alia æqui pollenti, constanter actum fuisse.

§. III. Porro Romanæ universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii sacræ Theologiæ, alii Canonici Iuris doctrina, alii Ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanæ Curiæ exercitatione, prudentiæ demum, ac probitatis laude, conspicui habentur. His adjungitur unus ex Romanæ Curiæ Præsulibus, quem Assessorem vocant; unus etiam ex ordine Prædicatorum sacræ Theologiæ Magister, quem Commissarium appellant; certus præterea Consultorum numerus, qui ex utroque Clero sæculari, ac regulari assumuntur; alii demum præstantes doctrina viri, qui a Congregatione jussi, de libris censuram instaurant, iisque Qualificatorum nomen tributum est. De variis in præfata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei, ac de personis violatæ religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tanquam proscriptione dignum, deferri contigerit; nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, judicandum remittat, sed pro rerum, temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur; Nos, inhærentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta Kalendis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione, & methodo judicium institui mandamus.

§. IV. Primo nimirum uni ex Qualificatoribus, aut Consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis indicatis, & paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in ædibus sancti Officii, de libro, & censura sententiam dicant: ipsa deinde censura, cum libro, & Consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittatur, ut hi in Congregatione, quæ feria quarta haberi solet infratrum Prædicatorum Coenobio sanctæ Mariæ supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post ab Assessore sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.

§. V. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctor is Catholici liber, non unius tantum relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut si primus censor librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eandem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem Congregatione electo liber, & censura tradantur, suppresso primi censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de libro decernant; at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, cui suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Hujus autem relatio, si a priore Consultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit decernant; sin minus, iterum Consultores, perspecta tertia censura suffragium ferant; idque una cum omnibus præfatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id auctoris merito, aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri judicium coram se ipso in Congregatione feriæ quintæ habendum decreverit; quod sæpe a nobis factum fuit, & quoties ita expedire judicabimus, in posterum quoque fiet; tunc satis fuerit exhibere Pontifici, & Cardinalibus libri censuras, & Consultorum suffragia, omisso examine Congregationis feriæ quartæ, ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifici faciendam diximus; nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem Congregatione capiendo, res absolvetur.

§. VI. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus præditos, quibus sancti Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus ejusdem Congregationis Præfectus existit; Assistens vero perpetuus est Magister sacri Palatii; Secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in præsentem diem, ex ordine Fratrum Prædicatorum a Summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt præterea ex utroque Clero sæculari, & regulari ejusdem Congregationis Consultores, & Relatores selecti; & quidem, ubi aliquis librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio laudabiliter peregerit, tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut ejus auctoritate in Consultorum numerum referatur.

§. VII. Sub ipsa Pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam, & immutabilem methodum pro examine, Judicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Quirini nuncupati, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, & dictæ Congregationis Præfecti, qui pari prudentia, & doctrina suum nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquos ejusdem Congregationis Consultores coram dilecto filio Josepho Augustino Orsi Ordinis Prædicatorum, tunc ipsius Congregationis Secretario, nunc autem Palatii Apostolici Magistro, convenire jussimus, suamque sententiam aperire, quæ pariter scripto concepta, nobis jam nunc exhibita fuit. Cumque hæc omnia diligenter apud nos asservata fuerint, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quæ ad librorum examen, atque judicium in primodicta Congregatione sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam ea, quæ ad Congregationem Indicis, & ejusdem generis negotia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, prælaudati Cardinalis Præfecti consilii, dictorumque Consultorum votis inhærendo, hæc deinceps servanda decernimus.

§. VIII. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera sancti Officii Congregatio, quæ ob causarum, & negotiorum multitudinem singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius proptera Secretario peculiare munus, & officium recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam ante consuevit, committimus, & demandamus. Is autem a libri delatore percunctabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet, tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositæ accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis Consultoribus, ab ipso, prævia summi Pontificis, aut Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti vices supplet, approbatione eligendis: quorum collato consilio, si liber censura, & nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eadem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam Consultorum Congregationem, quam olim *Parvam* dixerunt, nos autem *Præparatoriam* vocabimus, ut Relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere judicium fiat. Hujusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra prædicti Coenobii ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, & materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, & de relatore constitutum est, a Secretario eligendis; præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione sancti Officii circa librorum examen. Ac quemadmodum ad Assessorem sancti Officii pertinent de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

§. IX. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adjungenda judicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quæ tamen ab altera etiam Congregatione sancti Officii, dum in hujus quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiæ se offerant, æque observanda erunt. Quotiescumque agatur de libro auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, & clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, & hunc quidem proscribi oporteat; præoculis habetur usu jamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adjecta clausula: *donec corrigatur, seu donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quominus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta, non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea eum auctore, vel quovis altero pro eo agente, & rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumve fuerit indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, ejusve procurator, Congregationis jussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, ac mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primæ editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundæ vero jam emendatæ permissa.

§. X. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum judicia, & proscriptiones, inauditis auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso; Huic autem querelæ responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in judicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo Fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod ex nocua librorum lectione facile incurritur; si qua vero ignominiæ labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe, sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus hujusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus, factas; quum præsertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinæ suæ defensione potuisset auctor afferre, id minime a censoribus, atque judicibus ignoratum, neglectum ve fuisse. Nihilo tamen minus, quod sæpe alias summa æquitatis, & prudentiæ ratione ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut quando res sit de auctore Catholico, aliqua nominis, & meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodire, & prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui ex *Officio* operis patrocinium, defensionemque suscipiat.

§. XI. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione sancti Officii agebamus, eidem nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur: quod erit nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur; sic & Indicis Congregationi præsentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel hæretici hominis liber denunciatur, in quo auctor errores Catholico dogmati adversantes consulto tradit, aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectæ morum regulæ labefactantur, ac vitiis, & corruptelis fomenta præbentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed hæretico dogmate, vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico sanciendum erit, juxta primam, secundam, & septimam Indicis Regulas, sacro sancti Tridentini Concilii jussu editas, atque vulgatas.

§. XII. Cum in prælaudata Congregatione sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus ejusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur: nos hanc eamdem silentii legem a relatoribus, Consultoribus, & Cardinalibus Congregationibus Indicis religiose custodiendam præcipimus. Illius tamen Secretario potestatem facimus ut animadversiones in foros censuræ subjectos, eorum auctoribus, vel aliis illorum nomine agentibus, & postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat, suppressis semper denunciatoris, censorisque nominibus.

§. XIII. Examinandis, corrigendisque libris peropportuna sunt, quæ decem Regulis Indicis a Patribus Tridentinæ Synodi confectis, atque editis continentur. In Instructione autem felicis recordationis Clementis Papæ VIII. eisdem Regulis adjecta, *Tit. de correctione librorum §. V.*, Episcopis, & Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum recognitionem examen *spectatæ pietatis, & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos, nihil odio, sed omni humano affectu postposito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, & fidelis populi utilitatem*. His porro virtutibus, animique dotibus, si non majori, at pari certe de causa, præstare oportet hujus nostræ Congregationis Revisores, & Consultores. Cumque eos omnes, qui nunc hujusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus; optandum, sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitæ integros, probatæ doctrinæ, maturo judicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui æquitatem, libertatemque judicandi, cum prudentia, & veritatis zelo conjungant. Cum autem eorum numerus nunc certus, & constitutus non sit; ab ejusdem Congregationis Cardinalibus consilium ex pectabimus, atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat, vel expediat: hoc tamen jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam Relatores, quam Consultores, ex utroque Clero, sæculari nempe, & regulari, assumantur, alii quidem Theologi, alii utriusque juris periti, alii sacra, & prophana eruditione præstantes, ut ex eorum coetu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de iis judicium.

§. XIV. Ipſos autem Relatores, Conſultoreſque, tam nunc exiſtentes, quam in poſterum quandocumque futuros, monemus, ac vehementer hortamur; ut in examine, judicioque librorum, ſequentes Regulas diligenter inſpiciant, accurateque cuſtodiant.

§. XV. I. Meminerint, non id ſibi muneris, onerisque impoſitum, ut libri ad examinandum ſibi traditi proſcriptionem modis omnibus curent, atque urgeant; ſed ut diligenti ſtudio, ac ſedato animo ipſum expendentes, fideles obſervationes ſuas, veraſque rationes Congregationi ſuppeditent, ex quibus rectum judicium de illo ferre, ejuſque proſcriptionem, emendationem, aut dimiſſionem pro merito decernere valeat.

§. XVI. II. Tametſi hactenus cautum ſit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum, & conſulendum in prædicta Congregatione, ii ſolum admittantur, qui ſcientiam rerum, quas libri delati reſpective continent, diuturno ſtudio acquiſitam poſſideant; decet enim de artibus ſolos artifices judicare; nihilominus ſi forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua diſcutienda committatur ab illius peculiaribus ſtudiis aliena, idque a Cenſore, aut Conſultore electo, ex ipſa libri lectione deprehendatur; noverit is, ſe neque apud Deum, neque apud homines culpa vacaturum, niſi quamprimum id Congregationi, aut Secretario aperiat, ſeque ad ferendam de hujuſmodi libro cenſuram minus aptum profeſſus, alium magis idoneum ad id muneris ſubrogari curet: quo tantum abeſt, ut exiſtimationis ſuæ diſpendium apud Pontificem, & Cardinales paſſurus ſit, ut magnam potius probitatis, & candoris opinionem, & laudem ſibi ſit conciliaturus.

§. XVII. III. De variis opinionibus, atque ſententiis in unoquoque libro contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judicandum ſibi eſſe ſciant. Itaque nationis familiæ, ſcholæ, inſtituti affectum excutiant; ſtudia partium ſuponant; Eccleſiæ ſanctæ dogmata, & communem Catholicorum doctrinam; quæ Conciliorum generalium decretis; Romanorum Pontificum Conſtitutionibus, & Orthodoxorum Patrum, atque Doctorum conſenſu continetur, unice præ oculis habeant; hoc de cætero cogitantes, non paucas eſſe opiniones, quæ uni ſcholæ, inſtituto, aut nationi certo certiores videntur, & nihilominus, ſine ullo fidei, aut religionis detrimento, ab aliis Catholicis viris rejiciuntur. atque impugnantur, oppoſitæque defenduntur, ſciente, ac permittente Apoſtolica Sede, quæ unamquamque opinionem, hujuſmodi in ſuo probabilitatis gradu relinquit.

§. XVIII. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum judicium de vero auctoris ſenſu fieri poſſe, niſi omni ex parte illius liber legatur; quæque diverſis in locis poſita, & collocata ſunt, inter ſe comparentur; univerſum præterea auctoris conſilium, & inſtitutum attente dilpiciatur; neque vero ex una, vel altera propoſitione a ſuo contextu divulſa, vel ſeorſim ab aliis; quæ in eodem libro continentur, conſiderata, & expenſa, de eo pronunciandum eſſe: ſæpe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie, aut ſubobſcure traditum eſt, ita alio in loco diſtincte, copioſe, ac diluci de explicetur, ut offuſæ priori ſententiæ tenebræ, quibus involuta pravi ſenſus ſpeciem exhibebat, penitus diſpellantur, omniſque labis expers propoſitio dignoſcatur.

§. XIX. V. Quod ſi ambigua quædam exciderint auctori, qui alioquin Catholicus ſit, & integra religionis, doctrinæque fama, æquitas ipſa poſtulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, expliçata, in bonam partem accipiantur.

§. XX. Has porro, ſimileſque regulas, quæ apud optimos Scriptores de his agentes facile occurrent, ſemper animo propoſitas habeant Cenſores & Conſultores; quo valeant in hoc graviſſimo judicii genere, conſcientiæ ſuæ, auctorum famæ, Eccleſiæ bono, & Fidelium utilitati conſulere. Duo autem reliqua ſunt in eum finem plane opportuna, quæ hoc loco adjungenda omnino eſſe judicamus.

§. XXI. Proderunt aliquando libri, in quibus falſa, & reprobata dogmata, aut ſyſtemata, religioni, vel moribus exitiola, tamquam aliorum inventa, & cogitata, exponuntur, & referuntur, abſque eo quod auctor, qui opus ſuum pravis hujuſmodi mercibus onerare fategit, ea refutandi curam in ſe recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli ſeſe reprehenſioni, aut cenſuræ obnoxios eſſe, propterea quod de alienis, ut ajunt, opinionibus nihil ipſi affirment, ſed hiſtorice agant. At quidquid ſit de eorum animo, & conſilio, deque perſonali in eos animadverſione, de qua viderint, qui in Tribunalibus ad coerçenda crimina inſtitutis jus dicunt; dubitari certe non poteſt, magnam ejuſmodi libris in Chriſtianam rempublicam labem, ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena prop nent, nullo exhibito, parato, quo præſerventur, antidoto. Subtiliſſimum hoc humanæ malitiæ inventum, ac novum ſeductionis genus, quo ſimplicium mentes facile implicantur, quam diligentiſſime Reviſores advertant, ac cenſuræ ſubjiciant; ut, vel hujuſmodi libri, ſi aliqua ex ipſis capi poſſit utilitas, emendentur; vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

§. XXII. In ea, quam ſuperius laudavimus, prædeceſſoris noſtri Clementis Papæ VIII. Inſtructione, *Tit. de correct. lib.* §. 2. ſapientiſſime cautum legitur, ut *quæ famæ proximorum, & præſertim Eccleſiaſticorum, & Principum, detrahunt, boniſque moribus, & Chriſtianæ diſciplinæ ſunt contraria, expugnantur*. Et paulo poſt: *facetiæ etiam, aut dicteria, in perniciem, aut præjudicium famæ, & exiſtimationis aliorum jactare, repudientur*. Utinam vero in aſpectum, lucemque hominum libri ejuſmodi in hac temporum licentia, & pravitate non efferrentur, in quibus diſſidentes auctores mutuis ſe jurgiis, conviciiſque proſcindunt; aliorum opiniones nondum ab Eccleſia damnatas cenſura peritringunt, adverſarios, eorumque ſcholas, ac cœtus ſugillant; & pro ridiculis ducunt, magno quidem bonorum ſcandalo, hæreticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter ſe Catholicis, ſeque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etſi vero fieri non poſſe intelligamus, ut diſputationes omnes e mundo tollantur, præſertim cum librorum numerus continenter augeatur: *faciendi enim plures libros nullus eſt finis*, ut eſt apud Eccleſiaſten *cap.* 12.; compertum præterea nobis ſit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi poſſe; modum tamen in defendendis opinionibus, & Chriſtianam in ſcribendo moderationem ſervari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Auguſtinus in Enchirid. cap. 59. prope finem) *exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium ſe ſcire quod neſciunt*. Qui veritatis ſtudium, & purioris doctrinæ zelum, quo ſuarum ſcriptionum mordacitatem excuſent, obtendere ſolent, is primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam Evangelicæ manſuetudinis, & Chriſtianæ charitatis rationem. Charitas autem de corde puro, patiens eſt, benigna eſt, non irritatur, non æmulatur, non agit perperam, (utque addit idem Auguſtinus, Lib. contra Litteras Petiliani cap. 29. n. 31.) *ſine ſuperbia de veritate præſumit, ſine ſævitia pro veritate certat*. Hæc magnus ille non veritatis minus, quam charitatis doctor, & ſcripto, & opere præmonſtravit. Nam in ſuis adverſus Manichæos, Pelagianos, Donatiſtas, alioſque tam ſibi, quam Eccleſiæ adverſantes, aſſiduis conflictationibus, id ſemper diligentiſſime cavit, ne quempiam eorum injuriis, aut conviciis læderet, atque exaſperaret. Qui ſecus ſcribendo, vel diſputando fecerit, is profecto nec veritatem ſibi præcipue cordi eſſe, nec charitatem ſectari ſe oſtendit.

§. XXIII. Ii quoque non ſatis idoneam, juſtamque excuſationem afferre videntur, qui ob ſingulare, quod profitentur, erga veteres Doctores ſtudium, eam ſibi ſcribendi rationem licere arbitrantur; nam ſi carpere novos audeant, forte ab lædendis veteribus ſibi minime temperaſſent, ſi in eorum tempora incidiſſent: quod præclare animadverſum eſt ab Auctore Operis imperfecti in Matthæum Homil. 42. *Cum audieris*, inquit, *aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba, qualis ſit circa ſuos Doctores: Si enim illos, cum quibus vivit, juſtinet, & honorat, ſine dubio illos, ſi cum illis vixiſſet, honoraſſet: ſi autem ſuos contemnit, ſi cum illis vixiſſet, & illos contempſiſſet*. Quamobrem firmum ratumque ſit omnibus, qui adverſus aliorum ſententias ſcribunt, ac diſputant, id quod graviter, ac ſapienter a Ven. ſervo Dei prædeceſſore noſtro Innocentio Papa XI. præſcriptum eſt in Decreto edito die ſecunda Martii anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi noni: *Tandem*, inquit, *ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici aut alii quicumque in poſterum abſtineant, ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, ac prædicationibus, caveant ab omni cenſura, & nota, necnon a quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos controvertuntur, donec a ſancta Sede recognitæ*

ſint, & ſuper eis judicium proferatur. Cohibeatur itaque ea ſcriptorum licentia, quis ut ajebat Auguſtinus lib. 12. Confeſſ. cap. 25. num. 34. *ſententiam ſuam amantes, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt*, aliorum opiniones non modo improbant, ſed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas ſententias, veluti certa ac definita Eccleſiæ dogmata, a quopiam in libris obtrudi, oppoſitas vero erroris inſimulari; quo turbæ in Eccleſia excitantur, diſſidia inter Doctores aut ſeruntur, aut foventur, & Chriſtianæ charitatis vincula perſæpe abrumpuntur.

§. XXIV. Angelicus ſcholarum princeps, Eccleſiæque Doctor S. Thomas Aquinas, dum tot conſcripſit nunquam ſatis laudata volumina, varias neceſſario offendit Philoſophorum; Theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Cæteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adverſariorum neminem parvi pendere, vellicare, aut traducere vilus ſit, ſed omnes officioſe, ac perhumaniter demereri; nam ſi quid durius, ambiguum, obſcurumve eorum dictis ſubeſſet, id leniter, & benigne interpretando, emolliebat, atque explicabat. Si autem religionis, ac fidei cauſa poſtulabat, ut eorum ſententiam exploderet, ac refutaret, tanta id præſtabat modeſtia, ut non minorem ab iis diſſentiendo, quam Catholicam veritatem aſſerendo, laudem mereretur, Qui tam eximio uti ſolent, ac gloriari Magiſtro (quos magno numero eſſe, pro ſingulari noſtro erga ipſum cultu, ſtudioque, gaudemus) ii ſibi ad æmulandum proponant tanti Doctoris in ſcribendo moderationem, honeſtiſſimamque cum adverſariis agendi, diſputandique rationem. Ad hanc cæteri quoque ſeſe componere ſtudeant, qui ab ejus ſchola, doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Eccleſia propoſitæ ſunt. Cumque Angelicus Doctor Sanctorum albo adſcriptus ſit, quamquam diverſa ab eo ſentire liceat, ei tamen contrariam in agendo, ac diſputando rationem inire omnino non licet. Nimium intereſt publicæ tranquillitatis, proximorum ſcriptis abſit livor, acerbitas, atque ſcurrilitas, a Chriſtiana inſtitutione, ac diſciplina, & ab omni honeſtate prorſus aliena. Quamobrem in hujusmodi ſcriptorum licentiam graviter pro munere ſuo cenſuram intendat revilores librorum, eamque Congregationis Cardinalibus cognoſcendam ſubjiciant, ut eam pro zelo ſuo, & poteſtate coerceant.

§. XXV. Quæ hactenus a nobis propoſita, ac conſtituta ſunt, prædeceſſorum noſtrorum decretis plane conſona, Congregationum quoque noſtrarum legibus, & conſuetudinibus comprobata, in librorum examine, ac judicio inſtituendo, Apoſtolica auctoritate deinceps ſervari decernimus: mandantes univerſis, & ſingulis, qui in præfatis Congregationibus locum obtinent, ſeu illis quomodolibet operam ſuam præſtant, ut adversus præmiſſa ſic a nobis ſtatuta nihil edicere, innovare, decernere, aut intentare presumant, absque noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum pro tempore exiſtentium, Romanorum Pontificum expreſſa facultate.

§. XXVI. Non obſtantibus contrariis quibusvis, etiam Apoſtolicis Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon earundem Congregationum, etiam Apoſtolica auctoritate, ſeu quavis firmitate alia roboratis decretis, uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

§. XXVI. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrorum decretorum, mandatorum, ſtatutorum, voluntatum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo tertio, ſeptimo Idus Julii, Pontificatus Noſtri Anno Tertiodecimo.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

Viſa de Curia
J. C. Boſchi.

Loco ✠ Plumbi

J. B. Eugenius.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

§. III.

De auctoritate decretorum libros vetantium, de poenis in eos latis, qui hujuſmodi libros legant, retineant &c.

IN primo Capite oſtendimus, antequam inventa eſſet ars typographica, Eccleſiæ curam univerſim fuiſſe, ut ſigne perderet Hæreticorum, aliosque Religioni, ac pietati inimicos libros, vocato multoties in ſubſidium brachio ſeculari, & Eccleſiaſticis quandoque cenſuris adhibitis, ut hujusmodi libros detegeret, ut excitaret Epiſcopos ad eorumdem inquiſitionem, Fidelesque ad eos Epiſcopis deferendos, ut comburerentur. Id autem non ita intelligant, veſim, quaſi illorum lectio vetita non eſſet, ſed ſola librorum combuſtio decerneretur. Nam regula generalis erat, ut ex S. Gregorio Magno *lib. 7. cap. 48.* colligitur, *damnato Auctore damnari ejus ſcripturas, & libros, & opera*, in quibus errores eſſent, quarum causa damnaretur. Quæ vero damnatio fuiſſet operum, ſi retineri, ac legi potuiſſent? Imo dum ſub anathematis poena Auctores damnati eſſent, eis dem poenis ſubjectos fuiſſe, arbitror, tenentes, legentesque eorum libros. Præsertim cum errorum fautores habeentur, quorum apud ſe haberent, ac legerent libros. In altero autem Capite oſtendimus, poſt illius artis inventionem, & poſtquam tot hæreses in ſchismata divisere Chriſtianos, conſuevisſe utique nonnullos libros juxta antiquam consuetudinem comburi, ut fieri non potuiſſe, ut hac via e Fidelium manibus omnino præriperentur; quamobrem nova opus fuiſſe diſciplina, quam quidem ſingulari Apoſtolicæ Sedis cura ſtabilitam, ac absolutam fuiſſe demonſtravimus. In hoc itaque primum de poenis, in hac disciplina conſtitutis, deque obligatione agemus, quæ ex decretis libros vetantibus, oritur.

Primum itaque Lex in Concilio Lateranenſi sub Leone X. lata, inculcata in Concilio Tridentino, atque in Indice renovata, contra Typographos, qui libros evulgent, qui prius ab illis non ſint approbati, quibus hoc munus commiſſum eſt, poenam conſtituit contra illius violatores, *amiſſionis omnium librorum, eorumque publicæ combuſtionis, ac centum ducatorum*. Item *excommunicationis*, & integri anni *ſuſpenſionis* ab officio, & exercitio Typographico, præter poenas arbitrio Epiſcoporum contumacibus infligendas.

Deinde in legentes, tenentes; ac imprimentes libros prohibitos variæ conſtitutæ ſunt pœnæ, pro varietate librorum; nonnulli enim ſub *excommunicatione* vetantur, quæ *Bullæ Cœnæ* continetur, quæque eſt Romano Pontifici reſervata. Alii vero ſub pœna excommunicationis, quæ in Regulis Indicis exprimitur, prohibiti ſunt, quæ tamen excommunicatio nulli reſervatur. Alii Brevibus ſeu Bullis Romanorum Pontificum ſingulariter proſcripti fuere, atque ita prohibiti in novo Indice indicantur. Ii vero fere omnes, etſi ab Auctoribus Catholicis conſcripti ſunt, & eo profeſſo de hæreſi non tractant, tamen ſub excommunicationis pœna Romano Pontifici reſervatæ prohibentur, ut conſulenti Brevia, Bullaſque Pontificias liquebit. Alii denique ſub pœna tantum peccati mortalis, aliiſque pœnis arbitrio Epiſcopi contumacibus infligendis. Ne vero Lectores cum P. Concina *Tom. 1. Theol. Chriſt. lib. 1. diſp. 2. pag. 221.* putent, etiam libros omnes Catholicos, quacumque ex cauſa prohibitos, vetari ſub peccato mortali, & excommunicatione non reſervata, placet hic in medium proferre verba Conſt. Pii Papæ IV. incip. *Dominici Gregis*: *Si quis*, inquit, *adverſus eas Regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cujuſvis auctoris ſcripta propter hæreſim, aut falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum tamquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat: præter alias poenas ſuper hoc ab Apoſtolica Sede, ſacriſque Canonibus conſtitutas. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritque, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſevere ſe noverit puniendum.*

In excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt legentes, vel retinentes quoſcumque libros Lutheri, Calvini, aliorumque Hæreſiarcharum, de quocumque argumento tractantes, ſive ex profeſſo de religione agant, ſive non, ſive hæreſes inſperſas habeant, ſive non. Hoc autem nomine deſignantur, qui nova hæreſes, & ſectas condiderunt, aut veteres jam ſepultas, & extinctas iterum inſtaurarunt, aut ſuſcitarunt.

tarunt. Quod quidem nomina ipsa designant Hæresiarchæ, capitis, & Ducis in prima regula Indicis expressa. In eam dem excommunicationem incidunt legentes habentesque libros quorumcumque hæreticorum ex professo de Religione tractantes. Tractant autem ex professo de Religione, agentes de Sacra Scriptura, de Theologia Dogmatica, Scholastica, & Morali, de Jure Canonico, de Historia Ecclesiastica, de Clericis, de Monachis, de Sanctorum cultu, de Sacramentis, de Sacris Ritibus, deque aliis ad Religionem pertinentibus. Itaque, qui *scienter*, hoc est, scientes, Auctores esse hæreticos, vel libros esse ab Ecclesia vetitos, hujusmodi libros legunt sine debita licentia, sive id ex mera curiositate, sive etiam animo refellendi errores id agant, excommunicationem antea dictam subeunt; dummodo parvitas materiæ non excuset. Eamdem incurrunt eosdem ementes, etiam ad merum ornatum Bibliothecæ; imo & qui apud alios quoque retineant, qui facultatem habeant, retento dominio, nisi id per breve sit temporis spatium, quod aliquantulum extendi potest, dum justa causa adsit spei obtinendæ facultatis. Extenditur quoque excommunicatio illa ad eos, qui operam ad horum librorum editionem conferunt, ut sunt Typographus, qui sumptus suppeditat, qui æneas litteras jungunt; & componunt, qui prælo excudunt, quippe typos perlegunt, & corrigunt. Ac demum ad eos, qui hujusmodi libros defendant, Defendere autem dicuntur libros, qui eorum prohibitionem impediant, quia eosdem utiles bonosque esse, non vero damnandos prædicent; aliaque agant, quæ ad illorum detentionem pertineant. Ii omnes in duplicem excommunicationem incidunt, alteram *Bullæ*, *cujus* absolutio Summo Pontifici reservata est, alteram Indicis, quæ non est reservata.

Dum vero libri *sint ab hæretico homine conscripti*; de Religione vero non tractent, sed Philosophiam, Rhetoricam, Historiam Prophanam, Medicinam, aliasque inferiorem facultatem exponant, si a Theologis, aliisque jussu Episcoporum, vel Inquisitorum: examinati, approbatique sint, omnino, permittuntur. Tunc enim præsumitur, aut nullos habuisse errores, aut fuisse jam expurgatos. Quia vero quotquot exeunt ex hæreticorum officinis, juxta præscriptum Regularum Indicis editi non sunt, omnis cujusque argumenti per regulam X. proscripti esse videntur. Sed ad Catholicorum loca delati eniversim veluti permissi haberi solent, donec Ecclesiæ judicio in damnatorum cathalogum referantur. Id autem non alia de causa, ut ego arbitror, nisi quod per Revisores deputatur ad examen librorum, qui in Cathalicorum Civitates introducuntur, veluti examinati, probatique habentur. Quamobrem graviter peccant Revisores, si suspectos hujusmodi libros examinare negligant, ac Mercatores etiam librorum, aliique, qui scientes illos e suspectis Typographiis prodiisse, eosdem de industria deputatis Revisoribus occultare studeant. Nam præter quam quod contra Ecclesiæ legem agunt libros illos examini subjicientem, in causa sint, ut noxii libri e simpliciorem manibus, aliisque, quos seducere ac depravare possint, juxta Ecclesiæ voluntatem non eripiantur. Peccant itidem, & quidem graviter, qui hujusmodi libros legentes, in iisque vel hæreses aut errores alios Religioni, pietatique contrarios offendentes, eos denunciare negligunt Sacræ Congregationi, vel Episcopis, aut Inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur. Imo si libri alieni etiam a Religione argumenti, de Philosophia ex. gr. vel jure Civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eamdem crebro inserant, ac persuadere conentur, sicuti passim usuvenire solet Novatoribus, ii habentur pro libris de Religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gerserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum Bullæ in Cœna Domini, tum Indicis; illosque tenentes, ac legentes sine necessaria licentia, postquam noverint hujusmodi esse hæresibus infectos, atque ab Ecclesia damnatos hæreticorum libros, in pœnas incidunt illis legibus contentas. Nam omnium judicio, per hæreticorum libros, ii intelliguntur, qui de Religione tractant, & hæreses continent; *non unam, vel alteram, sed plures; &, si eamdem, sæpius, & cum studio repetitam, & inculcatam*. Hujusmodi itaque libri, etsi in cathalogo prohibitorum non leguntur, ramen ut hæreticorum libri ipso jure damnati sunt: Addit etiam citatus Gerserus lectionem libri, qui de Religione non agat, sed aliquam hæresim tantum pariter contineat, excommunicationem secum ferre Indicis tantum, *ob materiæ parvitatem*.

Si liber, qui de Religione non tractat, aut est Catholici Auctoris; seu excommunicatione prohibetur; sed nec *Bullæ coenæ*, neque reservationis mentio ulla fiat, excommunicatio reservata non est, At qui post Alexandrum VII. Brevibus sive Bullis particularibus proscripti sunt, omnes fere reservatam excommunicationem secum ferunt; ut ex iisdem Brevibus intelligere est, ad quæ Lectores remittuntur in Epistola novæ Indiciis editioni præfixa.

Nota 1. Constitutione pluries cit. *Omnium sollicitudinum*, Christifidelibus in Regno Maduresi, aliisque finitimis Regionibus interdicitur, *Gentilium libros legere, & retinere sub poena excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius habita licentia Parochi, sive Missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiæ committitur facultas super hoc dispensandi, & libros (qui forte sunt), noxia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tractantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi*.

Nota 2. In Bulla Cœnæ non prohibentur libri Ethnicorum, Judæorum, & Mathumetanorum. Nam ii hæreticorum nomine non veniunt. Libri de Astrologia judiciaria, ac divinatione de rebus contingenter futuris, prohibentur a SixtoV. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ. Celebriores Theologi censent, nomine librorum hæreticorum venire etiam libros Photianorum, Armenorum, Jacobitarum, & recentiorum Nestrorianorum, quia ii non sunt sub obedientia Romani Pontificis, sicut hæretici, atque eorum libri ita Religioni sunt inimici, & ad seducendum apti, ut præsumi omnino debeat Ecclesiam, & Apostolicam Sedem, illorum quoque lectionem vetare voluisse. Hæc quantum ad pœnas, nunc de Decretorum vi & auctoritate agendum est. Id vero nonnullorum dubiorum solutione præstabimus.

§. IV.

Proponuntur circa hanc materiam nonnullæ quæstiones.

Quæst. I. *Utrum in prohibitione libri etiam manuscripta prohibita censeantur?*

Resp. Affirmative, nam vel libri sunt hæreticorum. qui de Religione tractent; vel sunt libri Catholicorum in cathalogum prohibitorum Ecclesiæ sententia relati. Utrique autem prohibiti sunt sive manuscripti; sive typis editi circumferantur. Ad hæreticorum libros, quod spectat, quis ignoret ab Ecclesia in Bulla Coenæ, & in generalibus regulis Indicis omnes damnari hæreticorum libros, *qui de Religione ex professo tractant*? Itaque si manuscripta hæreticorum de Religione ex professo agant, dubitari non potest, quin generali illa lege prohibita fuerint. Deinde, nemo negat, librorum nomine etiam manuscripta venire, quæ hoc nomine designabantur, dum nondum haberetur ars Typographica, ac etiam nunc exprimi solent. Denique nemo ignorat, Ecclesiam hos proscribere libros, ut a periculis, qui ex eorumdem lectione imminent, Fideles liberet.

Itaque Ecclesiæ finis fuit hac prohibitione Fideles a lectione Scriptorum hæreticorum avocare, ne simpliciores corrumperentur; neve ipsi etiam docti in varios errores abirent, ut loquitur Pius IV. in sæpe citata Constitutione. At si manuscripta non prohibuisset, incommoda hæc non evitaret. Nam possent hæretici sola manuscripta divulgare, aut alii curare possent ut hæreticorum libri ita describerentur, sicque omnem prohibitionem eludere. Accedit etiam, quod Ecclesia per hanc prohitionem non minorem adhibeat sollicitudinem, quam adhibuisset ante inventionem artis typographicæ, ut a Fidelium manibus noxios libros præripiat. Ergo omnem prorsus lectionem vetat, etiam manuscripti. Ita sane omnes doctiores, et qui sunt in hisce rebus magis versati, sentiunt, et ut nimis laxam contrariam opinionem rejiciunt, atque ut omnino commentitiam habent declarationem Sac. Congregationis ab Adversariis adsertam.

Si liber vero prohibitus, aut de Religione non tractet, vel sit Auctoris Catholici, cum non damnatus sit, quia typis editus, sed ob noxiam, quam habet doctrinam, quis non videat etiam manuscriptum prohibitum esse?

Quæst. II. *Utrum libri Catholicorum prohibiti in uno, sint etiam in alio Idiomate vetiti?*

Resp.

Resp. Affirmative, nam regula præscripta a Clem. VIII. §. 6. ita habet: *In universum autem de malis, & pernitiosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa lingua initio editi, & deinceps prohibiti, ac damnati a S. Sede Apostolica sunt, eosdem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeri ab Apostolica Sede sub eisdem poenis interdictos, & damnatos*.

Quæst. III. *Quinam concedere debeat legendi libros prohibitos faculatem?*

Resp. Jus concessum Episcopis, & Inquisitoribus sublatum esse per Constitutionem Gregorii Papæ XV. incipientem *Apostolatus officium*, in qua statuitur *de cætero similes licentiæ nisi a Congreg. Sancti Officii concedantur*. Deinde istud idem jus concessum fuit Sac. Congregat. Indicis, habetque Magister Sac. Palatii pro Roma, & ejus districtu. Hoc autem notatum volui, ut Lectores intelligant, non posse Locorum Ordinarios hanc licentiam concedere, nisi illius concedendæ facultatem habuerint ab Apostolica Sede: *quia inferior non potest legem superioris tollere, neque absolvere a reservatis Papæ*, ut optime advertit Navar. *leg.* 1. *consil. tit.* 2. *consil.* 1. *quæst.* 36., & quia per superiorem Constitutionem hujusmodi jus Apost. Sedi reservatur.

Quæst. IV. *Utrum decreta, quibus Romæ prohibentur libri, obligent omnes omnino Fideles?*

Resp. Affirmative. Primum id liquet ex verbis supracitatis regulæ Clem. PP. VIII. ubi dicitur libros prohibitos a Sede Apost. in quamcumque vertantur linguam, *censeri ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos, & damnatos*. Deinde, hujusmodi Decreta approbari solent a Summis Pontificibus, ac de re sunt, quæ ad omnes Fideles pertinet, cujusmodi est Fidei, & morum doctrina. Quis vero dicat, Decreta edita a summis viris, quales sunt Cardinales, & approbata a Summo Pontifice, qui satentibus omnibus Catholicis, auctoritatem, & jurisdictionem habet in universam Ecclesiam, vim non habere obligandi omnes Fideles? Ab eo enim approbata vulgantur, qui potestatem & animum obligandi habet. Ne dicas, recepta non esse, vel non esse satis vulgata. Quis enim dicat, ex ovium acceptatione vim pendere legum, quas pro communi bono supremus Ecclesiæ Pastor constituat, quibus velit omnes omnino obligare? Vel satis vulgata non esse Decreta, quæ ita publicantur, ut facile ad omnium notitiam pervenire possint? Nam præterquam quod Decreta hujusmodi typis consignantur, ut facile per manus Episcoporum ad omnium notitiam pervenire possint, libri proscripti Indici librorum prohibitorum inferuntur, ex quo Fideles omnes facile intelligere possunt, quinam sint libri, Apost. Sedis Decreto, damnati.

Denique, id eadem Sacr. Congregat. definivit die 4. Decembris annis 1674. in solutione dubiorum, quæ fuerant ex parte Episcopi Malacensis proposita, quorum primum erat: An Decreta Sac. Congregationis obligent etiam in Regnis Hispaniarum? Alterum vero: An Episcopi procedere possint contra transgressores horum Decretorum? *Sacra Congregatio respondit ad* 1. *id non posse verti in dubium, cum Decreta hujus Congregationis obligent universos Christianos. Ad* 2. *quod Episcopi possunt procedere contra transgressores, utendo propria auctoritate*.

Nota. Si alicubi ex Sedis Apostolicæ indulgentia, vel tollerantia usu receptæ non sint Regulæ Indicis, ac Bullæ Coenæ, id unice inferri poterit, legentes libros prohibitos non incurrere in censuras in illis expressas. At certum est, graviter peccare, contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum Pontificem inculcat, & renovat. Hinc boni probique Catholici ex omnibus partibus recurrere solent ad Apostolicam Sedem, vel ad habentes ab ea facultatem, ut legendi vetitos libros licentiam obtineant.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 Libri noxii tam a Congregatione Universalis Inquisitionis, quam a Congregatione Indicis proscribuntur; Et utraque summa maturitate, & consilio utitur in proscriptione evulganda; Benedict. XIV. Constitut. incip. *Sollicita*, in qua Methodus præscribitus in examine, ac proscriptione librorum a Congregationibus Romanæ Universalis Inquisitionis, & Indicis servanda, certæque Relatoribus, ac Consultoribus proponuntur Regulæ, quas in examine, judicioque ferendo sequatur; Quæ Constitutio est merito tota attente legenda, & plene observanda. 2

Secretum, sive silentium, quod in Congregatione S. Officii præscriptum est, eodem prorsus modo in examine, ac proscriptione librorum in Congregatione Indicis, a Cardinalibus, Revisoribus, & Consultoribus custodiendum præcipitur a Bened. XIV. Constitut. incip. *Sollicita* §. 12.

LIGAMEN.

Vide verb. *Impedimenta Matrimonii art.* 2. *num.* 8. *ad* 19.

LIMINA APOSTOLORUM ROMÆ.

1 Limina Apostolorum Romæ visitanda esse ab Episcopis statuit, sed absque præfinitione temporis, Leo III. *Epist.* 1. Sanctus Anacletus autem statuit esse visitanda juxta 2
Papæ Chyrographum; *cap. Juxta* 3. *dist.* 93. Zacharias vero 3
in Concilio Romano cap. 4. statuit ab Episcopis propinquis quolibet anno visitanda esse personaliter, a remotis vero per Epistolas; *cit. cap. Juxta* 2. *dist.* 3. Episcopi noviter creati jurant 4
se visitaturos Limina Apostolorum per se, vel per certum Nuncium quolibet anno, nisi a Sede Apostolica dispensentur, seu ad longius tempus eorum visitantio prorogetur; *cap. Ego N. Episcopus* 4. *de jurejurando* 3. Nunc autem talis obligatio est eis prorogata, ut infra.

Episcopi viciniores, etiamsi sint Cardinales, per se ipsos, 5
si non sint legitime impediti, visitare Limina Apostolorum, & sui Pastoralis Officii rationem reddere, ac totius suæ Ecclesiæ status relationem facere tenentur tertio quoque anno, ut Itali. Alii vero pro majori, vel minori distantia quarto, ut Germani, quinto, ut Africani, vel decimo anno, ut Asiatici, iter suscipere, & Deo concedente perficere debent; & successive eisdem temporibus transanctis repetere debent, Sixtus V. Const. 15, incip. *Romanus Pontifex*.

Episcopi legitime impediti, si per se ipsos non possunt visitare Limina, tenentur id facere per alium in Dignitate constitutum, vel si hunc non habeat, per Sacerdotem Diœcesanum id facere non debent, & si nec hunc habent, per alium Clericum, & docere debent de impedimento, & quomodo id est faciendum; Sixtus V. cit. Const. incip. *Romanus Pontifex* §. 4. 6

Limina Apostolorum visitare tenentur etiam Patriarchæ, 7
Archiepiscopi, & Episcopi Titulares, ut declaravit *Sacr. Congr. Concilii*, teste Fagnano *lib.* 2. *Decret. in cap. Ego N. Episcopus* 4. *de jurejurando num.* 82. Coadjutor autem Episcopi non tenetur visitare Limina Apostolorum, sed Coad- 8
jutus; *Sac. Congr. Conc.* 4. *Aug.* 1609. apud Gavant. *in Manual. verb. Limina Apost. num.* 2. *in addit.*

Munus visitationis Liminum in tribus actibus potissimum 9
consistit, scilicet in materiali Sacrorum Liminum visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ, ac reverentiæ Romano Pontifici, & in relatione status Ecclesiæ; Quos tres actus complectitur cit. Bulla Sixti V. §. *Quo circa*. Et eorundem meminit *Sacr. Congr. Concil.* in Litteris Patentibus, quas tribuere solet Episcopis post peractam visitationem, quarum formulam tradit Fagnan. *loc. cit. num.* 61. Et novissime Benedictus XIII. *in Concilio Romano celebrato anno* 1725. *tit.* 13. *cap.* 1. *& in Appendice instruction.* 12. ubi ne 10
deinceps defectu instructionis nunquam editæ pro exarandis relationibus statuum Ecclesiarum, earum aliquæ exhibeantur abundantes in superfluis, & aliquæ deficientes in necessariis, ut olim non semel accidebat, datur instructio hactenus omissa de mandato ejusdem Summi Pontificis a Sacra Congregatione Concilii edita, & ab omnibus Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & Patriarchis adamussim servanda. Vide *ibi per tot.*

Episcopi pro visitandis Liminibus possunt abesse a residen- 11
tia suæ Ecclesiæ, seu Diœcesis per septem menses, si sint ultra montes, & per quatuor, si sint citra montes; Dummodo eo tempore ad alios actus non divertant; Sic expresse Urbanus VIII. Constitut. incip. *Sancta Synodus*. Episcopus tamen, qui Beatorum Apostolorum Limina visitavit, v. gr. 12
in fine unius Triennii, non potest immediate in principio sequentis Triennii iterum visitare, ac proinde Visitationis titulo nequit per octo menses continuos abesse a sua Ecclesia, seu Diœcesi; *Sac. Cong. super residentia Episcoporum habita in Quirinali ex ordine Sanctissimi die* 17. *Julii.* 1657.

Cano-

13 Canonicus, qui accedit Romam pro servitio Episcopi, qua venit ad visitanda Limina Apostolorum, etiam quod dictus Canonicus veniat post Episcopum, & non simul, luctiatur distributiones quotidianas; *Sacr. Congr. Concil. die 9. Septemb.* 1623.

14 Sic etiam distributiones lucrantur Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad limina Apostolorum visitanda eorum nomine; Sic decisum fuisse *a Sac. Congr. Concil.* refert Garcias *de Benefic. par. 3. cap. 2. num. 348.* & Barbos. *Collectan. Apostolor. decis. verb. Distributiones quotidianæ numero* 11.

15 Canonico autem in Urbe commorante, si ipse deputetur ab Episcopo suo ad visitanda limina, debentur ei Distributiones unius mensis; *Sacr. Congr. Concil. in Vigilien. 6. Januarii* 1682.

16 Si vero Episcopum ad visitanda limina comitasset, tunc distributiones debentur pro toto tempore accessus, & mansionis, & recessus; *Ead. Sac. Congr. Concil. in Comen.* 28. *Aug.* 1683. Quod tempus *ead. Sacr. Congreg. Concil.* constituit esse trium mensium *in una Vasionen.* 17. *April.* 1627. At advertendum est, quod tempore hujus ultimi Decreti nondum erat edita cit. Constitutio Urbani VIII. incip. *Sancta Synodus*, emanata solum 12. *Decembr.* 1634. concedens Episcopis ultra montes septem menses, & Episcopis citra montes quatuor menses pro visitandis liminibus, quod tempus videtur respective concessum etiam Canonicis ipsos pro tali fine comitantibus.

18 Episcopi, quamvis interveniente legitimo imped. visitandi per se ipsos personaliter limina Apostol. possint ipsa visitare per certum Nuncium, vel Procuratorem specialiter ad id deputatum, ut expresse conceditur *in cit. cap. Ego N. Episcopus 4. de Jurejurando*, & cit. Constitut. Sixti V. incipien. *Romanus Pontifex*, tamen nequeunt ipsa visitare per manen-
19 tem in Curia, ut respondit *Sac. Cong. Concil. in Forolivien.*
20 12. *Augusti* 1628. Neque per Presbyterum Diœcesanum, non existentem de Capitulo Cathedralis, neque in dignitate Ecclesiastica constitutum, ut censuit *Sacr. Congr. Concil. in Elboren. sub die 4. Decembr.* 1627. Neque per Sacerdotem
21 Regularem, ut respondit *ead. S. C. C. in Visen. sub die* 13. *Novembr.* 1627.

22 Episcopi, quando visitant limina Apostolorum, referre debent se paruisse Constitut. 195. Urbani VIII. incip. *Salvatoris* editæ 3. *Februarii* 1634. in qua præcipit, quod locorum Ordinarii, & Verbi Dei Concionatores ad minus duabus vicibus quolibet Anno Adventus, & Quadragesimæ temporibus, necessitates locorum Terræ Sanctæ commendari curent; Sic statuit Innocent. X. Constitut. 10. incipien. *Salvatoris*, & confirmavit Clemens X. Constitut. 39. etiam incip. *Salvatoris*.

23 Tempus præfixum ad visitanda limina Apostolorum incipit currere a die publicationis dict. Constitutionis Sixti V. incip. *Romanus Pontifex*; Sic declaravit etiam *Sac. Congr. Concil. in Burgen.* 12. *Augusti* 1628. Talis autem publicatio
24 facta fuit *die* 20. *Decembr.* 1585. Unde a tali die cœpit currere primum Triennium pro Episcopis Italis, primum Quadriennium pro Episcopis Germanis, Gallis, Hispanis, &c. primum Quinquennium pro Episcopis Africanis, & primum Decennium pro Episcopis Asiaticis. Et hæc Triennia, Quadriennia, Quinquennia, & Decennia durant usque ad diem 20. Decemb. sui respective elapsi Triennii, Quadriennii, Quinquennii, & Decennii, & a tali die 20. Decemb. semper incipiunt nova Triennia, Quadriennia &c.
25 aliis jam respective elapsis, & ipsa die completis. Quæ tamen computatio fieri debet ab ipsa die 20. Decembr. exclusive, & sic in fine cujusque Triennii, Quadriennii, Quinquennii, & Decennii integra dies 20. Decemb. cedit commodo Episcoporum; adeo ut tempus ad visitandum præfixum duret usque ad ultimum momentum ejus diei; Dies enim termini non computatur in termino; *l. 1. ff. Si quis Cautionibus, cap. Frequens 1. de restit. spoliator. in 6.* cum concordant, de quibus per Glossam *ibid. verb. Proponitur*; Fagnan. *loc. cit. num.* 43. & alii passim.

26 Hinc est advertendum, quod Triennia, Quadriennia, Quinquennia, Decennia respective currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus Episcopis; Unde si quis Episcopus Italiæ consecretur, v. g. prima die Junii tertii anni *Triennii*: quod currebat suo præmortuo, vel translato Antecessori, qui pro illo Triennio Limina non visitavit, tenetur ipse Limina visitare eodem ipso anno ante elapsam totam diem vigesimam Decemb. ejusdem anni, & si hoc spatium temporis nimis breve videatur ipsi Episcopo ad perfecte conficiendam relationem suæ recenter adeptæ Ecclesiæ, & Limina visitanda, poterit prorogationem ad hoc munus obeundum impetrare a Sacra Cong. Concil. quæ in similibus casibus solet ipsam concedere; Si autem suus Antecessor pro tali currenti Triennio jam Limina visitaverit, ipse Episcopus Successor poterit differre Visitationem Liminum spatio trium annorum, & sex mensium, & viginti dierum a die prima Junii suæ Consecrationis usque ad diem 20. Decembris ultimi anni sui primi respective currentis Triennii; *Communis*, per textum in dict. Constitut. Sixti V. incipien. *Romanus Pontifex §. Ad hoc autem, vers. Quæ ne longius differantur &c.*

Liminum visitatio fieri debet in ultimo anno Triennii, 27
Quadriennii, Quinquennii, & respective Decennii; Unde Episcopi præsertim Italiæ non consueverunt in primo anno Triennii admitti ad Visitationem Liminum, in secundo autem anno nonnisi raro; & ex aliqua rationabili causa; Sic censuit *Sacra Cong. super residentia Episcopor. habita in Qui-* 28
rinali ex ordine Sanctissimi die 17. Julii 1657. Hinc ad Limina visitanda non admittuntur Episcopi nuper creati, priusquam se ad residentiam conferant, nisi in casu, quo consecrentur in Curia paulo ante finem Triennii sui Antecessoris, v. g: mense Octobris, seu Novembris; quia tunc, cum non subsit tempus adeundi suam Ecclesiam, & conficiendi ejusdem status relationem, & redeundi ad Urbem ad Limina visitanda ante elapsam diem 20. Decemb. immediate sequentis, ex gratia admitti solent a Sac. Congr. Conc. ad visitationem Liminum, priusquam abscedant a Curia, aliquibus eis conditionibus impositis; Fagnan. *loc. cit. num.* 49. & alii.

Limina Apostolorum ibi esse dicuntur, ubi est Papa; Sic 29
ex multis, & cum multis probat Fagnan. *loco cit. a n.* 69. per text. *in cap. Qui Cathedram 3. & cap. Juxta 4. dist. 93. cap. Ad Limina 7. caus. 31. quæst. 1. cap. Ego N. Episcopus 4. de jurejurando*, & citat. Constitut. Sixti V. incip. *Romanus Pontifex*.

Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, etiamsi 30
Cardinalatus honore præfulgeant, si seclusis impedimentis legitimis per se, vel per certos Nuncios, aut specialiter Deputatos Procuratores, statutis supra assignatis temporibus Limina Apostolorum non visitaverint, ab ingressu Ecclesiæ, ac etiam ab administratione, tam spirituali, quam temporali, necnon a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a Capitulis earum interim libere exigendorum, & in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem prout major exegerit necessitas insumendorum, ipso facto elapso respective Triennio, Quadriennio, Quinquennio, & Decennio, tandiu sunt suspensi, donec a contumacia resipiscentes relaxationem Suspensionis a Sede Apostolica meruerint obtinere; textu expresso *in cit.* Constit. Sixti V. incipient. *Romanus Pontifex §. Si vero, quod absit*. Vide de hoc *P. Giraldi a S. Cajetano Instit. Canonic. tom. 1. pag. 634.*

Additio ex Auctore.

Limina Apostolorum statutis temporibus visitari debent 31
ab omnibus Episcopis; Benedict. XIV. Constitut. 7. incip. 32
Quod Sancta §. 1. & 2. Item ab Inferioribus Prælatis ju- 33
risdictionem quasi Episcopalem habentibus; Idem *ibid. §. 5.* 34
Qua de re juramentum præstare jubentur, si præsentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis Ordine prioris; si vero absentes, in manibus Nuncii, aut Legati Sedis Apostolicæ, si præsens fuerit; sin minus in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio 35
eligendi; Idem *ibid. §. 5.* Itali, & Insularum adjacentium 36
tertio quoque anno; Reliqui autem in aliis Provinciis, Re- 37
gnis, & Terrarum Orbis partibus, & Regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui imposterum erunt, quinto quoque anno a tempore captæ possessionis computando; Idem *ibid. §. 7.*

Novæ additiones ex aliena manu.

EX Constitutione S. M. Benedicti XIV. data 23. No- 1
vembris 1740. incipiente: *Quod Sancta*; omnes, & quicumque *Abbates, Priores, Præpositi*, aliique quocumque

cumque nomine ac titulo insigniti, etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tam sæculares, quam Regulares *jurisdictionem quasi Episcopalem habentes*, jam promoti, & promovendi antequam suorum Monasteriorum seu Ecclesiarum possessionem apprehendant, juramentum præstare debent juxta formulam in dict. Constitutione descriptam in manibus Cardinalis Decani, si præsentes sint in Curia, & si absentes, in manibus Nuncii, aut Legati Apostolici, eoque absente, in manibus alicujus Archiepiscopi, aut Episcopi eorum arbitrio eligendi, seu liminum visitationem, *nullo intercedente legitimo impedimento*, personaliter peracturos esse, ac de sibi commissa Monasteriorum & Ecclesiarum procuratione relationem Romano pro tempore Pontifici facturos esse singulis trienniis a die possessionis apprehensæ incipiendis, si sint Itali, vel ex Insulis & Provinciis Italiæ adjacentibus, sin minus, quinto quoque anno, sub pœna ingressus ab Ecclesia, administrationis, tam temporalium, quam spiritualium, perceptionis fructuum &c. *intercedente vero legitimo aliquo impedimento*, per virtum in dignitate
2 Ecclesiastica constitutum de gremio Monasteriorum, vel Ecclesiarum, aut per aliquem Sacerdotem Regularem, aut sæcularem, qui tamen docere debet de impedimento.

His, qui tenentur visitare limina, tum relationem facere
3 de statu suarum Ecclesiarum, adde etiam Administratores datos alicui Episcopo in legitima ætate nondum constituto, ut usuvenit, dum aliquis Regius Princeps, nondum in ætate legitima constitutus præficitur alicui Ecclesiæ; *San. Memor. Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana libr. 13. capitul. 6. num. 5.*

Recte *Auctor num. 7.* sentit teneri & Episcopos titulares
4 5 ad visitationem liminum. Tametsi enim *Andreuccius de Episcopo titulari part. 4. §. 1. num. 209.* neget eos teneri ea reddita ratione, quod ut Ecclesiarum suarum statum plane ignorantes illius relationem facere nullo modo queunt; tamen optime ex Fagnano advertit dict. Benedictus XIV. *de*
6 *Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 6. num. 5.*: *quod quum in visitatione sacrorum Liminum* (sunt ejus verba) *præter venerationem erga Sanctorum Apostolorum cineres, debitæ Romano Pontifici submissionis, & obedientiæ actus contineatur; quumque etiam Episcopus titularis licet absens & impeditus, quominus ad suam Ecclesiam accedat, de hujus tamen statu aliqua identidem cognoscere possit, quæ Pontifici referenda sint, & quorum occasione aliquid in ejusdem Ecclesiæ utilitatem proponendum occurrat; Hinc affirmandum videtur, Episcopos quoque titulares ad Sixtinæ Bullæ observantiam teneri*. Adde pro hac sententia *Thomassin. de veter. & nov. Eccles. disciplin. part. 2. lib. 3. cap. 42. n. 12. & sequent.*

7 8 Recte quoque *Auctor num. 8.* sentit, teneri Coadjutum, nequaquam vero Coadjutorem. Cæterum si Coadjutor visitationem peregisset, & relationem de Statu Ecclesiæ fecisset, minime pro ea vice tenetur Coadjutus; *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 6. num. 5.*

LINEA AFFINITATIS, CONSANGUINITATIS, LEGALIS PATERNITATIS, LEGALIS FRATERNITATIS, LEGALIS AFFINITATIS.

Vid. verb. *Affinitas, & verb. Impediment. Matrimon. art. 1. a num. 27. ad 78.*

LITANIÆ.

1 VErbum *Litaniæ* est nomen Græcum, quod Latine significat humiles supplicationes, & devotas, seu ferventes preces; *Concil. Moguntin. I. cap. 32.* & tradunt communiter Doctores agentes de Litaniis; Suarez *tom. 2. de Religione lib. 3. de Orat. vocali cap. 9. in fine*, Lezana *in Summa verb. Litaniæ numer. 2.* Serrarius *in opusculo Litaniæ libr. 1. cap. 2.*

2 Quatuor Litaniarum species apud Sacros Scriptores repe-

riuntur, scilicet Litaniæ veteris Testamenti, *Litaniæ*, Sanctorum, *Litaniæ* B. V. Mariæ, & *Litaniæ* Sanctissimi nominis Jesu; Sic Clericatus *nelle spighe raccolte verbo Litaniæ num. 21.*

Litaniæ veteris Testamenti sunt illæ, quas recitabant He- 3
bræi, tum publice in Templo, tum privatim in suis Domibus recolentes Divina Attributa reducta in 27. versiculos collectos *in Psal. 135.* incip. *Confitemini Domino, quoniam bonus*; Cuilibet ex ipsis Versiculis, dum recitabantur, respondebant Hebræi: *Quoniam in æternum Misericordia ejus*, uti respondemus nos Christiani invocationi cujuslibet Sancti *Ora pro nobis*; Menoch. *nelle sue Stuore p. 2. Centur. 3. cap. 76.* Clericat. *loc. cit. num.* 218.

Litaniæ *Sanctorum* sunt illæ, quæ habentur in Breviario 4
Romano in fine Psalmor. Pœnitentialium, & vocantur modo *Majores*, modo *Minores*. Majores vocantur in Festo S. 5
Marci Evangelistæ, quia tales Litaniæ, a principio majori solemnitate fuerunt institutæ, & celebratæ, ut notant Suarez *lib. 3. de Orat. vocali cap. 9. num. 26.* Castaldus *in Praxi Cæremon. lib. 2. sect. 10. cap. 7.* Quarti *de Processionibus sect. 2. punct. 9. §. Respondeo*; seu quia, ut dicit Clericatus *loc. cit. num. 219.* tali die recitantur, & canuntur processionaliter in toto Orbe Catholico, & Romæ Processio dirigitur ad Ecclesiam S. Mariæ Majoris, a qua hoc supranomen sumpserunt ad differentiam Litaniarum, quæ canuntur in Processionibus trium dierum Rogationum ante Ascensionem Domini, quæ dicuntur *Minores*, qua diriguntur ad alias Ecclesias inferiores.

Quis autem has Sanctorum Litanias primo instituerit? non 6
conveniunt Doctores; Quidam enim, ut notant Macrius *in suo Hierolexico verb. Litaniæ*, & Quarti *in tract. de Litaniis Sanctorum sect. 1. punct. 4.* dicunt fuisse institutas, & compositas a Divo Gregorio Magno Summo Pontifice, & Ecclesiæ Doctore anno Christi 600. At hæc opinio communiter rejicitur, quia in pluribus Conciliis, quæ longe præcesserunt D. Gregorium Magnum, fit mentio Litaniarum Majorum, & Minorum, ut patet in Concilio Aurelanien. *cap. 29.* Concil. Gerunden. *cap. 3.* Concil. Bracaren. II. *cap. 9.* Concil. Toletan. I. *cap. 1.* Toletan. II. *cap. 6.* Conc. Mog. I. *cap. 32. & 33. cap. Rogationes 2. dist. 3. de consecrat.* cum similibus; Quamvis enim ipse S. Gregorius Magnus sæpius eas indixerit, & celebrari præceperit, solemniorique ritu præ ceteris, non tamen ipse instituit. & composuit, cum jam multo tempore ante ipsum fuerint Litaniæ Sanctorum in usu, quippe cum S. Mamertus Episcopus Viennæ in Gallia, *de anno 475.* ad impetrandam liberationem infestationis luporum a suo Territorio, multas indixit publicas Processiones cum cantu ipsarum litaniarum Sanctorum (a). Imo in Ecclesia Orientali ipsæ litaniæ Sanctorum erant in usu tempore S. Basilii, & S. Gregorii Thaumaturgi, qui vivebant in principio quarti sæculi, testibus ipso S. Basilio *Epist. 63.* Clericat. *loc. cit. num. 220.* Socrate *lib. 6. Histor. cap. 8.* Sozomeno *lib. 8. cap. 8.* Nicephoro *lib. 14. cap. 3.* & aliis. Unde Eminentiss. Card. Baronius *in notis Martyrologii Romani ad diem 25. Aprilis* sic concludit: *A quo Litaniæ primum fuerint institutæ, adhuc mihi est inexploratum; vetustissimum, sane morem fuisse in Ecclesia Litanias peragere, certissimum est.*

Litaniæ Sacratissimæ Virginis Deiparæ sunt illæ, quæ di- 7
cuntur *Lauretanæ*, ex quo omni Sabbatho canantur magna cum solemnitate, & Devotione in Sancta Domo Laureti, & jam fere apud omnes Catholicos sic recitari, & cani consueverunt. Harum etiam Litaniarum primus Auctor, & 8
Compositor ignoratur; Solum testantur Catholici Scriptores alias etiam esse antiquissimas, & semper recitatas fuisse a Fidelibus, tum in publicis Ecclesiis, tum in privatis Domibus, sacras porrigendo Deo deprecationes per invocationem specialem ejusdem Beatissimæ Genitricis, eamdem Virginem honore prosequendo variis mysticis nominibus, encomiis, & attributis, cuiquam ipsorum respondendo: *Ora pro nobis*: Laudatus autem. P. Quarti *in suo tractatu Litaniarum sect. 1. punct. 4.* secutus a Clericato *loc. cit. num. 221.*

(a) Non ad impetrandam liberationem infestationis luporum S. Mamertus Litanias indixit; sed ad liberandam Urbem a terræ motibus, quibus quatebatur, & a conflagratione, cui eadem Urbs tradita erat. Vide Ep. 1. S. Apollinaris Sidonii l. 7. inter opera Sirmond. T. I. colon. 585.

censet, quod hæ Litaniæ fuerint institutæ, & formatæ a Sanctis Apostolis (a), quod satis verisimiliter dicit citatus Clericatus id factum esse post Assumptionem Beatissimæ Virginis Dei Genitricis in Cœlum, ut excitarentur Fideles ad implorandam in omnibus indigentiis spiritualibus, & temporalibus ejus potentissimam protectionem; *Cum autem*, dicit Quarti *loc. cit. Cum autem nemo ab Historicis Litaniarum Auctor, quamvis vetustissimus, asseratur, quin eo antiquior Litaniarum usus inveniatur, merito ab Apostolis eas ducere originem censendum est*. Recitantes Litanias B. V. M. lucrantur ducentos dies Indulgentiæ; Sixtus V. Constitut. incip. *Reddituri*.

9 Litaniæ Sanctissimi Nominis Jesu sunt illæ, quæ continent varia Attributa, & encomia ipsius Sanctissimi Nominis Jesu ad similitudinem litaniarum Beatissimæ Virginis Dei Genitris Mariæ, quæ, cum recitantur, cuilibet ex ipsis re-
10 spondetur *Miserere nobis*. Dubitarunt aliqui ex Scriptoribus, an hæ litaniæ sint censendæ prohibitæ? attenta Constitutione 122. Clement. VIII. incip. *Sanctissimus*, & declaratione Sacræ Congregationis Rituum *in Alexandrina* 15. *Maii* 1608. infra adducenda, in qua conceditur recitari solas litanias Sanctorum, & illas Beatissimæ Virginis Mariæ Laureti recitari solitas. At nihilominus affirmant omnes communiter, tales Sanctissimi Nominis Jesu litanias esse approbatas a Sede Apostolica, ac per consequens non includi in prohibitione Generali Clement. VIII. & Sacræ Congregationis Rituum 15. *Maii* 1608. quia videntur solum loqui de litaniis a Sede Apostolica alias non approbatis; Sixtus enim V. Constitut. incip. *Reddituri* in Bullario Rodriquez *tom.* 2. inter Bullas Sixti *num.* 25. ad instantiam Patrum Carmelitarum Discalceatorum concessit trecentos dies Indulgentiæ recitantibus dictas litanias Sanctissimi Nominis Jesu, quod satis indicat, tales litanias esse a Sede Apostolica approbatas, & posse ab omni Fideli absque ullo scrupulo recitari; Gobat *in Quinario tract.* 4. *num.* 602. Lezana *in summ. verbo Litaniæ num.* 5. Quarti *in Appendice de litaniis Sanctorum sect.* 1. *punct.* 1. Clericat. *loc. citat. numer.* 222. & alii passim.

11 Exceptis igitur his Sanctissimi Nominis Jesu litaniis, nullæ aliæ præter litanias Sanctorum, & Beatissimæ Virginis Mariæ Lauretanæ nuncupatæ, recitari, & cani possunt sine approbatione Sedis Apostolicæ, aut Sacræ Congregationis Rituum; Clemens VIII. in cit. Constitut. incip. *Sanctissimus* promulgata octavo Idus Septembris 1601. in qua sic habetur: *Quoniam multi hoc tempore privati etiam homines prætextu alendæ Devotionis, novas quotidie litanias evulgant, ut jam prope innumerabiles formæ litaniarum circumferantur, & in nonnullis ineptæ sententiæ, in aliis (quod gravius est) periculosæ, & errorem sapientes inveniantur, pro sollicitudine sua Pastorali providere volens, ut animarum devotio, Deique, ac Sanctorum invocatio sine ullius detrimenti spiritualis periculo foveatur, præcipit, & mandat, ut retentis antiquissimis, & communibus litaniis, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, necnon litaniis de Beatissima Virgine, quæ in Sacra Ædle Lauretana decantari solent, quicumque alias litanias edere, vel etiam editis in Ecclesiis, sive Oratoris, sive Processionibus uti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, & si opus fuerit, corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia, & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publice recitare præsumant sub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii, & Inquisitoris severe infligendis; Quaranta in Summa Bullarii verb. Litaniæ*.

12 Litaniæ non approbantur a Sacra Congregatione Rituum præter ordinarias impressas in Breviario, & quæ recitantur in Ecclesia Lauretana de Beatissima Virgine Maria; *Sacra Congregatio Rituum in Alexandrina* 15. *Maii* 1608. *in respon. sione ad dub.* 16. apud Sellium *in Selectis Canonic. cap.* 2. *numer.* 48. & Barbosam *Collectan. Apostolicar. verb. litaniæ num.* 6.

Litaniis non possunt inseri alii Sancti præter *ibi* descriptos 13
neque tempore pestis addendi sunt Titulares, & Civitatis Patroni sine speciali concessione; *Sacra Congregatio Rituum in Rhegien.* 22. *Martii* 1631. apud Gavant. *in Rubric. sect.* 9. *cap.* 4. *num.* 10. Barbosam *l. c. n.* 3. la Croix *lib.* 6. *part.* 2. *num.* 2055. *Decret.* 210.

Litaniæ Majores si occurrant in die Sancto Paschatis, 14
transferuntur in feriam tertiam sequentem; *Sacra Congregatio Rituum die* 25. *Septembris* 1627. apud Gavant. *in Rubric. Missalis part.* 4. *tit.* 11. *num.* 10. *& in Rubric. Breviarii sect.* 7. *cap.* 6. *num.* 25. apud Barbosam *loc. cit. nu.* 2. la Croix *loc. cit. Decret.* 182.

Si Festum Sancti Marci incidat infra Octavam Paschæ, 15
transfertur post Octavam: At non transferuntur litaniæ; la Croix *lib.* 4. *num.* 1291. *& Communis aliorum* cum praxi.

Obligatio recitandi litanias in Festo Sancti Marci, & tri- 16
bus diebus Rogationum, est sub mortali; Lezana *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 23. ex Suarez, & Bonacina ibi relatis, *in Summa verb. litaniæ num.* 7. Tannerus *in* 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 1. *dub.* 5. *num.* 148. Castropalao *tom.* 2. *disp.* 2. *punct.* 2. *num.* 13. la Croix *lib.* 4. *num.* 1290. & alii passim. Ex communi enim sententia Theologorum, & usu Ecclesiæ cententur pars Officii illorum dierum, ut notat Lezana *loc. cit.* Unde qui ad Divinum Officium sunt obligati, si illas in Processionibus non recitaverint, privatim eas recitare tenentur de præcepto, ut solent notare quotannis suis propriis locis Kalendaria, & cum multis tenet Reiffenstuel *Theolog. Moral. tract.* 6. *dist.* 1. *qu.* 3. *n.* 6. *& seqq.*

Et quidem tenentur illas recitare proprio mane, nec pos- 17
sunt illas recitare vesperi pridie statim post Matutinum, & Laudes Officii diei etiam pridie recitatas, ut colligitur a simili de Officio Defunctorum die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quod recitandum est de præcepto etiam extra Chorum mane illius secundæ diei Novembris, nec potest anticipari pridie in Vesperis ex Decreto *Sacræ Congregationis Rituum* 1. *Septembris* 1607. (b) Vide verb. *Rogationes num.* 7. Merati *tom.* 2. *sect.* 6. *cap.* 15. ubi cum multis hanc defendit sententiam.

In litaniis propriis, seu particularibus quibusdam Regu- 18
laribus ex Indulto Apostolico concessis nihil prætermitti debet de litaniis Universalis Ecclesiæ: Et solum addi possunt nomina propriorum Sanctorum: nullimode autem nomina eorum, qui solo fruuntur titulo Beatorum: Sic expresse cavetur *in Rubricis particularibus Breviarii Franciscani num.* 16.

In litaniis Sanctorum post nomen S. Joannis Baptistæ sta- 19
tim adjungi debet illud S. Josephi; *Bened. XIII.* 19. *Decembr.* 1726. *in Decreto Urbis, & Orbis*.

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

LITTERÆ APOSTOLICÆ; Vide verb. *Executor Litterarum Apostolicarum*; & verb. *Falsarius a numer.* 39.

Additio ex Auctore.

Litteras Apostolicas falsificantes, aut falso publicantes, 1
ex-

(a) Recentiores esse hasce Litanias, nemo vel tantisper eruditus ambiget.

(b) Nota. Episcopo præsente concedit S. R. Congr. posse recitari die prima Novembris ante horam Completorii in Cathedralibus Ecclesiis. Similiter & in aliis non Cathedralibus, & Episcopo absente, quando consuetudo esset in contrarium, dummodo pro commoditate, & frequentia populi esset introducta; extra Chorum vero licite absolvi posse post vespertinas horas statuit rursus S. R. C. an. 1745. 4. Septembris, ita decernens: *Privata officii Defunctorum recitatio pro generali Defunctorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas festi omnium Sanctorum; in Choro autem juxta rubricas adimplenda est mane die secunda Novembris: nisi, ut populi commodius, & frequentius illis interesse possint, contraria jam faceret consuetudo*. Præsente vero Episcopo, etiam sine causa in hac sanctione expressa recitari potest, ut supra dictum est.

excommunicantur in Bulla Cœnæ; Benedictus XIV. tom. 1. Constitut. 14. incip. *Pastoralis* §. 6. litterarum Apostolicarum
2 executionem impedientes excommunicantur: Idem *ibid.* §. 14.

3 Litteræ Apostolicæ super Beneficiis resignatis expediri debent post duos ad summum menses a data Rescripti, quo
4 admissa fuit resignatio; Idem tom. 2. Constitut. 10. incipent. *Ecclesiastica Ministeria*. Et publicari debent ad normam Constitutionis Gregorii XIII. intra sex menses a data concessionis computandos, si Beneficia citra montes posita sint: vel intra novem, si ultra; Idem *ibid.* De litterarum hujusmodi expeditione docendum est in Officio Subdatarii ad obtinendam prorogationem ad publicandum, etiam pro prima vice, Idem *ibid.*

Litteræ Apostolicæ executioni tradendæ non sunt ab iis,
5 quibus diriguntur, si obreptionis vitio aperte laborent, aut si deficere comperiatur conditio, sine qua concessæ non fuissent: Idem Constitut. 51. incip. *Magna Nobis*. Litteræ
6 Apostolicæ super dispensationibus Matrimonialibus quomodo, & quibus adjectis conditionibus concedi soleant? Vide *in addit. ad verb. Dispensatio*.

LITTERÆ.

1 LItteras vel scripturas alienas aperire, & legere furtive, & invitis Dominis, communiter est mortale, nisi excusset levitas, & parvitas materiæ; Baldell. *lib.* 3. *dist.* 11. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 4. Navarr. *cap. penult. d.* 6. *de pœn.* Busemb. *lib.* 5. *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 6. la Croix *ibid.* Toletus, Molina, & alii passim. Litteras dilaceratas, & abjectas probabilius non licet partibus recollectis legere, quia hoc ipso, quod Dominus dilaceravit, maxime si parva frustra effecit, sufficienter significavit se nolle, ut legantur, & sic non ideo voluit cedere Juri suo, aut dimittere secretum, adeoque talia parva frustra colligens, jungens & legens peccat, cum invito Domino id faciat; Pesschacher *de restit. quæst.* 5. *art.* 4. la Croix *lib.* 3. *part.* 2. *nu.* 1236. Rebell. *part.* 1. *libr.* 4. *quæst.* 4. & alii plures. Et hoc maxi-
3 me, si talia frustra dilaceratæ litteræ projecta sint a Domino in ignem, vel fornacem, aut in alium similem locum, a quo difficilis sit extractio; quia tunc si quis extrahat, & legat, facit gravem injuriam Domino, qui talia frustra projiciendo in talia loca aperte indicavit, se nolle, ut legantur; Lugo *disput.* 15. *num.* 150. Busemb. *loc. cit. resolut.* 6. & alii
4 supracitati. Et a fortiori non possunt legi litteræ, quas aliquis casu, vel in loco etiam publico inconsiderate reliquit; la Croix *loc. cit. num.* 1236. Busemb. *loc. cit. resolut.* 6. & alii passim.

5 Litteras alienas aperire, & legere, quando quis probabiliter scit esse scriptas in suum injustum damnum, vel in suam injuriam, regulariter non est peccatum, si id simpliciter faciat ad avertendum suum damnum, vel injuriam, cum quilibet possit sibi omni meliori modo consulere; præceptum enim naturale de evitando damno injuste inferendo, præponitur præcepto de observando secreto; Hinc Princeps potest aperire, & legere litteras, non tantum hostium, sed etiam aliorum, quæ tempore belli veniunt ex locis finitimis hostium, aut ex aliis suspectis. Sic etiam possunt facere Ministri publici, quoties id bono publico necessarium esse judicant; Navarr. *in Manual. cap.* 18. *num.* 53. Lugo *disp.* 15. *num.* 248. Reginald. *lib.* 24. *cap.* 6. *n.* 60. Busemb. *l. c. ref.* 1. Escobar, Lezana, & alii passim.

6 Injuste aperiens litteras alterius, ex quibus cognoscit ipsum aliquod pingue Beneficium certo medio consecuturum certa negotiatione multum lucraturum, & hujusmodi, & postea prævenit, impedit, & sibi tali medio, & negotiatione acquirit, peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem juxta proportionem certitudinis, probabilitatis, vel spei habitæ illud bonum consequendi; quia talis injusta aperitio, & lectio litterarum fuit impeditiva ipsius boni, & causa mali; Lugo *disp.* 18. *sect.* 5. *num.* 104. *& in Respons. moral. lib.* 5. *dub.* 10. Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *a n.* 140. Sporer *tom.* 2. *tract.* 4. *prælimin. ad præcepta secundæ Tab. cap.* 2. *sect.* 5. *num.* 205. la Croix *lib.* 3. *part.* 2. *numer.* 79. & alii.

7 Item peccat contra Justitiam, & tenetur sic ad restitutionem, qui dolose retinet litteras alienas, quas ex Justitia, Officio, vel contractu tenetur tradere, si ex morosa consignatione litterarum alicui fuit impedita consecutio alicujus boni, talis enim dolosa litterarum detentio fuit graviter injuriosa, & præjudicialis ei, cui erant directæ; Sic Doctores supracitati, & alii passim.

Regulares utriusque sexus dantes, aut recipientes litteras sine licentia Superiorum regulariter non peccant contra votum paupertatis, nisi sint contra utilitatem Monasterii, aut expendatur aliquid in illis dandis, vel recipiendis, tunc enim sunt materia proprietatis; In aliis autem casibus solum erit peccatum contra Obedientiam, si id fiat contra rationabile præceptum Superioris: Navarr. *lib.* 3, *consil. de statu Monachor. consil.* 3. *& comment.* 2. *de Regularib.* Peyrin. *tom.* 1. *de subdito quæst.* 2. *de paupertate cap.* 2, §. 10. Lezana *Summa Quæstionum Regularium cap.* 6. *num.* 49. & alii.

Litteras a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad 9
Superiores missas aperire, legere, impedire, aut retardare est peccatum grave, quia per hoc impeditur maxime bonum regimen Religionis, & fraterna Charitas inter Religiosos; Unde inter casus reservabiles a Superioribus Regularibus Clemens Octavus in suo Decreto edito 26. Maii 1793. designavit: *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores*, & talis casus fere in omnibus Religionibus solet reservari, & in nostra Religione Minorum de Observantia est reservatus *sub num.* 15. his verbis: *Generalis, & Provincialis, aut earum Secretariorum litteras tum missas, tum accipiendas, impedientes, frangentes, falsificantes, vel quomodolibet intercipientes*.

Superiores Regulares licite aperire, & legere possunt 10
litteras suorum subditorum, ubi id mandant, seu permittunt propriæ Constitutiones, vel legitima consuetudine introductum est pro bono publico Religionis: Dummodo tamen eas non aperiant, & legant ex mera curiositate, aut privata passione, & malitia, quæ pacem, & fraternam charitatem potius violaret: Unde in his debent Superiores depositis 11
privatis passionibus caute procedere, maxime cum similes Constitutiones & Consuetudines jam fere in omnibus Religionibus abierint in desuetudinem, & passim Religiosi subditi scribant, & recipiant litteras sine scientia, & licentia Superiorum. Nullimode autem possunt Superiores aperire, & legere litteras subditorum missas ad Superiorem Majorem, seu ab ipso Majore Superiore ad tales subditos directas, propter dicta, & adducta numero antecedenti: Diana *part.* 3. *tract.* 6. *resolut.* 15. Peyrin. *de Relig. tom.* 1. *quæst.* 2. *cap.* 1. Busemb. *loc. cit. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 6. *resolut.* 3. Escobar, & alii passim.

Scribere ad Superiores contra aliquem litteras sine nomine, 12
seu ut vulgariter dicitur cæcas, continentes notabilia delicta occulta, communiter ex genere suo est peccatum mortale, quia est revelare notabilia occulta Fratris, seu proximi: quod de se est mortale: maxime cum ordinarie hoc procedat ex odio, seu vindicta: Peyrin. *tom.* 1. *de subdito qu.* 2. *de paupertate cap.* 2. §. 12. Lezana *Summa qu. est. Regular. cap.* 8. *num.* 31. & alii passim.

Non esset tamen peccatum si id fieret ex charitate, & non 13
ex odio, aut vindicta, ultionem, & punitionem non quærendo, sed solum correctionem, & emendationem: & ideo solum celetur nomen scribentis, ne, si forte perveniat ad notitiam illius, contra quem scribitur, reddatur illi inimicus, & aliquod malum injuste pati cogatur: Peyrin. & Lezana *loc. cit.* communiter.

Non possunt autem Superiores ex hujusmodi litteris pro- 14
cedere ad specialem inquisitionem illorum delictorum, quæ continent, etiamsi in ipsis litteris notificarentur testes, qui delictum testificari possent, quia hujusmodi litteræ nullam inducunt infamiam: textu expresso *in cap. Inquisitionis* 21. *de accusationibus §. Tertiæ dubitationis*, Rodriquez *tom.* 2. *quæst. Regular. qu.* 6. *art.* 10. Lezana *loc. cit. cap.* 8. *num.* 31. *& cap.* 17. *num.* 4. Lessius *lib.* 2. *de justit. & cap.* 20. *dubit.* 15. *num.* 136. Thomas a Jesu *de Visitat. Regul. tract.* 2. *cap.* 3. *numer.* 9. & communis aliorum.

Possunt tamen Superiores ex hujusmodi litteris sine no- 15
mine scribentium procedere ad generalem inquisitionem, quia ad generalem inquisitionem non requiritur infamia, Alderete *de disciplina Regul. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 31. Lezana *cit. cap.* 17. *num.* 4. & alii communiter.

Novæ additiones ex aliena manu.

1 DE aperitione litterarum alienarum agit Auctor, sed *in foro*, ut ajunt, *Poli*. Agendum paucis de ea *in foro* ut pariter ajunt, *Fori*.

2 Aperitio alienarum litterarum communiter refertur ad crimen falsi *ob L.1. §.5. & L.16. §. ff. ad Leg. Cornel. de Falsi.*

3 Quod tamen putant nonnulli procedere concurrentibus hisce tribus.

I. Si aperiens alienas litteras sciat esse eas alienas.

II. Si id faciat, sine justa causa.

III. Si id faciat animo promulgandi secreta, & nocendi

4 alteri. Quæ si desint, reus falsi dici nequit aperiens alienas litteras.

5 Atque hinc est, quod si quis putet litteras alienas ad se scriptas, forte quod idem nomen sit sibi, ac illi, ad quem litteræ erant datæ, falsi crimen aperiendo haud committit, quum justa penes ipsum sit ignorantia: *Menoch. de Arbitrar. lib.2. c.438. num.7. Genua de Scriptur. privat. lib.3.*

6 *quæst.2. num.4.* dummodo silentio involvat contenta, & in

7 8 alterius præjudicium eadem non propalet. Quod si propalaverit, extra pœnam haud erit. Licet namque nullus adfuerit dolus in aperitione litterarum, adfuit tamen in propalatione; *Stryk. juridic. dissert. disput. 8. cap. 4. numero* 39.

9 Pariter falsi crimen nec admittit ille, qui litteras alterius aperit, sed sollus curiositatis gratia, ut scilicet sciat quid in

10 illidem contineatur. In crimine enim falsi necesse est, ut quid fiat in fraudem, vel damnum alterius. Id autem non intendit aperiens litteras solius curiositatis gratia. Reus igitur fal-

11 12 si haud est: Reus tamen stellionatus est, & propterea extra ordinem puniri potest: *Hoc ping. de Jur. Sigill. cap.14. n.54. Tabor. de Racemat. crimin. p.9. n.6.*

13 Num litteræ aperiri impune possint, si quis damnum quoddam iisdem sibi, vel proximo injuste parari timeat? Vide apud *Stryk. juridic. dissert. vol.3. disput. 13. cap. 5. num.* 14.

14 Nota, quod ubi concurrunt tria illa, de quibus supra mentionem fecimus, tanquam fallarius puniri poterit, qui alterius aperit, legitque litteras, sive illæ sint clausæ, sive apertæ, sive publicæ, sive privatæ, sive integræ, sive dilaceratæ: *Stryk. juridic. dissert. vol.3. disput. 13. cap. 5. num.* 36.

15 Plura de aperitione alienarum litterarum, si scire cupias, adi *Wurmf. Practic. For. lib.1. tit.47. observ.25. Hoeping. de Jur. sigill. cap.14. Viv. lib.1. decis.62.*

LIVELLUM.

Vid. verb. *Monialis art.2.*

LOCATIO.

1 LOcatio est contractus, *quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit, certo* pretio, *sive mercede constituta*; Est *in re communis*. Dicitur *quo quis rem aliquam alteri utendam, vel fruendam concedit*; ad denotandum, quod locantur, & conducuntur non tantum res, quæ ad tòlum usum deserviunt, ut domus ad inhabitandum, equus ad equitandum, bos ad arandum, & hujusmodi; *l.9. princip. ff. de locato, & conducto*, sed etiam res, quæ deserviunt ad fructus percipiendos, ut ager, vineæ, pascua, jura, & redditus; *l. Sed addet 29. §.1. ff. de Locato & conducto*; Insuper non solum locantur, aut conducuntur ipsæ res, sed etiam personæ, seu potius operæ, & labores personarum, ut patet in famulis, & ancillis, Operariis, Officialibus, artificibus, & hujusmodi, qui se, seu operas suas aliis locant, & ab aliis conducuntur; *l. Item 51. 22. §. 2. ff. de Locato & conducto*, ibi: *Locat enim artifex operam suam.*

3 Dicitur *certo pretio, sive mercede constituta*, quia pretium, seu merces in locatione necessario intervenire debet: *l. Si convenerit 23. in fine ff. Communi dividundo*. Et in hoc differt Locatio a Commodato, & Precario, vi quorum res

4 ad usum gratis conceduntur, ut patet sub verb. *Commodatum*, & verb. *Precarium*.

Ex contractu locationis contrahentes varia sortiuntur no- 2
mina; Qui enim pro usu, vel fructu rei, aut pro opera sua pretium, seu mercedem recipit, dicitur *Locator*; Qui pro usu, vel fructu rei, aut opera personæ pretium, vel mercedem dat, dicitur *Conductor*; Sic passim *in totis Titul. ff. & Codic. de locato, & conducto*. Qui prædium urbanum, vel domum conducit, dicitur *Inquilinus*: *l. Sed addes 19. §. 4. & 5. ff. de locato, & conducto*; Qui conducit agrum vel prædium rusticum; dicitur *Colonus*; *l. Res pignoris 37. ff. de acquirenda possess.* Qui conducit operam personæ, dicitur *Redemptor*: *l. Cum in plures 60. §. 3. ff. de locato, & conducto*; Qui conducit vectigalia, dicitur *Publicanus*; *l. Quanta in fin. ff. de Public.*

Conductor potest rem sibi locatam locare alteri æque ido- 6
neo; *l. Si tibi alienam 7. ff. de Locato, & Conducto*; nisi aliter conventum sit; *l. Nemo Cod. de Locato, & Conducto.* Si enim Locator convenisset cum Conductore, quod rem conductam seu sibi locatam, non posset alteri locare, esset servanda conventio, nec in tali casu posset ipsam alteri locare; *arg. cap. Contractus 85. de regul. Juris in 6.* ibi: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.*

Bona Ecclesiastica quomodo, & pro quanto tempore loca- 7
ri possint? *Vid. verb. Bona art.1. a num. 9. ad 13.* Locatio Bonorum Ecclesiasticorum facta ab antecessore Beneficiario, 8
non obligat successorem in Beneficio, si talis antecessor locavit bona ad proprios redditus suæ Dignitatis, aut Præbendæ pertinentia; In tali enim casu successor non tenetur stare contractui, quia perinde se habet ac successor in Majoratu, cui prædecessor præjudicare non potuit, nec disponere de ipso, nisi pro tempore, quo redditus ad ipsum pertinent; & sic Conductor etiam libere poterit a Conductione recedere; Luge *tom. 2. de justitia, & jure disput. 29. sect.1. n.24.* Molina *disput. 492. num. 6.* Silvester *verb. locatio quæst. 11.* Reginald. *lib.25. num. 541.* Covarruv. *lib. 2. variar. resolut. cap. 15. num. 6.* Riccius *verb. Alienatio decis. 123.* Rosignol. *de locato, & Conducto contract. 10. prænot. 13. numer.17.* Pirhing. *lib.3. Decretal. tit. 18. num.26.* Reiffenstuel *ibid.n.83.* & alii communiter: Nec non Rota *recent. part.10. decis.219. num.10.* ubi expresse dicit, in hac materia firmari, quod extincto antecessore, terminetur omne jus Locationis, & propterea Locatio facta ab antecessore, non obligat successorem, quamvis agatur de Locatione ad modicum tempus, ut expresse habet eadem Rota *part.11. dec.75. n.3.*

Locatio autem bonorum Ecclesiasticorum facta a Prælato 9
antecessore obligat etiam successorem, si talis Prælatus antecessor servatis Juris solemnitatibus, & pro debito tempore locavit bona pertinentia non ad se, seu ad proprios redditus suæ Dignitatis, aut Præbendæ, sed pertinentia ad Ecclesiam ipsam, vel Conventum, seu Monasterium, cujus erat Superior, seu Administrator; In tali enim casu tenetur stare locationi etiam Successor: quia cum Prælatus non locaverit talia bona nomine proprio, sed Ecclesiæ, cujus erat legitimus Administrator, talis locatio ita se habet, ut locatio bonorum facta a Tutore, vel Curatore nomine Pupilli, aut Minoris: huic autem stare tenentur Pupillus, aut Minor, & successor Tutoris, seu Curatoris: *l. Si Tutela 8. ff. de administrat. Tutor.* adeoque &c. *Sic communis Doctorum* cum supracitatis, & Rota *recent. part. 11. cit. dec.75. n.5. & 8.* 10

Minores igitur, & Pupilli tenentur stare locationi factæ per suos Tutores, & Curatores tempore Tutelæ, & Curæ, & ita etiam successores dictorum Tutorum, & Curatorum; quia quæ agunt Tutores, & Curatores intelliguntur agere non nomine proprio, sed nomine Pupillorum, & Minorum, vel ex voluntate expressa Testatorum, vel ex dispositione judicum; *l. Si Tutela ff. de administratione, & peric. Tutor.* et sic Molina *disput.492. num.1.* Mantica *de tacitis, & ambig. convent. lib.5. tit. 10. nu.23.* Azorius *part.3. lib.8. c.6. quæst.5.* Rosignol. *loc. cit. num.14.* Gomez *tom.2. variar. cap. 14. n.5.* & alii passim.

Uxor tenetur stare locationi factæ a Marito in iis, quæ Ma- 11
ritus locavit nomine ejusdem Uxoris; non autem in iis, quæ locavit nomine proprio; Unde Uxor tenetur stare locationi factæ a Marito quoad bona paraphernalia, & non quoad bona dotalia, quia cum bonorum paraphernalium administratio de Jure communi non competat Marito, sed Uxori, si Maritus ea administret, omnes contractus circa ipsa censetur facere nomine Uxoris; Non sic autem circa bona dotalia, quia cum eorum administratio de jure communi pertineat ad ipsum Maritum, omnes contractus circa ipsa, & consequen-

ter locationem, censetur facere nomine proprio; Molina *de justitia & jure tract. 2. quæst. 492.* Covarruv. *lib. 2. variar. resol. cap. 15. num. 5.* Gomez *tom.2. variar. resol. cap.3. num. 8. conclus. 1.* Bonacina *disput. 3. quæst. 7. punct. ultim. proposit. 2. n.8.* Rosignol. *loc. cit. n.16.* & alii.

12 Locatoris, & Conductoris successor, seu hæres universalis tenetur stare locationi, seu Conductioni ab ipso Locatore, seu Conductore respective factæ; *Communis per textum in §. final. Institut. de locato & l. Viam veritatis Cod. de locato, & leg. Veteris 13. Cod. de contrahend. & commit. stipul.* ubi universaliter ita statuitur: *Generaliter sancimus, omnem stipulationem, sive in dando, sive in accipiendo inveniatur, & ad hæredes, & contra hæredes transmitti.* Ubi etiam ratio redditur: *Cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad hæredes, & adversus hæredes transmittatur?* Hæres enim quo ad jura, & onera una cum defuncto persona censetur.

Non tenetur autem stare locationi, & conductioni succes- 13
sor particularis Locatoris, & respective Conductoris; *Communis*, per textum *in l. Qui fundum ff. locati, & l. Emptorem Cod. de locato*. Hinc Emptor non tenetur stare locationi 14
per venditorem factæ, textu expresso *in cit. l. Emptorem Cod. de locato, & in leg. Si merces §. Qui fundum ff. locati*. In tali tamen casu Conductor potest agere de suo interesse 15
contra venditorem, aut contra suos hæredes, si ille fuerit præmortuus; *l. Qui fundum ff. locati, & l. Nihil §. ultim. ff. de legat. 2.*

Neque Legatarius, neque Donatarius tenetur stare loca- 16
tioni factæ per Legantem, aut Donantem de re legata, aut donata: Legatarius enim, seu Donantem de re legata, aut donata: Legatarius enim, seu Donatarius est successor singularis: successor autem singularis non tenetur stare contractui locationis inito per suum prædecessorem in tali re: *cit. l. Qui fundum ff. locati, & l. Nihil §. ultim. ff. de legatis 2.*

Neque successor in Majoratu tenetur stare locationi factæ 17
per prædecedentem in Majoratu; *leg. Si quis Domum §. Hic* 18
subjungi ff. locati. Neque Fideicommissarius tenetur stare locationi factæ per hæredem gravatum: *l. Peto §. Prædium ff. de legat. 2.*

Neque Filius successor in legitima tenetur stare locationi 19
factæ in ipsa per patrem; Legitima enim debetur omni onere: & quavis obligatione detracta: *l. Omnimode, & leg. Quoniam novello Cod. de inofficios. testamens.* Non esset autem Legitima sine onere, & obligatione, si Filius in eadem succederis, teneretur stare locationi factæ per Patrem.

Locator tenetur rem locatam juxta modum, & tempus per 20
locationem conventum præstare Conductori, alias si ob ejus causam Conductor nequeat frui re conducta tempore, & modo convento, debet restituere pretium, & interesse; *Communis* per textum *in l. Ex conducto 15. §. 8. & l. 24. §.4. ff. locati*. Item tenetur Locator restituere pretium, & interesse 21
Conductori, si impedimentum ab alio proveniens non impedivit, dum potuit; Si autem non potuit impedire, tenetur solum restituere pretium, & non interesse; *l. Ex conducto 15. §. 8. ff. locati; & l. Si fundus 33. ad fin. ff. eodem* ibi; *Si Colonus tuus frui re, a te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis, tantum ei præstabis, quantum ejus interfuerit frui; Sin vero ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus, non poteris, nil amplius ei, quam mercedem remittere, aut reddere debebis.*

Locator tenetur propriis expensis reparare, & reficere 22
in re locata, quæ necessario reparanda sunt, ut Conductor modo, & tempore convento, ea commode uti, & frui possit; alias Conductor agere potest *ex Conducto* contra ipsum ad refundendum pretium, & interesse. *Communis*, textu expresso *in l. Ex conducto 15. ff. locati, & l. Si merces 25. §. 2. ff. eodem*,

Locator obligatur etiam ad refundendas expensas tam ne- 23
cessarias, quam utiles a Conductore in rem locatam factas, & duraturas etiam post finitam locationem. *Communis*, textu clarissimo *in l. Dominus 55. §. 1. ff. locati*, ibi; *Si in conducto fundo* (suppletur, vel alia re locata) *Conductor sua opera aliquid necessario, vel utiliter auxerit, vel ædificaverit, & instituerit, cum id non convenisset ad recipienda ea, quæ impendit ex Conducto cum Domino fundi experiri potest*; & concordat *leg. Colonus 61. in princip. ff. eodem*.

Et si locator nolit refundere tales expensas necessarias, si- 24
ve utiles duraturas etiam post finitam locationem ad commodum ipsius Locatoris, potest Conductor meliorationes factas secum asportare, si sint amovibiles sine læsione rei locatæ, *l. Sed addes 19. §. 4. & 5. ff. locati*. Vel si sint inamovibiles 25
sine læsione rei locatæ, potest Conductor rem locatam tandiu retinere, & ea uti, donec per decurrendas pensiones de factis expensis se compensaverit, *l. 5. princip. ff. de impensis in rem dot. & l. Colonus 61. in princip. ff. locati*. Nisi tamen de expensis faciendis aliter inter contrahentes conventum sit, seu consuetudine loci aliud receptum sit, ut communiter advertunt Doctores.

Locator tenetur manifestare Conductori vitia occulta rei 26
locatæ, alias si ex vitio non manifestato sequatur damnum Conductori, tenetur ad restitutionem; *l. Sed addes 19. §. 1. ff. locati; l. Item quæritur §. ff. eodem*, cum similibus. Un- 27
de si equum asuetum se se in aquam projicere alteri locavit ad merces transferendas, non prænonito Conductore de tali vitio, tenetur merces exinde perditas, & alia damna secuta resarcire; & idem dicendum est de Nauta locante navem non idoneam, & de locante pascua ferentia herbas nocivas, & de similibus; *cit. l. Sed addes 19. §. 1. ff. locati, l. Item quæritur §. 1. ff. eodem, juncta l. Tenetur §. Sed si vas ff. de action.* 28
empt. Si autem Locator tale occultum vitium penitus ignoraverit, tenetur restituere solum pretium, at non interesse, & damna: *cit. l. Sed addes 19. §. 1. ff. locati, juncta l. 15. 33. & 34. ff. eod.* Molina *disput. 494.* Bonacina *de contractib. disp.3. q.uæst. 7. punct. 3. num.7. 3.* Reiffenstuel. *loc. cit. num.36.* et alii passim.

Locator, non vero Conductor, tenetur præstare tributa, et 29
onera publica, quæ ratione domus, aut fundi locati debentur. *Communis*, textu expresso *in leg. Ædiles studeant unic. ff. de via publica*, ibi: *Construat vias publicas unusquisque secundum propriam domum: & aquæductus purget, qui fub diu sunt, & construat ita, ut non prohibeatur vehiculum transire; Quicumque autem mercede habitant, si non construat Dominus, ipsi construentes imputent dispendium in mercedem.*

Locator absque legitima, & justa causa ante finitum Loca- 30
tionis tempus nequit expellere Conductorem invitum e re conducta, & si illegitime expellat, tenetur ad refundendum pretium, & interesse; *Communis* textu expresso *in l. Ædc 3. l. Si olei 21. leg. Si in lege 24. §. 4. ff. Locati, & concordat l. Si merces 25. & l. Si fundus 33. ff. eodem*.

Quatuor autem ob causas potest Locator ante finitum tem- 31
pus locationis Conductorem e re conducta invitum expellere, ejusque usu, & fructu privare; *Communis*, textu expresso *in l. Ædc 3. Cod. de Locato, & cap. Propter 3. de locato, & conducto*.

Prima causa est si Conductor per biennium pretium con- 32
ventum non solverit; *cit. cap. Propter 3. de Locato, & conducto*; ibi: *Cum Canonem per biennium non solvisset*, non concordat *l. Ædc 3. C. de locato, & l. Quæro 54. & l. Cum Domini 56. ff. locati*. Tempus autem hoc biennale ad repellendum Conductorem invitum requisitum intelligitur solum in locatione ad longum tempus celebrata, V. G. ad decem annos, vel etiam ad quinque annos; In locatione vero ad brevius tempus, V. G. ad duos, vel tres annos, si Conductor non solverit pretium statuto tempore, potest statim expelli; *Communis* cum Glossa *in cit. cap. Propter verb. Canonem arg. cit. l. Ædc 3. Cod. de locato, & l. Quæro 54. §. 1. ff. eodem*.

Secunda causa est, si Locator ipsemet indigeat domo, vel 33
alia re locata propter necessitatem aliquam, quæ tempore Locationis non erat, & cui necessitati aliter providere nequit, *cit. l. Ædc 3. Cod. de locato* ibi; *Nisi propriis usibus Dominus* eam necessariam probaverit, *& cit. cap. Propter 3. de locato, & conducto*, ibi; *Verum invito Inquilino domum inhabitare poteris, si necessitas (quæ tamen tempore locationis non erat) id exposcat*. Et talem necessitatem Locator habere dicitur, etiamsi suus Filius, aut suus Pater vel Mater re alteri locata indigeat, quia hi jure naturali extraneo Conductori præferuntur. Bald. *in cit. l. ede 3. Cod. de locato num. 11.* Molina *disp.499. n.5.* Azorius *part.3. lib. 8. quæst. 2.* Pirhing. *lib. 3. Decretal. tit. 18. n.23.* Reiffenstuel *ibidem n.53.* & alii.

Tertia causa est, si Locator re locata male utatur, vel con- 34
tra bonos mores, vel eam deteriorando, *cit. l. ede 3. Cod. de locato*, ibi; *Aut tu male in re locata versatus es, & cit. cap. Propter 3. de locato, & conducto*, ibi; *Etiam inde rationabiliter amovetur, si perverse ibi fuerit conversatus*.

Quarta causa est, si domus, seu alia res locata necessaria 35
indigeat refectione, seu reparatione, qua non indigebat tempore locationis, & quæ fieri nequit, nisi ad tempus discedat

Conductor; *cit. l. ede* 3. *Cod. de locato*, ibi; *Aut corrigere Domum maluerit. & cit. cap. Propter* 3. *de locato, & conducto*, ibi; *Verum invito Inquilino Domum .... reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tem-*
36 *pore) id exposcat*. Locator autem, domo refecta, tenetur ad permittendum, ut Inquilinus redeat, si velit, ad pristinam Conductionem pro tempore, pro quo conduxit. Glossa communiter recepta *in leg. Si duo* 3. §. *Cum Inquilinus ff. Uti possidetis*, Bartolus *ibidem*, Carocius *part.* 4. *tit. causæ recusationis quatuor, quæst.* 6. Rosignol. *loc. cit. prænot.* 19. *n.* 21. Reiffenstuel *loc. cit. n.* 54. & alii passim.

37 Regulariter loquendo, si ob sterilitatem, seu alios evenientes casus sine culpa Conductoris, ipse Conductor fructus non percipit ex re frugifera locata, tenetur Locator remittere mercedem vel totam, si omnino nullos percipit fructus, vel ad ratam, si paucos, & exiguos colligit. *Communis*, textu expresso *in cap. Propter sterilitatem* 3. *de locato, & Conducto*, ibi; *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo Conductores vitio rei sine culpa Coloni, seu casu fortuito contingentem, Colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda, & l. Ex conducto* 15. §. 2. *ff. locati, l. Si merces* 25. §. *Vis major ff. eodem, & l. licet* 8. *Cod. eodem*. Et ratio est clara, quia pensio, sive merces locationis constituitur in compensationem fructuum ex re, vel fundo conducto percipiendorum, adeoque ratio, et æqualitas postulat, ut si Conductor omnino nullos percipit fructus, aut paucos, et exiguos, pensio seu merces ex toto, vel ex parte pro rata, juxta proportionem damni, el a locatore remittatur.

38 Notanter autem dicitur *regulariter loquendo*, quia multi sunt casus, in quibus Locator non tenetur pensionem minuere; seu de pretio, vel mercede remittere. Primus casus est, quando sterilitas *unius* anni compensatur per majorem fertilitatem alterius anni, sive præcedentis, sive subsequentis, textu expresso *in cit. cap. Propter sterilitatem* 3. *de locato, & Conducto*, ibi: *Nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari*, & concordat *l. Ex conducto* 15. §. 4. *ff. Locati & l. Licet* 8. *Cod. eodem*. Nec refert sive continuis, sive interpolatis annis sterilitas fertilitate compensetur, ut recte notant Molina *disput.* 495. *num.* 20. Barbosa *in cit. cap. Propter sterilitatem num.* 18. Pirhing. *lib.* 3. *Decretal. tit.* 18. *num.* 6. Reiffenstuel *ibidem num.* 41. & *alii, argum. leg. Ex conducta* 15. §. *Papinianus, ff. Lo-*
39 *cati*. Quinimmo si ob præsentis anni sterilitatem V.G. Locator mercedem ex toto, vel ex parte remittit, eamdem iterum repetere potest, si immediate sequenti, vel etiam secundo, tertio, aut quarto anno ubertate compensetur damnum illatum, textu expresso *in l. Ex conducto* 15. §. *Papinianus ff. locati*, ibi: *Papinianus ait, si uno anno remissionem quis Colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contingit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quo remisit, exigendam*. Et sic tenent omnes Doctores citati *num. antecedenti*, & insuper Gregorius Lopez *lib.* 23. *tit.* 5. *part.* 5. Ancharanus *in cap. Propter sterilitatem col.* 3. *num.* 22. *de locato*, Bartolus *in l. Si merces* §. *Vis major num.* 8. *ff. locati*. Antonius Gomez *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 3. *num.* 19. Silvester *verb. locatio quæst.* 14. Filiuccius *tract.* 36. *cap.* 3. *quæst.* 5. Ognate *tract.* 35. *de locatione disput.* 127. *sect.* 8. *num.* 120. Azorius *Institut. moral. part.* 3. *lib.* 9. *quæst.* 4. Rosignolus *de locato, & Conducto contract.* 10. *prænot.* 6. *num.* 5. & alii, volentes, quod superveniente in fundo locato magna fructuum abundantia, augmentum pensionis faciendum sit in favorem Locatoris; quia dicunt ipsi in contractibus onerosis ultro citroque obligatoriis debet esse æqualis utriusque contrahentis conditio, adeoque si in magna sterilitate debet Locator minuere pensionem Conductori; eamdem debet augere in magna abundantia Conductor Locatori; Sed de hoc infra
40 *sub n.* 75. *& seq.*

Secundus casus est, quando Colonus est partiarius, scilicet dat Locatori loco mercedis pecuniariæ mediam v. g. vel tertiam partem fructuum, quia tunc ad ratam dividitur damnum inter Locatorem, & Conductorem, ut expresse dicitur *in leg. Si merces* 25. §. 6. *ff. locati*, ibi: *Partiarius Colonus, quasi societatis jure damnum, & lucrum cum Domino fundi partitur*, & concordat *l.* 53. §. 4. *ff. Pro socio*, & tenet *Communis Doctorum*.

41 Tertius casus est, quando inter Locatorem, & Conductorem conventum est, quod quocunque eveniente casu fructuum perceptionem impediente, adhuc Conductor pensionem solvere debeat, textu expresso *in l. Si quis* 9. §. 2. *ff. locati*, ibi; *Si quis fundum locaverit, ut etiam si quid vi majori accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum est*, & concordant *l. licet* 8. *Cod. de locato*, *l. Item quæritur*, §. *Si gemma, ff. eodem*; *l. Juris gentium* §. *Si quis pactus ff. de pactis, & cap. Contractus* 85. *de Regul. Jur. in* 6. ubi expresse dicitur, quod *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Et sic *Doctores communiter*. Vide infra *n.* 78.

Quartus casus est, quando consuetudo Regionis aliter ob- 42
tinuit, quia sicuti pacta obligant, ita & consuetudines; *cap. Cum tanto* 11. *de consuet. l. Ex conducto* 15. §. *Si vis tempestatis ff. locati, l. licet* 8. *Cod. cod. l. semper* 34. *ff. de Regul. Juris* ibi; *Semper enim in contractibus, id sequitur, quod actum est, aut si non pateat quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur*.

Quintus casus est, quando sterilitas est, consueta, vel ori- 43
tur ex vitio, seu intrinseca qualitate rei locatæ, quia sibi imputare debet Colonus, si conducit rem cum manifesto periculo, quod scit, & prævidet, vel scire debet, ut si conducat agrum prope flumen, quod sæpe sæpius excedat, vel tempore belli conducat prædium, ubi adest periculum hostilis incursus: *Sic communis Doctorum*, textu expresso *in l. Ex conducto* 15. §. 2. *ff. locati*, ibi; *Si qua tamen vitia ex re oriantur, hæc damno Coloni esse &c. Si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum Coloni esse*.

Sextus casus est, quando sterilitas, vel damnum in fructi- 44
bus provenit ex culpa ipsius Conductoris; *Communis arg. cit. l. Ex conducto* 15. ff. *locati*, ibi; *Cui resisti non potest, & cap. Damnum* 86. *de Regul. Juris in* 6. ibi; *Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*. Si enim Colonus negligens fuerit in colendis, vel stercorandis agris, in cooperiendis vitibus tempore hiemis, & hujusmodi, sibi imputet, si paucos, & exiguos fructus perceperit.

Septimus casus est, quando damnum ex sterilitate, aut 45
casu fortuito proveniens est modicum; *Communis* textu expresso *in l. Si merces* 25. §. *Vis major ff. locati*, ibi; *Modicum damnum æquo animo debet ferre Colonus, cui immodicum lucrum non aufertur, quia qui sentit commodum, sentire debet & damnum*.

Quodnam autem censeri debeat damnum parvum, & mo- 46
dicum, ob quod non debeat fieri remissio pensionis conventæ, & e contra quodnam censeri debeat damnum magnum, & notabile, seu immodicum, ob quod debeat fieri talis remissio? Variæ sunt Doctorum opiniones. Alii enim, inter quos est Bartolus *in l. Si merces* §. *Vis major ff. locati*, tenent tunc tòlum adesse magnum, seu notabile, & immodicum damnum, ob quod fieri debet remissio pensionis, quando deductis impensis Colonus nihil percipit, vel lucratur. Alii autem dicunt intelligi magnum, seu notabile, & immodicum damnum, quando tertia pars fructuum, qui communiter colligi solent, deficit; Sic Panormitanus, Navarrus, & alii, quos refert & reprobat Lugo *de Justitia & jure tom.* 2. *disput.* 19. *num.* 42. Alii demum, & revera multi, quos refert, et sequitur Molina *disput.* 495. *num.* 5. Lugo *loc. cit. num.* 43. defendunt tunc adesse magnum, et notabile, seu immodicum damnum, quando detracto semine, & impensis non percipiuntur tot fructus, quot adæquent mediam partem pensionis annuæ præstandæ, quia in jure magna læsio adesse non censetur, nisi sit ultra dimidium justi pretii; *l.* 2. *Cod. de rescind. vend. & l. Si voluntate Cod. eod.* Et juxta hanc satis probabilem sententiam tantum est remittendum de pensione propter sterilitatem, seu alium casum fortuitum, quantum sufficit, ut damnum partem pensionis solvendæ detracto semine, & expensis; Unde in tali casu, primo deducendum est semen, & id quod impensum est; deinde ex reliquo dimidia pars tradenda est Locatori; reliquum vero dividendum inter eumdem Locatorem, & Conductorem; Sic v. g. si prædium aliquod conductum fuerit pro mille libris Imperialibus, & ex illo prædio consueverint colligi centum modii tritici, & pro aliquo anno non fuerint collecti, nisi quadraginta, tunc Conductor debet prius de illis quadraginta modiis detrahere quantum valet semen, & expensæ in colendo factæ; postea reliquum debet appretiari juxta stylum Fori, & dimidium valoris tradi Locatori, & aliud dimidium dividi inter ipsos; Sic docte exemplificat Rosignolus *loc. cit. sub n.* 3.

Quamvis autem hæc ultima opinio sit satis probabilis, pro- 47
babilior tamen est sententia docens ad effectum, ut fiat remissio, æstimandam esse vulgi opinione, sicuti æstimatur pretium rerum venalium; Sic Glossa *in l. Si uno ff. Locati*, Cinus

cæ-

in l. Licet, *Cod. de locato*, Gail. *lib.* 2. *observ.* 23. *num.* 1. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 22. *num.* 7. Rosign. *loc. cit. sub num.* 3. Pirhing. *lib.* 3. *Decret. tit.* 18. *num.* 5. Reiffenstuel *ibid. num.* 47. & alii; *argum. leg.* 1. *ff. de jure delib. & l. Circa locationes* 19. *Cod. de locato*, ubi statuitur circa contractum locationis attendendum esse ad Regionum consuetudines.

48 Locatores, qui operas suas aliis locant, ut famuli, operarii, artifices, & hujusmodi tenentur juxta tenorem conventionis fideliter laborare, & in casu negligentiæ pro rata laboris omissi, vel non debite præstiti mercedem remittere, vel jam acceptam restituere debent. *Communissima, arg. libr.* 15. §. 6. *ff. Locati, & legib. Codic. de condictione. ob causam*.

49 Locatores operarum suarum tenentur etiam ad interesse, & damna, si quæ ex eorum culpa lata, vel levi, non tamen levissima, Domino emergunt, *Communis, arg. l. Si* §. 10. *ff. ad Legem Rhodiam*; Et ratio est, quia in contractibus, qui fiunt in gratiam utriusque contrahentis, ex culpa lata, vel levi, non tamen ex levissima, obligantur contrahentes; *arg. l. Si ut certo, ff. commodati*: Unde si quis sit conductus ad opus aliquod faciendum, & illud sive ob suam imperitiam, sive ob non adhibitam debitam materiam, sive ob aliam causam sua culpa opus imperfecte, aut vitiose conficit, tenetur ad interesse, & omnia damna refarcienda. *Communis*, per textum *in l. Si in Lege princ.* 24. *l. Opus* 36. *l. Ea Lege. l. Locavi, ff. Locati*.

50 Qui operam suam locarunt ad custodiendum gregem, vel aliam rem, tenentur ad restitutionem, si sua culpa lata, vel levi perit, seu perditur ovis, vel res, & hujusmodi. *Communis*, per textum *in l. Si quis fundum* 9. §. 4. *ff. Locati. l. Qui*
51 *mercedem* 5. *ff. eod.* Et tales custodes ad se liberandum ab onere restitutionis, tenentur probare, quod ovis, seu res furto, vel rapina ablata, sit, vel fugerit, vel perierit, & hujusmodi, & quod eorum culpa id non acciderit. *Communis; arg. l. Si quis fundum* 9. §. *Imperator, ff. Locati, leg. Si quis ex argentariis prope finem, ff. de edendo, juncta l. fin. ff. de custod. rerum, & exhib.*

52 Famuli, aliique locantes operas suas, si ante finitum tempus Locationis absque legitima causa ex malitia, & culpa, sua discedant, tenentur ad damna Domino inde secuta. *Communis; arg. l. Dominus* 55. §. 2. *ff. Locati, & l.* 1. *Cod. de Servis fugitivis*, ubi additur ratio, videlicet: *Ne servorum fuga Dominis suis ex quacumque causa fiat damnosa*.

53 Sic etiam Dominus debet totum salarium servis conductis, si absque legitima causa eos repellit ante finitum tempus locationis. *Communis, arg. l. Qui operas* 38. *ff. Locati*, ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non steterit, quominus operas præstet; l.* 2. *ff. de his, qui sui, vel alieni Juris, l. Sed addes* 19. §. 4. *ff. Lo-*
54 *cati*. Nisi Famuli aliud servitium pro æquali mercede statim acquirant; sicque damnum non sentiant, *arg. l. Sed addes* 19. §. 4. *ff. Locati*: ubi statuitur debere mercedem illi, penes quem non stet, quod operas locatas præstaret, ibi: *Si eodem anno mercedem ab alio non accepit*.

55 Hinc generaliter tenetur Conductor solvere personas conductas, etiamsi uti non possit opera earum, si impedimentum intuitu ipsius conductoris proveniat; & nisi tales personæ conductæ interea alii pro æquali mercede operas præstent, sicque damnum non sentiant. *Communis*, per mox citata Jura *sub n.* 53. *& 54*.

56 Si autem impedimentum ratione ipsarum personarum conductarum proveniat, quominus earum opera uti possit Conductor, tunc mercedem dare non tenetur, nisi pro rata temporis, quo earum opera uti potuit. *Communis, arg. leg. Ex conducto* 15. §. 2. *& 6. ff. Locati, l. Ex fundo* 33. *ff. eod. l. fin. Cod. de condict. ob caus.*

57 Unde Herus non tenetur dare mercedem famulo pro longo, & notabili tempore quo ægrotat, nisi id specialiter sit conventum, aut ferat consuetudo Regionis; Sic Glossa communiter recepta *in l. Si uno* §. *Item cum quidam, ff. Locati, & in l. Opera, ff. de usufruct. l.* Ancharanus *in Cap. propter sterilitatem* 3. *de Locato n.* 17. Abbas *in Cap.* 1. *de Clerico ægrot. & debil. n.* 6. Covarr. *lib.* 3. *variar. resol. Cap.* 13. *n.* 8. Navarrus *in Manual. Cap.* 17. *numer.* 108. Rosignol. *loc. citat. contract.* 10. *prænot.* 9. *num.* 8. Reiffenstuel *l. c. n.* 99. & alii passim.

58 Dicitur autem notanter: *Nisi id specialiter si conventum, aut ferat consuetudo Regionis*, quia *Cap. Contractus* 85. *de reg. Jur. in* 6. expresse dicitur, *quod Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*: Unde talis conventio omnino servari debet, *l. Ex empto* 11. *ff. de action. empt.* Et sic etiam talis consuetudo servanda est, cum hæc legitime introducta vim legis habeat: *Cap. Cum tanto* 11. *de consuetudine*, & maxime, quia locatio, seu conductio præsumitur fieri juxta consuetudinem locorum, nisi aliud exprimatur: *l. Circa locationes* 19. *Cod. de locato*. Dicitur etiam notanter *pro longo* 59
& notabili tempore, quia si modico tòlum tempore v. g. per aliquos dies ægrotaret famulus ad annum conductus, ex æquitate, & naturali caritate, non esset aliquid propterea de sua mercede detrahendum, *arg. leg. Cum hæres* 4. §. 5. *ff. de statu libero*.

An autem famuli, vel famulæ possint occulte aliquid sur- 60
ripere de bonis suorum Dominorum, seu Conductorum, quando judicant mercedem, seu salarium eorum esse minus justo. Vide *verb. Famuli, Famulæ a n.* 26. & verb. *Compensatio per tot.*

Conductor vi Conductionis tenetur integrum pretium sol- 61
vere Locatori tempore in contractu præfixo. *Communis*, per textum *in leg. Quod si* 28. *& leg. Insulam* 58. *ff. Locati*.

Unde si sit in culpabili mora solvendi, tenetur & pretium, 62
& usuras ejusdem solvere; si enim qui ei locavit rem, seu operam suam, ratione non sibi soluti conventi pretii tempore præfixo, patiatur aliquod damnum, ut si cogatur credito, & consequenter carius emere sibi necessaria, debita contrahere, & pro summis capitalibus interesse solvere; seu aliquod honestum, & licitum lucrum amittere, tenetur ipse Conductor ad omnia talia, & similia damna causata ex sua culpabili mora solvendi integrum pretium: textu expresso *in l. Præses* 17. *Cod. de Locato*, ibi: *Præses Provinciæ ea, quæ ex locatione debentur, exsolvi sine mora curabit, non ignarus ex locato, & conducto actionem cum sit bonæ fidei, post moram usuras legitimas admittere*; Et sic tenet *communis Doctorum*.

Conductor sine justa, & rationabili causa ante tempus 63
conductionis finitum nequit rem conductam dimittere, alias si dimittat tenetur solvere pensiones totius temporis conventi. *Communis*, textu expresso *in l. Dominus* 55. §. *Qui contra legem: ff. Locati*, ibi: *Qui contra legem conductionis fundum ante tempus sine justa, & probabili causa deseruerit, ad solvendas totius temporis pensiones ex conductio conveniri potest*, & concordat *l. Si in lege* §. *Si Domus*; *ff. eodem* cum similibus.

Dicitur notanter *sine justa, & rationabili causa*, quia tali 64
aliqua causa interveniente sine sua culpa, potest rem conductam deserere, & pensiones non solvere, tales autem justæ causæ sunt, si res facta fuerit sine sua culpa inhabilis ad eum usum, ad quem conduxit; Si nequeat domum inhabitare, vel quia ruinam minatur, vel spectris, seu spiritibus prædominantibus infestatur, vel pestis, & hostilis incursio ibi prudenter timetur, & hujusmodi; *l. Habitatores* 27. §. 1. *ff. locati, & c. l. Dominus, & c. l. Si in lege*, cum similibus, *& communis Doctorum*.

Conductor translacto locationis tempore ex vi contractus 65
tenetur rem conductam integram, & non deterioratam reddere locatori, nisi ex ipso usu secundum se, & ex natura sua, & non ex culpa conductoris sequatur aliqua deterioratio, quæ certe non est compensanda. *Communis* per textum *in l. Conductoris, Cod. de Locato, & l. Non ahs re, Cod. Unde vi*. Si autem Conductoris dolo, vel culpa lata, seu levi 66
res conducta sit facta deterior, tenetur ad restitutionem, seu compensationem, *leg. Si quis* 9. §. 3. *l. Item quæritur* 13. §. 1. *ff. Locati*.

Conductor tenetur non uti re conducta, nisi ad eum usum, 67
de quo facta fuit conventio, alias impetitur actione furtiva; *l. Qui juramenta & l. Qui pignore, ff. de Furtis, l. Si ut certo* §. *Sed interdum, ff. Commodati, & §. Furtum autem fit, Instit. de obligat. quæ ex delicto*. Nisi forsan rationabiliter 68
præsumeret, Locatorem non fore invitum, *l. Qui re* 76. *ff. eod.* Unde qui absque rationabiliter præsumpto locatoris con- 69
sensu utitur re conducta ad alium usum, ad quem per locatorem non fuit concessa, & in illo usu ex casu fortuito res fuerit deperdita, vel deteriorata, tenetur de casu. Sicut si quis equum conduxerit pro itinere Taurinorum versus, & eo usus fuerit versus Mediolanum, & ultra, eoque in itinere furatus fuerit, seu petierit, tenetur ad restitutionem, & ad omnia damna, & interesse locatoris, quia peccavit contra Justitiam in damnum ipsius locatoris, & ex culpa dedit

cau-

causam ipsi casui fortuito. Molina *disp.795. vers. Illud præterea*, Filiucius *tr.34. Cap.8. n.186.* Baldus *cons.289. num.4.* citati & secuti a Rosignolo *l. c. contract.10. prænot.15.* Bonacina *de contract. disp.3. q.7. punct.3.* cum aliis ibi citatis, Reiffenst. *l.c. n.58.* & alii *arg. cit. Juribus*.

70 Conductor tenetur ad refarciendum damnum, sive propria, sive famulorum culpa contingat, si negligens, vel culpabilis fuit in seligendis bonis, ac probatis servis; Secus vero si servi selecti erant moribus, & vita probi, & tales, ut prudens Paterfamilias eos non reprobaret: *arg. l. Videamus* „ 11. *in princip. locati*, ibi: „ Videamus, an & servorum culpam, & quoscumque induxerit, præstare conductor debeat? &c. Mihi ita placet, ut culpam etiam eorum quos induxit, præstet suo nomine, etsi nihil convenit, si tamen culpam in inducendis admittit, quod tales habuerit, vel suos, vel Hospites„. Concordat *l. Nam & Servus §. fin. ff. de negot. gest. l. De illo, ff. pro socio, leg. Cum plures, ff. eod. l. Qui insulam §. fin. ff. locati, l. Si Servus Servum 27. §.9. ff. ad legem Aquil.* ubi expresse dicitur: *Si fornacarius servus Coloni ad fornacem obdormisset, & villa fuisset exusta, Neratius scripsit, ex locato conventum debere; si negligens in eligandis ministris fuit*; Ex quibus Juribus aperte infertur conductores teneri quidem de damno proveniente ex culpa servi non probi, nec diligentis culpabiliter electi, at non de damno proveniente ex culpa servi probi, diligentis, & probati prudenter electi. Sic Azorius *Instit. moral. p.3. l.8. c.7. q.4.* Rosignol. *l.c. contr.10. prænot. 7. n. 6.* Reiffenstuel *l. cit. n.64.* & alii. Vide *verb. Damnificatio, Damnum n.8. & verb. Incendiarii*.

71 Probare, quod damnum ortum V. G. incendium in Domo conducta contigerit culpa Conductoris, spectat ad Locatorem; Menochius *de arbitr. judic. cas.390. n.9.* Mynsing. *centur.6. observ.88.* Layman *l.3. de Institia tract.4. Cap.22. n.6.* ubi testatur de communi; Gail. *l. 2. observ.21.* Engel. lib.3. *l.3. decret. tit.18. n.7.* Reiffenst. *ibid. n.68.* dicens esse communem aliorum sententiam, Maschard. *vol.2. concl.467. numer.8.* ubi concludit hanc sententiam veram esse, ac communem. Et ratio est, quia Actori incumbit probatio, *l. 2. ff. de probat. & l.4. Cod. de Fatendo*: in casu autem incendii, si locator prætendit damni compensationem, & Actor, ut de se patet, adeoque &c. Tum quia culpa, & delictum in dubio non præsumitur, sed probari debet, ut tenet communis Doctorum cum Maschard. *l. c. n. 1. arg. l. Merito 51. ff. Pro socio, l. Dolum 6. Cod. de dolo*.

72 Quando Conductor uti non potest re conducta ob impedimentum ex parte sua, vel ratione sui proveniens, tenetur nihilominus ad totam mercedem: *Communis arg. l. Habita-*
73 *tores 27. §.1. ff. locati, & l. Dominus 55. 2. ff. eod.* Nisi forsan locator talem rem V.G. Domum a conductore desertam, statim alteri pro æquali pretio locaverit, ac consequenter nullum damnum sentiat, *arg. l. Sed addes 19. §. 9. ff. locati*, ubi statuitur deberi mercem illi, penes quem non stet, quod operas locatas præstaret: *Si eodem anno mercedem ab alio non accepit*.

74 Si autem Conductor non possit uti re conducta ob impedimentum non ex sua culpa, nec ratione sui, sed vel ex culpa locatoris, seu aliunde proveniens, non tenetur solvere mercedem pro illo tempore, quo re conducta uti non potuit: *Communis arg. c. l. Habitatores 27. §. 1. ff. locati, l. Si fundus*
75 *33. l. Periude 34. l. Et hæc 35. ff. eod.*

Conductor an teneatur augere mercedem, si tempore ubertatis, ac fertilitatis majores solito fructus percipiat ex re frugifera conducta? Variæ sunt sententiæ Doctorum. Prima absolute tenet, in tali casu augendam esse pensionem in favorem locatoris; Sic Juristæ communiter, quos affert Molina *disp.494. num.15.* ut notat Lugo *t.2. disp.19. n. 50.* Rosignolus *de Locato & conducto contr.10. n. 5.* cum pluribus aliis ibi citatis, & supra adductis *sub n. 39.* quia in contractibus onerosis ultro citroque obligatoriis debet esse æqualis utriusque contrahentis conditio, adeoque si in magna sterilitate debet locator minuere pensionem Conductori, eamdem debet augere in magna abundantia Conductor locatori: *Contrariorum enim eadem est ratio, l.1. ff. de His, qui sui, vel alieni Jur.* & ut dicitur *in Reg.10. ff. de Regul. Juris: Secundum naturam est commoda cujusque rei eum sequi, quem sequitur incommoda*, & consonat *cap. Qui sentit 55. de Regul. Jur. in 6.* ibi: *Qui sentit onus, sentire debet commodum, & e contra*.

76 Secunda sententia tenet augendam esse pensionem in favorem Locatoris, quando ubertas, seu abundantia provenit ex aliquo casu fortuito ob rerum mutationem: Ut si V. G. quis conduxit Molendinum, quod solum superfit, reliquis omnibus casu fortuito aquarum impetu destructis, proinde multo plures afferat fructus, seu redditus, tunc Conductor augere debet pensionem in favorem Locatoris; Molina *disp. 494. num.10.* Lessius *lib.2. cap.24. dubit.3. n. 21.* Filiuccius *tract.36. Cap.3. q.5.* Navarr. *Cap.17. num. 291.* Reginaldus *lib.25. cap.7. n.524.* Abbas *in cap. Si propter sterilitatem 3. de Locato num. ult.* Azorius *part.3. lib.9. cap.10. q.3.* Bonacina *de contract. disp.3. q.7. punct.3. num.14.* Pirhing. *lib.3. decretal. tit.18. n. 8.* ubi dicit esse communem, & idem dicendum esse, quando ubertas provenit ex Cœli clementia propter rationem, & Jura adducta *n. anteced.*

Tertia sententia tenet absolute, nunquam augendam esse 77
pensionem in favorem Locatoris propter notabilem ubertatem, seu abundantiam, sive ipsa proveniat ex cit. casu fortuito de Molendino, sive ex clementia Cœli, & aeris, & tanto minus si proveniat ex speciali industria, & opera ipsius Conductoris; Lugo *de justitia & jur. tom.2. disp. 19. n.52.* Engel. *lib.3. decret. tit.18. n.6.* Zoesius *ibid. n. 12.* Canisius *ibid. n.9.* Reiffenstuel *ibid. n.78. & sequen.* Barbosa *in Cap. Propter sterilitatem 3. de Locato*. Illsung. *t.4. d.2. n.459.* La Croix *lib.3. p.2. n. 1049.* ubi dicit esse communem, quia *l. Si merces 25. §. Vis major ff. Locati* dicitur expresse, quod Conductori *immodicum lucrum non aufertur*, & pro hac sententia stat consuetudo, & praxis fere universalis, ut fatentur Pincianus, Pinellus, Eman., Suarez, Valasc. Salicetus, & alii, quos affert, & sequitur Rebellus *part.2. lib.14. qu.9. num.1.* Lugo *l. cit. num. 52.* & alii dicentes, usum non esse augendi pensionem ex hac causa; Unde ubi revera viget hæc consuetudo, & praxis, servanda est, *arg. Cap. Cum tanto 11. de consuetudine; & l. Circa locationes 1. Cod. de Locato*, ubi statuitur circa contractum locationis attendendum esse ad Regionum consuetudines.

Conductor obligans se ad casus fortuitos in genere, non 78
obligatur ad casus penitus insolitos: Bartolus *in l. Scio §. Medicos ff. de annuis leg.* Butrius *in Cap.1. de commodato*, Bonacina *loc. cit. num.13.* Rosignol. *l. c. prænot.8. n.4.* Pirhin. *l. cit. num.6.* Reiffenst. *l.cit. num.40.* ubi ex Molina *disp.495. num.20.* dicit esse communem contra Pinellum, & alios apud Molinam *l. cit. arg. l. Fistulas §. Frumenta ff. de contrahend. emption.* & Gloss. *ibid. verb. Immoderate*. Ut autem reputetur casus pro penitus insolito, non sufficit, quod a longo tempore V. G. a quadraginta annis non contigerit, sed debet esse talis, qui in hujusmodi Regione nunquam contigerit, aut omnem memoriam hominum superet, itaut de illo nulla penitus cogitatio, aut timor a Conductore concipi potuerit; sic notant passim Doctores,

Si tamen conductor per pactum expressum se obligasset ad 79
quoscumque casus fortuitos, etiam penitus insolitos, tunc ad ipsos teneretur; *Communis* per textum *in l. Si quis 9. §.2. ff. Locati, l. Licet 8. cod. eodem l. Item quæritur §. Si gemma ff. eodem, l. Juris gentium §. Si quis pactus ff. de pactis, & cap. Contractus 85. de Regul. Jur. in 6.* ubi expresse dicitur, *quod Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Vide *supra num.41.*

Conductor suscipiens in se periculum equi conducti, non 80
tenetur de morte naturali ejusdem, quia nomine, & appellatione periculi non venit mors naturalis ex naturalibus causis obventura, sed in his, & similibus casus nomine periculorum veniunt ea, quæ ex causis extrinsecis possunt obvenire, ut ex incursione hostium, latronum aggressione, viarum difficultate, & similibus. Tum quia mors naturalis æque obvenire potuisset, sive equus fuerit locatus, sive non: sive locatus tali Conductori, sive alteri, nisi talis Conductor quodammodo per modum usuetum cautam dederit illius morti, quia tunc ratione culpæ teneretur de ipsa morte; sic Rosignolus *l. c. disquisit.1. §.25. n. 2.* et alii.

Conductor tenetur prius aliis locutori in fructibus rei loca- 81
tæ, et locator in dictis fructibus habet tacitam hypothecam contra quoscumque creditores anteriores Conductoris; Rota *rent. p.14. dec.64. n.9. p.18. t. 2. dec.726. n.3. & seq. p. 19. t.1. dec.91. num.* 20. Locator enim, seu Dominus fundi pro 82
pensione sibi debita potest agere executive super dictis fructibus, *l.Si servus 63. §. Locavi ff. de Fur.* Rota *p.14. citat. dec.64. num.6.* qui fructus fundi tacite censentur pro pensione obligati, *l.in Prædiis ff. In quibus caus. pignor. vel hypoth.* Rota *ibidem num.* 7. & Locator, seu Dominus fundi quoque non fuerit de pensione satisfactus potest interdicere aportionem fructuum; Rota *ibid. n.8.*

Locatori competit Jus, & actio *ex locato* ad ea omnia 83
prosequenda, ad quæ eidem obligatur Conductor vi locationis; & e contra Conductori competit Jus, & actio *ex conducto* ad ea omnia prosequenda, ad quæ eidem obligatur Locator vi conductionis; *Communis* per textum *in l. Præses 17.*
84 *Cod. de Locato*. Et hæc Jura, & actiones, sicuti etiam onera, & obligationes transeunt respective ad eorum hæredes; *Communis* per textum *in l. Sed addes 19. §.9. ff. locati l. Viam veritatis 10. Cod. eodem §. final. Instit. eod. l. Veteris 13. Cod. de contrahend. & committ. stipul.* ubi universaliter ita statuitur: *Generaliter sancimus, omnem stipulationem sive in dando, sive in accipiendo inveniatur, & ad hæredes, transmitti*, & ibi etiam additur ratio: *Cur enim quod in principalibus personis justum est, non ad hæredes, & adversus hæredes transmittatur?*

Novæ additiones ex aliena manu.

1 DE locatione bonorum Ecclesiasticorum disseruimus licet breviter *in additione ad verb. Alienatio Articul. III.* differendum hic, sed breviter quoque, de locatione fructuum eorumdem.

2 Porro, si fructus non ad Rectorem Ecclesiæ, sed ad ipsam Ecclesiam pertineant, ut solent esse fructus destinati in Fabricam Ecclesiæ, prohibita sine solemnitatibus est eorum locatio ad longum tempus, non secus ac locatio bonorum Ecclesiasticorum, pariter ad longum tempus; *Clementin. de Reb. Eccles. non alienan.*

3 Si autem fructus pertineant ad Rectorem, indubitanter prohibita est eorum locatio anticipatis solutionibus in præjudicium Successoris, *ex Concilio Trid. sess.25. Cap.11. de Reform.* Quinimmo secluso etiam præjudicio Successoris ex
4 Constitutione S. M. Benedicti XIV. cui initium est: *Universalis Ecclesiæ cura*, prohibita quoque est locatio eorumdem ad vitam, recepta unica vice mercede illa, quam Beneficiarius habita ratione ætatis, tum valetudinis corporis, verisimiliter durante vita consequi potuisset, idque ne consumpta pecunia illa mendicare postea cogatur ipse Beneficiarius.

5 Extra hos casus opinio non vulgarium doctorum est, quod ad longum tempus, imo ad vitam, locari sine solemnitatibus a Beneficiario possint fructus ad se spectantes, propterea quod sacri Canones prohibendo alienationem bonorum Ecclesiasticorum, prospicere intellexerunt indemnitati Ecclesiarum dumtaxat, non item Rectorum earumdem, ut nominatim, confutatis *Guttierez., Barbosa*, aliisque, firmant *DD. in decret. ad tit. de locatis, Pirhing. num.26. Scambog. n.3. Wiestner num.14. Leuren. q. 146. per tot. Schmalzgrueb. num.37. Covarruv. variar.resol. lib.2. Cap.16. num.6. Redoan. de Reb. Eccles. non alien. q.6. §.ultim. num. 4. Mantic. de tacit. & ambigu. lib.5. tit.13. num-21. Carocc. de locat. & Conduct. p.3. num.51. Azor. Instit. Moral. p.2. lib.9. Cap.2. q.7. Vasquez. opuscul. de Redditib. Cap. 2. §.2. num.31. & 34. Castrop. tom.2. tract.11. disp. unic. p.1. n.11. Sopran. ad Filiuc. tract.44. Cap.4. q.1. Quarant. in Summ. Bullar. verb. Alienatio num.18. Molin. de Primogen. Hispan. l.1. Cap.2. num.27.* Alter *Molin. de Just. & Jur. lib.1. tract.2. disp.466. numer.6. Giballin. de univ. negot. tom.2. lib.4. Cap.8. art. 4. confect.11. num.9. Delbene de Immunit. tom.2. Cap. 17. dub.24. per tot.*
6 & rursus *Cap. 18. dub.10. n.1. & 7.* ubi monstrat, contrariam huic sententiæ haud esse Extravagantem *Ambitiosæ, de Reb. Eccles. non alien.* Accedit, quod eo ipso quod prohibita est locatio fructuum, de quibus disseritur, anticipatis solutionibus, in præjudicium successoris, & recepta unica vice mercede, hisce exceptis duobus casibus, dici debet permissa, quum alias frustra caderet prohibitio super mox dictis duobus casibus.

7 At nihilominus delata hac controversia ad supremum Auditorium Rotæ, censuit ipsum ne fructus quidem ad Beneficiarium pertinentes posse ab eo ad longum tempus, sine
8 solemnitatibus locari. Quinimo sensit, id ipsum procedere, etiamsi expressim in contractum deducta sit *Commoditas* fructum, si fructus percepturus sit Conductor. Vide decisiones *in Aversana Manutentionis 22. Junii 1757. & 21. Novembr. ejusdem anni cor. R.P.D. Olivatio*. Causa vero, se-
9 mel a Sacro Auditorio fuit examinata, & quia prima propositio fuit facta unica dumtaxat parte informante, post secundam propositionem per concordiam fuit finita.

Agit *Auctor n.8. & 9.* de quæstione illa, an & quando 10
Successor in Beneficium stare teneatur locationi ab Antecessore factæ? Sed consule, qui eam pro dignitate tractat, *Cardinalem Lafredin. Responf. Eccles.16. per tot.*

Novissimæ Additiones ex aliena manu.

REgula, quam tradit *Auctor num. 49.* de præstatione culpæ latæ, tum levis, nequaquam vero levissimæ in locatione, & conductione operarum impugnat „ Wasmukt E
„ Exercit: ad obscuriora quædam Juris Romani Capita Cap.2. = sed seperanda est (*inquit*) conductio usus a „ conductione facti, & operarum. Multum enim interest „ operam ne quis locaverit, an fundum colendum, aut ædes „ inhabitandas quis conduxerit. Qui usum rei conduxit de„ fungitur si ea re ita utatur uti bonum Patremfamilias decet, „ nam præter dolum, *latam*, levemque culpam, nihil am„ plius præstare tenetur. Sed si quis opus faciendum rede„ merit, Is præterea levissimam quoque culpam præstare „ debet. Quin eo ipso quod illud redemit, sufficientem ejus „ perficiendi peritiam de se professus fuit, omninoque „ æquum est, ut ipso facto talem se præstet, qualem se ven„ ditavit: Utique si in eo efficiendo defecerit, hanc suæ ja„ ctantiæ pœnam daret, ut damnum datum sarciat = „. Vide eumdem rem variis juris locis confirmantem.

Impugnat etiam idem *Wasmukt ubi supra* Regulam illam 2
ab *Auctore* traditam *num.* 57, quod Hærus non tenetur dare mercedem Famulo pro longo, & notabili tempore, quo „ egrotat = „ Et sane (*ait*) qui suas operas alii locat, eas „ tantum locare voluit, potuitque quas per rerum natura „ præstare potuit. Si valetudine impeditus fuerit, vis major „ ac divina obstitit, quæ illi vis suas vires superet, imputa„ ri non debebat, nec poterat. Si ad Conductorem respi„ cias, dicendum est, eum nisi vel stolidus, vel stultus fue„ rit. alias etiam, quam quas Locator præstare potuit, con„ ducere voluisse. Si nihilo magis alias spectaverit cum „ Meciano ex l. XXXI. D. obligat. & act. dicendum foret, „ eum procul dubio nihil agi voluisse, dum ea cogitavit, quæ „ sciebat esse impossibilia. Certe enim scivit, aut saltem „ scire debuit, valitudinem bonum fragile esse, eumque cu„ jus operam conduxit morbis implicari, ac affici posse. Id„ que dum scivit, & nihilo minus ejus operam continuam „ conduxit, æquo animo ferre debebit, si decumbentis ope„ ra per diem unum, ac alterum carere debuit. Quod Lo„ catori imputaret non habet, quia invitus morbo decum„ bit, operasque contra suam voluntatem præstare impedi„ tur. Quin et idem dicendum esse puto quamvis per lon„ gius tempus impeditus fuerit, ac integram semper merce„ dem exigere poterit „.

Sed quid quid sit de duabus hisce inter se contrariis opinio- 3
nibus, id certum est, quod si nullum famulatui præscriptum sit *certum tempus*, ita ut in arbitrio Domini remaneat Famulum quandocumque dimittere, uti & Famuli famulatum deserere, non teneatur Dominus Famulo per id temporis, quo ægrotat mercedem præstare.

LOT PATRIARCHA.

Additamenta novissima Auctoris.

R

LOt quis fuerit, & de rebus ab eo gestis satis Scriptura testatur *Genes. cap.11. 13. 18. 19. & Sapient.10.* Uxor vero ejus, quam Rabini (teste Calmeto in Dictionario *verb. Lot*) *Hedit* appellant, cum contra Dei mandatum retrospexisset, in pœnam suæ inobedientiæ, & incredulitatis versa est in statuam salis. Genes.19. 26. ibi; *Respicienseque uxor ejus post se versa est in statuam salis*. Et Sapientiæ *cap.10. n.7.* ibi: *Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*. Et quamvis verosimile sit, illam non nisi venialiter, atque ita in Purgatorio expiatam animam salvam esse, voluit tamen severius punire Deus, & novo salis exemplo fatuos docere credendum in omnibus, & obediendum Deo, nec in sancto proposito respiciendum retro, tergiversandum; Ita Repertus Prosper, & alii apud Tirinum in *Gen. cap. 19. num. 26.* qui recte addit in eandem sententiam, ipsummet Christum dicere *Luc.17. num.31. Memores estote uxoris Lot*.

2 De hac Loti uxoris versione in statuam salis variæ sunt opiniones, at illis brevitatis gratia relictis, communior, & brevior est, corpus uxoris Loti, retenta figura feminea, illico conversum fuisse in sal lapideum, & quidem durissimum, ac quasi metallicum: Sic Plinius, Solinus, Isidorus, Aulus, Gellius, Petrus Hispanus, Calmet, Tirinus, & alii passim. Immo Irenæus Burchardus, Adricomius, aliique plures asserunt, illam statuam mulieris formam servantem hoc quoque tempore extare inter mare mortuum, & montem Engaddi, in quem Lot confugit. Quinimmo aliqui apud Calmetum *loc. cit.* addunt, rem sane incredibilem, ut ipse notat, quod nempe illa statua lapidea uxoris Lot infirmitatibus propriis, & muliebri sexui consuetis adhuc laboret.

LUDUS, SPONSIO.

1 LUdus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori in præmium victoriæ cedat, quod singuli deposuerunt. *Est in re Communis*. Ut ludus sit licitus, quatuor
2 requiruntur conditiones. I. Ut ludens non utatur dolo, & fraude. II. Ne alter alterum compellat ad ludum per vim, aut verbis contumeliosis. III. Ut ludens disponere possit de re, quam ludo exponit. IV. Ut sit æqualis conditio colludentium. *Sic Doctores communiter*.

3 Sponsio est contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit. *Est in re Communis*.
4 Ut sponsio sit licita, quatuor requiruntur conditiones. I. Ut fiat super re dubia. II. Ut sit æqualitas in re, quæ spondetur cum æquali incertitudine. III. Ut dubius sit eventus in utroque. IV. Ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur. *Sic Doctores Communiter*.

5 Ludi contractus Jure naturæ semper est licitus, quando in eo supradictæ quatuor conditiones concurrunt. *Communis*; Et ratio est, quia sicuti est in potestate cujuscumque rem suam alteri donare absolute, ita etiam in alterum transferre sub quavis conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat; Immo Layman *lib. 3. tr. 4. c. 21. n. 1.* Reiffen. *t. 8. de contract. dist. 4. q. 9.* Molina *t. 2. disp. 510. in fine*, & alii ex S. Thoma *2. 2. q. 168. art. 2.* colligunt, quod si ludus debito modo instituatur, sit actus duarum virtutum; scilicet Justitiæ, & Eutrapeliæ, et utilis sit ad evitandum otium, et quæ inde sequuntur mala.

6 Jure tamen positivo est prohibitus tam Laicis, quam Clericis ludus, qui sola fortuna, et casu regitur, seu omnis ille, qui alearum nomine venit. De Laicis patet *l. Victum 1. Cod. de Alcatoribus, & alearum lusu, l. Alearum usu. Cod. de Religios. & sumptibus funerum, l. Prætor 6. ff. de Aleatoribus*, ubi sancitur ludentes esse puniendos; et hoc est statutum ad evitanda gravia malæ ex ludis non raro evenientia, ut sunt perjuria, blasphemiæ, bonorum dilapidationes, familiarum lapsus, rixæ, homicidia, et hujusmodi; Unde etiam Horatius scripsit.

Nam ludus genuit strepitum, certamen, & iram.

De Clericis habetur expresse *in Can. 41. & 42. Apostolorum, cap. Episcopus 1. dist. 35. cap. Clerici Officia 15. de Vita, & honestat. Clericor. Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de reformat.* Imo non solum Legibus Ecclesiasticis, et Canonicis est ludus prohibitus Clericis, sed etiam Legibus Cæsareis et Civilibus, ut expresse habetur *in Authent. Interdicimus C. de Episcop. & Clericis* Vid. verb. *Clericus art. 5. num. 1. & 2.* ubi afferuntur omnes præcisi textus.

7 Hanc tamen prohibitionem quantum ad Laicos non esse, in vigore, saltem ubi lusus est moderatus quoad pretium, tempus, locum, modum, verba, et hujusmodi, declarat totius orbis praxis recepta, et etiam a valde timoratis frequentata.

8 An autem, & quomodo sit talis prohibitio in vigore quoad Clericos? *Vide d. verb. Clericus art. 5. a num. 3. ad 9.* & verb. *Venatio n. 1.*

9 Regulares autem, & Episcopi propter eorum perfectiorem statum, & propter scandalum possunt præ aliis Clericis facilius, et gravius peccare his ludis. Rebellus enim *lib. 12. quæst. 2.* censet, Religiosos, et Episcopos non posse excusari a veniali, si vel semel ludant, nisi urgeat necessitas excitandi, vel recreandi infirmum, et hujusmodi, cui non possit aliter satisfieri; Diana autem *part. 7. tract. 9. resolut. 4.* ex Molina *tom. 2. disp. 21. num. 6.* Dicastill. Lug. *disp. 21. num. 12.* putat, Religiosos, et Episcopos in ipsis ludis a peccato gravi excusari vix posse. Et Alcozer *lib. de ludo cap. 11.* absolute dicit, Episcopos, et Religiosos peccare mortaliter, quando ludis vetitis ludunt, nisi ubi consuetum est, et absque pravo exemplo sæcularium ob levandum aliquem infirmum, vel conjectum in carcerem, & ob solam animi recreationem, quod verum putant Sanchez *lib. 1. consil. ca. 8. dub. 28. num. 9.* Molina *loc. cit.* Lugo *loc. cit. num. 12.* Bannes, & alii, quia hi ludi multum dedecent statum Religiosorum, & Episcoporum.

Regulares ludentes lucri gratia pro pecunia, vel re pretio 10
æstimabili, peccant contra votum paupertatis, qui res, quas habent sibi concessas tantum ad usus necessarios, & utiles, expendunt in usus non necessarios, nec utiles, & exponunt jacturæ illicitæ, quod utrumque est contra votum paupertatis Religiosæ; Sanchez *lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 76.* Medicina *lib. 1. summ. cap. 14.* Tamburin. *de Jur. Abbat. tom. 2. disp. 21. quæst. 12. num. 1.* Bonac. *de contractib. disp. 2. q. 2. punct. 1. num. 9.* Lezana *in Summa quæst. Regular. to. 1. cap. 6. num. 50. & tom. 4. verb. Ludus num. 10.* & alii passim. Neque Prælati possunt ad hoc licentiam concedere, quia cum 11
non sint Domini, sed tantum prudentes administratores bonorum Monasterii, seu Conventus, sic non possunt ipsi in proprios usus, nisi necessarios, vel utiles ea expendere, ita neque possunt subditis facultatem concedere, ut in alios, quam in prædictos usus expendant, & tanto minus in ludos; Ledesma *2. tom. summæ tract. 31. cap. 1. post. 10. Conclusionem*, Sanchez *loc. cit. num. 86.* Tambur. *loc. cit. num. 8.* Salonius *2. 2. tract. de Domin. q. 5. art. 6. dub. penult.* Molina *t. 2. de Justit. disp. 250.* Lezana *loc. cit. verb. Ludus num. 11.* Alcozer *lib. de Ludo cap. 39.* Petrus a Navarr. *lib. 3. de restit. cap. 177.* Navarrus *comment. 2. de Regular. n. 15. & 18.* Lessius *lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 4. dub. 5. num. 33.* & alii Doctores, & signanter P. Rosignolus *de Restitutione 11. disquisit. 1. §. 8. num. 14.* ubi habet sequentia verba digna, ut hic ad litteram referantur, *ibi*: Nec incongrua ratione hæc decernuntur, quandoquidem ea, quæ habent singuli Religiosi etiam ex facultate Superioris, sunt nemine discrepante, quoad Dominium Monasterii; Superior autem non est bonorum Monasterii absolute Dominus, sed simplex dispensator, & administrator; & quidem ad normam eorum quæ præscribunt Instituta Ordinis, et Decreta, et Sanctiones Conciliares, et Pontificiæ: sed administratores simplices, et dispensatores non possunt administrare, et dispensare, ut ea, quæ sunt Monasterii, expendantur extra causas licitas, et honestas; cæteroquin patrimonium Christi profunderetur in res illicitas, et profanas. Hinc absolute arbitror, etiam stante consuetudine Religiosos ludentes ludis vetitis alearum, & taxillorum causa lucri graviter peccare, quantumvis hoc præsentent Superioribus videntibus, et non contradicentibus. Quod si hæc verificantur etiam Superioribus scientibus, quid erit dum fiunt remotioribus in abditis, ut passim contingit, ipsis omnino ignorantibus? An præsumetur eorum voluntas, et concessio? Abominabile adeo et hoc vitium est, ut Religiosum, statum, perfectionem evertat, Sanctitatem comminuat, vota dirumpat; Oh quam gravibus pœnis apud Supremum Dei Tribunal obnoxii erunt nedum Religiosi ludentes et Superiores etiam scientes, et corruptelam hanc non resecantes, quæ cedit nedum in animarum perniciem, sed etiam in Religionis eversionem? Hactenus Doctissimus, et zelantissimus Rosignolus.

Honestæ autem recreationis causa possunt Regulares lude- 12
re aliquam parvam, et modicam pecuniæ quantitatem de licentia Superiorum, dummodo non ludant ludis prohibitis, vel a jure, vel a Regula, vel Constitutionibus, seu scandalosis, ac Religioso statui indecentibus; quia tunc ludus est honestus, et ille usus pecuniæ licitus; Lugo *tom. 1. disp. 3. n. 144.* ubi dicit hanc sententiam esse communem, et veram Major *in 4. dist. 18. quæst. 13. in solut. ad 2.* Ledesma *loc. cit. cap. 6. num. 50. & verb. Ludus quoad Regulares num. 10.* Bonacina *loc cit.* Tambur. *loc. cit.* Rosign. *loc. cit. num. 21.* Portell. *dub. Regul. verb. Ludus num. 2.* subjungit: *Si vero quæratur, quantam summam, seu quantitatem possit Religiosus ludere, qualis quisque ille sit? Ego credo, illum posse ludere illam quantitatem, quam extra ludum licite donare, vel alienare potest juxta suam Regulam, & Constitutiones; Hæc enim regula certa est, & generalis. Si enim v. g. tres regales donare potest juxta suam Regulam, & Constitutiones, vel quid simile minus, aut majus, idem etiam poterit alienare ludendo; parum enim interest, si potens donare, vel alienare, donet, aut alienet gratis, vel per ludum sibi aliasve licitum.* Et idem tenet Navarr. *in Manual. cap. 19. num. 12.* Azorius *tom. 3. lib. 5. cap. 25. quæst. 8.* dicentes, posse Regularem extra Conventum existentem de licentia sui Superioris, ex iis, quæ sibi mittuntur ad congruam sustentationem, si aliquid modicum sibi subtrahat parce vivendo, illud exponere ludo, honestæ recreationis gratia; Et sic etiam Sanch. *l. 7. in Decal. c. 19. num. 79.* referens Valentiam, Lessium, Graffium, Saloniun, et alios; Et ita etiam Tamburrinus *de Jure Abbat. t. 2. disp. 21. quæst. 12. num. 3.* & alii. Qui tamen id limitant, nisi talis ludus sit prohibitus, aut indecens Religioso, ut est ludus alearum, taxillorum &c. vel prohibitus per Regulam, aut Constitutiones, quia ludo prohibito nec parvam nec magnam quantitatem licet Religioso ludere, etiam de licentia Superioris, cum pro tali ludo non possit illam concedere. Salon. *2. 2. tr. de Domin. q. 5. art. 6. dub. penult.* Molina *tom. 2. de Just. disp. 520.* Lezana *t. 1. summ. q. Regul. ca. 6. num. 50.* & supra citati.

13 Hinc ludens cum Religioso, & lucrans, quod Religiosus ludere non poterat, sive ratione ludi prohibiti, sive ratione quantitatis non sibi permissæ, tenetur restituere ipsi Religioso; vel rectius Religioni, seu Conventui, cujus est Filius. Ledesma *2. part. summ. tr. 31. c. 1. post. 10. Conclusionem.* Alcozer *lib. de Ludo c. 37.* Rosign. *loc. cit. num. 20.* Lezana *l. c. c. 6. num. 51.* Rodriquez *Add. summ. t. 3. c. 228. concl. 10.* Rebell. *de oblig. just. 2. part. l. 12. q. 6. n. 15.* Portell. *dub. Regul. verb. Ludus n. 3.* et ipso teste omnes alii communiter. Et ratio est, quia cum Religiosus nequeat tali lud), vel talem quantitatem ludere, nec etiam sic ludens cum illo poterit illam lucrari, adeoque si accipiat, tenetur restituere, et sibi imputare debet, quod non præcaverit abstinendo a ludo cum persona, quæ incapax erat ad transferendum dominium rei, seu pecuniæ expositæ tali ludo.

14 Similiter è contra si Religiosus ludens ultra eam quantitatem, quam potest ludere, & perdere ex licentia sui Superioris, vel quia non habet talem licentiam, vel quia ludus est illi prohibitus, et contingat tunc lucrari, non potest lucratum accipere, et si accipit, tenetur restituere. Salon. *2. 2. post. qu. 61. q. 5. de Dominio art. 6. dub. penult.* Valent. *2. 2. disp. 5. q. 6. punct. 5.* Lezana *loc. cit. c. 6. num. 51.* Lessius *l. 2. de just. & jur. c. 26. dub. 5. n. 32.* Rosignol. *l. c. n. 21.* Lugo *tom. 1. de just. & Jur. disp. 3. sect. 7. n. 146.* ubi dicit hanc esse communem sententiam Doctorum, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 1. consil. cap. 19, n. 86.* quamvis aliqui apud ipsum Sanchez. *ibidem numer. 85.* id negent. Et ratio est, quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens æqualis conditionis sit in periculo amittendi, & ipe lucrandi; qui enim non potest perdere, non potest lucrari, sicuti qui non potest lucrari, non potest perdere; adeoque cum Religiosus non possit tali ludo, seu ultra talem quantitatem perdere, nec poterit ultra illam lucrari.

15 Quæ dicta sunt, non solum procedunt de Religiosis ludentibus cum extraneis, sed etiam de ludentibus cum aliis Religiosis ejusdem Ordinis, seu Monasterii. Unde Religiosi inter se ludentes ludis vetitis in magna quantitate, sive extet consuetudo, seu potius corruptela, sive non extet, graviter peccant; Rosignol. *l. c. n. 22.* Lezana *t. 4. summ. q. Regul. verb. Ludus quoad Regulares num. 10.* & alii passim. Et pro-
16 babilius victores tenentur ad restitutionem. Rosignol. *loc. cit. num. 23.* & alii.

17 Ludere pro re aliqua spirituali, videlicet pro Orationibus aut Psalmis, vel Precibus dicendis a victo pro victore, non est peccatum, nec irreverentia. Navarr. *in Manual. c. 19. n. 7.* Diana *part. 7. tract 9. resol. 1.* Sanch. *l. c. dub. 24. num. 15.* Rebellus *lib. 12.* Salas *dub. 23. num. 1.* Lugo *tom. 2. disp. 31. sect. 1. n. 5.* Lezana *tom. 4. summ. quæst. Regular. verb. Ludus quo ad Regulares n. 13.* Busemb. *lib. 3. part. 2. cap. 3. dub. 3. num. 15.* Bonac. *loc. cit. n. 8.* & alii contra Lopez *2. part. Instr. conscient. c. 34. in fine* Peyrin. *tom. 2. de Prælato q æst. 2. cap. 2. §. 5. n. 103.* Vegam *verb. Ludus c. 14.* volentes, non licere propter irreverentiam, qua permiscentur sacra profanis. At verius nulla in hoc est irreverentia erga res sacras, cum potius sit signum devotionis, & pietatis erga illas, Deum, & Sanctos; & si quæ est irreverentia in eo, quod prædicta dicantur sine devotione, aut reverentia, id est per accidens, cum possint, & debeant devote, reverenter recitari; Et talis est usus plurium piorum; maxime apud Religiosos.

An autem liceat Sacerdoti ludere ludo alias licito cum 18
Sæculari, seu Laico hoc pacto, ut scilicet si Laicus, seu Sæcularis vincat, teneatur Sacerdos dicere pro illo Missam, Rosarium, Officium B. M. V. & hujusmodi; Si vero vincatur, teneatur solvere Sacerdoti unum Julium, negant Gallinam, seu aliam hujusmodi rem temporalem? negant multi & Lugo *loc. cit. n. 5.* dicit posse esse periculum Simoniæ; sed id non esse Simoniam, nec quid illicitum tenent Rodrig. *in addit. ad summ. t. 3. cap. 228. conclus. 9.* Portellus *loc. cit. n. 4.* Lezana *loc. cit. num. 13.* La Croix *lib. 3. part. 2. numer. 1096.* cum Diana, Francisco Bonæspei, & Stephano a S. Paulo ibi citatis; Nam ut ibi dicit, non ideo res spiritualis æstimatur temporali, sed offertur executio rei spiritualis loco temporalis alioquin tradendæ, quæ commutatio licita est; Si enim Sacerdos debeat v. g. 10. Julios alicui sæculari, licite offert 10. Missas pro ipso legendas, ut sic ipsum moveat ad ei remittendos dictos 10. Julios; Sic quisvis alius Sacerdos offert licite Missas alteri Laico, ut ab eo recipiat triticum; vinum, pannum, & aliam hujusmodi rem temporalem, ut passim fieri videmus.

Filius si alatur in loco distante a parentibus, potest ex ali- 19
mentis moderate aliquid insumere in ludos honestos, et licitos, v. g. quinque ex centum. Item illud, quod parcius vivendo reservat ex pecunia sibi emissa, dummodo ea de causa non plura alimenta petat, et tunc si id amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. *Communis*.

Filius degens etiam in domo Patris, et a fortiori extra 20
Domus ipsius Patris, si suo labore, et industria acquirat aliquid amplius; quam Pater expendat in ejus alimentis, potest de illo moderatam quantitatem ludo exponere; et si illam amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem; Hoc enim fundatur in naturali æquitate, et interpretativa et præsumpta rationabiliter voluntate Patris consentientis in tali moderato ludo Filii. Diana *part. 7. tract. 9. resol. 5.* Rosig. *l. c. de restitutione 11. disquisit. 1. §. 9. n. 16.* et alii passim.
21 Immo etiamsi expresse constaret de positiva voluntate Patris, ut Filius nihil penitus ludo exponeret, volunt plurimi, quod si Filius nihilominus moderatam quantitatem ludo exposuerit, & amiserit, nec ipse, nec ejus Pater possit ipsam repetere; quia ludi moderati, & congrui ejusdem Filii ætati, & qualitati pertinent ad congruum ipsius statum, secundum quem Pater tenetur eum alere, & ei conferre; quæ tali statui conveniunt; Unde est irrationabiliter invitus, quod Filius aliquid moderatum secundum suum statum, & qualitatem exponat in ludis ab aliis suæ ætatis, et conditionis frequentatis; Rosignol. *loc. cit. num. 16.* Salas *tract. de Ludo dub. 10. num. 1.* Ledesma *in Summ. tom. 2. tract. 31. cap. 2. concl. 3.* Alcozer *tract. de Ludo cap. 14.* & alii cum Sanchez *lib. 1 consil. cap. 8. dub. 7. num. 5.* Lugo *tom. 2. disput. 31. sect. 2 num. 20.* 22

Filius potest semel etiam initio anni ludo exponere omnem 23
illam summam, quæ juxta suam conditionem, seu juxta assignationem sibi factam a Patre posset licite ludere per totum annum; & si illa totam unico ludo, cum animo non ludendi iterum in toto anno, amiserit, non tenetur victor illam restituere, dummodo sciat non amissse antea cum aliis illam vel aliam majorem summam, quia in tali casu Filius renuncians recreationis lusus pro reliquo anni tempore, ut semel unico illo ludo majorem habeat, licite totam illam summam semel unico ludo exponit, & sic victor illam totam summam semel uniço ludo licite lucratur, adeoque non tenetur illam restituere. Sanchez *lib. 1. consil. cap. 8. dub. 7. num. 7.* Lugo *tom. 2. disp. 31 num. 23.* Diana *part. 7. tract. 9. resolut. 10.* Ro- 23
signol. *loc. cit. num. 19.* & alii passim. Si autem victor sciat talem Filium jam illo anno amisisse cum aliis totam illam summam, tenetur ad restitutionem; quia sicuti Filius nequit ultra illam summam licite ludere pro illo anno, ita neque victor ultra illam potest ab illo aliud licite lucrari, adeoque si sciens priorem amissionem adhuc cum ipso ludat & lucretur, tenetur ad restitutionem, quia in tali casu lucratur id, quod respectu Filii ludendis erat alienum, nec poterat ludo expo- 24
nere. *Sic Doctoris citati*. Si vero ipsemet victor successive ludens cum tali Filio supra eam summam scienter lucretur, non tenetur restituere totum lucrum, sed solum excessum supra illam summam, quam Filius ludere poterat; quia quoad illum solum excessum vitiatur contractus, seu Ludus. Lugo *loc. cit. num. 23.* Rosignol. *loc. cit. num. 21.* Sanchez. *l. c. n. 7.* cum pluribus aliis ibi citat. contra Alcoz. *lib. de ludo cap. 10.* & quosdam alios affirmantes in tali casu restituendum esse to-

tum lucrum, quia dicunt ipsi, totus ludi contractus redditur
25 tunc vitiosus. Si tamen victor scire non possint, an talis Filius totam, vel partem dictæ summæ jam cum aliis amiserit nec ne; tunc retinere potest lucrum usque ad illam summam, quam scit ludere potuisse; quia melior est conditio possidentis; Lugo *loc. cit n.*22. Sanchez *loc. cit. dub.*7. *n.*6. cum aliis ibi citatis.

26 Filius familias potest licite exponere ludo licito bona castrensia, & quasi castrensia, & si ea amittat, non sunt ei restituenda: Filius enim familias, quoad hujusmodi bona est sui Juris, & habet plenum eorum dominium independenter a Patre, & sic potest ipse licite eponere ludo, & collusor ea licite lucrari sine onere restitutionis. *Communis*.

27 Filius familias regulariter non potest ludo exponere bona adventitia absque Patris consensu; et si exponat, et perdat, potest Pater ea repetere. *Communis*. Et ratio est, quia Filius familias quoad dicta bona, nec habet administrationem, nec usumfructum, cum utrumque maneat apud Patrem, quoadusque vixerit; adeoque sine consensu Patris nequit ea ludo exponere, & si exponat, et amittat, potest ea Pater repetere, cum non sit suo Jure usufructus, et administrationis invitus spoliandus.

28 In tali autem casu, quo Pater illa bona repetat, Filius obligatur naturaliter de evictione erga suum victorem, cui rem illam tradiderat. Et ratio est, quia Filius familias in suis contractibus privata auctoritate initis obligatur naturaliter; Cum enim Fidejussorum Minorum, et Filiorum familias pro eorum contractibus obligentur civiliter *l. fin. ff. de Jurejur. & l. Marcellus. ff. de Fidejussoribus*; debent iidem Minores et Filii familias obligari saltem naturaliter; nam deficiente principali obligatione, non potest subsistere accessoria, adeoque ut subsistant accessoria, debet principalis saltem naturaliter obligare i. *l. Cum lex ff. de Fidejuss. & mandat. & l. Naturaliter ff. de condit. indebit.* Colligitur etiam ex *l. Si pupillus, ff. ad leg. Falcid.* ubi dicitur, Pupillum ex mutuo accepto obligari naturaliter, *& ex l. ff. de noval.* ubi dicitur, Pupillum ex promissione naturaliter obligari. Sic cum pluribus aliis Rosignol. *loc. cit. n.* 7.

29 De Jure tamen communi positivo non obligatur civiliter ad illam evictionem, *arg. Instit. de Auctorit. Tutor. initio, & §. Pupillus, Instit. de Inutil. stipul.* ubi dicitur, quod Minores et Filii familias possint valide contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum, et meliorem suam facere conditionem, deteriorem vero non. Sic Rosignolus *loc. cit. num.*8. et alii contra Lessium *lib. 2. de justit. & jur. cap. 26, dub.5. n.*35. et sic etiam habetur de Jure municipali variarum Provinciarum, et Regnorum: et signanter Ducatus Mediolani, ubi est expresse statutum, eos non posse contrahere, et si contraxerint, eorum contractus non valere, et nullimode obligare.

30 Filius familias exponens ludo bona Paterna, quæ ignorante collusore, alienare non potest, et cum illis lucrans notabilem summam, tenetur illam summam lucratam restituere; Sanchez *lib. 7. Moral. cap.* 18. *num.* 86. Amicus *tom.5. de justitia, disp.* 28. *sect.*3. *num.* 36. Lopez *Instruct. conscient. cap.* 16. §. *Porro circa ea*, Rosignol. *loc. cit. num.* 17. Sporer *tom.2. tract. 6. in complement. VII. Præcept. decal. c.6. sect.6. num.*71. et alii passim. Et ratio est clara, quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens sit æqualis conditionis in periculo perdendi, et ipe lucrandi; Talis autem Filius initt contractum ludi inæqualem, dum vincere, et lucrari voluit, sed perdere non potest, cum id, quod ludo exposuit, non esset suum, sed Patris; adeoque ipsam summam lucratam
31 restituere debet. Si autem collusor fierit conscius, quod talia bona essent Patris, et non alienabilia a tali Filio, tunc talis Filius non tenetur ei restituere dictam summam lucratam, quia collusori scienti, et volenti nulla facta est injuria. Ita Sayr. Henriquez, Azor. Bonacina apud Dianam *part. 1. tract. 7. resol. 67.* Sporer *loc. cit. num.* 2. Tamburin. *lib. 8. tract. 2. cap. 9. §. 5. num.* 18. *disp. 4. dub. 2. num.* 12. Navarr. *in Manual. cap. 19. n.* 11. Angelus *verb. Ludus n.*8.
32 Silvester *eod. verb. q.* 17. et alii.

Uxor inscio, & invito Marito regulatiter loquendo non potest exponere ludo bona ejusdem Mariti; Nec bona dotalia, & communia, Et si exponat, & amittat, sunt a victore restituenda. *Communis*. Uxor enim quoad bona Mariti, nec habet dominium, nec usumfructum, et administrationem; & quoad bona dotalia, licet habeat dominium directum, non habet tamen usumfructum, et administrationem, sicuti nec habet quoad bona communia; adeoque non potest inscio, et invito Marito ea alienare, et ludo exponere, et consequenter victor tenetur ea restituere, quia revera acceptat rem alienam invito Domino.

Et si exponendo ludo talia bona, quæ ignorante collusore, alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere; Secus autem si collusor fuerit conscius, quod talia bona essent Mariti, et non elienabilia ab Uxore, propter rationem adductam de Filio familias *n.*30. *&* 31. Sic *Doctores ibi cit.* 33

Notanter autem fuit dictum *regulatis loquendo*, quia Uxor in pluribus casibus potest similia bona moderatè ludo exponere inconsulto, et etiam irrationabiliter invito Marito. Potest enim uxor de illis bonis insumere in ludis illam moderatam summam, et quantitatem, quam in ipsis, et aliis honestis recreationibus solent insumere aliæ Uxores similis conditionis, quoad statum, et facultates, ut in simili de Filiofamilias fuit dictum supra *num.*21. et sic tenent Lugo *tom.*1. *disp.*16. *sect.*4. *n.*64. Dicastillus *lib.*2. *de justit. tract.*18. *disp.*5. *dub.*9 *n.*19. *& seq.* Hurtado *de justit. disp.*9. *difficul.*9. Molina *tract.*2 *de just. disput.*520. Amicus *tom.*3. *de justitia disp.*28. *sect.*4. *n.*54. Rosignol. *l. c. §. 19. n.*3. et alii satis communiter; Sic etiam potest Uxor ludis exponere ea, quæ sua privata industria, et labore acquirit, post præstita Marito, et Domui debita, et consueta obsequia: Item ea, quæ Maritus eidem concedit, ut ornatior et comptior procedat, si ipsa restrictius vivendo, aliquid subtrahat. Item a fortiori potest Uxor ludis exponere ea, quæ Maritus ipsi concedit, ut pro libito expendat. Molina *cit. tract.*2. *de Just. disp.* 250. Azor *par.* 3. *lib.5. capit. 26. qu.*10. Villalobos *in summa tom.*2. *tract.*28. *difficult.* 5. *numer.* 3. Rosignol. *loc. citat. numer.* 3., *&* alii passim.

Uxor potest de jure communi ludis exponere inconsulto, & 35
invito Marito bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona paraphernalia. *Communis ac certa*. Uxor enim quoad hujusmodi bona habet de jure communi plenum dominium, usumfructum, et liberam administrationem independenter a Marito, adeoque potest independenter a Marito, ea ludis exponere, sicuti potest pro suo libito de ipsis disponere,

Ludens volens plus vincere, quam possit perdere, peccat, 36
et si plus vincat uno solo depositionis jactu, et cum una sola persona, tenetur illud plus restituere; secus autem si successive diversis jactibus, aut lusibus; aut uno solo jactu cum diversis simul exponentibus. Si enim v.g. Paulus non habet, seu non potest exponere, nisi duos Florenos, et ludat, ac si posset exponere quatuor, sicque primo jactu lucretur quatuor a solo Petro, facit injuriam, et tenetur ei restituere duos, quia est tunc manifesta inæqualitas contractus, si solum possit perdere duos Florenos, et velit una vice, seu uno solum jactu ab uno solo collusore lucrari quatuor. Si autem successive diversis jactibus, vel lusibus, aut etiam uno solo jactu exponat Paulus cum Petro, & aliis tribus colludentibus, et singuli exponant duos Florenos, poterit Paulus suis duobus Florenis unico jactu lucrari octo, (a) idest duos a singulis, quia suos duos etiam expostuit quadruplici periculo jacturæ apud singulos, adeoque licite potest ludere cum spe etiam ab omnibus quatuor colludentibus lucrandi, et si lucretur potest licitè retinere. *Communis* cum Sporer *loc. cit. numer.* 70.

Ludens cum animo deliberato non solvendi, si perdat, & 37
id collusor ignoret, non potest quidquam lucrari, atque ideo nec retinere id, quod lucratur, quia contractus est inæqualis, cum alterum fraudulenter decipiat in ratione substantiali ludi, 38
quod si alter sciret, nollet cum ipso ludere. *Communis*. Si autem collusor scierit talem ludentem non habere animum solvendi, & nihilominus luserit, potest lucrari, & retinere, quia lusor censetur consensisse, & remittere, Tambur. *lib.*8. *tract.*2 *cap.9. §.1. num.*17. Sporer *loc. cit. num.* 69. La Croix *lib.* 3. 39
*num.*1076. et alii: Si vero etiam alter colludens similem animum

(a) Si non potest cum eadem persona plusquam duos florenos ludo exponere, quia non potest plus velle vincere, quam perdere possit; qua ratione poterit cum quatuor, aut pluribus uno ictu duos illos exponere animo lucrandi non duos, sed octo, vel decem? Si primum non potest nec alterum.

sum non solvendi habuit, tunc qui vincit potest retinere lucrum, quia decipiendo se mutuo compensant injuriam. Tamburin. Sporer, & la Croix *loc. cit.* & alii.

Ludens bona fide cum fure, et rem furtivam in individuo 40
lucrans, cognita veritate, tenetur ipsam rem restituere Domino, et non furi collusori, quia dominum rei ablatæ semper manet apud dominum. *Communis*. Si vero lucretur non 41
ipsam rem furtivam in individuo, sed pretium ipsius rei jam venditæ, potest hoc lucrum retinere, si fur sit aliunde adhuc potens restituere, quia fur erat Dominus hujus pretii; At si perdito hoc pretio, sit fur impotens ad restituendum, tunc lucrans tenetur illud restituere, quia tunc contractus ludi reipsa fuit nullus, Cum enim illud ipsum pretium necessario fuerit a fure restituendum Domino, non potuit illud tamquam quid alienum a fure valide exponi ludo. Tamburin. *lib.* 8. *Decalog. tract.*2. *cap.*9. §.1. *num.*30. Sporer. *l. c. num.*76. La Croix *loc. cit. n.*1073. Bonacina *disp. 2. de restitut. q 2. propos.*2. cum aliis ibi citatis contra alios oppositum velut probabile tenentes,

Ludens pecunia furtiva, aut quomodocumque aliena, si 42
quid lucretur, potest ipsum retinere, quia est fructus propriæ industriæ & artis, ideoque suum; Dummodo tamen habeat aliquid proprium, quod tradat, si collusor vincat, alioquin contractus esset nullus, cum nihil ludi periculo exponeret, quod collusor acquirere posset, ut postulat ratio pro servanda requisita æqualiter in colludentes. Lugo *loc. cit. n.*13. Sporer *loc. cit. num.*79. Molina, Sanch. cum La Croix *loc. cit. num.*1076. contra Trullench. Villalob. Dianam dicentes lucrum nequidem tunc fieri talis ludentis. Sic qui deficiente sibi in ludo pecunia, eam clam a colludente furripit, & 43
eam postea lucratur, si non habeat quid proprium pro facienda debita restitutione talis pecuniæ furto furreptæ, tenetur restituere lucrum; si autem habet quid proprium, unde restituat, lucrum sibi acquirit, & retinere potest æque, ac si exposuisset ludo pecuniam ab aliquo tertio furto ablatam, cum sit idem casus, sive pecunia sit furto ablata ipsi colludenti, sive alteri. Sanchez, & Molina cum Sporer *loc. cit. numer.* 79.

Injuste per metum gravem, aut violentiam tractus, & 44
coactus ad ludum, potest lucrari, & retinere lucrum; Trahens autem injuste non potest lucrari, & si lucretur debet sic injuste tracto restituere. Sic Lugo *t.*2. *disp.* 31. *n.*28. *&* 30. ubi pro hac sententia citat: S. Thomam, S. Antoninum, Abulensem, Henriquez, Eman. & alios plures, quos affert, & sequitur Sanch. *loc. cit. dub.* 11. *num.* 2. *&* 3. ubi hanc tradit ut certam, & communem. Salas *tract. de Lugo dub.6. num.*2 cum pluribus ibi relatis. Lessius *lib.*2. *cap.*20. *num.*9. & alii plures contra Victoriam, Lopez, Alcozer, Franciscum Garciam, & alios volentes non solum debere restituere lucrum eum, qui injuste traxit, sed etiam qui injuste tractus fuit, si ipse lucretur; Et contra Molinam *disp.*516. Franciscum Garciam *de contractibus part.*2. *cap.*19. & alios dicentes neutrum teneri restituere lucrum, licet trahens cum violentia injusta peccet contra justitiam.

At nostram sententiam vocat communem et veriorem Lu- 45
go *loc. cit. num.*28. ibique eam solide, & latè probat dicens, obligationem restituendi lucrum injuste tracto, seu coacto non oriri in injuste trahente, seu cogente ex inæqualitate ludi, sed ex injusta læsione; cum sic trahens, & cogens per violentiam injustam alium ad ludum, inferat ei gravem injuriam & fiat reus totius damni, quod illi ex tali violentia subsequitur, adeoque debeat eum reddere omino indemnem, sicuti, ut affert ibi exemplum, si Filius v. gr. per metum gravem injuste cogat Cajum ad ei vendendum equum, etiamsi pretium justum solverit; si tamen Cajus ob eam causam coactus sit postea emere alium equum cariori pretio, debet Titius hoc damnum ei resarcire, quod sua causa est passus, non quidem rescindendo contractum, qui mortuo jam fortasse equo, rescindi non potest, sed reddendo eum indemnem a damno, quod ex Titii injuria, seu injusta coactione est ei subsecutum.

In ludo licitæ, & permissæ sunt aliquæ deceptiones, seu 46
simulationes consistentes præcise in artificio ludentis absque eo quod vitient naturam ludi, & injuste lædant colludentem; Primo igitur qui scit se meliorem ludum habere, potest metum simulare, & formidinem, ut adversarius audacior factus sponsionem augeat, & ipse eam acceptando majus lucrum reportet; Secundo qui scit se meliorem ludum habere, & securus est jam de victoria, potest augere sponsionem, ut quid magis lucretur; Tertio qui scit se inferiorem ludum habere, atque ideo esse amissurum, potest simulare habere ludum majorem, & augere sponsionem, ut alter perterritus recuset acceptare sponsionem, & relinquat ipsi, quod jam antecedenter ad illam sponsionem oppositum erat; Quarto qui videt adversarium plures chartas accipere, quam debeat, potest tacere, ut propter ipsum excessum debeat postea perdere, quod oppositum est; Quinto denique licitæ sunt generaliter omnes illæ deceptiones, & simulationes, quæ secundum leges illius ludi, quo luditur, communiter permittuntur; In dubio autem standum est judicio peritorum; *Sic communiter Doctores*.

Sunt autem in ludo prohibitæ deceptiones, & fraudes se- 47
quentes. Primo si quis designet chartas notis aliquibus occultis, vel quid simile efficiendo, ut eas a tergo cognoscat; Unde hic tenetur lucrum restituere, & id quod alter lucratus fuisset, nisi illas fraudes commisisset; Trullench. *in Decalogum tom.*2. *lib.*7. *cap.*27. *dub.*2. *num.*4. Reginald. *in praxi tom.*1. *lib.*10. *cap.*29. *num.*385. Amicus *tom.*5. *disp.*28. *sect.* 4. *n.*27. Rosignol. *loc. cit. n.*4., & alii passim.

Secundo si quis acquiset plura puncta, ac habeat, & hac 48
ratione lucretur cæteroquin amissurus; Unde hic tenetur restituere, nedum lucrum hac fraude reportatum, tum, sed etiam aliud æquivalens, quod ipse certo amisisset, si alter deceptus excedebat in punctis; Diana *part.*7. *tract.*9. *resolut.* 47. Rosignol. *loc. cit. nu.*3. Dicastill. *de just. lib.*2. *tract.* 18. *disp.*5. *dub.*3. *numer.* 22. Alcozer *tract. de Ludo cap.*10. *dub.*1., & alii passim.

Tertio, si quis dolose primam manum furripiat in ludo si- 49
bi non competentem, sed alteri, & ex illa dolosa subreptione lucrum acquirat cæteroquin non acquisiturus; Unde hic tenetur restituere, nedum totum lucrum, sed etiam id quod ipse certo esset amissurus, nisi illam manum dolose usurpasset; Diana *part.*7. *tract.* 9. *resolut.* 45. Rosignol. *loc. cit. num.*9. Dicastill. *de justit. lib.*2. *tract.*18. *disp.*5. *dub.* 3. *num.*14. & alii.

Quarto si quis ex colluforibus data opera se constituat in 50
loco, ubi chartas adversarii videre possit, & de facto victoriam reportet, cæteroquin non reportaturus, tenetur lucrum restituere: Diana *part.*7. *tract.*9. *resolut.*50. Sanchez *in opusc. tom.*1. *lib.*1. *cap.*8. *dub.*12. *num.*9. cum aliis ibi citatis, Rosignol. *loc. cit. num.*5. Trullench. *in decalog. t.*2. *lib.*7. *cap.*28. *dub.*2. *num.*4. Lugo *tom.*3. *disp.*2. *numer.*37., & alii.

Quinto si quis ludens ab aliquo circumstante secreto ad- 51
moneatur de statu alterius colluforis facientis, seu augentis sponsionem; Unde hic si ante monitionem decreverat non acceptare, tenetur ad restitutionem, & in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor. Si autem ante talem significationem jam absolute, & vere decreverat acceptare, ad nihil tenetur; Trullench. *in decalog. tom.*2. *lib.*7. *cap.*27. *dub.* 2. *num.*4. Dicastill. *de justit. lib.*2. *tract.* 18. *disp.*5. *dub.* 3. *num.*31. Molfesius *in Summa tom.*2. *tract.* 12. *cap.* 21. *n.* 58. Rosignol. *loc. cit. num.*6. Sayrus *in Clavi Regia lib.*6. *c.*12. *n.*23. La Croix *lib.*3. *part.*2. *n.*1085.

Sexto si quis ludens alteri collusori non advertenti minus 52
solvat, quam perdiderit; Unde hic tenetur absolute restituere reliquum, quod non solvit, & vere perdidit; Diana *part.*7. *tract.*9. *resolut.*53. La Croix *loc. cit. num.*1084. & alii communiter.

An autem ludens peccet contra justitiam, & teneatur ad restitutionem, si non moneat collusorem errantem contra in numerandis punctis, vel in non accipiendo primam manum sibi competentem in ludo, & ideo ipse perdat, & ille lucretur? Affirmant Navarrus, Ludovicus Lopez, & alii apud Sanchez *loc. cit. dub.*14. Azorius *part.*3. *lib.*5. *cap.* 25. *quæst.*3. Philiarcus *de offic. Sacerdot. tom.* 2. *part.*2. *lib.*5. *cap.* 2. Lessi. *lib.*2. *cap.*26. *dub.*3. *num.* 14. Amicus *tom.*5. *de Justitia disp.* 28. *sect.*4. *numer.*30. Marchantius *in quæst. Pastor. part.* 1. *cap.*8. *propos.*10. *quæst.*1. *cas.* 5. Molina *de justitia tom.* 2. *tract.*2. *disp.*517. *in fine*, Trullench. *in decalog. tom.*2. *lib.* 7. *disp.*27. *dub.*2. *num.*5. Rosignol. *loc. cit. num.*7. Rebellus *lib.*12. *quæst.*3., & alii addentes; nisi consuetudo in tali loco obtineret, quod collutores non teneantur monere de hujusmodi errore; Negant tamen Sanchez *loc. cit. dub.*14. Diana *part.*7. *tract.*9. *resolut.*44. La Croix *lib.* 3. *part.* 2. *numer.* 1084., & alii, qui dicunt quod licitum est non monere Adversarium de tali ideo perdat; quia ludens tenetur ipse attendere ad suum negotium,

& le-

& leges luſum permittunt errores ; cum, ut docet Alcozer *tract. de Ludo cap.20. dub.3.* quem videtur ſequi Lugo *loc.cit. num.36.* Hurtadus de Mendoza *de controv. diſ. 8. difficul. 7.* hæc ludi lex ſit, ut error proprius noceat erranti, dummodo alter poſitive non decipiat (a).

54 An vero multo magis in arte ludi peritus ludens cum multo minus perito, teneatur ipſi reſtituere lucrum ab eo reportatum ratione talis ſuæ majoris peritiæ ? Reſpondendum eſt cum diſtinctione ; Vel ille multo magis peritus neſcit colluſorem eſſe ita imperitum, & tunc poteſt totum lucrum retinere, quia nulla interceſſit deceptio ; *Communis* cum Diana *part.7. tract.9. reſolut.* 30. La Croix *loc. cit. numer.* 1069. vel talis multo magis peritus ſcit colluſorem eſſe multo minus peritum, & hic ab ipſo, vel ab aliis admonitus de illius longe ſuperiore peritia, vel aliunde eam ſciens, nihilominus vult ſecum ludere ; & tunc etiam nihil tenetur reſtituere, quia hic in tali caſu cenſetur cedere Juri ſuo, quod habebat ad æqualitatem ſervandam in ludo ; Scienti enim, & conſenti non fit injuria ; Sanchez *in opuſcal. to.1. lib.1. cap.8. dub.13. num.7.* Diana *part.7. tract.9.reſolut.31.* Dicaſtill. *de juſtit. lib.2. tract.18. diſp.5. dub.1. num.8., & 12.* Fauſtus *in ſpecul. Confeſſor. diſp. 32. quæſt. 3.* Roſignol. *loc. cit. §.1. num.12.* La Croix *loc. cit.*, & alii ; Vel tandem talis ſcit ſe eſſe multo magis peritum, & ideo eſt moraliter certus ſe lucraturum, & ſi ſciret, non eſſet luſurus ; & tunc tenetur reſtituere, quia in colluſoribus debet eſſe luſturus ; & tunc tenetur reſtituere, quia in colluſoribus debet eſſe æqualitas ſpei lucrandi, & periculi perdendi ; In hoc caſu autem ex parte ludentis multo minus periti reipſa ſpes lucrandi eſt fere nulla, periculum vero perdendi eſt prope certum ; & e contra ex parte ludentis multo magis periti : adeoque ludus eſt *inæqualis*, & conſequenter injuſtus, & reſtitutioni obnoxius ; Sic lugo *loc. cit. num.44.* ubi dicit ita tenere Molinam, Leſſium, Rebellum, Medinam, Petrum Ledeſmam, Azorium, Emman., & alios omnes communiter. Sic Roſignolus *loc. cit.* cum aliis apud ipſum ; Sic cum aliis Sporer *tom.2. tract.7. in complement. VII. Præcept. decalog. cap.6. ſect.4. num.67.* ubi appellat hanc ſententiam communem, & veram ; La Croix *loc. citat.* ubi appellat communiſſimam ; Quamvis Toletus, Covarr., & alii apud ipſum *ibidem*, doceant etiam in hoc caſu ipſum multo magis peritum nihil teneri reſtituere ; & alii cum Diana apud eumdem, *ibidem*, dicant ad ſummum teneri ad partem majorem, vel minorem pro gravitate, & levitate periculi, quod ſubiit.

55 Luſor, qui ludo exponit monetam malam, ſi habeat verum animum ſubſtituendi bonam in caſu, quo perdat, poteſt licite retinere, quod cum ipſa mala lucratur ; Si autem non habeat verum animum ſubſtituendi bonam in caſu, quo perdat, nullimode lucrari poteſt ratione inæqualitatis cum colluſore ; Diana *loc. cit. reſolut.* 25. La Croix *loc. cit. num.* 1077., & alii paſſim (b).

56 Ludentes ludo legibus prohibito per ſe loquendo, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, aliove malo accidentali, nec peccant, nec ſi lucrentur, tenentur lucrum reſtituere in Foro conſcientiæ ante ſententiam Judicis, Sic Card. de Lugo *t.2. diſp.31. num.60.* ubi cum plurimis ibi citatis dicit hanc eſſe communem, & veram ſententiam, Roſignol. *loc. cit. §.8.* cum multis ibi citatis, Sporer *loc. cit. numer.* 81. ubi dicit, quod ſic docet jam communis Doctorum, quos citant, & ſequuntur Molina *diſp.513.* Sanchez *lib.1. Conſil. cap.8. dub.1.* Leſſius *cap.26. dub.3.* La Croix *loc. cit. num.1086.* ubi dicit ; quod ſic communiſſime tenent Alenſis, Sotus, Medin. Covarruv. Molina, Trullench, Dicaſtill. Sanchez, Leſſ. Dian. Tamburin. Lugo, Sporer, & alii contra S. Thomam, S. Bonaventuram, Silveſtr., & alios dicentes, lucrantem ludo per legem adhuc vigentem prohibito, teneri reſtituere in Foro conſcientiæ ; Et ratio noſtræ concluſionis eſt, quia tali ludo ludentes, & lucrantes non, non peccant, nec reſtituere tenentur de jure naturæ, quia ludus hic de ſe eſt contractus juſtus, & licitus ſervatis debitis conditionibus ; Nec etiam eſt talis obligatio de jure communi poſitivo ; quia leges humanæ eum ludum, & translationem dominii non irritant, ſed ſolum præciplunt reſtitutionem faciendam victo petenti in Judicio poſt ſententiam Judicis ; Hæc enim ſunt præcita verba *Leg. Alterum Cod. de Aleatorib.*, ibi : *Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie, & ſi contra factum fuerint, nulla ſequatur condemnatio* (ſcilicet victi ad ſolvendum) *ſed ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum hæredibus, aut his negligentibus a Patre, aut defenſoribus illius Civitatis, vel recipiat Fiſcus ; non obſtante 50. annorum præſcriptione* ; Unde inferunt Doctores, quod Victor non teneatur reſtituere pretium ſolutum, ſeu lucrum ipſi victo repetenti illud extra judicialiter, ſed ſolum, ſi ipſe, vel ejus hæres repetat in Judicio, & ſententia a Judice proferatur, ut clare colligitur ex verbis illis, *& competentibus actionibus repetatur* ».

57 Poteſt tamen victus terrere victorem comminando ei repetitionem lucri, ſeu pretii ſoluti in Judicio, & ſic paciſci cum ipſo extrajudicialiter de aliqua parte reddenda, ſeu reſtituenda, eo quod Juri cedat non repetendo in Judicio ; *Communis*, cum citatis Doctoribus. Si autem victus ſolum ſit 58
cte minetur, non habens animum vere repetendi in Judicio, Salas *dub.28.* Molina *diſp.515.* Alloza *ſect.1. numer.9.* Lugo *loc. cit. num.72.* dicunt, non eſſe tutum, quia per dolum, & fraudem cogeret victorem ad ſic transigendum ; Sed Leſſius *loc. cit.* Tamburin. *cit. §. 1. num.10.* Sporer *loc. cit. n.32.* aliique cum Diana *loc. cit. reſolut.82.* dicunt, eſſe tutum, quod probabile eſſe fatentur Sanchez, Caſtrop. Trullench, Dicaſtill., & alii, quia revera habet Jus repetendi in Judicio, quod pretio æſtimabile eſt ; & illi Juri cedit pro reſtituta parte, cui non cederet, niſi pars reſtitueretur, adeoque videtur id poſſe licite facere.

Qui ludo prohibito luſit credito, & perdidit, eſt in con- 59
ſcientia naturaliter obligatus ad ſolvendum, quia contractus ille ludi eſt validus, & Legibus humanis non irritatur adeoque dat Jus victori ad lucrum ; promiſſio enim mutua, valida, oneroſa, & acceptata debet Jus aliquod ex juſtitia parere, & per conſequens obligationem in promittente ; Sic tenent Joannes Medina, & Caſtro apud Molinam *diſp.515.* Corduba *in Summ. quæſt.98.* Contradus *quæſt.196.* Franciſcus Garcia *de contractibus part.2. quæſt.19.* Azorius *part.3. lib.5. cap.24. quæſt.7.* Sporer *loc. cit. num.83.* La Croix *loc. citat. num.1087.*, & alii. Verumtamen poteſt victus ſe tueri exceptione legis alearum, ut etiam in conſcientia ſolvere non teneatur, quia illa lex non tantum eſt lata in pœnam lucrantis tali ludo, ſed etiam in favorem victi, ut ſolvere non teneatur, ſi petat exceptionem ipſius ; Navarr. *cap. 20. num.17.* Molina *diſp.515.* Toletus *lib.5.cap.27.* Leſſius *cap. 26. dub.4.* Layman *cap.21. num. 3.* Lugo *loc. cit. numer. 70.* Adrianus, Aragonius, Covarr., & alii, quos affert Salas *dub. 26. numer. 2.* qui *numer. 4.* amplectitur hanc ſententiam cum Rebello, & Valentia, nempe poſſe victum non ſolvere, ſi petat in Judicio, ut caſſetur promiſſio ; La Croix *loc. cit. numer.1087.* Sporer *loc.cit. num.83.* ubi teſtatur de communi ; Et ratio eſt, quia cui Jus dat actionem repetendi jam ſolutum, eidem multo magis dat exceptionem antequam ſolvat, textu expreſſo ibi : *Cui damus actionem, eidem, & exceptionem competere, multo magis quis dixerit, & cap. Qui ad agendum 71. de Regul. Juris in 6.*, ibi : *Qui ad agendum admittitur, eſt ad accipiendum multo magis admittendus*. Jus autem commune dat actionem repetendi jam ſolutum ei, qui ludo prohibito perdidit, & jam ſolvit, *cit at. leg. Alearum Cod. Aleatorib.* adeoque ei multo magis competit actio ad non ſolvendum, antequam ſolvat : Ad quid enim in hoc caſu eſſet ſolvere id, quod ſtatim poteſt repetere ? Fruſtra enim ſolvitur quod ſtatim repetendum eſt ; *l. Dolo 8. ff. de dol mali exceptione, & Cap. Dolo 59. de Regul. Jur. in 6.*, ibi : *Dolo facit, qui petit quod reſtituere oportet eumdem*. Unde cum retinere propriam rem, antequam detur, vel ipſam jam datam iterum repetere, reipſa æquivaleant, non erit injuſtitia, ut inquiunt Tamburint. *loc. cit. num.* 11. Sporer *loc. cit. num.83.* La Croix *loc. cit. nu.1087.* & alii, alterum modum commodiorem abſque inutili circulo eligere. Hinc *leg.2. ff. de compenſatione* dicitur : *Intereſt noſtra*

(a) At hæc ſecunda ſententia omnino eſt reprobanda.
(b) Quomodo non peccat qui contra juſtam legitimi Principis regulam agit ? Quantum ad reſtitutionem, majoris profecto facio SS. Thomæ & Bonaventuræ ſententiam, quam ceterorum Caſuiſtarum, qui ab Auctore recenſetur.

noſtra potius non ſolvere ; quam ſolutum repetere.

60 An autem qui ludit ludo prohibito cum animo utendi hoc beneficio Legis, ſcilicet non ſolvendi, vel ſolutum repetendi per ſententiam Judicis, ſi perdat ; poſſit licite retinere lucretur ? Molina, Reginald. Dicaſtill. Leſſius *citat. cap. 26. num.31.* dicunt, ipſum teneri reſtituere id, quod lucratur, quia talis decipit adverſarium falſo ſignificans ſe illi ceſſurum eſſe ſi vincat, quam deceptionem, ſi ille ſciret, certe non ludentes ; deinde non ponit æqualitatem requiſitam inter ludentes ; deinde non ponit æqualitatem requiſitam inter ludentes. Sanchez autem *loc. cit. dub. 5. num. 1.* Lugo *cit.at. num.53.* Sporer *loc. cit. num.84.* La Croix *loc. cit. num.1088.* & alii cum Diana *loc. cit. reſolut.25.* probabilius dicunt, ludum eſſe validum, & dictum ludentem poſſe licite retinere lucrum, quia intentio adimplendi non eſt de eſſentia promiſſionum, vel contractuum, adeoque etiam ſi talis non habeat intentionem ſolvendi pretium, ludus tamen erit validus, & transferet dominium lucri ; In reliquo autem utitur ſuo Jure, ex beneficio legis concedentis ſibi exceptionem, ne teneatur ſolvere, vel actionem ad repetendum ſolutum, ſi jam ſolverit, Colluſor autem ſibi imputet, ſi ludit tali prohibito ludo, qui dat Jus colludenti, vel non ſolvendi, vel ſolutum repetendi. Neque eſt inter ipſos inæqualitas, quia etiam alteri competit idem beneficium legis, ſi perdat (a).

61 Quamvis victus antecedenter renuntiaverit dicto beneficio Legis, ſcilicet non ſolvendi, vel ſolutum repetendi, poteſt adhuc uti tali beneficio Legis, quia omnis ludens promittit irrevocabiliter ſolvere ; & tamen lex vult, ut non obſtante promiſſione ſolvendi, poſſit adhuc non ſolvere, vel ſolutum repetere, cum ipſe per talem promiſſionem non poſſit vim legis enervare ; Sic tenent Rebell. Salas, Leſſius, Diana *loc. cit. reſol.26.* Lugo *loc. cit. num.65.* La Croix *loc. cit.*
62 *numer.* 1089., & alii. Si tamen renuntiaverit dicto beneficio legis cum juramento, jurando ſcilicet ſe non uſurum tali beneficio, tunc ſtare debet juramento, quo non poteſt licite non ſolvere, & licite repetere ſolutum. Si enim id ſub juramento promiſit, debet obſervare, cum ſit omnimode obſervandum juramentum promiſſorum de re licita. Molina *diſput.515.* La Croix *loc. cit. num.* 108. Lugo *loc. cit. num. 66.* Sporer *loc. cit. num.83.* Leſſius *loc. cit. num.26.*, & alii, quos affert, & ſequitur Salas *dub.26. num. 7.* Dicunt tamen
63 Navarrus, Covarr. Valentia, Toletus, Vega, Henriquez, Diana, & alii, quos refert, & ſequitur Salas *loc. cit. n. 8.* poſſe petere relaxationem juramenti, & hac obtenta, uti dicto beneficio legis. At melius negant Molina, Sotus, Leſſius, Rebellus, cum Card. de Lugo *loc. cit. num. 66.* La Croix *loc. cit. num.1089.*, & alii, quia cum tale juramentum ſit de re licita, & de ſolutione, quam abſque peccato accipere, & retinere poteſt victor, videtur confirmare contractum, & dare jus ex juſtitia, in cujus præjudicium non poteſt Prælatus relaxationem concedere.

An autem victor poſſit licite impedire, ne a Judice con-
64 demnetur ad reſtitutionem ? Omnes communiter docent poſſe id licite facere, ſi ſine vi, vel fraude impediat, v. g. pure negando ſe luſiſſe, donec probetur ; ſi autem de hoc interrogetur judicialiter a Judice, quamvis Molina, Sanchez, & alii cum Diana *loc cit. reſolut.27.* dicant ipſum non teneri fateri ſe luſiſſe tali ludo, & lucratum fuiſſe, ſi probari non poſſit ; Tamen ſi de hoc interrogetur judicialiter a Judice, Leſſius *loc. cit. num.21.* Lugo *loc. cit. numer. 64.* La Croix *loc. cit. n.m.1090.*, & alii probabilius dicunt teneri fateri, qui lex non eſt pure pœnalis, ſed diſpoſitiva, & Judex habet Jus ad interrogandum, cum non agatur de punitione, ſed de reſtitutione a lege conceſſa.

65 Quoad ſponſionem, quæ fuit deſcripta *ſupra num. 3.* addictis ibi *num.4.* conditionibus ad ipſam requiſitis, cum ſit ludo valde affinis, de ipſa eſt concludendum proportionaliter, ſicut hactenus de ludo fuit concluſum ; Unde hic ſolum
66 aliqua ſpecialia de ſponſione adducuntur. Qui certus eſt de eventu, vel veritate rei, nequit ſponſionem inire, & inde lucrum accipere ; *Communis*. Et ratio eſt clara, quia, qui certus eſt de eventu, & veritate rei, nullo periculo perdendi ſe exponit, ut ſe exponit alter, qui ſi id ſciret, nollet, ſpondere cum ipſo ; adeoque defectu æqualitatis inter ſponſores, eſt illicita talis ſponſio, nec ex ipſa poteſt aliquod lucrum accipi, & ſi ſit acceptum, debet reſtitui. Si 67
quis autem a principio certus videatur de veritate rei, quam ſuſtinet, & poſtea altero pertinaciter contradicente, & ſpondere volente, incipiat formidare, & dubitare reflectens contigiſſe alias, ut deceptus fuerit etiam in iis, quæ ſibi prius certa apparebant ; poterit tunc licite ſpondere, & lucrari propter aliquale illud periculum, cui in ſua exiſtimatione ſe expoſuit ; Molina *diſp.508. ante fin.* Lugo *loc. cit. num. 79.* qui teſtatur de communi.

An autem, quando, qui habet certitudinem, proteſtatur 68
alteri, ſe eſſe certum, nec velle, aut poſſe ſpondere, quia nulli ſe exponit periculo, & tamen ille alius contendit, & vult ſpondere, non obſtante illa ſibi proteſtata certitudine, an inquam illa ſibi proteſtata certitudine, an inquam ille poſſit ſponſionem acceptare, & lucrum inde recipere, ſeu receptum licite retinere ? Affirmant multi, inter quos Navarr. *in Manual. cap.19. num.18.* Diana *tom.3. tr.4. miſcellan. reſol.176.* Villalobos *in Summa tom.2. tract.28. difficult. 6. num.2.* Buſemb. *lib.3. part.2. cap.3. dub.13. num.4.* Ludovicus Lopez, Medina, quos affert, & ſequitur Sanchez *lib.1. conſil. cap.8. dub.13. num.11.* Layman *lib. 3. tract. 4. cap.21. numer.4.* ubi dicit, hanc ſententiam eſſe veram, & alii ; quia tunc, dicunt ipſi, nulla eſt fraus, aut injuria, cum ſcienti, & volenti non fiat injuria, & alibi debeat alter imputare ſuam temeritatem ; Alii tamen id negant, ut Molina, Alcozer, Franciſcus Garzia, Leſſius, Bonacina, quos citat, & ſequitur Lugo *loc. cit. num.81.*, & alii, quia tunc, dicunt ipſi, non ſervatur æqualitas, quæ requiritur ad contractum ſponſionis, ut uterque æquale periculum ſubeat, & vincere, & vinci, Filiuccius autem *tract.37. c.2. num.24.* ſecutus a Sporer *loc. cit. num.85.*, & ab aliis, recte dicit ; primam ſententiam eſſe ſatis probabilem, ſed ſecundam eſſe magis juſtam, & tutam.

Novæ additiones ex aliena manu :

Liber de Ludo, tum de Sponſione differere ſecundum jus civile, quod utinam ubique gentium ſervaretur.

Ludus vel eſt *fortunæ*, vel *virtutis*. Plura autem jure 1
civili contra Aleatores ſancita ſunt, quæ tamen ad omnes luſores *fortunæ* pertinent, ut tradunt *Andr. Senfileb. de Alea vetet.*, *& Paſſus Juſt. de Alea ſeu curanda in pecuniam ludendi cupiditate*. Huc I. pertinet generalis prohibitio Ludi 3
fortunæ tam in privatis, quam in publicis domibus ; *Leg. fin. Cod. de Aleat.* II. quod Ludo perditum Victori petere non 4
liceat. *leg.1.*, *& 3. Cod. tit.* III. quod victus, & hæres ip- 5
ſius perditum condicere valeat non ſolum ab ipſo Victore, 6
ſed, & ab ejus hæredibus. *d. leg.2. Cod. d. tit.* IV. quod ſi victus pecuniam repetere negligat, id facere queat vel ipſius Pater, vel Magiſtratus Civitatis, vel tandem Fiſcus, *d. leg.1. Cod. de tit.* V. quod etiam Epiſcopis incumbat proſpi- 7
cere ut hoc fiat, & eo nomine Præſidum auxilio utantur, *leg. final. Cod. d. tit.* IV. ut huic repetitioni non niſi 50. anno- 8
rum præſcriptio obſtet, *d. leg.2. cap. d. t.* VII. ut cautio ſu- 9
per aleæ uſu data ſit irrita, & condici poſſit, *leg.1. Cod. de tit.* VIII. ſi quis verberaverit Hoſpitem Luſores tolerantem 10
damnumve ei dederit, nulla huic detur actio, *L.1. in princip. ff. d. tit.* IX. qui alium ad ludendum compulit, in La- 11
tomias vel vincula publica condemnandus, *d. leg. 1. in fin. ff. d. tit.* X. Nec venia digni qui licet ab initio ad luſum non 12
coegerint, victi tamen dimittere nolunt, *leg.2. in princip. ff. d. tit.* XI. quod etiam adverſus Parentes illius, qui in- 13
alea quid lucratur, repetitio danda ſit, *leg. final. in fin. ff. d. tit.* Quod tamen procedere reor, ſi Parentum conſenſu 14

Filii

(a) Inter conditiones requiſitas, ut ludus licitus evadat, recenſuit Auctor n.2. I. *Ut Ludens non utatur dolo, & fraude* IV. *ut ſit æqualis conditio colludentium*. Quæſo Ferrarium noſtrum I. An ille qui ludat animo non ſolvendi, vel ſi ſolverit animo ſolutum repetendi, utatur dolo, & fraude, nec ne ? II. An ille qui certus eſt ſe nihil in ludo amiſurum, colluſore in periculo amittendi conſtituto, dici poſſit quod quartam conditionem ſervet ſupra relatam, tamquam neceſſariam, ut ludus ſit licitus ? Hujuſmodi eſt caſus hoc numero relatus, quem tamen ſolvit ipſe Ferrarius contra conditiones a ſe initio articuli ſtatutas. Ejuſdem farinæ eſt doctrina tradita num.61.

Filii ludo indulgeant, vel filiis certam pecuniam ad ludendum dent.

16 De pecunia ad Ludum de quo disserimus *fortunæ* credita, an ea repeti possit, nihil speciatim definitum est. Cæterum interest, num ea credita sit a collusore, an a Receptatore
17 Lusorum, an a Tertio. Collusori, & Receptatori Lusorum actionem communiter denegant D. D. Vide *Pfeil consil.* 28. *num.* 6. *Marsmann. in Miltologia cap.* 2. *fer. per tot. Coler. p.* 1.
18 *decis.* 173. *num.* 9. *Berlich. part.* 1. *decis.* 66. At quod attinet ad Tertium, ei dant actionem *Carpzov. l.* 6. *Responsa.* 96. *numer.* 15. *Berlich. part.* 1. *d. decis.* 66. negat vero inter alios *Brunemann. ad l.* 8. *num.* 3. *ff. pro Emptor.* Hactenus de Ludo fortunæ.

19 Ludus *virtutis* permissus est, si honestati non refragetur, & sanitatis causa modice adhibeatur. Quorsum spectat locus *Ciceronis lib.* 1. *Officior.* §. 103. ; ibi : *Non omnem damus ludendi licentiam, sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena.*

20 Videamus nunc quos virtutis Ludos permiserint jura nostra. Paulus illos recensetin *leg.* 2. §. 1. *ff. d. tit. Si quis*, inquit, *certet hasta vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, pugnando, quod virtutis causa fiat* Consule vero *Gothofred. ibidem*, tum *Pancirol. Thesaur. variar. lection. lib.* 1. *c.* 48. *in princip.*

21 Sed nec omittendum est, quinque ludorum species recenseri, & permitti a Justiniano *in leg.* 1. *& final. Cod. d. titul.* Confer, *& Pancirol. Thesaur. variar. lect. lib.* 1. *cap.* 47. *& Marsmann in Miliologia cap.* 2.

22 De Lottaria, sive ulla fortunæ quæri solet an plus juris hic subsit, quam in Ludo fortunæ alio? Ollas hacce defendunt plures, modo eæ publica auctoritate sint constitutæ. Adi *Molin. de Justit.*, *& Jur. tract.* 2. *disput.* 509. *fer per*
23 *tot. Kloch de Ærar. lib.* 2. *cap.* 118. *num.* 4. *Martin. del Rio lib.* 4. *Magis. disquisit. cap.* 4. *quæst.* 1. Illas vero impugnant *Dede Kenn. consil. theolog. vol.* 2. *tit.* 8. *num.* 15. *Amesius de*
24 *casib. Conscient. cap.* 23. Sed de hac quæstione alibi ex professo differendum.

25 Reliquum est, ut verba faciamus de sponsione. Hanc vulgo licitam dicunt ex sententia *Martiani in leg.* 3. *ff. d. tit.*, sed omittunt limites ab eodem Jurisconsulto adjectos, ut
26 scilicet in aliis casibus ubi pro *virtute* cenatum non est sponsionem facere non liceat. Quinimo ex *Leg. final.* §. *Nec permittimus Cod. d. tit.*, ubi virtutis causa sponsio fit ultra unum solidum si multum dives sit exponere prohibitum. Vide *Wissembach. ad tit. hunc ff. de Aleator.* §. 18.

LUNATICUS, & FURIOSUS.

Vide verb. *Irregularitas art.* 1. *num.* 12.

LUXURIA.

1 LUxuria est inordinatus appetitus, vel usus venereorum. *Est in re communis.* Luxuriæ species sunt septem; scilicet Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, Sacrilegium, & Peccatum contra naturam; quorum ultimum subdividitur in Mollitiem, Inordinatum concubitum,
2 Sodomiam, & Bestialitatem, quibus accedit Impudicitia. *Ita Doctores communiter*, paucis exceptis, qui omittunt Sacrilegium scilicet carnale, & personale.

3 Fornicatio est naturalis concubitus illicitus soluti cum soluta; *Est in re communis.* Fornicatio est peccatum mortale; Est de fide, & oppositum est Hæresis damnata *in Clementina* incip. *Ad nostrum* 3. *de Hæreticis.* Apostolus enim *ad*
4 *Ephesios* 5. expresse dicit: „ Omnis fornicator, aut immun„ dus..... non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei, „ & ad Galatas 5. *dicit*: Manifesta sunt opera carnis, quæ „ sunt fornicatio, immunditia, & impudicitia, luxuria &c. „ & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi quoniam „ qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur „. Et *in Apocal. cap.* 21. sic habetur: *Fornicatoribus ... pars erit in*
stagno ardenti, igne, & sulphure, quod est mors secunda.

5 Fornicatio est intrinsece mala, de Jure naturæ graviter prohibita. Natura enim abhorret a fornicario concubitu tamquam fini generationis, bono prolis, immo & bono communi opposito; Unde merito Innocentius XI. die 2. Martii 1679. inter alias damnavit sequentem propositionem 48. in ordine: *Tam clarum videtur, Fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

Fornicatio alia dicitur vaga more pecudum, modo cum 6
hac, vel hoc, modo cum illa, vel illo. Alia determinata, cum una certa, & determinata persona, et dicitur concubinatus. Qui concubinatus est Fornicatio continuata cum ea- 7
dem certa, et determinata persona, ita ut supra Fornicationem dicat statum, et perseverantiam, sive interim quis, vel quæ personam fornicariam domi habeat, sive ex consuetudine illam conveniat; Et hic Concubinatus est tam grave, et periculosum peccatum, ut concubinarius absolvi non possit, nisi certe promittat concubinam quamprimum dimittere, et si secundo reversus concubina nondum ejecta, est ei absolutio deneganda, quia Concubinarius non solum peccat fornicando, sed etiam in continuo saltem virtuali proposito peccandi perseveratquanduiu concubinam voluntarie detinet; Hinc Alexander VII. die 18. Martii 1666, justissime damnavit sequentem propositionem 41. in ordine: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo Regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent & alia famula nimis difficile inveniretur.*

An Fornicatio cum persona infideli v. g. Judæa, vel Tur- 8
cissa sit simplex Fornicatio, vel addat novam malitiam specie distinctam, et in Confessione necessario aperiendam; Affirmant Navarrus, Lugo, et cum nonnullis aliis Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. disp.* 5. volentes, quod sicuti Ecclesia speciali ratione prohibet Matrimonium fidelis cum infideli ob motivum Religionis, cum talia conjugia sint damnosa conjugi fideli, et bonæ educationi prolis: ita propter idem motivum censeatur speciali ratione prohibitus fornicarius concubitus fidelis cum infideli. Negant e contra Azorius *p.* 3. *lib.* 3. *cap.* 29. Diana, Tamburinus, Filiucius, Mastrius, Reiffenstuel *Theol. Moral. tract.* 9. *de præceptis Decalogi distinct.* 4. *q.* 2. *num.* 15. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 1. *num.* 2142. & alii, quia nullo jure probatur malitiam illam esse specie distinctam, quamvis revera sit gravior, & ideo reservari soleat, et puniri; Nec id probat assumpta paritas de prohibitione Matrimonii, quia in Matrimonio habetur longe major conjunctio, et inde majus periculum subversionis conjugis, et prolis, quam in simplici accessu fornicario, ut de se patet, adeoque etc.

An Fornicatio cum Sponsa, vel Sponso alterius de futuro 9
addat novam malitiam injustitiæ distinctam, et in Confessione necessario aperiendam; Negant aliqui cum Mastrio *Theol. Moral. disp.* 11. *num.* 119. Reiffenst. *l.c. num.* 14. At probabilius affirmant alii cum Henno *t.* 1. *disp.* 6. *q.* 1. *concluf.* 1. Busemb. *lib.* 3. *p.* 1. *Cap.* 2. *dub.* 2. *n.* 1. ubi citat Sanchez, Rodriquez, Filliucium, quia sponsus, et sponsa post sponsalia non sunt amplius personæ plene solutæ, et liberæ; quamvis enim in mutua corpora non habeant jus in re, habent tamen jus ad rem, et ideo alteruter concedens alteri usum sui corporis, specialem injuriam facit comparti, quia ultra Fornicationem committit aliquam injustitiam reducibilem ad Adulterium, tanquam imperfectum ad perfectum sui generis; Unde est circumstantia in Confessione necessario exprimenda. 10

Qui copulam habuit cum soluta, non sufficit si dicat in Confessione: *Commisi grave peccatum contra Castitatem cum soluta*, sed debet explicare copulam, imo addere quoque debet, num perfecta, vel imperfecta copula fuerit, quia ipsa reticita non explicat peccatum, quod fecit, cum etiam soli tactus impudici, seu oscula ob delectationem carnalem habita cum soluta, sint gravia peccata contra castitatem: Unde merito Alexander VII. die 24. Septembris 1665. inter alias damnavit sequentem propositionem 25. in ordine; *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem, non explicando copulam.* Et die 18. Martii sequentis anni 1666. idem Summus Pontifex damnavit etiam propositionem sequentem 40. in ordine; *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusio periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Adulterium quid sit? & omnia, quæ ipsum concernunt, 11
Vid. verb. Adulterium, ubi late de omnibus per varios Articulos.

12 Incestus est peccatum Luxuriæ cum persona consanguinitate aut affinitate conjuncta intra gradus a jure prohibitos com-
13 missum; *Est in re Communis.* Dicitur autem peccatum luxuriæ ad denotandum, quod non solus concubitus, sed etiam tactus, amplexus, oscula &c. participant ratione in cestus, si fiant inter personas consanguineas, aut affines, eo quod in-
14 ducant malitiam actus principalis, ad quem ordinantur. Ad hoc autem ut incestus sit casus reservatus, concurrere debent tres conditiones, nisi aliud ab Episcopo exprimatur in reservatione; Prima quod copula sit perfecta, idest cum seminatione intra vas; Secunda quod personæ sint consanguinitate, aut affinitate conjunctæ intra gradus in reservatione expressos; Tertia quod intercedat malitia moralis.

15 Incestus est peccatum mortale gravissimum duplicis malitiæ, scilicet contra castitatem, & contra virtutem Pietatis personis conjunctis debitæ; Unde *Levitici* 1. mors diversis gradibus incestuosorum statuitur, qui tantam turpitudinem, tantum nefas, tantum scelus patraverunt; Et Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 5. incestuosum Corinthium in detestationem tanti sceleris tradidit Satanæ, ut spiritus salvaretur; Et ratio est, quia actus carnales, utpote fœdi, & turpes graviter adversantur honori, reverentiæ, & pietati, quam debent sibi consanguinei, & affines. Unde ex instinctu naturali apud omnes gentes damnatur concubitus cum consanguineis in linea ascendente, vel descendente; imo etiam in linea collaterali intra certos gradus; Quinimmo hanc reverentiam nobis insinuant quædam irrationabilia animalia, quæ ex ingenito reverentiæ instinctu nolunt parentibus misceri; Unde Aristotel. *lib.* 9. *Historiæ animalium cap.* 47. refert a Camelo, qui ex fraude Camelarii fuerat congressus cum matre, interfectum esse deceptorem: equum vero similiter deceptum se ex alto præcipitasse; Sic Henno *l. c. q.* 3. *concluf.* 2.

16 An incestus inter diversos consanguinitatis, vel affinitatis gradus commissi distinguantur specie? Affirmant aliqui, & negant alii; Unde cum utraque opinio sit probabilis; & incestus eo gravius peccatum sit, quo gradus est propinquior, talis gradus est in Confessione exprimendus saltem pro majori securitate, ut fatentur passim Doctores etiam sententiæ te-
17 nentis ipsos incestus non distingui specie. Imo varii ex ipsis dicunt, quod non obstante incestuum identitate specifica, necessario juxta gradus suos sunt in Confessione exprimendi, quia licet speciem non mutent, malitiam notabiliter aggravant, & ideo obligationi suæ non satisfacit, qui dicit simpliciter se commisisse incestum, sed debet exprimere an cum Matre, vel cum Noverca, an cum Filia, vel cum sorore, vel cum Matertera, an cum Cognata germana, vel alia, & sic de aliis; Sic inter alios expresse Henno *loc. cit. concluf.* 3. Item an cum Affine, vel cum Cognato Spirituali, vel legali; Item an cum Filia Confessionis, ut probabiliter tenent Sanchez, Coninch. Fagundez, & ceteri citati, & secuti a Busemb. *lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 2. *num.* 5. la Croix *ibidem*, *& lib.* 6. *part.* 2. *a num.* 1073. contra Sa, Dianam, & alios.

18 Incestuosus volens post copulam incestuosam contrahere, in gradu prohibito, debet pro dispensatione recurrere ad Sa-
19 cram Pœnitentiariam, si tam copula quam gradus sint occulti. Si tamen gradus est publicus, copula vero est occulta, debet prius petere a Dataria dispensationem gradus, & postea a Sacra Pœnitentiaria dispensationem impedimenti orti ex copula incestuosa occulta; Sanchez *de Matrimonio disput.* 25. *num.* 11. *&* 12. Clericatus *cap.* 71. *num.* 10. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *n.* 2156. & alii.

20 Incestuosus an, & quando possit, & debeat, vel non, petere, & reddere, vel offerre debitum? Vid. verb. *Debitum Conjugale per totum.*

21 Stuprum stricte sumptum est violenta defloratio puellæ virginis, seu est concubitus cum puella virgine, ipsa invita,
22 seu per vim coacta; *Sic in re Doctores communiter.* Ponitur autem ly *Violenta*, vel *ipsa invita*, seu *per vim coacta*, ut excludatur copula, in quam consentit virgo; quia talis copula, in quam consentit virgo, pertinet potius ad simplicem Fornicationem, quam ad stuprum stricte, et proprie sumptum. Censetur vero virgo violenter, vel ipsa invita, seu
23 per vim coacta defloravi, sic ut ejus defloratio dicatur stuprum stricte, & proprie sumptum, quando vi, timore, dolo, fraude, aut ficta promissione Matrimonii, et hujusmo-
24 di decipitur, et inducitur ad copulam. Dicitur notanter *puelle virginis*, seu cum *puella virgine*, ut excludatur concubitus etiam violentus corruptæ, seu illius, quæ antea habuerat copulam, quia ille violentus concubitus non est stuprum, cum non sit violatio integritatis virginalis.

Stuprum est gravissimum, et speciale peccatum ob gravis- 25
simam injuriam, quam stuprator infert puellæ virgini, et 26
ejus parentibus. Unde stuprator tenetur in Foro conscientiæ, aut illam ducere in uxorem, aut illam honeste dotare, secundum sui possibilitatem, et viri prudentis arbitrio; Si 27
tamen puella ob illatum stuprum nullum aliud damnum passa fuit, puta, quia factum mansit occultum, & æque honestum Matrimonium consecuta est, ac si non fuisset stuprata, stuprator ad nullam obligatur restitutionem ante judicis sententiam; quia pro injuria, secluso damno, nulla debetur restitutio, sed pœna a judice; Sic quoad omnes has tres ultimas conclusiones, *Doctores passim.* Alia quoad hæc, *Vid. verb. Dos art.* 2. *a num.* 14. *ad* 38. ubi late de omnibus.

Raptus quid sit? & omnia, quæ ipsum, & Raptorem 28
concernunt, Vid. verb. *Impedimenta Matrimonii art.* 2. *n.* 103. *ad n.* 117.

Sacrilegium carnale, & personale est concubitus illicitus 29
personæ, aut Sacræ cum Sacra, aut Sacræ cum non Sacra, aut non Sacræ cum Sacra; *Est in re communis.* Sacrilegium 30
est peccatum gravissimum, & speciale contra virtutem Religionis; *Communis.* Qui simul est Sacerdos, & Religiosus non committit duplex Sacrilegium, violando castitatem, 31
sed unicum gravius, quia moraliter est una numero malitia contra eamdem virtutem Religionis; *Communis.* Si ambæ 32
personæ, quæ peccant, sunt Sacræ, est duplex Sacrilegium in Confessione exprimendum ob duas injurias, & irreverentias numero distinctas; *Sic Doctores passim.*

Peccatum contra naturam, quod est vitium inter cæteras 33
Luxuriæ species gravissimum, est actus Luxuriæ, quo fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ; *Est in re* 34
Communis. Hoc peccatum, ut jam fuit dictum supra *sub num.* 2. subdividitur in Mollitiem, Inordinatum concubitum, Sodomiam, & Bestialitatem: *Communis.*

Mollities, seu Pollutio est voluntaria seminis effusio ex- 35
tra vas solius voluptatis gratia facta: *Est in re communis.* 36
Mollities, seu Pollutio, quæab Apostolo 2. *ad Corinth.* 12. *& ad Galatas* 5. alio nomine vocatur *Immunditia*, quando est perfecte voluntaria, est peccatum mortale contra naturam, quia est contra ordinem naturæ, et generationis: Unde omnino excludit a Regno Dei: ut expresse dicit Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 6. ibi: *Neque Molles Regnum Dei possidebunt, & ad Galatas* 5. ibi: *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt Fornicatio, Immunditia, Impudicitia &c. quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.*

Mollities est ab intrinseco mala; adeoit etiam seclusa pro- 37
hibitione Divina adhuc foret mala: et sic numquam neque, prætextu tuendæ sanitatis, vel vitandæ alias certæ mortis, licitum est intendere, et directe procurare mollitiem, seu pollutionem: unde merito Innocentius XI. die 2. Martii 1679. inter alias sequentem damnavit propositionem 49. in ordine: *Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.*

Desiderare efficaciter, ut eveniat naturaliter pollutio, vel 38
de ipsa jam secuta gaudere ob delectationem, est omnino illicitum: *Communis.* Non est tamen illicitum desiderare ineffi- 39
caciter, ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in somno eveniat, vel de ea naturaliter, et involuntarie secuta gaudere, ob aliquem finem bonum, V. G. tentationis fedande, vel sanitatis recuperandæ. Tunc enim Pollutio mere naturaliter eveniens, non est nisi spontanea, et naturalis evacuatio, seu exoneratio naturæ, seu corporis, qualis est emissio sudoris, vel aliorum superfluorum excrementorum: Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 2. *a num.* 18. Tannerus *de peccatis dist.* 4. *quæst.* 8. *num.* 145. Platel. *de peccat. num.* 244. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 105. Layman *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 17. Vasquez 1. 2. *disput.* 115. *cap.* 3. Navarrus *in Manual. cap.* 16. *num.* 7. *& sequent.* cum pluribus ibi citatis, Reiffenstuel *Theolog. Moral. tract.* 9. *dist.* 1. *quæst.* 5. *num.* 55. Busemb. *lib.* 3. *part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 4. La Croix *ibidem num.* 932. ubi dicit hanc esse communiorem sententiam, Sporer *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 34. ubi hanc appellat communiorem doctrinam et sic alii plures contra Silvium, Azorium, Henno *loc. cit. quæst.* 7. *art.* 3. *concluf.* 1. *&* 2. et alios. Vide verb. *Delectatio morosa a num.* 15. *ad* 23.

Pollutio in somnis involuntarie secuta, non est peccatum; 40
quia

41 quia est effectus mere naturalis; *Communis*. Potest tamen Pollutio in somnis esse peccatum, si oriatur ex causa præterita illicita, aut otiosa, proxime ordinata ad venerem, ut sunt tactus, aspectus impudici, lectio, locutio, aut auditio turpium, et hujusmodi, quia tunc talis pollutio, quamvis non sit directe intenta, si fuit prævisa, est voluntaria in causa, et
42 indirecte volita. Si autem pollutio oriatur ex causa tantum remota, et per accidens ad ipsam concurrente, ut est esus, aut potus calidorum, nimia comestio, aut potatio, equitatio, et hujusmodi, tunc non est peccatum mortale, quia in talem rem, seu causam remotam, non ordinatam de se ad venerem, consentiens, non ideo censetur velle effectum, seu pollutionem, sed potius per accidens eam patitur: Lessius *loc. cit. num.* 90. & 100. Filiuccius *tract.* 30. *num.* 152. Sanchez *loc. cit.* Busemb. *loc. cit. n.6.* et alii passim.

43 Pollutionem omnino involuntariam sponte sua naturaliter evenientem, aut in somnis jam cæptam non impediens, nec reprimens, non peccat, quia id non est ipsam procurare, sed pati ut effluat, quod alias corruptum sanitatem læderet; Unde in tali casu dummodo absit periculum consensus in delectationem, seu complacentiam, potest quis sanitatis causa sinere, ut natura sponte sua se exoneret; Clericatus *cap.* 73. *num.* 4. Mastrius *disput.* 11. *num.* 129. Sanchez *de Matrimon. lib. disput.* 17. *num.* 17. Busembau *loc. cit. num.* 3. Felix Potestas *tom.* 1. *part.* 2. *num.* 2168. & alii. Imo Sanchez *loc. cit.* cum aliis idem admittit etiam si pollutio orta esset prius ex culpa, dummodo de ea doleat, & consensum ulteriorem abitrahat.

44 Facturus actionem aliquam necessariam, seu licitam, & honestam, & prævidens inde naturaliter secuturam pollutionem, nullo tamen modo a se volitam, & intentam non tenetur abitinere a tali actione, dummodo absit periculum consensus in delectationem; Clericatus *cap.* 73. *num.* 6. Tamburin. *lib.* 7. *decalog. cap.* 7. §. 2. Layman. *loc. cit. num.* 16. Mendo *verb. Pollutio*, Felix Potestas *loc. cit. num.* 2166. Busemb. *loc. cit. num.* 5. cum Sanchez, Filiucc. Navarr. ibi citatis, Reiffenstuel *loc. cit. num.* 53. testans de communi; Et ratio est, quia prosequenti suum jus non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem, & consensum ipsius secutus; Unde quamvis quis prævideat secuturam pollutionem ex auditione Confessionum mulierum, ex lectione casuum, conscientiæ, ex necessario tactu sui, vel alterius, & hujusmodi dummodo absit periculum consensus in delectationem, potest nihilominus licite audire Confessiones mulierum, legere casus conscientiæ, tangere se, & alios ex necessitate, & hujusmodi; Secus autem si adesset periculum consensus in delectationem, quia tunc cognoscens quis ex simili occasione sæpius fuisse mortaliter lapsum, teneretur a similibus actionibus, & officiis, quantumvis licitis, & honestis abstinere, ut advertunt citati Doctores, & alii.

45 Polluens se cum imaginatione, seu desiderio peccandi cum persona soluta conjugata, voto castitatis obstricta, consanguinea, vel affine, debet in Confessione circumstantiam personæ exprimere, quia juxta qualitatem personæ illicite concupitæ, intervenit in tali pollutione, alia distincta specie malitia, & turpitudo; *Communis*.

45 Inordinatus concubitus, seu indebitus concubendi modus est actus peccaminosus contra naturam, quo vir concubit cum fœmina modo inordinato, & indebito, ita ut impediatur generatio; Sic Filiuccius *tract.* 30. *cap.* 8. *num.* 161. Reiffenstuel *loc. cit. num.* 63. & alii. Et notanter dicitur, *ita ut impediatur generatio*, quia alioquin in rigore non esset peccatum contra naturam.

47 Unde Conjuges gravissime peccant contra naturam, si voluntarie concubant modo tali, quo certo impediatur generatio; quia generationem impedire gravissime repugnat bono prolis, & naturæ, & ideo intrinsece malum est, & nullo ca-
48 su potest cohonestari; *Communis*. Sic mortaliter peccant conjuges, si se retrahant in actu seminationis, ne proles concipiatur; *Communis* propter dictam rationem.

49 Conjuges, qui in copula vas naturale servantes variant situm, & modum coeundi ordinarium, si id faciant sine seminis perdendi periculo, & ex aliqua justa causa, quia V.G. mulier est prægnans, vel quia corporis dispositio propter pinguedinem aliter fieri non patitur, tunc excusantur a peccato; Si vero id faciant sine justa causa, ordinarie peccant saltem venialiter; Et si id faciant cum seminis perdendi periculo, peccant graviter; Hinc Conjuges, sic indebite, & inordinate congredientes sine justa causa, sunt graviter reprehendendi; *Sic Doctores communiter*.

Sodomia, sic dicta a Sodoma Civitate, quæ propter ne- 50
fandum hoc vitium, quod ibi, & in finitimis Civitatibus plurimum grassabatur, una cum ipsis igne cœlitus delapso fuit concremata, *Genes. cap.* 19. est coitus libidinosus cum perso- 51
na indebita, vel si cum persona debita, in vase indebito; *Sic in re communis*. Sodomia est duplex, una perfecta, altera 52
imperfecta; Sodomia perfecta est concubitus masculi cum masculo, aut fœminæ cum fœmina; *Sic communior Doctorum* cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 114. Sporer *Theolog. Sacramental. part.* 4. *cap.* 3. *sect.* 5. *num.* 626. & 627. Busemb. *loc. cit. dub.* 3. *num.* 14. Henno *loc. cit. quæst.* 7. *art.* 4. Reiffenstuel *lib.* 5. *Decretal. tit.* 16. *num.* 83. & aliis; *arg. cap. vsus* 14. *caus.* 32. *quæst.* 7. contra aliquos volentes, concubitum fœminæ cum fœmina esse Sodomiam imperfectam. Sodomia imperfecta est concubitus viri cum fœmina extra vas naturale; *Sic Doctores citati*, & *alii*. Sodomia perfecta 53
differt specie ab imperfecta, & ideo est in Confessione specificanda, quia Sodomia perfecta sit cum affectu ad sexum indebitum; Imperfecta vero sit cum affectu quidem ad sexum debitum, sed in vase indebito.

Sodomia perfecta committitur inter masculos, sive coeant 45
inter se in vase præpostero; sive (quod horrendum est) in ore; Et inter fœminas committitur, sive utantur vase anteriori, sive posteriori, cum secundum plurimos fœminæ inter se ita misceri possint, & ita invicem exardescere, ut ementitis virilibus congressibus, instrumentis quibusdam diabolicis semen intra vas, sive anterius, sive posterius recipiatur, & sic habeatur Sodomia proprie dicta, quæ præsertim consistit in affectu ad sexum indebitum.

Ut Sodomia sit casus reservatus (nisi aliter in reservatione 55
ab Ordinario exprimatur) requiritur, quod actus sit completus cum effusione seminis intra vas, qua deficiente sive in masculis, sive in fœminis, non est casus reservatus, quia non censetur Sodomia completa, & consummata. *Sic Doctores citati*, & *alii*.

Sodomia sive perfecta, sive imperfecta ultra propriam ma- 56
litiam, habet aliam speciem distinctam in Confessione explicandam, si personæ copulatæ sint vel Deo Sacræ, vel conjugatæ, vel consanguineæ, seu affines; tunc enim committitur etiam vel Sacrilegium, vel Adulterium, vel Incestus; & quidem aliquando duplex Sacrilegium, vel Adulterium, si utraque persona est Deo Sacra, vel conjugata. *Sic Doctores citati*, & alii passim.

Probabilius est in Confessione peccati Sodomiæ adesse ob- 57
ligationem exprimendi, an quis fuerit agens, vel patiens, quia agens se polluit, non sic patiens. Leander *de Pœnitentia disputat.* 8. §. 3. *quæst.* 6. Lugo *de Pœnitentia disputat.* 16. *num.* 243. Mendo *disputat.* 5. *num.* 188. Henno *loc. citat. artic.* 4. *conclus.* 1. La Croix *libr.* 6. *part.* 2. *num.* 1080. cum aliis ibi citatis contra plures id negantes cum Diana pluribus in locis, & præsertim *part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 11. & *tract.* 3. *resol.* 4. & *in compendio*, *verb. Sodomia n.* 2.

Complexus duorum masculorum se carnaliter per modum 58
copulæ commiscentium cum affectu ad eundem masculinum sexum, sicuti & complexus duarum fœminarum similiter se carnaliter commiscentium cum affectu ad eundem femineum sexum, cum effusione seminis licet ipsum semen in nullo vase emittatur, sed in membris effluat, reducitur ad Sodomiam, estque hæc circumstantia in Confessione explicanda nec sufficit dicere se exercuisse mollitiem, quia hæc tendit ad explendam libidinem sine speciali affectu ad indebitum sexum. Tamburinus *libr.* 7. *cap.* 7. §. 2. La Croix *loc. citat. nu.* 1082. & alii plures contra alios volentes, quod talis complexus sit 59
sola mollities. Non reduceretur tamen ad peccatum Sodomiæ, si mas se polluerit inter coxendices, brachia, seu alias partes fœminæ extra quodlibet vas, quia sic nec haberet affectum ad sexum indebitum, nec ad indebitum vas; adeoque sufficeret in confessione explicare se pollusse cum tactibus impudicis, seu consortio fœminæ conjugatæ, vel Deo Sacræ, vel consanguineæ, aut affinis. *Sic passim Doctores*.

Rei hujus nefandi, & horrendi criminis Sodomiæ Jure 60
Civili puniuntur pœna ignis, ut patet *ex Codice Theodosiano libr.* 9. *titul.* 7. ubi dicitur: *Hujus* (scilicet Sodomiæ) *scelus spectante populo, flammæ vindices expiabunt*; Et idem observari mandavit Carolus Quintus *Ordin. Crim. artic.* 116. Jure autem Canonico Laici de Sodomia convicti jubentur excommunicari, *cap. Clerici* 4. *de excessibus Prælat.* ibi: *Si Laici, excommunicationi subdantur, & a Cœtu fidelium penitus fiant alieni*. Insuper declarantur infames; *cap. Infames* 2. *caus.* 3.

caus. 3. *quæst.* 7. & conceditur facultas eorum uxoribus, ut possint ab eis discedere, sicut ab adulteris: *argum. cap. Omnes* 7. *caus.* 32. *quæst.* 7. Clerici vero de Sodomia convicti Jure communi Canonico privantur Beneficio, & a statu & Ordine Clericali abjiciuntur: *citat. cap. Clerici* 4. *de excessibus Prælatorum*, & ex Constitutione Sancti Pii Quinti incipient. *Horrendum illud scelus*. Clerici Sodomiam exercentes privantur omni Privilegio Clericali, Officio, Beneficio, & Dig-
61 nitate, ac degradati traduntur Potestati sæculari puniendi ut Laici hoc in exitio devoluti. Dictas autem pœnas non incurrit, qui mulierem cognoscit Sodomitice, quia hæc Sodomia est imperfecta: nec qui mixtus masculo non seminavit intra vas, quia non est Sodomia consummata. Leges autem pœnales, nisi in ipsis aliter exprimatur, afficiunt solum delictum
62 perfectum & consummatum; *argum. cap. Odia* 15. & *cap. In pœnis* 49. *de Regulis Juris*. Nec dictæ pœnæ aliquem ligant
63 ante Judicis sententiam criminis declaratoriam; *Sic Doctores communiter*. Hic in detestationem tanti criminis est sciendum, quod Sodomitæ omnes mortui fuerunt in illa nocte, qua Jesus Christus natus est, ut ex multis refert Barbosa de *Officio*
64 & *potestate Episcopi part.* 2. *allegat.* 44. *n.* 2.

65 Bestialitas est coitus cum Bruto; *Est in re communis*. In confitendo peccato Bestialitatis non est opus dicere, cum qua specie animalis sit commissa, quia manet eadem malitia, sive fiat cum cane, ove, & hujusmodi; malitia enim Bestialitatis consistit in hoc, quod non servetur eadem species, & natura; & omnia animalia conveniunt in hac una ratione, quod non sint ejusdem speciei cum homine; Filliucius *tractat.* 30.
66 *cap.* 8. *num.* 161. La Croix *loc. citat. num.* 1083. Reiffenstuel *loc. citat. numer.* 59. & alii communiter. Explicari tamen debet an sit facta cum Bestia mare, vel fœmella; & an in vase naturali, aut in præpostero, quia sunt diversæ deordinationes. Mendo *distinct.* 5. *quæst.* 25. La Croix *loc. citat. numer.* 1083. & alii contra alios.

67 Ad speciem Bestialitatis reducitur coitus viri, aut fœminæ cum Dæmone succubo, vel incubo, quia licet Dæmon
68 assumat formam hominis, de facto tamen specie differt ab illo; *Communis*. Hinc in coitu viri, aut mulieris cum Dæmone triplex ordinarie concurrit peccatum specie distinctum in Confessione exprimendum; Primo scilicet peccatum Bestialitatis, quia detorquetur affectus ad non hominem; Secundo peccatum Superstitionis, quia est speciale peccatum contra virtutem Religionis habere commercium cum maximo Dei, & hominum hoste; Tertio peccatum illius speciei, circa quod fertur affectus, itaut si vir misceatur Dæmoni tamquam masculo, sit peccatum Sodomiæ; si tamquam fœminæ liberæ, sit peccatum Fornicationis; si tamquam consanguineæ, aut affini, sit Incestus; si tamquam conjugatæ, sit Adulterium; si tamquam Deo Sacræ, sit
69 Sacrilegium.

Bestialitas est omnium peccatorum contra naturam gravissimum, quia congressus ille inter diversas species maxime repugnat naturæ; Hinc Glossa interpretatur, quod de hoc scelere loqueretur Joseph Genes. 27. dum *accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo*, & Levitici *cap.* 20. prohibetur coitus ille sub pœna mortis, & statuitur, ut Bestia, & Bestialitatem perpetrans interficiatur. Quod, & nunc eo magis servatur apud Catholicos præsertim in Germania, & in pluribus aliis Regnis, & Provinciis, ubi ut refert Farinacius in *Praxi Crimin. part.* 1. *quæst.* 148. *tit.* 15. *num.* 46. uterque in detestationem tanti sceleris igne concrematur, & non una semel visum, hoc fuisse experientia testa-
70 tur.

Mollities, Sodomia, & Bestialitas habent malitias specie distinctas, quia licet opponantur eidem virtuti Castitatis opponuntur tamen ei secundum notabiliter diversas honestates; Unde qui Sodomiam, aut Bestialitatem commisit, non satisfacit in Confessione eam exprimendo sub nomine *Pollutionis* dicendo se procurasse pollutionem; Hinc justis- 71
sime Alexander VII. die 24. Septembris 1665. inter alias damnavit sequentem propositionem in ordine 24. *Mollities*, *Sodomia*, & *Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione*, *se procurasse pollutionem*.

Impudicitia, quæ ut dictum fuit supra *sub num.* 2. præ- 72
dictis Luxuriæ speciebus accedit, nihil aliud est, quam species Luxuriæ inchoatæ, seu quæ non pertingat usque ad copulam, seu seminationem, ut sunt oscula venerea, tactus, & aspectus impudici, verba obscæna, scripta lasciva, turpes cantiones, repræsentationes, & comœdiæ impuræ, & hujusmodi, & de hac impudicitia loquitur Apostolus ad Galatas 5. ibi: *Manifesta sunt autem opera carnis*, *quæ sunt Fornicatio*, *Immunditia*, *Impudicitia*, *Luxuria &c. quæ prædico vobis*, *sicut prædixi*, *quoniam qui talia agunt*, *Regnum Dei non consequentur*.

Unde oscula, tactus, & amplexus impudici habiti ob 73
delectationem sensualem venereum inter personas solutas sunt peccata mortalia; *Communis*; Unde merito ab Alexandro VII. die 18. Martii 1666. fuit inter alias proscripta sequens propositio in ordine 40. *Est probabilis opinio*, *quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem*, *& sensibilem quæ ex osculo oritur*, *secluso periculo consensus ulterioris*, *& pollutionis*.

Oscula, tactus, & amplexus, si fiant secundum morem 73
patriæ causa urbanitatis, amicitiæ fovendæ, pacis, benevolentiæ, debiti obsequii, & hujusmodi, per se loquendo excusantur a peccato, & licent (a); *Communis*, quia oscula, tactus, & amplexus non sunt intrinsece mali, sed indifferentes, adeoque sunt liciti, cum sunt ob aliquem honestum finem ex assignatis, & similibus.

Tactus, & oscula facta in partibus inhonestis impudicis, 74
& verendis, a personis solutis sunt peccata mortalia, quia de sunt valde indecentia, & ad delectationem veneream tendunt, eamque valde excitant; *Communis* cum Diana *par.* 3. *tract.* 4. *resol.* 225. La Croix *lib.* 3. *part.* 1. *num.* 905. & supracitatis. Imo tactus, & oscula impudica verendorum 75
sunt peccata mortalia etiam in illis, qui propter defectum ætatis, aut alia de causa seminare non possunt, quia ex sua natura tendunt ad pollutionem, & spiritus venereos notabiliter excitant; Tamburin. *lib.* 7. *cap.* 7. §. 2. la Croix *l. c. n.* 906. Sporer *ibi cit.* & alii.

Oculari pueros ex affectu teneræ infantilis ætatis, item 76
eos complecti, tangere, captando delectationem sensibilem ex mollitie carnis teneræ, per se loquendo secluso consensu, aut complacentia turpi, vel nullum est peccatum, vel tantum veniale; Sanchez *de Matrimon. lib.* 9. *disp.* 46. *num.* 13. Sporer *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *sect.* 2. *sub num.* 19. & *tom.* 3. *part.* 4. *cap.* 3. *sect.* 4. *nu.* 692. la Croix *loc. cit. n.* 901. Jacobus Marchant. *Resol. Pastoral. part.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 6. & alii.

Ancillæ teneros pueros vestientes, lavantes, eorumque 77
pudenda tangentes, vel aspicientes, etsi motus sensuales exurgat, secluso consensu, aut complacentia turpi, aut non peccant, si ita officium exigat, aut solum peccant venialiter, si leviter, & ex curiositate faciant: Si tamen id faceret cum mora, peccarent mortaliter, ob morale periculum consensus libidinosi; Sporer *loc. cit.* la Croix *loc. cit. n.* 902. & alii.

Aspicere animalia coeuntia, ex curiositate, vel levitate 78
tantum, secluso voluntaria complacentia libidinosa, est peccatum tantum veniale, quia id non multum excitare solet
79 ad libidinem; *Communis*, teste Sporer *cit. num.* 19. Insuper eadem animalia, minora præsertim, ut catellos, catos, & hujusmodi, molliter tractare, demulcere, (b) etiam eorum pru-

(a) Nota. Quoad oscula, tactus, et amplexus inter personas præsertim diversi sexus, hæc attente notanda sunt. Primum hæc gravi culpa non carere, si ob sensualem delectationem fiant, deinde si certum periculum sit hujusmodi delectationis, vel pravi desiderii excitandi: ita enim agentes sese periculo peccandi exponerent: qui vero periculo se exponit peccandi, revera peccat. Demum si alterutra persona, vel hac delectatione afficeretur, vel in hujusmodi certo periculo per oscula poneretur: Nam id ex parte utriusque videndum est, ut oscula, tactus, amplexusque ab omni prorsus culpa liberentur. Quæ quidem notanda attente sunt, ut in hujusmodi usibus peccata caveamus.

(b) Nota. Qui ex curiositate, vel levitate actus hujusmodi aspiciant, a gravi culpa liberari haud possunt, si periculo complacentiæ, delectationis, atque pravi desiderii sese exponant. At difficile admodum est, ut hujusmodi periculum absit, ut consideranti patet. Id quoque dicendum de iis, qui ex curiositate, vel vano solatio turpia, et obscæna legant, vel canant, dum enim tantæ non sint ignorantiæ, vel stupiditatis hæc legentes, aut canentes, ut ad ea quæ dicunt nullimode attendant, aut ea non intelligant, vix et ne vix quidem fieri potest, ut lectiones; et cantilenæ hu-

pudenda contrectare, ex sola curiositate; vel levitate sine ulla impura delectatione, ordinarie est tantum peccatum veniale; Sanchez *lib. 9. de Matrimonio disput. 46. numer. 15.* Sporer. *cit. tract. 1. cap. 5. sub num. 19. & cit. part. 4. cap. 3. num. 697.* la Croix *loc. cit. num. 903.* & alios citans Diana
80 *part. 2. tract. 17. resolut. 37.* Esset tamen mortale ita Bruti alicujus pudenda fricare, ut semen expelleret, ex curiositate illud videndi & ob delectationem sensibilem, quia talis fricatio pudendorum Bruti facta ob sensibilem delectationem, principium ex se est impuræ libidinis; Tambur. *lib. 7. Decalog. cap. 3. §. 2. num. 5.* Sporer. *l. c. n. 697.* Bonacina, & Salas *ibi citati*, & alii.

81 Personæ ejusdem sexus simul nudæ existentes in balneo, in habitaculo, seu alibi, & se invicem ex curiositate aspicientes, seu ex levitate, & joco tangentes, etiam in partibus verendis cum motu sensualitatis, secluso libidinoso consensu, & complacentia turpi, non peccant graviter; Spo-
82 rer *cit. part. 4. cap. 3. num. 693.* & alii passim. Peccant autem ordinarie graviter sic aspicientes, vel tangentes personas diversi sexus, aut concubitus humani, etiam secluso affectu venereo, quia tunc est semper morale periculum consensus libidinosi, & adest gravissima indecentia; Sporer *l. c. n. 693.* Busemb. *lib. 3. par. 1. tract. 4. cap. 2. dub. 1. num. 6.* cum Sanchez, Filiucc. Layman, ibi citatis, Henno *tom. 1. tract. in Decalog. disput. 6. q. 9. art. 3. concl. 1.* & alii.

83 Seipsum vero aspicere, vel tangere ex curiositate vel levitate, secluso intentione, & complacentia turpi, ordinarie est solum peccatum veniale, quia minor est indecentia, & minus movent ad libidinem propria, quam aliena verenda; Sporer. *loc. cit.* Busemb. *loc. cit. num. 5.* & alii passim. Imo aspicere, vel tangere verenda proprii corporis ex naturali aliquo, & non malo fine, nequidem erit veniale, ut si quis V. G. fricatione velit extinguere pruritum non venereum, cum non adest periculum pollutionis, aut consensus in eam, dato quod involuntarie improviso obveniret; Sanchez *lib. 9. de Matrimon. disp. 44.* Busemb. *loc. cit. n. 5.* Filiucc. *tract. 30. n. 200.* & alii passim.

84 Persona soluta permittens se tangi, osculari, & hujusmodi ab alia, quando graviter peccet, vel non? Vid. verb. *Fœmina a n. 27. ad 30. & per tot.* ubi multa ad rem.

85 Obscœna legere, inhonesta canere, turpia loqui, impudicos gestus facere, turpes comœdias spectare, litteras amatorias, & lascivas scribere, & recipere, talia audire, & similia facere; si hæc fiant cum intentione, & complacentia turpi, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum sunt peccata mortalia; Si autem fiant ex curiositate, vel levitatis tantum, seu ex vano solatio sine periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, sunt solum peccata venialia; Sporer *loc. cit. num. 695.* Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 46. a num. 31.* Filiucc. *tract. 30. quæst. 3.* Busemb. *l. c. num. 8.* &
86 alii passim (a).

Libros, cantiones, seu tractatus obscœnos componentes, vel divulgantes, comœdias turpes exhibentes, seu repræsentantes, ac picturas ad libidinem incitantes facientes, seu publico exponentes, & hujusmodi, peccant mortaliter, quia sunt spiritualis ruina multorum, cum & ipsi sciant, & scire debeant, plurimos inde in libidinem esse lapsuros, adeoque tot peccatorum fore coram Deo culpabiles, quot personis erunt causa ruinæ spiritualis; Busemb. *l. c. num. 10.* Filiucc. *loc. cit. num. 7.* Sporer *loc. cit.* & alii communiter. De comœdiis, Vide Pignatell. *tom. 8. consult. 163.* ubi tum ex Sacra Scriptura, tum utroque Jure communi, tum Conciliis Generalibus, & Provincialibus, tum auctoritate Sanctorum Patrum eas condemnat, plurimum invehens in earum Auctores, & spectatores. Vide verb. *Clericus art. 4. a num. 16.*

87 Choreæ quamvis non paucis sint plenæ periculis, de se tamen non sunt malæ, nec actus libidinis, sed communis lætitiæ, dummodo tamen fiant locis, & temporibus non prohibitis, et modis licitis, scilicet sine malo fine libidinoso, sine tactibus, et gestibus lascivis, aut alio periculo delectationis venereæ; Sic in hoc sensu Choreas non esse malas tenent Cajetanus, Silvester, Armilla, Angelus, Filiuccius, Azorius, Busemb. *loc. cit. num. 9.* Sporer *loc. cit. num. 694.* Henno *loc. cit. quæst. 9. art. 5. concl. 1.* et ipso teste alii communiter; Unde quando Sancti Patres eas interdum acriter reprehendunt, loquuntur de choreis turpibus, seu factis locis, et temporibus prohibitis, ut in locis sacris, et tempore Divinorum Officiorum, aut de eorum abusu; Et dum Sacri Canones eas interdicunt, loquuntur specialiter de Clericis tum Sæcularibus, tum Regularibus, quibus choreæ sunt interdictæ tum Jure Communi antiquo, tum novo: Conc. Trid. *sess. 22. c. 1. de ref.* Vid. verb. *Clericus art. 4. a num. 13.*

Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus 88
lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter Conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomiam quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia; Alias non sunt nisi venialia; *Communis*.

Quando autem Conjuges graviter peccent, vel non circa 89
delectationem morosam de actu Conjugii? Vide verb. *Delectatio morosa a num. 24. ad 26.*

Omnes tactus, oscula, amplexus, turpiloquia, aspectus 90
lascivi, et hujusmodi, quæ fiunt inter sponsos cum delectatione sensibili venerea morosa, et directe voluntaria sunt peccata mortalia: Alias non sunt nisi venialia: et si pudice fiant ex recto fine secundum consuetudinem patriæ, sunt licita: *Communis*.

Quando autem sponsi graviter peccent, vel non circa 91
delectationem morosam de copula futura, et de dictis tactibus, osculis, amplexibus etc. Vid. verb. *Delectatio morosa a num. 27. ad 29. & num. 32.*

Viduæ quando peccent, vel non circa delectationem mo- 92
rosam de copula præterita? Vide verb. *Delectatio morosa a num. 30. ad 32.*

Quando fœminæ graviter peccent, vel non in ornamen- 93
tis: et similibus provocantibus ad lasciviam? Vid. verb. *Fœmina a n. 14.*

Quando sint peccata gravia, vel non, cogitationes impu- 94
ræ, et delectationes morosæ, quæ ex hactenus recensitis oriri solent? Vid. verb. *Delectatio morosa per tot.*

In delectatione venerea deliberata, seu in re, vel ma- 95
teria Luxuriæ in se directe, et deliberate volitæ, non datur parvitas materiæ excusans a mortali: *Est in re Communis*, et fuit approbata a Summis Pontificibus Clemente VIII., et Paulo V. qui præceperunt denunciari Inquisitionibus eos, qui docereni amplexus, et oscula libidinosa non esse mortalia, licet sola delectatio venerea in eis placeret sine ordine ad copulam, ut referunt la Croix *lib. 3. part. 1. num. 910.* Sanch. *in Decalog. c. 5. num. 12.* Reiffenst. *Theol. Moral. tract. 9. dist. 4. quæst. 6. num. 85.* Castropal. *tom. 1. tr. 2. disp. 2. punct. 10. num. 4.* Diana *part. 5. tr. 5. resol. 5.* Verricell. *tr. 4. q. 16. num. 11.* et alii passim, qui concludunt, oppositam sententiam esse improbabilem, falsam, erroneam, temerariam, periculosam, et scandalosam, et aliqui apud Mend. *disp. 5. num. 4.* putant esse damnatam. Et concordat propositio 40. inter alias damnata ab Alexandro VII. die 18. Martii *1666.* jam relata *supra sub num. 10. & 72. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*; Unde hæc sententia tamquam jam certissima non indiget ulteriori probatione.

---

jusmodi pravas cogitationes non excitent, vel prava desideria non foveant, aut saltem in occasione, et periculo proximo non exponantur habendi pravas cogitationes, ac desideria prava. Quam ob rem non adeo facile generatim pronunciandum est solius culpæ venialis reos esse, qui ex curiositate, vel vano solatio obscœnos libros volvant, aut turpes cantilenas canant. In Choreis quoque occasio et peccandi periculum attente considerandum est: Nam si a viris et mulieribus simul fiant, non adeo facile erit stabilire abesse occasionem, et peccandi periculum: quia etsi fortasse ex parte unius desit, non deerit plerumque in altero: atque hoc satis est, ut improbentur.

(a) At moraliter certum est, hæc & similia fieri non posse absque periculo ruinæ spiritualis; Unde omnes cordati Theologi ea inter peccata mortalia referunt, præsertim turpium Comœdiarum aspectus.

FINIS TOMI QUARTI.